CONCILIUM TRIDENTINUM

TOMUS DECIMUS TERTIUS

VOLUMEN PRIUS

CONCILIUM TRIDENTINUM

DIARIORUM, ACTORUM, EPISTULARUM TRACTATUUM

NOVA COLLECTIO

EDIDIT

SOCIETAS GOERRESIANA

PROMOVENDIS INTER GERMANOS CATHOLICOS LITTERARUM STUDIIS

TOMUS DECIMUS TERTIUS

TRACTATUUM PARS ALTERA

VOLUMEN PRIUS

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXXVIII

HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

CONCILII TRIDENTINI TRACTATUUM

PARTIS ALTERIUS

VOLUMEN PRIUS

COMPLECTENS TRACTATUS
A TRANSLATIONE CONCILII
USQUE AD SESSIONEM XXII
CONSCRIPTOS

EX COLLECTIONIBUS

VINCENTII SCHWEITZER

AUXIT EDIDIT ILLUSTRAVIT

HUBERTUS JEDIN

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXXVIII
HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

IMPRIMATUR:

Datum in Civit. Vat., die 28 aprilis 1938

✠ Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae

Typis Vaticanis, Civit. Vat.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO XI

STUDIORUM PATRONO MUNIFICENTISSIMO

SOCIETAS GOERRESIANA

PRAEFATIO.

NON sine moerore huic alteri tractatuum concilii Tridentini volumini ultimam imposuimus manum. Qui enim perficere opus debuisset, VINCENTIUS SCHWEITZER, inter vivos non amplius invenitur. Paulo post quam anno 1930 tomum XII collectionis edidit, doctus ac pius sacerdos morte praematura praeventus est, altera operis parte, quae tractatus a translatione concilii usque ad eius finem conscriptos comprehenderet, minime confecta.

Cum scripturarum defuncti molem una cum SEBASTIANO MERKLE perspexissemus, facile nobis persuasimus eas ita ut iacebant prelo dari non posse; quantus insumendus esset labor quantaeque obstarent difficultates, nemo nostrum tum praevidit. Augenda erat collectio ipsa ex bibliothecis et archiviis superioris praesertim Italiae; adhibendi pro corrigendis textibus alii codices, qui interim inventi sunt, meliores ex parte quam illi, quibus usus erat Schweitzer; elucidandi denique tractatus ipsi ex libris concilii tempore impressis, quos auctores eorum prae manibus habebant. Quae omnia ut praestarem, Societas Goerresiana Romam me misit, ut ex fontibus ibi scaturientibus — in primis in Archivio secreto S. Sedis et in Bibliotheca Vaticana — haurirem liberque et procul negotiis labori incumberem. Roma itaque felix felicem anno 1933 exeunte suscepit fovitque usque ad principium anni 1936 in nido illo ad Sanctum Petrum, collegio scilicet Campi Sancti Teutonici, cuius membra Stephanus Ehses, Sebastianus Merkle, Vincentius Schweitzer olim fuerant. Per duos igitur annos cum dimidio codicibus, libris, pagellis insudavi, quo autem successu, alii videant et iudicent.

Variae nos moverunt rationes, ut hunc tomum XIII in dua divideremus volumina, quorum alterum, continens tractatus a sessione XXII usque ad finem concilii, prolegomena et indices hoc prius quam brevissime sequetur. Quod in appendice comprehendet etiam scripta quaedam, quae lector forsan hic desiderabit.

Commentationes Francisci de Vargas, primo fiscalis, deinde oratoris Caesarei, scriptae anno 1551: *Mémoire sur la manière de régler le concile et sur la conduite que l'ambassadeur y doit tenir*, quia Gallice tantum a Michaele Le Vassor in libro: Lettres et Mémoires de François de Vargas (Amstelodami 1699) p. 25—60 publici factae sunt iuris; item duas eiusdem auctoris breviores tractatus de doctrina sacramenti ordinis (ibid. p. 437—460), quarum codices ad nos non pervenerunt, collectioni nostrae inserere dubitavimus respicientes editorem non fide satis dignum. Cum autem G. Buschbell litteras Francisci de Vargas in eodem libro editos in tomo XI huius operis receperit (cfr. introductionem eius p. XXXIII sqq.), nos quoque praedictos tractatus in appendice voluminis secundi edemus, ne lector librum Michaelis Le Vassor admodum rarum consultare sit coactus. Aliorum tractatuum notitia sero ad nos pervenit, quam ut huic volumini loco convenienti inseri potuissent. Sunt autem sequentes: Votum Generalis Carmelitarum super reformatione monialium et fratrum (Arch. Vat. Concilio 21 f. 200r—201r), inserendum n. 56; votum Generalis Augustinianorum de simonia (Bibl. Angelica cod. lat. 425 f. 134r—145v), inserendum n. 62; tractatus hispanus B. Joannis de Avila de reformatione, dedicatus archiepiscopo Granatensi anno 1561 exeunte vel 1562 ineunte, de quo in periodico «Zeitschrift für Aszese und Mystik» 11 (1936) 124—138 egimus. Omnes tractatus praedicti in appendice edentur.

Tractatum Joannis ab Arze canonici Palentini: *De novo breviario Romano tollendo consultatio,* quamquam Tridenti scriptum et cardinali Crescentio die 1. Augusti 1551 dedicatum, omisimus, quia post Roscovanium critice editus est ex tribus codicibus Vaticanis a J. Wickham Legg in opere: The Second Recension of the Quignon Breviary II (London 1912) 135—212. Non recepimus etiam articulos de reformatione a curia Romana vel a legatis collectos, qui iam apud Šusta II 113 sqq. III 4 sqq. extant, denuo, si Deo placet, cum litteris annorum 1561/3 edendos; similiter scripta quaedam Gabrielis Paleotti, quae Sebastianus Merkle ceteris clari illius viri commentationibus adiungere promisit, Conc. Trid III 383 adn. 3. Libellum autem illum, quo status Germaniae protestantes rationes suae recusationis collegerunt (Rekusationslibell), traditum Caesari Francofurti die 25. Novembris 1562, cum formis praecedentibus vel in appendice vel alibi edemus.

Opus in lucem prodire non potuisset, nisi Pius XI Pont. Max., litterarum studiorumque fautor, integros sumptus buius voluminis largitus esset. Pro qua munificentia omnes omnium nationum doctos homines cum Societate Goerresiana Augustissimo Maecenati gratias habituros esse certo scimus. Gratiae deinde agendae sunt praefectis multorum archiviorum et bibliothecarum Italiae, Galliae, Germaniae et Austriae, qui editorem variis modis iuverunt, in primis autem Eminentissimis Cardinalibus GIOVANNI MERCATI et EUGÈNE TISSERANT, olim moderatoribus Bibliothecae Vaticanae, necnon praefecto Archivii secreti Vaticani Mons. ANGELO MERCATI, qui una cum officialibus thesauros sibi commissos studioso libentissime patefecerunt; amico denique fideli DR. JOACHIM BIRKNER Romae et sorori BENEDICTAE BURKART O. S. B., abbatiae S. Gabrielis prope Bertoldstein in Austria, qui mecum pagellas correxerunt.

HUBERTUS JEDIN

Hoc volumine continentur:

I. Tractatus ad translationem concilii spectantes.

II. Tractatus ad concilium Bononiense spectantes.

III. Tractatus ad sessiones sub Iulio III spectantes.

IV. Documenta de reformatione ecclesiae sub Iulio III ante et post concilium.

A. Generalia.

B. De reformatione curiae Romanae in specie

C. Bulla reformationis universalis per Iulium III praeparata, sed non edita.

V. Documenta quaedam de reformatione ecclesiae sub Marcello II et Paulo IV.

Pagina

VI. Tractatus de rebus concilii et de reformatione sub Pio IV, antequam concilium apertum sit.

VII. Tractatus ad sessiones XVII—XXII spectantes (a 18. Ianuarii ad 17. Septembris 1562).

I.

Tractatus ad translationem concilii spectantes.

1.

[De translatione concilii].

[Mensibus **Iulio** vel **Aug. 1546**][1].

Florentiae *Carte Cerv. Filza 29* f. 54, cop. coaeva; Romae Arch. Vat. *Carte Farnes. 21* f. 223, cop. coaeva; Bibl. Vat. *Cod. Barb. lat. 835* f. 136r, cop. saec. XVII; Neapoli, *Carte Farnes. Roma 697 fasc. Concilio*, cop. coaeva.

Argumenta contra concilii translationem.

Carte Farnes. Roma 697 fasc. Concilio

Lo que se apunta sopra lo del concilio, es lo siguiente:

Que pues S. S^{dad} ha indicto el concilio en Trento, al qual S. Mag^{tad} imperial, el rey de Francia y otros reyes y principes christianos han adherido y todos los christianos buenos speran dello el remedio della religion y que saran costreñidos por el a reduzirse los desviados y que este es solo el verdadero torcedor, por que es la cosa, que mas temen, y que todo lo que se ha emprendido y en que se entiende agora, es a fin de forçarlos a sometterse y obediezer a el: S. S^{dad} deve mucho mirar la desesperacion que de suspender o transferir el concilio se seguirá a los buenos y el atrevimiento a los malos y otros inconvenientes y scandalos.

Considerara tambien S. S^{dad}, como S. Mag^{tad} y sus ministros se han havido en lo que tocca al dicho concilio y lo que se ha hecho hasta agora passando por lo que S. S^{dad} y sus legados han querido sin contention de lo que toccava a su auctoridad imperial, como a muchos pareria que lo devia mas mirar teniendo solo respecto a la satisfaction de S. S^{dad} y legados y al buen progresso del dicho concilio.

Tambien que es notorio que la causa de miedo, que se apunta de la de gente de guerra, non tiene fundamiento ninguno sino todo el contrario, como se ha dicho mas largamente, y menos de dezir que S. S^{dad} ni los legados no pueden empedir los que se quieren yr, porque es claro que si S. S^{dad} tiene auctoridad de forzar los dichos perlados de venir al concilio, como lo ha hecho y declarado, que lo queria hazer, tanto mas puede y deve detener los que son ya en el dicho concilio.

Deve assimesmo considerar S. S^{dad} que de hazer translacion del dicho concilio en otra parte, que todos los desta Germania, donde sta el mal y los errores, general- y particularmente y catholicos y desviados nunca yran fuera della, y assi es una mesma cosa de transferir o romper el dicho concilio.

Y por que de la parte de S. Mag^{tad} imperial se ha dicho tantas vezzes, como ella no puede consentire a la dicha translacion por lo mesmo señaladamente, por lo que es obligado a la Germania por los expressos recessos della, no se hara mas prolixidad sobre este punto sino que ella sta en lo mesmo.

Pero se añadira solamente que S. Mag^{tad} imperial per lo que quiere a S. S^{dad} dignidad y reputacion, le suplica quiera bien mirar a lo, que muchas vezes sus legados han ofrezido y prometido de indir el dicho concilio y celebrarlo en la Germania, y que las razones y consideraciones, que han movido a S. S^{dad} a ello, son mas urgentes que nunca, y tambien el daño y periuyzio, que de la cessacion del dicho concilio y translacion se podria ofrezer a la santa sede apostolica con descontentamiento de todos los buenos y occasion de male hablar y serivir y con mas obstinacion a los malos.

Y finalmente se dize que S. S^{dad} puede ser cierta, que S. Mag^{tad} imperial adherira a S. S^{dad} por el buen progresso del dicho concilio y que se hara siempre con el respecto y acatamiento de S. S^{dad} y auctoridad de su santa sede, como S. Mag^{tad} lo deve y conviene a la verdadera amistad dentre S. S^{dad} y S. Mag^{tad} imperial.

[1] Tractatulus compositus esse videtur, cum bello contra confoederatos protestantes appropinquante (cfr. supra l. 15, *gente de guerra*) legati translationem vel suspensionem concilii moverent. Cfr. *Conc. Trid.* X 536 sq. 541 sq. 559 sqq. 573 sq. 578 sqq. 587 sqq. 600 sq.

2.

Per finir il concilio.

[Mense **Martio** 1547 ineunte][1].

Florentiae *Carte Cerv. Filza 32* f. 4^r–4bis, min.; Neapoli, *Carte Farnes. Roma 697 fasc. Concilio*, cop. coaeva, quam sequimur.

Auctor, ne concilium dissolvatur, finem eius postulat.

Carte Farnes. Roma 697 fasc. Concilio

Ragioni, per le quali con buona fronte N. S. potria commettere [a] alli legati del concilio, che con li voti de la maggior parte de' vescovi indicessero da hora l'ultima sessione pigliando quel tempo, che a loro paresse necessario per la spedizione de le cose, che restano.

Che essendo oramai spedite li più difficili et importanti dogmi [b] et restando solo cose determinate ne [c] concilii passati et per consequente che non ricercano molta discussione, è verisimile, anzi e iudicio commune etiam delli vescovi medesimi del concilio, che in pochi mesi si possa spedire ogni restante circa questa parte de' dogmi.

Che il capo della reformatione per esser cosa prattica et intesa [d] da tutti non ha bisogno di molto tempo a discuterla [e]; ma piu presto dell'osservantia dei canoni [f] gia fatti, de quali basterà solo innovare quelli che fanno a proposito de' tempi presenti, et per tanto questa parte ancora si può spedire brevemente.

Che essendo commune opinione de tutti, che questo concilio si voglia tenere in lungo per disegni particolari degli huomini del mondo, a niuno potria parer nuovo, ma piutosto [g] prudentemente fatto se S. S[tà] doppo dui anni che i suoi legati son stati in Trento et dopo piu d'uno, che il concilio è aperto, volesse che si cominciasse a pensare di ponere l'ultimo termine a questo iudicio, quale di sua natura ha l'instantie indefinite et perpetue, se non vi si pone fine. Et se a gl'altri concilii non s'è posto, non è bisogniato, perchè chi s'è spedito in sette mesi come et l'ultimo Constantinopolitano [2] ⟨et il Viennense⟩ [h], chi in tre, come il secondo Niceno ⟨chi in 13 et chi in 14 mesi⟩ [h] come l'Ephesino et il Chalcedonense, generalmente tutti li concilii etiam universali si sono spediti in manco tempo che non son stati li legati del concilio Tridentino in Trento. Ne sia chi opponga il concilio di Constanza et di Basilea ⟨o l'ultimo Laterano⟩ [h], perchè ne li tempi ne le cause presenti son simili a quelli per gratia di Dio.

Che le chiese et l'anime patano per la troppa lunga absentia de' suoi vescovi et appartiene a S. S[tà] provederci.

Che non si ponendo l'ultimo termine, il concilio si dissolve per l'opinione, che hanno communemente li vescovi come disopra è detto, che si voglia far durare eternamente, onde avviene, che li presenti si sbigottiscano et non potendo molti di loro tollerare ne la spesa ne l'aere, se ne vanno; ⟨lo fanno, perchè credono di non essere obligati di stare [i] a un concilio che finisce mai⟩ [h] et li assenti per la medesima causa non vengano; onde il concilio restarà exauttorato et con niuna riputatione.

Che le conscientie di tutti li prelati absenti stanno illaqueate per la bolla, che S. S[tà] fece, che comparissero personalmente [3] sotto le pene, che in essa si contengano, et appartiene a S. S[tà] di provedervi con questo rimedio et porvi modo.

Che innanzi alla fine del concilio è necessario di citare tutti quelli, che hanno interesse et servar li termini, et però bisogna qualche mese innanzi publicare il dì dell'ultima sessione.

[a] *Flor. del.* per un suo breve [b] *Flor. del.* che s'havessero a trattar in concilio [c] *Flor.* in [d] *Flor. del.* la intendiamo [e] *lacuna* [f] *Flor. del.* li canoni provedano sbondantemente a tutto il male. Onde non accade far molti canoni nuovi [g] *Neap.* più presto [h] *Neap. om.*; *in Flor. add. a Cervino* [i] *Flor. del.* perpetuamente in

[1] Legati 13. Martii 1545 Tridentum applicuerunt. Abhinc cum duorum iam spatium annorum praeterierit (supra l. 11), tractatulus iste mense Martio 1547 ineunte compositus esse videtur. Textus codicis Florentini pluribus locis corruptus est. Sequimur Neapolitanum, adnotantes, quae Cervinus ipse in Florentino correxit.

[2] Spatia ab auctore antiquis conciliis tributa ex parte sunt erronea; ex. gr. concilium Constantinopolitanum III 7. Novembris 680 apertum, 16. Septembris 681 conclusum est; in Nicaeno II, Ephesino et Chalcedonensi singulis vix mensibus sessiones habebantur.

[3] Cfr. bullam indictionis *Conc. Trid.* IV 387, 16 sqq.

Che se finito il tempo restasse qualche cosa imperfetta, si potrà spedire dinanzi a S. $S^{tà}$, onde bisognaria, che nella bolla o breve vi fusse questa clausula, cioè che S. $S^{tà}$, ex nunc prout ex tunc ratifica, ⟨che tutto quello⟩ [a] che in ciò sarrà fatto dalli suoi legati con la maggior parte del concilio decernendo, irritum et inane etc. et dicendo che, se restarà niente a spedirsi, si vada alla presentia di S. $S^{tà}$, che breve et effetualmente proverderà a tutto.

Che la maggior parte de prelati ⟨a chi si parla⟩ [b] di questa cosa mostrano non solo di laudarla et ⟨approvarla, ma di⟩ [b] desiderarla per le cause sopradette.

3.

[Cardinalis Tridentinus [1] ad Summum Pontificem: De concilio Bononiam translato]

[Mense **Martio** exeunte vel **Aprili** 1548].

Nunc Tridenti Arch. gubernii, antea Oeniponte, Arch. gubernii *Trient capo 56 n. 150*, 3 foll., cop. coaeva.

I. Causam translationis concilii exponit. II. Translationem vituperat et pontificem, ut concilium Tridentum reducat, rogat.

I.

Arbitramur quin etiam omnino certum est V^{ram} B^{nem} et paternitates Rev^{mas} procul dubio non latere diram illam et saevissimam pestem Lutheranam, quae primum in aliquibus locis Germaniae exorta paulatim pullulando per loca varia Germaniae serpsit et in tantum crevit, ut cuiuscunque ordinis et status viros tam litteras profitentes quam etiam ignaros ad se attraxerit et infecerit, ut non solum per totam Germaniam et provincias proximas, ⟨sed⟩ [c] etiam remotas radices suas miserabiliter extenderit, quantaque exinde incommoda toti christianitati redundaverint, et maiora ac pene totius reipublice christiane excidia timenda erant, nisi Deus omnipotens per merita passionis unigeniti filii sui Domini nostri Iesu Christi super gregem suum paterna pietate misertus, in corda V^{rae} B^{nis} et simul $Caes^{ae}$ M^{tis} tanquam capitum in republica christiana principalium id inspirasset, quo tandem experrecti de tanti mali extinctione cogitaretis, ne fides Christi, quae tamdiu fluctuaverat, re hac longius progrediente etiam quod timendum fuerat, penitus evacuaretur. Cum vero praecipuum et potissimum huius rei extirpandae remedium esset concilii universalis convocatio et indictio, quemadmodum maiores et patres nostros divino spiritu afflatos in paribus ecclesiae necessitatibus fecisse certum est, — hinc etenim error[um] omnium extirpatio, ut vera et unica fides in toto grege dominico eluceat ac totius ecclesiae reformatio in capite et in membris consequatur — [d]. Diu vero disceptatum fuit de loco, in quo huiusmodi concilii celebratio concorditer fieri posset, qui omnibus convenientibus aeque commodus videretur, Deoque ipso auctore et annuente civitas Tridentina per V^{ram} B^{nem} consensu et $Caes^{ae}$ M^{tis} accedente, sicut accessit, deputata fuit et opera ac diligentia eiusdem $Caes^{ae}$ M^{tis} et a Germanis acceptata. Tamen [cum] | superveniente bello Germaniae adversus Suam M^{tem} nemo illorum vel paucissimi forte dictae concilii celebrationi interesse voluerint, cogitantes forte futurum, quod oppresso Caesare et viribus suis ad exinanitionem redactis ipsi quoque liberius possent in eorum pravo proposito persistere, violentia et armis hoc sacrosanctum concilium perderent et dissolverent. Id quod si ex eorum voto successisset, de fide Christi et totius christianitatis incolumitate et tranquillitate proculdubio [e] nemo est qui infitias ire possit. Sed Caesar noster magnanimus Dei auxilio suffultus, de cuius magis negocio agebatur quam suo, collectis propriis, etiam alienis viribus precipue huius sacrosanctae sedis, sese illorum conatibus viriliter et animose opposuit, conatus ipsorum extinxit eosque feliciter sibi subegit, et idem de reliquis quibusque futurum nunc speratur, divina gratia cooperante et adiuvante, cui semper laus sit et gloria. Cum vero rebus his in Germania prospere gestis, sperari debuerat, quod M^{tas} Sua operam navaret, sicut fecisset et adhuc se facturam pollicetur, quod hoc concilium, licet absentibus protestantibus contumacibus tum recte inchoatum fuerit, iisdem nunc [f] praesentibus debitum ac felicem exitum sortiretur et omnia unanimi et concordi voto

Trient capo 56 n. 150 f. 1r

1v

[a] *Flor.* che tutti quelli [b] *Flor. lacuna* [c] *Cod.* nec [d] ἀνακόλουθον, *ut Graeci vocant* [e] *Supple* actum esse [f] *Cod.* tum

[1] Cardinalis Tridentinus, Christophorus Madrutius, ut partes Caesaris sequebatur, ita translationem improbabat. Sessioni 11. Martii 1547 non interfuerat (*Conc. Trid.* V 1036), in Madrutiorum castello moram faciens, cfr. *Nuntiaturberichte* I. Abt. IX 548 adn. 2; *Conc. Trid.* X 840.

transigerentur, quo tandem tranquillitas et pax perpetua in Dei ecclesia et inter principes christianos firmaretur et viribus christianitatis unitis et collectis non tam fines suos tueri, quam etiam V. B^{ne} et $Caes^{ea}$ M^{te} auctoribus deperditos et per christiani nominis hostem occupatos recuperare atque alia memoratu digna tutius et liberius possint. Sed cum sathanas prosperi-
2r tati fidelium invidens vidisset, quod per bellum, quod protestantibus suggesserat, | concilium dissolvi non poterat, alium dissolutionis ipsius modum adinvenit, nempe quum concilia iure possint dissolvi vel transferri bello, fame vel peste, primis duobus sibi deficientibus ad tertium convolavit, nempe quod domini praesidentes concilii Tridentini cum suis adhaerentibus, quibus fortassis dudum animus fuerat recedendi fine concilii non expectato, moram temporis aegreferentes nec *una hora* cum Christo *vigilare* volentes [1], pro causa recessus legitima sibi morbum lenticularem, ut dicunt, et secundum ipsos sic daemone suggerente contagiosum in subsidium sumpserunt, receptis etiam super hoc testibus aliquibus, valedicto, imo nec dicto ex civitate Tridentina recesserunt concilio Bononiam translato nulla ratione habita, quod ad loca eiusdem provinciae transferri pro iure debuisset, si transferendum fuisset. Quam vero egregie ipse daemon artes suas solitas non deserens ipsos deluserit, ex hoc vel maxime constat, quod non multum post ipsorum recessum ille aer, quem secundum ipsos daemon infecerat, versus est in summam salubritatem ipsa veritate hoc testante et dominis Venetis hoc ipsum confirmantibus, quoniam sicut homines sunt sibi et suis civitatibus caventes et severissimas provisiones contra pestem facientes, intellecta concilii dissolutione et translationis causa, ilico civitatem Tridenti et territorium tanquam infectum peste proclamaverunt, mox vero atque vix octo vel decem diebus elapsis, veritate comperta omnibus transitum liberum permiserunt et in hodiernum usque permittunt.

II.

2v Haec est igitur, Beatissime Pater, illa causa quae concilii Tridentini | dissolutionem peperit et cui si V. B^{do}, ut plerique volunt, assensit, non esset inculpanda, quando vera fuisset, quamvis honestius etiam fuisset concilium magis, saltem si causa dubia fuisset, suspendi quam ex abrupto transferri absque voto aliorum, qui de Tridento convenerant, ut sicut de illo consenserant, pari modo eo ex necessitate relicto de alio convenirent. Non est igitur credendum, quod B^{do} V. nolit habere finem huius tam sancti et catholici operis, in quo agitur de summa rerum totius christianitatis, quandoquidem illo non finito nemo negabit scisma christianitati perniciosissimum certissime impendere, cui fortassis nullo humano consilio provideri poterit, nec creditur V^{ram} B^{nem} debere aliquorum, qui dissidium quaerunt, informationibus inniti, quatenus suae sit potestatis concilium congregare et congregatum dissolvere vel transferre — hoc etenim altiorem requirit indaginem —, sed non est mentis Suae Cae^{ae} M^{tis} cum V. B^{ne} contendere super iis, quae in hac parte ostenderentur fuisse et esse de iuribus imperii. Imo pro eo zelo, quo ducitur ad ecclesiae unitatis conservationem sicut plurima, quae cum personae suae periculo et gravi incommodo ac expensarum onere gravissimo officia pro universalis ecclesiae beneficio semper praestitit, testari potest, sciens ex huiusmodi altercationibus mala infinita procedere, quibus, ut ex latere Suae M^{tis}, quantum in se est, debite occurratur, quod alias per plures coram cum V. B^{ne} tractavit, nunc denuo his etiam scriptis secum tractandum et repetendum duxit. Modicum S. M^{tas} reputaret ac parvi faceret, quod concilium continuaret in uno magis loco quam in alio, quando ab omnibus inter-
3r esse debentibus et ab illis | maxime, de quorum praetenso iure agitur, nulla locorum differentia constitueretur. Sed postquam certum est, Germanos vix consensisse de Tridento, loco in extremis finibus Germaniae versus Italiam posito, minus eos de ullis locis Italiae consensuros credi pro certo debet. Utriusque vero debitum, tam V^{rae} B^{nis} et sanctae apostolicae sedis et $Caes^{ae}$ M^{tis}, summe postulat, ut omissa locorum contentione nec recedentium a concilio ratione habita, quum magis Dei respectus quam hominum sit habendus, ibi concilium finiat, ubi principium concorditer habuit, praecipue causa iuridica transferendi nulla subsistente, aut in aliam eiusdem provinciae civitatem transferatur, si alioquin rebus christianitatis ita V. B^{do} consultum esse velit, sicut Sua M^{tas} idipsum ex animo cupit et, quoties opus fuerit, adiuvabit. Denuo igitur Sua M^{tas} nobis iussu suo pronunciantibus V^{ram} B^{nem} et sacrum hoc consistorium plurimum ex corde hortatur et monet, ut velint esse contenti translatione praedicta cessata, tanquam sine causa vera facta, concilium praedictum Tridentinum reintegrare et recedentes ad reditum sua auctoritate cogere, ne huius recessus conscia fuisse videatur, neve concilii finem (quod aliqui sibi suadent) recusare videatur. Quod si V^{rae} B^{ni} secus

[1] *Matth.* 26, 40.

faciendum esse visum fuerit nolitque a translatione concilii praedicta recedere, si quid in futurum contigerit, quod ecclesiae unitatem impedire vel turbare possit aliudve sinistrum quippiam acciderit, quod semper absit, ex nunc pro tunc et e converso coram Deo | omnipotenti et 3v hominibus nos Suae M^{tis} nomine in his scriptis ⟨memores caesareae auctoritatis⟩ [a] protestamur, quod nihil sit, quod Suae M^{ti} imputari istorum, quae successerint, possit, quae nihil unquam intactum in praeteritum nec nunc reliquit minusque in futurum relinquet, quod attinere possit ad totius christianitatis universale beneficium, ad ipsius concilii felicem et optatum tam progressum quam exitum et sicut in omnium bonorum voto et expectatione semper fuit. Cuius rei si alii testes esse non potuerint, quam integre scilicet et sincere ac mentis et fidei puritate Sua M^{tas} pro bono universalis ecclesiae semper laboraverit, ille, qui est cordium scrutator [1], et cui nullum latet secretum [2], horum omnium suo tempore revelationem faciet et permittet, quod supra tecta praedicentur ea, quae sub tectis tractantur [3].

4.

Parere sopra il ritorno del concilio a Trento.

[Mense **Septembri 1547** ineunte] [4].

Florentiae *Carte Cerv. Filza 32* f. 27r–28r, or

Auctor reductionem concilii in civitatem Tridentinam datis etiam ex parte Caesaris certis cautionibus ut periculosam dissuadet

Incominciarò senza prefatione. Semo stati intervenuti fino al giorno d'hoggi con speranza che le cose s'accommodarebbono, et noi per non voler patir nè caldo nè freddo, ci semo volentieri lassati addormentare. L'accommodamento in summa è, che se retorni a Trento. Et perchè pare troppo scortese rechiesta, che un concilio habbi da retornare a despetto suo in quel medesimo luogo, dal quale s'è partito per decreto fatto in publica sessione con cause chiare et manifeste et con tanta solennità, s'asserisce la translatione essere invalida senza mostrarne ragione alcuna et senza volere intendere le ragioni della validità. Poi che l'allegationi in iure non s'attendono, dico cercarsi una cosa molto difficile in fatto. La difficultà di condur qui in una Bologna quattro prelati et de poi, che vi sono condutti, de retenerveli, mi fa pensar alle cause. Trovo essere passato il tempo de' martiri et de quelli, che curavano di porre la vita et la robba per l'esaltation della fede. Trovo poco zelo, poca charità, poca speranza di premio, poca paura di pena. Trovo ancora in gran parte di prelati nostri defetto di scientia et estrema povertà, una generale erubescentia et confusione in la mente loro per il paragone, che li conviene de far ogni giorno. L'altra fa, che non possino ancorchè volessino sustenere la spesa. De poi se spaventan tutti per non vedersi esito alcuno di questa strada, et vedendosi, che doppo un tempo de tre anni et doppoi tante fatighe et disputationi si pensa di recominciar da capo, di modo che venendosi all'atto pratico, si può tener per certo, che di prelati Italiani andaranno a Trento pochissimi, che non sian suvenuti de provisione doppia di quella, che havean prima, et che non habbian promissione di cambiarseli la chiesa e de mill'altre commodità, o che non vi vadino per odio della sede apostolica et per desiderio di veder la depressione d'essa. Dell'altre nationi non acade parlare, perchè saran tutti schiavi et indubitatamente ascritti, non dico al volere, ma al nuto semplice d'un solo, che terrà il luogo del lor principe seculare. Adunque la sapientia et esperientia di papa Paulo, o per lusinghe, o per minaccie se lassarà tirare a remettere in tanto manifesto periculo l'autorità sua et de' successori suoi, donde miraculosamente l'ha | cavata Dio? Si risponde, che 27v cessa ogni difficultà et se spiana ogni nodo con li due partiti d'assecurar l'elettione vacante sede et far prima la reformatione o remetterla a Sua Santità. Arrivato a questo passo mi sento di non haver tanta voce, che basti a gridare. Quanto al primo vorrei sapere, con qual

Carte Cerv. Filza 32 f. 27r

[a] *in margine*

[1] Cfr. *Sap.* 1, 6.

[2] Cfr. *Ezech.* 28, 3.

[3] Cfr. *Matth.* 10, 27.

[4] Tractatum hunc ad mensem Septembrem anni 1547 reiiciendum esse arbitramur, cum illo tempore Didacus de Mendoza pontifici reductionem concilii in civitatem Tridentinam proposuerit datis antea ex parte Caesaris duabus praesertim cautionibus: altera, ne sede vacante libera novi pontificis electio impediretur, altera, ut ecclesiae reformatio a solo pontifice fieret concilio excluso (*Nuntiaturberichte* I. Abt. X 107, cfr. etiam 92. 98. 424), quamquam verba illa (vide supra l. 28) *doppo un tempo de tre anni* eum anno 1548 compositum esse significare videntur. Sed opinioni nostrae favet, quod nec Caesaris protestatio nec publicatio libri *Interim* commemorantur.

fune se farà questo nodo, che non se sciolghi con diversi colori et pretesti, asserendo, che una tal deliberatione et promissione non tenga et non susista come contraria all'utilità publica et necessità del seculo moderno et resistente all'inspiratione del Spirito Santo, dalla quale nondimeno, o che si facessi dal concilio solo, o con l'intervento dell'imperatore et del re de' Romani (secondo che non so da chi s'è inteso), reputerei, che potessi resultare molto maggior prejuditio alle ragioni del collegio in recognoscere quella superiorità, che quanto ci potessi portare qual si voglia molestia de fatto. Circa al s e c u n d o non si può pensar cosa più frivola nè più dishonorevole, perchè durante il concilio si poterebbe sempre dire, che mancasse qualche cosa alla reformatione et che fussi imperfetta, et perchè in consequentia ne viene il confessar tacitamente, che s'abhorisca Trento non per le oppositioni et eccettioni che patiscie quel luogo, ma per volerci reformare a modo nostro o remaner in tutto deformati, da che nasceria similmente, che se ci reformassimo fino in su l'osso, sempre si direbbe, che non havessimo pur toccata la pelle, oltra che la connessità delle materie fa che sotto il nome de' dogmi caschi necessariamente la discussion' del capo principale della potestà del papa, alla quale forse si mira et della qual s'ha d'havere tutta la gelosia et nella qual sola consiste la conservation della fede catholica. Et chi dubita che con centomila securtà et patti vorranno il primo giorno aggiognere nel titolo: « Ecclesiam universalem representans » con tutto quel che seguita appresso? Non sapemo noi, che in la congregatione del mercordì medesimo, nel qual s'incominciò de poi a trattare della translatione, li vescovi Pacense [1] et di Lanciano [2] ne fecero tanta instantia, ancora che in le congregationi passate assai tempo innanzi fussero state allegate da noi molte ragioni, alle quali pareva, che fussero acquietati? Non sapemo noi, ch'el desiderio di questo titolo era parimente in la maggior parte de' nostri prelati,
28r sicome | ancora al presente è quasi in tutti un tacito desiderio di alzar la potestà del concilio et de' vescovi et d'abassar quella del papa? Me restrengo finalmente a una conclusione, et la tengo tanto vera, che pigliarei il martirio, et è questa, che il nostro concilio (dovunque andarà fuor della strada Romea) vorrà usar quel titolo et farne il decreto intero et pieno et che, ottenuto questo, sarà espedito ogni cosa et si poterà dir buona notte. Cognosco che le parti de noi due sarebbono (quando mirassimo all'interesse nostro solo), di lassar correre la piena, perchè se la retornata a Trento producessi buoni effetti, poteremmo dire, che fusse per le conditioni nate dalla translatione, seguendo il contrario, si vederebbe all'hora chiaramente, quanto la translatione fussi stata ragionevole. « Sed absit a nobis », che per qual si voglia privato affetto habbiamo da tacere in danno della republica et del nostro principe et padre. S'oppone, che altramente si farà uno schisma. Nol so, et io lo temeria poco, perchè non haverebbe alcun fundamento di ragione, ma temeria molto più quel che ci poterebbe esser fatto col mezo del concilio nostro vero et legitimo. Se dubita de forza et violentia. Non ho altra resposta, se non che dovemo far noi ancora quello, che ha[n] [fatto] li nostri antiqui in le persecutioni. Non expedit privatis rationibus. Di questo non so parlare; si se potessi trovar via, che se salvassino le cose private et non se perdessino le publiche, mi piacerebbe *publicis amissis, privata ne quicquam serves,* disse Fabio Maximo [3]. Et hic finis sit.

5.

[De concilio non dissolvendo].

[Exeunte anno 1547 vel ineunte 1548] [4].

Florentiae *Carte Cerv. Filza* 29 f. 52, or. (?); *in tergo:* Rev^mo^ et Illmo D. card. S. Crucis Romae.

Tridentum non esse revertendum, nisi prius 1. protestantes a scismate se abdicaverint, 2. salvo conductui et concilii libertati provisum sit, 3. Tridentini patres Bononiam se contulerint. Minime autem concilium esse dissolvendum.

52r Unius ac Trini Dei nomine ac numine invocato, immaculatae semper Virginis divorumque omnium suffragio implorato.

Super negotio, de quo agitur, hoc primum constanter tenendum, quod pontifex ea, quae hactenus acta sunt a concilio, perseveranter approbet tamquam praesens in spiritu nec consentiat alicui mutationi, quin potius novitatum procuratores remittat ad concilium,

[1] Cfr. *Conc. Trid.* V 1013, 28.
[2] Cfr. *Conc. Trid.* V 1013, 12.
[3] Quae verba apud *Livium* ll. 22 et 23 pluresque alios auctores de eo tractantes non inveniuntur.
[4] Cardinalis S. Crucis, Marcellus Cervinus, 10. Novembris 1547 per equos dispositos Romam profectus ut pontificem de rebus concilii certiorem faceret 22. Ianuarii 1548 Bononiam revertit. *Conc. Trid.* I 718, 9 sqq. 739, 35 sqq.

ut super ea re mature per singula deliberetur, ne lupus saeviat in singulos, cum nihil possit in universos.

Iam si proponatur regressus in Tridentum, cavendum a scismate, si occurreret electio nova summi pontificis. Sed in omnem eventum citra denegationem haec duo requirenda essent ab imperatore: P r i m o, quod scismatici volentes venire ad concilium suis syngraphis testentur se velle deserere scisma et abstinere a blasphemiis et maledictis in ecclesiam, omnino velle redire ad signa deserta et ad sinum ecclesiae matris, ut olim factu legitur in pari causa canone octavo inter regulas Nicaeni concilii et recensetur [C.] 1 q. 7 [c. 8] *Si qui voluerint* [1] de Novatianis haereticis recipiendis, quod ante omnia ab eis confessionem, qua per scripturam exigi oportet, praesules recipiant, qua fateantur se communi consensu ecclesiae catholicae statuta observaturos. Idem canone 17 concilii A r e l a t e n s i s secundi [2].

[2.] Quibus expletis certificari oporteret concilium aut [a] antiquo diplomate, quod locus designandus sub fide publica, quam violare non liceret, cum obligatio sit de iure gentium, debeat esse tutus eorum auctoritate, qui velint et possint locum illum ab omni iniuria tutum reddere apud omnes sub auctoritate concilii euntes, redeuntes et manentes. Eandem cautionem praestent protectores designandi et illius civitatis rectores et cives, ita ut certis legibus per concilium articulatim exponendis vivere possint membra omnia ipsius concilii.

Sub eodem pacto et obligatione praestetur libertas omnia exequendi, quae in concilio tractanda sunt a primo die usque ad ultimum, addito etiam salvo conductu eo [b]... temporis post celebratum concilium, et dum etiam celebratur, pro his, qui vocandi sun[t] [b].

Sit tertius locus ille sufficientis capacitatis et annonae, cum satis constet auctiorem futurum patrum numerum.

His itaque suppositis delegandi essent deputati nonnulli, qui in ea loca se conferre[nt] visuri, an res ita se haberet, uti in instrumento fide indubia promittitur.

Vocandi sunt nihilominus interim praesules Tridentini communi nobiscum voto et [b]... tractaturi de his, quae ad fidem et mores pertinent, ne interim tempus inutile elabatur, sic enim feliciorem sortientur exitum, quae communi concilio tracta[buntur]. Vocentur insuper autentica intimatione praesules Germaniae orthodoxi, quorum consilio maxime opus esse videtur in rebus Germanicis tractandis, quae omnia ge[rantur]... auctoritate pontificis et concilii nec omnino audiatur vox de concilio extinguendo | nec suspendendo quidem, cum 52v
satis constet clausuram concilii esse apertionem scismatis. Nam cessante concilio universali protinus christianitas erigeret concilium scismaticum nationale, cuius prima cura esset res et personas ecclesiasticas in praedam convertere. Ideo nullatenus committendum, ut concilium dissolvatur. Cetera suppleat prudentia lectoris.

6.

Discorso sopra le cose del concilio di proseguirlo o no, et ragion di papa Paolo III.

[Anno 1547 exeunte] [3].

Florentiae *Carte Cervin. Filza 32* f. 39r–41v; ibid. Bibl. Nation. *Cod. Pal. II–III* 389 f. 99r–105r, cop. saec. XVII; *Cod. Capponi 1734*, cop. saec. XVII. – Romae Arch. Vat. *Varia Polit. 11* f. 375r–378v, cop. coaeva. – Paris. Bibl. Nation. *Fonds Italien. Cod. 1177* f. 143r–151r cop. saec. XVII. – Vindobonae Bibl. Palat. *Cod. 6750* f. 274r–279v, cop. saec. XVI.

I. Concilium non est dissolvendum nec II. transferendum ex Bononia in aliam Italiae civitatem, sed III. vel suspendendum vel IV. potius prosequendum paulisper Bononiae. V. Quae pontifex in deliberationibus suis respicere debeat.

Fatti d u e presuppositi: u n o, che'l concilio non si possa mantener lungo tempo in questo stato presente per diverse considerationi, l'a l t r o, che non s'habbia da ritornare a Trento in alcun modo — le ragioni sono evidenti —, si addimanda quello che si debba fare d'esso concilio et si risponde, che si possono considerar q u a t r o partiti: P r i m o di *Carte Cerv. Filza 32* f. 39r

[a] *sic in cod.; legendum potius* haud [b] *lacuna*

[1] *Friedberg* I 431. [2] *Mansi* VII 880.

[3] Memoria haec — ita potius quam tractatum appellare velim — Bononiae scriptis tradita est, a n t e q u a m Caesaris procuratores Bononiae iam tum exsistentes (cfr. infra nn. 7-9) contra concilii translationem protestati sunt, quod fecerunt 16. Ian. 1548, sed p o s t litteras statuum ecclesiasticorum Germaniae 14. Sept. 1547 ad pontificem transmissas (apud *Le Plat* III 653 sqq., vide infra p. 47), forsitan, cum cardinalis Madrutius Romae exspectaretur. Auctorem, iuris canonici certe peritum partesque pontificis sequentem, inter praelatos cardinali de Monte familiares quaerendum esse puto, cuius votis (apud *Pallavicinum* X, 7, 2-3) in pluribus appropinquat.

estinguerlo, secondo di trasferirlo, terzo di suspenderlo, quarto di proseguirlo. A discorrere questi quattro partiti conviene di far'un fondamento fermo nella mente nostra di elegger quel partito, che possa men dispiacer a Dio et percuoter più la massa de prelati, che sono in Trento, et esser noi manco offesi da loro, quando pensassero a qualche innovatione.

I.

Hora discorrendo particolarmente ciascun partito, pare che il primo di estinguerlo ricerchi poca consultatione, et bisogni concludere senza disputatione alcuna, che non sia da pensarvi, perche forse si potrebbe opporre, che non siano spedite le cause, per le quali fù inditto, et dar non solo colorata, ma giusta occasione all'imperatore di farne un'altro, con dire, che «agitur de magno periculo christianae religionis», et che il papa et insieme con S. Stà il collegio, «ipso facto satis declararunt intentionem suam, quod nolunt occurrere ipsi periculo, et quod propterea potestas est ad eum devoluta».

Insomma tutte le ragioni vogliono, che mentre che si può sospicare di conventicule et conciliaboli et diete et congregationi adulterine, si mantenga il concilio legitimo in piedi, il quale è unico rimedio contra tali movimenti.

II.

Circa il secondo partito di trasferirlo, se si pensasse di metterlo in Mantova ò in una città simile, si vantaggiarebbe poco da Trento; se in una neutrale, come verbi gratia sarebbe Ferrara, non sapemo, quanto maggior riputatione potesse havere là che qui; se in Roma, li catholici di Germania si terrebbono molto disserviti et delusi, et direbbono: Noi non po-
39v temo venir à Bologna, et voi ci volete | tirare à Roma. Per ogni altro rispetto riuscirebbe forsi bene, perche non s'haverebbe da dubitare, che con la presenza di N. Sre et assistenza del sacro collegio et di gran numero di prelati et oratori et altri personaggi non havesse tanta riputatione che bastasse in opposito de prelati di Trento, et donde ancora haverebbono ragionevolmente à tenere le censure et depositioni et privationi più che da qual si vogli altro luogo, oltre che in ogni evento pare che in questa horribilità de tempi non sia se non bene, che S. Stà habbia appresso di se non manco l'armi sue spirituali, che le temporali da poterle usare, accadendo in difensione dell'auttorità della sede sua et non possano essergli voltate contra indebitamente et con la forza.

III.

Circa il terzo partito di suspenderlo, certamente la via della sospensione par la manco pericolosa, perchè sempre si può secondo che fosse il bisogno far diventar' estintione o translatione o prosecutione in questo luogo medesimo, et di nissun'altra via si possono l'imperatore et li catholici tener manco offesi, ma bisogna farla cadere opportunamente et a proposito, et nascere da qualche ragione giusta o colorata; forse si potrebbe attaccare alla risposta, che s'ha da star'a essi catholici, dicendo N. S. che in questa renitenza de' prelati Trentini di venir qui in Bologna, dove è il corpo del concilio, et ostination di questi quì di non voler'andare a Trento per molte cause, che allegano contro quel luogo, et per non voler succumbere et cedere alla minor parte, che di sua propria volontà s'hà voluto fermare in Trento et non hà voluto seguir questa che se n'è partita per publicum decretum conciliare, et in molte altre difficoltà che porta la condition de' tempi grandemente alterati dalla traslatione in quà, S. Stà non vede, in che altro modo possa sodisfare per hora a essi catholici, che in chiamare al cospetto suo apostolico li prelati per intendere et consultare et pigliare quella miglior risolutione, che
40r si potrà, sospendendo tra tanto il concilio con intentione d'attendere | a una buona et general riformatione, ne la quale mandando huomini o nò essi catholici, se li havrà nondimeno quel rispetto et avvertenza, che conviene alla pietà et devotion loro. Et quando la sospensione si faccia nascere da questa occasione, cesserebbe la consultatione, se s'havesse d'aspettare la risolutione della dieta, la qual consultatione altramente sarebbe di qualche consideratione, perche facendosi inanti, si potrebbe dare occasione all'imperatore di far riuscire la risolutione in quel modo, che gli paresse piu atto ad oppugnar la sospensione, et facendosi dopo par, che si possa considerar maggior pregiudicio per la parte nostra, come appellare dopo una sentenza o medicare una ferita.

IV.

Circa il quarto partito di proseguire il concilio qui in Bologna, occorrerebbe di dir assai, et forse sarebbe il piu ragionevole secondo Dio et secondo il mondo et il piu cauto et men pericoloso, intendendo però di proseguirlo per un tempo breve solamente, quanto bastasse

per adempir il decreto della traslatione fatta in Trento [1], la quale, come s'è scritto ultimamente, si può pretendere, che sia ancora in aria, et per corroborarla et fortificarla con ripetere et riprodurre quì in una sessione gli atti, che furono fatti da quel giorno, et con dichiarare che quì sia in vero et legitimo luogo et il vero et legitimo concilio. Così si scoprirà, quanto male possa farci questo bau(!), che si vogliono mostrare con li loro fiscali [2], alli quali si potrebbe rispondere vivamente, et conciliarmente che questi prelati non vogliono ritornare a Trento, et non han quel luogo per sicuro ne commodo, dichiarando di volerlo proseguire quì o dove parerà à S. Stà et al concilio, et allegando et altre ragioni, et comminando di procedere alla fulminatione et dichiaratione delle censure, depositioni et pene spirituali et temporali contra li contumaci et qualunque ardirà attentare il contrario, « quacunque | illi 40^{v} dignitate praefulgeant »: Et dopò pare che opportunamente et ragionevolmente et senza dubbio d'havere à debilitare le nostre ragioni S. Beatne vi potesse poner la mano come mediatore ò riconciliatore et sospendere et trasferire et far tutto quello che li paresse. Se si farà altramente, non s'acqueterà l'animo a chi fa questo discorso, vedendo, che finche quel decreto fatto in Trento il giorno della traslatione non habbia la sua perfettione, non si può allegar contumacia de prelati rimasti in Trento, ne si può pretendere, che qui si sia acquistata alcuna ragione di nuovo con tutta la venuta degli ambasciatori del Chrmo re moderno, li quali non hanno eshibito ancora, ne pur mostrato il lor mandato, ne con la venuta delli prelati Francesi, ne di altre nationi, che non si saranno trovati mai in sessione sospendendosi il concilio nello stato presente, nè si potrà pretendere «saltem valide» che siano incorporati con quelli, che si sono partiti da Trento, et quelli che sono rimasti là potrebbono di quà à dieci anni pretendere d'essere in pari causa ò forsi migliore, quanto che da loro si potesse allegar di esser rimasti là per proseguire il concilio, et quelli, che si sono partiti, per dissolverlo, vedendosi l'effetto seguito della suspensione senza haver fatto mai quì atto alcuno conciliare rilevante; et forse che la causa loro sarebbe tenuta più ragionevole et più pia alla materia del c. 1 [X] de his quae fiunt a maiori parte capituli [III 11] [3]. Et se qualchuno allegasse, che la suspensione fermerà il concilio nel medesimo stato, et che mentre che durerà, non si potrà innovare sotto nome di concilio nè quì nè in Trento et sempre, che sarà rivocata, ritornaremo nelle nostre ragioni et nel medesimo termine che semo hora. Si risponde, che questo potrebbe haver luogo, quando s'havesse certezza, che quelli di Trento | fossero per star fermi 41^{r} et non si dubitasse d'alcuna innovatione, come se ne può dubitare, vedendo per qual via si camina in Germania et di quà con le protestationi, quali si dice esser preparate; et in tal caso quando quelli di Trento dicessero di voler proseguire il concilio già fondato et radicato in quel luogo et che la traslatione fosse stata vana et vacua per non essersi mai adempito il decreto di quel giorno et essersi risoluta in una sospensione et facessero qualche atto, se ben dopò si rivocasse la sospensione, se ne potrebbe forse dubitare di qualche pregiudicio della parte nostra.

V.

Finalmente pare che bisogni fermare d u e c o n c l u s i o n i per vere: u n a d'haver a venire à contrasto in ogni evento et partito tanto di sospendere o di trasferire o proseguire, quanto ancor di star fermi, come s'è stato dalla traslatione in quà, ogni volta che saremo ristretti al punto di andare o non andare à Trento, al quale pare, che siamo assai vicini, et però si giudica necessariissimo, che s'habbia da stabilire et fortificare la traslatione quando più presto meglio, et non si lasciar' più intrattenere con girandole. L' a l t r a conclusione: che in ogni e qualunque partito s'havrà da pigliare, bisogni allegar la causa; et sia tale, che risponda all'obbiettione potentissima, che vista di poter' essersi detto in faccia: « La Germania tutta si rimette alla determinatione del concilio da farsi in Trento, il che importa la riduttione al gremio della chiesa catholica non solo d'una tale et tanta provincia, ma ancora del resto delle provincie aquilonali, le quali seguiteranno verisimilmente la Germania, et importa ancora il sanar molte città d'Italia et della Francia et di tutta la christianità da questa peste, et voi non vi volete andare ». Par certamente che questo sia un grande affronto et che convenga di rispondere con buone ragioni. |

His tamen non obstantibus S. Stà, se si risolvesse di non voler dare occasione alcuna 41^{v} nè piccola nè grande, o che si sia d'innovare et però elegesse per partito più temperato et

[1] Sessio nona in translationis decreto nominata et revera 21. Aprilis 1547 celebrata nil nisi prorogationis decretum fecit. *Conc. Trid.* I 642 sqq.

[2] Vargam fiscalem et doctorem Velascum clam Bononiam venisse legati iam 7. Septembris 1547 pontifici nuntiaverant. *Conc. Trid.* I 690, 39 sqq.

[3] Cap. 1 X de his quae fiunt a maiori parte capituli III 11 (*Friedberg* II 506).

manco atto à causar rottura saltem aperta il sospendere ancor senza fare sessione o atto alcuno conciliare, par che si potesse tolerare tutte le volte, che dall'altro canto S. Beatne si risolvesse similmente nella mente sua di combattere strenuamente senza alcuna riservatione, seguisse quel che si voglia, quando altri innovasse et non stesse quieto alla suspensione, perchè all'ultimo la decision di questi giudicii non si riduce à chi ha miglior ragione, ma à chi la sa meglio colorire, difendere et sostenere; et se bene dall'altra parte si può considerare superiorità delle forze temporali, la virtù delle spirituali nondimeno è tanta, che si fa far molto largo, se accadendo il bisogno s'usano animosamente accompagnate o sole.

7.

[Hieronymi Seripandi, ord. Eremitarum S. Augustini generalis][1] Meditatio circa Caesaris protestationem.

[Mense Ianuario 1548].

Neapoli Bibl. Nation. *Cod. IX A 50* f. 282r–287r, or.

I. Quinque assertiones de concilio affert: 1. Bononiae esse legitimum concilium; 2. Tridentinos patres schismaticos esse; 3. reditum in civitatem Tridentinam Germanorum saluti minime prodesse; 4. haereticis cedere concilio indignum esse; 5. episcopos a nemine cogi posse, ut in loco qui haereticis placeat concilium celebrent. II. Cavendum Caesari, ne mala consulentibus fidem faciat.

Cod. IX A 50 f. 282r Vellem hac de re, de qua mihi hodie dicendum est, dicere quidem, sed audiente Carolo Caesare, imperatore invictissimo, rege Catholico, et quantum hactenus ex eius gestis iudicare possumus, veritatis amico atque haereticorum hoste acerrimo. Multa, fateor, dicerem, quae tacenda mihi video, sed nihil profecto tacerem eorum, quae dicturus sum.

Memini Neapoli cum Caesar esset meque praedicantem saepe audire voluisset [2] — huius rei, quam ad vos nunc affero, testem habeo Petrum Paceccum, qui tunc episcopus erat Madogneti [3], nunc autem Pauli pont. max. munere cardinalis est Giennensis — nihil a me saepius fuisse suis regiis auribus inculcatum quam illud unum, quod nullum tum erat in terris magis dedecorosum et infame nomen atque Henrici Angliae regis, qui quam tueri debebat, malis seductus consiliis oppugnabat ecclesiam. Addidi me haec eadem de Caroli Caesaris nomine praedicaturum, si quid unquam ipse simile tentasset, sed hac praedicatione nihil opus esse iudico, quoniam, quae acta, sunt non Caroli Caesaris piissimae menti et egregiae in sanctam |
282v catholicam ecclesiam voluntati tribuo, sed iis, qui de iis rebus sunt sibi a consilio, quorum imperitiam ne accusarem, mihi imperare non potui. Nam quod rerum novarum cupidi sint quodque eorum mala sit mens, malus animus, adhuc asseverare non possum. Quae igitur a me dicentur, non tanquam Caesari aut consultoribus illis, cum quibus agit de bello adversus hostes gerendo aut de iustitia in suis regnis administranda, sed iis tantum, cum quibus agit de concilio, de pietate, de conscientia dicta existimate. Eos enim theologiam profiteri puto, in qua et me quoque, tametsi parum profecerim, ab ineunte aetate nunquam inficiabor fuisse versatum [4].

I.

Primum igitur dico: Nullus sapiens dubitare debet, quin concilium oecumenicum legitime congregatum, addo et universalem ecclesiam representans, Bononiae sit. Nam ea potestate, qua Tridenti indictum, coactum et pro magna parte celebratum fuit, Bononiam translatum est, pontificia scilicet, qua una indici, cogi, celebrari potuit, ea erat et est penes

[1] Hieronymum Seripandum huius meditationis auctorem esse cum ex loco, quo manu scripta invenitur, tum ex contextu ipso apparet. Auctor eam conscripsisse videtur, cum post procuratorum Caesaris protestationem 16. Ian. 1548 factam cum 16 aliis praelatis ad concilii responsionem concipiendam deputatus fuisset (19. Ian. 1548) seque ad dicendam in congregatione deputatorum sententiam praepararet, *Conc. Trid.* I 738, 20 sqq.; quae sententia in eodem codice Neapolitano f. 278 sqq. exstat. Protestatio ipsa saepius typis excusa, e. gr. apud *Raynaldum* a. 1548 n. 7-12, *Le Plat* III 685-695.

[2] Cfr. Seripandi diarium apud *G. Calenzio*, Documenti inediti e nuovi lavori letterarii sul concilio di Trento (Romae 1874) 160. Caesar Neapolim 25. Nov. 1535 ingressus ibi usque ad finem mensis Martii sequentis mansit. *Pastor* V 164. 172.

[3] Petrus Pachecus 6. Sept. 1532 episcopus Mindoniensis [Mondonedo] factus postea (11. Apr. 1537) ad Civitatensem, inde ad Pampilonensem (21. Maii 1539) et denique (9. Ian. 1545) ad Giennensem [Jaén] ecclesiam translatus erat; S. R. E. cardinalis creatus est 16. Dec. 1545. *Van Gulik-Eubel* III 32. 184. 219. 262. 285; *Conc. Trid.* I 225 sq. 262, 27 sqq. 356, 14 sqq.

[4] De Seripandi studiis Romae, Senis et praesertim Bononiae peractis vide *Calenzio*, op. cit. 153 sqq. *Merkle, Conc. Trid.* II, LXII.

legatos. Neque attinet, ut de causa nunc translationis et, an consentiente pontifice facta fuerit. 283r
disseramus; sat enim est, quod pontificis potestas penes suos legatos erat. Causa tum quantum oportuit probata fuit maiori et saniori parti patrum. Quis enim sanus in dubium revocet, eam esse saniorem partem, quae crucem secuta est et omnium, quae acta sunt, rationem reddere potest, non autem eam, quae nullam honestam, cur Tridenti manserit, causam afferre.

Dico secundo: Quicunque vel episcopi vel alterius cuiusvis dignitatis homines alio quocunque loco concilium esse legitimum sentiunt, graviter peccant, et si moniti se non correxerint, pro schismaticis et hereticis habendi sunt. Nam erigunt altare contra altare, unicum illud scilicet et salutare, Dominum nostrum Iesum Christum, de quo inquit Apostolus [1]: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* De hoc altari non comedunt, qui Iesu Christi vicario coniuncti non sunt, cuius altare lapideum est et fundatum supra firmam petram. Aedificant altare de sectis lapidibus, quia, ut Isidorus docet [2], secti lapides sunt, qui unitatem scindunt et se ipsos dividunt a societate fratrum, 283v
quos in corpore suo non recepit Christus, cuius corporis figuram altaris constructio designat. Levant cultrum suum super altare de lapidibus non sectis aedificatum, hoc est, eos scindunt, qui in unitate fidei et concordia charitatis unum altare faciunt. Ideo polluti sunt sicut scriptum est [3]: *Siquis super altare levaverit cultrum suum, polluetur*. Ac proptera tabernaculo deserviunt, hoc est, frustra per legem salutem quaerunt, quae non nisi in Christo et una sancta catholica et apostolica ecclesia invenitur.

Dico tertio: Non est suadendum Caesari, necessarium esse pro salute Germanorum, ut concilium redeat Tridentum. Nam vel Germani dispositi sunt ad recipiendam fidem concilii vel non. Si non, nihil eis concilium proderit, ubivis gentium habeatur. Si dispositi sunt, cur non exeunt ad quaerendum concilium, quemadmodum Samaritani ad unius mulieris vocem ad Christum quaerendum egressi sunt, de quibus dixit Christus [4]: *Videte regiones, quia iam albae sunt ad messem.* Neque vero quis dicat medici esse munus, ut quaerat aegrotum Nam id verum est, | si sentiat aegrotus suam egritudinem; at vero, si insaniat et medicum 284r
tanquam hostem habeat sanum se esse iactans, cur ad eum medicus accedet? Neque iterum quis philosophetur dicens imitatores nos esse debere Domini nostri Iesu Christi, cui in spiritu servimus, qui nonaginta novem reliquit oves, ut ad unam, quae perierat, servandam veniret [5]. Nam respondeat, obsecro, qui sic philosophatur, cur Dominus Iesus non praedicavit Tyriis et Sidoniis, de quibus ait, quod si apud eos signa fecisset, poenitentiam egissent; cur Paulus et sociis a Spiritu Sancto vetiti sunt loqui verbum in Asia [6]; cur eos non permisit Spiritus Iesu ire in Bythiniam [7]. Idem Spiritus, qui concilium regit, prohibet ad contemptores sacrosanctae potestatis concilii concilium accedere, qui cum orbem terrarum libellis repleverint ridentibus et concilia et omnem ecclesiae potestatem, ne una quidem epistola saniorem nunc mentem ostendunt et sua in melius retulisse consilia.

Dico quarto: In magnum discrimen famam et illustre pietatis nomen caesareum coniiciunt, qui Tridentinae reversionis causam suscipere eum hortantur. Nam horrent aures audire catholicum principem | tanto studio curare, ut catholicorum episcoporum concilium 284v
habeatur in loco, qui placet haereticis, siquidem de catholicis Germanis dubitandum non est, quod obtemperaturi sint concilio, ubicunque rite congregetur, si catholici ex animo sunt. Horrent aures audire cogendum esse concilium ad praescriptum eorum, qui pontificem prius, universalis ecclesiae omnia probata theologorum deinde collegia, Caesaris tertio sanctissima mandata, concilii quarto Tridentini piissima decreta ludibrio habuere. Horrent aures audire, quod pontificii et caesarei nominis hostes impudentissimi pontificiis ac caesareis armis subiugati cum catholicis episcopis de loco concilii contendant. Id enim fieri a catholicis Germaniae episcopis illa ratione, quod longe abesse a suis ecclesiis et ditionibus propter haereticos nequeant, non facile crediderim; nam quid illis nocere possent haeretici bello devicti ac domiti, non video. Si praeterea concilio haeretici, ut aiunt, obedire parati sunt, quomodo quidcunque adversus catholicos ad concilium venientes adversi molituros dubitari potest?

Dico quinto: Non debent nec possunt ulla ratione cogi episcopi catholici, ut in loco aliquo, qui haereticis | placeat, concilium celebrent. Cum enim de sanandis haereticis parva 285r
aut nulla possit haberi spes, id quod docent hystoriae, quae de priscis haereticis et conciliis scriptae sunt, si accurate legantur, quem ex concilio apud eos celebrato fructum colligere

[1] *Hebr.* 13, 10.
[2] *Isidorus Hispalensis*, Quaestiones in Exodum XXXIII 1, *Migne* 83, 304 (non ad verbum).
[3] *Exod.* 20, 25.
[4] *Io.* 4, 35.
[5] Cfr. *Luc.* 15, 3 sqq.
[6] Cfr. *Act.* 16, 6
[7] Cfr. *Act.* 16, 7.

speramus? Nullum certe nisi, ut editis libellis iactent, se superiores in congressu cum concilio fuisse et sua dogmata ne ab ipso quidem concilio expugnari potuisse, id quod in tot colloquiis, quae pia appellarunt, Caesaris mandato annis superioribus in plerisque Germaniae locis habitis efficere tentaverunt. Nullum certe colligemus fructum nisi, ut triumphum agant et ovantes eant apud vulgus etiam pro concilio devicto, quemadmodum fecere victoriam mentiti de piis et catholicis collocutoribus, quorum etiam aliquos ad se defecisse et sua impia probasse dogmata iactarunt, quibus mendaciis sanctissimorum patrum, etiam sanctae apostolicae sedis legatorum nomen infamare conati sunt. Quem attulit vel Arrio vel Arrianis salutis fructum concilium in Oriente sanctissimum trecentorum decem et octo patrum habitum? Quantum vero ad haereticos pertinet, tota res simulatione transacta est. 285v Fructum vero, quem orbis terrarum ex illo concilio suscepit, maximum | certe et saluberrimum, ex concilio in Occidente vel ubivis gentium celebrato profecto suscepisset. An non docet nos concilium Palestinae contra Pelagium coactum [1], in quo visus est Pelagius ipse suum impium anathematizasse dogma, quod postea a suis maiore vehementia praedicabatur, falso quodam conficto sensu eius sententiae, quam sub verborum involucro abiuraverat? Hac ratione pontifex ille sanctissimus simulac doctissimus Leo a Martiano imperatore contendebat [2], ut sineret concilium adversus orientales haereticos in Italia liberum coelebrari, quia videbat pius pater non commode agi cum catholicis, si concilia in locis, quae expetunt haeretici, habeantur. De quibus optime monuit sanctus Ireneus [3] exemplo Ioannis, dilecti Iesu Christi discipuli, qui, cum Ephesi balneum esset ingressus vidissetque intus Cerinthum haereticum, de balneo non lotus exiliit, dicens timere se, ne balneum concideret, cum Cerinthus [4] esset intus inimicus veritatis. Addidit et illud Polycarpi apostolici viri et Smyrnensis ecclesiae episcopi, qui occurrenti sibi Marcioni ac dicenti: *Cognoscis nos?* respondit: *Cognosco te primogenitum satanae.* Formidabant quippe apostoli atque eorum 286r discipuli verbotenus cum haereticis, atque iis, qui veritatem adultera|bant, communicare. Ac proinde non dixit Paulus: Celebra cetum et concilia cum haereticis, verum [5]: *Haereticum hominem post unam correctionem devita, quoniam perversus est, qui talis est, et a semetipso damnatus.*

Sed tria esse dicunt apud Germanos hominum genera: Haereticorum, de quibus verendus est, ne in sua haeresi confirmentur. Utinam eo loco illorum res essent, ut verendum nobis esset, ne confirmarentur; utinam medica manus ad eos accessisset, cum aliqua adhuc superesset illorum salutis spes; utinam maiores nostri, cum parvulus adhuc hostis erat, ad petram illum allisissent [6], hoc est, ad Christum; utinam non maior fuisset maiorum nostrorum negligentia quam ut excusari possit. Alterum est sanctum et venerandum catholicorum hominum genus, de quibus, ne labantur, ne cadant, curandum est. An non pro illis praesertim satis superque Tridenti laboratum est? An non ad illos Tridentina decreta, Hispanorum, Gallorum, Italorum atque omnium orbis terrae nationum unanimi consensu elaborata et promulgata pervenere? An non pro confirmandis illis preces et supplicationes in nostris fi untecclesijs, ut non labatur pes eorum, et si cadunt, non collidantur, sed supponat Dominus manum suam? | 286v Tertium est hominum genus nutantium scilicet, qui, ne ad haereticos deficiant, nisi concilio eis succurratur, formidandum est. At habent sanctissimi concilii de primis religionis capitibus verissimam sententiam; reliqua propediem expedientur. Catholicorum, qui apud eos sunt, doctrina scilicet et fide praestantium munus est, in fide eos et officio continere et ad fratres suos confirmandos saepenumero converti, id quod ex synodalis doctrinae decretis e medio sanctarum literarum fonte manantibus praestare facile poterunt. Quare cavendum tibi est, Carole Caesar, cavendum, inquam, ne credas iis, qui tibi consulunt, et nobis ad te clamantibus levius fac verbum, quod tu locutus es super nos, et loquere nobis verba lenia [7], quemadmodum maiores tui loquebantur cum sacerdotibus Christi ministris potestatem habentibus ligandi atque solvendi. Respondeas [8]: *Minimus digitus meus grossior est lumbis maiorum meorum.* Horum, ut speramus, malum consilium non tibi, sed consultoribus pessimum erit. Nam etsi quoad potentiam, regna, imperia, victorias verissimum sit, quod aiunt, tamen, quo maioribus frueris Dei Opt. Max. beneficiis, eo magis pietate erga ipsum Deum et eos, 287r de quibus ipse dixit [9]: *Qui tetigerit vos quasi tangat | pupillam oculi mei*, omnes tuos

[1] De synodo Diospolitana, a. 415 celebrata, vide *Mansi* IV 311 sqq.

[2] Non a Martiano imperatore, sed ab eius antecessore Theodosio Leo I, ut concilium oecumenicum in Italia contra Eutychianos celebraretur petierat. *Leo I*, Epp. 43, 3 et 44, 3, *Migne* 54, 826. 829 sqq.

[3] *Irenaeus*, Adv. haer. III, 3, 4, *Migne gr.* 7, 853 sq.

[4] Ibid.

[5] *Tit.* 3, 10 (non secundum Vulgatam).

[6] Cfr. *Ps.* 136, 9. [7] Cfr. *3 Reg.* 12, 7.

[8] *3 Reg.* 12, 10 (non secundum Vulg.).

[9] *Zach.* 2, 8.

progenitores superare debes. Vide, ne derelinquas sapientium consilia, quibus si obtemperaveris, erimus tibi servi cunctis diebus, et sequaris eos, qui, cum vere affirmare non possint [1]: Maiores tui cecidere hos flagellis, illud tantum tuis castissimis auribus instillant: Caede hos scorpionibus! Nos, ut nostra omnia consilia, cogitationes omnes atque spes universo orbi patefaciamus, inopes ab armis et omni mundana potentia in Deo tantum vivo et vero confidimus, cuius negotium aggressi ad finem usque perducere optamus, quem scimus [2] servatorem esse omnium hominum et maxime fidelium. Noli nobis exprobrare per manum servorum tuorum, ne Deus de te dicat [3]: *Sprevit te et subsannavit te virgo filia Sion, post tergum tuum caput movit filia Ierusalem. Cui exprobrasti et contra quem exaltasti vocem tuam? Contra Sanctum Israel.* Si tu nos non audias, Deus audiet, ad quem gementes clamabimus [4]: *Domine Deus noster salvos nos fac, ut sciant omnia regna terrae, quod tu es Dominus Deus solus.* Deus coeli: ipse nos iuvat, et nos servi eius sumus . Surgamus et aedificemus, nam et illis, qui nobiscum non sunt [5], *non est pars, neque iustitia, neque memoria in Ierusalem.*

8.

[Ambrosius Catharinus Politus episc. Minoriensis] [6] Causae et rationes translationis [ad Carolum V imperatorem].

[Post 16. **Ian.** 1548 et ante 3. **Feb.** 1548].

Florentiae *Carte Cerv. Filza 29* f. 183r–201v, cop. coaeva.

I. Introductio: Narratio protestationis Caesareae contra translationem 16. Ian. 1548 factae. II. Translationis defensio: 1. Translationem legitima ex causa, sponte, in liberam civitatem nec festinanter esse factam, 2. Caesaris iudicio non subesse. 3. neque irritam esse, cum patres Bononienses numero maiores nec unius tantum nationis sint, nec a pontificis nutu dependeant, merito ergo illos concilii legitimi nomine appellari; 4. translationem, etsi inconsulto Caesare factam, iura eius minime laesisse. III. 1. Petitionis Caesareae errores et 2. defensio condicionum reditui in Tridentinam civitatem appositarum. IV. Protestationis vanitas.

I.

Si veritas a quovis mortalium proferatur, a Spiritu Sancto est, et omnis veritas, praesertim quae salutaris est, semetipsam spectabilem, amabilem et omni acceptione et amplexu dignam ostendit, ut scripturarum sententiae et sapientum doctrinae testantur, teneris profecto, teneris, invictissime Caesar, audire hominem, qui loquitur veritatem, et eam quidem veritatem, quam non dubito, tibi esse necessariam, ut in re, de qua sermo mihi apud te est habendus, et quae immensis est ponderis, non falli, sed capere valeas consilium salutare.

Carte Cerv. Filza 29 f. 183r

[1] Cfr. *3 Reg.* 12, 11.
[2] *1 Tim.* 4, 10.
[3] *4 Reg.* 19, 21 sq. (omittuntur nonnulla verba).
[4] *4 Reg.* 19, 19. [5] *2 Esra* 2, 20.
[6] Tractatum hunc ab Ambrosio Catharino, episcopo Minoriensi, compositum fuisse, ex eo apparet quod sensus et magna verborum quoque pars cum alio opusculo certo auctori illi ascribendo conveniunt, quod a. 1549 Bononiae prelo datum est sub titulo: « F. Ambrosii Catharini Politi Episcopi Minorien. de optimis vel incundi vel prosequendi concilii rationibus », et dedicatum Pacecco cardinali reliquisque episcopis Tridenti commorantibus, de quo agit *I. Schweizer*, Ambrosius Catharinus Politus (Münster 1910) 176-181 et in appendice II, n. 41. Sed diversus est tractatus noster ab opusculo: Hoc scripsit Catharinus, ut ipse in epistula dedicatoria testatur (fol. 2r), mensibus Februario et Martio 1548, cum pontifex et Bononienses et Tridentinos patres ut deputatos Romam mitterent invitasset, adhibens *nonnulla, quae de optimis vel ineundi vel prosequendi concilii rationibus eram, ut opinor, sobrie meditatus* (fol. 2r); illum Bononiae paulo post protestationem 16. Ian. 1548 factam scriptis traditum esse crediderim, et quidem, postquam per decem menses in urbe illa prosecuti sunt patres actus conciliares, quod coeperunt 29. Martii 1547 (*Conc. Trid.* I 634, 11 sqq.); dicit enim (infra p. 23): *cum hic absque ulla contradictione pro synodo nos gesserimus, et iam elapsi sunt menses decem*, quae verba in opusculo posteriori in hunc modum mutavit... *esse quidem Bononiae concilium, cum ibi adfuerint legati concilii a pontifice et episcoporum conventus et sessiones et frequens studium conciliare et congregationes crebrae decem perpetuos menses* (fol. 10r). Quae *congregationes crebrae* desierunt, cum 3. Febr. 1548 cursor ex Urbe litteras Farnesii cardinalis attulisset eius tenoris, pontificem praecipere *supersederi ab omni actu conciliari. Conc. Trid.* I 742, 24 sq. Sed dum Catharinus componit, patres concilium prosequebantur *usque ad hanc horam* (infra p. 24), non ergo praeceptum illud Bononiam allatum erat. Denique, quae Massarellus ad diem 13. Iulii 1548 in diario IV. scribit (*Conc. Trid.* I 780, 13 sq.), potius pro opinione nostra facit quam contra eam; scribit enim: *Aptavimus responsionem dandam Imperatori ad suam protestationem contra concilium a Minoriensi primo formatam...* et eiusdem fere tenoris sunt litterae card. de Monte ad Cervinum 31. Maii 1548 datae (apud *de Leva* V 2 et *Pallavicinum* XI, 1, 3). Ex quibus apparet card. de Monte, cum de responso Caesari concilii nomine dando cogitaret, Catharini tractatu iampridem formato uti voluisse.

Quocirca obsecro Te per Iesu Christi fidem, per salutem Tuam et populorum et servorum Tuorum, quorum numerus innumerabilis est, ut non quaeras, quisnam ille sit, qui loquitur, sed audire digneris, quae loquitur. Nam et illa ipsa, quae loquentur, iudicabunt hominem loquentem, quod servus Tuus est, afflictus, zelans pro veritate, pro ecclesiae tranquillitate, denique pro Tua salute et communi christianorum. Hoc obsecro Tibi satis sit, nam satis esse debet, et aures benignas porrigas verbis meis. Si quid autem in nostro Te forsitan offendat sermone, quod et animum Tuum illum invictissimum ad indignationem et iram provocet et punire me forte velis (quod certe suspicari non valeo), si hoc erit et sciero, polliceor nullam Tibi fore curam me inquirendi; ipsemet prodam me ipsum et ante faciem Tuam assistam, in eo verbo sancto confidens [1]: *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Audi ergo, audi, gloriosissime princeps, servum Tuum, Tuae et communis omnium salutis gratia loquentem. Narro factum, unde sermo noster exorditur. |

183v Cum hic Bononiae in congregatione patrum quadam die [2] de abusibus ageretur, ut per sacros canones quantum fieri posset eliminarentur, nuntiantur adesse duo Tuae Maiestatis procuratores, et eo venisse, ut Tuo nomine quaedam patribus nuntiarent. Ut ergo exhibito mandato introducti sunt et data est loquendi potestas, coepit alter ex illis [3] praefari et animum Tuum erga sanctam synodum significare gravem admodum et indignabundum. Post illum vero alter [4] protestationem recitavit de scripto. De qua, Serenissime Caesar, ad Te audeo libere loqui quae sentio, cum sim (licet indignissimus) Dei sacerdos, cui nihil tam periculosum est apud Deum, nihil tam turpe apud homines, ut ait divus Ambrosius [5], quam in rebus praesertim gravibus, id quod sentiat, non libere denuntiare. Contra vero, non inglorium esse, imo egregia laude dignum imperatori, sacerdote indicante veritatem decedere de sententia et Deo suo obtemperare, Theodosius imperator ille magnus suo praeclaro satisque noto exemplo perdocuit [6]. Quid si Deus (cum multa gesseris vere gloriosa apud homines ac perennibus laudibus efferenda, quae certe facile obscurari possent aliqua superdicta macula) hanc forte Tibi dedit occasionem, ut et hoc ceteris longe gloriosius factum praestes, quod est superare Te ipsum, ut qui caetera superasti, superari Te patiaris a veritate? Audi ergo cum animi serenitate, qui et serenissimus diceris.

II.

1. Summa protestationis [7] in tres partes resolvitur: Prima narrat, secunda postulat, tertia protestatur. Narrat prima, quod cum esset Tridenti legitime congregatum concilium sanctum et oecumenicum, falsis inde, subdolis et commentitiis causis translatum in hanc Bononiae civitatem. Quare iam desiisse verum esse concilium, actaque eius nulla esse et fore. Mitto alia verba convicii et contumeliae [8], quibus Domini
184r papae legatos et universam synodum | affecerunt, quae et si ob alia facinora mereremur, indignum tamen erat atque exemplo perniciosum, ut in Dei sacerdotes ex ore Caesaris illa prodierint. Quo factum est, ut plurimi nullo pacto persuaderi possent a Tua spectata prudentia ac pietate talia proficisci potuisse, cum nec vera sint, nec, si vera essent, tanta tamen confidentia illa asserere Tu potuisses, qui actis concilii non interfueras. Verum quoniam Te ratam habere huiusmodi protestationem res ipsa testatur [9], hoc nobis solum superest, ut male Te informatum de veritate fideliter ostendamus. Non autem oportuisse Te ante plenam informationem sic irrumpere et in falso aut non satis certo molem tantam fabricare, nec Tu Tecum sedato animo cogitans poteris inficiari. Nec enim aliud potes nisi auditu Te rescivisse sic actum fuisse, ut protestatio narrat. At cur tam cito creditur deferentibus malum et peccatum? Cur non et auditi sunt prius, qui rei fraudis deferebantur et ex adverso aliter affirmabant, imo et sollemni decreto statuerant, cur non rogati saltem, ut se tuerentur? Ita ne

[1] *Prov.* 12, 19.

[2] In congregatione generali 16. Ian. 1548 agebatur de abusibus sacramenti poenitentiae. *Conc. Trid.* I 736 sqq.

[3] Franciscus Vargas.

[4] Martinus de Soria Velascus.

[5] *S. Ambrosius,* Ep. 40, 3, *Migne* 16, 1102.

[6] Cfr. *H. Koch,* Die Kirchenbusse des Kaisers Theodosius d. Gr. in Geschichte u. Legende, Hist Jahrbuch 28 (1907) 257-277; *H. Frh. v. Campenhausen,* Ambrosius v. Mailand als Kirchenpolitiker (Berlin-Leipzig 1929) 236 sqq.

[7] Cfr. editiones n. 7 adn. 1 laudatas.

[8] Alludere videtur Ambrosius Catharinus ad verba illa: « consilium dedistis inane, subdolum et captiosum », et, quod legati « nonnulli, qui sese asserunt legationis munere fungi », appellenturconciliumque Bononiense « illegitimus conventus ». *Le Plat* III 688. 691 sq.

[9] Recte Catharinus hic animadvertit ex protestatione (vel potius ex mandato 22. Aug. 1547 Didaco de Mendoza dato) constare Caesarem quae procuratores facturi essent ratumhabiturum, ergo, ut valeant, ratificatione nova non indigere, quam tamen Caesar 16. Febr. 1548 ultro dedit. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 253.

facile adversus concilii pronunciationem preiudicabunt apud prudentiam Tuam privatorum linguae et seorsum loquentium? Et tamen Deus ipse omnipotens, qui novit omnia, et quem nihil latere potest, post primorum parentum delictum, non ante sententiam pronunciare voluit, quam eos appellasset et de flagitio convicisset [1]. Et haec quidem obiici Tibi possent, et si Tua Maiestas certior facta esset de veritate, quanto autem magis, cum subornata fuerit et procul dubio falsis imbuta suasionibus; nam quod ita sit, ut eloquor, ipsa facti series (qua posita, quid sit iuris, a sapientibus coniectatur), quam mox enarro, ipsa luce solis illi praebente testimonium quam latissime patefaciet. |

Iam [2] vere coeperat, non ex figmento (ut habet protestatio) morbus ille lenticularum, 184ᵛ
ut vocant, illam Tridentinam civitatem invadere et totam circumadiacentem regionem suo maligno contagio labefactare, quum plerique patrum coepere meditari recessum idque a Rmis legatis quovis modo extorquere eniti, comminantes, ni obtinerent, se nihilominus praesumpturos; non enim se ullis legibus teneri concilio assistere cum suae valetudinis periculo ac vitae [3]. Et iam duodecim ex patribus recesserant, partim non petita, partim vero et denegata licentia. Auxit vero metum illum fratris et coepiscopi nostri D. Henrici Lofredi [a] infausta mors, qui diro morbo illo correptus interiit. Et quod magnopere deterruit plurimos, hoc fuit, quod quidam astu curabant eam labem occultari, ne deterriti plurimorum morte consilium caperent fugiendi. Qua propter silentium indixere campanis et cadavera ad sepulchra absque ullo strepitu funeris deferebantur. Sepulchra vero ipsa ita de industria aptabantur, ut nullum appareret depositum aut reconditum recens. Haec autem ut patefacta sunt, magnum excitatum est murmur, unde multi ex patribus ad Rmos legatos detulerunt. Ipsi autem legati quadam die cum essent patres omnes congregati, et de aliis visum est satis esse dissertum, retulerunt ad synodum querelas multorum praelatorum exponentes, quod vi detinerent[ur] in eo ab ea labe periculo, quas et ipsimet in faciem synodi obiectabant. Resistebant autem quidam ex his, qui Tridenti manserunt, non quidem negantes esse morbum (nullus enim erat ita perfictae frontis, ut hoc asserere auderet), sed non tantum neque adeo gravem, ut non posset aliquantulum expectari, et interim Caesarem super hoc consulere aut saltem summum pontificem. | His reliqui obstiterunt, quia morbi ingravescentia ac morae periculum 185ʳ
recessionem omnino celerem suadebat. Nam et aeris corruptio certissime credebatur, et, ut aiebant medici, initium pestilentiae saevioris, nisi Dominus prohiberet, sub cuius nutu tempora disponuntur atque mutantur.

Accedebat, quod et valde ad profectionem impelleret imminens inhibitio commeatus hinc inde et necessarii commercii cum DD. Venetis. Veneti enim rigorosissimi observatores pestiferae cuiusque labis vel ob modicum rumusculum, ut iam nemo nescit, illico intercludunt itinera, interdicunt commercia, prohibent commeatus, sine quibus praesidiis manere synodus in ea civitate non poterat. Cum igitur illa die plurimi in hanc sententiam convenissent, fugiendum quidem esse morbi periculum, non tamen dissolvendum esse concilium — hoc enim nulli penitus placebat —, quo facto tamen exequendum id esset, nulla fuit certa synodi sententia, cum essent quoque varia patrum consilia. Unus tamen illa die translationem in hanc civitatem suasit [4], qui vix fuit auditus, sed cum multi magnopere instarent, nec se posse ibi in eo metu permanere protestarentur, cum nulla fideiussione possent reddi securi, Rmi legati videntes tam facilem concilii disgregationem paratam et solutionem, admonuerunt patres, ut sequenti die venirent instructi ad deliberandum et consilium capiendum, ne quovis modo synodus solveretur. Convenerunt igitur omnes altera die. Primum ostensa est veritas morbi lacessentis; id enim negotii promotor concilii pro officio sibi desumpserat. Protulit ergo multorum testium examinationes, ut in actis patet [5]. Accessit et duorum medicorum magnae peritiae testimonium iureiurando vallatum, qui et ipsi abstinebant a visitatione infirmorum et fugam ex eo loco parabant, quamquam unus ex illis magno stipendio conductus | pro 185ᵛ
synodo ibi assisteret, fama notissimus nomine Hieronimus Fracastorius Veronensis, et alter familiaris esset Rmi cardinalis de Monte, similiter spectatae peritiae. Productum est etiam ipsorum alioquin rogata sententia de scriptis. Usu enim venerat, ut ab eis consilium

[a] *Cod.* Gofredi

[1] *Gen.* 3, 9-24.

[2] Quae sequuntur usque ad verbum *postulabat*, p. 19 l. 10, verbotenus fere concordant iis, quae idem auctor in tractatu excuso (vide p. 15 adn. 6) fol. 10ᵛ-13ᵛ narrat. De morbo lenticulari vide, quae *L. Carcereri*, Il concilio di Trento dalla traslazione a Bologna alla sospensione (Bologna 1910) 47-84 collegit.

[3] Cfr. praeter acta Massarelli eius diarium *Conc. Trid.* I 624 sqq. et relationem legatorum 11. Martii 1547 datam *Conc. Trid.* X 836 sqq.

[4] Qui fuit archiepiscopus Armacanus. *Conc. Trid.* V 1016, 22.

[5] *Conc. Trid.* V 1027 sqq.

peteretur ad evasionem morbi. Convenere igitur ambo asserentes morbum illum quidem suapte natura esse gravem, periculosum, pestilentem, mirisque modis laedere sensus hominis et alienare mentem, ut etiam qui evaderent, saepe stupidi et laesi sensibus diu manerent, denique communem cunctis, ut nec iis parceret, qui delicatioris victus essent et parum laboriosi corpore, imo etiam in hos magis saevire. Unde non aliud praesentius remedium colligi posset quam fuga ad loca salubria. Hic sermo ita multorum animos exterruit, ut plures multo magis ad recessionem confirmarentur. Quapropter Rmi legati de sua ipsorum sententia nihil indicantes protestati sunt, primum se nolle permittere dissolutionem concilii, deinde si hoc maiori parti patrum visum esset, ibi manendum, se cum illis una mansuros et omne vitae periculum contempturos, sin autem, omnino se placita maioris partis probaturos et sequuturos, quemadmodum in caeteris conventum erat. Cum vero non essent in synodo certae sententiae, in quibus conveniri facile posset, ipsimet Rmi Domini legati concordiae gratia et retinendi concilii causa, ne dissiparetur, quod in eorum manu non erat, nisi translatio aliqua fieret, proposuerunt hanc Bononiensem civitatem, ad quam sancta synodus se reciperet, eo quod nullus alius in eo articulo paratus locus commodus offerebatur, nec erat quidem. Hoc sic propositum coepit arridere multis, imo cunctis praeterquam iis, Augustissime Caesar,
186r qui Te nimis hac parte verebantur. | Erat enim illorum tunc recte distinguere verbum Christi[1]: *Quae Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo*, presertim quod multae causae eam sententiam commendabant, in quam ceteri pedibus et manibus ibant. Hoc enim pacto retinebatur concilium, nec erat suspensio nec protelatio, imo vix mutatio aut translatio videri poterat, cum et vicina Tridento satis haec civitas esset, nec Germanis incommoda et iter placidum eo tempore et (quod ora cunctorum claudere poterat) non renuebat sancta synodus reversionem, si quando id opportunum eveniret.

Quod vero haec civitas esset in pontificis potestate, id ad commoditatem synodi faciebat et ad tutelam potius. Nam in quem locum alium recepti fuissent patres? Aiunt Tui protestantes, in Germania. Sed ubi paratus locus? Ubi tutus a bello et peste? Nec diffidendum erat hoc in loco de libertate, quae in dicendis sententiis desideratur. Probatum est enim non hic minorem fuisse quam Tridenti libertatem, quamquam nec desunt unquam, qui praetextu libertatis licentiam exigunt, non libertatem, optime Caesar, ad exturbandam veritatem. Placuit ergo sanctae synodo Tui gratia, Caesar, isto pacto moderata translatio, quam multo plura patrum suffragia comprobarunt. Celebrata ergo fuit sessio tertia die. Adfuerunt patres omnes, nihil, quod ad statuendum requiritur, est praetermissum. Praecedit sacrificium missae et caetera quae de more; invocatur assistentia Sancti Spiritus; rogantur patres, ut ex ordine singuli proferant peremptoria vota. Ita factum est placide et absque tumultu ullo, multo maior pars et praeter illos tantum, qui ad Te respectabant, omnes in eam translationem perfacile consensere et absque mora faciendam. Fuere tamen ex eis, qui non esse huius rei
186v in concilio potestatem absque pontificis auctoritate | opponebant, pollicentes, si de potestate eis constaret, se non reluctaturos. Tunc ostensum est diploma Stis S., quod secum ex Urbe detulerunt legati, sapientissime ab initio provisum ob repentinos huiusmodi casus, qui possent insperato contingere. Hoc ergo clausit cunctorum ora reluctantium. Itaque vota maioris partis (ut aequissimum fuit) comprobarunt Rmi D. legati. Reliqui ergo assensisse suomet praeiudicio visi sunt, qui solum potestatem a summo pontifice desiderabant, quam viderunt. Recessimus igitur omnes praeter illos paucos, qui tamen (ut credibile est, imo ut nobis est compertum) inviti in eo loco manserunt, consilium suum digna venia excusantes, quae erat tamen notissima; expectabant enim responsa Tua. Quid igitur contra rem iuridica potestate ab ipsa oecumenica sancta synodo cognitam, probatam, conclusam, sancitam, confectam, transactam potest ulla fictione opponi, quod vel colorem habeat veritatis? Quid est igitur, quod sibi volunt isti protestantes, solum nos Tuo numine terrentes?

Allegant pro more litigantium translationem, quam ipsi secessionem vocant et durioribus etiam nominibus, indigne, falso, irreligiose, infame factam, tumultuose, inconsulto, praecipitanter, non dato spatio patribus cogitandi, et alia eiusmodi nuda verba, quae ut aperte sunt falsa (ut ex nostra narratione facile potest evinci), ita minime veresimilia. Quis enim amens credat in aliena civitate, et illa, quae Tuae Maiestati ancillatur, paucos hospites et imbelles, quorum arma erant scripturae et codices sacri, voluisse tumultum exci-
187r tare? Sed in quos? Nunquid in populum civitatis? Nunquid in alios | patres, qui contradicebant? Quae pars, etsi multo erat minor numero, ad tumultum tamen excitandum sub umbra et favore Tuo multo certe praestabat. Et ut ingenue rem fateamur, cum pati potius quam

[1] *Marc.* 12, 17 et parall.

facere tumultum apti essemus, non esse nos ibi aliquid passos, divinae protectioni adscripsimus, ita vidimus in eo recessu cives loci exacerbatos et exasperatos, et fortassis hac de re tractatus fuit. Quod vero addiderunt, inconsulto ac praecipitanter nec dato spatio patribus cogitandi, ut non est verum, ita quoque frivolum esse ipsius rei natura testatur, quae tempus ad deliberandum diuturnius non poscebat. Si enim vera erat causa, manifestum profecto etiam erat, quod legitima, cum praeter alia incommoda vitae simul discrimen afferret. Quod autem vera esset, ante oculos prospiciebatur, quare qui suae vitae metuebant, consultationem non admittebant, cum morbi metus urgeret. Qui vero id contempserunt, quo Tibi gratificarentur, seu quovis alio timore perculsi, nec iis tempore ad deliberandum opus erat, cum in sua sententia immobiliter persisterent. Nulla igitur partium tempus deliberandi postulabat.

2. Quid igitur intendis, Caesar, adversum nos? Et quas in hac causa partes vis sustinere? Nunquid iudicis? [1] Sed pro Tua mansuetudine ac religione, si vel nos ipsi, hoc Tibi ius offeremus, sapienter respondere deberes verbis Domini Dei Tui [2]: *Quis me constituit iudicem super vos? Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatus est ut Aaron* [3], memor illius vere memorabilis facti Constantini primi imperatoris christiani, quod certe divina providentia cunctis successoribus Caesaribus in speculum atque exemplum est propositum. Rem puto nosti: Cum enim ipsimet episcopi | ei libellos accusatorios obtulissent, quibus se invicem [187v] convincebant, ut eorum lites ille decideret, continuo non ab ullo mortalium, sed ab ipso Spiritu Dei, qui in pectore inhabitabat, edoctus, pie atque religiose in bunc modum respondit: *Vos Dii estis a vero Deo constituti, ite et inter vos causas vestras discutite, quoniam dignum non est, ut nos iudicemus Deos.* Haec ille. Quam sententiam christiano imperatore dignam magnus ille et gloriosissimus pontifex Gregorius in auctoritatem provehens in Mauritium imperatorem obiecit [4]. Si igitur, o Caesar, tanti principis aemulator in causa religionis partes Tibi non arrogas, necesse est, ut pro auctore vel accusatore Te geras. Verum apud quod tribunal hanc instituis causam? Si agnoscis hic esse tribunal iudicii hac de re, sicuti vere est, cur vocas assertos legatos, non veros, et assertum concilium, non verum? Si autem nos rei sumus et iudicium nostrum declinas, ad quem ergo nos iudicem trahis? Et cuius nos iudicio subiicis? Vere valde miserum est accusationis audire libellum et tamen nescire iudicem.

Aiunt, qui Te certe, Caesar, decipiunt, Te protectorem esse concilii. Quis negat? Imo hoc est, quod nos abs Te maxime petimus, scilicet ut protectoris fungaris officio, quod est non adversari concilii gestis, sed favere, complecti, defendere. Nam et hoc, quod sis ipse protector, unde accepisti, nisi a sacerdotio regali? Qua igitur confidentia potes hac adversus nos uti potestate? O, quam velim, gloriosissime imperator, ut fidus aliquis servus Tuus Tibi suggereret, quae apud Isaiam dicit Dominus contra Assur; ait enim [5]: *Et erit, quum impleverit Dominus | cuncta opera sua in monte Sion et in Ierusalem, visitabo super fruc-* [188r] *tum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim: In fortitudine manus meae feci et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum et principes eorum depraedatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, et sicut colligantur ova, quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi et non fuit, qui moveret pennam et aperiret os et gannirei. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est.* Haec ille. Ne quaeso indignetur clementia in servum Tuum, qui ista suggeret. Non enim id agit, quia haec in Te competere arbitretur, sed ne suggestione malignorum bona mens atque intentio Tua, quam homines praedicant, subvertatur. Et si libera est mihi vox apud Te pro Tua salute loquendi, prospice, Caesar, ne forte, quae adhuc in Te non competunt, fortasse (quod absit) paulo post competant, si impiorum sinas Te consiliis subornari.

Quocirca optamus summopere Tibi esse persuasum, quod tanta sollemnitate a nobis in Spiritu Sancto translatum atque firmatum est, hoc rursum a nobis ullo pacto non posse infirmari. Non enim a sacrosancto concilio expectare debes « est », et « non », sed constantissime « illud est, quod Spiritu Sancto invocato voce patrum legitime constabilitum fuit », ut aperta et confidenti fronte et cum bona Tua pace ad terrendam ex opposito omnem huius mundi potestatem possimus dicere [6]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Integrum vero est Tibi semper mutare sententiam, cum possis | facile ipse falli, sive humano iudicio, sive subreptione [188v] delatorum aut aliis de causis. Nam cum Tu, Caesar, mutas ratione suadente sententiam, non

[1] Tractatus excusus ea, quae sub n. 2 sequuntur, in forma abbreviata et alio loco habet (f. 24^r-26^r).
[2] *Exod.* 2, 14.
[3] *Hebr.* 5, 4.
[4] *Gregorius I. Ep.* 40, *Migne* 77, 766.
[5] *Isai.* 10, 12-15.
[6] *Act.* 15, 28.

hoc Tibi a prudentibus vertitur vitio, sed laudi. At nobis iam non integrum manet, ut acta nostra revocemus semel rite statuta. Nam synodi sententia propter invocationem et assistentiam Spiritus iuxta promissionem Christi censetur esse non hominum, quam ita facile posse infirmari [si] persuasum haberent homines, quaenam ulterius fides haberetur conciliis?

Aiunt Tui: Ad Caesarem pertinet de salute populorum, praesertim qui sibi subiecti sunt, sollicitum esse, ut in causa religionis conveniant, et ut, qui segregarunt se ipsos, redeant ad ovile. Laudamus sane tanti principis zelum, verum desideramus coniunctam esse cum zelo scientiam, ne divinus ordo praetereatur. Primum ovium cura verbo Christi fuit Petro commissa, in cuius sede nunc est Paulus tertius, eiusdem auctoritatis ac potestatis; Petro enim dictum fuit, non Caesari: *Pasce oves meas* [1]. Tu igitur, Caesar, Christi ovem, non autem ovium pastorem Te debes agnoscere. Dicet forte pro Te aliquis: At Paulus negligit pascere. Cui nos respondemus [2]: *Tu quis es, qui iudicas* Dominum tuum? Quamquam revera eorum, quae iuxta sapientiam hominum cogitari queant ad illius gentis reconciliationem profutura, quid est a pontifice Paulo a multis annis praetermissum aut intentatum, ut iure optimo queat dicere [3]: *Quid ultra debui facere, et non feci?* Praeterea, quid est hoc, quod tanquam dignitas quaedam praesumitur, videlicet sitam esse Germanorum salutem in concilio Tridenti celebrando, et nihilominus interim, quae ibi sunt acta, velit esse
189r infirma | et rursum ad disceptationem venire? Quod si admittitur, quis finis quaestionum? Quod posterum exemplum, quam perniciosum, quam pessimum? Verum de hoc inferius.

Venio ad id, quod petit adversarius, ut sibi concedatur, Paulum tertium negligere oves sibi creditas. Donemus hoc illi. Nunquid ergo potestas papae, si bene eam ipse non exerceat, devolvitur ad Caesarem aut ad ullum alium? Hoc forte putabant qui ad pauca respicientes de facili pronunciant et effutiunt. At vero bene periti non sic. Non est enim illa sanctorum patrum doctrina nec nostri gloriosi doctoris S[ti] Thomae. Verum cur isti potius ad Te non deferunt exemplum Ozae [4], qui cum arca Dei recalcitrantibus bobus cessim iret et declinaret ad solum, accurrens, ut eam ne caderet sustineret, subito iram Domini in semetipsum concitavit confestimque suae temeritatis poenas dedit. *Percussus est* (ait scriptura) *propter temeritatem hanc*. Mirabitur homo imperitus Dei factum, et dicet: Nunquid erat bonum, ut arca caderet? Nunquid malum, ne caderet, sustinere? Certe neque illud bonum neque istud malum. Illud vero malum et quidem maxime et intolerabile, perturbare nimirum ordinem divinitus praestitutum et ita quodam modo praeripere sapientiam Deo. Erat ergo bonum arcam sustinere, sed ab iis, quibus hoc officium demandatum erat, non ab Oza, cuius hoc non erat. *Statuit Dominus duo luminaria magna* [5], solem et lunam, alterum, ut luceret in die, alterum vero in nocte. Quis autem ferret lunam, si diceret se velle solis officio fungi atque in die lucere, quia forte nubibus audierit solis lumen obscurari? Haec duo luminaria mystice Vos estis, summus pontifex, et Tu, Caesar. |

189v Haec vero Te summopere admonent, amplissime imperator, ut agnoscas et exequaris partes christianissimi imperatoris, quae non sunt partes iudicis neque accusatoris sanctorum conciliorum, sed eius, ad quem primum et ante omnes pertineat ipsorum conciliorum acta humili devotione suscipere et illo Tuo, quo Te Dominus per ecclesiam cinxit, gladio protegere et exequutioni mandare, non autem illum in ipsam ecclesiam convertere et sacerdotes Dei. Sic digna fuit vox maiestate imperatoria vox illa Martiani, cum voluit concilio Chalcedonensi interesse, quae adhuc loquitur docens posteriores. Dixit enim [6]: ***Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo religiosissimi principis Constantini synodo interesse volumus, ut veritate inventa non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet.*** Haec est illa magna auctoritas, quae vere praedicatur esse Caesaris in conciliis, ut primus ille exequatur concilia et illum alii sequantur, et qui nolint, eos ipse compellat. Hoc nos potius expectabamus abs Te, clementissime Auguste, et non huiusmodi protestationes. Quamquam nec id desinimus expectare modo patiaris informari de veritate, quo[d] iure nostro vehementer efflagitamus. Nisi forte quisquam in eam amentiam incurrerit, ut alibi arbitretur esse concilium quam Bononiae, ea ratione sola persuasus, quod pauci quidam ex patribus mansere Tridenti. At nos confidimus primum in Domino, quod in tam perspicua veritatis luce non sinet ullis captiosis argumentis adeo obscurari mentes hominum aut fallacibus praestigiis ita eludi, ut caecutiant in meridie et ibi colorem ullum agnoscant, ubi vere est nullus. Quis enim adeo non solum perfidi, sed etiam insani cordis

[1] *Io.* 21, 17.
[2] *Rom.* 14, 4.
[3] *Isai.* 5, 4.
[4] *2 Reg.* 6, 7; *1 Paral.* 13, 9.
[5] *Gen.* 1, 16.
[6] *Mansi* VII 129; *Hefele* II[2] 475.

ibi esse concilium | vel somniare poterit, ubi nullum caput, nullum mandatum pontificium, 190r nullum gestum conciliare? Quod si quis quaerat: Cur ergo ibi manserunt? Quis nesciat? Nempe quia sperabant Tua auctoritate hinc esse synodum amovendam et illuc protinus reversuram. Quibus et nos in Tui gratiam et honorem indulsimus, ne (quod ius postulare videbatur) acerbius cum illis ageremus, sperantes et nos aliquam interim, quae promittebatur, concordiam. Quocirca confidimus et in ipsorum patrum conscientia, quam hactenus depravatam aut cauteriatam non existimamus, confidimus, inquam, quod verebuntur non solum sibi arrogare, verum etiam oblatum agnoscere hoc falsum concilii nomen, diligentes magis gloriam, quae a Deo est, quam falsam, quae est ab hominibus, et quae tandem vergeret illis in vituperium et opprobrium sempiternum. Confidimus et in circumspectione Tua, quam potissimam adhibere debes in his rebus maximis, quae ad veram animae Tuae salutem pertinent, ne quid agas perperam ac praecipitanter in Deum vivum, neve permittas hoc tam impium a Tuis Tibi praestari obsequium, cum pro ea, quam semper prae te tulisti integritate animi ac fide plane noveris, quod et ipse sis summe potens, quo possit Deus uti tanquam flagello adversum nos propter delicta nostra, longe tamen Te potentior est divina veritas, sine qua quaecumque fortitudo imbecillitas est atque infirmitas et flamma paleae, quae cito transit in fumum ac paulo post evanescit. Confidimus ergo tandem quodcumque evenerit in verbo summae veritatis, quae dixit [1]: *Ego vobiscum sum usque ad consumationem saeculi; confidite, ego vici mundum.* Et alius dixit [2]: *Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui sperant in eo.* |

3. Sed aiunt procuratores Tui [3]: M a i o r p a r s c o n c i l i i m a n s i t T r i d e n t i, 190v etsi non numero capitum, tamen consilii sanitate, fide, auctoritate; eos autem, qui recesserunt, omnes fere unius Italicae nationis fuisse, ascriptos pontifici et ab eius nutu pendentes. Quo in loco non ea respondebimus, quae obiecta ipsa ob sui insolentiam et falsitatem deposcerent, sed quae nostra mansuetudo erga Te requirit. Non enim possumus existimare Tua esse, nisi vero fueris falsissima atque pessima persuasione imbutus. Primum ergo, quod illi pars sanior fuerint ac per hoc maior, si absolute dicitur, praesumptum hoc quidem est et valde arroganter a protestantibus assertum pro voluntate, non pro ratione. Ac tale est, quale nec illosmet patres pro eorum modestia putamus agnoscere et sibi vendicare, ne pharisaicum supercilium cum intolerabili superbia ostentent mundo. Sed audient potius Christum [4]: *Qui maior est vestrum, fiat sicut minor.* Si vero dicunt: « Sanior fuit pars in eo facto », probatione istud indigebat aut saltem verisimilitudine, nisi forte per hoc fiat iuris ac de iure praesumptio, quod unius nationis ipsi essent et Hispani, praeter duos aut tres, et cuncti serviant M^{ti} Tuae, nos autem Itali (ut satis aperte innuunt protestantes). Nam de praestantia fidei, quae de illis praedicatur, non sane capio, quo ipsi pacto fidem accipiant, utrum eam fidem, qua credimus divinis verbis, an eam potius, qua id facimus, quod promittimus. Si primo modo intelligant, arbitramur hoc nos solo obstruere posse ora loquentium calumniosa, quod Petri cathedrae iungamur, et certo scimus, ut ait divus Hieronymus teste scriptura [5], quod qui cum Paulo tertio non colligit, dispergit, | quia, ut ipsemet exponit, 191r qui huiusmodi est, cum Christo non est, ergo cum Antichristo est. Quod si fidei nomine eam virtutem intelligunt, qua fit, quod dicitur vel promittitur, cuinam illi patres fidem suam astrinxerint, ipsi viderint. Nos illud de nobis consideramus, quod ministri Dei sumus vocati a Petro in partem sollicitudinis, et scimus, quod hoc a nobis quaeritur, ut fideles inveniamur [6]. Hanc vero fidem attestante nobis conscientia nostra pura Domino nos reddidisse in eo facto persancte testari possumus. Et utinam sic a ceteris immunes essemus delictis, sicut in simplicitate et synceritate Dei (quod ad hoc pertinet) cuncta egimus bona fide, absque ulla fraude, teste Deo, quem et secure et tuto invocamus in animas nostras, si res ipsa haec, quae controvertitur, secus per nos acta fuerit. Quod vero etiam illorum patrum nobis auctoritatem obiectant magnam esse, id nos minime inficiamur, non eam tamen, cui summi pontificis et apostolice sedis legatorum ac reliquorum tot episcoporum authoritas cedere debuisset, cum numero longe praestarent, et ipsi manifeste, ut res indicat, servirent.

Sed addunt, fere omnes nos fuisse unius n a t i o n i s I t a l i c a e. Quod ut manifeste falsum est, ita iniurium valde; falsum quidem, quoniam ex Anglia et Scotia et de Ghotia et Graecia viri profecto religiosi, fide nobiles ac pietate, in eam sententiam suis suffragiis

[1] *Matth.* 28, 20; Io. 16, 33.
[2] *Ps.* 2, 13.
[3] Vide ad hoc tractatum excusum, fol. 14v
[4] *Luc.* 22, 26.
[5] Cfr. *S. Hieronymi* Ep. 15, 2 ad Damasum papam (*Migne* 22, 356): *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*
[6] Cfr. *1 Cor.* 4, 2.

nobiscum convenere. De Gallis autem quis nesciat, eos in has partes concessisse [1]? Et ille, qui ex Portugallia doctus et apprime religiosus episcopus, qui rem evidenter claram conspiciens ad nos accessit [2]. Et cum haec tam clara sint, audimus tamen nunc ab his protestantibus nobis obiici nationum paucitatem, cum qui ibi manserunt, pauci Hispani sint et ad
191v summum tres, ni | fallor, Itali. Iniurium autem et carnale est, nationem cum natione conferre ad aemulationem, et nos, quia Italos, quodam modo deiicere et contemnere; in Christo enim Iesu (ut ait divus Paulus) [3] *non est Iudaeus aut Graecus neque barbarus aut Scytha*. Nec Hyspanorum tantum Deus, sed etiam Italorum et eorum maxime, quorum fides per charitatem operatur, quam nobis super omnia divina charismata [a] aemulandum proponit apostolus [4]. Cum igitur Hyspani illi humilitatis virtute et cessione mundani honoris concesserint aliis, tunc verissime erunt maiores. Quod vero nos pontifici ascriptos et a nutu illius nos pendentes vocant, si forte hoc in bonum velint intelligi, confitemur, sumus enim ad hoc obligati et illi nobiscum pariter. Pater quippe noster est et pastor et dominus. Sin autem in malum trahunt, videant ipsi, qua fronte, qua item conscientia nos cum communi omnium patre vituperent, et meminerint Chaam filii Noe [5], quamquam ostendant nobis, obsecro, quodnam sit illud, quod nobis exprobrant, obsequium nostrum in papam, utrum sit in re ulla foeda aut iniqua; proferant rem unam huiuscemodi et vicerint. Quod si hanc translationem proponunt, quod illam in gratiam pontificis sanxerimus, unde hoc sciunt? An quia nobis mandata fuerit ab illo, quam insperatam atque inexpectatam, postquam est facta, cognovit? « Sed divinabatis », inquient, « hanc illi gratam futuram ». Quasi vero concilium ibi non ob causam praecipue Lutheranorum, ut ipsimet asserunt, coactum fuerit. Quod si confitentur, contra pontificem tunc ibi stare concilium et intendi nervos in illum, profecto pessimam se causam fovisse pro ore testantur, et hanc solam idoneam ad iustificandam translationem.
192r Quid enim salva Christi tunica inconsutili adversus certum et indubitatum | pontificem poterant intentare? Clamant: « abusus, abusus! » Hoc autem facile quisque, sed in alia domo, non in propria. Et mirificum est, quod omnium ora et oculi ad episcoporum tantum convertantur abusus, ad reliquos vero huius mundi principes et ordines et semetipsum, nullus horum, qui clamitant, respiciat, ac si cetera salva sanctaque sint omnia. Scio, quod oportet incipere iudicium a domo Dei, et quod propter nos orta haec tempestas est. Verum id cogitare adversum nos, nostrum est potius quam laicorum. Velim tamen et hic tuam prudentiam sedulo animadvertere, quod hic praetextus abusuum techna diaboli est absque fructu et ad condendum schismata et haereses. Hic praetextus initium fuit secessionis eorum, qui Lutherani hodie vocantur, qui dum oderunt abusus in aliis, ipsimet in meros abusus evaserunt. Sed ne sic hos evadere velle videamur, non diffitemur esse in nobis abusus, et eos quidem correctione dignissimos, neque id summus pontifex negat. Nam quando parcit abusibus ecclesia Dei? Sed nunc accipientes castigationem a Deo paratos nos offerimus, et ipse in primis pontifex paratum se offert et iam facto intendit [6] pro sua authoritate ad eos, quantum fieri possit, eliminandos, modo potestas, quae illi a Deo data est in aedificationem, non laedatur, quam certe maligni quidam occultis oppugnare cuniculis meditantur, imitatores eorum, quorum infelices exitus potius formidare ac perhorrescere deberent quam vestigia sectari. Nam huc tandem seditiosi homines rerumque novarum cupidi cuncta referunt, et dum communem religionis causam praetendunt, suis student privatis honoribus et commodis. Sic sollicitabat corda virorum Absalon, ut regnum Israel auferret a patre [7]. Non est novus hic, sed perpetuus ac prudentium oculis nimium perspectus fere omnium seditiosorum prae-
192v textus, qui non caret etiam recentioribus exemplis. Hoc enim primum | nituntur, qui student successioni, videlicet constituere pontificem reum quovis modo, et ita super ipsum novum creare magistratum, hoc est se ipsos, qui tandem ius in illum dicant, quasi solis ipsis, qui talia in pontificem moliuntur, liceat simul et partes agere litigatoris et iudicis.

Nam hic vere captiosi, ut huius rei iudicium de manu eius, qui verus est et supremus et solus omnium maximarum causarum iudex, excutiant et ad se trahant, hanc nunc subtilem stropham commenti sunt, papam huius controversiae, quam de translatione

[a] Cod. carissimata

[1] Archiepiscopus Aquensis et episcopus Mirapicensis, qui post translationem Veronae et Ferrariae morati erant, 9. Sept. 1547 Bononiam ingressi sunt. *Conc. Trid.* I 691, 24 sqq.

[2] De Balthasare Lympo, episcopo Portuensi, vide infra p. 33 adn. 6.

[3] *Col.* 3, 11 (non exacte).

[4] *1 Cor.* 12, 31.

[5] *Gen.* 9, 22 sqq.

[6] Cfr. *Pastor* V 96-153.

[7] *2 Reg.* 15, 1 sqq.

componunt, idoneum iam non posse esse iudicem, quia iam fecit praeiudicium, eo quod apostolicum diploma mittens ad patres Bononiae existentes concilii eos nomine appellaverit [1]. O commentum futile, frivolum et (nisi de re ardua ageretur) etiam omnino ridiculum! Primum, quaeso, quo nos alio debuit appellare nomine summus pontifex, cum essemus verum concilium? Aut saltem, si daremus non verum, cum essemus in possessione veri concilii? At forte nullibi est nunc concilium? Quis potest hoc nisi stulte ac temere dicere, cum aliquando Tridenti fuerit, et id, quod fuit, nunquam fuerit absolutum nec a summo pontifice nec a se ipso? Translatio enim decreta est, non solutio, ergo alicubi est concilium. Quaerimus nunc, ubinam? An Tridenti, ubi illi pauci, ubi nullum caput, nullum Christi vexillum? An vero potius Bononiae, ubi (Deo gratia est) e converso cuncta adsunt, quae ad veram concilii substantiam requiruntur, nempe mandatum translationis pontificium, deinde ipsa rite facta translatio, tum eius absque controversia prosequutio iam menses decem usque ad hanc horam [2]? Hoc itaque videns summus pontifex iure optimo concilii nomine nos appellavit.

Quod si forte novi aliquid afferatur, quo ostendi possit non quidem non esse hic concilium — id enim perplexum est et minime intelligibile, | — sed cum sit concilium, non fuisse 193r
iure translatum. Et hoc praetendunt, qui pro Te causam instituunt, videlicet nullam, idest invalidam esse translationem, non autem nullum esse concilium. Non propterea huius causae cognitio et ius dicendi ipsi pontifici adimitur, ad quem sublimes causae deferuntur, quia prius nos patres hoc nos concilii nomine honoravit, cum huius nominis posessionem teneremus, semper enim pro iudice praesumendum est et pro eo, qui possidet. Sequutus est ergo pontifex merito sententiam legatorum cum maiore numero patrum vel duplo, quam sententiam tacitus comprobavit omnium consensus, cum hic absque ulla contraditione pro synodo nos gesserimus, et iam elapsi sunt decem menses. Nam si ii, qui Tridenti sunt, putabant non esse hic concilium, cur non clamarunt videntes, quod nos gereremus pro concilio? Cur non detulerunt facinus indignissimum, sed tacuerunt, nisi, quod conscientia veri conscia reprimebat, timor ac reverentia Tuae Maiestatis ibi eos retinebat, non causae bonitas? Quin etiam Tu ipse existimabas esse apud nos concilium, cum postulares illud redire Tridentum, eo nos appellans nomine. Cur ergo statuitur nunc concilium nullibi esse? Nunquid ergo ad libitum erit concilium Bononiae, et non erit? Erit quidem, si revertatur Tridentum, non erit autem, si abnuat? Vide, quaeso, optime Carole, aequitatem, et illud maxime, quod nunquam recusavit sancta synodus redire Tridentum, sed annuens potius iustissimas apposuit conditiones. Frivole igitur sunt huiusmodi protestantium captiones et, quod aequissimum fuit, eius generis, ut eos primum capiarit, qui illas tendunt, non considerantes veritatem praecellere cunctas res, etiam reges magnos, qui cum ceteris cunctis opibus abundent, hoc uno saepe sunt inopes, quod iis carent viris, qui veritatem | illis possint libere suggerere. 193v
Quod ne Tibi, gloriosissime imperator, contingat, pro ea, quam erga Te gerimus sinceram charitatem et fidem, vehementer atque summopere hortamur ac per ipsam salutem Tuam etiam obtestamur, pro qua ego (Deo mihi teste) assidue oro, sicut me christiana pietas cogit.

4. Queruntur [3] proinde, quod eam translationem Te inconsulto fecimus. Quod aequo animo ferendum erat, quandoquidem inconsulto pontifice etiam facta est, ac tibi prius quam pontifici innotuit [4]. Nunquid iccirco erit translatio nulla, quia absque Tuo consilio decreta est? Necesse ergo erit, ut quaecumque gerit concilium, Caesari renuncientur? Hoc si de necessitate requirant Tui ad validitatem gestorum, doctrinam nobis novam praedicant et inauditam — loquor in eos, qui Tuas partes tueri volunt videri, cum revera spectante Deo et angelis eius contra Te agant —; sin vero dicant: « Si non erat necesse sic fieri, decebat tamen », respondemus: Id valeret, si periculum non erat in mora aut, quod etiam magis est ponderandum, si qua ibi urgens manendi necessitas compulisset, nec iam acta fuissent, quae ad Germanorum causam pertinebant in dogmatibus decidendis, cum iam radices totius illorum doctrinae evulsae essent [5], aut si qua restare a nobis ibi pro illorum reconciliatione facienda commonstrarentur, quorum gratia frustra perpetuum biennium ibidem absumpsimus. Denique, quod claudere potest cunctorum ora, id valeret,

[1] Vide pontificis litteras ad card. de Monte 16. Dec. 1547, apud *Raynaldum* a. 1547 n. 91; *Le Plat* III 663 sq.

[2] De computatione temporis vide supra p. 15 adn. 1.

[3] Quae hic sub n. 4 exhibentur, vide in tractatu excuso fol. 14.

[4] Revera imperator 15. Martii 1547 de translatione certior factus est, *Nuntiaturberichte* I. Abt. IX 518 adn. 2, pontifex 17. Martii, *L. Carcereri*, Il concilio di Trento 102 adn. 3.

[5] Fusius assertionem hanc omnino falsam probare nititur in tractatu excuso, fol. 3 sqq.

si non prompti semper fuissemus ad reversionem, quandocumque spes ulla conversionis eorum patefieret aut effulgeret. Si quidem cuncti quasi uno ore spopondimus, non solum redituros nos Tridentum, verum etiam ipsa Germaniae intima penetraturos viscera, si opus fuerit [1]. Non igitur est a nobis ullo pacto Tua M^{tas} despecta, quam semper reveriti sumus, et cuius gratia ab initio concilii indicti usque ad hanc horam et multa fecimus et multa |
194ʳ fieri permisimus, quae nostra sponte nec fecissemus nec fieri unquam permisissemus. Quae Tibi, ut venirent in mentem, cuperemus, quo nostram erga Te observantiam et obsequium et reverentiam recognosceres. Et nunc ob illa facta haec patiamur, quae tamen omnia iusto Dei iudicio propter alia scelera nostra nobis ascribimus et gratias agimus, quod his increpationibus ostendit nobis pium suum affectum, si hac nos cum patientia et poenitentia suscipiamur. Sed ad rem.

Addimus, quod eo tempore, quo recessimus, nondum erat bellum confectum, nondum subacti illi populi nec tam prosperi successus prospiciebantur, ut tantam, tam subitam, quam procul dubio manus Dei operata est, sperare possemus victoriam, etsi illam vehementer optaremus, pro qua etiam preces et frequentes supplicationes cum sacrificiis indictae sunt a concilio atque effusae [2]. Verum utinam, quod multo magis voluissemus, perfectam cerneremus victoriam, ut sic, quae erant Caesaris, Caesari redderentur, ita quae Dei sunt, Deo essent reddita, ut plena esset Tua, Caesar, victoria.

III.

1. Verum hoc in loco nos conveniunt procuratores Tui [3] et aiunt, in manu nostra nunc esse Germanorum reconciliationem, si omni postposita mora ad Tridentinum revertatur (!) concilium. Sic enim loquuntur, nescio an exciderit verbum inconsiderate, an potius ex industria sic prolatum est; profecto ita scriptum legimus [4]. Multum vero interest, an rogemur reverti Tridentum, an vero ad concilium Tridentinum. Primo enim *Tridentum* aiebant, nunc *ad concilium Tridentinum.* Quod autem hoc etiam facere debeamus, fidem nostram reposcunt, quia iam id in recessu nostro promisimus [5], si sic Tibi videretur et ad componendos in religionis causa Germanos opportunum appareret, quae conditiones iam purificatae sunt. Et haec est secunda protestationis pars ubi vellem abs Te aequo animo ac diligenter considerari responsionem nostram. |
194ᵛ Respondemus igitur: Multos continet et manifestos errores haec pet[it]io. Primus est, quod id quod petitur, non ab iis petitur, a quibus peti debuit. Petitur enim id a nobis non tanquam a concilio, sed tanquam ab iis, qui non veram nec legitimam synodum, sed potius conventiculum faciant, hoc est ab iis, qui non intrarunt per ostium [6], sed ascenderunt aliunde, hoc est tandem ab iis, qui fures sunt et latrones, — tales enim in ista protestatione honeste ab iis protestantibus appellamur, si sacras litteras norunt, et a talibus exigitur, ut Tridentum omni postposita mora advolent, nulla interposita consultatione, imo et contra omnem consultationem. Quis autem hanc petitionem admittat, nisi homo perditus et omnino suae famae, quam custodire tenetur, prodigus et profligator? Non enim pertinet ad nos iste sermo, qui non sumus conventiculum, sed sancta synodus in Sancto Spiritu collecta.

Secundus ergo — et hic de priore consequitur — error circa id quod petitur, versatur. Petitur enim nunc, ut proficiscamur non *Tridentum*, sed *ad concilium Tridentinum*, sic enim loquitur protestatio, tanquam si vere concilium sit Tridenti. Quod si fatemur, fidem profecto negamus et iniuriam inferrimus verbo Dei nobis dicenti [7]: *Si quis dixerit vobis, hic est Christus, nolite ire.* Idem autem est dicere: « Concilium Tridenti est », quod est dicere: « Ibi est Christus », ubi certe non est, cum dicat nobis: *Regnum Dei intra vos est* [8]. *Si enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum* [9]. Non possunt autem illi dicere se in nomine Domini congregatos, qui a Petri navicula segregantur, in qua Dominus invenitur. Haec vero ita sapere quanquam theologorum est et illorum, qui
195ʳ sapienter scrutantur scripturas, Tuum est tamen, Caesar, audire et persuaderi, | ne falsa

[1] Qua de re nihil in actis apud *Raynaldum* a. 1547 n. 93 et *Le Plat* III 664 sqq. nec apud Massarellum *Conc. Trid.* I 727 sq.
[2] Ex. gr. cfr. *Conc. Trid.* I 568, 23 sqq.
[3] Quae sequuntur vide in tractatu excuso fol. 19ᵛ, sed brevius.
[4] Nescio, unde Catharinus hanc protestationis formam hauserit, nam *Le Plat* III 694 habet *ut primo quoque tempore Tridentum revertamini* nec diversus ab hoc est textus protestationis Romanae *Le Plat* III 707: *iubeat... sine mora Tridentum reverti.*
[5] Vide translationis decretum *Conc. Trid.* V 1032, 32 sqq.
[6] Cfr. *Io.* 10, 1.
[7] Cfr. *Matth.* 24, 23. 26.
[8] *Luc.* 17, 21. [9] *Matth.* 18, 20.

suggestione malorum (quod vel cogitans perhorresco) incipias pugnare cum Deo. Non ergo recte in hoc fides nostra requiritur, in quo illam nequaquam astrinximus, cum nunquam redire ad concilium Tridentinum promiserimus, tanquam ullum concilium verum ibi reliquerimus.

Tertius error est, quod, etsi conveniremur non ad concilium Tridentinum redire, sed Tridentum, dure tamen, importune et extra ordinem petitur. Si quidem certae conditiones adiectae sunt reversionis Tridentum, nimirum si placuerit summo pontifici cum Caesaris et christianorum principum consensu, et sic sanctae synodo visum fuerit expedire et ad rem christianam conducere et ad Germanorum conciliationem. Nec enim velut bubali circulo ferreo ad nares apposito trahendi sumus. Quod vero expediat nunc illuc ire, nondum nobis constat. Praesumptum hoc est, non probatum, et quod indignissimum est, convenimur, ut dixi, de hac re quasi lata sententia, rei prius convicti quam citati, prius causam audivimus decisam quam litem sciamus contestatam aut saltem propositam, nedum cognitam ac perspectam. Perfectum est ergo contra nos iudicium sine iudice, sine accusatore, sine libello convicti ac damnati invenimur, sine confessione nostra, sine ullo testimonio ac de improviso, de repente ad exequutionem sententiae proceditur. Novum profecto, inauditum ac terribile iudicii genus, quod una sola protestatione perficitur! Quod quam deroget amplitudini caesareae gloriae, si haec vere Tuo nomine gerantur, nemo est adeo stupidus, qui non plane pernoscat.

Quartus denique eorum error et nobis minime dissimulandus est, quod nunquam | detractavimus illuc redire, sed conditiones nuper adiecimus, cum respondimus consultationi 195ᵛ pontificis volentis ad postulata Caesaris dare responsum, et illas quidem iustissimas et aequissimas [1]. Quo magis miramur in ea protestatione vocari eas subdolas, captiosas et sane dignas, quae a pontifice maximo damnarentur. Magna profecto haec in sanctam synodum contumelia! Quare oportet ipsam iniuriam oculo sanctae discretionis partiri, ut, quae foedant (quanquam immerito) personas nostras, aequo animo feramur, scientes quod in aliis multis offendimus, memores sanctissimi David, cum a Semei fugiens [in] persequutione Absalon conviciis lacessabatur [2]; illud vero, quod iniuriam facere videtur Spiritui Sancto, qui invocatus est super nos, arbitramur non posse absque scelere praetermitti. Iustificandae igitur a nobis sunt conditiones appositae.

2. Diximus [3] ante reversionem nostram Tridentum oportere prius uniri patres in concilio, ac propterea, qui ibi manserunt, ad nos venire, ut et hoc ipsi nobiscum deliberarent. Hactenus, quaeso, quid hic doli seu captionis offendunt? Non enim de privato agebamus honore, cuius tamen, si habenda fuisset ratio, honori nostro ascripsissemus praehonorare illos iuxta apostolicum praeceptum [4]: *Honore invicem praevenientes.* Verum quia de honore concilii, hoc est de honore Christi, qui est in concilio per Spiritus sui assistentiam, periclitabamur, illud merito placuit. Ire enim nos ad illos, quid aliud esset quam humiliare Christum et demittere Spiritum Sanctum et exemplum relinquere posteris adeo perniciosum, ut duo vel tres possint quovis praetextu se partem saniorem asserentes et contumaciter se ab aliis discernere ac | schisma condere, idque etiam cum sua ipsorum gloria scilicet, ut alii sibi con- 196ʳ cedant?

Alia vero conditio fuit, ut qui se submittunt concilio Tridentino, ut aiunt, consequenter eius acta, quae hactenus sunt definita, recipiant. Hoc item, rogo, quid captionis habet? Imo quid aliud praetendit, quam praescindere captiones? Quapropter hoc est, quod vehementer dolemus, latere aut praeterire prudentiam Tuam forte propter alias tot ac tantorum regnorum curas, non posse Te animadvertere ad insidias et artes diaboli et satanae et ad exempla maiorum pontificum, qui a S. Spiritu edocti, non permiserunt se unquam his technis ab haereticis eludi. Quamquam, si res explicabitur, patebit facile dolus et astus. Exploratissimum est enim christianis, cum [concilium] legitimum et universale congregatum est, in iis praecipue, quae circa rem fidei aguntur, ibi assistere infallibiliter Spiritum Dei, ne falli possit, ut, quicquid ibi fuerit definitum, ab omnibus tanquam evangelium Dei recipiendum sit ac tenendum. Hoc si fatentur Germani illi, qui Tridentino

[1] Litteras pontificis ad card. de Monte 16. Dec. 1547 datas necnon responsum synodi vide apud *Raynaldum* a. 1547 n. 91 et 94; *Le Plat* III 663-669. De card. Madrutii legatione consultes *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 211 sqq. 441-449 et instructionem Aurelii Catanei publici iuris facti a *G. Buschbell* in: Quellen und Forschungen 23 (1932) 218-241.

[2] *2 Reg.* 16, 5 sqq.; 19, 16 sqq.

[3] Conditiones quinque synodi vide apud *Raynaldum* a. 1547 n. 94; *Le Plat* III 667 sq.; *Conc. Trid.* I 727 sq. Quae ad primam et secundam condicionem defendendam hic dicuntur, vide in tractatu excuso fol. 21.

[4] *Rom.* 12, 10.

pollicentur se summittere concilio, iam acta sunt omnia, nec ullo hac parte iam opus erit concilio; solum restat, ut iungamus dexteras et quisque in officio pacifice contineatur. Nihil est enim cum illis in controversia, quod revera non sit in conciliis decisum; quod si hoc negatur, facile erit ad oculum demonstrare. Sin autem hanc de conciliis fidem non habent, sed ea posse errare arbitrantur, imo et errare, sicut iactant in suis libris, profecto perfidem faciunt, cum pollicentur se recepturos acta futuri concilii Tridentini. Non est enim a quoquam quicquam recipiendum quasi ex fide, in quo possit error deprehendi. Spiritus enim Sanctus disciplinae effugit fictum. |

196v Ad haec [1] si crediturі sunt concilio Tridentino in his, quae geruntur, cur non his, quae iam sunt gesta? Quasi minus vere fuerit concilium, quod ibi fuit, quam id, quod futurum requirunt, si quando ibi erit. At hoc non est revera credere conciliis, sed tergiversari, dare verba Caesari et illudere. Qui enim vere credit conciliis, non magis in uno tempore credit quam in alio, aut in uno magis articulo quam in altero, sed simpliciter in omnibus et in omni tempore, si legitimum sit concilium. Quod si dixerint, nunc se recipere, quod observabunt, quae decidentur. At hoc etiam plures eorum receperant prius, nec tamen stare nunc volunt decisis. Tantum ergo abest, ut subdola aut captiosa sit haec a nobis adiecta conditio, ut potius hoc ipso nomine sit commendanda, quod dolosas captiones excludat, quas cum bona pace et observantia Tua, Caesar, sancta synodus magis probe callet quam Tu, cum non sint haec Caesaris studia et professio, quanquam et ipse, si recte recolis, quae fere iam triginta annos cum illis tractasti, et vere memineris, quam vere subdolos et captiosos super illos deprehendisti, facile posses inde potius Tibi a dolo metuere, ubi comperisti dolum, quam ubi semper amicitiam et fidem; sed abutuntur (crede veritati) clementia Tua et suis artibus animum Tuum a nobis alienare procurant ac Tuum odium flagitiosissime concitare.

Verum hunc forte colorem praetendunt, quod, quae decisa sunt Tridenti, illis inauditis sunt decisa; qui si fortassis auditi fuissent, aliud sancta synodus statuisset. Haec autem exceptio si admittitur, nihil est tam firmum in patrum decretis, quod labefactari non possit
197r et everti. Hoc enim nihil aliud est quam | dicere, synodum absque illis non potuisse decernere, et ideo esse invalidum, quod decrevit. Quod quam sit nedum frivolum, sed etiam exemplo perniciosum, si conceditur, nemini prudenti puto esse non perspicuum. Primum nos adversus personas non egimus nec ullam in eos sententiam tulimus, ut possint causari se inauditos esse damnatos. Verum de dogmatibus actum est, et, quae visa sunt aperte impia ac pestilentia, damnata sunt. Neque vero ad ea cognoscenda oportuit alios evocari quam eos, qui essent christiani gregis pastores. At ii omnes sunt evocati. Quod si qui quavis de causa non accesserint, non iccirco infringitur aut evellitur conciliorum firmitas et authoritas, cum iam sint legitime evocati et usque ad legitimum terminum expectati. Nec Spiritus Sancti authoritas in numero multitudinis constringitur, qui, sicut ait scriptura [2], ita in paucis salvat sicuti in multis. Haec autem, quae loquor, ita explorati ac certi sunt iuris, ut non putem quemquam, nisi qui nolit, posse nescire. Quapropter allegationibus parco, quae sunt cunctis non imperitis in promptu. Si igitur, quae iam ibi decisa sunt, validasunt, et iam certissimae fidei, quemadmodum nos oportet statuere, si fideles sumus, qua vi, quaeso, aut quo rationis colore adduci possumus, ut eadem novo tractatu quasi non valida aut quasi dubia repetamus, et hoc ob eam tantum causam, quia illi non sunt auditi? Quod si forte admittitur, quaenam obsecro, decisa inveniuntur firma? Si quidem nihil dabitur unquam decisum, quod hanc exceptionem pati non possit. Facile enim reperirentur homines, qui non probantes quaevis acta cuiusvis concilii dicerent, et habere nova, quae adversus pro-
197v ferre vellent, | et iccirco postulare se audiri, quibus non auditis esse perperam iudicatum. Et haec quidem possemus iure optimo dicere, si non datum toties fuisset illis spatium ad sanctam synodum veniendi suaque, si poterint, defendenda, si non sprevissent concilium et famosis etiam libellis illud per insignem maledicentiam probris non affecissent et adhuc hodierno die libellis editis non afficerent. Non enim nos latent, quae Bucerus, quae Melanthon, quae Vitus de conciliis, Te in Germania praesente spargunt in vulgus [3]. Cum igitur haec accedant, quid est quaeso, cur queri valeant et obiicere, se non esse auditos?

[1] Cfr. tractatum excusum fol. 4v.

[2] Quae verba in editione vulgata non inveni.

[3] *Ph. Melanchthon* mense Decembri 1547 *Refutationem decretorum synodi* adornabat *Corp. Ref.* VI 745, quam excusam postea 20. Ian. 1548 Meienburgio misit (*ibid.* 791). *Bucerus* iam anno 1546 librum *Zwei Decret des Trientischen Concilii* ediderat. *I. W. Baum*, Capito u. Butzer (Elberfeld 1860) 607. Errorem committeret Catharinus, si *Vitum Amerbach* qui iam a. 1543 ad ecclesiam catholicam redierat, inter novos concilii Tridentini oppugnatores numeraret; sed nescio, an non alium *Vitum* Catharinus sentiat.

Dicet nunc aliquis, imo hoc videntur dicere procuratores Tui: « Coegit eos nunc armis Caesar, ut iis, quae in concilio decidentur, se summittant ». Verum non hic tuto consistitur. Nam si id armis obtinere ab eis, Caesar, potuisti, etiam hoc poteris et potes, quod est aequissimum, scilicet ut iis se quoque subdant, quae sunt decisa, cum aequa sit ratio nec armorum Tibi robur desit, quo possis utrumque [1]. Aut si hoc non potes, ne illud quidem. Nam si vera profari licet, quam spem possumus de illis concipere deque eorum animis, quod syncere agant, cum audimus armis ad hoc esse adactos? Quae si cessent, rem quo sit reditura, facile possumus divinare, nempe ut sit priore error posterior longe deterior. Praeterea adeo ne insensati sunt homines, ut arbitrentur, quae iam semel decisa sunt, posse a nobis iterum retractari, cum iam functi simus officio nostro nec super iis ad revocandum penes nos sit ulla potestas? Hoc si ipsi norunt, cur tentant, quod sperari non potest? Praeterea, si ea, quae iterum in disceptationem quaerunt adducere, ullam aliquando habuissent in ecclesia Dei dubitationem, nec decisa iam essent | a sanctis patribus et sacrosanctis conciliis, aut si non multo- 198r ties cum illis disputata fuissent in colloquiis et comitiis principum, cum semper eorum crevit perfidia; aut si quid forte synodum praeterisset eorum, quibus illi sua dogmata defendere aut statuere connixi sunt, et nova possent afferre, aut si unum nos in ecclesia haberemus exemplum, quo ab eodem concilio res semel acta atque decisa ad instantiam haereticorum sit retractata, aut tandem, si Germani principes, saltem qui Tuas in bello sectati sunt partes, ante susceptum bellum non similiter fidem suam iureiurando astrinxissent promittentes concilii se sententiam amplexuros et prius, quam sancta synodus quaequam statuisset. Si, inquam, haec omnia ita se habentia non obsisterent, forte posset haec eorum petitio tollerari, potuissemus et nos flecti, ut illis in re, licet minus aequa et omnino vana, obsequeremur. Verum cum haec omnia secus sese habeant et ab eis iam violata fides nos admoneat, quantum fidei illorum pollicitationibus tribuendum sit ac promissis, et certissima nos maiorum exempla instruant, quae summopere aemulari debemus, nihil esse retractandum eorum, quae semel in conciliis definita sunt, quod et lex imperialis manifeste constituit, non debet Mtas Tua nobis indignari, si hanc inter ceteras conditionem prudenter apposuimus certo scientes, quod hae, quibus nobis negotium facessunt, sunt satanae artes ad tergiversandum et illudendum ecclesiam Dei. Audiat ergo potius clementia Tua Martiani imperatoris sanctissimam conditionem [2]: *Cesset*, inquit, *iam prophana contentio. Nam vere impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suae aliquid tractandum relinquit. Extremae quippe dementiae est, in medio et perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post | veritatem repertam aliud ulterius discutit, mendacium querit, et iniuriam* 198v *facit religiosissimae synodo, si quis recte iudicata ac semel disputata revolvere ac publice disputare contendit etc.* Extat et pro hoc Gelasii primi decretum in haec verba [3]: *Maiores nostri divina inspiratione cernentes, necessario praecaverunt* [a], *ut quod contra unamquanque haeresim coacta semel synodus pro fidei communione et veritate catholica et apostolica promulgasset, non sinerent novis posthac retractationibus mutilari, ne pravis occasio praeberetur, quae mediçinaliter fuerint statuta pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniae ac pariter errore damnato sufficere iudicaverunt, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstructus. Sic Sabellium damnavit synodus, nec fuit necesse, ut eius sectatores postea damnarentur. Sic Arrium et Eunomium, Macedonium, Nestorium synodus semel gesta condemnans ulterius ad nova concilia venire non sivit* [b]. Haec ille gloriosus pontifex, qui et ob hanc causam respondit se non nova sententia damnasse Achatium, qui iam in damnatos errores incurrerat, propterea quod inaudita et minus cognita causa se ille conquerebatur damnatum.

Ecce igitur, ne hanc rem novam a nobis exigas, gloriosissime imperator, Te multa acervatim cogunt. Primum enim teneris legibus Tuis, nam digna principe aequanimitas est, ut illis teneri velis. Teneris et canonibus, teneris maiorum exemplis, teneris rationibus invictissimis, a quibus omnibus promittere debes Te vinci, qui diceris invictissimus, quia tunc vere eris invictissimus, cum Te ipsum viceris, quod est summa omnium victoria. |

T e r t i a [4] erit conditio, ut prius declararetur, quonam pacto concilium intelligant, cum 199r aiunt velle se submittere concilio. Si enim, ut eorum magistri in suis libris concilium

[a] *Cod.* praedicaverunt [b] *Cod.* sinit

[1] Tractatus excusus, fol. 6v hic excursum de libro *Interim* inserit.

[2] *Mansi* VII 475 sq.; *Hefele* II[2] 554 sq.

[3] *Gelasii* I ad episcopos Dardaniae Ep. 13, *Migne* 59, 62 sq. (in fine nonnulla omittuntur vel mutantur); invenitur etiam c. 2 *Maiores nostri* C. XXIV q. 1, *Friedberg* I 966.

[4] Cfr. tractatum excusum, fol. 22v.

definiunt, quod et christianum vocant, in quo praeter episcopos etiam alii sententiam dicant et suffragia habeant, quos ipsimet aut eorum magistratus fecere sacerdotes atque episcopos — nam haec est eorum praeclara certe nova lex et mos, ut populus vel princeps aut magistratus et statuat et destituat sacerdotes —, nos profecto huiusmodi concilium, quod ad turbas atque seditiones proficeret, utpote concilium diaboli merito iuxta sanctorum patrum doctrinam et exempla vehementer abominamur. Et ideo quando hoc exacte[a] petimus declarari, non rem subdolam petimus aut captiosam, sed potius, ut ea, quae subdola sunt et captiosa, detegantur et summoveantur, sancte et catholice procuramus.

Quarta conditio erat, qua petebamus adesse concilio libertatem deliberandi de semetipso. Non enim, ut libere loquamur, iustum putamus teneri debere sacerdotes Dei pro voluntate principum ad concilium. Decet enim esse in ipsius concilii potestate de se ipso deliberare ac discernere, quando solvi debeat, utrum res eae gestae sint, quas finiri oportuit. Nec est omnium novas illuc invehere quaestiones, et ad decidendum impellere, et hoc opportunum esse decernere. Hac igitur libertate si careat, iam non liberum esset concilium. Et certe miserrima haec esset episcoporum conditio, quam servi Dei ferre non possunt, qui apostolicam audiunt vocem[1]: *Nolite fieri servi hominum.* Nam sicubi ordo ac libertas maxime requiritur, profecto in conciliis summo[pe]re desideratur. |

199v Postrema denique conditio erat — quam esse pariter aequissimam ius ipsum omnium gentium contestatur[b] —, ut esset nobis per illos liber ac tutus accessus, tuta mansio, tutus denique recessus. Utrum vero haec sit captio, an potius captionis devitatio ac violentiae, facile et in promptu cuique est absque multa cogitatione decernere. Huic enim conditioni non consentire, non aliud portendere videtur, quam tacite et honeste carcerem nobis minitari, quod a religione ac pietate gloriosissimi principis longe putamus esse alienum. Id autem non ideo poscebamus, quod tuae fidei nostram vitam diffidamus posse tuto committi, sed quod non semper cuncta fiunt, quae vellent principes, et multa per iniuriam illata, postquam illata sunt, condonare aut mussitare necesse est. Videmus enim et experimur plus satis (quamquam id maxime propter peccata nostra), quam exiguus honor ac paene nulla reverentia sanctis Dei sacerdotibus et papae legatis et consequenter ipsi Christi vicario hac infelici tempestate exhibeatur. Quodsi vera dicere liceat et patientibus iniuriam conqueri, saltem cum bona venia caesareae Tuae amplitudinis, haec ipsa Tuorum procuratorum protestatio satis id declarat. Et revera, si non captionibus agitur, valde est mirabile, sic astringi Spiritum Sanctum, ut una tantum civitas Tridentina inter omnes, quae totius christiani orbis continetur ambitu, reperiatur idonea, ubi libere christianum possit congregari concilium absque ulla fide data, Bononiam vero et quamvis aliam, tametsi praestetur omnis securitas, esse ineptam atque suspectam. Sed quis haec a captionis suspitione, ne dixerim captivitatis, quavis vel verisimili ratione defendatur, et non videat esse | 200r hoc quiddam coactum, quod volunt extorquere arbitrio et potentia Tuae manus? Quibus certe obtemperare, Caesar, non debes. Non enim quaecumque potes, ea etiam Tibi sunt facienda, ut ostendas potentiam Tuam, cum non satis sit dici maximus, nisi dicaris simul et optimus. Quae ambo epitheta Tua iam parta gloria abs Te postulat, ut ea illaesa diligenter conserves. Et haec satis ad secundam ipsius protestationis partem.

IV.

Superest tertia illa et postrema protestationis pars[2], qua, nisi Tridentum seu ad concilium Tridentinum redeamus, duo praecipue concluduntur: Alterum, quod nihil a nobis hic gestum aut gerendum posthac sit valiturum, alterum vero, quod quaecumque mala, scandala, bella, excidia populorum acciderint, nobis imputabuntur. Ad quae paucis respondebo.

Ad primum quidem nihil aliud [respondebo], nisi quod, si tanta vis in protestationibus fuerit, ut quantumvis valida possit labefactare atque evertere, iustum est, ut has vires similiter protestationi nostrae concedant, ut quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iure utatur. Nos autem etiam prius protestati sumus nolle nos quicquam admittere suae illorum protestationis in praeiudicium iurisdictionis nostrae, nec propterea ullum ius a nobis eripi nec ullum Tibi acquiri, sed manere nobis salva integraque omnia, et concilium ad ulteriora progredi, deliberare ac discernere [posse], quicquid opportunum et ad rem

[a] *Cod.* exerte [b] *Cod. add.* hic sed tutela sacerdotum, *quae verba sensum destruere videntur*

[1] *I Cor.* 7, 23. [2] De qua conferas tractatus excusi foll. 22v-23v.

christianam condecens videri possit, salva tamen S^{mt} pontificis auctoritate. Sic igitur clavus clavo, ita protestatione protestatio trudi par est, quamquam in protestationibus veritas quaerenda est, non verba nuda, quae sic[ut] est facile confringere, ita non est difficile spernere.

Illud longe magis nos commovet et conturbat, quod s e c u n d o loco de | facto futurum 200v protestatio comminatur, enarrans nobis belli felices successus, recentes victorias, quae nobis terrores et minas insonare videntur. Nam tot mala, quae nobis impendere protestantes Tui denuntiant, quantum valemus coniectare, [non] per alium quam per Te, Caesar, obvenire sane perspicimus, si quidem et a Tuo nutu et a Tuo motu cuncta et pendere et moveri posse (modo sinat Deus) nemo non videt. Annotavimus tamen ea verba, quae in protestatione quodam modo nobis exprobrantur, videlicet quod Tu so l u s bellum illud Germanicum confecisti. Maluissemus autem Dei in primis commemoratum fuisse auxilium, quia dominus exercituum Deus est. Nec illud oblivioni tradatur, quod a summo pontifice opportunas habueris et in tempore Tui magni periculi suppetias Tuis hostibus formidabiles, quibus es ipse adiutus, ut eorum sustineres impetum nec ab huius participatione gloriae secludendi erant, si qui fuerunt Germani principes, qui Te iuverunt plurimum suis copiis et commeatu. Neque ista dicimus, quod aliorum studeamus gloriae, Caesar, sed quod optaremus, ne haec victoria id efficeret, quod pleraeque solitae sunt, videlicet eumdem frangere et superare victorem, sed e converso, ut ipse ipsam quoque vinceres victoriam. Quod tanto esset gloriosius, quanto etiam difficilius atque praestantius.

Quo in loco cogimur tum nostri, tum etiam Tui gratia diligenter curare, ut haec tam ingens tempestas atque procella quovis modo exoriatur, aut, si id permittente Deo fieri nequit, saltem non irruat culpa nostra. Meditari ergo nos oportet duplicis esse generis mala: quaedam, quibus a nobis vitae huius bona atque commoditates eripiuntur, quaedam vero, quae ipsam | animam laedunt et ei vitam auferunt sempiternam. Priora quidem illa non 201r simpliciter et absolute mala censeri debent, nisi eatenus, quod animam nostram per accidens (ut ita dicam) attingunt, cum forte per haec ad impietatem et blasphemiam homo impotens adigitur, quae alioqui, si patienter et aequo animo ferrentur, iam non mala sunt, sed bona et ad virtutem promoventia, siquidem nihil revera malum est nisi peccatum et, quae sequitur peccatum, vindicta. Vindictam dico, non emendationem; emendatio enim, etsi dolorem secum habeat, bonum nihilosecius est et non malum, quod ad virtutem conducit. Cum igitur in potestate nostra et cuiusque hominis situm sit, cum Dei gratia, quae in tribulationibus deesse non solet, ut quaecunque in corpus et externam substantiam damna atque detrimenta infligantur, ea in ipsius animae commoda et lucra convertantur illudque conferant, vel quod medicinae ad sanitatem, vel quod exercitia ad conservationem, vel quod ad victoriam pugnae, si viri esse velimus, nulla a nobis timenda sunt. Clamat enim in corde christiani verbum Domini dicentis [1]: *Nolite timere eos qui possunt corpus occidere, et postremo nihil habent, quod faciant. Timete autem illum qui, postquam corpus occiderit, [habet potestatem] etiam animam mittere in geennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Quare quaecunque nobis acciderint, si id culpa nostra procuratum non fuerit, non possumus vertere nisi in bonam partem. Sic enim Dominus purgat filios Levi, et sicut expurgatur aurum et argentum in igne, ita fides sanctorum illustratur, sic fiunt et offeruntur | sacrificia munda, quae Deo pla- 201v cent. Nec est insolens, sed praedictum nobis, decere a domo Dei incipere iudicium. Qui vero has in nos movebunt persequutiones, non ob id se horrendum Dei tribunal evasisse existimare debent, sed eo ipso magis se illud incurrere. Deus enim personam non accipit, et Caesarem Omnipotens non veretur. Neque iccirco, quia nos merito ob alias culpas nostras affligemur, scelere vacabunt, qui percussuri sunt. Quamobrem, ut finem faciam, si haec probas, Caesar, quae Tuo nomine in nos obiiciuntur, digneris ponderare tandem liberum ac dignum sacerdotibus Dei responsum. Sic enim censemus, persequutionem pati, christianum est et beatum, inferre vero persequutionem in familiam Dei, tyrannicum, hostile et impium. Scriptum est enim [2]: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris.* Quapropter Tuas esse partes existimo satagere et conari his initiis, cum non valde incessus est, ignem extinguere, ne et Tu illo infeliciter obvolvaris. Quod absit, obsecro, a capite Tuo, serenissime ac principum orbis terrarum maxime et invictissime Carole, et servi Tui sermonem, si in illo senseris veritatem, ne despicias, quia (ut ab initio dixi) veritas, a quocunque proferatur, a Spiritu Sancto est. Ipse Tibi det in omnibus sapientiam et intellectum. Ceterum felix esto.

[1] *Luc.* 12, 4 sq. (non exacte iuxta Vulgatam). [2] *Matth.* 18, 6.

9.

Responsio ad obiecta in protestatione imperatoris contra translationem concilii e Tridento Bononiam et ipsius translationis defensio per R. D. episcopum Feltrensem [1].

[Post 23. Martii 1548].

Romae Arch. Vat. *Conc. 114* f. 504ʳ–516ᵛ, cop. coaeva [= Vat.]; f. 504ʳ in margine nota Massarelli: *Hoc non pertinet ad acta concilii, quia fuit responsum privatum*; *Borgh. I 789* f. 151ʳ–171ʳ, cop. saec. XVII cum inscriptione: *Discorso sopra la causa della translatione del concilio a Bologna*; Florentiae *Carte Cerv. Filza 29* f. 148ʳ–160ʳ, cop. coaeva. Edita est a *Le Plat* III 612-624 [= P], quae editio formam affert, quae a codicibus infra adhibitis multis locis differt.

Contra Caesaris protestationem demonstratur I. translationem non tumultuose nec praecipitanter decretam esse nec opus fuisse pontificem aut Caesarem consulere; II. causas eius iustas fuisse; III. minoris partis sententias non ut saniores esse praeferendas; IV. pericula, quae ex translatione imminere protestatio declarat, non Bononiensium antistitum culpa impendere, V. nec opus esse concilium in Germania prosequi. Propterea translationem legitimam esse Bononiensesque patres omni culpa carere.

Conc. 114 f. 504ʳ ⟨Quia concilii ex urbe Tridentina in Bononiensem translatio nonnullis episcopis, qui illi concilio interfuerunt, minus probata fuit, ceteris autem, qui, quemadmodum ea res acta fuerit, ignorant, aliquam fortasse admirationem movit, magnopere autem christianae reipublicae interest, patrum in eo concilio acta probata esse omnibus, iccirco faciendum mihi putavi, ut et omnia, quae contra translationem illam dici solent, et quemadmodum ad ea respondeatur, in medium afferrem. Ita enim veritate patefacta, futurum spero, ut et concilii acta suam apud omnes auctoritatem obtineant, et patres illi, qui hac de re a nobis dissenserunt, pro sua animi moderatione et prudentia, re melius perpensa, nobiscum in concordiam redeant. Etsi autem multi ex nostro ordine negocium hoc et graviore auctoritate suscipere et maiore facultate tractare potuissent, tamen pro meo in rem christianam studio, quo quidem vehementer ardeo, ut sublatis omnibus impedimentis, quae peragendo concilio obstant, res tam necessaria tamque christiano populo salutaris aliquando perficiatur, talentum meum quantulum idcunque est, quod mihi a Deo datum atque commissum est, exercendum mihi ad ipsius Dei honorem et ad proximorum commodum esse existimavi⟩ [a].

Primum [b] impugnatur concilii translatio [2], quod non debuisset congregatum et caeptum Tridenti S^mo D. N. indicente flagitanteque imperatore, principibus christianis 504ᵛ assentientibus nisi summa et urgente | necessitate, tractatibus praecedentibus et diligenti deliberatione, consultis etiam Ste Sua et Caesarea M^te alio transferri; factam autem [esse translationem] tam immaturo praecipitique consilio, ut praesidentes nullo dato patribus [c] ad deliberandum spatio pridie proposuerint, postridie decreverint, perendie discesserint [3].

a P om. b *P* Inprimis c *P* principibus

[1] De Thoma Campegio, episcopo Feltrensi 1520-1546, fratre Laurentii cardinalis, vide fontes et auctores a *V. Schweitzer Conc. Trid.* XII 155 adn. 2 laudatos. Quanta eius apud conciliares pontificesque auctoritas iure fuerit, et numerus et qualitas votorum et tractatuum de materiis ad ius canonicum pertinentibus ab eo conscriptorum satis demonstrat. Tractatus hic certo post responsum Tridentinorum pontifici 23. Martii 1548 datum compositus est (cfr. infra p. 40 adn. 4), non 26. Febr. 1548, ut *G. Fantuzzi*, Notizie degli scrittori Bolognesi III (Bologna 1783) 69 scribit.

[2] Argumenta partis caesareae omnia fere ex protestatione Romae 23. Ian. 1548 facta sumpta sunt. Quorum praecipua hic annectimus ex *Le Plat* III 699-710.

[3] *Le Plat* III 705: « Id vero certissimum concilium universale ob causas gravissimas et maxime necessarias Tridenti congregatum vestrae sanctitatis indictione, flagitante imperatore, Christianis principibus assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus episcopis iam coeptum, nisi summa urgentique necessitate, praecedentibus tractatibus et diligentissima discussione, servato iuris ordine, consensu omnium patrum alio mutari neque legitime posse, nec licere. ... Praeterea, si ulla fuerit ratio discedendi, vestram sanctitatem in hac praetensa causa consuluissent, cum tam parvi temporis mora nihil periculi esset allatura... » Ibid. 706: « Imperatore quoque consulto et assentiente id facere debuissent, cui curae sunt et tutelae universalia concilia, atque id ex munere officii Augustalis, cuius, quanta sit in conciliis auctoritas, manifestum est ». Cfr. etiam ex protestatione 16. Ian. 1548 Bononiae facta (*Le Plat* III 690): « ... de translatione concilii retulistis ad patres, consultandi nullo, sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposueritis, postridie decreveritis, perendie discesseritis cum haud multis patribus, atque iis quidem unius fere Italicae nationis ».

Secundo aiunt[a] causas translationis fuisse minus legitimas, vano inanique timore simulato; procuratum medicorum, ancillarum, vilissimorumque hominum testimonium, ac abreptam, quae se primum obtulit, discedendi occasionem[1].

Tertio [aiunt] paucorum sententias, quod firmiores, graviores et saniores essent, praeferri debuisse; potuisseque patres, qui recessum detestabantur, etsi multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam eandemque christianae reipublicae perniciosam impedire[2].

Quarto [aiunt] ex translatione imminere scandala, rixas, contentiones in ecclesia Dei, damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum inde oriri posse[3].

Postremo, si translationem fieri oportebat, dicunt sacrorum conciliorum decreta servanda fuisse, ne discederetur a finibus[b] eius regionis; propterea deligendum fuisse locum in Germania, idque fieri oportuisse, ut Germani, de quorum causa praecipue agebatur, possent tuto ad concilium convenire; idque nunc eo magis, quod Germani polliceantur[c] se libere et absque ulla conditione aut praetextu Tridentinam synodum suscepturos; nulla autem ratione defendi posse delectam esse Bononiam, in medio Italiae sitam, subditam imperio ecclesiae Romanae, quo nemini dubium sit[d] non adituros Germanos locum huiusmodi, | quem possent omnes merito recusare[4]. 505r

⟨Haec sunt quae contra Tridentini concilii translationem dicuntur⟩[d].

Nos vero ostendemus, [I] non praecipiti consilio decretam translationem nec opus fuisse consulere Romanum pontificem aut Caesarem; [II] causas fuisse iustas et probabiles: rite receptos fide dignos testes in re notoria minus necessarios; [III] non praeferendas paucorum sententias, nec saniores aut firmiores extitisse; [IV] non patrum, qui se Bononiam contulerunt, culpa imminere clades et alia, quae enumerantur pericula; [V] non contra sacrorum conciliorum decreta delectam Bononiam, non[e] recusandum concilii iuditium, si alibi quam in Germania habeatur; satis omnibus persuasum, legitimam fuisse translationem, denique omni culpa carere patres, qui se Bononiam contulere.

I.

Non immaturo praecipitique consilio decretam translationem ex eo intelligi potest, quod ⟨non semel, sed iterum et⟩[f] tertio ea ipsa de causa convenere patres[5], et exquisitis auditisque singulorum sententiis mature, quantum urgens patiebatur necessitas, sumpta est deliberatio. Imminens enim vitae periculum, ⟨de quo paulo post dicemus⟩[g], maiorem non admittebat cunctationem, ne viderentur Deum tentare, si saluti suae non consuluissent. Videtur enim homo Deum tentare, *si habet quod faciat, et suae, et aliorum saluti consulere non procurat*[h], ut Nicolaus ille summus pontifex ait in epistola ad Bulgaros, et habetur in c. [15] *Si nulla* [C.] xxiij. q. 8[i][6]. |

[a] *P om.* [b] *P* terminis [c] *P* pollicentur [d] *P om.* [e] *P* et minime. [f] *P om.* [g] *P om.* [h] *P prosequitur* teste Nicolao pontifice ad consulta Bulgarorum, cum inquit... *et post* procurat *prosequitur*: At omnibus palam est non tentandum Deum, nec inveniri Deum ab his, qui tentant eum, sapientia probat. [i] *P locum Corp. iur. can. hic et semper in marg.*

[1] *Le Plat* III 705: « Causa autem tam subitae translationis nulla fuit, sed arrepta, quae se primum obtulit occasione, reverendissimi asserti legati, ut a me dictum est, et reliqui patres fecerunt, quod iam pridem meditati fuerant. Febres enim, nescio quas, et aeris vitium causati, affectatum et procuratum quorundam medicorum, sed praecipue ancillarum et coquorum vilissimorum hominum testimonium recitantes Tridento praecipites discesserunt, nempe et tunc et deinceps apertissime patuit nullam extitisse vanae formidinis causam ».

[2] *Le Plat* III 706: « Debuerunt certe iustas multorum gravissimorum patrum, qui illis haud quaquam assentiri, docti re, ex recta conscientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumque sententias ac rationes animadvertere atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libitu definire: quorum quidem sententiae, quod graviores et firmiores erant, sanioresque reipublicae, debuissent in re praeferri potuissentque multarum nationum patres, etsi multitudine aliis impares, translationem vere voluntariam, eamdemque reipublicae Christianae perniciosam impedire ».

[3] *Le Plat* III 709: « Protestor praeterea omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, ad haec divisiones et scandala in ecclesia Dei, et religionis pericula atque reipublicae Christianae detrimenta, quae inde evenere atque evenient et possunt contingere, vestrae beatitudini, non sibi imputanda ».

[4] Loco supra adn. 2 citato protestatio prosequitur (*Le Plat* III 706): « Quam si fieri oportebat, fuerant sacrorum conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis eius regionis: eligendus erat in Germania locus propinquior et opportunior, atque ob id maxime fieri oportebat, ut, de quorum causa praecipue agebatur, Germani tuto possent ad concilium venire... Illud vero nulla ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiae collocatam, subditam imperio ecclesiae delegerint, quo nemini dubium est, non adituros Germanos ». Germanos protestantes concilium Tridentinum se suscepturos esse numquam pollicitos fuisse demonstrat *Pastor* V 634 sqq.

[5] Re vera de translatione in congregationibus generalibus 9. et 10. necnon in sessione 11. Martii habitis actum est. *Conc. Trid.* V 1013 sqq.

[6] *Friedberg* I 956.

505v Eadem ratione carent patres omni culpa, si de translatione nec S[um] D. N. nec Caesaream M[tem] consuluere, quod si imminens periculum longiorem cunctationem ⟨et moram⟩ [a] non admitteret. Sed nec opus fuerat ea consultatione, quoniam, quod ad S[tem] Suam pertinebat, iam inde ⟨ab initio⟩ [b] provisum fuerat eo diplomate, quo praesidentibus et patribus data est transferendi concilii auctoritas; supervacaneum enim fuisset quam diximus auctoritatem et potestatem dedisse, si adveniente transferendi necessitate expectandum fuisset, ut de eius voluntate fierent certiores ipse etiam, quod suorum legatorum consensus et auctoritas intercesserit, affuisse censeri debet [c] l. II c. *de vete. iur. enucl.* [1] et iuxta illud Leonis papae epistola XLVI [d] ad synodum Calcedonensem [2]: *In his fratribus Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica ecclesia directi sunt, me synodo paternitas vestra existimet praesidere.*

De Caesarea M[te] idem foret iudicium, si ipsius affuissent oratores; qui si interfuissent et translatio displicuisset, potuissent patres in suam deducere sententiam [e], ne discederent, maxime si de Caesaris voluntate docuissent, de qua ⟨aliis, quanvis insigni dignitate praeditis, fidem sine mandato habere non⟩ [f] tenebantur, c. 1. de procur. lib. VI [3]. Quem nec consulere debuissent, cum nec S[um] D. N. consuluerint, ac etiam si tempus habuissent patres Caesarem consulendi, id minime fuisset necessarium, quoniam sicut concilii vocatio ad
506r summum pontificem pertinet, | non ad Caesarem, nisi certis causis, a quibus modo longe absumus, eodem modo dissolutio aut translatio.

II.

Translationem vero factam fuisse ex legitimis causis quod secundo proponebatur, ex eo probatur, quoniam si aeris intemperies et contagiosi morbi sunt causae legitimae indicendi institii [g], si excusat ⟨in ius⟩ [h] vocatos, quod fortuita sit calamitas, quae venienti periculosam reddat [i] praesentiam, li. II § penult. [4] cum glos[sa] *Si quis caut.* [k], si est legitima causa cedendi regimini ecclesiae c. [9] *Ad supplicationem* cum glos. in verbo *morari* [X] de renuntiatione [I 9] [5], et glos. in c. [10] *Communis filius* in verbo *suorum infirmitas* Di. XXIII [6]; c. [6] *Quorundam* LXXIV Di. [7]; si est legitima causa non residendi, Clem. [c. 1] *Ne in agro* § fin. [X] de statu monachorum [III 10] [8], si excusat a iuramenti observatione ⟨quae divino iure⟩ [l] debetur c. [8] *Si vero* cum glos. [X] de iure iurando [II 24] [9], multo magis aut saltem pari ratione excusabit patres concilii, si recessum decreverunt, si metu mortis, quo terrentur etiam fortissimi [m] viri, ad salubriorem locum concessere.

Quod autem ea fuerit morbi vis, quae iustum timorem incutere potuerit, satis constare potest, si meminerint, qui vanum timorem et inanem [n] formidinem illis obiiciunt, obiisse ⟨eo morbi genere⟩ [o] episcopum Caputaquensem [p] [10], ministrum generalem ordinis Minorum [q] [11], Balduinum canonicum Tridentinum [12], et alios plures inferioris ordinis; a medicis monitos fuisse, qui officii causa Caputaquensem visitabant, ne propius accederent, neve diutius mo-
506v rarentur, medicos ipsos usos his antidotis, quibus pestilentiae tempore | se praemunire consuevissent [r]. Eisdem diebus eo morbo aegrotasse ⟨episcopum Vercellensem⟩ [s] [13] Ioannem [t]

[a] *P om.* [b] *P om.* [c] *P* potest [d] *P* 45 [e] *P om.* [f] *P* alii quavis insigni dignitate praeditissimi mandato fidem gerere minime. [g] *P* iustitiae [h] *P om.* [i] *P* reddit [k] *Codd.* casus [l] *P* quod iure Domino debetur [m] *P* constantissimi [n] *P add.* fuisse [o] *P om.* [p] *P add.* virum gravem ac probatum [q] *P add.* virum multae auctoritatis, religionis ac doctrinae [r] *P* consueverunt [s] *Vat. om.* [t] *P om.*

[1] Cod. Iust. I 17, 2, *Krueger* 70 sqq.

[2] *Leonis I.* Ep. 93 ad synodum quae Nicaeam primo indicta, postea vero Chalcedone congregata est, cap. 1, *Migne* 54, 937 sq.

[3] C. 1 X de procuratoribus I 38, *Friedberg* II 211. In libro VI (I 19) de hac re nihil.

[4] Dig. II 11, 2, *Mommsen-Krueger* 53.

[5] *Friedberg* II 107.

[6] *Friedberg* I 82 sq.

[7] *Friedberg* I 263.

[8] *Friedberg* II 1166 sqq.

[9] *Friedberg* I 361 sq.

[10] Henricus Loffredus, episcopus Caputaquensis, 6. Martii 1547 obiit. *Conc. Trid.* I 623, 1; X 835, 24.

[11] Iohannem Calvum ord. Min. de observ. generalem, 21. Ian. (non *Febr.*, ut *Carcereri* 66) 1547 mortum (*Conc. Trid.* I 605, 29; X 798, 12 sqq.) eodem morbo laborasse quo Loffredus non constat nisi ex *Severolo Conc. Trid.* I 142, 25 sq. et ex depositionibus aliquorum testium, ex quibus tamen duo (Iacobus de Crescentiis et Claudius Iacobi) expresse dixerunt se nescire, an ille ex ipso morbo obiisset. *Conc. Trid.* V 1030, 30 sq. 1031, 13 sqq.

[12] Balduinus ex Germania, quo a Madrutio cardinale missus erat, reversus obiit, ut dicebant, ex peste. *Conc. Trid.* I 142, 26; X 836, 28 sqq. 839, 4 sqq.

[13] Nec morbi Petri Francisci Ferrerii, episcopi Vercellensis 1536-1562, nec consanguinei cardinalis Giennensis in legatorum litteris fit mentio. *Conc. Trid.* X 836, 25 sqq. 839, 8 sqq. Desunt quoque apud *Carcereri* 66 sq.

Giennensis [a] cardinalis consanguineum, Pompeium caeremoniarum magistrum [1], Iacobum magistrum domus Panormitani archiepiscopi, et alios ⟨plures, qui eius morbi vi mente alienati in maximo vitae discrimine fuere⟩ [b]. Eratne vanus timor, cum nulla fere domus aut funere aut aegroto careret, ⟨cum noctu efferrentur cadavera, ne multitudine homines deterrerentur conspectu⟩ [c], cum funebres campanae silere iussae sunt, ne auditu? Retulere nonnulli, cardinalem Tridentinum suos monuisse, ne Balduinum aegrotantem familiarem gratissimum, et quem ipse canonicum fecerat [d], visitarent, quod laetali et contagioso morbo laboraret; ipsum cardinalem [e] ob aeris intemperiem Tridento abfuisse [f]. Fracastorius, medicus ille insignis [2], a patribus multis [g] ante mensibus magno stipendio accersitus, aegrotos visitare recusabat, quod non ad curandos pestiferos et contagiosos morbos vocatus fuisset, palam contestatus se ne centum quidem aureorum in singulos dies stipendio tantum periculi et laboris subiturum. Recesserant eo metu perculsi complures ex patribus discedendi licentia nec habita nec petita. Fiebat aliorum ad R^{mos} praesidentes concursus protestantium se nolle cum vitae periculo Tridenti consistere festinabantque recessum, ne si morbi fama increbuisset, hospitiis et tectis vicinorum arcerentur, si maior discedendi necessitas contigisset, memores ⟨eius, quod superiori anno acciderat. Cum enim⟩ [h] vix duo, nec Tridenti quidem, sed Rovereti (quod oppidum ad duodecim millia passuum Tridento abest) peste periissent [3], a Venetorum dominio interdictum fuerat | comercium Tridento venientibus. Quo factum 507r fuit, ut nonnulli, ad quos interdicti notitia minime pervenerat, cum eo se contulissent, cogerentur aut retrocedere, aut sub dio cum maximo eorum ⟨incommodo et valetudinis periculo⟩ [i] pernoctare. Nec enim tunc licuisset nec recessus tempore se se in Germaniam recipere, quod vexaretur Germania morbo et bello arderet militibus ultra citraque commeantibus, quorum praedae ⟨et direptioni⟩ [k] expositi fuissent, ⟨si illo se contulissent⟩ [k]; fremebant porro omnes, nisi communi consilio communi periculo consuleretur, singulos saluti suae consulturos. Quibus querelis permoti R^{mi} praesidentes ac timentes, ne desererentur — nec enim cum paucis habendum concilium censebant — ⟨patres bis ad consilium capiendum vocarunt⟩ [l], auditisque his, qui magnis clamoribus contradicebant, cum non placeret patribus nec dissolvi nec suspendi concilium, eo deventum est, ut Bononiam transferretur. ⟨Praetulerunt autem translationem suspensioni exemplo aliorum conciliorum. Nec enim Papiense concilium, quod habitum fuit quinquennio post Constantiense, ex causa pestiferi morbi suspensum fuit, sed Senas translatum [4], et Ferrariense eadem ex causa Florentiam [5]. Et id evidenti factum ratione, quod incertum erat tempus impedimenti, et suspensionem, quae temporalis est dissolutio, facile secuta fuisset perpetua dissolutio. Rediissent enim in patriam, qui ex longinquis regionibus advenerant, nectum facile fuisset eos revocare. Translatio autem concilium conservabat, non expediebat autem concilium dissolvi⟩ [m]. |

Comprobavit translationis consilium [n] episcopi Portuensis [o] Lusitani recessus, qui facto 507v translationis decreto cum abire constituisset, ⟨multis precibus exoratus⟩ [p] ac etiam deterritus ab his, qui translationi non consenserant, quod rem ingratam Caesari et regi suo faceret, si ab Hispaniarum episcopis dissentiret, mutata sententia substiterat, ⟨deinde, cum eo ipso die et quae secuta est, fuissent duo ex familiaribus suis eo morbo correpti unusque ex eis triduo interiisset, perterritus, ne salute quidem aliis dicta fugienti similis discessit⟩ [q] [6].

Excusant etiam patres, qui uno aut altero ex eis pestifera illa febri assumptis discedendi consilium coeperint, anteriorum conciliorum exempla. Unius enim Dyonisii Sardensis

[a] *P falso* Viennensis [b] *P* ignobiles vi morbi mente alienatos in maximo vitae periculo constitutos fuisse [c] *P* Si nocte efferebantur mortui, ne conspectu homines deterrerentur? [d] *P add.* officii causa [e] *Vat. add. supra marg. manu Massarelli* [f] *P* abesse. [g] *P* pluribus [h] *P* superiori anno cum [i] *P* dispendio [k] *P om.* [l] *P* Praesentibus ad consultandum vacarunt [m] *P om.* [n] *P* causam [o] *P* Portugalensis; *om.* Lusitani [p] *Vat.* a pluribus precibus exortatus [q] *P* At eo ipso die et sequenti nonnulli ex familiaribus suis eo morbo correpti ac uno... vita functo in causa fuere, ut nec vale quidem dicto fugienti similis discederet.

[1] Pompeius de Spiritibus Spoletinus, a Massarello saepe nominatus *Conc. Trid.* I (index sub verbo Pompeius).

[2] Hieronymus Fracastorus 23. Ian. 1546 legatis scripserat paratum se esse ad medici conciliaris munus subeundum. *Conc. Trid.* I 386, 1 sq. De quo vide etiam *G. Marini*, Degli archiatri pontifici I (Romae 1784) 389 sq.

[3] *Conc. Trid.* X 201, 1 sqq. (29 Sept. 1545).

[4] Cfr. *Hefele* VIII² 389 sqq.

[5] Cfr. *Th. Fromman*, Kritische Beitraege zur Geschichte der Florentiner Kircheneinigung (Halle 1872) 25 sqq. Vide etiam p. 34 adn. 1.

[6] Balthasar Lympius de Moura, episcopus Portuensis 1536-1552, qui in translationis sessione votum dubium dederat (*Conc. Trid.* V 1034, 2), Tridenti remansit, postea autem metu morbi perterritus profectus, ut 5. Aprilis 1547 Farnesius ad Poggium nuntium scribit (*Nuntiaturberichte* IX 538 adn. 1), Bononiam denique 15. Sept. 1547 applicuit. *Conc. Trid.* I 697, 5.

personis astrictam, cuius universi teneantur servare decreta, c. [1] *Confidimus* [C.] XXV q. 1 [1], c. [2] | *Sicut* XV Dist. [2]? Nonne ordinarius in quacunque iurisdictionis suae parte ius dicere 509r potest, c. [7] *Cum episcopus* [X] de off. ordinarii lib. VI [I 16] [3]? Nonne legatus in quocunque legationis suae loco, c. [7] *Novit* [X] de off. legati [I 30] [4]? Cur ergo non potuerit concilium se alio transferre et in quovis suae iurisdictionis loco ius dicere et sua fungi iurisdictione? Cum Salvator noster pollicitus est se in medio illorum futurum, si duo vel tres in nomine suo congregati fuerint, certo se coarctavit loco, ut Tridenti adesse velit, nolit Bononiae? *Non loca creatori nostro nos proximos faciunt*, c. [4] *Non loca* XL Dist. [5]; non locus sanctificat hominem, sed homo locum, teste Chrysostomo, et habetur in c. [12] *Multi* XL Dist.⟩ [a] [6] Nonne⟨alia causa licuisset patribus se transferre? Cur non licuit cessante causa, propter quam Tridenti convenerant, c. [60] *Cum cessante* [X] De appell. [II 28] [7] c. [41] *Quod pro necessitate* [C.] I q. 1 [8]; c. [7] *Quod pro remedio* [C.] I. q. 7⟩ [b] [9]? Postulante Caesare, expetente Germania, ut commode convenire possent ad componendas ⟨aut discutiendas⟩ [c] religionis controversias, indictum fuerat in urbem Tridentinam concilium; bis a Romano pontifice [d] destinati a latere legati, qui primum ad menses septem, deinde ad xxiiij [e] Germanorum adventum expectarunt [10]. Aderant Galliarum episcopi, aderant Hispaniarum, et qui longius stant, Lusitani [f]. Coeptum est concilium et ad menses decem continuatum. Germanorum vix duo ⟨aut tres, et hi quidem per procuratores⟩ [g], qui nec etiam [h] perstitere [11], nec tum bellum erat in Germania, quod eos retineret, et plures longe aberant a periculo belli. Decebat etiam, quin | etiam oportuerat, si quo detinebantur impedimento, excusatores mittere, ut 509v sacri decernunt canones, c. [9] *Episcopus synodum*, c. [10] *Placuit*. XVIII Dist. [12]. Patrum [i] fuisset iudicium, an legitima fuissent impedimenta, ⟨nec in suspitionem incidissent neglectae concilii auctoritatis⟩ [k]. Incerti erant patres de Caesaris voluntate, iure suspicari poterant, non sibi cordi esse concilii celebrationem, quod oratores sui vix sese ostendebant et abibant, ⟨et cum aderant⟩ [l], nec singulis sessionibus intererant [m] [13], et aliis multis [n] ex causis. Quid igitur ⟨mirum fuisset⟩ [o], si data etiam levi abeundi occasione, concilii est decreta translatio?

Arreptam autem, quae se primum obtulit, abeundi occasionem desinent patribus obiicere, si meminerint non modo oblatam occasionem, sed causam et fere necessitatem dissolvendi aut transferendi concilii, ⟨cum scilicet Caesaris hostes magnis copiis universam Augustensis episcopi ditionem occupassent. Clusae arcem per deditionem receptam, quae Aenipontis et Tridenti propugnaculum fuerat, eo consilio, ut pontificis copiis, quae Caesari in auxilium mittebantur, sese opponerent et delerent [14]. Quodsi ausi fuissent, debellatum fuisset. Quod si, dum subsistunt, dum dubii consilium capiunt, patres concilii discessissent, animos dedissent hostibus progrediendi, ut cum animus est in dubio, paulo huc atque illuc momento

[a] *P om.* [b] *P* licuisset patribus pro arbitrio aut alia de causa, sed praecipue cessante causa qua indictum fuerat Tridenti concilium, se alio transferre vulgata illa regula: cessante causa cessare debet effectus. [c] *P om.* [d] *Vat. virgolam falso post* pontifice *ponit* [e] *P* XIV; *in Vat. corr. a Massarello ex* XIV [f] *P add.* propiores vero Italiae [g] *P* procuratores aut tres [h] *P* omnes [i] *P* primum [k] *P* ne neglecta videretur concilii auctoritas. [l] *P om.* [m] *P add.* quia nullus ex principibus (ut mos est) datus fuerat concilii custos [n] *P om.* [o] *P* mirabatur

[1] *Friedberg* I 1007. Cfr. ad haec Cataldini de Boncompagnis tractatulum de translatione s. concilii Basiliensis *Roccaberti* VI 1-31.

[2] *Friedberg* I 35.

[3] *Friedberg* II 988.

[4] *Friedberg* II 185.

[5] *Friedberg* I 146.

[6] *Friedberg* I 147 sq. Opus imperfectum in Matth. ex quo Gratianus verba sumpsit (*Migne* 56, 876) non est Chrysostomi.

[7] *Friedberg* II 437.

[8] *Friedberg* I 374.

[9] *Friedberg* I 430.

[10] Cfr. *Conc. Trid.* IV 285 (ingressus legatorum Tridenti 22. Nov. 1542). 352 (suspensio concilii 5. Iulii 1543); *Conc. Trid.* I 156 (ingressus legatorum Tridenti 6. Martii 1545).

[11] Procurator archiepiscopi Maguntini, Michael Helding, episcopus Sidoniensis, Tridentum 18. Maii 1545 venit *Conc. Trid.* I 189, 29 sqq., et inde 8. Ian. 1546 discessit, *Conc. Trid.* I 369, 12. Procurator archiepiscopi Trevirensis, Ambrosius Pelargus O. Pr., qui 14. Maii 1546 Tridentum advenerat, *Conc. Trid.* I 547, 42 sqq., 27. Augusti 1547 a dominosuo revocatus est. *Conc. Trid.* I 686, 16 sqq. Mandata ad se excusandum miserunt archiepiscopus Coloniensis et Hildeshemensis, Herbipolensis necnon Augustanus episcopi. *Conc. Trid.* V 1045, 36 sqq. 1046, 18 sqq. 1050, 4 sqq.; I 9, 38. 257, 26 sqq. Cfr. *St. Ehses* in: Dritte Vereinsschrift der Goerresgesellschaft 1912, 18-30.

[12] *Friedberg* I 56.

[13] De Francisci de Toledo legatione cfr. *G. Buschbell* in: Hist. Jahrbuch 52 (1932) 356-388; de Mendoza *Conc. Trid.* I indicem s. v. *Mendoza*.

[14] Clusa (Ehrenberger Klause) a foederatis Schmalcaldicis 10. Iulii 1546 expugnata est. *Conc. Trid.* I 559, 35 sqq.; X 557 sq.; *Janssen-Pastor* III [19-20] 701 sq. Iam tum legati translationem concilii moverunt. *Conc. Trid.* X 554. 573 sqq.

impellitur. Agnoverunt periculum patres, ne praedae aut hostibus aut rusticis forent, quorum etiam formidabatur tumultus, substiterunt tamen etiam cum suo et libertatis et vitae periculo, ne quod praeiudicium Caesari afferrent⟩[a]. |

III.

510r Ut vero[b] diluamus quod tertio loco apponebatur: Non negamus quandoque minoris partis sententiam praeferri, ut cum maiorem continet pietatem, ex sententia Augustini ad Casulanum, cum dixit: *Digniora sunt imitatione, quae excellentiora sunt pietate*, et habetur in c. [11] *Sana* IX Di.[1], ⟨cui sententiae⟩[b] concordat illud Isidori ad Massanum episcopum, cum dixit: *Si in conciliorum gestis discors sententia inveniatur, illa magis teneatur, cuius maior et potior fuerit sententia*, et habetur in c. [28] *Domino sancto* L Dist.[2], non autem dixit, quod a maiori parte fuerit decretum ⟨quoniam etiam minori parti⟩[c] adest auctoritas et meritum, dignitas maior et zelus melior, propter quae Gregorius IX irritam fecit electionem Cathalanensis episcopi a maiori parte factam, ut habetur in c. [57] *Ecclesia* [X] de elect. [I 6][3]. Item, quando agitur res communis pluribus ut singulis, cuiusmodi sunt ius ⟨eundi aut agendi⟩[d] per alienum fundum, l. [32] *Fundus* ff. de servit. rust. [VIII 3][4], ius derivandi aquam, l. [8] *In concedendo* ff. de aqua et pluv. arc. [XXXIX 3][5], ius sepulchri, Instit. de rerum divis. *Religiosum*[e] [II 1][6], pupilli arrogatio, l. [5] *Veterem* c. de auct. praest. [V 59][7], in qua non sufficit maioris partis consensus. ⟨Nec etiam sufficit maioris partis consensus⟩[f], cum foret derogandum ordinationi factae in honorem et utilitatem ecclesiae, Innocentius [III] in c. [15] *Accedentibus* [X] de privil. [V 33][8], aut decernendum id, quod foret contra[g] utilitatem, c. 1 [X] de his, quae fiunt a maiori parte capituli [III 11][9]. Non praefertur maioris partis iudicium, cum maior pars scienter indignum eligit, c. [25] *Cum Vintoniensis* [X] de elect. [I 6][10], non, quando per viam compromissi transferenda est in aliquem eligendi potestas, d[icto] c. *Cum Vintoniensis*, non, cum quid fit ex mera voluntate,
510v non autem ex necessitate, c. [6] *Cum omnes* [X] de const. [I 2][11] et aliis | plerisque[h] casibus. Non negamus, inquam, quandoque atque adeo multis casibus praeferendam pauciorum vel etiam unius sententiam, sed dicimus non devolvi collegii auctoritatem a maiori [parte] ad minorem partem, nisi in casibus a iure expressis, ut notant doctores in d[icto] c. *Cum omnes*, nusquam autem cautum fuisse sacri concilii translationem a maiori parte ad minorem devolvi, ⟨ex quo⟩[i] sequi necessario dicimus[b] pauciorum sententiam in ea facienda vel non facienda non[b] praeferri: Quod nec per locum a simili in casibus praedictis deduci potest. Nec enim illa pauciorum sententia maiori praedita est pietate, non ipsi melioris zeli, non maioris auctoritatis aut meriti, quippe quae concilium, quod unicum esse debet, quod uno regitur Spiritu Sancto, dividebat et in diversas partes distrahebat. ⟨Etsi enim⟩[k] pro comperto habeamus illos patres, qui Tridenti remansere, cum singuli vocati ab Ill. D. Francisco Toleto Caesaris oratore, unoquoque aliorum vocationis ignaro, convenissent, palam ⟨contestatos fuisse, non⟩[l] eo se animo illic esse, ut[m] congregationem facerent conciliarem. Ea tamen divisio, ea reprehensio[n] abeuntium fratrum piis mentibus timorem incussit, imminentis schismatis horrorem, ne altare contra altare erigeretur, quae res quanti fuerint scandali, nemo est qui ignoret. Quod ipsis paucioribus, non maiori parti imputandum est. Nullius enim scandali fuisset suspitio ⟨aut metus⟩[b], si minor pars

[a] *P* Cum scilicet Caesaris hostes occupata universa Roman. Augusten. ditione cum arce Clusae, quae quia non longe Tridento distet eius civitatis antemurale dici potest, in maximo fuerunt patres periculo, ne rustici (et quod alias fecere) tumultu et seditione facta, correptis armis urbem obsiderent, aut hostes, si magnam occasionem agnovissent, cum omnibus copiis ultra progressi, Tridentum oppugnarent et, occupato saltu Tridentino, cum nondum Caesar exercitum comparasset, viam praecluderent his copiis, quae a S^mo^ D. N. in illius auxilium mittebantur: perstiterunt patres et periculum sustinuerunt, ne eorum discessu Caesari, cui omnia prospera, omnia felicia cupiebant et cupiunt, obessent, cum saepius in re militari etiam parvae res maximi sunt momenti. Potuissent enim hostes ex patrum recessu, quam fugam appellassent, animum sumere et id animadvertere, quod inscitia omisere. [b] *P om.* [c] *Vat.* ac etiam quando in minori parte [d] *Vat.* eundi et agendi [e] *Vat.* In causa, *in quo § nihil hac de re* [f] *om. Vat.* [g] *add. P* ecclesiae [h] *P* quibusdam [i] *P* propterea [k] *P* Quod etsi [l] *Vat.* testificati fuissent [m] *Vat. hic add.* non [n] *P* distractio

[1] *Friedberg* I 18.
[2] *Friedberg* I 188 sqq. (textus a Campegio exhibitus valde mendosus est).
[3] *Friedberg* II 95.
[4] *Mommsen-Krueger* 149.
[5] *Mommsen-Krueger* 647.
[6] *Krueger* 12.
[7] *Krueger* 231.
[8] *Friedberg* II 861.
[9] *Friedberg* II 506.
[10] *Friedberg* II 69 sq.
[11] *Friedberg* II 8.

secuta fuisset iudicium maioris, non dissidii, non schismatis, quod est omnium detestabilissimum [a]. ⟨Quod si etiam⟩ [b] fuisset scandalum integro concilio | translato [c] (quod tamen 511r ⟨futurum fuisse⟩ [d] negamus), longe id minus fuisset, quam videre illud lacerum et divulsum. Itaque non videmus, quo modo pauciorum sententiae firmiores dici possint, quae infirmius reddidere concilium, ex quo etiam liquet nec antiquiorem nec potiorem habendam pauciorum sententiam. Nec vero res ista erat communis plurium ut singulorum, qualis est fundi aut derivandae aquae servitus, servi manumissio aut ordinatio, pupilli arrogatio, mortui [e] in alienum sepulchrum illatio. Sed etiam, si fuisset communis omnium ut singulorum, potuisset maior pars in praeiudicium minoris decernere, quemadmodum canonicum [f] cum episcopo conferre partem suorum redditiuum pro ecclesiae instauratione ad omnes pertinet ut singulos, valuit tamen decretum maioris partis in singulorum detrimentum, ut rescripsit Innocentius [III] archiepiscopo Rothomagensi, et habetur in c. finali [4] de his quae fiunt a maiori parte capituli [III 11] [1].

Si deinde obiiciatur extare exempla plurimorum conciliorum, in quibus a Romanis pontificibus et subsequentibus conciliis damnata et explosa maioris partis sententia recepta fuit et approbata, quae fuit pauciorum, quemadmodum in Ephesini II, Ariminensis, Constantinopolitani [g] sub Constantino, Leonis III filio, et Carthaginensis conciliorum actis legimus, respondemus, Ephesini II [2] ideo damnatam maioris partis sententiam, ut merito, a Leone I [h], a Calcedonensi concilio, quod vis a Dioscoro et militari manu illata fuerat patribus, ut Eutyc[h]is vesaniae subscriberent, quod contra decreta Niceni concilii decreverant, | quod in eo reclamaverunt apostolicae sedis legati, quod Flavianus denique, Constantinopolitanus episcopus, dederat appellationis libellum; Ariminense [3] vero, quod invito Liberio per Taurum praefectum iussu Constantii imperatoris convocatum fuerat, quod occidentales episcopi astu et fraude orientalium circumventi fuerant et propterea agnoscentes errorem revocaverunt, ⟨quod prius decreverant⟩ [i], quod denique Damasus papa illud damnaverat. Constantiniani [4] vero — sic enim vocatum legimus illud concilium Constantinopolitanum —, quod reclamante Gregorio III congregatum fuerat, quod a schismatico et haeretico imperatore vis patribus illata fuerat, quod ex catholicis episcopis complures convenire recusaverant, praevidentes omnia imperatoris arbitrio decretum iri, et propterea in septima [k] synodo Nicaeae congregata sub Irene imperatrice merito damnata fuit maioris partis ⟨concilii illius⟩ [l] sententia et sacrarum imaginum usus restitutus. Primum autem Carthaginense concilium [5] non universale fuit; at particularia concilia, quae per singulas regiones aut provincias fiunt, teste Augustino lib. ij contra Donatistas [6] universorum [m] conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano ⟨convocatis episcopis⟩ [n], sine ullis ambagibus cedunt. ⟨Nil mirum igitur, si⟩ [o] decretum ⟨maioris partis⟩ [p] concilii generalis derogavit decreto maioris partis provincialis, quod etiam fecere sequentia concilia Carthaginensia [q].

Quod si obiiciatur non solum pauciorum sententiam, sed unius etiam solius quandoque praelatam [r], ut de Osio Cordubensi episcopo legimus in Niceno concilio, et habetur in c. [12] *Nicena* XXXI Di. [7] Cum enim patres vellent statuere, ut episcopi, | presbyteri, diaconi, 512r subdyaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem acceperant, non dormirent, praelata est [s] unius Osii sententia. Sic etiam unius Hieronymi sententia decreto Aquisgranensis concilii derogatum est, non licere raptori cum rapta matrimonium iungere, c. [11] *Placuit* [C.] XXXVI q. 2 [8]; c. [1] *De libellis* XX Di. [9] Respondebimus non unius Osii sententiam aliis praelatam, sed

[a] *P* maximum [b] *P* Et si quod [c] *P* recedente [d] *P om.* [e] *Vat.* morti [f] *P* canonicis [g] *P om et add.* sub Constantino [h] *P add.* quem tubam evangelicam vocarunt [i] *P* quae decreta fuerant [k] *P* VI. [l] *P om.* [m] *P* plenariorum [n] *P om.* [o] *P falso* Nimirum sic [p] *Vat. om.* [q] *P add.* illi primo, cui et interfuit et praefuit D. Cyprianus. [r] *P* prolatam [s] *P* praevaluit

[1] *Friedberg* II 509.

[2] Latrocinii ut dicitur Ephesini a. 449 acta vide apud *Mansi* VI 827 sqq. Apostolicae Sedis legatos reclamasse et Flavianum appellationis libellum dedisse aliis ex fontibus hauriendum est.

[3] De Ariminensi concilio a. 359 celebrato cfr. *Hefele* I 697 sq.

[4] Concilii Constantinopolitani a. 754 sub Stephano III (non Gregorio III) pont. max. et Constantino V. Kopronymo celebrati acta vide *Mansi* XIII 207-356 (inter acta conc. VII oecumenici).

[5] Hoc est synodus Carthagine sub Agrippino circa a. 220 celebrata. *I. B. Bord,* L'autorité de saint Cyprien dans la controverse Baptismale jugée d'après saint Augustin. Revue d'histoire eccl. 18 (1922) 452.

[6] *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas II, 9, 14, *Migne* 43, 135.

[7] *Friedberg* I 114. Ubi recte, *Paphnutium* illum fuisse, qui in concilio Nicaeno sacerdotum coniugium defendit.

[8] *Friedberg* I 1292. Locus Hieronymo attributus c. 8 *Tria legitima* D. XXXVI q. 2.

[9] *Friedberg* I 65 sq.

ipsum tantae fuisse auctoritatis, ut alios in suam sententiam traheret. Decretum vero Aquisgranensis concilii posthabitum unius Hieronymi sententiae, quod Hieronymus iure divino ⟨iuvabatur, quo casu pauciorum sententia est praeferenda. Iuvatur autem Hieronymi sententia iure divino, quoniam divino iure consensus matrimonium facit, quod⟩[a], si rapta de non consentiente facta est consentiens, copulatum est coniugium, quod iure humano dirimi[b] non potest. Sed quid laboramus, quasi ita argumentari et concludere liceat: « Aliquo casu praelata est pauciorum[c] sententia, ergo praeferenda in translatione concilii ». Infirma est ab exemplis ratiocinatio, quod ex particularibus inferatur.

Illud tamen non praetereundum, quod etsi quandoque[d] pauciorum sententia praeferatur, non tamen id fit, cum longe maior est numerus ex altera parte. Eo enim casu tantum praesumunt iura pro maiori parte, ut[e] non admittant probationem in contrarium, et eam vocant praesumptionem iuris prout de iure, ut statuit Gregorius X[f] c. [9] *Si quando* [X] de elect. li. VI. [I 6]. Atqui casu nostro, si ⟨ex actis recte⟩[g] colligantur suffragia, et his, qui sine ulla conditione translationem decernebant, adiunguntur hi, qui sub conditione, si
512ᵛ de voluntate S^mi D. N. | certi forent, assentiebant, quod[h] mox S^tis Suae diplomate plane constitit, eius auctoritate transferri, sane perspicuum[i] erit, etiam longe maiorem partem quam sint duae ex tribus partibus in eam sententiam abiisse, ut transferretur, his autem demptis, a longe maiori parte omnium suffragiorum et fere a duabus partibus[k] [2].

IV.

Quod vero ex translatione dicitur imminere scandala, rixas, contentiones et, quotquot enumerantur mala, id non satis nobis constat ⟨neque adeo verisimile videtur⟩[l] [1]. Nec enim ea a Caesarea M^te formidanda sunt. ⟨Ea illius est in Deum pietas, ea naturae probitas, ea in rebus omnibus moderatio et prudentia, quae partes suae sint, quod officium praeclare S. M^tas intelligit, nempe⟩[m] ecclesiam tutari et defendere, tumultus sedare, seditiones compescere et alia mala et pericula propulsare, ⟨quae monent c. [2] *Nos ad fidem* XCVI Di.[3]; c. [22] *Nolite* [C.] XI q. 3[4]; c. [20] *Principes* [C.] XXIII q. 5[5]; c. [42] *Si ecclesia* [C.] XXIII q. 4[6]. Perspectum etiam habemus pro pluribus et ingentibus divinae erga se beneficentiae muneribus, quam gratum is sese erga Deum praestare cupiat, pro animi magnitudine, quo studio, qua cupiditate flagret non conservandae solum, sed augendae gloriae suae, pro loco et gradu quidem, quem in ecclesia obtinet, quantopere Dei ecclesiam, cuius est primogenitus eiusque rectorem et eundem Christi in terris vicarium veneretur atque suspiciat⟩[n]. Ne haec quidem metuimus a verae fidei et religionis nostrae hostibus, quorum
513ʳ vires omnipotentis primum[o] Dei ope, deinde[o] summi pontificis auxilio et Caesaris | Caroli V invicta virtute et fortuna adeo fractae[p] et debilitatae sunt, ut de ipsorum salute potius quam nobis inferenda iniuria eis cogitandum esse videatur. In Italia vero quid est, quod timeamus aut rusticorum tumultus aut popularium seditiones aut nobilium conspirationes, cum pauci[q] sint ea labe infecti ⟨iique magis⟩[r] in dies resipiscant, et in potestate principum sint, ⟨ut si qui tumultus timendi sint, ii facilius compesci quam oriri possint⟩[s]. Quod si qui principes (quod non credimus) ecclesiam Dei eiusque in terris vicarium armis aut aliis quibusvis modis offendere[t] tentaverint, non deerunt potentissimi reges et principes, non liberi populi et civitates, qui velut ad commune extinguendum incendium ⟨concurrent, et opem atque auxilium ferent⟩[u].

[a] *P* iuvaretur, cui nec plurium sententia derogare poterat. Cum enim consensus coniugium faciat [b] *Vat. falso* dirigi [c] *P* paucorum [d] *Vat. om.* [e] *P* quando [f] *Vat.* IX., *P add.* in Lugdunensi concilio [g] *P* exacte [h] *P* quodcumque [i] *P* indubium [k] *P add.* ex tribus [l] *P* nec pro verisimili habetur [m] *P* qui eius in Deum pietatem, in homines caritatem, eam probitatem, eum animi candorem, eam in rebus omnibus prudentiam et omnium consiliorum suorum maturitatem agnoscamus, ut minime formidanda sint, quod scimus officii Maiestatis Suae esse [n] *P om.* quae monent — suscipiat *et add.* non inferre; quem novimus Deum timentem, gloriae cupidum honoris zelo ardentem, matrem suam ecclesiam, cuius est primogenitus et eius in terris vicarium venerari et suspicere. [o] *P om.* [p] *P* attritae [q] *P* paucissimi [r] *P* et si qui sunt, [s] *P* quod facilius compesci quam oriri possunt. [t] *P add.* et iniuria afficere [u] *P* opem ferent et tutabuntur

[1] *Friedberg* II 951.
[2] Ex 56 patribus, qui sessioni 11. Martii 1547 habitae interfuerunt, 38 translationis decretum probaverunt, 14 reiecerunt, 4 (sc. Senogalliensis, Portuensis, Agathensis, Aquinas) dubii fuerunt, quos assentientibus annumerare nequaquam licet. Cfr. *Conc. Trid.* V 1032 sqq., praesertim, quae *Ehses* ibid 1035 adn. 3 et 4 adducit.
[3] *Friedberg* I 338.
[4] *Friedberg* I 649.
[5] *Friedberg* I 936.
[6] *Friedberg* I 922.

V.

⟨Quod vero⟩[a] dicitur, si translationem fieri oportebat, fuisse sacrorum conciliorum decreta servanda, ut non discederetur a terminis eius regionis, et ea [de] re deligendum fuisse locum in Germania, facile id diluitur, si diligentius perspiciantur verba Constantiensis decreti innovati a Basiliensi. Nec enim alia obstant[b] de mutatione loci conciliorum decreta. Nam providet decretum illud eo casu, quo in fine unius[c] concilii designatus est locus subsequentis, quod si ante exitum decennii, nondum coepto concilio, causa obsidionis, bellorum[d], pestilentiae et similis necessitatis eveniat mutandi loci necessitas, liceat summo pontifici de fratrum suorum aut duarum | partium ipsorum consensu et subscriptione alium 513v
locum propiorem et aptum sub eadem natione deputare. Non autem loquitur, quando coeptum est concilium. Quod colligitur ex subsequentibus decreti verbis, cum dicitur: *Quam tamen loci mutationem vel termini abbreviationem per annum ante praefixum terminum teneatur summus pontifex publicare et intimare.* Nec enim verba illa conveniunt iam coepto concilio[1], nec etiam deceret propter loci mutationem tantam[e] fieri intermissionem, ⟨quin etiam⟩[f] decretum illud concilium iam coeptum nequaquam alligat, cum pari fungatur auctoritate, nec par in parem habeat iurisdictionem possitque concilium ⟨assentiente Romano pontifice aut pro eo praesidentibus⟩[g] locum deligere. Nec vero Basilienses decretum illud observarunt, cum delegerunt civitatem Avinionensem, ad quam se transtulissent, si Graeci ad eam accedere voluissent. Sed nec Bononia alterius est nationis a Tridento, cum utraque civitas intra Italiae fines describatur ⟨et in Venetorum regione a Plinio[2] et aliis ponatur⟩[h].

⟨At enim⟩[i] id nunc maxime fieri oportebat, quod Germani polliceantur se libere et absque ulla conditione aut praetextu Tridentinam synodum suscepturos. Nihil hoc translationi obstat. Neque enim, cum facta illa est, se submiserant aut spes erat ulla protestantes synodum suscepturos. Quin etiam incerti eramus de catholicis, cum ad concilium non venissent, sed et nunc incerti sumus, quam synodum ipsi protestantes se recepturos esse profiteantur. | Tergiversari enim poterunt (ut sunt flexiloqui) se quidem promisisse[k] synodi iudicium 514r
subituros, sed non eius synodi, quae sit episcoporum, quod[l] videlicet Romano pontifici iuramento sint obnoxii, neque eius, quae ab eo indicta sit, cum nimis temere[m] et impudenter ausi sint summum pontificem partem appellare et se ex adverso partem constituere, somniantes nescimus quam christianam et liberam synodum ex omnium[n] gentium et ordinum colluvione, ad quam clerici, layci, nobiles, ignobiles, populares, plebei et, quicunque[o] voluerint, admittantur, ut facile dissensione, seditione ac tumultu omnia perturbentur opusque sit re infecta discedere, ipsis interim in suo errore confirmatis, quod a concilio sublati non sint neque damnati. Propterea explicandum foret, quam synodum se recepturos profiteantur, cum praesertim editis libellis Tridentinam synodum detestentur, omnia[p] in ea decreta atque sancita carpentes et improbantes ac etiam Tridentinam civitatem ut eis suspectam et minus tutam recusantes.

Deceret etiam, vel[q] potius oporteret patribus, qui ad concilium conventuri sunt, eas securitates praestari, quae dari consuevere, cum alia celebrata concilia fuerunt[r], nec solum Tridentini principis, sed etiam Romani regis, sub cuius est Tridentina civitas protectione, et aliorum principum, per quorum ditiones esset iter faciendum, ut scilicet accedere, morari, recedere, concilium transferre, quandocunque maiori parti libuerit, libere possint et valeant, quod maxime fieri | hoc tempore oporteret, propterea quod patres pro comperto habebant, cum 514v
de transferendo concilio facta est deliberatio, non defuisse, qui requirerent R^{mum} Tridentinum, ut patres Tridenti vi retineret, nec eos discedere permitteret, quod id Caesari foret gratissimum, et nisi constantia inconcussaque fides illius non satis unquam laudati principis ⟨Christophori Madrutii cardinalis et principis Tridentini⟩[s] nobis praesidio fuisset, omnes ut belluae in cavea in civitate Tridentina inclusi fuissemus. Quod nos etiam nunc deterret, ne ad civitatem Tridentinam revertamur, etiamsi a R^{mis} praesidentibus facta fuisset oblatio, si refrixisset morbi vis, Tridentum [se] redituros, quae tamen non pure, sed sub conditione facta est, si S^{mo} D. N., Chr^{mo} regi et aliis principibus placuisset reditus, ea quoque tacita

[a] *P* Cum deinde [b] *P* extant [c] *Vat.* unionis [d] *P* guerrarum [e] *Vat.* tantum [f] *P* Quin nec; *om. postea* nequaquam [g] *P* sua auctoritate [h] *P om.* [i] *P* Cum vero subiicitur quod [k] *P* obtulisse [l] *P* qui; *om.* videlicet [m] *P* timerent [n] *P* omni [o] *P* quoscumque [p] *P* singula quaeque [q] *P* vel [r] *P* sunt [s] *P om.*

[1] Vide infra n. 10.

[2] *Plinius*, Hist. nat. III 19, 130, *Mayhoff* I 285.

conditione, si omnes Bononiam convenirent, nec fieret patrum concilii divisio. Qui si venissent, nec factae fuissent contra nos acres et acerbae [a] protestationes, quae nobis augent suspitiones et metum, nescimus quonam modo postulante Caesare, expetentibus Germanis, id negare potuissemus, aut qui S^{mus} D. N. et alii principes assensum negare potuissent. Sed his etiam condonatis, praecipue ⟨deceret et⟩ [b] oporteret patres, qui Tridenti remansere, Bononiam accedere, ut grande [c] illud scandalum, quod ex patrum divisione universo orbi datum est, tolle-
515r retur. Quod si dixerint, scandalum dedisse eos, qui levi ex causa (ut dictitant [d]) | recessere, ad eos pertinere reditu suo Tridentum scandalum tollere, facile diluitur obiectum ex his, quae diximus, omnem iuris [e] praesumptionem fore ⟨longe maiorem partem⟩ [f] omni culpa carere. Quod exemplo comprobatur. Dicant, quaeso, hi patres, qui Tridenti permansere, si dux exercitus sublato vexillo constituerit castra mutare ⟨detrectentque aliqui⟩ [g] ducem sequi, et in castris manere velint, eaque de causa dux cum hostibus confligere aut urbem, quam expugnare proposuerat, aggredi [h] destiterit: quorum culpa retardata censebitur expeditio? Nempe [i] eorum, qui contra omnem militarem disciplinam detrectaverunt [k] ducem sequi. Nos praesides nostros, nos crucis vexillum secuti sumus; ipsi in castris mansere, ipsi vexilli ⟨quanquam inviti hoc gravi verbo utimur⟩ [l] desertores fuere, quo est omnis concilii actio retardata.

Delectam vero Bononiam esse, in medio Italiae positam, subditam imperio ecclesiae Romanae, ⟨quam adituri Germani non sint⟩ [m] desinent reprehendere, si meminerint, quot praeclara concilia Romae celebrata sint, in quibus haereses longe distantium provinciarum confutatae fuere et prolapsi mores novis legibus restituti, quae non solum est ditionis ecclesiae, sed caput et sedes Romani pontificis. Quid [n] Graecos Gregorio X Rom. pont., nonne
515v Lugdunum, et Eugenio IV Ferrariam, deinde Florentiam ad concilium legimus | accessisse, nec contendisse tam instanter in Graecia fieri concilium? Et quando declinasse aut recusasse Graecos, Gallos, Germanos, Hispanos, Britannos et alios urbem Romam accepimus, quod [o] longe ab eis distaret? Nam [p] etsi decere videatur ac etiam fieri consuevit, ut medicus ad aegrotum, non aegrotus ad medicum accedat, saepius tamen in chronicis morbis et propter magnam medici auctoritatem et praestantiam ⟨nonne decet⟩ [q] aegrum ad medicum se conferre, idque saepissime fieri vidimus, praesertim cum adsint iustissimae causae, quibus medicus prohibetur ad aegrotum accedere. Quin potius deceret ibi haberi concilium, ubi residet verus medicus animarum nostrarum, Romanus scilicet pontifex, Christi in terris vicarius. Quod plurimum expediret, ne res tanti momenti eo absente tractarentur, cuius praesentia et auctoritas plurima [r] commoda afferret et eius absentia incommoda et pericula. Ex his plane sublata censeri possunt, quaecunque translationi obiiciebantur.

Sed quia nulla adeo clara res est atque perspicua, quae si in controversiam adducatur, dubia non reddatur, demus rem dubiam esse: iudicem habemus S^{um} D. N., et R^{mos} cardinales nobis auditores datos, quos iudices agnoscere debemus, iuxta illud *Deut.* [17, 8 sq.]: *Si videris in portis tuis iudicum verba variare inter causam et causam, sanguinem et sanguinem, vade ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem in illo tempore, qui iudicabit iustitiae veritatem* [1], et iuxta illud Moysi, qui figuram tenuit summi pontificis (ut ait Bernardus ad Eugenium) [2], cui mandatum fuerat, ut constitueret iudices in populo [3], et si quid mali ortum foret, deberent iudices referre ad eum, quem etiam Caesar
516r iudicem agnoscit, qui R^{mos} praesidentes | et patres, qui Bononiam concessere, S^{ti} Suae reos detulit illegitimae translationis.

Miramur etiam et dolemus reverendos illos ⟨fratres et coepiscopos nostros⟩ [s], qui Tridenti perstitere, ⟨quod cum⟩ [t] in literis ad S^{mum} D. N. datis [4] illum iudicem agnoscant, iudicium tamen subterfugiunt [u] eo praetextu, quod nolint se litibus implicare. Nam ⟨quod aiunt⟩ [v], si causa propria sit, paratos se esse potius iniuriam pati, quam iudicium subire; si autem

[a] *P* contumeliis plenae [b] *P* *om.* [c] *P* horribile [d] *P* praetendunt [e] *P* iure [f] *P* apud longe maiorem partem, maiorem [g] *P* detrectansque aliquis [h] *P* debilitatis viribus oppugnare [i] *P* Certe [k] *Vat.* detractaverunt [l] *P* *om.* [m] *P* quo nemini dubium sit non adituros Germanos [n] *P* Et; *postea pro* Et quando: non [o] *P* *add.* ditionis sit ecclesiae aut quod [p] *P* Quod [q] *P* non dedecet *sine interrogatione; Vat.* non deceret [r] *P* plura [s] *P* patres [t] *P* qui etsi [u] *P* diffugiant [v] *P* *om.*

[1] Verba non concordant cum ed. vulgata necnon nonnulla omittuntur.

[2] *S. Bernardus,* De consideratione ad Eugenium III l. II c. 8, *Migne* 182, 751.

[3] Cfr. *Deut.* 16, 18.

[4] Die 23. Martii 1548, cfr. *Le Plat* IV 8 sqq ex *Raynaldo* a. 1548 n. 39.

iniuria Deo facta sit, ad eius vicarium defensionem pertinere. ⟨Eorum quidem hanc, quam praeseferunt modestiam, non possumus non laudare, sed tamen miramur, cur qui tam moderato animo esse videntur, controversiam hanc sedari recusaverint, quo schismatis periculum, rei omnium periculosissimae, ex ecclesia tolleretur et constituta concordia, vel Tridentum omnes ad peragendum ibi concilium rediremus, vel alium locum communi consensu eligeremus. Paratus est S^mus^ D. N. ipsos benigne audire et causam hanc aut iure aut amicabili concordia terminare. Eos, ut aliquos ex suis huius rei causa huc mitterent, invitaverat ad concordiam ineundam. Vocati certe pastoris vocem audientes, pastoris dicto obedientes [a] esse debuerunt; hoc ipsis dignum erat, hoc ea, qua hanc sanctam sedem semper antea prosecuti sunt, devotio et reverentia postulabat; hoc eorum maiores viri in primis pii et religiosi omni tempore fecerunt, ut pontificibus Romanis summa pietate obedirent, quorum illos similes tamen esse et pro sua religione, prudentia ac gravitate his, quae impendent periculis, deposita omni nobiscum contentione, obviam ituros esse non diffidimus. Vident enim profecto atque intelligunt, quis sit hoc tempore reipublicae christianae status, quantopere ecclesia dissidiis convulsa, haeresibus perturbata, abusibus contaminata atque polluta sit, quam omnes eius partes aegre, quam omnia eius membra male affecta sint. Ad haec sedanda mala, ad conciliandam concordiam, ad restituendam 516v religionem, ad corrigendos mores nobiscum una eos niti atque incumbere pro communi officio depositis altercationibus oportet. Nos et illos de munere nostro cogitare dies noctesque convenit et horribile illud atque tremendum Dei iudicium pertimescere, si nostra culpa atque pertinacia his ecclesiae malis non modo nullam opem atque auxilium attulerimus, sed ipsa etiam longe graviora fecerimus.

Iamdiu omnium bonorum votis et precibus oecumenicum concilium, quod tot et tantorum malorum remedium unicum esse sperabatur, expetitum est. Id quando tandem indictum et Deo iuvante inchoatum est, caveamus, nostris ne dissensionibus spes illa, quae concepta est, fore, ut christiana respublica in commodiorem statum redigatur, evanescat. Id quod si (Deus omnipotens omen advertat) accideret, quae ratio sublevandae ecclesiae, quod remedium tot tantorumque malorum, quod auxilium amplius, ne christiana respublica corrueret, superesset? Haec enim ita aperta omnibus et perspicua sunt, ut plane et oculis cerni et manibus palpari videantur. Omittamus, per Deum immortalem obsecro, pernitiosas has disputationes et ad ea potius, quae nostri muneris sunt, agenda et perficienda omnes curas nostras, omne consilium, omnem animum, omnes cogitationes referamus, si et summam in hac vita infamiam et iustam omnium principum ac populorum vituperationem evitare, et in illa altera iudicium Dei horrendum effugere volumus. Quod, ut nos agere concedat atque adiuvet, Deum supplices omni animo et studio precamur et obsecramus⟩ [b].

[a] *Vat. certe falso* pastoris dicto audientes

[b] *P* Miramur, inquam, et dolemus, quod, cum litigare servos Dei non deceat, vocati non accedant ad eum, cuius est litem tollere, ut a litibus explicentur, quibus seipsos implicuere: nec enim lis ista, discordia, contentio inter patres concilii tolli, non ipsi sine lite esse possunt, nisi ab eo, ad quem spectat iudicium, sopiatur; quandiu ab eo non decernatur, translationem validam aut invalidam, lis erit inter nos et contentio. Miramur etiam, quod si ea propria est, malint iniuriam pati quam iudicium subire. Propria enim est, quod ipsi magno scandalo causam dedere. Sed etiam est ecclesie, quam facto suo laceram et divulsam fecere, et Dei, quem offenderunt. Nec propterea ex iudicio eximuntur, quod ad eius vicarium, si Dei est, pertineat: cum ad Dei vicarium pertineat, ut iudicem ad eos, qui magni criminis rei sunt, scismatis scilicet et divisionis ecclesie, quo nullum maius, nullum horribilius est. Iniuriam autem ferre velle est, honorem suum negligere; silere, non iudicio sistere, est crimen fateri, est contumacem esse, contra quos (vulgato adagio) omnia iura clamant. Preterea, si causa Dei est, cur ipsi, qui cum summo pontifice vocati sunt in partem sollicitudinis, causam deserunt, cum potius cum eo defensionem suscipere debeant. Si hanc in Sanctitatem Suam reiiciunt, cur non et alias, quae Dei sunt, cur non sese ab episcopali munere abdicant? Quum Dei sit, animarum curam gerere, populos virga et baculo regere et gubernare, cur sacerdotiorum collationes, reorum iudicia et alia similia ad Sanctitatem Suam non reiiciunt? Cur tantum lamentantur, quod et his Sanctitas Sua manus apponat, si Dei causae ad eum reiiciendae sunt?

At si nolunt se litibus implicare, si taciti volunt iudicium expectare, cum adeo a Sancta Sede vocati sint, ut scilicet lis ista aut concordia aut iure per celerem sententiam terminetur, cur si nolunt vocati accedere, ne litibus sese implicent, cur non accedunt, ut amicabili concordia servata christiana charitate monstrum hoc dissensionis et scismatis in ecclesia prorsus tollatur, ut constituta pace vel omnes concordi animo et mutua charitate Tridentum redeamus vel de alio loco concordiam sumamus. Huc dirigit *virga directionis, virga regni sui* errantem gregem Paulus III pontifex maximus et optimus. Cur vocati ad concordiam, ad pacem, ad pascua synodalia vocem eius non agnoscunt? Cur pascua, non pastor, sed ipsi sibi diligunt? Cur dissimiles esse volunt maioribus suis, qui semper obedientes fuere apostolicae sedi, semper Romanum pontificem Beati Petri successorem coluerunt et venerati sunt. Non est eum colere, non venerari, ad eum non accedere, praesertim ad pacem, ad concordiam et dandam et recipiendam vocati.

9-a.

[De Romanorum pontificum auctoritate in conciliis] [1].

[Compositus post n. 9].

Romae Arch. Vat. *Pio 110* f. 202v–206r, cop. saec. XVII.

Concilia sine Romani pontificis auctoritate nec convocanda nec prosequenda esse nec sub laicorum potestate exsistere demonstratur

Pio 110 f. 202v Quod autem ad Caesaream Maiestatem attinet eadem necessitas, idem imminens periculum excusat, si consultatum non fuit. Et quia pro pari excessu arbitrantur, non consuluisse Caesarem et non consuluisse pontificem, quasi necessaria fuisset Caesaris auctoritas in constituendo et dissolvendo concilio, liceat parumper a proposita translationis defensione digredi et deduci, quae sint partes summi pontificis atque imperatoris in initio, in progressu et in dissolutione conciliorum.

In primis probabimus [a] generalis concilii convocationem ad Romanum pontificem spectare nec illum, nisi in certis casibus, a quibus in praesentiarum longe absumus, sine eius auctoritate fore legitimum concilium, quoniam sicut in veteri lege, quae umbra fuit et figura
203r novi testamenti, | summo sacerdoti singulare summi pontificis privilegium tribuebatur, ut sine ipso non foret in regione conventus, ut habetur *primo Machab.* c. 14, [44], et sicut [b] ad eum, qui maioris est dignitatis et auctoritatis in particulari ecclesia, pertinet capituli convocatio [2], et ad eum qui maioris est auctoritatis in provincia metropolitana scilicet, pertinet provincialis concilii convocatio, sic ad eum qui maioris est auctoritatis in ecclesia, pertinere debet generalis concilii vocatio [3], cuius etiam in promptu ratio est, quoniam cum ad concilium vocandi sint patriarchae, episcopi, imperatores, principes, universitates et nationes quaecumque christianae et nemo in eos omnes, in his maxime, quae ad fidem et religionem spectant, praeter Romanum pontificem iurisdictionem habeat, consequens etiam, si vocati parere debent, ad solum Romanum pontificem pertinere [4]. Praeterea, ut habetur in *Tripartita Historia* lib. 4, cap. 9. [5], Maximus Hierosolimitanus episcopus, Macarii successor, noluit synodo Antiochenae interesse nec aliquem ad eam destinare, quod regula ecclesiastica haberet, non oportere praeter sententiam Romani pontificis celebrari. De qua meminit Iulius orientalibus episcopis scribens, cum dixit [6]: *Regula vestra nullas habet vires nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium* [c] *invenitur actum nec Romanae ecclesiae legatio ⟨interfuit, canonibus⟩* [d]
203v *praecipientibus sine eius* [e] *auctoritate concilia* [f] *fieri non debere.* Quin etiam idem Iulius | in eadem epistola affirmat idem fuisse decretum Niceni concilii ab apostolis usque derivatum, et subiicit [7]: *Dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum praefatis antiquis decretum fuerat statutis, quae hactenus sancta et universalis tenet ecclesia, non oportere* [g] *praeter sententiam Romani pontificis concilium celebrari nec episcopum damnari.*

Quod testatur Alexandrina synodus, cui interfuit Athanasius, in ea epistola, quam scripsit ad Iovianum [h], his verbis [8]: *Scimus in Nicena magna synodo cccxviij episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum.* Nec huic synodo ademit fidem, quod Affricana synodus [sub] Bonifatio I pont. habita non admiserit, eum fuisse [i] canonem Niceni concilii, quod inter XX canones ex Constantinopoli ad eam missis non habeatur [9], quoniam et alii plures canones Nicenae synodo [k] a sanctis patribus tribuuntur, qui illis XX non annumerantur [l].

[a] *Cod. difficilis lectu.* [b] *Cod.* fuit [c] *Cod. add.* de Antiocheno; *forsitan legendum* sc. Antiochenum [d] *Cod.* interfecit canonicis [e] *Cod.* etiam [f] *Cod.* canonica [g] *Cod.* oporteret [h] *Cod.* filium ii [i] *Cod.* fuissem [k] *Cod.* Niceni synodi [l] *Cod.* annumeratur

[1] In codice hic tractatus inscriptus *Impugnatio translationis et alia* incipit fol. 201r: *Inprimis impugnatur translatio* iisdemque verbis prosequitur quibus n. 9 in recensione codicis Cerviniani, quam *Le Plat* exhibet, usque ad verba *existimet praesidere* (supra p. 32). Quae omnia omittentes exhibemus ea tantum, quae sequuntur, in fine quidem mutilata. Notas marginales sicut textus ipse mendis scaturientes vixque legibiles praetermisimus, lectorem ad commentarios nostros reiicientes.

[2] C. 9 X de maior. et obed. I 33, *Friedberg* II 200.

[3] C. 1 *Sinodum episcoporum* D. XVII, *Friedberg* I 50.

[4] C. 6 *Concilia sacerdotum* D. XVII, *Friedberg* I 52. Tota D. XV de conciliis generalibus agitur.

[5] *Migne* 69, 960 sq.

[6] C. 2 *Regula vestra* D. XVII, *Friedberg* I 51.

[7] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 459, et habetur c. 9 *Dudum* C. III q. 6, *Friedberg* I 521.

[8] Quae verba apud *Mansi* III 366 sq. desiderantur. Ante verba *Quod testatur* aliquod de concilio Nicaeno deesse videtur.

[9] Acta concilii Carthaginiensis a. 418, in quo episcopi Africani can. 5 Sardicensis concilii ut Nicaenum recipere recusaverunt, vide apud *Mansi* IV 401-415, quibus addas epistolam episcopi Constantinopolitani *Mansi* III 835 sqq. Cfr. *E. Caspar*, Geschichte des Papsttums I (Tübingen 1930) 358 sq. 366 sqq.

Comprobant praemissa, quoniam cum Rom. pontifex caput sit ecclesiae Dei in terris[1], sicut non convenit naturale corpus sine capite, sic nec convenit concilium, quod ecclesiae misticum corpus censetur saltem repraesentantium, sui capitis praesidentia carere[a]. His articulatur P e l a g i u s scribens ad episcopos, qui convenerant ad illicitam vocationem | Ioannis 204r Constantin[opolitan]i episcopi[2]: *Cum*, inquit, *multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non deberi absque sententia Rom. pontificis concilia celebrari, quapropter recte non concilium, sed conventiculum aut conciliabulum vestrum cassatur*[b], et ad solum Romanum pontificem regulariter pertinere videlicet synodum convocare asseruit d. T h o m a s 2. 2. q. 1. art. 10, et in quaestionibus[c] disputatis q. 10 art. 13.

Sed nedum concilii generalis convocatio ad Romanum pontificem pertinet et ab eius pendet auctoritate, sed etiam eius p r o s e q u u t i o. Quod ex eo deducitur, quoniam, etsi apud Ephesum Theodosio iuniore imperatore synodus coacta fuerit, etiam Leonis pontificis[3] auctoritate missis Iulio episcopo, Renato[d] presbytero et Hilaro diacono, qui suo nomine praesiderent, cum tamen Dioscurus[e] Alexandrinus episcopus ad approbationem Eutychiani[f] erroris traxisset reclamantibus apostolicis praesidentibus, qui et fugam suscipere coacti sunt, beatissimus Leo cum synodum etiam universalem et apostolica auctoritate coactam a vera fide et ecclesiasticis regulis deviantem eadem auctoritate summovet, et damnatis[g] impiae factionis auctoribus Calcedonensem synodum ad illius correctionem instituit.

Ad p r i n c i p e s autem s a e c u l a r e s minime pertinere[h] generalia concilia convocare aut illis praesidere, sed eorum officium fore conciliorum libertatem tueri et defendere, sua auctoritate rebelles compescere et disposita | per concilia servare ac servari mandare, deducitur 204v ex pluribus. In primis legimus in Ecclesiastica Historia[4], quod, cum piae memoriae Constantino principi scriptae in Nicena synodo oblatae contra episcopos fuissent accusationes, libellos quidem accusationis recepit, et eos, qui accusati fuerant, convocans in eorum conspectu libellos incendit dicens: *Et inter vos disponite, quia dignum non est, ut nos iudicemus Deos.*

Ex eo etiam deducitur, quod scripsit T h e o d o s i u s iunior primae[i] s. synodo Ephesinae, cum dicit[5]: *Deputatus est Candidianus Magnificentissimus*[k] *comes strenuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam synodum vestram et in nullo quidem, quae faciendae sunt de piis dogmatibus, expositiones communicare. Illicitum namque est eum, qui non sit in ordine sanctorum episcoporum, ecclesiasticis intermiscere tractatibus.*

Accedit etiam M a r t i a n u s imperator, qui in Calcedonensi concilio testatus est[6], se ad confirmandam fidem, non vero ad ostendendam potentiam synodum introire, ut abiecta omni pravitate quorundam amputatis erroribus, quae in synodo ordinatae forent, in perpetuum conservarentur. Id apertius attestatus est T h e o d e r i c u s[l] rex, qui, etsi iusserit congregari episcopos, quod saepe fecerunt imperatores, saepius reges in regnis suis, ipsis tamen congregatis aequo animo tulit ab episcopis | Liguriae, Emiliae et Venetiarum dici, oportere Sym- 205r maco, etsi contra eum vocati fuissent, synodum inducere, quin etiam Deo inspirante *respondit synodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda praescribere, ne[c] aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere*[7]; laicis enim in rebus ecclesiasticis *obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi*[8]. Confirmantur predicta ex sermone B a s i l i i imperatoris ad s. octavam synodum, cum dicit[9]: *De vobis autem laicis tam qui in dign[it]atibus quam qui absolute conversamini, quod amplius dicam non habeo, quam quia vobis nullo modo tam de ecclesiasticis causis sermonem movere* [licet], *neque resistere integritati ecclesiae et universali synodo. Haec enim investigare patriarcharum, pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sacrificandi, qui solvendi atque ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento solvi egemus*, et paulo post: *Oportet nos ergo cum timore et fide sincera hos adire et faciem eorum vereri, cum sint ministri Domini omnipotentis et eius formam possideant et nihil amplius quam*

[a] *Cod.* cavere [b] *Cod.* catastatur [c] *Cod.* quantitatibus [d] *Cod* Veneto [e] *Cod.* Diacono [f] *Cod.* Eutiliciani [g] *Cod.* damnantis [h] *In cod.* pertinent [i] *Cod.* primo [k] *Cod. corruptus* [l] *Cod.* Theodosius

[1] C. 2 *Sacrosancta* D. XXII, *Friedberg* I 73 sqq., c. 18 *Loquitur* C. XXIV q. 1, *Friedberg* I 971; c. 15. *Rogamus* C. XXIV q. 1, *Friedberg* I 970.

[2] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 721.

[3] *Leo I*, Ep. 28 c. 6, *Migne* 54, 779.

[4] *Socrates*, Hist. eccl. I 8, *Migne gr.* 67, 63. *Sozomenos*, Hist. eccl. I 17, ibid. 914. Cfr. p. 19 adn. 4.

[5] C. 7 *Satis evidenter* D. XCVI, *Friedberg* I 339.

[6] C. 2 *Nos ad fidem* D. XCVI, *Friedberg* I 338.

[7] Cfr. Acta synodi Romanae in causa Symmachi et Laurentii a. 502, *Mansi* VIII 250.

[8] C. 23 *Non placuit* C. XVI q. 7, *Friedberg* I 807. Cfr. etiam c. 1 *Bene quidem* D. XCVI, *Friedberg* I 335 sqq.

[9] *Migne* 109, 173 sq.

ea, quae ordinis nostri sunt, require[*re*]. Quid Constantinus IV? Nonne subscripsit sextae synodo his verbis: *Legimus et consensimus* [1], non « statuimus, decernimus » nec « mandamus. » Ex quibus colligitur eum [a] his, quibus [b] in dicta synodo usus est verbis, nequaquam praesidentis officium usurpare, quod nonnulli ei impingunt. |

205v Quibus vero obiici potest, principes saeculares et docendos et admittendos [esse] in concilio ex decretali epistola Innocentii IV in concilio Lugdunensi [2], cum pollicens se vocaturum ad concilium reges, praelatos et principes tam ecclesiasticos quam saeculares, utpote solemnes nuncios; Valentinianum Imperatorem interfuisse concilio, cum ageretur de his, quae Sixto papae obiiciebantur [3]; Carolum imperatorem cum Adriano pont. synodum constituisse et Leonem III constituisse Romae synodum cum omni clero et populo [4], nec non Martianum imp. dixisse [5], se velle interesse synodo ad fidem conservandam, ponderando verbum *volumus*, quasi iure suo interesse possit, idque videtur fieri debere, quoniam generale concilium ecclesiam repraesentat [c], et cum ecclesia omnium fidelium sit collectio [6], colligitur fidelis quicumque, sive laicus fuerit sive clericus, ad concilium admittendus [d], ac multo magis imperatores, reges et principes. Nec, inquam [e], si obiiciantur, ut dissolvantur, censemus distinguendum fore: aut in concilio tractanda fore negotia ecclesiastica et ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinentia, et eo casu nequaquam laicos ad concilium vocandos et de his interpretantur iura laicos a dispositione rerum ecclesiasticarum excludentia. Idem censendum, cum agendum foret de fide; non enim et eo casu opus est laicos vocare, qui non directe, nec [f] indirecte ullam de ea habent iurisdictionem [7], sed solam habent exequutionem ad ecclesiae 206r mandatum [8], et qui non publice nec privatum de fide disputare possunt; | si tamen sponte veniant admittendi sunt, et admissos legimus. At si tractandum [g] foret de rebus etiam ad laicos spectantibus, ut si ageretur [h] de gradibus consanguinitatis et affinitatis [i].

10.

Discursus [k] iuridicus super translatione concilii [9].

[Mensibus Iunio vel Augusto 1548].

Romae Arch. Vat. *Borgh. I 789* f. 173r–180v, cop. saec. XVII.

I. Cap. *Frequens* in causa translationis non adhibendum. II. Translatio, et ex causa urgentibus facta valet, ita III. concilii in civitatem Tridentinam reditus nec utilis nec expediens videtur. IV. Bononia non ut [illegible] spernenda. V. Publicatio libri *Interim* auctoritati [illegible] concilii derogat.

I

Borgh. I 789 f. 173r Capitulum *Frequens* etc. insertum in concilio Constantiensi [10] non irritat neque invalidam reddit translationem concilii ex Tridento in Bononiam. Nam communiter doctores et maxime Rmi de Turrecremata et Iacobatius [11], qui per multosannos fuerunt ante hoc

[a] *Cod.* ex [b] *Cod.* quae [c] *Cod.* presentant [d] *Cod.* admittendos [e] *Textum sine dubio corruptum emendare non audeo.* [f] *Cod.* sed [g] *Cod.* Angelum [h] *Cod.* augeretur [i] *Cod. hic praerumpitur* [k] *Cod. add. tractatum praecedentem respiciens* Alius.

[1] Quae verba apud *Mansi* XI 682, ubi de subscriptione actorum VI synodi per Constantinum IV Pogonatum refertur, non leguntur.

[2] *Mansi* XXIII 608 sq.

[3] Liber Pontificalis ed. *Duchesne* I 232.

[4] C. 22 *Adrianus* et C. 23 *In sinodo* D. LXIII, *Friedberg* I 241.

[5] *Mansi* VI 553 sq.

[6] C. 2 *Sicut* (vel potius c. 1 *Canones*) D. XV, *Friedberg* I 35.

[7] C. 18 in Sexto, de haer. V 2, *Friedberg* II 1076 sq.

[8] C. 6 in Sexto, de haer. V 2, *Friedberg* II 1071.

[9] Hunc tractatum post publicationem libri *Interim* 15. Maii 1548 factam, sed ante missionem Bertani, Pighini et Lippomani legatorum, qui in Germaniam religionis causa ituri erant 31. Augusti 1548, compositum esse ex contextu apparet. Vide p. 48, adn. 1.

[10] Sess. XXXIX, celebratae 9. Oct. 1417 (*Mansi* XXVII 1059) partem, quam respicit hic tractatus, subiicere liceat:

« Locum autem pro futuro celebrando concilio deputatum absque evidenti necessitate non mutet. Sed si forte casus aliquis occurreret, quo necessarium videretur, ipsum locum mutari, puta obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis, tunc liceat summo pontifici de praedictorum fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione alium locum prius deputato viciniorem et aptum, sub eadem tamen natione, subrogare, nisi idem vel simile impedimentum per totam istam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum huiusmodi concilium poterit convocari: ad quem praelati et alii, qui ad concilium solent convocari, accedere teneantur, ac si a principio locus ille fuisset deputatus. Quam tamen loci deputationem vel termini abbreviationem per annum ante praefixum terminum teneatur summus pontifex legitime ac solemniter publicare et intimare, ut ad ipsum concilium celebrandum praedicti possint statuto termino convenire ».

[11] *Dominici Iacobatii* de concilio tractatus l. IV art. 1 (p. 187 sqq.).

concilium Tridentinum, capitulum hoc nullius roboris esse, et quod neque receptum neque approbatum fuit, tenent, insuperque a nonnullis petra[a] scandali esse dicitur. Verum dato etiam, quod dictum capitulum *Frequens* valeret receptumque atque approbatum fuisset, non infringeret supradictam translationem, quia par in parem non habet imperium. Nempe concilium Constantiense in concilium Tridentinum cum paris auctoritatis et paris potestatis cum eo sit, et ideo non potuit arctari, quin derogaret dicto statuto. Deinde capitulum *Frequens* non loquitur in nostris terminis, sed in diversis, nam disponit in co|ncilio congregando, 173v nos autem sumus in congregato, ubi corpus illud productum iam in esse multa potest, quae non posset producendum, et mens illius capituli fuit providere, ne papa se intromitteret, non autem, ut manus ligaret concilio, cui neque debet neque potest ligare, cum super congregato papa solus disponat. Super congregato autem adsit concilium, quod disponere potest et curare, quae disponenda curandaque sunt in concilio, et hoc probatur ex actis concilii Basiliensis; nam cum Eugenius papa vellet translationem dicti concilii Basiliensis validam esse, licet ab ipso tantum absque consensu et decreto concilii facta fuisset [1], concilium impugnabat dictam translationem tamquam minus legitime factam, cum a concilio facta non fuisset, et sic, si a concilio facta fuisset, concilium non dissensisset ab Eugenio, ut in casu Tridentino, in quo a concilio, hoc est a maiori parte concilii, quae totum corpus concilii repraesentat, translatio facta fuit. In hoc enim insistebant | patres concilii 174r Basiliensis, quod concilium translationi illi assensum suum non praestitisset; si enim praestitisset, translatio fuisset valida, et ideo Tridentina valida, quia cum assensu patrum facta fuit, et sic cum assensu patrum. Quod possumus dicere, quod omnes assensi fuerint, etiam hi, qui reclamare videbantur; nam qui reclamabant et dissentiebant a translatione, hoc potissimum innitebantur, quod absque licentia S^{mi} fiebat translatio: quare mali esse exempli asserebant, cum ex hoc concilium supra papam esse ostenderetur, quandoquidem a concilio dissolveretur, quod a papa factum fuerat, ubi autem facultatem et licentiam translationis faciendae legatis a S^{mo} D. N. concessam, quando Tridentum profecturi erant ad concilium per biennium et plus ante dictam translationem viderunt, quam per antea dicti legati ostendere noluerant, ut in decreto translationis vota patrum essent liberiora, omnes tacuerunt, excepto R^{mo} Pececo, qui tantum petiit copiam brevis facultatis concessae, et postea subticuit et sic, | licet non expresse, tacite saltem, cum amplius non reclamaverint, audita facultate, 174v assensi sunt translationi [2].

II.

Sed dato, quod capitulum *Frequens* receptum et approbatum fuisset et etiam loqueretur in terminis nostris, adhuc non adversatur translationi Tridentinae. Nam translatio facta fuit ob evidentem necessitatem vel saltem ob talem causam, quae concilio ipsi aut maiori parti concilii ex examinatione plurium testium et depositione medicorum evidenter necessaria visa est, ob morbum nempe contagiosum et pestem vel pesti similem et ob alias etiam causas, ut dicitur in dicto capitulo *Frequens*, ibi *aut similis*. Nam concilium etiam Ferrariense tempore Eugenii quarti translatum fuit Florentiam ob aegritudinem, qua unus tantum decesserat [3], cum Tridenti ex aegritudine illa, quae translationem suasit, plures et plures decesserint, ut apparet in actis decreti dictae translationis, | et sic maior fuit causa in translatione Tridentina 175r quam in Ferrariensi. Verum ultra aegritudinis causam in translatione Tridentina aliae etiam fuerunt causae, ut praedixi, et inter alias causa timoris erat. Nam secretarius quidam Cataneus R^{mi} Tridentini, qui R^{mus} ut dominus et princeps Tridenti concilii locum tutum reddere et protegere debebat, legato sedis apostolicae, praesidenti dicti concilii, Caesaris nomine verba maxime minatoria retulit [4], et archiepiscopo Corcyrensi suppellex a ministris dicti R^{mi} Tridentini, cum de licentia R^{morum} legatorum abire vellet, retenta fuit [5], et licet tunc, cum fieret decretum translationis, expressa tantum fuerit causa aegritudinis, suberant tamen aliae causae

[a] *Cod.* petram

[1] Vide Iuliani card. Cesarini responsum ad Eugenium IV. apud *Raynaldum* an. 1431 n. 22.

[2] Cfr. *Conc. Trid.* V 1035 sq., ubi tamen nihil de petitione cardinalis Giennensis, de qua Severolus *Conc. Trid.* I 144, 46.

[3] Praeter Dionysium, episcopum Sardensem, Graecum, alii quoque episcopi Ferrariae obierant. Cfr. *L. Mohler,* Cardinal Bessarion I (Paderborn 1923) 140 sq.

[4] Cfr. litteras Cervini 5. Aug. 1546 datas *Conc. Trid.* X 592 sq. et relationes Veralli, nuntii apud imperatorem, *Nuntiaturberichte* I. Abt. IX 163 sq. 174.

[5] De quo facto *Conc. Trid.* I 206, 14 sqq. nihil; sed cfr. *Conc. Trid.* X 869, 23 sq.

suadentes, faciendam esse translationem, quae quidem tacite factae fuere in dicto decreto,
ut ibi *et aliis causis*, palam tamen eas facere in dicto loco minime tuto ausi non sunt, sed
175v postea, cum fecerunt in civitate Bononiae, libera et secura patefecerunt. Et ideo mirandum
non est, quod in discessu a Tridento non conquesti sint de timore et de non tuto loco, et
deinde, cum S^{mus} D. eos consuluerit super reditu ad Tridentum pro responso faciendo Rev^{mo}
Tridentino, quando nomine Caesaris pro hoc reditu Romam venit[1], securitate petierint, et
alia quae leguntur in eorum responsione brevi S^{tis} S.[2], quia, ut diximus, ante discessum etiam
suberat causa timoris, sed ob timorem eam non pertulerunt, cum possemus etiam dicere,
licet prius non extitisset ista causa timoris, eam subortam postea esse, cum Caesar ostenderit
ob illum discessum sibi offensam et iniuriam irrogatam esse. Qui enim offendit aut qui
creditur offendisse, suspicatur et timet de offenso, et maxime, cum offensus sit potens et
memor iniuriarum, et praesertim cum casus Placentinus, qui postea contigit, auxerit causam
176r timoris. Et quamquam nulla unquam causa | timoris, nec prius fuisset, nec nunc esset, et
causa etiam, ob quam facta fuit translatio, cessaret, non ob hoc concilium tenetur redire illuc,
unde discessit, si iudicat locum, ad quem facta est translatio, idoneum pro celebrando et
finiendo concilio. Neque enim pro tollenda aliqua haeresi necesse est fieri concilium in
provincia, ubi habuit originem illa haeresis, sed habetur ratio commoditatis, securitatis loci
et multarum aliarum rerum. Nam concilium Nicenum Niceae civitatis Bithiniae longinquae
ab Aegypto celebratum fuit, licet ob haeresim Arrianam congregatum fuerit, quae haeresis
originem habuit ab Arrio presbytero Alexandrino. Et cum illa haeresis infecisset multas
alias provincias, ob quam causam etiam alibi extra Aegyptum debebat celebrari illud concilium, ita etiam possumus dicere de Lutheranismo, qui egressus fines Germaniae serpit per
multa alia loca.

III.

176v Nec est sufficiens causa illuc redeundi, quod | dicat[ur] Germanos se submissuros concilio, si illuc redeat. P r i m o, quia non est facile credendum, cum nemo unquam antea
apparuerit, excepto uno tantum, qui asserens se procuratorem cuiusdam capituli contra
episcopum suum in causa suorum privilegiorum, cum ab eo requireretur, ut suum mandatum
ederet, statim abiit et nunquam visus amplius est[3]. Si enim vellent se subiicere concilio,
iam approbarent decreta facta, et facienda recipere promitterent. Ut autem decreta iam
facta iterum examinentur, disputentur et in dubium revocentur, nisi longum tempus intercessisset, quod ex nova causa id faciendum suaderet, non licet, et e contra leges et statuta
patrum, ut l. *Nemo clericus*, c. De summa trinitate et fide catholica[4], et in synodo Ephesina
in multis locis[5], et in epistolis Leonis primi[6] et in commentariis Basilii Magni in
177r Eunomium[7]. S e c u n d o: Si Angli pariter dicerent | seredituros ad unitatem ecclesiae, si
Londini celebraretur concilium, aut Turcae, si Bisantii, non temere eundum esset, si prius
securitas et alia opportuna non haberentur; pariter enim possent fieri decreta salutaria ad
extirpandam haeresim aliquam extra provinciam, sicut in provincia, ubi viget haeresis.
Nec valet, quod in translatione patres promiserunt cessante aegritudine se Tridentum
reversuros, quia verum non est, sed legantur acta decreti translationis, quae aliter sonant,
et pro actis praesumptio est.

Nec obstat etiam, quod patres concilii Basiliensis non discesserint, licet pestis Basileae
grassaretur, quia potuissent discedere; quod noluerint, ipsorum fuit arbitrium. In Tridento
autem, si decretum translationis non fiebat, patres omnes contempto etiam praecepto legatorum, cum legati se patribus obtulissent Tridenti permansuros simul cum ipsis, etiam cum
magno vitae discrimine, insimul etiam iuberent, ne discederent, nihilominus discessissent, |
177v adeo metu aegritudinis perterriti erant, ita ut consilium necessitatis fuerit decernere translationem et immediate sine ulla termini praefixione. Nec terminus necessarius erat, cum

[1] Die 23. Nov. 1547. Cfr. *Nuntiaturberichte I.* Abt. X 211 adn. 2.

[2] Breve die 16. Dec. 1547 datum legitur apud *Raynaldum* a. 1547 n. 91; responsum synodi die 20. Dec. 1547 datum *ibid.* n. 94 sq.

[3] De duobus canonicis Germanicis, qui ob defectum mandatorum a synodo non audiebantur, legas *Severolum Conc. Trid.* I 137, 8 sq. 30 sq., et *Massarellum, ibid.* 623, 10 sqq.; cfr. *K. Ried*, Deutsche Domkapitel gegen die tridentinische Reform, in Frigisinga III, Freising 1926.

[4] *Krueger* 6.

[5] Ex. gr. sessione III, *Mansi* IV 1293 sq.

[6] Ep. 90 cap. 2, *Migne* 54, 933 sq.; ep. 92 cap. 2, *ibid.* 937 sq.

[7] *Basilii Magni* Adv. Eunomium l. I c. 5, *Migne gr.* 29, 513 sq.

omnes ibi praesentes essent et viderent, quid ageretur. Nam soli legati, adiunctis tantum praelatis Hispanis, Tridenti remansissent, et decreta omnia conciliaria ex voto et ex nutu paucorum illorum Hispanorum transacta fuissent.

Nec obstat parabola de ove perdita [1], quia intelligenda est parabola quoad animi praeparationem, quod scilicet ita simus praeparati, si ita honor Dei exigeret, et tunc etiam nonaginta novem dimittuntur, ut acquiratur illa, quando non est periculum ullum de amittendis nonaginta novem. Sed si iretur Tridentum, ut ovis Germanica inveniretur, sine dubio multae oves perirent, ut Gallicae et aliquae aliae fortasse.

IV.

Cum autem translatio fieri debeat in alium locum sub eadem natione, ut in dicto capitulo *Frequens* ibi etc. *sub eadem tamen natione*, | non videbatur eundum esse Bononiam, quae 178r
et sub alia natione et suspecta Germanis est. Attamen non est sub alia et diversa natione ab ea, sub qua est Tridentum, quando quidem iuxta Ptolomeum et alios cosmographos Tridentum in Italia situm sit [2], ut ipsimet Germani fatentur in litteris missis S. S[ti] super concilio [3]. Verum etiam si sub alia natione sit, cum per totam nationem Germanicam vel idem vel simile impedimentum urgeret, nam fere ubique pestis, caritas victus et bellum grassabatur, et periculum haereticorum imminebat, si ultra Tridentum ibatur, potuit illuc fieri translatio, ut ibi *locum alterius nationis*. In locum autem Venetorum vel alterius principis facta non fuit translatio, quia ignorabatur, an eos recepturi essent; cum ratio dominorum sit suspitiosissima et de peste valde timeatur. De securitate autem civitatis dubitandum non erat. Nam civitas ecclesiae est, a qua ecclesia Germania ipsa et religionem christianam a principio 178v
habuit et libertatem, nempe imperium. Et cum ecclesia mater pia sit omnium, Germani ut filii, non deberent diffidere de matre, et eo maxime, quod principes vicini Bononiae fere omnes pendent a Caesare. Et quod libera sit illa civitas, apparet, cum fiscales eiusdem Caesaris protestati fuerint contra legatos et concilium sine ullo respectu et per modum invectivae absque eo, quod unquam visitaverint legatos, vel aliud signum humanitatis prae se tulerint, nec tamen aliter, quam comiter et benigne tractati fuerint, et episcopus ille, qui magis ioco quam serio in eos quaedam verba minus redolentia iactavit, graviter et acerbe reprehensus fuit [4]. Veritas tamen est, licet Bononia reiicienda non esset neque suspecta habenda, tamen tempore translationis non fuit electa a patribus pro civitate permanente, sed pro diversorio, donec alius securus et idoneus | locus pro prosequendo concilio eligeretur. Dispensatione 179r
vero et providentia divina factum est, ut decretum hoc translationis revocaretur in dubium, ut apud omnes magis clara fieret iustificatio eius. Nam post avocationem causae S[mo] D. [5] nemo ausus est ei opponere, cum non habeant, quid opponant, nec tempore etiam discessus vel post conquesti unquam sunt cum pontifice, immo quando discedebant nonnulli ex Hispanis, adeuntes legatos rogaverunt, ut se excusatos haberent, si ceteris comites se non praebebant; indignationem enim Caesaris se timere dicebant, et sic obedire magis volebant hominibus quam Deo. Non est ergo dubitandum de decreto hoc translationis. Nam cum concilium esset oecumenicum et liberum, potuit et voluit sua authoritate et libertate se transferre, nec pontifex voluit unquam plenitudine suae potestatis impedire concilii libertatem, sed quicquid concilio et in reditu ad Tridentum vel mansione in Bononia vel ele|ctione alterius loci 179v
placuisset, id etiam sibi placebat.

V.

Cum vero Caesar improbet translationem et vellet cogere redire Tridentum, ostendit nolle concilium esse liberum, ut etiam in publicatione *Interim* videtur credere concilium non esse legitimum neque legitime congregatum, cum in eo contineantur et diversa et contraria

[1] *Luc.* 15, 1 sq.
[2] *Ptolomaeus*, Geographia III 1, *Müller* I 1, 339; *Strabo*, Geographica IV 6, 6, *Meineke* I 279.
[3] Litteras statuum ecclesiasticorum Germaniae ad pontificem die 14. Sept. datas legas apud *Raynaldum* a. 1547 n. 84.
[4] Iacomellus, episcopus Bellicastrensis; cfr. *Conc. Trid.* I 733 sqq.
[5] Litteris ad Iohannem de Monte et Pacecum cardinales die 16. et 17. Febr. 1548 datis pontifex causam translationis ad suum tribunal avocavit. *Raynaldus* a. 1548 n. 32-35.

decretis concilii, ut de lapsu hominis, de iustificatione et de auctoritate papae [1]. Si enim decreta concilii de verbo ad verbum in *Interim* inscruisset, subticens tantum nomen concilii et non accepta illa ferens, concilio culpandusadhuc esset. Si enim volebat [a] ponerefalcem in messem alienam, quo nomine nunquam excusabitur, etiam si evangelium ipsum publicasset, debebat prius statuere, quod decreta concilii servarentur, ut hoc colore posset petere, ut con-
180r cilium rediret Tridentum. Sed cum ipsum impugnet hoc sua falsa doctrina, non | video, quo ore petat reditum concilii ad Tridentum; quam enim curam vult habere concilii non legitimi et potius concíliabuli quam concilii? Nec arguendus est pontifex de mora in missione legatorum super hoc *Interim* [2], quia in causa fidei, quae est omnium gravissima, cunctandum erat, nam etiam concilium in decreto iustificationis per novem menses supersedit, quod decretum confessor Caesaris [3] dixit nec sanctius, nec sanius ab angelo potuisse fieri, nec excusandus Caesar, quod dicta vellet recedere, cum post publicationem *Interim* per multos dies non recesserit [4].

[a] *Sic Cod., legendum potius* autem nolebat

[1] Cfr. *Interim* capp. 2. 4. 13 apud *Le Plat* IV 35 sqq. 45 sq.

[2] Post publicationem libri *Interim* (15. Maii factam) orator caesareus, cum die 3. Iunii a pontifice audiretur, impetravit, ut quam primum legati cum amplis facultatibus in Germaniam mitterentur (*Nuntiaturberichte* I. Abt. X 360 sqq.). Cui petitioni Paulus III in bulla *Benedictus Deus* die 31. Aug. 1548 data indulsit, cuius textus *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 453 sqq. continetur.

[3] Petrus de Soto O. Pr. De quo consultes *V. D. Carro*, El maestro Fr. Pedro de Soto O. P. y las controversias politico-teologicas en el siglo XVI. Tom. I (Salamanca 1931), praesertim p. 271-285.

[4] Sequitur in codice f. 180r-181r textus cap. *Frequens* saepius nominati.

II.

Tractatus ad Concilium Bononiense spectantes.

II.

Capita eorum, quae circa reformationem in concilio Tridentino post ultimam sessionem expedienda remanere quidam patres asserebant. [a]

[Mense **Martio 1547**] [1]

Romae Arch. Vat. *Conc.* 79 f. 190^r–191^v, cop. coaeva.

De morum autem reformatione tam multa supersunt agenda, ut nihil videatur hucusque factum. *Conc. 79* f. 190^r

1. Et imprimis de pluralitate beneficiorum tollenda penitus et radicitus extirpanda.

2. De idiotis ab ecclesia Dei expellendis et praecipue ab animarum curis

3. deque beneficiis unius idiomatis non dandis alterius idiomatis.

4. De fructuum reservatione et pensionibus, quae idiotis parafrenariis et aliis hominum fecibus assignantur,

5. deque pensionibus non assignandis et assignatis revocandis mere saecularibus, nescio quo huius vel illius crucis praetextu,

6. deque regressibus et renuntiationibus episcopatuum et beneficiorum radicitus evellendis, et maxime in favorem idiotarum et infamis vitae hominum, quorum in Romana curia et inde ad alias mundi regiones non parva derivat copia in ecclesiae apostolicae detrimentum,

7. deque filiis presbyterorum in parentum beneficia succedentium

8. deque gratiis expectativis doctis et idiotis sine ullo discrimine concessis

9. deque beneficiorum annexionibus in fraudem cultus divini.

10. De religionum et praecipue conventualium reformatione.

11. De confessoribus idoneis in ecclesia assignandis, et non idiotis, qui se et alios in foveam ducunt.

12. De gymnasiorum publicorum reformatione. [b]

13. Item de monachis professis, quibuscum dispensari solet, ut cum habitu clericali beneficia obtineant secularia.

Item corrigendi sunt quaestuarii S[ti] Spiritus, S[ti] Antonii, et | cruciatae S[ti] Petri, qui rusticos et simplices mille modis et superstitionibus decipiunt. 190^v

14. Tollendus item abusus, quo dispensatur cum constituto in sacris, ut uxorem ducat,

15. et abusus, quo etiam dispensatur inter consanguineos et affines saepissime in tertio gradu et nonnunquam in secundo, et haec omnia pro pecunia contra illum Matth. X cap. [v. 8:] *Gratis accepistis, gratis date.*

16. Item cum simoniacis nullo modo dispensari debere, ut emptum beneficium retineant,

17. neque cum clericis, ut de bonis ecclesiae testari possint.

18. De indulgentiis et confessionalibus rarissime et non nisi ex iusta causa dandis. Item de non mutandis ultimis voluntatibus testatorum, idque pro pecunia.

19. Item de sacris munde tractandis

20. et cura pupillorum et viduarum non omittenda a praelatis ecclesiasticisque viris.

21. Item de reformanda cancellaria

22. paenitentiariaque Romanis

23. et Rotae notariis, qui, quae in decem sunt foliis scripta, ipsi in centum transcribunt, et unde quinque sexve iulios capere debuissent, centum accipiunt.

[a] *Inscriptio manu Massarelli* [b] *del.* De sanctarum litterarum lectione in universitatibus; *in marg. manu Massarelli:* de hoc iam provisum fuit in V[a] sessione

[1] F. 191^v vide rubrum manu Massarelli: *Quae expedienda remanere asserebantur in translatione concilii etc. XI Martii 1547. Sub Paulo 3.°*

24. Stipendia Rotae auditoribus assignentur, ne munera accipiant etc.
25. Item de coadiutoribus non dandis nisi doctis et gravibus, idque ex legitima causa.
191r 26. De bullis ecclesiarum et beneficiorum, ut moderentur expensae, quae | longe graves sunt et irrationabiles etc.
27. De annatis esset non nihil tractandum
28. deque spoliis episcoporum et fructibus ecclesiarum sede vacante.
29. De infamibus ad beneficia non admittendis, praecipue de his, qui notam haeresis incurrunt.
30. De non alienandis ecclesiae bonis.
31. De decimis non imponendis clero
32. et novis vectigalibus populo.
33. De monialibus reformandis claustroque servando,
34. et ne invitae moniales fiant et patrimonio cedant etc.
35. Dicendi officium divinum omnibus idem sit mos, quando una est ecclesia.
36. De reliquiis sanctorum, ut ad quaestum non ostendantur.
37. De interdicto et excomunicatione non ferenda nisi ex gravissima causa.
38. De simonia et usuris acriter puniendis
39. deque moderanda praeceptorum in iure multitudine
40. et sigillis pro collatione beneficiorum.
41. De marcha argenti episcoporum
42. et denique pro institutione piorum operum, ne quid exigatur.
43. De christiana doctrina pueris docenda.
44. De iure canonico et statutis patrum servandis.
45. De duellis tollendis.
46. De beneficiis non conferendis apostatis in ecclesiis cathedralibus, collegiatis neque in aliis.
47. De praestimoniis non dandis ecclesiasticis viris.
48. De non vexandis residentibus in suis beneficiis et maligne et inique citatis ad Rotam. |
191v 49. De beneficiis patrimonialibus non conferendis extraneis
50. et canonicatibus doctoralibus non nisi doctoribus aut licentiatis conferendis etc.
51. De reservationibus in pectore tollendis
52. et beneficiis non conferendis in commendam
53. deque non dispensando cum filiis condemnatorum in crimine haereseos
54. et de redemptione pensionum.
55. De abbatiis et prioratibus ordinum non conferendis nisi monachis idoneis, et nullo modo clericis saecularibus.
56. De eliminanda permutatione officiorum et scripturarum apostolicarum cum beneficiis
57. deque reducendis saltem officialibus curiae Romanae ad antiquum numerum.

12.

[De forma indulgentiarum]

Fr. Hieronymus Seripandus ord. Erem. S. Augustini generalis cardinali Sanctae Crucis.

[Mense Iulio **1547** exeunte vel **Augusto** ineunte]

Florentiae *Carte Cerv. Filza* 42 f. 103, or.; Neapoli Bibl. Nat. *Cod. IX A 49* f. 329r–332r, cop. saec. XVI.

Cervini opinionem de satisfactione in actu confessionis iniuncta deque indulgentiis refellit [I] et, quae ipse de forma indulgentiarum antiqua sentit, exponit [II].

Cod. IX A 49 f. 329r De la forma delle indulgentie, la qual fa qualche dubio a V. S. R^{ma}, secondo che mi scrisse alli XXIIII del passato [1], io ho più volte pensato, massime vedendo, che dottori di fede appresso di me tenevano, che la forma usata nella chiesa non si estendeva, se non alle

[1] Seripandi tractatus, in codice Neapolitano *Indulgentiae* inscriptus, litteris Cervini cardinalis S. Crucis 24. Iulii 1547 Bononiae datis (*Carte Cerv. F.* 42 f. 105 bis et f. 107, copp.) respondet, quarum medullam ex *G. Calenzio*, Documenti inediti 259 sq. hic annectimus: *Hoggi per la prima lettera di V. S. dei 19*

penitentie ingionte: Donde si erano mossi altri dottori a dubitare, che perseverando la medesima forma, et non s'ingiungendo le penitentie canoniche, le indulgentie siano vane e come V. S. R^{ma} in persona loro scrive, una burla. Certo perchè in questo dubio non me eraoccorsa cosa che me quietasse, lasciai da parte di pensarce più. Poi mosso dalla letera Sua e dal debito qual ho di dirli in ogni cosa il parer mio recercandomene, sono tornato a pensarvi. Et p r i m o ho considerato il suo discorso, p o i quello ch'io hora ne direi, sinche altri m'insegnasse meglio.

I.

Quant'al Suo discorso a me piace veramente tutto; ma perchè potrebbe ad altri venire qualche scrupolo | che è venuto a me, accioche V. S. R^{ma} se ne possa risolvere, come sono 329v certo, che farà benissimo, non ho voluto tacere ciò che mi è occorso.

P r i m o: La cosa pare più verisimile e fondata in coniecture, che vera, se la no se fonda in qualche scritto, al qual s'habbi a dar fede.

S e c o n d o: Non so, se risponde alla doctrina, che hoggi dì è nella chiesa, perchè li confessori non so, se pensano che la penitentia imposta da loro, qual è certo poca a comparatione delle canoniche, solo risguarde la satisfattione della chiesa, e non la giustitia divina, conciosia che quella penitentia tocca alla terza parte del sacramento, che si chiama satisfattione, nella quale communemente s'intende tanto da confessori quanto da penitenti, che se satisfacci alla giustitia di Dio benedetto, non solo al foro ecclesiastico.

T e r t i o: Non so, se deve attribuirse tanto errore comunemente alli ministri della chiesa, che con ogni diligentia tanti anni siano stati solleciti di questa penitentia, con la qual si satisfa alla chiesa, et di quella | che resta maggiore ricercata dalla divina giustitia non 330r ne habbino fatto nulla mentione, ne ancora coloro, che hanno predicato le indulgentie, habbino fatto questa distintione, dicendo: Voi che havete fatta la penitentia impostavi da confessori, havete ben satisfatto alla chiesa, ma l'indulgentie vi si danno, accioche siate assoluti dalla pena, per la quale sete tenuti satisfare alla divina giustitia con le penitentie canoniche non impostevi.

Q u a r t o: Della penitentia qual s'impone da confessori, è openione d'alcuni dottori, che se la se fa in stato di gratia, satisfà al foro ecclesiastico e al tribunale di Dio; se no, ben satisfà alla chiesa, ma non al tribunal di Dio. Donque queste tali penitentie hanno ancora tutti due questi rispetti.

Q u i n t o: Con che animo andaria alla communione colui, che si conoscerà reo di tanta pena avant'il Sig^r Dio, intendendo, che con la penitentia datali dal confessore sola ha sodisfatto alla chiesa, massime alcuni scrupulosi, quali dubitano ancor nella communione non farsi rei, non andandovi come devono, di nuova pena, come era il discepolo di San Bernardo. |

Questi scrupoli V. S. R^{ma} li stimerà, quanto li pare, perch'io non li muovo come tali 330v che debbano falsificare ciò che è occorso alla S. V. R^{ma}, ma solo per aprirli in tutto, quanto ho pensato sopra la sua lettera.

II.

Hora li dirò, ch'io direi sopra questo dubio, ne voglio che me ne dica altrimenti il suo parere ne ancor d'altri, ma ne cavi solo questo concetto ch'io conosco, quanto sono a V. S. R^{ma} debitore, e non potendo servirla con meglior cosa, l'offerisco ciò che mi nasce in casa, e me

ho con piacere inteso quello che Ella scrive sopra l'indulgenze. Delle quali non mi par trovar dubia ne l'origine ne l'uso, ma più presto la forma che la chiesa massime Romana ha servata e serve in concederle, dicendo de iniunctis poenitentiis vel in forma ecclesiae consueta, quod idem valet... pare che le penitentie canoniche quali si usavano di dare (o publiche o private che elle fossero) in la chiesa antica, havessero riguardo giustamente a due cose, alla iustitia divina et alla disciplina ecclesiastica, et che per queste insieme fussero lunghe e severe et insieme si prohibisse alli penitenti la communione per tutto il tempo, che durava la penitentia, eccettuato l'articolo dela morte. Par similmente, che crescendo di poi la moltitudine dei christiani, et mancando il fervore della charità... la chiesa come madre pia qual desidera la salute di tutti habbia pensato esser stato meglio di separare li due rispetti sopradetti et cosi che la parte qual mira la satisfattione della chiesa sia stata diminuita et che sia quella, che hoggi si da communemente dalli confessori alli penitenti, et che si fa et si deve fare avanti si pigli la communione. Et per oltre a questa resta ancor l'altra parte, che si deve alla iustitia divina, quale tassò la chiesa anticamente et forse gli apostoli medesimi, et forse in proportione di egualità è necessario, che questa parte ancora sia imposta dal confessore al penitente o tacita o expressa come dovuta da lui o in questo mondo o nell'altro... egli [sc. il penitente] è tenuto a tutto il resto delle pene canoniche, se le indulgenze et il tesoro della chiesa, quando se ne renda degno, non l'aiutino. Responsum Seripandus circa Kalendas Augusti composuit, dum post capitulum generale Recanatense ordinis sui negotiis Romae incumberet, *Conc. Trid.* II 434 sq.

perdone, perchè questo aere non mi tiene si disposto a queste considerationi conciliari, come feva quel di Trento e di Bologna.

Non è dubio che la virtù delle indulgentie se stende alle pene ingionte et non ingionte, come comunemente tutti dottori consentono, perchè in quelle si dispensano li meriti di Cristo N. S. et de santi, con li quali se può compensare ogni sorte di pena debita a coloro, alli quali se comunicano. Ma la forma anticha, sotto la quale si concedono, non par che si stenda se non alle pene ingionte, explicando expressamente *de iniunctis paenitentiis.* Et però dicono
331r alcuni, che mutandosi questa forma e dicendo *de penis quomodo* | *libet debitis,* che assolverebbero da ogni pena. Dico appresso che, dove manca la dottrina scritta et le cose consisteno nel fatto, dal fatto può pigliarsi la dottrina. Et perchè la chiesa ha tolto o tolerato che non s'impongono le pene canoniche, et con questo dà le indulgentie *in forma ecclesiae consueta,* è da pensare che questa forma non include assolutione solo dalle penitentie ingionte, perchè non se ingiongano, et di quel che non è, non può esser forma alcuna. Più oltre dirò, che si come quando s'ingiongevano le pene canoniche, questa parola *in forma ecclesiae* includeva l'assolutione solo dalle pene ingionte, così dopo che non se ingiongono, non include più questo, ma le altre conditioni, cioè che si danno *vere poenitentibus et confessis,* perchè questo ancora se includeva nella forma antica, e quella particola *confessis* forsi può intendersi non della confessione sacramentale, ma di quella generale, la qual si fà in cappella, prima che si pronuntiano le indulgentie — altrimenti coloro che sono in cappella non confessati quel giorno non trarebbero niente —, e per questo in alcune indulgentie questa forma è mutata
331v dicendo | *omnibus vere poenitentibus et propositum confitendi habentibus.* Questo non dico delle indulgentie, che si danno con potestà alli confessori di assolvere *audita confessione,* perchè all'hora bisogna la confessione sacramentale.

Concludendo donque dico con la via comone che le indulgentie, si come hanno virtù di assolvere da ogni pena ingionta e non ingionta, così veramente assolveno dopo che se è tolta la ingiontione delle pene, et quella parola *in forma ecclesiae* prima includeva *omnibus vere paenitentibus et confessis de paenitentiis iniunctis,* poi non includono questo ultimo *de paenitentiis iniunctis,* ma solo quel primo *vere paenitentibus et confessis.* Ne voglio attribuir tanto errore e di si longo tempo alli ministri della chiesa, ne voglio cercar che si mute altrimente la forma, bench'io ne habbia ottenuto da Sua Santità altre volte con questa dechiaratione *ab iniunctis et non iniunctis,* per la fede quale havevo ad alcuni dottori [1]. Ma che diremo, se ancora adesso si explicasse *de paenitentiis iniunctis,* come è in una tavola a San Rocco [2], che
332r dice de più *de poenitentiis eis iniunctis,* dico che bisogna intendere *iniunctis* | *a iure et canone,* perchè subito che uno si pente e ha la remissione della colpa, si sente reo della pena et se li può dire ingionta *iudicio ecclesiae,* et suo o vero che in quel caso giovarebbero l'indulgentie, perchè sarebbe l'homo assoluto da quelle ingionte, che ha fatto in stato di peccato, alle quali ancor che habbia satisfatto secondo il giuditio della chiesa, non ha però satisfatto secondo il giuditio di Dio. Non so, se harò bene explicato quel che voglio, V. S. R[ma] ne pigli la bona voluntà.

Dalli penitentieri sin qui non ho niente [3], ne me occorrendo altro alla S. V. R[ma] humilmente mi raccomando.

[1] Stimulatus esse videtur Seripandus ad hoc a pontifice petendum, Thomae card. Caietani opinione theologica, indulgentias nonnisi a poenis iniunctis absolvere, nisi aliter in diplomate notetur. Opuscula omnia (Venetiis 1588) t. I, tractatus 15 c. 7 (p. 94 sq.). Cfr. *N. Paulus,* Geschichte des Ablasses im Mittelalter III (Paderborn 1923) 86 sqq.

[2] *V. Forcella,* Iscrizioni delle chiese di Roma VII 447-466 de ecclesia S. Rochi tractans tabulae huius mentionem non facit.

[3] Seripandus a Cervino litteris 5. Iulii datis monitus, ut indulgentiarum antiqua monumenta Romae conservata investigaret (*Carte Cerv. F.* 42 f. 105, min.), litteris suis 19. Iulii datis (*Carte Cerv. F.* 42 f. 102r, or.) se S. Petri poenitentiarios hac in re aditurum promiserat, quorum unus, Ioh. Danielis, card. Caietani antea familiaris fuerat et Seripando notus. Qui I. Danielis anno 1556 decanus poenitentiariorum S. Petri erat et deliberationibus de reformatione ecclesiae habitis intererat. *Conc.* 79 f. 116r.

13.

Dilucidatio cuiusdam problematis per Fr. Iohannem Bernerium Corrigiensem ord. Min. conv.: ⟨Quam proportionem habeant canonicae satisfactiones ad iustitiam divinam⟩ [a].

[Mense **Iulio 1547**] [1]

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat.* 4896 f. 150r–157r, or.

Proemium: Ansa scribendi. I. De foro duplici: Dei et ecclesiae. Quid de satisfactione respectu iustitiae divinae tenendum sit, tribus conclusionibus demonstrat; deinde II. quanti momenti problema sit; tandem III. quae s. scriptura de poenis temporalibus doceat.

Arduam quidem et ipsis mortalibus mea sententia satis obscuram mihi theologorum minimo discutiendam quaestionem proposuisti, Rev^me atque Ill^me cardinalis, Domine observandissime. Est quippe dubitatio: *Vat. lat. 4896 f. 151r*

N u m q u i d p o e n i t e n t i a a s a c r i s c a n o n i b u s c o n t r i t i s e t c o n f e s s i s e t a b s o l u t i s i n i u n c t a s i t p e n i t u s e a d e m , q u a m e t d i v i n a i u s t i t i a p r a e s c r i b i t i p s i s m e t c o n t r i t i s , c o n f e s s i s e t a b s o l u t i s , a n v e r o s i t a l i a .

In cuius dissolutione quaestionis ita procedam: I n p r i m i s, quae praesupponit quaestio, brevibus praemittam. S e c u n d o fructum, qui dubitatione soluta desideratur, adaperiam. T e r t i o, quid de proposita quaestione ex theologis, patribus ecclesiae et scripturis mihi cordi haereat, dicam et tandem, si quid in contrarium occurrerit, dissolvam.

I.

Praesupponit itaque dubitatio, dari duplex forum, ecclesiae [et] Dei optimi, et in utroque hominem contritum et confessum et absolutum quibusdam temporalibus poenis teneri obnoxium. Quod quidem praesuppositum quoad utramque partem estverissimum. Nam ex scolasticis theologis 18., 19. et 20. dist. 4. [Sent.] habetur hoc duplex forum. Unde et O r i g e n e s [b] hom. 14 super *Levit.* [2] in medio ait: *Exiit quis a veritate, a fide, a charitate. Per hoc exit de castris ecclesiae, etiam si voce episcopi non abiiciatur; sicut contra aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereretur exire, nihil laeditur.*

Quibus verbis notum est quempiam in foro Dei et non ecclesiae subesse anathemati et quandoque contra. Quod etiam confirmant ex sententia A u g u s t i n i [3] exponentis illum locum apud Ioh. 9, [34]: *Eiecerunt eum foras.* Dominus insuper apud *Matth.* 18, [18], cum dicit: *Quaecumque solveritis super terram, soluta erunt et in coelo, et quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo,* hoc duplex forum demonstravit.

Quod autem in utroque foro poenitentes teneantur obnoxii poenis temporalibus, non expedit probare, quum de foro ecclesiae manifestum est. | De foro autem Dei constat 151v ex libro *Levit.* 4. et 5. cap. et in libro *Num.* cap. 12, [14 sq.] de Maria sorore Moysi, quae a culpis absoluta sententia Dei manet extra castra diebus septem, tum ut satisfaciat divinae iustitiae, tum ut sit ceteris exemplo disciplinae.

Sed dicet aliquis: In foro Dei ante crucis sacrificium poenitentes utique temporalibus poenis tenebantur obnoxii, et hoc ceremoniale erat et quidem iudiciale. At Christo facto pro nobis peccato, ut nos efficeremur iustitia Dei in illo *2 Cor.* 5, [21], non amplius manent peccatores contriti, confessi et absoluti in foro Dei alicui temporali poenae obnoxii, at fit illis in foro Dei plenaria et plenissima remissio omnium peccatorum.

a *add. manu Cervini* b *sic*

[1] Inter septem articulos de indulgentiis, qui 19. Iunii 1547 theologis discutiendi traditi sunt (*Conc. Trid.* I 665, 35 sq.) tertius erat: *Si* [*sc. indulgentia est remissio poenae*] *temporalis, vel iuxta taxationem canonum vel iustitiae divinae? Raynaldus* ad an. 1547 n. 67. De quo articulo cum ceteris de purgatorio et de indulgentiis dum theologi a 23. Iunii usque ad 15. Iulii disputantur, etiam I o h a n n e s C o r r i g i e n s i s ord. Min. conv., tunc regens studii Bononiensis, secundum Massarellum bis loquitur, sc. 5. et 15. Iulii (*Conc. Trid.* I 670, 14 sqq. et 673, 23 sqq.; votum 15. Iulii datum videas *Conc.* 13 f. 407-419). Iussus a Cervino cardinale — hic enim, et non card. de Monte sine dubio Rev^mus ille praesidens est, cui opusculum dedicatur — Iohannes Corrigiensis tractatum istum scripsisse videtur, ut fusius in scriptis daret, quae brevius in voto suo exposuerat. Eandem problematis solutionem exhibet Iohannes Ant. Delphinus ord. Min. conv. in voto suo 15. Iulii 1547 dato. *Vat. lat.* 4896 f. 122r.

[2] *Migne gr.* 12, 556.

[3] *Augustinus*, In Iohannem tr. 44 n. 14, *Migne* 35, 1718, nihil hac de re habet. Vide potius ep. ad Classicianum, *Migne* 32, 1068.

Et confirmatur, quoniam Christus, quos absolvit a peccatis, nullam poenam temporalem eis imposuit, ut patet de muliere peccatrice apud *Lucam* 7, [35 sqq.], de paralitico apud *Io.* 5, [5 sqq.] et de adultera apud *Io.* 8, [3 sqq.].

Ad hoc argumentum, quo et populi et nationes decipiuntur, dico ex sententia patrum, quod duplex est poena, interior [et] exterior. Nam utramque legimus fuisse in muliere peccatrice, quae nedum corde doluit, verum et lachrimata est et lavit, tersit, osculata est et unxit pedes Domini stans retro pedes eius [a].

Ex his pono tres conclusiones: [1] Poenitentia exterior, etiam intensissima, non satisfacit divinae iustitiae, quae in *Gen.* 4, [2 sqq.] primo respicit cor, deinde externa opera. Hinc Iudae poenitentia *Matth.* 27, [3 sqq.] et *Acta* 1, [18], et Esau lachrimae nihil prosunt *Hebr.* 12, [17].

[2] Poenitentia interior vehemens sine exteriori optime satisfacit divinae iustitiae. Unde cognoscens hanc vehementem cordis contritionem et regulas et modos divinae iustitiae absol-
152r vit a peccatis nulla alia poena | exteriori apposita tamquam satisfactoria divinae iustitiae, sicut Dominus Iesus plenus gratia, veritate et sapientia absolvit peccatricem, paraliticum, adulteram et latronem nullis poenis exterioribus impositis.

[3] Non quaecumque amaritudo cordis una cum sacramento poenitentiae tollit omnem poenam temporalem, licet auferat culpam et poenam aeternam.

Haec con[clusio] habet duas partes, quarum secundam omnes theologi concedunt 14. et 17. dist. 4. [Sent.] [1] et sacrae litterae dicentes [2]: *Quotiescumque ingemuerit peccator, omnium peccatorum* etc., amplius divina promissio et virtus semper adsunt sacramento pie suscepto, et hoc notissimum omnibus. Primam etiam partem dant omnes theologi 15. dist. 4. [Sent.] [3] in materia de satisfactione, quoniam, si illa prima pars contritionis esset falsa, e medio tolleretur purgatorius ignis post hanc vitam, quod pro impio habent theologi 20. et 21. et 45 dist. 4. [Sent.]. Augustinus insuper in libro de vera et falsa poenitentia 17. et 18. cap. [4] et in Enchiridion cap. 65 [5] dat illam primam partem huius conclusionis, quae fundatur in eo loco apud *Matth.* 3 [6]: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Ex quo loco, [ut] d[icit] divus Gregorius, et ponitur in decretis de penitentia dist. 5. cap. [6] *Falsas* [7], datur duplex satisfactio: falsa et indigna, vera et digna. Prima illa est, quae non correspondet divinae iustitiae, et secunda illa est, quae consonat statutis patrum. Nam sicut illas falsas poenitentias dicimus, quae non secundum authoritates patrum imponuntur, sic et eas veras censemus, quae secundum authoritates patrum praescribuntur.

Ex his facile diluitur argumentum impiorum. Negant enim catholici, quod post crucis sacrificium peccatores nullis poenis temporalibus in foro Dei sint obnoxii, immo et ante
152v et post Christum passum Deus ligat peccatores | poenis temporalibus persolvendis. Unde dicit Apostolus [8]: *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum coelorum.* Amplius semper apud Christi ecclesiam contritis, confessis et absolutis iniunctae sunt poenae temporales, quas patres satisfactiones vocarunt, a quibus non liberantur apud Deum, nisi illis poenis peractis vel aliquo aequivalenti exhibito Deo et accepto, sicuti est vehemens tristitia de commissis culpis vel thesaurus magnus ecclesiae.

Nec valet ista consequentia: Christus absolvit peccatricem a culpa et poena temporali, sic et paraliticum similiter et adulteram, ergo in foro Dei peccatores omnes fide poenitentiam agentes nullis poenis temporalibus alligantur. Non tenet, inquam, consequentia, quoniam universalis propositio non inducitur sufficienti inductione non enumeratis omnibus singularibus in antecedente, quod hic non fit, ut patet. Oporteret enim dicere, quoscumque peccatores Christus absolvit, semper ab omni poena et culpa in foro Dei immunes facit, ergo in foro Dei non manent poenis temporalibus alligati, quod antecedens negant omnes catholici, nec in scripturis habetur.

Etiam non valet consequentia, quoniam oporteret probare, quod omnes peccatores, quos Christus absolvit a peccatis, sint eiusdem internae dispositionis cum peccatrice, cum paralitico, cum adultera et cum latrone. Hos enim Dei gratia vehementem cordis amaritudinem habuisse credimus vel poenas temporales maximas passos non ignoramus. Si ergo

[a] Cod. secus

[1] Ex.gr. *S. Bonaventura,* In IV.Sent.di. 14 p. II art. 1 q. 3, Opp. omnia (ed. Quaracchi) IV 334 sq.
[2] Videtur alludere ad *Ez.* 18, 21 sq.
[3] Ex. gr. *S. Bonaventura,* In IV. Sent. di. 15 p. II art. 1 q. 4, Opp. omnia (ed. Quaracchi) IV 367 sqq
[4] *Migne* 40, 1127 sq
[5] *Migne* 40, 262.
[6] Potius *Luc.* 3, 8.
[7] *Friedberg* I 1241.
[8] *Act.* 14, 21.

tales essent omnes peccatores, utique post contritionem, confessionem et absolutionem nullus poenis temporalibus apud Deum teneretur obnoxius.

Praeterea non valet illa consequentia, quoniam quos Christus prima absolutione a peccatis liberat, totaliter et simpliciter mundat a peccatis, ut in baptismate notum est omnibus, | et ideo illi omnes prima absolutione mundati sunt a Christo Domino. Quale igitur est 153r argumentum: Omnes peccatores, qui prima absolutione a Christo absolvuntur, nullis poenis temporalibus alligantur in foro Dei; ergo et omnes, qui post primam absolutionem fide et poenitentia liberantur a peccatis, nulli poenae temporali obnoxii sunt in foro Dei! Ut enim haec consequentia teneret, opus esset probare, quod Christus aequalem virtutem operaretur in sacramento poenitentiae et in sacramento baptismatis, quod nusquam probabitur. Unde semel tantum habetur usus baptismi, plures autem poenitentiae. Ecce, amplissime Pater, quot modis ruat impia illa argumentatio!

Sed reclamant: Quid ergo profuit crucis sacrificium, si peccatores contriti, confessi et absoluti in foro Dei manent poenis temporalibus alligati nunc sicut et ante illud sacrificium?

Dico, quod sacrificium crucis meruit, ut in baptismate tolleretur omnis poena et culpa et daretur Spiritus Sanctus in pignus, quod sumus filii Dei, ut legitur ad *Hebraeos* 6, [4], ad *Gal.* 3, [26], ad *Rom.* 5, [2 sqq.] et 8, [16 sqq.]. Meruit, ut in sacramento poenitentiae post baptismum tollatur culpa et poena aeterna, vertatur in breviorem et mitiorem ⟨poena temporalis⟩[a], quam ante illud sacrificium. Meruit, ut et poena illa temporalis posset expiari per sacras indulgentias. Quae munera gratiarum non sic habebantur ex Deo ante Christum passum. Quid ergo miseri clamant, quod si peccatores contriti, confessi et absoluti in foro Dei poenis temporalibus alligantur, sacrificium crucis oblatum nihil plus profuit quam ante oblationem?

Placuit, Rev^me^ praesidens, hoc argumentum subvertere, ut quaestio vera, pia et catholica, quae hic praesupponitur, agnosceretur etiam adversariis, si Dominus dederit Spiritum agnoscendi veritatem. |

II.

Quam vero utilis sit praesentis quaestionis dilucidatio ad agnoscendam vim et proprie- 153v tatem indulgentiarum, nemo est qui non videat. Si namque eadem sit poena temporalis taxata ab ecclesia et a iustitia divina, manifestum erit, quod vis et proprietas indulgentiae sit remittere poenam taxatam a Deo et ab ecclesia. Perspicuum erit insuper, quod quisquis peracta poenitentia sibi imposita per ecclesiam [moritur], apud Deum nullis poenis temporalibus detenebitur, et sic ei patebit ianua coeli. Quare indulgentiis potest peccator absolvi ab omni poena. Amplius apertissimum erit, quod in litteris apostolicis illud verbum *a poenis iniunctis*[1] nullam diminutionem facit in indulgentiis neque limitationem. Si vero poena temporalis praescripta ab ecclesia non sit eadem, quam iniungit iustitia divina, quae dixi antea patere, ambigua erunt. Unde merito vidit sacrosancta legatio hoc problema proponendum et discutiendum, quo natura, vis et proprietas seu negotium sacrae indulgentiae magis paterent.

III.

Revera perdifficilis est huius problematis exacta decisio, quoniam solus Deus novit modos et mensuras peccatorum et poenarum. Etiam hoc problema non satis aperte pertractatur a multis theologis, sicut et cetera fiunt. Dicam tamen obedientiae et veritatis inveniendae studio, quid sentiam de proposito problemate, nonnullis tamen praemissis et probatis, videlicet:

Poenae temporales, quas Deus requirit a mortalibus, ut a peccatis solvantur et eidem penitus reconcilientur, sunt plures ex divinis oraculis, nempe cordis contritio et humiliatio, sicut scriptum est.: *Cor contritum et humiliatum Deus etc.;* nam *sacrificium Deo spiritus contribulatus Ps.* 50, [19]; lacrimae cordis et oculorum, inquit enim scriptura: *Ploremus coram Domino Ps.* [94, 6], unde et Petrus *flevit amare*, flevit ea peccatrix, flevit et sanctus David apud *Matth.* 26, [75], apud *Luc.* 7, [38] et *Ps.* 37, [10]; | orationes ieiunia, vigiliae, erogationes et externa sacrificia: ora- 154r tiones, quia scriptum est: *Orate pro invicem, ut salvemini*[2], et Dominus iussit orare:

[a] *Cod.* poenam temporalem

[1] Cfr. supra tr. n. 12 p. 52 sqq.

[2] *Iac.* 5, 16.

Dimitte nobis debita nostra [1], et iam omnes patres peccatores conversos ad Deum orare demandarunt, ut illi essent chariores; de ieiunio patet apud *Ioelem* prophetam cap. 2, [12]: *Convertimini in ieiunio* etc. et sanctus propheta in ieiunio humiliabat animam suam [2]. Dominus etiam Iesus pro nobis ieiunavit et nos pro nobis ieiunare instituit; de vigiliis patet, nam sanctus propheta vigilabat; lavabat enim *per singulas noctes lectum* [3] suum et media nocte surgebat ad confitendum Domino [4]. Christus etiam pro nobis pernoctabat in monte Oliveti [5]. Petrus apostolus evigilabat et flebat peccatum authore divo Clemente [6]. Et Paulus *in multis vigiliis* [7] fuit. Sed quid plura? Apud patres catholicos vigiliae sanctae, quibus corpus mortificatur in hominis interioris vivificationem, semper magno in pretio fuere, ut luce clarius. Quod elemosynis redimantur peccata, testis est *Daniel* cap. 4 [24], testis est divus Petrus *Act.* cap. 10, [4. 31], testis est Dominus, qui apud *Matth.* 6, [21 sq.] praecepit orationem, ieiunium et elemosynam, quam tanti fecit apud *Matth.* 25, [35 sqq.], quod pro illa adhibita pollicetur possessionem regni coelorum, licet non praeparationem eiusdem regni. Quod externa sacrificia sint in remissionem peccatorum, testis est sanctus Moyses *Levit.* 4, [1] et inde testis est omnis scriptura. Unde et Dominus Iesus obtulit semetipsum pro peccatis nostris et nos eodem sacrificio per sacerdotes sacramentaliter oblato credimus a peccatis absolvi, quia sic credit ecclesia Dei catholica.

Amplius inter poenas temporales, quibus satisfit divinae iustitiae, est suspensio
154v aut a communione fidelium, ut de Maria sorore Moysi *Num.* 12, [14 sq.] | et de fornicatore Corinthio *prima Cor.* 5, [2] legitur, aut a participatione corporis et sanguinis Domini et ab ingressu ecclesiae. Primum colligitur ex eo Pauli *prima Cor.* 11, [28]: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat etc.* Unde non probatus sacro iudicio iubetur abstinere ab esu visibili Dominici sacramenti, quia abstinentia pie et sancte suscepta quis optime redditur probatus: *Melior est obedientia quam victima* [8]. Item in lege nemini immundo licebit ingredi templum, sed oportebat eum expiari aqua expiationis ad emundationem carnis.

Praeterea suspensio ab officio vel a munere officii est una poenarum temporalium ad expiationem peccatorum; legimus enim *primi Reg.* 15, [26 sqq.], quod Saul in poena peccati proiicitur a regno et omne semen eius post eum. Idem habetur de Nabuchodonosor rege apud *Dan.* 7, [22] de Nadab et Abiu *Levit.* 10, [1 sqq.] et de Abiathar sacerdote, quem amovit Salomon a munere sacerdotii ex decreto Dei, ut legitur *3 Reg.* 2, [26 sq.].

Peregrinatio et corporis afflictio inter poenas temporales annumerantur, nempe in tertia epistola divi *Iohannis* [v. 5] legimus Gaium magna caritate suscepisse peregrinos, qui pro Christi nomine proficiscebantur, nihil accipientes a gentilibus. Quo ex loco mihi videtur, quod a temporibus apostolorum inolevit consuetudo peregrinandi pro nomine Christi. Unde hic mos venerabilis semper fuit apud Christi ecclesiam, imo et apud Hebraeos, qui semel in anno iubebantur ascendere Hierosolimam et ex Egipto annis 40 peregrinati sunt in desertis fame et siti afflicti. Unde notum factum est, quod peregrinatio est una poenarum temporalium, quibus purgantur peccata. Peregrinatio enim illa annorum 40 in poenam peccati fuit.

De corporis afflictione patet exemplo Ninivitarum apud *Ionam* 3, [8] et
155r ultimo [v. 11] | et exemplo Acab impii et Manases regum Iuda [9].

Haec, Rev^me^ et Ill^me^ cardinalis, adnotavi, quoniam lucem non modicam praestant ad inveniendum et cognoscendum, quod quaerimus; nam et haec in canonibus.

Praemitto etiam, quod poena temporalis taxata ab ecclesia est dupliciter, a canone [et] a sacerdote absolvente et ligante. Distinctio haec est manifesta, quoniam, etsi canones sint regulae universales dirigentes sacerdotem, tamen quandoque sacerdos pro qualitate temporum et dispositionis poenitentis recedit a canone, ut notatur in decretis [C.] 26 q. 7 per totum [10].

Item praesuppono poenitentiam taxatam a sacerdote esse in duplici gradu: aliam clave non errante, aliam clave errante, quae distinctio est manifesta apud catholicos patres, ut notatur de poenitentia dist. 5 cap. [6] *Falsas* in verbo divi Gregorii [11].

[1] *Matth.* 6, 12. [2] Cfr. *Ps.* 34, 13.
[3] *Ps.* 6, 7. [4] Cfr. *Ps.* 118, 62.
[5] Cfr. *Luc.* 21, 37.
[6] Nescio an auctor se referat ad *Ps. Clementis* hom. 2 n. 1 (*Migne gr.* 2, 77 sq.).
[7] *2 Cor.* 11, 27.
[8] *1 Reg.* 15, 21.
[9] *3 Reg.* 21, 27 sq.; *2 Paralip.* 33, 11 sqq.
[10] *Friedberg* I 1041 sqq.
[11] Vide supra p. 56 adn. 7.

His praelibatis ponens conclusiones dissolvo quaestionem:

Prima conclusio: Poenae temporales peccatoribus contritis, confessis et absolutis per sacros canones impositae per aequivalentiam sunt poenae temporales eisdem taxatae per divinam iustitiam.

Quae conclusio probatur rationibus. Manifestum est enim peccatorem, ut satisfaciat iustitiae divinae, teneri ad luendas poenas temporales, sed quomodo, quamdiu et ubi et quibus diebus, hoc non est omnibus apertum ex scripturis, ut luce clarius est. Unde merito potest et debet peccator apud se quaerere: Ubi, quando, quamdiu et quomodo debeo facere *fructus dignos poenitentiae* [1], ut sim [a] liber a poena apud Deum? Et decet divinam sapientiam, ut non patiatur ad eam conversos hac animi angustia affligi. Quare et hanc quaestionem dissolvit, ut, qui ei in fide et poenitentia serviunt, tota animi allacritate famulentur. At cuius vocis oraculo, quae | veniunt in quaestionem, deffinit Deus apo- 155v
stolis in coelum vocatis? Nempe successorum eorundem, scilicet sanctae ecclesiae, cui promissus est Spiritus Sanctus, qui doceret eam omnem veritatem. Unde et merito ab apostolis ad haec nostra utique tempora, quaecumque ad fidem, ad religionem et ad piam veritatem pertinent et venerunt in quaestionem, semper ecclesiastici iudicis sunt diffinita et sub poena anathematis, ut quis oppositum non sentiat. Quo datur intelligi, diffinitiones ecclesiae esse decreta Dei. Nam et Paulus *Gal.* primo [v. 9] anathematizat omnem creaturam aliter evangelizantem, quam ipse evangelizaverit; idem et Ioannes apostolus *Apoc.* ultimo [vv. 8 et 19]. Cum ergo et ecclesia semper eodem modo proferat sua decreta, notum est fidelibus, quod sanctiones ecclesiae sunt Dei, in cuius nomine dicit Paulus [2]: *Qui haec spernit, non hominem, sed Deum spernit, qui dedit Spiritum suum hominibus.* Cum itaque canones de poenitentia ab antiquis saeculis fuerint recepti ab ecclesia, notum est, quod Deus illis canonibus oraculo ecclesiae suae declaraverit modum, tempus, qualitatem et locum poenae temporalis, qua unusquisque peccator satisfacit divinae iustitiae.

Confirmatur, quoniam non est credibile, quod ecclesia, quae non ignorat *iugum* Christi *suave et onus leve* [3] ansa fuisset pro quocumque peccato praescribere determinatam poenam temporalem et modum et tempus et locum et qualitatem poenae, nisi certo certius scivisset, illas poenas correspondere divinae iustitiae. Unde Augustinus [4] monuit peccatores, talem agere poenitentiam, qualis apud Christi ecclesiam agitur, qualem non erubuit Theodosius Caesar. | Et divus Gregorius [5] dicit illas poenas esse falsas, quae non 156r
imponuntur secundum authoritatem patrum. Et hinc sensere Celestinus papa [6] et divus Augustinus [7], ut nulli sacerdotum liceat patrum decreta ignorare. Haec ratio probat conclusionem.

Secunda conclusio: Poenitentia temporalis a sacerdote clave non errante taxata aequivalet poenae praescriptae a divina iustitia.

Huius conclusionis veritas pendet ex veritate prioris. Nam ecclesia eodem spiritu determinavit poenitentias temporales esse in arbitrio discreti sacerdotis, quo et poenitentiales canones edidit, ut legitur in libro decretorum ex concilio Carthaginensi tertio, Laodicensi quarto et ex octava synodo [8]. Tunc autem discretus est sacerdos, cum clavis scientiae non errat alligans homines poenis temporalibus. Sicut ergo poenae canonum sunt ex Spiritus Sancti authoritate, sic et poena sacerdotis discreti, cuius clavis non errat. Etiam sicut Deus poenitentialibus illis canonibus specificat poenas temporales divinae iustitiae correspondentes, non secus et poenas eidem iustitiae aequivalentes specificat per discretum sacerdotem, cuius clavis non errat.

Confirmo: Quoniam aut Deus constituit sacerdotem perfectum arbitrum inter peccatorem et ipsum Deum, aut imperfectum. Non imperfectum, quia illud verbum [9] *quaecumque solveritis super terram* etc. non potest recipi nisi de perfecto arbitrio, ut et patrum glossa est [10], clave non errante. Puto autem clavem non errare, quando sacerdos ex his, quae ex parte poenitentis et canonum attendenda sunt, quae ponuntur de poenitentia dist. 5 cap. [1] *Consideret* [11], iniungit poenitentiam salutarem.

[a] Cod. sit

[1] *Luc.* 3, 8. [2] *1 Thess.* 4, 8.
[3] *Matth.* 11, 30.
[4] Serm. 392 c. 3, *Migne* 39, 1710 sq.
[5] C. 6 *Falsas* D. 5, *Friedberg* I 1241 (est Gregorii VII).
[6] Cfr. c. 4 *Nulli* D. 38, *Friedberg* I 141.
[7] Cfr. c. 5. *Que ipsis* D. 38, *Friedberg* I 141.
[8] Cfr. c. 4, 5 et 7 C. 26 q. 7, *Friedberg* I 1042 sq.
[9] *Matth.* 18, 18.
[10] Ex. gr. *S. Chrysostomus*, In *Matth.* hom. 60, *Migne gr.* 57/58, 586: τὸ πᾶν ἐπιτρέπων.
[11] *Friedberg* I 1238 sqq.

156^v Dico tamen difficile esse, quod sacerdos tantae sit discretionis | et sapientiae, ut vel temperare vel excedere poenas canonum recte valeat. Non tamen est impossibile, quoniam non implicat contradictionem et *apud Deum non est impossibile omne verbum* [1]. Et credo hoc voluisse [a] divum A u g u s t i n u m [2], cum dicit: *Solus Deus noscit qualitatem criminum et mensuras poenarum.* Ideo pono t e r t i a m c o n c l u s i o n e m:

Poena temporalis taxata sacerdote, cuius clavis errat, non aequivalet poenae taxatae a divina iustitia.

P r o b a t u r quaestio ratione et authoritate. Dignum enim est, voluntatem Dei esse regulam creatarum voluntatum et non econtra. Unde id ratum et firmum est apud Deum quod conforme existit iustitiae Dei. Voluntas autem sacerdotis errans non est conformis divinae iustitiae regulis, quae errare non possunt. Ergo poena taxata a sacerdote errante non firma et rata, scilicet non sufficiens apud Deum erit. Et hac ratione (puto) dicit A p o s t o l u s [3]: *Qui iudicat me, Dominus est.* Primum iudicium infallibile, quo cetera regulantur, est iudicium Dei. A u g u s t i n i etiam authoritate confirmatur haec tertia conclusio de vera et falsa poenitentia cap. 18 [4]: Si interior poenitentia non sufficit nec exterior poenitentia impletur, Deus, qui modos et mensuras peccatorum et poenarum novit, addet poenam sufficientem. Aut enim punit homo aut Deus. *Studeat ergo quisquis sic delicta corrigere, ut non oporteat post mortem poenam tolerare* [5]. Ignis etiam purgationis confirmat tertiam conclusionem, qui ideo positus creditur, ut divinae iustitiae fiat satis.

Mihi itaque, Rev^{me} praesul, videtur, quod poena taxata a canone sive publica sive
157^r privata satisfaciat divinae iustitiae. | Unde illam adimplentibus non manet post aliam vitam ignis purgationis. Si quis etiam discretus sacerdos cognitis cognoscendis clave non errante ex causa mitiorem poenam imponat, quam iubeant canones, non dico ex quacumque causa, at ex causa integra, iudico illam poenam satisfacere divinae iustitiae sic, quod illa peracta nulla superveniente culpa decedens in coelum recipitur. Credo tamen, quod raro poenitentia a sacerdote ex arbitrio imposita plene satisfaciat divinae iustitiae, propterea aut indulgentiis aut igne purgatoria nobis opus est.

Haec sunt, amplissime praesul, quae de arduo problemate dicenda occurrebant, quae si sint veritati, rationi et ecclesiae consona, Deo per Iesum Christum gratia (!) habeantur, sin vero, meae imperitiae adscribatur. Malui enim me huic periculo committere, quam monitis Tuae Rev^{mae} atque Ill^{mae} D^{nis}, cui plurimum debeo, non obedire, quam et bene valere in Domino et me pro sua humanitate diligere semper opto.

14.

R. D. Aloysius Lippomanus: De matrimonio

Ad cardinalem S. Crucis legatum ad concilium Tridentinum. [b]

[Mense Octobri 1547] [6]

Florentiae *Carte Cerv. Filza* 29 f. 279^r–291^v, or. [=*C*]; ibid. f. 295^r–304^v, cop. coaeva; Romae Bibl. Vat. *Barb. lat.* 834 f. 71^r–84^v, cop. saec. XVII [=*B*].

I. Prooemium: ansa scribendi. II. Axiomata tres de matrimonio. III. 19 obiectiones contra indissolubilitatem matrimonii ex s. scriptura, iure canonico, conciliis et patribus cum responsionibus Lippomani

Carte Cerv. Filza 29 f. 279^r Rev^{mo} et Illmo D. Marcello, tituli S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali, sacri concilii oecumenici praesidenti Aloysius Lipomanus, episcopus Methonensis et coadiutor Veronensis, in eo, qui est vera salus, salutem. |

I.

279^v Dum Te intueor, Ill^{me} ac Rev^{me} Domine, frequenter Rev. patribus de sacra Tua congregatione insistentem et omni cum vehementia exigentem, ut ad nonnullorum doctorum virorum rationes et auctoritates in scriptis responsio fiat, quibus ostendere visi sunt,

[a] *Cod. voluisse* [b] *Titulus add. alia manu*

[1] *Luc.* 1, 37. [2] Cfr. infra adn. 4. [3] *1 Cor.* 4, 4.
[4] Prima verborum pars non ibi invenitur, sed apud *Petrum Lombardum*, Sent. IV dist. 20 cap. 2 (ed. Quaracchi II 875).
[5] *Migne* 40, 1128.
[6] Cum *sacra congregatio*, de qua Lippomanus (supra l. 36 sq.) mentionem facit, sine dubio illa deputatorum theologorum de corpore concilii sit, quae Cervino

matrimonii vinculum non adeo esse indissolubile, ut quandoque vir aut uxor separari et ad alia transire vota non possint, cuius tamen contrarium a sacra synodo omnino statuendum et recipiendum videtur, prout a sancta Dei ecclesia iam ab eius primaeva fundatione receptum est, quo in actis huius sacrosancti concilii redacta in futuras retro generationes testimonium afferre valeat, quam recte et iuste sacra synodus ⟨quod statuerit⟩ [a] statuendum merito censuerit. Dum (inquam) Te ita insistentem et exigentem intueor, admiror valde et beatam | iudico sinceritatem mentis Tuae atque animi puritatem. 280r Neque enim aliquid ullo unquam tempore per concilium decretum reperiri vis, cuius non ratio vel in divinis scripturis vel in sacris aliis conciliis vel in sanctorum patrum dictis inserta non sit, ne materiae ipsae praeiudicatae potius, quam examinatae videantur. Et si quidem (ut magis credo) dormientes nos cupiens excitare ad istud opus ascire ac pertrahere voluisti, consilium sapiens Tuum veneror et amplector prudentiam Tuam; si vero aliquid Tibi verae ex hoc doctrinae conferendum putasti, cum tamen unus omnia scias, quid hac Tua humilitate sublimius? Attamen et in hoc docuisti nos, illud requirere, quod ipsis nobis deerat, Tibi vero nequaquam. Sed quoquo modo id Tibi visum fuerit, parebimus vel propter mandatum Tuum, ne quid poscenti negare videamur, vel propter amorem Tuum, quo nos mirum in modum ex Tua benignitate prosequeris, vel demum, ut alios doctissimos viros tam divini quam humani iuris peritissimos, | qui huic sacro conventui adsunt, ad aliquid cultioris Minervae et emunc- 280v tioris iudicii scribendum excitemus, cum prius tamen nostra haec exigua et insulsa percurrerint. Quid enim ab homine indocto totis diebus ac noctibus occupatissimo paucis et his quidem furtivis horis, quod bonum sit, excudi posse sperandum est? Verum, quia Tu iussisti, nos praebebimus officium calamo. Deus autem, qui eripit de terra inopem [1], dabit vires illas, per quas possit omnis in hac re animi scrupulus ammoveri et, quicquid bonorum conscientias aggravat, tolli et, quae contra matrimonii indissolubilitatem facere saltem in superficie videntur, (cum re vera non faciant) penitus expurgari. Age ergo, ad rem veniamus! Sed priusquam obiectis respondeamus, aliqua nobis tanquam axiomata statuenda sunt, quo facilius et clarius negotium ipsum expediatur. |

II.

P r i m u m igitur illud hoc in loco mihi statuendum est, matrimonium uti novae 281r legis sacramentum ratum et consumatum, hoc est legitime per verba de praesenti contractum et carnali copula confirmatum, esse de sui natura (nisi per mortem alterius vel utriusque coniugum) indivisibile. Hoc probat D o m i n u s ipse et S a l v a t o r noster, dum dixit [2]: *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem et adherebit ad uxorem suam et erunt duo in carne una. Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et A p o s t o l u s [3]: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, libera est, cui autem vult, nubat, tantum in Domino.* Hoc etiam probat concilium F l o r e n t i n u m [4], dum tertium

[a] *C in marg.*

praesidente canones de rebus fidei examinabat, facile apparet, quo tempore opusculum hoc scriptum fuerit. Iam enim a 10. Sept. usque ad 24. Sept. 1547 de canonibus matrimonii (quos *Conc. Trid.* I 691, 19 sqq. invenis) in generali congregatione disputatum est (*Conc. Trid.* I 692, 17-702, 16 sqq.), cum deputati illi, quibus Lippomanus noster ascriptus erat (*Conc. Trid.* I 708, 41), 15. Octobris censuras tertii canonis *quod fornicatio non rumpat vinculum matrimonii* examinare coeperunt. Addit Massarellus, quod super eo canone *patres non concordarunt propter varios intellectus cap. 19. Matthaei, quia, licet omnes assererent matrimonii vinculum non dissolvi ob fornicationem, tamen, an qui aliam duxerit dimissa fornicaria meccetur* [sic!], *patres fuerunt varii propter verba evangelii in supra allegato loco. Conc. Trid.* I 710, 36 sqq. Quae Massarellus hic refert, optime conveniunt cum iis, quae episcopus Minoriensis, A m b r o s i u s C a t h a r i n u s, ille quoque unus ex deputatis, in tractatu suo *An propter crimen adulterii alter coniux ita liberetur a vinculo, ut possit novas nuptias contrahere* (cfr. *I. Schweizer*, Ambrosius Catharinus Politus 301), qui, etsi quattuor post annos, nempe Aprili 1552 prelo datus sit, tamen anno 1547 exeunte ortus esse videtur, praesertim cum multa argumenta, quae pro sua opinione adducit, cum iis conveniant, quae Lippomanus oppugnat. P r i m o (p. 275-287) Catharinus locum *Matth.* 19, 9 interpretatur defenditque opinionem, Christum ibi de matrimonii indissolubilitate disputantem casum fornicationis mulieris excepisse; d e i n d e (p. 287-291) alias rationes et auctoritates (ex. gr. Zachariam papam, concilium Triburiense, Gregorium III, Ps. Ambrosium et Origenem, cfr. infra obiectiones 6, 11, 14, 15, 16 et 17) adducit et t a n d e m concludit, maritum innocentem non quidem a vinculo solutum esse, sed *teneri causam suam dicere coram episcopo, et si repertum fuerit eum se continere non posse nec velle adulterae reconciliari, tunc, ne maiora nascerentur scandala, putarem episcopum posse dispensare cum tali et fortasse debere...* (p. 292). Cfr. etiam inter *Errores Catharini* conclusionem 43: *Uxorem potest homo ob fornicationem non a thoro tantum, sed etiam a coniugio separare et aliam ducere. Schweizer* l. c. 282.

[1] Cfr. *Ps.* 112, 6. [2] *Marc.* 10, 7 sq.

[3] *1 Cor.* 7, 39.

[4] Decretum pro Armenis *Denzinger*[14-15] n. 702.

matrimonii bonum dicit esse indivisibilitatem [a] *propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et ecclesiae.* Hoc etiam probat ipsa matrimonii diffinitio, in qua habetur, quod individuam vitae consuetudinem continet [1]. Hoc etiam tenet tota catholicorum schola, nec est opus sanctorum auctoritates inducere in re luce meridiana clariore. Dixi autem matrimonium ratum et consumatum, quia matrimonium ratum tantum et non consumatum separabile est per professionem religionis approbatae factam etiam altero invito, et alter libere contrahere potest cum alia; casus est in c. [7] *Ex publico* de conversione coniugatorum [III 32] [2].

Secundum praesuppositum est, quod divortium accipitur apud theologos pro separatione coniugum quantum ad thorum et cohabitationem, ita tamen, quod inter eos integrum semper maneat vinculum matrimonii. Et hoc modo concedimus fieri divortium in ecclesia inter coniuges, et tamen repudium nunquam fit, cum nunquam dissolvatur matrimonium, quod semel tenuit. Hoc probatur per textum *Marci* decimo [v. 11 sqq.]: *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mechatur;* et *Lucae* sexto decimo [v. 18]: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam et alteram ducit, mechatur, et qui dimissam a viro ducit mechatur.* Et Apo-
281v stolus *primo ad Corinthios* septimo [v. 10 sq.]: *His | autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

Tertium, quod praesupponendum duxi, est, quod in sacris litteris non valet argumentum a contrario sensu, ubi pravus resultat intellectus. Textus apertus est *Matthaei* primo [v. 25], ubi dicitur de Ioseph: *Et non cognoscebat eam* (supple Beatam Virginem), *donec peperit filium suum primogenitum.* Nam si diceret aliquis: Ergo a contrario sensu cognovit eam, postquam peperit, ut dicebat Helvidius haereticus [3], non valeret argumentum, quia resultaret falsa propositio ab ecclesia universali damnata, quod Beata Virgo non fuisset virgo post partum, cuius contrarium omnes tenent, cum de ea dicat sancta ecclesia [4]: *Post partum virgo inviolata permansisti.* Unde iste textus al[i]ter est exponendus quam a contrario, et dicendum, quod evangelista hoc loquendi modo usus est, ut, dum recitat, quod maius est, illud etiam tacite innuat, quod minus est. Nam si Ioseph non cognovit eam ante partum, ubi nulla adhuc in ea miracula viderat, multo minus eam cognovit post partum, ubi tot divina in ea perpetrata animadvertit. Simile affert divus Augustinus libro primo [c. 9] de adulterinis coniugiis ad Pollentium in verbis B. *Iacobi* [4, 17], ubi ait [5]: *Scienti igitur bonum facere et non facienti, peccatum est illi.* Nam si quis diceret a contrario sensu: *Non peccatum ergo est illi, qui nescit bonum facere et non facit,* si is peccat, qui scit bonum et non facit, erraret. Nam *utique et illi peccatum est, sed hoc gravius, si etiam sciat et non faciat. Nec illud ideo nullum, quia minus.*

III.

His igitur praemissis venio ad obiectiones adversariorum diluendas.

1.[b] Harum prima est auctoritas Domini *Matth.* XIX, [9] ita dicentis: *Dico autem vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mechatur, et qui*
282r *dimissam | duxerit, mechatur.* Dicuntque hanc auctoritatem non de facili posse trahi in contrarium sensum, nisi reddatur absurdus intellectus [6]. Ex quo scaturire videntur multae quaestiones non de facili solubiles ad sensum illustrem ipsius textus. Nam si quis dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis et aliam duxerit, mechatur. Ergo a contrario, qui dimiserit ob fornicationem et aliam duxerit, non mechatur, quoniam tunc erit in exceptione, et exceptio (ut sciunt omnes) firmat regulam in contrarium. Et perinde est, ac si dicat: Nunquam licet uxorem dimittere et aliam ducere, nisi per fornicationem, hoc est, propter fornicationem licet dimittere et aliam ducere.

[a] *C del.* matrimonii [b] *C a Cervino in marg. add.*

[1] Quae definitio ex iure Romano sumpta § 1 I de patr. potest. I 9 in Corpus iur.can. recepta est c. 3 C. 27 q. 2, *Friedberg* I 1063.

[2] *Friedberg* II 580 sq.

[3] Cfr. *Hieronymus,* De perpetua virginitate B. Mariae adversus Helvidium c. 3, *Migne* 23, 185.

[4] Versiculus ad antiphonam de B. M. V. *Alma redemptoris mater,* qui in Breviario Rom. dicitur a vesperis Nativitatis usque ad secundas vesperas Purificationis B. M. V.

[5] *Migne* 40, 456.

[6] Caietanus in commentariis ad quattuor evangelia (Lugduni 1573) 103 sq. ait *secundum planum litterae sensum* Dominum casum fornicationis excipere *salvo semper ecclesiae diffinitione, quae hactenus non apparuit.*

Responsio: Ad hoc tripliciter respondetur. Primo secundum quorundam recentiorum opinionem [1], quod Dominus et Salvator noster, etsi venerat ad legem veterem tollendam et novam dandam, noluit tamen incontinenti omnia, quae erant veteris legis tollere, sed sensim et paulatim, donec tandem omnia abrogaret. Nam populus non fuisset capax tam subitae mutationis. Dum ergo aliud abrogat, aliud vero concedit, non nihil pristini ritus, quod voluptati sit, ipsi permittit non aliter (ut inquit divus Gregorius Nazianzenus) [2], atque medici aegrotantibus facere solent, huc spectantes, ut medicina alioquin acerba dulcedine aliqua ad artis praescriptum temperata aequioribus animis recipiatur. Neque enim in proclivi est, rem consuetudine ac tempore longo corroboratam immutare. Sensus igitur horum est, quod Dominus hic ad pharisaeos loquitur, et tollit eis consuetudinem inveteratam dimittendi uxores suas ex quacumque causa, ut passim faciebant, et superducendi alias, et permittit tantum eis unam causam dimittendi uxores, videlicet in casu fornicationis, quo adveniente concedit etiam, ut possint aliam ducere uxorem. At quando Dominus discipulis suis loquitur seorsum et secreto, ut *Marci* X, [11] et *Lucae* XVI, [18], nullam causam eis permittit, in qua possint superducere aliam, esto quod uxorem dimiserint ex causa fornicationis, nam ob aliam causam dimittere non licet | [282v] iuxta Domini sententiam *Matth.* V, [31 sq.] dicentis: *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.*

Secunda responsio est divi Augustini ad Pollentium libro primo de adulterinis coniugiis dicentis [3]: *Quod illud, quod maius est, hoc Dominus commemorare voluit. Maius enim adulterium esse, quis negat, uxore non fornicante dimissa alteram ducere, quam si fornicantem quis dimiserit et alteram duxerit, non quia et hoc adulterium non sit, sed quia minus est, ubi fornicante dimissa altera ducitur. Est enim mechatio etiam eorum qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt et alteras ducunt. Quemadmodum igitur, si dixerimus: Quicumque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam duxerit, mechatur, procul dubio verum dicimus, nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mechos esse minime dubitamus. Ambos, inquam, licet alterum altero gravius, mechos tamen esse cognoscimus.* Non igitur valet hic argumentum a contrario sensu, quoniam resultaret pravus intellectus, ut iam in tertio praesupposito modo ostensum est et divus Augustinus etiam illud non recipit in loco praeallegato.

Tertia responsio [4] est Angelici doctoris in 4 Sententiarum dist. 35 q. 5 in cor[ollario] et ad 4 responsum [5] dicentis, *quod nihil adveniens supra matrimonium potest ipsum dissolvere et ideo adulterium non facit, quin sit verum matrimonium. Manet enim* [a] *inter viventes coniugale vinculum, quod nec separatio nec cum alio iunctio potest auferre, et ideo non licet uni altero vivente ad aliam copulam transire.* Ad textum autem Mathaei XIX *dicendum, quod exceptio illa, quae est in verbis domini, refertur ad dimissionem uxoris, et ideo obiectio ex falso intellectu procedit.* Est autem sensus sancti docto|[283r]ris, quod licet videatur esse tota una clausula, debet tamen intelligi sub duabus per replicationem hoc modo: Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur; idest, qui dimiserit uxorem, quocumque modo dimittat, etiam non accipiendo aliam, nisi id causa fornicationis faciat, supple peccat [6]. Et qui dimiserit uxorem suam, sive propter fornicationem sive propter aliam causam, et aliam duxerit, moechatur. Qui autem faciunt totam unam clausulam, errant, ut manifeste ostendit Apostolus, scilicet, quod etiam causa fornicationis facto divortio non licet alicui coniugum transire ad aliud matrimonium. ⟨Pro hac solutione facit textus in c. 1 [*Episcoporum*] de praescript. lib. VI [II 13] [7] ubi probatur, quod exceptio in fine posita non refertur ad omnia praecedentia, quando aeque non proportionatur ad ea, ibi *nisi tanti temporis etc.* Quae exceptio refertur ad titulum, non autem ad bonam fidem, de qua pariter fuerat praedictum, quia non proportionatur etc., ut dicit Glossa in verbo *nisi*⟩ [a].

[a] *C in marg. add.*

[1] Hic conferas, quae Ambrosius Catharinus in tractatu supra p. 60 adn. 6 citato p. 284 contra hoc argumentum affert.

[2] Carmina l. II sectio II n. 4, v. 132-136, *Migne gr.* 37, 1515. Quid sanctus doctor de loco *Matth.* 19, 9 senserit, videas in hom. 37 c. 8, *Migne gr.* 36, 292. Cfr. *A. Ott,* Die Auslegung der neutestamentlichen Texte über die Ehescheidung (Münster 1911) 62 sq.

[3] *Migne* 40, 456. (Lippomanus multa omittit.) Confer Ambrosii Catharini tractatum l. c. p. 283.

[4] Cfr. Ambr. Catharini tractatum l. c. p. 285.

[5] *S. Thomas,* In IV. Sent. dist. 35 q. 1 a. 5, Opp. VII (Antwerpiae 1612) 177.

[6] Hoc modo etiam Nicolaus Lyranus locum *Matth.* 19, 9 interpretatur.

[7] *Friedberg* II 1006.

Haec ultima solutio communior est et ab ecclesia recepta, ut patet ex c. [8] *Gaudemus* [X] de divortiis [IV 19] § *Quia vero*[1] circa finem. Causa autem alia etiam assignatur a Beato Hieronymo[2], quare facto divortio ob fornicationem non transeatur ad aliud matrimonium, scilicet ne detur occasio viris falsam causam divortii allegare et uxoribus eamdem recipere, ut utrisque liceret ad alia matrimonia transire. *Poterat* enim *accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti uxori et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret.* Ideo *sic priorem iubetur dimittere uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Nec non, quia poterat evenire, ut iuxta eandem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela praecipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, quae etiam semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nubere praecipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterii crimine sit.* Verum pro clariori intelligentia huius materiae notandum ex doctrina Archidiaconi[3] in c. [27] *Tantum* [C.] 32 q. 7[4], quod *duplex est matrimonii vinculum, alterum reddendi debitum, alterum non transeundi ad alia vota. Sola fornicatione intercedente solvitur primum, non nisi morte interveniente solvitur secundum. Solutio autem primi vinculi quandoque consulitur, quandoque permittitur, quandoque prohibetur, quandoque*
283v *praecipitur. Consulitur scilicet, cum ex communi consensu continentiam vovent,* | *permittitur, cum fornicariam etiam cessantem et poenitentem quis reliquerit uxorem, prohibetur, quando caste viventem et debitum exigentem non vult tenere nec debitum reddere, praecipitur, quando eam, quae est fornicaria et in crimine perseverat, maritus non vult relinquere.* Sed quaeritur, cum multa alia crimina sint maiora et graviora, quam adulterium, quare potius pro fornicatione, quam pro alio crimine uxor est dimittenda? Ad hoc respondet dominus cardinalis de Turrecremata[5], quod ideo primo, quia maius scandalum fit viro pro tali crimine uxoris quam pro alio, tum secundo, quia maior iniuria, quia pro alio crimine uxoris non maculatur corpus vel anima viri, sed pro fornicatione uxoris etiam corpus viri maculatur, tum tertio, quia coniux, quae adulteratur, fidem coniugalem frangit; sed frangenti fidem non est servanda fides.

Quia vero aliqui adhuc pertinaces sunt dicentes, nullam harum responsionum sibi satisfacere, his nos respondemus, eos nimis delicatos et sibi ipsis plus quam oporteat sapientes esse, qui contravenire audeant ecclesiae auctoritati, quae ita sententiam Domini et verbo et facto interpretata est. Et cum perseverent dicentes, illi textui non esse sufficienter responsum, tacite innuere videntur, ecclesiam ipsam, quae *columna est et firmamentum veritatis*[6] impudenter et absque ratione ulla expresse contra Domini sententiam fecisse, quod cogitare nedum dicere extremae fuerit dementiae.

2. Adducitur secundo loco *canon Apostolorum n. 18*[7], in quo dicitur: *Si quis viduam aut eiectam acceperit aut meretricem aut ancillam vel aliquam de iis, quae publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus aut presbiter aut diaconus aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deserviunt.* Haec canon. Cum autem *vidua* (ut inquit Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali)[8] *sit, cuius maritus mortuus est, eiecta vero, quae a marito vivente eiicitur,* ecce quomodo datur solutio vinculi matrimonii quoad hanc eiectam, quae contrahere potest cum altero. |

284r Responsio: Huic canoni non est difficile respondere. Nam nulla fit mentio, quod is, qui acceperit hanc eiectam, duxerit eam in matrimonium, sed potuit tantum domi suscepisse ad hospitium vel concubinam, quibus casibus propter reverentiam sacramenti ordinis, cui tunc temporis maxima exhibebatur, quia is suscepisset domi suae aliquo modo infamem mulierem, interdicebatur ei promotio. Vel si dicamus accepisse in matrimonio hanc eiectam, de facto hoc fecit, non de iure, quod volens canon prohibere mandat, ne accipiens ad sacros ordines promoveri possit. Erant enim tunc recenter de Iudaismo ad christianitatem conversi, et non ita de facili dimittebant suas antiquas consuetudines iuxta illud Apostoli[9]: *Abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum.* Esse igitur poterat, quod quis a Iudaeo eiecta christianus ipse factus de facto in uxorem accepisset vel etiam a Iudaeo de recenti ad religionem converso. Hic igitur ordinari prohibetur, quia

[1] *Friedberg* II 723 sq.
[2] In *Matth.* 19, 9, *Migne* 26, 135. (Omittuntur nonnulla verba).
[3] Hic est Guido de Baysio, archidiaconus Bononiensis, in apparatu ad decretum, qui dicitur *Rosarium*. *F. v. Schulte*, Geschichte der Quellen u. Literatur des kanon. Rechts II (Stuttgart 1877) 186 sqq. Locus citatus in editione Venetiana a. 1577 invenitur f. 358r.
[4] *Friedberg* I 1147.
[5] In Commentariis card. de Turrecremata ad C. 32 q. 7 (vide infra p. 67 adn. 4), ubi p. 425 ea de quaestione agit, verba non inveniuntur.
[6] *1 Tim.* 3, 15.
[7] *F. Lauchert*, Die Kanones der altkirchlichen Concilien 3.
[8] c. 7, *Migne* 22, 612.
[9] *Gal.* 1, 14.

interpretative bigamus reputatur absque eo tamen, quod matrimonium hoc canon approbet. ⟨Potest etiam intelligi et forsan melius de eiecta ante matrimonii consummationem, de quo eiectionis et repudii genere habetur⟩ [a].

3. Adducitur tertio primi Arelatensis concilii canon X [1], cuius haec sunt verba: *De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt et iidem sunt adolescentes fideles et prohibentur nubere, placuit, ut, in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.*

Responsio: Nec hic canon contrarius videtur. Nam verbum *et prohibentur* ostendit, quod ex communi consuetudine quasi lege recepta prohibebantur ducere alias uxores, qui proprias in adulterio deprehendebant et illas dimittebant. Quod autem dicitur *consilium eis, in quantum potest, detur,* non infert, quod sit de consilio, non autem de necessitate, non ducere alias, sed admonet concilium, ut quicumque cum eis loquitur, consultat illis ad ferendum in pace adulteras uxores et alias non superinducere. Et tale quid est, ac si quis alicui, cuius filia mortua sit, diceret: Frater, postquam | communis lex est, ut quilibet moriatur, 284v
hortor te et consulo, ut mortem filiae tuae patienter feras.

4. Citatur canon concilii Triburiensis [2] ad hoc idem sub his verbis conceptus: *Illud etiam nec canonica institutione diffinimus nec interdictione aliqua refutamus, sed propter eos, qui diverse de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suae spiritualis commatris filiam fortuito et ita contingente rerum casu in coniugium duxerit, consilio maturiori servato habeat atque honeste legitimo coniugio operam det.*

Responsio: Tantum abest, ut canon iste faciat contra matrimonii indissolubilitatem, ut multo magis pro ea facere videatur. Nam in fine dicit *consilio maturiori servato habeat atque honeste legitimo coniugio operam det.* Ecce, quomodo in re hac, quae erat dubia, an illud matrimonium inter compatrem et filiam spiritualem commatris (quae tamen non erat filia suscipientis) teneret. A principio placuit concilio, ut in matrimonio perseverarent. Et si dicatur: Concilium dicit in principio non definire, respondeo cum Glossa in c. [7] *Illud* [C.] 30 q. 3 [3] immo postea diffinire: et ita in re dubia certa fertur sententia, ubi de iure dubitatur. Verba sunt formalia ipsius Glossae.

5. Quinta adducitur auctoritas concilii Venetici [4] ita dicentis: *Eos quoque, qui relictis uxoribus suis, sicut in evangelio Matthaei XIX,* [9] *dicitur, excepta causa fornicationis sive adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos, ne per indulgentiam nostram permissa peccata alios ad licentiam erroris invitent.* Ecce (inquiunt hi) statuit concilium hos a communione arcendos, quia sine adulterii probatione uxores dimiserunt et alias duxerunt, quasi a contrario innuat, si adulterium probassent, uxores potuissent dimittere et alias ducere iuxta Domini sententiam, nec fuissent a concilio excommunicati.

Responsio: Ad hanc autem facilis patet responsio, videlicet quod hic concilium | narrat factum istorum, quod sine adulterii probatione et uxores dimiserunt proprias et alias 285r
superduxerunt, quod facere non debuerunt. Nam licet Dominus det licentiam dimittendi uxorem propter fornicationem, hoc tamen non debet publice facere maritus, nisi prius coram ecclesia probato adulterio. Quo probato tunc dimittere poterit, sed non alteram ducere. Isti ergo sine probatione et dimiserant et alias duxerant. Nam quod dicitur de argumento a contrario sensu, non valet, ut supra in tertio praesupposito satis est ostensum [5].

6. Sexta est auctoritas concilii Triburiensis canone XLI [6], ubi ita dicitur: *Si quis legitimam duxerit uxorem et impediente quacumque domestica infirmitate uxorium opus non valens implere cum illa, frater vero eius suadente diabolo adamatus ab ipsa clanculum eam humiliaverit et violatam reddiderit, omnimode separentur, et a neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur coniugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum, et quod erat legitimum, illicitum est factum, ut Hieronimus ait, mulier duorum fratrum non ascendat thorum, si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia vero humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo moneantur ad standum. Idcirco episcopus considerata mentis eorum*

[a] *C a Cervino add. in marg.*

[1] *Lauchert* l. c. 27. Cfr. *I. Fahrner,* Geschichte der Ehescheidung im kanonischen Recht (Freiburg i. B. 1903) 22 sq.

[2] Concilium T. anno 895 habitum can. 48. *Mon. Germ. Hist. Leges* II 239 sqq.; *Mansi* XVIII 154. De hoc canone et aliis huius generis cfr. *Fahrner* l. c. 62-120.

[3] *Friedberg* I 1202.

[4] Concilium Venetiarum ca. annum 465 habitum can. 2, *Mansi* VII 953. Cfr. *Ott.* l. c. 132.

[5] Cfr. supra p. 62, 20 sqq.

[6] *Mon. Germ. Hist. Leges* II 240; *Mansi* XVIII 152 sq. De hoc concilio eiusque canonibus 58 cfr. etiam *Hefele* IV² 552 sqq.

imbecillitate post poenitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio, ne dum parantur ad alta sublevari, corruant in coenum.

Responsio: Ad hanc auctoritatem respondeo, quod illa loquitur in viro impotente, qui propter frigiditatem non poterat coire cum propria uxore, et impedimentum erat perpetuum. Quo casu nullum fuit matrimonium a principio, etsi legitimum, hoc est secundum leges contractum, et uxor poterat alteri nubere iuxta cap. 1 et 2 [1] iuncta Glossa [C.] 33 [q. 1] et de frig. et malefic. per totum. Et ratio est, quia tale impedimentum est contra essen- 285v tialle matrimonii, videlicet bonum prolis, nec vir potest | ea facere, propter quae mulier illum accepit. Quod ut melius notum sit, sciendum, quod in matrimonio obligatur homo ad reddendum debitum. Sed nullus potest se obligare ad impossibile. Sed impotens coire non potest debitum solvere. Ergo non potest matrimonium contrahere. Praeterea matrimonium est institutum in officium et in remedium, ergo inter personas, inter quas nec officium nec remedium potest esse, ubi hoc ignoratur, non potest esse matrimonium. Verum quia ista miscuerat se fratri viri, propter publicam honestatem indicitur ei continentia, similiter et viri fratri. Tamen, si propter fragilitatem carnis non potest continere, post peractam poenitentiam de dispensatione episcopi quilibet potest, cui vult, matrimonialiter copulari. Quod autem canon loquatur in frigido, patet ex eius principio, dum dicit *et impediente quacumque domestica infirmitate uxorium opus non valens exercere.* Non ergo verum et consumatum hic dissolvitur matrimonium, sed quod putabatur, et sic non facit contra. Verum, quoniam concilium dicit *si quis legitimam duxerit uxorem*, et matrimonium legitimum fuisse, quod tamen, si recte consideremus, nullum fuisset, si impedimentum perpetuum intervenisset, iuxta c. primum X de eo, qui cognovit consang. uxoris suae [IV 13] [2], haec obiectio potius dissolvenda videtur, ubi dicitur, quod affinitas superveniens post matrimonium contractum non solvit matrimonium, sed exactionem debiti impedit. Sicque in concilio hoc matrimonium dicitur dissolvi quoad thorum, non autem quoad vinculum. Qui autem incestum admisit, contrahere non potest, ut in cap. sequenti habetur. Et idcirco commonendi sunt huiusmodi incestuosi, ut contineant. Quod si continere non valent, cum eis dispensandum est, cap. penult. et fin. eo[dem] titulo [3]. Secundo in supradicto casu concilii aliud erat impedimentum, adulterium videlicet, ratione cuius neuter alteri commisceri debet, et vir innocens debet mulierem etiam quoad thorum relinquere, ut ait Augustinus libro I Retract. cap. 19 [4] revocans id, quod aliquando dixerat libro primo sermonum Domini in monte, quod consilium erat, non Domini praeceptum adulteram relinquere. Cuius sententia esse videtur et Hieronymus [In] cap. XIX Matthaei dicens [5]: Fornicaria uxor | 286r *non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura Proverb. 18,* [22]: *Qui adulteram tenet, stultus et impius est. Ubicumque igitur est fornicatio, libere uxor dimittitur.* Et sic etiam non obest auctoritas praedicta, quia ex ea non dissolvitur matrimonium quoad vinculum.

7. Adducitur septimo loco canon octavus concilii primi Elibertini [6] sub his verbis: *Foeminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in finem accipiant communionem.* Ecce, dicunt hi, si praecedente causa reliquissent viros et aliis se copulassent, non utique excommunicarentur. Et est hoc etiam argumentum a contrario sensu.

Responsio: Iam dictum est superius, non valere in sacris litteris hoc argumentum, ubi pravus resultat intellectus. Quod si quis adhuc haesitet, an absurdus sit intellectus tenere contrariam propositionem, legat sequentem nonum canonem eiusdem Elibertini concilii, et omnem scrupulum a se amovebit. Is igitur ita habet [7]: *Item fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit, fidelem et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de saeculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Ecce quomodo etiam, si causa fornicationis uxor dimittat maritum, prohibetur alium ducere. Quod si ducat, de facto facit et non de iure. Nec mirum videri debet, si in praecedenti canone, ubi factum simpliciter narratur, feminae illae nec in fine communionem accipiunt, in sequente vero accipiunt, quoniam ibi maius erat delictum, nam feminae nulla praecedente causa viros reliquerant et alios acceperant; in secundo autem propter fornicationem id fecerant, quae licet peccassent, minus tamen deliquerant, ut superius est ostensum; ergo minus puniri debebant.

[1] Supple X de frig. et malefic. IV 15 (*Friedberg* II 704 sq.).
[2] *Friedberg* II 696.
[3] *Friedberg* II 700.
[4] *Migne* 32, 616.
[5] *Migne* 26, 135.
[6] Vel potius Eliberitani (Elvira). *Mansi* II 7; *Lauchert* 13. Cfr. *Ott.* l. c. 46 sqq.
[7] L. c.

8. Opponitur adhuc V o r m a t i e n s e concilium [1] in quo habetur: *Si quis cum matre et filia in adulterio mansit, nesciente | matre, quod cum filia mansisset, similiter et filia nescia,* 286v *quod cum matre mansisset, et postea ille vir, si acceperit uxorem, dimittat eam et usque in diem mortis suae non habeat uxorem, et illa mulier, quam reliquerit, recipiat virum, et illa mater et filia, cum quibus in adulterio mansit ambabus nescientibus, quod cum matre et filia mansisset, habeant viros. Nam si in notitiam illarum venerit hoc scelus, dimittant maritos et agant poenitentiam et illarum mariti accipiant mulieres. Similiter et de duabus sororibus, qui cum una in adulterio mansit et aliam in publico accepit, non habeat mulierem usque ad mortem, et illae duae sorores nescientes accipiant viros, et si in notitiam eis venerit, forma superior servetur. Qui cum duabus sororibus dormierit et una ex illis ante ei uxor fuerit, nullam uxorem postea habeat nec illa soror habeat virum.*

R e s p o n s i o: Priusquam ad hoc concilium respondeamus, duo nobis sunt praefanda: Primum, quod in hoc canone aut textus perperam adducitur aut, si recte adducitur, verbum adulterium stat pro fornicatione. Nam impossibile est, quod stet pro adulterio, quoniam si vir iste habuit matrem vel filiam in uxorem, quomodo potest esse verum, quod altera earum, quae non erat uxor, potuerit nescivisse, quod cum altera mansisset, ⟨nisi forte dicamus dictas feminas aliis viris in matrimonio copulatas fuisse⟩ [a]. Praeterea, cum dicitur *et postea ille vir, si acceperit mulierem, dimittat eam,* ostenditur, quod nulla priorum mulierum erat ei uxor. Quod autem adulterium ponatur pro fornicatione, patet expresse per textum in cap. [5] *Si quis cum matre* [C.] 35 q. 2 et 3 [2], ubi hic idem canon citatur sub his verbis: *Si quis cum matre et filia fornicatus fuerit ignorante matre de filia et filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem; illae vero, si voluerint, accipiant maritos. Si autem hoc scierint, ipsae feminae absque maritis perpetuo maneant.* Sic et quod dicitur de duabus sororibus in secundo casu, nam et ibi adulterium stat pro fornicatione. Nam et hic [c. 8 C.] 34 q. 1 et 2 [3] sub his verbis citatur: *Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit* etc. Et intelligit canonem hunc Dominus | cardinalis de T u r r e c r e m a t a [4] secundum quod praefamur, 287r [id] est, quod incestuosi voluntarii prohibentur nuptias contrahere. Et de iure antiquo illegitimabantur eorum personae. Patet hoc per cap. [8] *De incestis* [C.] 35 q. 2 et 3 [5]. Ubi etiam habes, qui dicantur incestuosi. Unde hi etiam, si contrahebant per verba de praesenti, non tenebat eorum matrimonium, non quia non consensissent, sed quia non fuerant legitimae personae ad contrahendum. Quae duo necessario requiruntur iuxta omnium doctorum sententiam, ut verum sit matrimonium. Dixi de iure antiquo; quia de iure novo, licet incestuosus prohibebatur matrimonium contrahere, si tamen contrahit, tenet matrimonium. Textus est in cap. [4] *Transmissae* de eo, qui cogn. consang. uxoris suae [IV 13] [6] et ibi Glossa in verbo *legitime.*

His praemissis respondeo ad canonem et dico non officere indissolubilitati matrimonii. Nam fornicator cum matre et filia, si accipiebat uxorem, tenebatur eam dimittere, et dimissa poterat habere virum, quoniam cum iste esset incestuosus, non poterat contrahere, unde nec fuit verum matrimonium, sed putativum. Rite ergo dirimitur, quod ab initio nullum fuit. Nos autem loquimur de vero et legitimo matrimonio, quod est indissolubile. Mater autem illa et filia, si nescierint, licite poterunt contrahere, quia ignorantia facti excusat eas, ut non habeantur pro incestuosis. Secus si sciverunt; nam cum incestuosae sint, nec ipsae contrahere poterunt, sicut nec fornicator. Sic et in secundo casu canonis, ubi quis ante cum una sorore secreto est fornicatus, et alteram postea duxerit uxorem, non poterit eam nec aliam habere mulierem, quia est incestuosus. Mulieres autem, si ignoraverint, post peractam poenitentiam poterunt habere maritos, si sciverint, nequaquam usque ad mortem. Tertius vero canonis casus de eo, qui dormierit cum duabus sororibus et una ex illis ante ei uxor fuerit, ubi dicitur, quod *nullam uxorem postea habeat, nec illa soror virum,* intelligitur quoad separationem thori tantum fieri dissolutionem, non autem quoad vinculum, quia impe|dimentum affinitatis superveniens ex cognitione sororis uxoris suae non potest diri- 287v mere matrimonium ante legitime contractum, prout supra ostensum est [7]. Soror autem illa

[a] *C a Cerrino add.*

[1] Concilium Vormatiense an. 868 can. 63, *Mansi* XV 879 sq.; c. 9 *Si quis cum matre* C. 34 q. 1 et 2, *Friedberg* I 1260. Cfr. *Fahrner* 84.

[2] *Friedberg* I 1264.

[3] C. 8 *Si quis cum duabus* C. 34 q. 1 et 2, *Friedberg* I 1260.

[4] *Ioannis a Turrecremata* in causarum decretalium secundam partem doctissimi commentarii tom. III (Venetiis 1578) 459.

[5] *Friedberg* I 1265.

[6] *Friedberg* II 697.

[7] Cfr. supra p. 66, 23 sq.

cognita, quae non erat coniugata, non poterit habere virum, quoniam est incestuosa, sciens sororem suam esse uxorem eius viri, cum qua ipsa postmodum dormivit. Verum quia forte ista distinctio iuris veteris et novi aliquibus non videbitur nimis tuta, utpote quae non possit ita probari, et ut, quantum fieri potest, vitetur iurium correctio, facilior et securior solutio illa erit, quod textus huius concilii perperam citetur et propter verbum adulterii, de quo iam diximus, multa alia verba addantur, quae non habentur in canone legendumque esse, ut habetur in dicto cap. [9] *Si quis cum matre* [C. 34 q. 1 et 2] [1] ubi dicitur: *Si quis cum matre fornicatus fuerit et cum filia ignorantibus, ille numquam accipiat uxorem*, idque ratione incestus. Non tamen etiam habetur, quod, si uxorem acceperit, separetur. Quod si ita leges, nullum erit penitus contrarium.

9. Nono canon adducitur ex graecis synodis [2], in quo habetur: *Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clericatum.*

Responsio: Huic canoni supra satisfactum est in secunda obiectione. Dic ergo ad hoc, prouti ibi habes.

10. Alia fit huic veritati obiectio de epistola papae Deusdedit [3], quae dicitur haberi in secundo tomo conciliorum [4] sub his verbis: *Mulieres aut viri, qui proprios filios in baptismo tenuerunt, nullo pacto possint amplius in coniugio permanere, sed dotes restituantur mulieribus et utique ad alia vota transeant post annum completum.* Et dicit: *Invenimus in archivis sedis apostolicae talia contigisse in ecclesia Isauriense et Ephesiorum et Hierosolymae et aliarum ecclesiarum et illos episcopos consuluisse pontifices Romanos Iulium, Innocentium [5] et
288r Coelestinum [6], qui cum conventu plurimorum episcoporum et sacerdotum | in ecclesia principis apostolorum prohibuerunt talia et praescripserunt, ut dictum est supra.*

Responsio: Textus huius epistolae in multis differt a cap. primo [C.] 30 q. prima [7], quod est eiusdem papae Deusdedit, ex hac ipsa epistola desumptum. Sed maneat epistolae fragmentum, ut lectum est. Dicimus, quod in hac epistola statutum est, sublatum esse per cap. 2 [X] de cognatione spirituali [IV 11] [8] editum ab Alexandro III, in quo totum contrarium decernitur sub his verbis: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperint, an propter hoc separari debeant? Consultationi tuae taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt; ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere nisi ad continentiam servandam possint induci, quia si id ex ignorantia factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Haec canon. Et merito facta est illa revocatio, quoniam, ut ait Glossa [C.] 30 q. prima in summa[rio]: Epistola Deusdedit et *capitula, quae dicunt, quod tales sunt separandi, non tenent, quia sunt contra evangelium, quod dicit ob solam causam fornicationis debere fieri separationem. Vel quod dicitur in eis, quod debeant separari, intelligas tandiu, quamdiu poenituerint. Vel dic, quod debent separari sub ea conditione, si possint induci ad continentiam*, ut in dicto c. 2. Quibus Glossae responsionibus ad illam epistolam coactus sum credere, quod in correcto originali non sunt illa verba, quae in epistola adducta recitata sunt, videlicet *nullo pacto possint in coniugio permanere, sed dotes restituantur mulieribus et utrique ad alia vota transeant post annum completum.* Nam epistola, quae recitatur a Gratiano, optime accomodari potest ad omnes solutiones Glossae, non autem prout recitata est ex tomo conciliorum. Aliam solutionem ad dictam epistolam ponit Dominus cardinalis de Torrecremata [9]
288v in eodem loco, quod causa consti|tutionis potuit esse vitatio mali exempli. Forte enim tunc temporis talis consuetudo pessima multum vigebat, scilicet de suscipiendis propriis filiis in baptismo. Et ideo ad tenorem id statutum fuit ex causa, qua cessante cessat haec constitutio. Verum, ut hic quoque iurium correctio evitetur et opponentibus ansa non detur dicendi: Saltem ante editum canonem ab Alexandro III id licuit observari, quod in dicta epistola Deusdedit continetur, idcirco dicere possemus dictum illud intelligendum esse de his, qui filios proprios ex fornicatione susceptos in baptismo tenuerunt, quia

[1] Cfr. supra p. 67 adn. 1.

[2] Can. 18 canonum apostolorum, *Lauchert* l. c. 3.

[3] Textus hic citatus epistolae papae Deusdedit (615-618) falso ascriptae (cfr. *Jaffé-Ewald*, Reg. pont. Rom. I n. 2003) multum differt ab eo, quem *Mansi* X 536 sqq. habet necnon a verbis Decreti (cfr. adn. 7).

[4] Conciliorum omnium tam generalium quam particularium tom. II (Coloniae 1538) f. 95r.

[5] Cfr. c. 3 *Si quis unus* C. 30 q. 4, *Friedberg* I 1103.

[6] Cfr. c. 9 *Si quis sacerdos* C. 30 q. 1, *Friedberg* I 1099.

[7] *Friedberg* I 1096.

[8] *Friedberg* II 693 sq.

[9] *Ioannis a Turrecremata* in causarum decreti secundum commentarii (Lugduni 1555) f. 177r.

propter impedimentum cognationis spiritualis postea ad invicem contrahere prohibentur, quod si contraxerint, separandi sunt, ut in c. [6] *Veniens* [X] de cognatione spirituali [IV 11] [1] habetur. Et hoc videtur innuere Deusdedit, cum dicit, quod in matrimonio, de facto scilicet et non de iure contracto, non permaneant. Et hoc modo intelligendo totam epistolam illam, prout citatur, admittere possumus et verba, quae in ultima eius parte habentur, videlicet, quod *transeant ad alia vota post annum completum,* subaudi poenitentiae, quae eis ob hanc culpam imponenda venit, et sic non erit contra indissolubilitatem matrimonii, quia nos loquimur de vero et legitimo matrimonio, et non de illo, quod ab initio non tenuit propter illegitimitatem personarum. ⟨Quamquam scimus hunc epistolae intellectum a Glossa ibidem posita in verbo *usum* reprobari⟩ [a].

11. Alia quoque opponitur sententia Gregorii primi [2] et tertii, quorum alter scribit ad Augustinum Anglorum episcopum, alter ad Bonifacium episcopum, dicens, quod uxore in infirmitate existente incurabili, vir potest aliam accipere, si continere non potest.

Responsio: Credimus hic magnum esse errorem, nam idem est Gregorius, qui scribit ad utrosque, et non duo Gregorii. Legantur ambae epistolae et videbuntur eadem esse formalia verba in utraque. Huic igitur sententiae Glossa [in C.] 32 q. 7 [3] dat multas solutiones, quarum illae pleniores et veriores, cum quibus etiam transit Archidiaconus [4] in eo loco, quod hoc Anglis tempore permissum fuit, quia novi erant in | fide et indi- 289r
gebant lacte, non solido cibo [5]. Secunda solutio est, quod loquitur de ea, quae a principio habuit perpetuum impedimentum et arta erat, quo casu matrimonium non tenuit, quia impedimentum tenebat contra unum ex bonis sacramenti matrimonii, videlicet prolis, non enim poterat viro debitum reddere. Non ergo separatur hic verum matrimonium, sed putativum.

12. Opponitur adhuc canon Elibertini concilii [6], ubi dicitur: *Uxor potest dimitti a viro, si machinata fuerit in mortem viri, et constiterit, et ipse potest ducere aliam.*

Responsio: Canon iste de separatione istius matrimonii, quando mulier machinata est in necem viri, et constiterit, intelligitur quoad mutuam habitationem tantum, non autem quoad vinculum matrimonii iuxta not. Glossae in cap. 2 [X] de divortiis [IV 19] [7]. Quod autem vir huius mulieris possit aliam ducere, si velit, intellige post mortem uxoris et non ante. Et pro hoc vide cap. primum de divortiis [8], quod est glossa huius canonis, et ratio est iam dicta, quia nihil superveniens vero matrimonio illud dirimit quoad vinculum.

13. Adducitur tertiodecimo cap. [19] *Quaedam* [C.] 32 q. 7 [9], in quo dicitur: *Quaedam cum fratre viri sui dormivit; decretum est, ut adulteri nunquam coniugio copulentur; illi vero, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur.*

Responsio: Nec hoc capitulum facit contra matrimonii indissolubilitatem. Nam primo, quod isti adulteri copulari non possint, non est ratione adulterii, sed ratione incestus, iuxta id quod habetur in capitulo primo [X] de eo qui cogno. consan. uxoris suae [IV 13] [10]. Secundo, quod dicitur *illi, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur,* intelligitur post mortem uxoris incestuosae, non ante, quoniam de hoc dubium aliquod esse poterat, quia dixerat, quod adulteri nunquam coniugio copularentur. Dubitabatur autem, nunquid idem esse dicendum de viro, quod nunquam copulari posset, [et] respondetur, quod non, quia post mortem uxoris poterat uxorem ducere; cuius ratio est, quia ipse nullum crimen admisit, nec fuit in causa, quod uxor sua incestum committeret cum fratre suo. Quamvis ergo hic separari matrimonium possit, non tamen quoad vinculum, nam quamdiu vivit uxor incestuosa, maritus nunquam contrahere poterit. Et haec est responsio non nostra, sed Glossae in dicto capitulo *Quaedam* [11].

[a] *C add. in marg.*

[1] *Friedberg* II 695.

[2] C. 18 *Quod posuisti* C. 32 q. 7, *Friedberg* I 1144 sq.

[3] Decretum Gratiani (Lugduni 1543) f. 370 in verbum *nubat* habet glossam: *Hoc Anglicis concessum est, ut Gregorius, quia novi erant in fide..., sed male, quia iste non fuit Gregorius Magnus nec scribit Augustino Anglorum episcopo.* Postea dat alias solutiones, sc. canonem interpretandum esse de sponsa vel de dote restituenda vel de muliere arcta.

[4] Cfr. supra p. 64 adn. 3.

[5] Cfr. *1 Cor.* 3, 2.

[6] Hic canon concilio Vermeriensi a. 753 celebrato attribuendus est, *Mon. Germ. Hist. Leges* I 22; deest apud *Mansi* XII 565 sqq. Verba differunt etiam a forma in Corp. iuris can. c. 1 *Si qua mulier* de divortiis IV 19 (*Friedberg* II 720) exhibita.

[7] Decretales Gregorii IX (Lugduni 1543) f. 334r habent in verba *coniuges erunt* glossam, *quod vinculum coniugii semel habitum nunquam amittitur viventibus coniugibus etiam separatis.*

[8] Cfr. supra adn. 6.

[9] *Friedberg* I 1145. [10] *Friedberg* II 696.

[11] Cfr. Decretum Gratiani (Lugduni 1543) f. 370v.

14. Quartodecimo affertur canon [23] Zachariae papae [C.] 32. q. 7[1]: *Con-*
289v *cubuisti cum sorore uxoris tuae? Si fecisti, neutram habeas, et si illa, quae | uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si continere non vult, nubat in Domino, cui vult. Tu autem et adultera sine spe coniugii permaneatis.*

Responsio: Ad hoc capitulum datur ea responsio, quae superius. Est enim idem casus, qui in cap. *Quaedam*, nisi quod personae sunt mutatae. Dicitur enim, quod uxor illius, qui concubuerat cum sorore eiusdem uxoris, si se non vult continere, nubat, cui vult, scilicet post mortem mariti, cum tamen adulteri ipsi et incestuosi, quamdiu vixerint, sine spe coniugii maneant, ut dictum est supra, ratione ipsius incestus. Ita etiam dicit Glossa in dicto cap. *Quaedam*[2], nempe omnia illa capitula usque ad paragraphum *Quamvis* intelligi et exponi debere per capitulum [22] *Hi vero* [C. XXXII q. 7][3] quod est divi Gregorii papae, et sic habet: *Hi vero, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum nec eam aliam uxorem accipere vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, vir eius, si vult, nubat tantum in Domino; adultera vero nunquam, etiam si mortuus fuerit vir eius, omnibus tamen diebus vitae suae acerrimae penitentiae lamenta persolvat.* Aliam quoque solutionem ponit Glossa in dicto cap. *Concubuisti*, quod illud capitulum loquitur de ea, quae *erat tantum sponsa de futuro*[4], quae etiam vivente viro, qui dormivit cum sorore ipsius sponsae, potest alteri copulari, X de iure iurando [II 24] capitulo [25] *Quemadmodum*[5]. Sed in hoc casu nomen uxoris in textu positum significaret sponsam, iuxta illud evangelii[6]: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* |

290r 15. Quintadecima auctoritas adducitur ex concilio Triburiensi capitulo [24] *Si quis cum noverca transumptive* [C.] 32 q. 7[7], ubi ita dicitur: *Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad coniugium potest pervenire, sed vir eius potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua vel cum sorore uxoris suae dormierit, observandum est.*

Responsio: Et haec auctoritas eandem, quae supra, patitur responsionem. Nam ubi dicitur *neuter ad coniugium potest pervenire*, intelligitur post mortem viri novercae, et hoc ratione incestus. Similiter et de viro, quod dicitur posse, si velit, aliam accipere, intelligitur post mortem uxoris suae, quae adulteravit cum filiastro. Similiter et in casu sequenti. Nam nunquam propter adulterium sive incestum supervenientia matrimonii vinculum rumpitur, licet quoad thorum et cohabitationem fieri possit separatio, ut in principio ostensum est. Ista etiam solutio est Glossae in dicto cap. *Si quis cum noverca*, in verbo *sed vir*[8].

16. Adducuntur demum quaedam sanctorum auctoritates, quae hoc videntur manifeste asserere. Quarum prima est divi Ambrosii super epistola Pauli ad Corinthios ita dicentis[9]: *Uxor a viro non discedat, nisi causa fornicationis, quod si discesserit, aut maneat innupta aut reconcilietur viro suo, et vir similiter non dimittat uxorem.* Ideo non subdit de viro, quod de uxore praemisit, quia viro licet ducere aliam.

Responsio: Hanc Ambrosii auctoritatem solvit Gratianus dicens, quod non est dictum eius, sed a falsatoribus insertum et additum scripturis suis, sicut et factum est quibusdam aliis doctoribus. Vide Gratianum in cap. *Quod proposuisti* § *Sed illud* [C.] 32 q. 7[10]. Aliam solutionem dat Dominus cardinalis de Turrecremata super illo capitulo[11], videlicet, quod *alii dicunt, quod non fuit magnus Ambrosius, qui illud dixit, sed quidam monachus, qui dictus est adoptivus.* Aliam etiam dat Dominus Archidiaconus[12], videlicet, dum dicitur, quia viro licet ducere aliam, ut intelligatur post mortem uxoris, et tunc
290v non erit contrarium. Sed quoniam, | ut verum ingenue fateamur, nulla harum responsionum sufficiens videtur, cogita, si posset alio modo ad hanc auctoritatem responderi et dici, quod divus Ambrosius intelligendus est loqui iuxta leges civiles, quae clementiores sunt in viros, quam in feminas, ut habet in l. 1 c. de adulterio et stupro[13], non autem

[1] *Friedberg* I 1146.

[2] Decretum Gratiani (ut supra p. 69 adn. 3) f. 370v habet in verba *illi vero* hanc glossam: *Omnia ista cap. usque ad § Quamvis exaudi per cap. Hi vero, quod est glossa omnium, quae omnia inducuntur ad probandum, quod incestuosi non possunt matrimonium contrahere.*

[3] *Friedberg* I 1146.

[4] Decretum Gratiani (ut supra adn. 2) f. 371r.

[5] *Friedberg* II 368 sq.

[6] *Matth.* 1, 20. [7] *Friedberg* I 1146.

[8] Decretum Gratiani (ut supra adn. 2) f. 371r.

[9] Verba sunt eadem ac apud Gratianum c. 17 C. 32 q. 7 (*Friedberg* I 1144); Ps. Ambrosius (*Migne* 17, 218) eandem sententiam, sed aliis verbis profert.

[10] *Friedberg* I 1145.

[11] *Ioannis a Turrecremata* in causarum decretalium secundam partem doctissimi commentarii tom. III (Venetiis 1578) 430.

[12] Vide supra p. 64 adn. 3.

[13] Cod. Iust. IX 9, 1 (*Krüger* II 374). Cfr. *I. Freisen*, Geschichte des kanon. Eherechts[2] (1893) 771.

secundum propriam sententiam illa scripsit sanctus doctor, quippe qui libro de patriarchis [1], cuius verba habentur in cap. [4] *Nemo* [C.] 32 q. 4, dicat: *Nemo sibi blandiatur de humanis legibus, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet.* Ad hoc quoque est eiusdem sententia in *Luc.* [16, 18] [2] expressior, cuius verba habentur in cap. [2] *An quod* [C.] 33 q. 2 ita dicentis: *An quod in subditos ne fas est, in comparem fas est? Dimittis ergo uxorem quasi iure, sine crimine, et putas hoc tibi licere, quia lex humana non prohibet. Sed prohibet lex divina. Qui hominibus obsequeris, Deum verere; audi legem Domini, cui obsequentur et qui leges fecerunt: Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

17. Secunda auctoritas Origenis in homilia septima super *Matth.* [19, 3] ita dicentis [3]: *Scio quosdam, qui praesunt ecclesiis, extra scripturam permisisse aliquam nubere viro priori vivente, et contra scripturam quidem fecerunt dicentem: Mulier ligata est viro, quanto tempore vivit vir eius. Item vivente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt; forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum peiorum comparatione, quae mala sunt, permiserunt adversus ea, quae ab initio fuerant scripta.*

Responsio: Haec auctoritas se ipsam destruit. Nam Origenes ponit factum absonum quorundam praelatorum, qui adversus sacram scripturam praesumpserunt permittere, quod aliqua priore viro vivente nuberet alteri, licet tamen id non fecerint sine causa. Doctor tamen ipse non approbat hoc factum nec est illius sententiae. Imo paulo inferius ita ait [4]: *Qua enim ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur viro | vivente,* 291r *eadem ratione et vir quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundum sententiam Christi, sed magis mechatur quasi alienam accipiens.*

18. Tertia affertur auctoritas divi Augustini in libro de fide et operibus cap. 19 ita dicentis [5]: *Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit et aliam duxerit, non videtur aequandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt; et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

Responsio: Si hoc dictum recte consideretur, nullo modo est contrarium indissolubilitati matrimonii. Nam facit hic mentionem sanctus doctor de his, qui dimittunt uxores excepta causa adulterii, id est non ob adulterium, et ducunt alias, et de eo, qui deprehensam in adulterio dimittit et aliam ducit, asseritque non esse hunc illis aequandum quoad culpam, quoniam etsi fallitur, superinducendo scilicet aliam vivente adultera deprehensa, venialiter tamen fallitur, hoc est facilius sibi ignoscitur, nempe, quia maximam causam habuit hoc faciendi, videlicet deprehendendo uxorem in adulterio; priores autem falluntur, sed non [a] venialiter, quia nullam habuerunt causam dimittendi uxores et alias superinducendi. Non ergo est huius sententiae Augustinus, quod liceat viro ita dimittenti uxorem aliam ducere, nec approbat hoc factum, nec negat, quin et iste fallatur sic faciens. Vel dic, quod venialiter fallitur, respective ad eum, qui sine causa fornicationis dimittit, non tamen propter hoc laudat, quod ita faciat. Sicut in simili dicitur iustificata Sodoma et Gomorra respectu Hierusalem, cum tamen et ipsae iniquissimae fuerint, sed iustificatae sunt comparative ad illam omnium pessimam et ingratissimam. Qui loquendi modus frequens valde est in scripturis.

19. Ultima adducitur Tertulliani auctoritas sine citatione aliqua | loci, in quo 291v matrimonii teneat dissolubilitatem.

Responsio: Certe diligentissime perquisivi libros Tertulliani et nullus mihi occurrit locus, in quo tractet de divortio, nisi in libro quarto contra Marcionem [c. 34] [6], ubi Domini auctoritatem expendit, quae legitur *Matthaei* 19 [3 sqq.] et *Matthaei* 5 [32]. Sed si quis Tertullianum ea de re loquentem consideraverit, nihil minus quam hoc dicit. Quinimo catholicae sententiae favere semper videtur. Quod si, quia is ad intelligendum admodum est difficilis, per nos ibi minus fuerit intellectus et contrariam sententiam aut alibi astruat, defendet nos ab hac opinione sua divus Hieronymus inquiens [7]: *De Tertulliano nihil amplius dico, quam ecclesiae hominem non fuisse.* Item Tertullianum sic interdum

[a] H in

[1] De Abraham l. I c. 4 n. 25, *Migne* 14, 431.
[2] L. VIII n. 4 sq., *Migne* 15, 1766 sq.
[3] *Migne gr.* 13, 1245/46. Cfr. *Ott* l. c. 40 sqq.
[4] *Migne gr.* 13, 1249/50. [5] *Migne* 40, 221.
[6] *Migne* 2, 441 sqq. Varia loca, in quibus Tertullianus de divortio tractat, illustrat *Ott* l. c. 21 sqq.; *A. d'Alès*, La théologie de Tertullien (Paris 1905) 370 sqq.; *I. Delazer*, De insolubilitate matrimonii iuxta Tertullianum: Antonianum 4 (1932) 441-464.
[7] Adversus Helvidium c. 17, *Migne* 23, 201.

legendum monemus, quomodo Origenem, Novatum, Arnobium, Apollinarium et nonnullos scriptores graecos pariter et latinos, ut bona eorum eligamus vitemusque contraria, iuxta Apostolum dicentem [1]: *Omnia probate, quae bona sunt tenete.*

Haec fuere, quae contra indissolubilitatem vinculi matrimonii facere putabatur, quae iudicio meo nullatenus illi praeiudicant. Stat ergo firma et inconcussa haec veritas matrimonium esse indissolubile, nec eius vinculum rumpi posse quavis causa, etiam fornicationis, superveniente. Si sacri concilii patres meliores solutiones invenerint illis, ego libenter acquiescam, prout facturos confido, cum hic adsint viri in omnibus facultatibus excellentissimi. Haec tantum dicta fuerint ad studiosorum ingenia excitanda et, ut praecipienti Illmo ac Rev^{mo} Domino praesidenti mos gereretur [2].

15.

Ioannes Antonius Delphinus [ord. Min. conv.]: De clandestino matrimonio [3].

Bononiae, 1. **Februarii 1548.**

Romae Arch. Vat. *Conc. 16* f. 446^r–467^r (novae foliationis; antiqua mendosa est), or. (?); f. 469^r rubrum Massarelli.

Quattuor conclusiones probat auctor: I. Matrimonium clandestinum esse ratum et verum matrimonium; II. penes ecclesiam esse facultatem prohibendi matrimonium clandestinum; III. si quis duo matrimonia contraxerit, primo clandestinum, postea publicum, clandestini vinculum in foro conscientiae obligare, etiamsi in foro ecclesiastico publicum pro rato habeatur; IV. non posse ecclesiam matrimonia clandestina irritare quoquo modo.

Conc. 16 f. 446^r Cum his diebus magna sit controversia inter patres de clandestino matrimonio [4], visum est mihi operae pretium esse, in re tanta breviter scribere, quid sentiam, ut ego quoque pro modulo virium mearum aliquid proferam in medium et suppetias feram christianae reipublicae. Itaque supervacaneis omissis omnibus, quatuor solum conclusiones

[1] *1 Thess.* 5, 21.

[2] Silentio non praeterire velim scripta de matrimonii dissolutione, quae *Carte Cerv. Filza* 31 extant, i. e. f. 1^r-6^v: *Consilium super re Anglica;* f. 12^r-39^r quattuor vota theologorum de matrimoniis inter catholicos et haereticos, quae mensi Iulio anni 1549 attribuenda esse videntur (cfr. *Conc. Trid.* II 439, 14), inter quae f. 22^r-26^v votum procuratoris S. Augustini [Christophori Patavini], f. 27^r-34^r Fr. Antonii Maritharii procuratoris ord. Carmelitarum.

[3] De auctore, qui tum erat provincialis Bononiensis, postea ab a. 1559 usque ad mortem a. 1560 vicarius generalis sui ordinis, cfr. praeter *Conc. Trid.* I et V passim praesertim *Fr. Lauchert,* Die italienischen literarischen Gegner Luthers (Freiburg 1912) 487-536; *idem,* Der italienische Franziskaner Io. Ant. Delphinus u. die Beziehungen seiner literarischen Tätigkeit zum Konzil v. Trient: Zeitschr. f. kath. Theologie 34 (1910) 39-70.

Cum nostro tractatu conferas, quae idem Delphinus in opere suo De matrimonio et coelibatu (Camerini 1553) p. 60-70 de iisdem quattuor conclusionibus ut supra exponit. Defendit in eo opinionem suam de validitate matrimonii clandestini contra Ambrosium Catharinum (qui erat inter illos *quosdam* p. 64, qui Iustinianum imperatorem ad probandam invaliditatem adduxerant) novis argumentis, quamvis multae sententiae et verba multa ex priore nostro tractatu excerpta sint. De hoc opere vide *Lauchert* l. c. 526 sqq.

[4] Ex Massarelli diario IV cognosci non potest, an controversia de clandestinis matrimoniis, cuius Delphinus in prooemio mentionem facit, originem iam duxerit, cum theologi minores a 29. Aprilis usque ad 7. Maii 1547 de unctione, de ordine et de matrimonio disputarent (*Conc. Trid.* I 646, 30 sqq.). Sed verisimile est, eos minime hac de materia convenisse. Nam 29. Augusti primus praesidens in congregatione generali dubium disputandum proposuit: *Matrimonia clandestina non esse legitima matrimonia ac proinde esse in potestate parentum ea irritandi, nisi qui clam contraxerunt impetrarent a patribus ea rata haberi* (*Conc. Trid.* I 687, 8 sqq.). De quo dubio una cum altero de divortio mulieris adulterae cum patres a 2. usque ad 6. Sept. 1547 sententias tulissent, 6 canones de matrimonio formati et a 10. Sept. usque ad 24. Sept. in congregationibus generalibus disputati sunt. Nec tunc contrarietas opinionum superata. Dubitabatur enim, an secundus canon de clandestinis matrimoniis non potius ad reformationem quam ad dogmata pertineret (*Conc. Trid.* I 709, 23 sqq.) et paulo post (14. Oct.) in congregatione deputatorum theologorum denuo de validitate certabatur, et *patres non potuerunt concordare, cum aliqui cuperent statui quod matrimonia clandestina in genere sint valida, alii quod tantum illa valida esse dicerentur, quae* [*non*] *sine consensu parentum facta essent; quare res indecisa relicta est* (*Conc. Trid.* I 710, 25 sqq.).

Ut supra in tractatu n. 14, nunc iterum tractatus Ambrosii Catharini consulendus est: *De clandestinis matrimoniis an valida sint et possint dici sacramentum,* excusus 1551 in appendice Enarrationum in quinque priora capita libri Geneseos (cfr. *Schweizer* l. c. n. 48 p. 301), sed haud dubie, ut ceteri tractatus huius pretiosae collectionis, in concilio scriptus, praesertim cum p. 262 concludat: *haec ad prudentiam summi pontificis et sanctae synodi essent omnino remittenda.* Defendit Catharinus opinionem Delphino contrariam, i. e. matrimonia clandestina facta absque testibus et sacerdotali benedictione et absque consensu parentum esse contra leges civiles (p. 255 sq.), contra ius naturale et bonos mores (p. 257 sqq.), contra canones (p. 259 sqq.) et propterea invalida. *Matrimonii,* inquit, *natura et condicio haec est, ut si quid est aliud*

in praesentia tractabo, vehementer negotio, quod patres et doctissimos viros quosque torquet, profuturas.

Prima conclusio: Matrimonium clandestinum, quolibet modo accipiatur, verum et ratum sine dubio matrimonium est.

Secunda conclusio: Ecclesia potest optimo iure matrimonia clandestina prohibere, imo prohibuit et poenam illis, qui clam contraherent, imposuit.

Tertia conclusio: Si quibis matrimonium contraxerint, primum cum aliquibus in occulto, deinde in propatulo cum aliis, iudicabit et determinabit | ecclesia secundum 446v
matrimonium, quod nimirum fuit contractum palam, esse ratum verumque matrimonium, quamvis coram Deo primum, quod clandestinum est, ratum verumque sit.

Quarta conclusio: Ecclesia non potest ullam personam illegitimare, ut minime idonea sit matrimonio propter modum contrahendi clam sive in occulto, neque potest clandestina matrimonia irrita facere. Quanquam enim prohibere integrum habet, ut diximus, ne quis matrimonia clandestina contrahat, tamen rescindere nequit iam contracta, quamvis propter multas alias rationes illegitimare personas valeat.

Prima conclusio:

Matrimonium clandestinum verum et ratum sine dubio est matrimonium, sive dicatur eo clandestinum, quod sine testibus contrahatur, ut X de cland. desponsat. [IV 3] cap. [2]. *Quod nobis*[1], sive quod absque consuetis solemnitatibus contrahere, etiam si absint testes ut [C.] 30 q. 5 cap. [1] *Aliter*[2], sive quod sine | praevia denuntiatione ecclesiae 447r
contrahatur X de clandes. desponsa. [IV 3] cap. [3] *Cum inhibitio*[3].

Confirmatio conclusionis:

Id verum sine dubio matrimonium est, cui nihil eorum deest, quae ad ratitudinem matrimonii sunt necessaria. Cum tale igitur sit matrimonium clandestinum, oportet proculdubio illud matrimonium esse verum et ratum.

Probatio minoris:

Ad ratitudinem matrimonii conveniunt causa efficiens, natura, forma, finis, minister, bona, effectus, legitimitas personarum.

Primo: Causa efficiens duplex est, una remota, quae quidem est divina institutio, altera propinqua, quae est ipse mutuus et liber consensus, explicatus per verba de praesenti.

Secundo: Materia est mas et femina seu legitimae personae (at quae materia in sacramentis omnibus ea est, ad quam sacramentalia verba referuntur); quae materia est una secundum integritatem et vocatur etiam elementum. |

Tertio: Forma est verba illa, quibus tum vir tum femina ultro explicat mutuum 447v
consensum, sive primum vir deinde femina, sive prius femina et posterius vir ea pronuntiet, ac una quidem est forma secundum integritatem, quae vocatur aliquoties verbum, ut probe dixit Augustinus[4]: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* An vero possit aliquid loco verborum esse congrua forma, propter multos, qui sine ullis verbis legitime contrahunt matrimonium, in praesentia mihi discernendum non est.

Quarto: Finis, qui et usus dicitur, est primo, ut in officium sit propagandae humanae speciei, secundo, ut remedium sit urentis concupiscentiae utque vitentur omnes turpitudines, tertio, ut figura sit coniunctionis mysticae Christi et ecclesiae. Propter primum Deus inquit[5]: *Crescite et multiplicamini,* propter secundum Paulus[6] ait *Propter*

in hominum societate, quod requirat publicum et apertum testimonium, certe ipsum est vel potissimum (p. 257), quam propositionem probat multis rationibus: (1) quia *contrahitur affinitas cum familiis,* (2) in clandestino *fit liberum... pro sua libidine dissolvere matrimonium,* (3) *praebetur pervia occasio ad explendas libidines sub praetextu matrimonii,* (4) *sternitur via lata ad adulteria,* (5) *nonnumquam ii contrahunt, qui contrahere non possunt vel propter consanguinitatem aut affinitatem aut publicam honestatem;* (6) timendum est *propter legitimitatem filiorum;* (7) *periculum est de morte prolis.* His ex rationibus proponit Catharinus, clandestina matrimonia esse ab ecclesia expresse irritanda (p. 258); si autem parentes sine iusta causa consensum recusaverint, *protestetur filius ante tribunal episcopi se elegisse, quae sibi placet, et episcopus debet filio permittere, ut palam contrahat et in facie ecclesiae* (p. 262). De malis, quae matr. cland. sequebantur, cfr. praeter libros a *Sägmüller,* Lehrbuch des kath. Kirchenrechts II³ (Freiburg 1914) 118 laudatos: Zeitschrift f. Kirchenrecht 10 (1871) 1 sqq.; Annalen des historischen Vereins f. d. Niederrhein 65 (1898) 151 sqq.

1 *Friedberg* II 679.

2 *Friedberg* I 1104.

3 *Friedberg* I 1104 sq.

4 In Io. tr. 80 n. 3, *Migne* 35, 1840.

5 *Gen.* 1, 22.

6 *1 Cor.* 7, 2.

fornicationem vitandam unusquisque uxorem suam habeat et unaquaeque virum suum, ac paulo
448r post[1]: | *Melius est nubere quam uri.* Propter tertium idem P a u l u s dixit[2]: *Magnum est hoc sacramentum, ego autem dico in Christo et in ecclesia.*

Q u i n t o: Minister potest indiscriminatim esse, quicunque integrum habet m i n i s t e r esse in contractu matrimonii; est vero interdum sacerdos huiusmodi minister, interdum vir cum muliere, interdum laycus, interdum clericus. Huic autem sacramento peculiare est, ut materia queat esse minister propterea, quod legitimae personae, quae materia sunt, proferunt verbum, quo ad elementum accedente fit sacramentum.

S e x t o: B o n a sunt, quemadmodum A u g u s t i n u s ait[3], fides, proles et sacramentum. Primo fides, ut alter coniugum debitum reddat alteri et nemini unquam alteri copuletur carnaliter; secundo proles, ut, si volente Deo prolem habuerint, eam libenter accipiant, ut parati sint eam pro virili sua educare iuxta religionem christianam; tertio sa-
448v cramentum, ut | coniugale vinculum mariti et uxoris omnino inseparabile sit, donec uterque fuerit superstes; in praesenti enim sacramentum pro inseparabilitate accipitur.

S e p t i m o: E f f e c t u s duo sunt. Primus est voluntaria coniunctio animorum et mutua corporum donatio, alter est non gratia ipsa, quandoquidem prima gratia in duobus tantum sacramentis confertur, nempe in baptismo et in penitentia, quippe cum alia sacramenta praesupponant vel baptismum vel penitentiam aut re aut voto; alter, inquam, effectus haud quaquam proprie est gratia, sed ipsius gratiae augumentum seu perfectio. Secundus vero effectus minime necessarius est; non enim, quicunque sacramenta suscipiunt, gratiam consequuntur aut gratiae intentionem. At primus effectus ita necessarius est, saltem quantum ad mutuam corporum donationem, ut sine tali effectu minime queat matrimonium esse.
449r Atque matrimonium est vinculum inter marem et feminam | sive inter legitimas personas indissolubile ex mutua et libera potestatis traditione corporum suorum vicissim facta propter generandam prolem educandam religiose. De hoc ipso effectu P a u l u s ait[4]: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* Ceterum haec libera et mutua corporum donatio seu traditio est spiritualis quidam et matrimonialis contractus, quasi simul tractus duarum voluntatum ad liberam et mutuam comunionem corporum. Porro decet, ut coniuges animorum coniunctione perpetuo sint quasi cor unum et anima una; decet, inquam, ut se vicissim perpetua et casta benevolentia diligant, sic tamen, ut uxores maritis suis obediant, quemadmodum P a u l u s inquit[5]: *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est caput ecclesiae, ipse salvator* |
449v *corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.*

O c t a v o: L e g i t i m a e p e r s o n a e omnino sunt vir et femina, quae nullo impedimento redditae sint a quoquam illegitimae, quemadmodum illegitimae sunt, quae aliquibus irretiuntur impedimentis vel uno ad minus. I m p e d i m e n t o r u m autem alia sunt ex n a t u r a c o n t r a c t u s, sive illa quidem attendantur penes conditiones, quantum spectat ad personas contrahentes necessarias. Ex contractus quidem conditionibus t r i a generatim sumuntur impedimenta: Primum ex metu, secundum ex defectu notitiae, tertium ex repugnantis conditionis appositione. Et p r i m u m sane impedimentum multiplex est secundum mali, quod iuste timetur, multiplicitatem; s e c u n d u m vero est triplex iuxta
450r errorem triplicem, et huc quartum accedit, | quatenus ratio et mens in aliquibus privatur usu suo; t e r t i u m autem tria sub se continet pugnantia cum tribus matrimonii bonis. Porro e x c o n t r a h e n t i u m p e r s o n a r u m c o n d i t i o n i b u s generatim sumuntur duo impedimenta: P r i m u m ex impotentia, quae per iustitiam est, nempe quod sit alteri quis obligatus; ac primum duplicem naturalem impotentiam continet: primo frigiditatem et mutilationem viri, et unam impotentiam in muliere, videlicet arctationem simpliciter; frigiditas enim in muliere haud quaquam simpliciter impedit, ut neque sterilitas impedit simpliciter; deinde unum utrique sexui communem, puerilem nimirum aetatem; denique tam in viro quam in femina casualem impotentiam, si nimirum ea sit perpetua, sub se continet. S e c u n d u m impedimentum[a] in particularia minime distribuitur impedimenta, |

[a] Cod. add. en

[1] *1 Cor.* 7, 9. [2] *Eph.* 5, 32.
[3] De Genesi ad litt. l. IX c. 7 n. 12, *Migne* 34, 397.
[4] *1 Cor.* 7, 4.
[5] *Eph.* 5, 22 sqq.

sed omnino individuum manet, quod pro tempore novae legis non admittitur bigamia, neque uxorem dimittere seu repudiare liceat, ut ea vivente sive dimissa sive nequaquam dimissa non liceat contrahere matrimonium cum altera. De his vero impedimentis copiose agunt theologi et canonistae, quae omnia ita simpliciter impediunt, ut propter illa, si matrimonium attentetur, nihil fiat ab his, in quibus talia impedimenta sunt. 450v

Praeterea sunt alia impedimenta ex statutis et ordinationibus ecclesiae, quae solum accipiuntur ex personarum conditionibus. Nec enim potest ecclesia impedire aut de medio tollere formam vel naturam sacramentorum, quandoquidem eorum sunt partes essentiales; potest autem certas personas impedire sive illegitimas reddere, ut postea dicam. Quod si quis reclamet personas materiam esse coniugii ac proinde non posse illegitimari ab ecclesia, respondeo: In matrimonio istud | peculiare est, quoniam 451r illius materia pertinet ad corpus misticum Christi. Sed hac ipsa de re postea in quarta conclusione agam.

Ecclesiasticorum autem impedimentorum alia non simpliciter impediunt, sed ex congruitate quadam, et ea profecto minime dirimunt iam contractum matrimonium, sed prohibent contrahendum, ut contrahi nequeunt sine peccato mortali; si tamen contrahatur, omnino sit ratum et firmum coram Deo, qualia sunt ecclesiae interdictum, feriarum tempus, occultus et clancularius contractus. Nimirum talia non referuntur ad matrimonii essentiam, vel ad aliquid inseparabiliter coniunctum cum essentia referuntur. Simpliciter impediunt non solum prohibentia, ne contrahendum fiat, verum etiam id prorsus dirimentia, quod iam contractum est. Ac de impedimentis huiusmodi cumulatissime tractant doctores theologi et canonistae, proptcrea hoc scribendi | labore in praesentia supersedebo, et redibo ad propositum. 451v

Applicatio:

Omnia clandestinum habet matrimonium, quae ad ratitudinem matrimonii convenire aperuimus.

Primo: Divina institutio tanquam remota et universalis causa matrimonium clandestinum efficit; nec enim Deus magis apertum quam occultum matrimonium instituit, sed matrimonium simpliciter instituit. Deinde illud quoque idem efficit tanquam propinqua et particularis causa liber et mutuus consensus per verba de praesenti explicatus. At dixeris: Quid si alter dolose et fraudulenter loqueretur? Respondeo: Matrimonium non esset, verum potest etiam dolus et fraus esse, cum in propatulo fiunt contractus, et in occulto fieri potest, ut nullus sit dolus, fraus nulla.

Secundo: Congrua sine dubio adest materia, quippe cum | mas et femina, quae 452r sunt legitimae personae, contrahant.

Tertio: Adest forma debita, quandoquidem uterque suum internum consensum libere et mutuo explicat per verba de praesenti.

Quarto: Propter legitimum finem contrahunt perinde atque illi, qui coram testibus in propatulo solitis adhibitis cerimoniis et ritibus contrahunt. Primo, ut ipsis matrimonium sit in offitium generandae prolis; secundo, ut in remedium sit extinguendae uredinis et flammae edentis medullas; tertio eorum ita contrahentium carnalis coniunctio significat mysticam et spiritualem Christi et ecclesiae coniunctionem, nec enim huiusmodi significatio consistit in ritibus et cerimoniis.

Quinto: Si non adsit minister ea faciens, quae ad matrimonii solemnitatem pertinet, adest tamen minister proferens verbum, quod cum ad elementum accedit, fit sacramentum. |

Sexto: Matrimonium clandestinum aeque potest habere matrimonii bona atque 452v matrimonium apertum et in propatulo et cum solemnitatibus coram ecclesia celebratum. Mutuam enim fidem servare possunt ambo et parati esse libenter, si Deo placuerit dare, prolem suscipere et religiose educare, postremo indissolubilitatem habere, quae per sacramentum, quod unum est de tribus matrimonii bonis, intelligitur.

Septimo: Quamquam clandestinum matrimonium caret accidentario effectu — non enim in clandestino matrimonio confertur gratia, neque ulla praeexistens gratia perficitur et augetur, propterea quod sic contrahentes excomunicati sunt et mortaliter peccant — tamen effectum habet necessarium et essentialem, quippe cum donent vicissim alter alteri corpus suum ultro et propria voluntate, nec enim parentum consensus efficit matrimonium, sed contrahentium consensus. |

Octavo: Personae clanculum sive in occulto contrahentes legitimae sunt, 453r modus enim ille contrahendi clancularius non impedit simpliciter matrimonium, sed tantum

ex congruitate quadam, et prohibetur quidem, sed contractum matrimonium haudquaquam rescindit, propterea quod modus talis ad matrimonii essentiam minime refertur, at solum ad matrimonii solemnitatem.

Epilogus:

Ex his, quae disserui hactenus, oportet sequi, matrimonium clandestinum procul dubio esse verum et ratum matrimonium, quod etiam sancta et catholica ecclesia declaravit, unde [C.] 30 q. 5 c. [11] *Indicantem*[1] dicitur de illis, qui clanculum consenserunt, quod reatum adulterii uterque incurrit, dum utroque eorum vivente alii se copularit. Id autem verum nequaquam esset, nisi per mutuum consensum verbis de praesenti expressum clanculum et in occulto matrimonium verum illi contraxissent. |

Contraria:

453v [Primo:] Evaristus inquit, veluti habetur [C.] 30. q. 5 cap. [1] *Aliter*[2]: *Aliter legitimum non fit coniugium nisi ab iis, qui super feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur uxor, petatur et a parentibus sponsetur et legibus dotetur et a sacerdote, ut mos est, benedicatur et a paranimphis custodiatur ac solemniter accipiatur.* Item: *Ita legitima scitote esse conubia, aliter vero praesumpta non coniugia, sed adulteria vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata fuerit et vota succurrerint legitima.*

Secundo: Aiunt quidam Iustinianum imperatorem testari clandestina matrimonia aetate sua nequaquam vera fuisse matrimonia.

Tertio: Carnalis concubitus inter coniuges licitus est, imo et meritorius intensioris gratiae, si congrue atque, ut decet, fiat; iis vero, qui contraxerunt clanculum, minime congredi licet aut carnaliter copulari, ut qui populum scandalizarent plane ignorantem inter eos matrimonium esse. Itaque matrimonium clandestinum vanum irritumque matrimonium est. |

Solutio contrariorum:

454r Ad primum: Si clandestina matrimonia, ut Evaristus videtur dicere, non vera essent matrimonia, sed stupra et adulteria, multis saeculis in maximo errore sancta et catholica ecclesia turpiter fuisset, utpote quod, ut supra diximus, ea credidit et asseruit clandestina matrimonia esse coram Deo matrimonia vera et rata: quod impium dictu et cogitatu est. Itaque vel potius inurenda esset nota erroris Evaristo quam ecclesiae, quae adeo turpiter et periculose labi ac errare nequit, vel, si malimus Evaristum defendere quam incusare tanti erroris, audiamus, quomodo illum exponat Magister sententiarum ⟨IV Sent. dist. 28⟩[a]: *Hoc,* ait[3] ille, *non ita intelligendum est, tanquam sineenumeratis non possit esse legitimum coniugium, sed quia sine illis non habent decorem et honestatem debitam; in huius enim sacramenti celebratione sicut in aliis quaedam sunt pertinentia ad substantiam sacramenti, ut consensus de praesenti, qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium, quaedam vero perti-*
454v *nentia ad | decorem et solemnitatem sacramenti, ut est parentum traditio, sacerdotum benedictio et huiusmodi, sine quibus legitime fit coniugium quantum ad virtutem, non quantum ad honestatem sacramenti. Sine his ergo non quasi legitimi coniuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conveniunt, ut illi qui clanculo nubunt. Et utique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de praesenti, quae legitimum inter eos facit matrimonium; nam et consensus occultus per verba de praesenti expressus coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus; sed matrimonium non facit consensus, qui in occulto fuit; si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio ecclesiae redire et commanere quasi cum coniuge, quia non potest probari testibus contractus, qui in occulto est factus, quod si ipsi, qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntarie in manifesto profiteantur, tunc utique propria voluntas suffragatur et legitime* (!) *vota succurrunt ad sanciendum coniugium, quod prius occulte fuerat contractum.*
455r *Voluntas ergo verbis | expressa in occulto ad hoc suffragatur, ut fiat coniugium; manifeste vero expressa suffragatur, ut sanctiat et roboret ac liberum sit ecclesiae de hoc iudicare, si expedierit.* Haec Magister sententiarum, cuius responsio a praeccelentissimis theologis probatur.

Deinde clandestina matrimonia eo stupra et fornicationes vocantur, quod fieri non queant sine peccato mortali, imo ne rem quidem possunt invicem habere aut carnaliter copulari sine peccato coniuges tales, neque potest fornicatorum et stupratorum coniunctio sine

[a] *In marg.*

[1] *Friedberg* I 1107

[2] *Friedberg* I 1104 (omittit Delphinus nonnulla).

[3] *S. Bonaventura,* Opp. omnia (ed. Quaracchi) IV 687.

peccato esse, quoniam (ut mox dicemus) eiusmodi prohibentur matrimonia a sancta et catholica ecclesia.

Praeterea matrimonia illa, quamvis rata et vera matrimonia sint, quantum ad rem pertinet, tamen dicuntur adulteria et fornicationes, quantum ad praesumptionem; cum enim
plane ignoretur, contraxerint necne illi, ac | familiari utantur comertio et in eisdem vivant 455v
laribus adeoque in eodem thoro dormiant, haud dubie praesumuntur esse fornicatores ac stupratores.

Ad secundum: Vel decipitur Iustinianus — fuerunt enim semper matrimonia illa rata et vera coram Deo — vel exponendus est, ut Evaristum exposuimus, vel propositum Iustiniani est huiusmodi punienda esse matrimonia tanquam prohibita ex congruitate quadam ab ecclesia, non tanquam irrita et vana coram Deo.

Ad tertium: Per se licita est carnalis copula in iis, qui clam contraxerunt, tamen per accidens aliquando redditur illicita, vel quia fiat contra statutum ecclesiae, vel quia scandalizetur populus, vel quia prohibeat ecclesia tales matrimonialiter copulari, antequam ipsi adhibeatur matrimonio solemnitas consueta in ecclesia; quam prohibitionem sunt, qui doceant, esse non propter actum debiti reddendi, sed propter actum petendi, quod si concedatur, concedendum quoque fuerit eum peccare, qui debitum petat, et non, qui reddat. |

Appendix:

Non modo clandestinum matrimonium est verum matrimonium sequens legitimum 456r
contractum, ut demonstravimus, sed etiam sacramentum est novi testamenti, virtutem efficaciamque suam habens a praepotente Deo per merita Domini nostri Iesu Christi, quod si non efficiat, quod signat, nullam gratiam conferendo aut nullam intensionem gratiae, id minime est ex imbecillitate sacramenti, verum quia contrahentes ponunt obicem peccantes mortaliter. Controversia est inter doctissimos viros de contractu matrimoniali et de matrimonio et de matrimoniali sacramento, idemne sint, an inter se differant. Ceterum nos huiusmodi controversiam in alium locum inque aliud tempus prorogabimus.

Secunda conclusio:

Ecclesia potest optimo iure matrimonia clandestina prohibere, imo prohibuit et
canonicam poenam illis, qui clam contraherent, imposuit, | sive huiusmodi prohibitio 456v
duntaxat referatur ad petentes debitum sive ad petentes pariterque ad reddentes; ac talis quidem prohibitio est, ne clandestina matrimonia fiant, non ut rescindantur, cum fuerint contracta.

Confirmatio primae partis:

Modus contrahendi vel in manifesto vel in occulto ad matrimonii essentiam nulla ex parte attinet, modus tamen contrahendi palam vehementer spectat ad matrimonii honestatem, decorem et solemnitatem.

Ecclesia igitur, cum habeat tollere abusus et scandala et inhonestates et pericula et, quaecunque sunt dedecori sacramentis populoque christiano, et omnia postremo, quae turpissimi erroris facile queant praestare occasionem, potest merito prohibere matrimonia clandestina. Primo enim turpissimus abusus est permittere, ut filii nulla parentum suorum habita ratione pro arbitrio suo et quasi furtim contrahant matrimonium et rem tanti mo-
menti aggrediantur sine testibus et parentibus | aliisque prudentibus viris inconsultis, 457r
quamvis enim parentes non queant filios suos ad matrimonium cogere, quia filiorum consensus, non parentum, matrimonium efficit, tamen apud optimas quasque nationes, ut divinarum interim scripturarum omittam authoritates, filii semper fuerant in potestate parentum suorum, neque sine illorum voluntate matrimonium contraxerunt. Secundo: Infinita scandala oriri ex clandestinis matrimoniis exploratius et notius est, quam ut probatione indigeat. Tertio: Contractus ille clancularius inhonestus est adeo, ut subeat nomen adulterii et fornicationis, quemadmodum paulo ante diximus, cum Evaristi canonem exponeremus[1]. Quarto: Periculosus est, quia saepenumero contraxisse illos paenitet, qui clam sive in occulto contraxerunt, et denuo cum aliis palam contrahunt cumque illis vivunt,

[1] Cfr. supra p. 76, l. 22 sqq.

457v tanquam cum suis coniugibus, | cum tamen revera non sint coram Deo coniuges, sed adulteri et adulterae, unde sunt procul dubio in statu perditissimo et pernitiosissimo. Quinto: Clandestina matrimonia populum christianum et sacramenta dedecore et probro afficiunt, nam praebent ansam infidelibus deridendi et execrandi populum christianum et christianorum sacramenta, cum ea decentibus et congruis cerimoniis ac solemnitatibus privantur non sine magnis turpitudinibus. Sexto: Praestant occasionem pestilentissimi erroris, quoniam, si quando cum aliis in propatulo et coram testibus contrahant, nempe quod eos taedeat, cum iis esse et vivere, quibuscum antea contraxerant in occulto, sententiam fert ecclesia et iudicat verum et ratum esse matrimonium publicum, vanum autem irritumque clandestinum, ac ita vehementer fallitur et decipitur, quanquam error huiusmodi error est facti, non iuris, ut porro dicemus in tertia conclusione. |

Confirmatio secundae partis:

458r Ecclesiam prohibuisse clandestina matrimonia liquet [C.] 30 q. 5 cap. [2] *Nullus*[1], ubi sic dicitur: *Nullus fidelis, cuiuscunque conditionis existat, occulte nuptias faciat, sed benedictione a sacerdote accepta publice nubat in Domino.* Item [X] de clandest. despons. [IV 3] cap. [3] *Cum inhibitio*[2]: *Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda in ecclesiis per presbyteros, publice proponantur competenti termino praefinito*; rursus in eodem cap.: *Clandestina coniugia penitus inhibemus prohibentes, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat.*

Confirmatio tertiae partis:

Clandestina matrimonia contrahentes et, qui praesto etiam sunt huiusmodi contractibus, excomunicantur. Unde Host[iensis] in lectura rub. de clandest. despons. super cap. *Cum inhibitio* inquit[3]: *Facientes matrimonia clandestina, licet non sint excomunicati secundum constitutiones, tamen sunt de consuetudine excomunicari et debent vitari, quoadusque fuerint absoluti.* Haec Host[iensis]. |

Tertia conclusio:

458v Si qui bis matrimonium contraxerint, primum cum aliquibus in occulto, deinde in propatulo cum aliis, iudicabit et determinabit ecclesia secundum matrimonium, quod nimirum fuit contractum palam, esse ratum verumque matrimonium, quamvis coram Deo primum, quod clandestinum est, ratum verumque sit.

Confirmatio conclusionis:

Matrimonium potest bifariam considerari: primo quidem in foro ecclesiae, mox in foro conscientiae, iuxta forum duplex, iudiciale et poenitentiale. Ita quoque de matrimonio continget iudicium duplex adhiberi. In foro sane iudiciali secundum allegata et probata iudicatur, sed in foro poenitentiali secundum veritatem et conscientiam. Itaque, si de matrimonio loquamur in foro conscientiae, quod internum et poenitentiale forum est, secundum illud matrimonium factum in propatulo nec matrimonium est nec pro matrimonio
459r habendum aut iudicandum a quoquam, sed primum; hoc enim est iuditium | secundum veritatem in conspectu Dei. Sin autem loquemur in foro ecclesiae, quod externum et iudiciale forum est, in quo allegata et probata iudicare oportet, non primum, quod clandestinum fuit, sed alterum, quod fuit publicum, ratum verumque matrimonium habetur et iudicatur ab ecclesia, quae tamen fallitur, ac talis deceptio non est contra iustitiam, quippe cum minime oriatur illa quidem ab ignorantia iuris, sed facti, tametsi enim oberret ecclesia a veritate rei, non tamen a veritate iustitiae discedit uspiam, quandoquidem tenetur secundum allegata et probata iudicare.

[1] *Friedberg* I 1105.
[2] *Friedberg* II 679.
[3] *Henricus de Segusia*, auctor Summae super titulis decretalium scripsit in Lectura in decretales Gregorii (*Schulte* l. c. II 123 sqq.): *Sed numquid tales sunt excommunicati? Non dicunt hec constitutiones, tamen de consuetudine sicut excommunicati vitantur, quousque fuerint absoluti.* Lectura in quinque libros Decretalium IV (Parisiis [1512]) f. 13v. Licet verba differant, sententia eadem est quae supra.

Consectarium:

In eo casu, quem recensuimus, debet nemo praecepto ecclesiae obedire, quantum
pertinet ad reddendum carnale debitum, propterea quod magis obsequendum est iudicio
praepotentis Dei et propriae conscientiae quam iudicis ecclesiastici, | qui non iudicat in 459v
eo casu, nisi super praesumptiones ecclesiae. Tamen obsequi tenentur, in quibuscunque
id facere queunt sine peccato, ut victui necessaria suggerendo pro suis facultatibus.

Quarta conclusio:

Ecclesia non potest ullam personam illegitimare, ut minime idonea sit matrimonio, propter modum contrahendi clam sive in occulto, neque potest clandestina matrimonia irrita facere; quanquam enim prohibere integrum habet, ut diximus, ne quis matrimonia clandestina contrahat; tamen rescindere nequit iam contracta, quamvis propter alias multas rationes illegitimare personas valeat.

Declaratio conclusionis:

Quamvis proprie non queat ipsa ecclesia materiam sacramentorum variare et mutare
et illegitimare, ut nequaquam apta sit pro conficiendo sacramento, cuius materia est, tamen
peculiariter in matrimonii | sacramento personas, quae materia legitima sunt matrimonii, 460r
potest illegitimare [a], quandoquidem potestas iurisdictionis ecclesiastica proprie ad corpus
mysticum Domini nostri Iesu Christi referatur [1], et personae, quae materia legitima sunt,
pertinent ad illud corpus tanquam illius membra. Nam non potest eas illegitimare personas, quae sunt omnino extra ecclesiam, quia nullo modo pertinent ad corpus mysticum
Christi. Dixi autem mysticum propterea, quod potestatem seu iurisdictionem minime habet
ecclesia super corpus verum Christi, ut in eucharistia patet. Tametsi vero illegitimare
valet personas, ut nequaquam sint matrimonii legitima materia, id tamen facere non potest
sine rationabili causa, et rationabilis quidem causa est, quae inseparabiliter coniuncta est
cum personis. Cum enim personae ad matrimonii | essentiam spectent, ad essentiam 460v
quoque matrimonii reducuntur aliquo modo, quaecunque inseparabiliter coniuncta sunt
cum personis, ut consanguinitas, ordo sacer, votum ac cetera id genus. Ea vero, quae
prorsus a materia separantur sive a personis et omnino ab essentia matrimonii, ut clancularius modus, ut feriae, ut reliqua talia, non sunt causa rationabilis, propter quam illegitimentur personae ac rescindantur iam contracta matrimonia, quippe cum nimium distent
ab essentia matrimonii. Sed age, referamus causas omnes rationabiles, propter quas integrum habet ecclesia tum personas illegitimare, tum iam contracta matrimonia rescindere,
ac illas videbimus coniunctas esse cum personis. Ad hoc autem propositum libet verba
Scoti recitare.

Ex statuto, ait Scotus ⟨IV Sent. dist. 42⟩ [b] [2], *ecclesiae sunt summa impedimenta ex
parte personarum, quia ecclesia nihil determinavit | circa formam vel materiam istius contractus, sed solum personas aliquas illegitimavit faciendo eas non capaces huius contractus, et hoc* 461r
*vel propter nimiam earum propinquitatem inter se vel propter earum ad cultum divinum specialem
applicationem vel propter alicuius horrendi criminis enormitatem. Primo modo illegitimavit
consanguineos in quarto gradu et infra, in simili gradu affines, et hic vel proprie dictos, quorum
scilicet vinculum contractum est non ex commixtione carnali extensive, quorum scilicet vinculum
contractum est non ex commixtione carnali, sed tantum per matrimonium vel sponsalia, quod
vocatur publicae honestatis iustitia. Et de isto ultimo impedimento habetur X de sponsalibus*
[*IV* 1], *et est in VIto lib.* [3]*: Ex sponsalibus puris et certis, dummodo non sit nulla ex defectu consensus, oritur efficax impedimentum ad impediendum | et dirimendum sequentia sponsalia vel* 461v
*matrimonia, non autem ad praecedentia dissolvendum, scilicet impedimentum iustitiae publicae
honestatis. Iuxta hoc etiam est quaedam propinquitas quasi mixta carnalis et spiritualis, cuiusmodi est cognatio spiritualis et legalis, et de ista habetur X eo*[*dem*] *li*[*bro*] [4], *nedum inter*

[a] *del.* ut nequaquam apta sit [b] *in marg.*

[1] In opere De matrimonio et coelibatu (cfr. supra p. 72 adn. 3) p. 68 autor se refert ad ea, quae in libro De ecclesiastica potestate (cfr. *Conc. Trid.* I 814, 19 sqq.) hac de re exposuerit. Quorum medullam videas apud *Lauchert* l. c. 492 sqq.

[2] *Io. Duns Scoti*... Quaestiones in lib. IV Sent., Opp. IX (Lugduni 1639) 826-828.

[3] *Friedberg* II 1065 sq.

[4] De cogn. spirit. IV 3 in Sexto, *Friedberg* II 1067 sq.

baptizatum et eum, qui illum suscipit de baptismo, ac inter eundem baptizatum et suscipientis filios et uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imo etiam inter suscipientem, patrem baptizatique et matrem cognationem spiritualem in baptismo iure contrahi constet. Quae cognatio impedit ad contrahendum matrimonium et dirimit iam contractum, et eadem, quae sunt de suscipiente dicta, sunt etiam de baptizante censenda.

Ex confirmatione quoque spiritualis cognatio eisdem contrahitur matrimonium simpliciter impediens contrahendum et dirimens iam contractum; alias vero personas a supradictis ex baptis- 462r *mo vel | confirmatione non impediri ad matrimonium contrahendum aut dirimi post contractum decrevimus. Ibidem. c. 2: Per catechismum, qui praecedit baptismum, cognatio spiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur, per istam tamen cognationem matrimonium post contractum minime separatur. Et ibidem cap. 3: Si plures accesserint ad suscipiendum de baptismo infantem, spiritualis cognatio contrahitur matrimonia post contracta impediens et dissolvens. Et de confirmatione insuper, quantum ad hoc, idem iudicium est habendum.*

Ex datione vero aliorum sacramentorum spiritualis cognatio nequaquam oritur, quae matrimonium impediat vel disolvat. Et est ordo istarum propinquitatum, quia consanguinitas est mere carnalis propinquitas, affinitas proprie surgit ex copula carnali et susceptione vel datione sacra- 462v *menti baptismi vel confirmationis, | legalis ex carnali et alio vinculo secundum legem, per adoptionem scilicet.*

Per applicationem autem spiritualem ad cultum divinum ecclesia illegitimavit eum, qui solemniter vovit continentiam, et eum, qui suscepit ordinem sacrum. Illud autem de voto solemni, si tamen ibi fiat traditio potestatis corporis ad castitatem servandam ipsi ecclesiae vel prelato, in cuius manu vovet, et per hoc non habet potestatem sui corporis ad actum coniugalem, tunc potest reduci istud impedimentum ad naturam contractus, sicut illud de alligato ad aliudmatrimonium. Si autem tale votum non tollit isti, quin habeat potestatem corporis sui, tunc ex statuto et potestate ecclesiae est illegitimatio et irritatio, non tantum, quia se tradit ecclesiae ad talem actum, sed quia Christus vocando Ioannem a nuptiis praetulit votum continentiae vinculo coniu- 463r *gali, et ideo ecclesia illum, qui est in gradu superiori, iuste | illegitimavit ad accipiendum gradum inferiorem sive ad apostatandum.*

Tandem propter enormitatem criminis tantummodo duplicis illegitimavit fidelem non simpliciter, sed respectu infidelis et e converso, ad matrimonium contrahendum. Aliud crimen enorme est adulterium cum machinatione in mortem legitimi coniugis. Sic ergo in genere ex statuto ecclesiae sunt personae illegitimae ex duplici crimine, ex applicatione ad cultum Dei et ex propinquitate consanguinitatis, ex vinculo affinitatis et publicae honestatis, et ex cognatione spirituali et legali. Hactenus Scotus.

Confirmatio conclusionis:

Omne impedimentum, quo potest impediri sic matrimonium, ut vel non contrahatur vel rescindatur, si contractum fuerit, debet spectare ad aliquod genus causarum: aut sane ad 463v efficientem aut | materialem aut ad formalem aut ad finalem causam, vel profecto impedimentum huiusmodi referendum est ad personas, quae coniugali vinculo coniunguntur, vel ad ipsum vinculum vel ad aliud, per quod vinciuntur, vel ad illud postremo, ad quod ligantur. Modus vero clam sive in occulto contrahendi pertinet ad nullum causarum genus et minime referri potest vel ad personas, quae ligantur matrimonio, vel ad ipsum ligamen vel ad id, per quod iunguntur, vel ad illud idemque, per quod stringi convenit. Modus igitur clam sive in occulto contrahendi non potest eiusmodi esse impedimentum, per quod aut non sit verum matrimonium, si contrahatur, aut rescindatur, si contractum fuerit, ex quo sequi oportet ecclesiam ne utique integrum habere vel reddere coram Deo vana et irrita matrimonia clandestina vel personas illegitimare, ut propter modum clam sive in occulto | 464r contrahendi nequaquam idoneae sint matrimonio contrahendo, vel postremo facere, ut modus ille clancularius matrimonium simpliciter impediat.

Probatio minoris:

Quae diximus, facile probantur sententia verbisque S. Bonaventurae, quae non gravabor hoc in loco recitare. *De sufficientia*, inquit ille [1], *impedimentorum dicendum, quod impedimentum sit sive potest fieri ex quadruplici causa. Nam ex efficiente provenire possunt tria. Efficiens causa est consensus. Ad consensum autem concurrit ratio et voluntas. Contra*

[1] In IV Sent. dist. 34 art. 1 q. 2 conclusio, *S. Bonaventura*, Opp. omnia (ed. Quaracchi) IV 769. Textus multis locis differt ab eo, quem Delphinus affert.

rationis actum est error, contra actum voluntatis vis vel violentia, contra actum utriusque con-
ditio servitutis, quae impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem. Ex
parte *m a t e r i a l i s* *tria, quia matrimonium est coniunctio voluntarie introducta, ergo est prius*
naturaliter disparatorum; coniuncti enim proximitate sunt | inepti ad matrimonium. Sed con- 464^{v}
iuncti possunt esse tripliciter: consanguinitate, affinitate, iustitiae publicae honestate, quae con-
trahitur ex sponsalibus per verba de praesenti; et sic sunt tria impedimenta. Ex parte causae
f o r m a l i s *tria, quia matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas viri et uxoris, impe-*
dimentum autem contra hoc est, quando non potest dare sui corporis potestatem, et hoc potest esse
tripliciter: aut quia trad[id]it [alteri], qui adhuc vivit, et sic est obligatio, aut quia se dedicavit Deo,
et sic est sacer ordo, aut quia Deo et praelato, et sic est votum, quando quis vovet ingredi religio-
nem vel continentiam solemnem. Ex parte *f i n i s* *similiter tria, quia matrimonium est ad procrean-*
dam prolem, ad cultum Dei vel saltem in remedium honestatis. Contra rationem procreandi vel
remedii est impotentia coeundi, contra cultum | Dei, qui est in fide, est disparitas cultus, qui est 465^{r}
in moribus, criminis enormitas. Ita sunt duodecim impedimenta, similiter aliquam recipiunt divi-
sionem, ut impotentia coeundi et crimen etc.

Posset tamen aliter horum impedimentorum sumi sufficientia. In matrimonio enim conside-
rantur *p e r s o n a e*, *quae iunguntur, et ipsum* *v i n c u l u m* *et illud,* *p e r q u o d* *vinciuntur,*
et illud, *a d q u o d* *vinciuntur: quod vincitur et vinculum et ad quod et per quod. Et* *p e r s o-*
n a e, *quae vinciuntur, debent aliquo modo convenire in cultu Dei et fide, sed distare vinculo*
naturali et consimili propter hoc, quod natura abhorret personas multum consimiles in actu illo
sociari. Multum igitur distant, quando sunt dispares in cultu, multum appropinquant, quando sunt
iuncti cognatione vel affinitate vel publicae iustitiae honestate. | Propinquitas consanguinitatis est 465^{v}
ex fructu matrimonii, sed affinitatis ex actu, iustitiae publicae honestatis tenet medium inter utrum-
que. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet cultus disparitas, cognatio, affinitas et publicae
honestatis iustitia. Consideratur iterum ipsum *v i n c u l u m*, *quo vinciuntur individualiter, et*
hoc non possunt coniungi, qui sunt aliis obligati, obligari autem alii est dupliciter: aut Deo aut
homini, et hoc dupliciter: aut per matrimonium, et sic ligamen, aut per servitutem, et sic conditio;
obligari similiter Deo est dupliciter: aut per votum, aut per id, quod habet annexum votum, ut
sacer ordo, et sic sunt alia quatuor: ligamen, conditio, votum et ordo. Tertio circa matrimonium,
consideratur illud, *p e r q u o d* *contrahitur, | et sic est consensus, et hic respicit actum rationis,* 466^{r}
et contra hunc est error, et actum voluntatis, et contra hunc est violentia; et sic sunt duo. Quarto
consideratur *u s u s m a t r i m o n i i*, *et hic dupliciter impeditur: aut per impossibilitatem utendi,*
et sic est impotentia coeundi, aut per abusum, et sic enormitas criminis. Et sic patet numerus et
sufficientia horum impedimentorum, et quod sunt in numero determinato, scilicet duodecim. Hacte-
nus Bonaventura.

Antipophora sive occupatio:

Ne vero quis dicat: Bonaventura de his loquitur dumtaxat impedimentis, quae iam sunt
et de facto impediunt, non autem | propterea sequitur ecclesiam non posse authoritate sua 466^{v}
ordinare multa alia plura impedimenta, si quando oporteat, quam illa duodecim, animadver-
sione dignum est ecclesiam posse impedimenta semper statuere, quae impediunt contrahen-
dum matrimonium et iam contractum dirimunt, modo illa referantur ad aliquod genus cau-
sarum, aut ad alia, quae sanctus Bonaventura commemoravit, quippe cum talia necessitatem
essentiamque matrimonii respiciant. Sed modus contrahendi clancularius tantum respicit
solemnitatem matrimonii, sicut etiam feriarum tempus atque interdictum ecclesiae. Unde
nequaquam potest ad necessitatem vel ad essentiam | matrimonii spectare neque simpliciter 467^{r}
impedire potest, at solum ex honestate et congruitate quaedam requisita in matrimonio,
cum tale tantumque sacramentum sit novi testamenti. Neque postremo ulla ratione atti-
nere potest vel ad aliquod genus causarum vel ad alia, ad quae referenda sunt, quaecunque
sufficiant pro simpliciter impediendo matrimonio [1].

[1] Tractatum eiusdem auctoris *De votis monasticis*, dedicatum card. Rodulpho Pio de Carpis et conservatum in Bibl. Vat. *Ottob. lat.* 890 saec. XVI, foll. 75, quamquam de septem articulis, qui 8. Oct. 1547 theologis propositi sunt (*Conc. Trid.* I 708, 4 sqq.), ex professo et fusius agit, omittimus, partim quia ad verbum fere cum lib. II operis supra nominati (p. 72 adn. 3) De matrimonio et coelibatu congruit, cuius tenorem *Lauchert* l. c. 526 sqq. exponit, partim quia de articulis ipsis Bononiae nunquam disputatum est. Adnotare hic velim inter scripturas Seripandi Neapoli in Bibl. Nat., *Cod. IX A 49* f. 385^{r}-410^{r} inveniri: *Collecta pro materia de votis monachorum.*

16.

Hieronymus Seripandus, ord. Erem. S. Augustini generalis: Sententia de canonibus abusuum sacramenti poenitentiae,

quae Bononiae dicenda erat, cum suspensio supervenit actionum concilii [1].

[Ianuario 1548 exeunte]

Neapoli Bibl. Nat. *Cod. IX A 50* f. 292r–299v, cop. coaeva; Romae Bibl. Vat. *Barb. lat. 806* f. 205v–210r, cop. saec. XVII.

Seripandus quosdam canones, praesertim regulares necnon acceptionem pecuniae in actu confessionis concernentes, immutari desiderat.

Cod. IX A 50 f. 292r Cogitaveram ego nihil prorsus dicere de iis canonibus, atque eo animo quotidie, postquam examinari coepere, in sanctissimum hunc senatum veni. Nam quoad m a t e r i a m satis me dixisse putabam, cum, priusquam canones conderentur, materia ipsa discuteretur [2]. Quoad f o r m a m vero certo sciebam nihil a vobis, qui singulari estis iudicio et doctrina, mihi, qui ultimus fere ad dicendum surgo, relictum iri, id quod res ipsa comprobavit. Sed nescio, quo pacto sanctissimis quorundam sententiis excitatus sum, ut quaedam meo quoque iudicio comprobanda esse existimarem, alia vero contra id, quod ego sentio, acutissimis licet rationibus confirmata, non tanti apud me fuisse ostenderem, ut a mea me sententia dimoverent.

Quia multa sunt in iis canonibus, de quibus liberum est sanctissimis episcopis decernere, 292v multa vero, de quibus absque autoritate et beneplacito primae sedis | nihil possunt immutare, propterea magna prudentia magnoque consilio Rev^mi DD. deputati quibusdam canonibus initium fecere: *Ne quis quibusdam* [3], ut quo ostenderent de quibusdam se statuere, de aliis necessarium esse, ut impetrentur. Hoc autem requirit, ut unusquisque fateatur omnem ecclesiasticam potestatem et iurisditionem a potestate pendere et iurisditione sanctae Romanae sedis, ut inter illius videl. regulas sese contineat et tam late pateat, quam sancta illa sedes iusserit. Hoc illud est, unde robur accipiunt casus, quos reservatos dicimus, et omnia, quae suprema illa potestas circa usum potestatis aliorum episcoporum statuit decernitque. Quam quidem veritatem cum nemo aperte negaverit, subtiliter quidam et copiose confirmaverint, praeter ea, quae ab illis dicta sunt, in eius honorem unum ego adiiciam, quo illam ostendam firmissimis sanctarum litterarum radicibus niti atque sustineri.

Domini nostri Iesu Christi non dicta tantum consideranda sunt, sed et ipse ordo, quo, quae divina ab aeterno in sese statuerat providentia, in lucem protulit atque deduxit. *Matth.* 16, [19] uni Petro pollicetur: *Tibi dabo claves regni coelorum* etc. Nihil moror, sive promissionem ea verba contineant, sive collationem. Nam si promissio est, divina utique est, quae vana esse non potest, cum *fidelis Dominus* sit *in omnibus verbis suis* [4]. *Matth.* 18, [18] partem potestatis uni Petro promissae omnibus apostolis pollicetur, cum inquit: *Quaecumque alligaveritis* etc. Nam cum de futuro loquatur, ad promissionem quoque ea dicta referenda esse Graeci quidam interpretes contendunt. *Io.* 20, [21 sqq.] quod pollicitus erat 293r omnibus, tribuit omnibus: *Sicut misit me Pater* etc. *Io.* 21, [17] quod pollicitus erat | uni Petro, dat uni Petro: *Pasce oves meas.* In hoc summae illius ac plane divinae sapientiae ordine magna continentur mysteria, quorum exiguam quandam partem explicare conabor.

P r i m u m: Cur idem prius uni Petro, deinde reliquis omnibus simul pollicetur? Nisi, ut ostendat, eam potestatem a Deo unicuique esse accipiendam mediante Petro, quam qui aliter usurpat, adversum divini iuris ordinem peccat et nihil accipit; deinde uniuscuiusque potestatem illis definitam esse debere regulis et limitibus, quibus Petrus iusserit. Denique illud magni momenti est, quod primum confert omnibus, quod eis pollicitus erat, postea

[1] Pontificis praeceptum supersedendi ab omni actu conciliari Bononiam 3. Febr. 1548 allatum est. *Conc. Trid.* I 742, 24 sqq. Unde fieri non potuit, ut patres, qui 9. Ianuarii 1548 sententias de canonibus supradictis dicere coeperant (*Conc. Trid.* I 733, 1 sqq.), eorum examen perficerent.

[2] Quae discussio abusuum sacramenti poenitentiae (quorum textum habes Arch. Vat. *Conc.* 114 f. 318r-321r) initium habuit 9. Nov. 1547. *Conc. Trid.* I 717, 26. Seripandus sententiam suam 12. Nov. protulit, *ibid.* 719, 7. Canones de hac materia a quattuor deputatis, i. e. Cesenatensi, Fesulano, Bituntino et Niverniensi episcopis, coram card. de Monte 24. Nov. formati (*ibid.* 722, 3 sqq.) 3. Ian. 1548 patribus dati sunt, *ibid.* 731, 38.

[3] Nullus ex canonibus revera sic incipit, etsi plures initium canonum consuetum *Ne quis* habeant. De lite inter episcopos et ordinum religiosorum, praesertim mendicantium, generales, quae de approbatione praedicatorum a. 1546 orta est, vide *Conc. Trid.* V 136 sqq. (votum episc. Fesulani); X 510, 5 sqq. 528, 10 sqq.; XII 577 sq.

[4] *Ps.* 144, 13.

Petro, mutato promissorum | ordine. Quod propterea fecit, ut ostendat Petri potestatem super [293v] alios etiam ordinatos episcopos ac potestatem habentes extendi, quos quidem a se immediate tunc ordinatos ex speciali privilegio Petri curae commisit, cum illi omnes oves suas pascendas tradidit, inter quas nulli dubium est tunc fuisse omnes apostolos. Et hoc nititur fundamento S^mus pontifex Leo, cum de ecclesiastico munere ait 19. D. [c. 7] *Ita Dominus*[1]: *Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro omnium apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.*

Igitur concludo recte in iis canonibus esse discernendum, quid vestra potestate statuere possitis, quid etiam tanquam vestris pascendis gregibus necessarium a prima sit vobis sede impetrandum, de quibus sigillatim doctrinam tradidit singularem R. D. Materanus[2].

In primo canone[3] explicari apertius vellem ad tollendam omnem ambiguitatem id, quod optabat R. D. Molfettanus[4], tametsi in alio quodam canone repositum videatur, quod prima deputatio confessorum regularium pertineat ad suos praelatos iuxta formam suarum | constitutionum, approbatio vero vel reprobatio ad R^dos episcopos, cum sibi sistentur. [294r] Neque moveor ea ratione, quam D. Molfettanus attulit, quod multi sunt episcopi, qui non facile possunt de vita et doctrina confessorum iudicare, sed regula magni theologi Dionysii, ut scilicet infima per media reducantur in suprema iuxta hierarchicum ordinem[5]. Infimi sunt in ecclesia regulares, medii sui praelati, per quos illi in supremos antistites seu pontifices reducendi.

In eodem verbum illud *conscientiam examinaverint* probare non possum, tametsi defendi possit; communis enim animi conceptio non capit conscientiam meam nisi a me posse examinari, iuxta illud[6]: *Probet se ipsum homo*, quem locum Theophilactus[7] enarrans ait: *Conscientia discussa atque examinata sacra mysteria adito*, vel ab eo, cui ego conscientiae meae arcana detexero. Loquendum ergo est ita, ut putare nequeant confessores, se adigi ad patefacienda, quae in conscientia latent, episcopis, sed sanctorum antiquorum canonum verba clara ponenda sunt, doctrinam scilicet et mores [concernentia].

Quoniam vero multi dolent, quod sacramentum | poenitentiae a solis fere religionis [294v] regularibus ministretur solique ipsi confessiones audiant populorum, in ea parte, qua agitur de doctrina confessoribus necessaria[8], desidero aliquam iniri rationem, qua pueri saeculares clerici futuri episcoporum impensis docerentur scientiam salutis clericis necessariam, ut discerent, quod docere postea possent, id quod Ioannes Matthaeus Giberti Veronae accersitis undique viris graece latineque doctissimis curabat[9]. Hac ratione a religiosis ad saeculares omne ministerium legitime traducetur.

In alio quodam canone[10] ministris sacramenti poenitentiae petitio prohibetur, non acceptio[11], quod ego multos doctissimos ac piissimos patres secutus optabam, et agendum probari rationibus e medio sanctarum literarum fonte manantibus. Sed quid audio, hoc esse contra evangelium[12], ac si pias oblationes et eleemosynas prohiberemus? Dentur quidem eleemosynae, sed ita, ut nemo cum scandalo cogitare possit sacramenta apud nos esse venalia. Tantum abest, ut hoc contradicat evangelio, ut nullum putem esse praeceptum tantopere evangelicum quam istud, ut, quod Dominus gratis dat, gratis quoque dispensetur a | servo. [295r]

[1] *Friedberg* I 62 (ex ep. 10 c. 1).

[2] i. e. Ioh. Mich. Saracenus, postea cardinalis, qui 9. Ian. sententiam protulit. *Conc. Trid.* I 733, 3.

[3] Canon primus sic incipit: *Ne quis sacerdos cuiusvis ordinis, dignitatis et gradus vel privilegiorum, etiam specialium, vel cuiuscumque consuetudinis vel quocunque alio praetextu, etiam si ab aliquo, qui confessionale habeat, vocatus fuerit, in locis episcopo subiectis aut, si regularis sit, in aliquo monasterio ad audiendas confessiones se ingerat; sed ii tantum confessionem audiant, qui et quot ab episcopo fuerint deputati atque descripti.* Arch. Vat. *Conc.* 114 f. 382r.

[4] Votum episcopi Melfitensis, Iacobi Poncettae, datum eadem 9. Ian. (*Conc. Trid.* I 733, 3) vide in actis.

[5] Cfr. *Ps.-Dionysius*, De coel. hier. c. 4 § 3; De eccl. hier. c. 1 § 2. *Migne gr.* 3, 181 sq. 371 sqq.

[6] *1 Cor.* 11, 28.

[7] *Migne gr.* 124, 707. Seripandi in latinum versio ab ea, quam postea Bonifacius Finettus exaravit quaeque a Migne in editionem suam transumpta est, verbis tantum differt.

[8] i. e. tota secunda parte canonis primi, Arch. Vat. *Conc.* 114, f. 382r-v.

[9] De clericorum seminario a Giberto Veronae fundato quod postea cardinalis Polus edens reformationem Anglicam ipsumque Concilium Tridentinum ut typum prae oculis habuerunt, vide *Fr. Dittrich:* Hist. Jahrbuch 7 (1886) 20 sqq.; *G. B. Pighi*, Gian Matteo Giberti (Verona 1924)² 82.

[10] Can. 4: *Ne quis sacerdos in ipsa confessione vel directe vel indirecte aliquid a confitentibus etiam loco helemosynae petat aut pro satisfactione poenitentiali poenam aliquam pecuniariam imponat, quam poenitentes existimare possint, non ex charitate, sed avaritia sibi esse impositam, ut illi ipsi sacerdoti, a quo beneficium absolutionis consequuti sunt, aut suo monasterio, si regularis fuerit, persolvatur.* Arch. Vat. *Conc.* 114 f. 383v.

[11] sc. pecuniae in occasione confessionis.

[12] Nescio, quis patrum hanc sententiam protulerit, cum Massarellus in actis (*Conc.* 114) votorum excerpta, quae alias scribere consuevit, omiserit.

Aiunt: gratis [i. e.] sine pretio, non sine stipendio. Esto, sed practice agamus. Hoc enim totum ad praxin, non ad theoricam pertinet. Egetne hic stipendio? Eget. Egetne is, qui hunc conduxit, dominus scilicet beneficii? Certe non. Nutriatur ergo ab ipso, non a populo. Quid item audio [1]? Verbum illud Pauli: *Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt,* non posse intelligi de artificibus: nam textus graecus habet: *Οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν: Qui sacra operantur, de sacro edunt,* atque per sacra operari sacramenta ministrare intelligebatur confirmabaturque testimonio Chrysostomi [2]. Et addebatur, quod Pauli applicatio, tamet si de ministerio verbi sit, intelligenda tamen est de omnibus sacris atque de ipsis etiam sacramentis.

Expositio illa de artificibus a me neque probata est neque improbata, sed recitata ex B. Thoma [3], et Magistro sententiarum [4]. Tametsi textus graecus sic habeat, omnes prisci codices vulgatae editionis in concilio receptae [5] habent *qui in sacrario* etc. Sacra autem operari non est sacramenta ministrare, sed sacrificare. Certum est autem,
295v quod sacrifici ex divinae legis ordine de sacris | ipsis hostiis alebantur; nunquam autem legitur circuncisionis ministrum quidcumque accepisse. Discernenda igitur sacrificia sunt a sacramentis. Et sic locum illum intellexit Chrysostomus. Sed melius fuisset Chrysostomi locum integrum recitare, quo non alter apertior extat ad prohibendam acceptionem in sacris omnibus ministeriis. Inquit enim [6]: *Considera in hoc Pauli sapientiam, quam magnifice rei meminit. Non enim dixit: « Qui in sacrario operantur, ab oblatoribus accipiunt », sed « quae de sacrario sunt, edunt », ut neque illis, qui accipiunt, exprobetur, neque, qui praebent, inflentur. Quare quod sequitur ita posuit. Neque enim hoc in loco inquit: « Qui altari deserviunt, ab iis, qui sacrificant, [accipiunt] », sed « cum altari participant », siquidem, quae oblata sunt, non amplius sunt offerentium, sed sacrarii et altaris. Et non dixit « sacraria accipiunt », sed « quae de sacrario sunt, edunt », suam iterum ostendens modestiam, et quod neque pecunias accumulare oportet, neque ditescere.* Adaptatio autem Pauli est ad ministerium verbi, in quo ex propria vi non confertur gratia, sicut in sacramentis, ideo non similiter de utroque iudicandum. |
296r Nec obstat, quod Paulus ait [7]: *Ex auditu fidei spiritum accepistis.* Nam per auditum fidei intelligitur obedientia fidei, quae includit sacramentum iuxta illud [8]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit* etc. Unde *Act.* 2, [14 sqq.] Petrus praedicat et promittit Spiritum Sanctum per baptismum, *Act.* 8, [14 sqq.] Samaria receperat verbum Dei, sed Spiritum Sanctum recepit per impositionem manuum, *Act.* 10, [45] datur Spiritus Sanctus baptizatis in voto.

Decernitis, ut publice spectante populo, si velit, confessiones in templis audiantur. Quis poterit videre sacerdotem manus imponentem, ut a peccatis absolvat, et mox eundem manum aperientem, ut accipiat pecuniam? Quis non putet pecuniam illam tanquam pretium dari absolutionis?

Durum verbum: Nihil accipiatur! Quare, obsecro? Propter multos pauperes sacerdotes multi quoque sunt divites. Nonne, si multi esuriunt in ecclesia, multi quoque ebrii sunt [9]? Qui abundant, pascant inopes, qui saturi sunt, esurientes. Videte, ne populi dicant: Divites episcopi nobis reliquere pascendos et nutriendos pauperes sacerdotes, a quibus nos sacramentis divinis pascimur. |
296v At regulares, quid facient? In hoc sum eramque semper sententia, tametsi lapidibus opprimerer, ut nemo eorum singulariter quid accipiat, sed arca publica posita in altari. Respondeat quisque offerenti: Frater, quod a me habes ministerium absolutionis peccatorum, nulla potest pecunia comparari, hanc eleemosynam, quam sponte offers, in arca repone publica, unde omnes sustentamur. Et sic fiat, quod quidam ex patribus dixit, ut in communi secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam proprium habeamus, non in proprio.

Nulla inter nos atque eos, qui contrariam sequuntur sententiam, differentia est. Illi enim suis rationibus contendunt, ne tollatur usus bonus piarum oblationum, nos contra contendimus, ut tollatur abusus multorum, qui sedent in cathedris ad avare lucra sectanda. Non

[1] Quod argumentum iisdem verbis affert *Ambrosius Catharinus* in Commentariis in omnes divi Pauli et alias septem canonicas epistolas (Venetiis 1551) 183.
[2] Hom. 22 in *1 Cor.*, *Migne gr.* 61, 181.
[3] In expositione sua super prima ep. S. Pauli ad Corinthios cap. 9 lectione 2 *B. Thomas* locum *qui in sacrario* (!) *operantur* exponens dicit: *Primo inducit similitudinem eorum, qui templa reparant. D. Thomae Aquinatis...* Commentaria in omnes d. Pauli epp. (Antverpiae 1620) 150.
[4] *Petrus Lombardus 1 Cor.* 9, 13 sic interpretatur: *Quasi dicat: Vere licet mihi accipere, quod per hoc patet, quoniam qui in sacrario, idest templo, operantur, ut artifices, quae de sacrario sunt, edunt. Migne* 191, 1609.
[5] Sess. IV (8. Aprilis 1546), *Conc. Trid.* V 91 sq.
[6] Cfr. supra adn. 2.
[7] Cfr. *Gal.* 3, 2. 5.
[8] *Marc.* 16, 16.
[9] Cfr. *1 Cor.* 11, 21.

certe tolletur abusus iste sola prohibitione petitionis, quae antiqua est, sub qua regnavit abusus et invaluit. Alia igitur ineunda vobis ratio est, qua tollatur; sive ea sit acceptionis prohibitio, sive alia melior, nihil moror. Sic Deus omnipotens, cum videret lege non tolli, sed augeri peccatum, misit *filium suum in similitudinem carnis peccati* [1]. |

Allatum ex *Hosea* testimonium [2]: *Peccata populi mei comedent.* Si doctorum glossas 297r sequamur, nihil ad rem facit, nam non est praeceptum, sed exprobratio abusus. Nam sequitur *et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum*, hoc est, ut Glossa [3] inquit, non corrigendo, sed laudando ad peccata excitabunt, maioris quaestus gratia. Alexander vero papa et martyr sic exposuit [4]: Peccata populi sacerdotes suis precibus et oblationibus consument.

Nisi enim hoc fiat, quoad caput hoc reformationis futurum video, ut nobis contingat id, quod de rege quodam narrari consuevit. Cum enim multi apud se accusarentur, quod bona aliorum iniuste detinerent possiderentque, auditis accusatoribus atque etiam reis cum diu secum deliberasset, quid agendum, hanc protulit sententiam: Vos sicuti possidebatis bona haec, ita et in posterum possidete. Videte, obsecro, ne, nisi aliter provideatis, abusum hunc non tollatis, sed in omne aevum roboretis, ac illam quasi sententiam proferatis: Accipientes accipiant sicuti accipiebant. Nam quo ad petitionem attinet, ne cui petere liceat, id et antiquum remedium est, et morbum non curavit, sed auxit.

Referam et aliud simile. Rex quidam, cum multis | abundarent suae ditionis homines 297v litibus, acute quidem cogitavit eos, quibus favebat, tueri reiectis aliis. Itaque in hanc sententiam legem tulit: Quicumque a tot annis citra bona possidet, ea retineat sive iuste sive iniuste acceperit. Qua lege nihil potuisset excogitari magis abominandum.

Dicere solebat Marcellus Gazella Caietanus [5], iuris consultus vitae sanctimonia insignis: Ita vereor, ne in hac causa agamus parum considerantes, quid expediat, dum ad consuetudines tuendas nos totos convertimus.

Est in alio quodam canone [6] de monialibus, ut confessores habeant, qui non aliam quam in foro conscientiae in eos habeant potestatem, atque, ne cogantur religiosi suis tantum praelatis confiteri. Sancte totum id quidem, sed quo ad regulares attinet, non episcopis, sed ordinum praelatis ea esset cura demandanda.

Cavetur denique [7], ne facile possint excommunicari episcopi, id quod ego non improbo, sed opto ut eadem utamini pietate erga omnes christianos, quorum animae Dei sunt, statuendo, ne pro quacumque re levissima excommunicatio feratur, ne feratur iuris ordine non servato, et contra eos tantum feratur, de quibus constet, | quod aliter corrigi nequeant. 298r Cum enim excommunicatio medicina sit, ea est ratione porrigenda, ut non mortis periculum, sed vitae secum afferat adiumentum. Sic enim Paulus excommunicavit Corinthium, *ut spiritus eius salvus esset* [8]. Opto etiam, ut omnes quae sunt in Corpore iuris excommunicationes latae sententiae, examinentur et ad paucorum numerum, si fieri potest, reducantur, ne facile *regnum coelorum claudere ante homines* [9] videamini.

[1] *Rom.* 8, 3.

[2] *Os.* 4, 8.

[3] Biblia sacra cum glosa interlineari, ordinaria etc. IV (Venetiis 1588) 338; similiter S. Hieronymus, *Migne* 25, 849.

[4] Ep. 2. c. 12, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 102: *Ipsi enim... peccata populi comedunt, quia suis precibus et oblationibus ea delent atque consumunt.*

[5] Marcellus Thomas Gazzella insignis iuris consultus, vir vitae sanctimonia laudabilis, in curia Ferdinandi regis Catholici regens, ab Hadriano VI una cum Ioh. Petro Caraffa Romam vocatus est, ut pontificem in ecclesiae reformatione adiuvaret. Cfr. *C. Bromato*, Storia di Paolo IV. P. M. I (Ravenna 1748) 72. 87 necnon ipsius Seripandi appendicem in Historiam xx saeculorum Egidii Viterbiensis, quam prelo dedit *C. Höfler*, Abhandlungen der Kgl. Bayr. Akademie der Wissenschaften vol. IV p. 2 (München 1846) 51 sqq.; *Pastor* IV 2, 31. 82.

[6] Can. 12: *Ne quis episcopus permittat, ut sacerdos, qui monialium confessiones audit, sive sit secularis sive regularis, nullam omnino in ipsas moniales iurisdictionem vel potestatem habeat, nisi hanc ipsam ligandi et solvendi in foro conscientiae. Similiter ne permittat, ut religiosi vel alii vigore quorumvis privilegiorum vel consuetudinum suis tantum superioribus confiteri cogantur.* Arch. Vat. *Conc.* 114 f. 380v.

[7] Can. 8: *Ne quis episcopus deinceps occasione quorumvis canonum seu constitutionum apostolicarum vel concessionum aut aliarum dispositionum seu privilegiorum generalium vel specialium quascumque sententias, censuras et poenas ecclesiasticas in se quomodolibet inflictas continentes aliquam excommunicationis, suspensionis et interdicti, inhabilitatis et irregularitatis seu alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ipso iure incurrant, nisi de ipsis episcopis, causa primum cognita, aperta et expressa mentio fiat...* Arch. Vat. *Conc.* 114 f. 384r.

[8] *I Cor.* 5, 5. [9] Cfr. *Matth.* 23, 13.

17.

Iudicium de libro Interim per F[ratrem] H[ieronymum Seripandum ord. Erem. S. Augustini generalem].

[Inter 27. Aprilis et 12. Maii 1548][1].

Romae Bibl. Vat. *Barb. lat. 806* f. 239r-242r, cop. saec. XVII.

Primum Seripandus oppugnat in libro *Interim*, quod a potestate saeculari de rebus spiritualibus disponatur; deinde de singulis capitibus, quae ei in mentem venerunt, adnotat.

Multa, fateor, sunt in hoc scripto *Interim* nuncupato, quae, si puro sinceroque corde credant ac ore ita confiteantur, ut malo aliquo sensu non depravent, qui hactenus contra senserunt atque etiam docuerunt, recta ac laude digna videri possint sitque, unde omnipotenti Deo gratiae agantur, quod sua ineffabili misericordia veritatis aliquando catholicae lumen illorum mentibus praetulerit atque e tantis tenebris in lucem revocare dignatus fuerit.

Sed vereor, ne, si S^mus D. N. scriptum hoc probaverit, sacrosanctum conciliorum nomen et potestas non enervetur modo, sed interimatur penitus[2]. Quo namque exemplo posteritas audiet, in cursu concilii prospero illo quidem, in quo haec omnia vel iam decreta erant vel ita examinata, ut decerni propediem possent, quibusdam ex Germanae nationis hominibus licuisse de religione statuere sibi peculiaria quaedam more eorum, qui leges sibi constituunt municipales, neglectis illis ipsis de rebus a concilio sive decretis sive paulo post decernendis. Nam si haec omnino consentiunt concilii decretis, quid attinet verba mutare et non potius Spiritum Sanctum honorare atque ea, quae iam decreta sunt, simpliciter amplecti? Si non omnino consentiunt, pessimo proculdubio exemplo erigitur altare contra altare. |

239v Video quoque ex hoc scripto illud in primis curari, ut oblique cogatur sancta synodus, si quando progredi sibi liceat, denuo quae communi consensu decreta sunt examinare et actum quod aiunt agere. Nam si haec concedantur interim, donec concilium progrediatur, de iis omnibus iterum cogetur deliberare et disceptare.

Haec generatim notanda dixi. Nunc ad singula capita accedo recensendo dumtaxat, quae inter legendum in mentem venere. Nam ad omnia diligenter et minutatim perpendenda maiore temporis spatio opus erat.

In primo capite: De condicione hominis ante lapsum verbum illud *cumque gratia ornavit*, cum posset videri decernere controversiam[3], de qua salva fide contraria sensere doctores, et nihil ad rem praesentem necessarium sit, omissum a synodo fuit.

In secundo capite: De condicione hominis lapsi sancti patres in conciliis ita semper definierunt credenda de originali peccato, ut ab eius definitione abstinerent, quo liberum esset cuique eam sequi definitionem, quae magis congrueret veritatibus de peccato originali decretis. Hinc quidam secuti sunt definitionem Anselmi[4]: *Peccatum*

[1] Seripandum, dum tractatulum scribit, non eam formam libri *Interim*, quae 15. Maii 1548 Augustae publici iuris facta est, sed aliam praeparatoriam prae oculis habuisse, ex allegationibus ipsis apparet. Congruit ergo tractatulus cum *notulis* illis, quibus legati una cum iis, quas Ambrosius Catharinus excerpserat, usi sunt ad componendum iudicium de libro *Interim*, quod 12. Maii Romam transmiserunt. *Conc. Trid.* I 765, 18 sqq. Exemplar libri *Interim* a cardinale Sfondrato A. Farnesio 11. Aprilis transmissum (cfr. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 294 sqq. et adn. 5 p. 298) 27. Aprilis Bononiam advenit. *Conc. Trid.* I 762, 28 sqq. De origine libri Interim vide *G. Beutel*, Ueber den Ursprung des Augsburger Interims (Leipzig 1888), *G. Wolf* in: Deutsche Zeitschrift f. Geschichtswissenschaft N. F. 2 (1897) 39-89; libellos multos famosos de *Interim*, qui Germaniae prodierunt, enumerat *Frh. v. Liliencron*, Mitteilungen aus dem Gebiet der öffentlichen Meinung in Deutschland während der zweiten Hälfte des 16. Jh., in: Abhandlungen der Kgl. bayr. Akademie der Wissenschaften, hist. Klasse XIII 3 (1874) 140-170; de effectu libri *Interim* cfr. libros a *G. Wolf*, Quellenkunde der deutschen Reformationsgeschichte I (Gotha 1915) 426 sq. laudatos. Textum libri *Interim* vide apud *Le Plat* IV 32-69; sententiam Nicolai Bobadillae S. I. contra librum *Interim* prolatam et cardinali Augustano dedicatam 14. Aprilis 1548 in: Mon. Hist. Soc. Iesu, Bobadillae Mon. (Matriti 1913) 137-143 cum app. 144 sqq.

[2] Cfr., quae Seripandus de colloquio Ratisbonensi anni 1545 in commentariis suis scripsit *Conc. Trid.* II 407, 21 sqq.

[3] scil. inter scolas Dominicanorum et Scotistarum.

[4] Definitio originalis peccati apud Anselmum non verbotenus, ut supra, invenitur, licet secundum sensum, De conc. virginali et originali peccato c. 27 (*Migne* 158, 461): *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Adae iustitiae debitae nuditatem.* Cfr. etiam c. 2 et 3., *ibid.* 434 sq.

est carentia originalis iustitiae cum debito habendi eam; alii aliam [1], scilicet: [Peccatum originale] *est carentia originalis iustitiae cum concupiscentia.* Propterea a peccati | origi- 240r
nalis definitione abstinendum duxere patres concilii Tridentini, ea de peccato originali decernentes, quae de praesenti controversia tenenda erant a catholicis [2].

In eodem capite *hae* [a] *autem istius* [b] *praevaricationis poenae* etc. videndum, ne referri ea pars possit ad superiora illa *ut sit servus peccati, satanae mancipium.*

In capite tertio [3]: De iustificatione iustitia inhaerens aliis verbis explicatur quam verbis concilii Tridentini. Unde verendum est, ne sub aliis verbis alius quoque sensus delitescat. Ex verbis Apostoli [4]: *Carne servio legi peccati* non sequitur: Sine peccato non vivo; nam servire legi peccati concupiscere est; at vero cum si concupiscentiae repugnetur, non modo non peccatur, sed cum merito vincitur.

Cum igitur homo etc. Sententiae huic de imperfectione iustitiae inhaerentis et communicatione et supplemento iustitiae Christi nemo Tridenti acerbioribus restitit verbis quam Hispani theologi et episcopi [5]. Huic sententiae aequiores se praebuere omnes aliarum nationum patres. Illi igitur nunc videant, quid de ea parte huius capitis dicendum sit, et quomodo congruat verbis decreti, quibus statuitur [6]: *Nihil iustificatis amplius* | *deesse creden-* 240v
dum est, quominus plene quidem illis operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse censeantur.

In capite quarto: De utilitate et fructibus iustificationis *Habent quidem* etc., cum in vulgata editione in concilio probata legatur *habeamus* [7], non *habemus,* videndum [est], an usurpari possint apostoli verba, sicut hoc loco usurpantur etc.

In eodem capite *ius adeundae haereditatis aeternae* non videtur concedendum, nisi cum explicatione concilii Tridentini [8] *bene sc. operantibus usque in finem et in Deo sperantibus,* item *si in gratia decesserint.*

In capite quinto: De modo, per quem homo iustificationem accipit, *Christus ipse, cum mox egisset poenitentiam* non videtur recta locutio.

In eodem capite, quid sit iustificari per fidem aliter explicatur, quam Tridenti fuerit explicatum [9]. Dicitur enim, quia *per eam promissio Spiritus accipitur* etc. Scio autem illam esse explicationem Augustini, sed clarior est sententia concilii, et ex qua minus errari possit post controversias exortas.

In capite sexto de charitate et bonis operibus nulla fit mentio [c]. |

Caput septimum: De ecclesia totum videtur superfluum, neque video, quo- 241r
modo in ea actione, qua agitur de reditu quorumdam ad ecclesiae obedientiam, in dubium venire possit, quaenam sit ecclesia, et quanta eius potestas. Cum dicitur, quod pertine[n]t ad ecclesiam claves, potestas excommunicandi, ius ordinandi et vocationis, num per ecclesiam omnem multitudinem fidelium intelligant, explicandum est, ut horum potestas penes totam multitudinem sit perinde ut in aliqua politia. Dicitur externa ecclesiae communio amitti per excommunicationem, verbum, quod schismata parere potest.

Caput octavum: De notis et signis ecclesiae non exprimit aliquid, per quod convinci possint haeretici, quod sint extra ecclesiam. Illi enim apud se veram doctrinam et rectum sacramentorum usum esse semper iactaverunt, concordiam, licet in malo habere possint, charitatis ficto nomine nuncupabunt et contendent suae doctrinae homines in universo orbe multos inveniri.

Caput nonum: De potestate ecclesiae. Datur ecclesiae potestas iuris dicendi, quatenus habet potestatem cohercendi seu excommunicandi tantum, et dubiorum emergentium solutiones omnes ad synodos refert. |

Caput decimum non numerat inter ministros ecclesiae a Deo institutos sacerdotes 241v
sacrificantes, tametsi in alio capite eos commemorat tamquam ab ecclesia institutos.

[a] *Cod. ne* [b] *Interim hic add.* primae [c] *Videtur om. aliquid.*

[1] *Thomas,* S. th. I/II q. 82 a. 3: *peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae.*

[2] Sess. V de pecc. orig., *Conc. Trid.* V 238 sqq.

[3] Hinc differunt capitum numeri. In forma libri *Interim* 15. Maii promulgata c. de iustificatione est quartum.

[4] Cfr. *Rom.* 7, 25.

[5] Ex. gr. Laynez *Conc. Trid.* V 612 sqq. Cfr. *H. Rückert,* Die Rechtfertigungslehre auf dem Tridentinischen Konzil (Bonn 1925) 245 sqq. Inter auctores libri *Interim* erant Petrus Sotus et Malvenda, theologi Hispani. *Beutel* l. c. 95 sqq.

[6] Sess. VI de iustific. c. 16. *Conc. Trid.* V 797, 12 sqq. (aliqua mutata sunt).

[7] *Rom.* 5, 1. — Vide Sess. IV de can. script. *Conc. Trid.* V 91, 27 sqq.

[8] Sess. VI de iustific. c. 16. *Conc. Trid.* V 797, 4 et 14.

[9] Sess. VI de iustific. c. 8. *Conc. Trid.* V 794, 10 sqq.

Caput undecimum: De pontifice summo et episcopis. Quid ad eos attinet de tanta re verbum facere, non video. Extra terminos suos negociantur et videntur sentire, quod plenitudo potestatis papae iis terminis contineatur, ut scilicet provideat, ne schismata fiant in ecclesia.

Caput duodecimum: De sacramentis in genere. Videndum, an cum eo stet, ut sacramenta ex opere operato gratiam conferant, ut Tridentinum decretum loquitur [1].

Caput tertium decimum: De baptismo multa non continet, quae non sine summa ratione decreta Tridenti sunt.

Caput quartum decimum: De confirmatione. Occurrit dubium, an stet decretum synodi [2], quod chrysmati virtus videtur aliqua tribui cum his, quae hoc capite dicuntur de chrysmate.

Caput quintum decimum: De poenitentia. Tametsi nihil adhuc decreverit synodus, non probo, quod de contritione nulla, de satisfactione obscura fiat mentio.
242r Addo de consolatione, | quam dicunt per absolutionem afferri credenti, explicandum esset, quidnam credenti, ne forte dicant, credenti se esse absolutum, quod bulla Leonis [X] damnavit [3].

De reliquis magni facio et veneror responsionem principum catholicorum et statuum [4]. Unum addo, quod communio sub utraque specie in dubium venire facit concilii magni Lateranensis decretum [5]. Nam si sub una continentur omnia, quid attinet duas requirere?

18.

[Aliud iudicium de libro Interim] [6].

[Ante **21.** Maii **1548**].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 6222* f. 127v-130v, cop. coaeva. Excusum a *I. Schweizer*, Ambrosius Catharinus Politus (Münster 1910) 282-286.

I. Iudicium de libro Interim in genere, in quo quattuor partes discernuntur. II. Censurae in singulas propositiones.

I.

Consensus patrum in confessionem, quae Interim inscribitur.

Vat. lat. 6222 f. 127v Nocuit semper et nocebit, ut priscorum theologorum vulgata utamur sententia, particularis vel hominis vel ecclesiae confessio, ut quae nunquam pacem ecclesiae attulerit, quae cum catholica sit, exposcit fidem, et plus habeat discriminis quam spei. Hoc nos vaticinium nos optaremus falsum in confessione hac *Interim* inscripta, sed eadem timenda multa mala sunt quae cogunt, quae etiam persuadent nulli oportunum fore ecclesiae, ut invulgetur [7]. Primo, ut summatim ipsam iudicemus, quantum mutila est et imperfecta! Nam plurima desunt, quae hodie inter ecclesiam et adversarios controvertuntur, quae maxime necessaria ad ecclesiae pacem, veluti an pontifex leges condere possit, an indulgentias impartiri, de votis monasticis, et alia huiusmodi innumera; dum de istis nullam mentionem

[1] Sess. VII de sacramentis in gen. can. 8. *Conc. Trid.* V 995, 25 sqq.

[2] Ibid. de confirm. can. 2. *Conc. Trid.* V 996, 39 sq.

[3] Bulla *Exsurge Domine* propositio n. 10. *Denzinger*14-15 n. 750.

[4] Videtur esse illa, quae apud *Le Plat* IV 69 sqq. (latine); *A. v. Druffel*, Briefe u. Akten III 98 sqq. (germanice) legitur, quae iam mense Aprili exeunte praeparata erat. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 298. 302.

[5] Lateran. IV cap. 1: De fide catholica. *Denzinger*14-15 n. 430.

[6] Vota de libro *Interim*, quae supra exhibemus, etsi cohaereant, distincta tamen esse ex fine primi (*Ut epilogo... concludamus*) apparet. Primus editor *Schweizer* ea Ambrosio Catharino, quem notulas ad Interim scripsisse ex Massarello scimus (*Conc. Trid.* I 765, 21 sq.), forsan attribuenda esse censuit, sed una aperte professus est rem non liquere (*Schweizer*, A. Catharinus 181 adn. 5). Nos nec Catharini esse putamus nec « iudicium » illud, quod legati 2. Maii card. Farnesio transmiserunt (*Conc. Trid.* I 765, 18 sqq.). Nam hoc legatorum erat, illa vota a patribus (sc. concilii?) data sunt; huic tot notulae addebantur, ut Massarellus totam diem in iis scribendis (una cum litteris) consumeret, hic paucae inveniuntur. Praeterea, quae ad iustificationis caput adnotantur, minime cum eis conveniunt, quae Seripandus sensit et supra (n. 17) scripsit. His de causis vota suprascripta certo auctori vel certis auctoribus adscribere non ausi sumus, nisi forte sint illa, quae ex consessu peritorum Romae convocato prodierunt (cfr. prooemium Gasparis de Fossa infra n. 21). Ante finem mensis Maii 1548 data esse videntur, quia dum scribuntur, *Interim* iam invulgatum esse nondum innotuit. Cfr. *Conc. Trid.* I 767, 32 sqq.

[7] Ergo nondum publicatum erat *Interim*. Cfr. adn. praecedentem, et supra n. 17 adn. 1.

facit, arbitrari videtur haec in fide nostra adiaphora esse. Praeterea in articulis, quos explicat, multa omittit, quae si non credantur, inanis erit nostra fides, ut sunt exactae sacramentorum partes, materia inquam et forma. At nullum fere est in hac confessione caput, in quo aliquid non sit desiderandum. Praeterea quantum tradidit, adeo confuse et transposite disposuit, ut [non]nunquam sensus sit mutatus et amissa sit veritas, veluti cum modum iustificationis explicat — primo namque ponit resipiscentiam, dehinc fidem — synodo Tridentinae contrariatur[1]. Praeterea multa miscuit falsa et quae haeresim sapiunt, ut in propriis adnotavimus locis. Sed donemus nihil necessarium omissum, omnia ordinate disposita, | omnia vera et fidei catholicae consona! Quodnam commodum ex huius con- 128r
fessionis publicatione sperandum, si Caesarea M^tas^ non postulat[2]? Optat enim ipse[3], ut legati summi pontificis auctoritate et vivendi et credendi modum praescribant nationi Germani[c]ae, non ut hanc confessionem inculcent. Et catholici principes multis precibus, ne publicetur, contendunt[4]. Silentio pertransivimus, quam alienum sit a certitudine fidei nostrae, ut, quae credimus, hac animi inconstantia et ambiguitate credamus, ut paulo post, decernente scilicet concilio, non simus credituri, et seu haec aliis non essent decreta conciliis. Haec in summa iudicavimus et hanc confirmavimus sententiam ex singularium partium iudicio.

Prima pars ea amplectitur dogmata, quae in Tridentina synodo examinata, decreta et publicata fuere: De conditione scilicet hominis ante lapsum; de conditione hominis lapsi; de peccato originali; de redemptione per Christum; de iustificatione; de bonis operibus; de fiducia remissionis peccatorum. Non est haec pars ecclesiae alicui publicanda, si salvam volumus concilii auctoritatem. Nam praeter ea mala, quae nuper annotavimus[5], quod imperfecta et confusa, quod falsa, tollit etiam concilii Tridentini auctoritatem, tum quia in nonnullis adversatur ei, tum quia denuo decernenda vult, quae iam iam a concilio sunt sancita.

Secunda pars ea amplectitur quoad dogmata, quae Tridenti et Bononiae examinata sunt, non hactenus tamen publicata, ut de sacramentis in universum. Eiusdem est generis cum superiori, imperfecta scilicet, confusa et suspitionem falsitatis ingerens. Suspecta annotavimus in propriis locis. Si haec permittenda esset ecclesiis, restituenda prius esset et absolvenda emendandaque ad doctrinam a patribus examinatam Bononiae vel Tridenti.

Tertia pars est eorum dogmatum, quae hactenus ab ecclesia non sunt discussa, ut de | ecclesia, de eius notis et signis, de eius potestate, de pontifice, de episcopis, matri- 128v
monio sacerdotum, sacrificio et huiusmodi. Eiusdem est farinae cum superiori. Si tamen emendentur suspecta, quae nos annotavimus, poterit ecclesiis permitti.

Quarta pars, quae ceremonias et usus sacrorum amplectitur, indigna est, ut ecclesiis observanda proponatur. Est enim doctrina, ut aiunt, δυσκολος, utroque nutans, nam eius cap. de ecclesia docuerat in hac parte calculum. Reducit facultatem, [quam] ibi concesserat, canones condendi. Hic a conciliis promulgatas leges nihili facit, communionem sub utraque specie petit, ac si concilium Constantiense non cavisset[6]. Matrimonium sacerdotum plurimis iam damnatum conciliis revocat. Praeterea absurda sunt quae docet, dum matrimonium sacerdotum usque ad concilii deliberationem ecclesiae permittendum censet. Nam ut omittamus Ephesinam synodum id vetuisse[7], si verum interim matrimonium erit, post concilium qua auctoritate dirimetur? Nam *quos Deus coniunxit, homo non separet*[8]. Si nunc concubinatus sit, permittetne ecclesia, quod ecclesia prohibuit? Praeterea non satis sunt ad cultus divini necessitatem, quae instituit. Inquit, quod in singulis civitatibus singulis diebus ad minimum missae duae celebrentur. Amplissima oporteret templa esse, quae tantam hominum turbam caperent. Omittimus, quod videntur

[1] Quae sess. VI de iustific. c. 6 primo fidem, deinde considerationem peccatorum et timorem salutarem ponit. *Conc. Trid.* V 793, 8 sqq.

[2] Supple: approbationem pontificis.

[3] Suadente card. Madrutio, Sfondratus 18. Febr. 1548 proposuerat, ut legati amplis facultatibus ornati in Germaniam delegarentur. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 253 sqq. 465 sq. *Ibid.* 267 (5. Martii 1548) Farnesius respondet affirmative.

[4] Cfr. *Ianssen-Pastor* III 771 sqq.

[5] Non est necesse verba haec ad alium tractatum antea compositum referre, cum optime cum dictis in prooemio congruant.

[6] Sess. XIII (15. Iunii 1415) *Denzinger*^14-15^ n. 626.

[7] Inter Ephesini concilii canones nullus de coelibatu. Videtur cogitasse auctor de can. 33 concilii Eliberitani (Elvira), qui episcopis, presbyteris, diaconis et omnibus clericis in altaris ministerio positis usum matrimonii prohibuit. Cfr. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandl. u. Untersuchungen I 154; *H. Leclercq*, in: Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie II 2816.

[8] *Marc.* 10, 9.

illi damnatae succinere opinioni, quae negat posse Dominicam cenam celebrari [a] non praesente omni populo. Huius generis sunt alia quam plurima. Suscipienda igitur non est haec doctrina, nisi prius emendetur ad regulam ceremoniarum, quam ecclesia observat. |
129r Dehinc, si quae necessitas vel utilitas exigeret, ut cum aliquo vel pluribus dispensaretur, nulla ecclesiae catholicae fieret iniuria.

Ut iam epilogo concludamus: Nostra haec est sententia, ut haec in universum confessio nulli invulgetur ecclesiae, quod plus veneni quam mellis [b] habent, sed maxime prima dogmatum pars. |

II.

Patrum censura in nonnullas Interim propositiones.

129v Eius est ingenii et candoris catholica fides authore divo Hieronimo [1], ut ambigua etiam verba unica spongia deleat vel emendet, tantum abest, ut manifestis faveat falsis. Nec mirum est; verbis namque inordinate prolatis, inquit ille, incurritur haeresis. Huic subscripsere sententiae viri sanctissimi et eruditi, Augustinus in opere de Trinitate et Magnus Leo, ecclesiae Romanae pontifex. Inquit ille [2]: Cum de fide loquimur, cum modestia et cautela agendum est. Hic autem ad Procerum [3]: *Inimici crucis Christi omnibus factis et verbis nostris insidiantur, ut, si ullam illis vel tenuem occasionem dedimus, nos Nestoriano sensui etiam congruere mentiantur.* Ad istam amussim et nos confessionem *Interim* inscriptam operae pretium iudicaremus, non enim, quae carbone signavimus, ut impia damnavimus, sed quae remorari auditorem lectoremve possent annotavimus.

[De conditione hominis lapsi].

Fuit itaque primus locus in capitulo de conditione hominis lapsi. In eo sic originis definit peccatum: Privatio iustitiae originalis una cum concupiscentia. Praeseferunt haec verba rationem peccati uni et alteri aeque convenire, ut concupiscentia formaliter et ipsa sit peccatum. Quam sententiam probare videtur in capitulo de baptismo, dum inquit, quod licet peccatum sit, non tamen imputatur [4]. Haec opinio iam damnata [est] in concilio Tridentino [5], a quo nec lato ungue discedere fas est. Dehinc in baptizatis duraret originis peccatum, quod etiam damnatum est.

In eodem capitulo verba illa *poenae praevaricationis renatis cum peccatoribus sunt communes, illis tamen a Deo etiam ad exercitium adhibentur, iniustis vero et impiis infliguntur tantum ad poenam* scrupulum iniecere, ne arbitretur author piis ad poenam relictas esse, quod falsum esse ex scripturis probat divus Augustinus [6]. |

De Iustificatione.

130r Non enim Deus humano tantum more agit cum homine, ut ei dumtaxat ignoscat, sed facit etiam meliorem, comunicat namque cum homine de Spiritu suo Sancto. Visus est nobis author geminam ponere iustificationem, prima[m], qua merito Salvatoris absolveremur a peccatis, posterior[em], qua meliores efficeremur iustitia inhaerente. Id suspicati sumus, quia genuinus verborum sensus ille [esse] videtur; dehinc, qui huius fuere [opinionis], iis ferme usi sunt verbis [7]. Haec autem opinio reprobata est a concilio Florentino et Tridentino [8]. In doctrina de imputativa iustitia exauthorare videtur dignitatem et splendorem

[a] *Cod.* celebrare [b] *in marg.; del.* fellis

[1] Cfr., quae *Hieronymus*, Ep. 15, 3 sq. (*Migne* 22, 356 sq.) contra loquendi modum: *In Deo sunt tres hypostases* scripsit.

[2] Quae verba expressa in opere de Trin. non inveni; similia tamen habes in primis l. I eiusdem operis capitibus *Migne* 42, 819 sqq.

[3] Ep. 129 ad Proterium episc. Alexandrinum, c. 2. *Migne* 54, 1076. Textus hic adductus similis est illi, quem S. Thomas II/II q. 11 art. 2 ad 2 affert.

[4] Quae verba in ultima forma libri *Interim* cap. 15 desunt. *Le Plat* IV 46 sq.

[5] Sess. V de pecc. orig. c. 5. *Conc. Trid.* V 239, 40.

[6] Concupiscentiam in non renatis esse quidem poenam peccati *Augustinus* docet De nat. et gr. c. 25 n. 28 (*Migne* 44, 261), Op. imperf. contra Iul. l. IV c. 67 (*Migne* 45, 1378), sed per baptismum eius reatum solvi ipsamque impugnandam relinqui: Contra Iul. l. II c. 5 n. 12 (*Migne* 44, 682), Serm. 57 n. 9 (*Migne* 38, 391) et saepius.

[7] Cfr. Seripandi de iustificatione meditatam commentationem cap. 2 (*Conc. Trid.* XII 615 sqq.), ubi tamen iustificationis secunda acceptio strictissime cum prima connectitur, *ibid.* 621, 8 sqq.

[8] Sess. VI de iustific. cap. 8 et can. 9. *Conc. Trid.* V 636, 30 sqq.; 640, 30 sqq. In concilio Florentino hac de re nihil.

iustitiae inhaerentis, veluti eam non concomitentur omnes virtutes et coelestia omnia dona, quod damnavit synodus Tridentina [1].

De modo iustificationis.

Alium ordinem et veriorem magisque evangelicum secuta est synodus Tridentina [2]. Illa incepit a fide: *Accedentem enim ad Deum oportet credere;* hic incipit a resipiscentia. Ad germanum itaque et proprium ordinem revocanda esset haec doctrina.

De notis et signis ecclesiae.

Doctrinae de signis nemo nostrum non suffragaretur, si expressiorem non tacuisset notam, legitimam scilicet episcoporum successionem ab apostolorum temporibus ad haec usque tempora deductam. Hanc notam ut primariam requirit Ireneus lib. 4 adversus haereses, cap. 4 [3], et divus Augustinus contra Donat. [4]. Nam, quae enumerantur in hoc capite, haeretici saepius ausi sunt sibi ipsis ascribere.

De potestate ecclesiae.

Si quaestiones oriantur in ecclesia, habet potestatem iudicandi de eisdem, idque per synodum in Spiritu Sancto legitime congregatam. Suspitionem iniecere verba haec, ne velit author potestatem hanc ita synodo collatam, ut summo pontifici non conveniat. Figura enim verborum id praesefert et confessionis titulus. Si nanque opinaretur munus esse pontificium decernere dogmata fidei nostrae, non interim se hoc crediturum assereret, sed perpetuis temporibus, quod decrevisset pontifex. Error autem hic damnatus est in concilio Lateranensi sub Leone X [5].

De pontifice summo et episcopis.

Subodorati hoc idem sumus, quod parum scilicet tribuat pontifici, ex adducto |
ratiocinio ad probandam pontificiam dignitatem. Inquit enim in remedium scismatis 130v
institutum fuisse a Christo, ac si pontifex ea tantum posset, quae ad tollendum scisma vel ad pacem conservandam necessaria sunt. Et hic error damnatus in concilio Constantiensi, Florentino [6] et Romano.

Subsequitur *hanc plenitudinem sic videtur Christus Petro eiusque successoribus dedisse, ut reliquis episcopis partem sollicitudinis non abstulerit.* Timuimus, ne iis verbis voluerint asserere pontificem immediate non habere iurisdictionem in subditos alicuius episcopi, et quod episcopus a pontifice non dependet. Hic error iam damnatus est.

De confirmatione.

Et quanquam sacramentum confirmationis imponendo [a] manum tantum celebratum sit, tamen ecclesia sub ipsis statim apostolorum temporibus adhibuit chrisma. Omitto [b], quod hoc falsum sit, authore Dionisio 4. cap. ecclesiasticae hierarchiae [7]. Est enim, inquit, quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri, scilicet apostoli, chrismatis hostiam nominant. Videtur innuere materiam huius sacramenti ab ecclesia inventam, non a Christo institutam. Et hic error damnatus est in concilio Florentino [8].

De ceremoniis et usu sacramentorum.

Visus est favere ecclesiae adversariis, cum dixit Christi servatoris corpus in sacramento adorari posse. Non sic divus Augustinus Ps. 21 [9] et 98 [10] qui oportere adorari docuit.

[a] *Cod.* imponendi [b] *Cod.* omissa

[1] L. c. cap. 8. *Conc. Trid.* V 636, 41 sqq.
[2] L. c. cap. 6. *Conc. Trid.* V 793, 8 sqq.
[3] *Irenaeus*, Adv. haereses l. III c. 3. *Migne gr.* 7, 848 sqq.
[4] Contra Cresconium Donatistam l. III c. 18 n. 21. *Migne* 43, 506.
[5] In bulla *Pastor aeternus* data 19. Dec. 1516, qua damnata est Sanctio pragmatica. *Bull. Rom.* V 661 sq. Cfr. etiam *Denzinger*[14-15] n. 740.
[6] In decreto pro Graecis, *Denzinger*[14-15] n. 694. Ubi concilium Constantiense primatum iurisdictionis definierit, qualeque concilium Romanum auctor hic in animo habeat, nescio, nisi sit Lateran. V, sess. XI, *Raynald* a. 1516 n. 27.
[7] *Migne gr.* 3, 471 sqq.
[8] In decreto pro Armenis, *Denzinger*[14-15] n. 697.
[9] Enarr. I in Ps. 21, 26 sqq., *Migne* 36, 170.
[10] Enarr. in Ps. 98 n. 9, *Migne* 37, 1264 sq.

19

Interim cum annotationibus [1].

[Paulo III pont. max. dedicatum].

[Maio vel Iunio 1548].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3931* f. 1r-39v, cop. coaeva cum textu libri *Interim*, quem in nostra editione praetermittimus [= *A*]; *Vat. lat. 3554* f. 290r-316r, cop. saec. XVI exeuntis, etiam cum textu *Interim; Vat. lat. 6209* f. 266r-277v, cop. coaeva sine textu *Interim* [= *C*]

Auctor admonet, quae in singulis libri *Interim* capitibus animadvertenda ei videntur.

Vat. lat. 3931 f. 1v S^mo^ D. N. papae. Audivi a quodam amplissimo patre S^tem^ Tuam supra modum optare fieri certiorem de his, quae in isto (quod *Interim* appellant) nuper impresso a vera doctrina repug[n]ent et in rem publicam christianam scandalum ac detrimentum afferre possint, tum eiusdem ipsius Rev^mi^ patris suasu ac monitis, tum etiam, quia eas partes meas multis de causis esse ducebam piis quampluribus ac eruditis viris ad hoc ipsum mihi adscitis Deum solum et christianae reipublicae beneficium prae oculis habentes, in quibus a sana doctrina vel verborum ambiguitate confunditur vel sententia dissentit. Quae proculdubio dissimulanda esse non videbantur in huius tabellae margine, quampluribus confuse ac praepostere positis praetermissis, ne verba potius quam rem ipsam explorare videremur, suis locis adnotavimus.

Verum priusquam rem aggrediamur, ne contingat idem saepius repetere, praetermittimus tanquam omnibus notissimum, quod tractare quovis modo de ecclesiae catholicae dogmatibus tantum ad Romanum pontificem spectat vel ad concilium ab eo ipso iam indictum, inchoatum et prosequutum, aut cui urgentibus causis ab eodem commissum aut concessum fuerit.

Sed esto quod vel religionis vel cuiusvis coloris praetextu aliquis quovismodo hoc munus sibi arrogaret, ut in isto *Interim* Caesarem fecisse deprehendimus, ad hoc praestandum non quaedam, sed omnia schismata eorumque causas, praesertim quae nexu quodam mutuo vicissim dependent et ad periclitantium salutem spectant, salvis tamen sedis apostolicae consensu et authoritate, opus est poenitus exstirpare [a] et veram et catholicam doctrinam sancte restituere, quia in via Domini, in hac parte potissimum, *qui in uno offenderit, factus est reus omnium* [2]. Si autem hac in consultatione servatum sit, in margine notatum deinceps deprehendetur, latius tamen declarandum [b], quando, ubi et quomodo opus fuerit, scripturis sacris, conciliis, summorum pontificum decretis, perpetuo ecclesiae usu et rationibus etc.

[In prologo] [c].

2v *Ut concilium generale Tridenti in Germania institutum tandem fuerit atque inchoatum.* Addas « et magna ex parte ibidem eadem authoritate et ordine prosecutum ». Quo fit, ut a definitis ab eo hactenus haec consultatio recedere non debuit, et, ut sic etiam probaretur, quid credendum atque sperandum esset in his, quae in ipsa consultatione de futura concilii prosecutione pollicentur (!).

[Ibidem:] *Iudicium eius [sc. concilii] ac definitionem expectarent.* Si his verbis complementum totius concilii intelligat, nec oportet sic fieri nec convenit, quia cognita veritate in sessionibus concilii oecumenici legitime coepti et prosecuti, promulgata et in ecclesia nemine

a *Codd.* exstimare b *Codd.* declarandis c *C* In Prohemio. *Textus Interim in C adducti saepius differunt sive abbreviati, sive ampliati, sive aliis mutati sint; item tituli capitum additi sunt*

[1] Quamquam nullum adduci argumentum potest ad probandum hunc tractatum in ipso concilio scriptum esse, immo plura, quae auctorem Romae quaerendum esse suadeant, ex. gr. quia auctor ipse a cardinale quodam ad scribendum se commotum esse dicit (supra l. 1), quod Bononiae, ubi post 17. Maii, quo die Cervinus discesserat (*Conc. Trid.* I 767, 1 sqq.) praeter legatum de Monte unicus Moronus aderat (a 20. Sept. 1547 usque ad 14. Iulii 1548), vix dici poterat, deinde, quia doctrinam de primatu Romani pontificis prae ceteris respicit, tamen eum in nostram collectionem recepimus, quod, quibus *Interim* a concilio Tridentino necnon a catholicae ecclesiae dogmatibus differt, diligenter exponit. De auctoris nomine nihil in codicibus; suspicari tamen velim, sacri palatii magistrum, tum (1547-1550) Fr. Aegidium Foscherarium, esse, nam multis de causis *partes suas* esse dicit (supra l. 4 sq.) iudicium de libro *Interim* cum pontifice communicare. De Aegidio Fosch. cfr. *Quétif-Echard* II 184 sqq.

[2] *Iac.* 2, 10.

ex catholicis contradicente diffusa et recepta, eam quilibet suscipere debet. Si autem de iudicio et definitione cuiusvis sessionis loquatur, cur, ut inferius patebit, haec consultatio in nonnullis non modo concilium Tridentinum non sequitur, verum etiam contradicit?

[Ibidem:] *Opportune obtulerunt tradideruntque diligentius expendendam simul polliciti.* 3v
Istorum erat parere decretis ecclesiae aut saltem concilii Tridentini eorum causa potissimum indicti, et non legem offerre, quam servaturos se pollicebantur.

[Ibidem:] *Si in sensu recto et catholico intelligatur.*

⟨Talia verba esse debent, ut ista cautela non indigeant. Quis ignorat (in hoc potissimum rerum genere), quod ex verbis inordinate prolatis incurritur in haeresim, et quotiens in hac parte a conciliis, a summorum pontificum decretis, a sanctis patribus admonemur?⟩ [a] 4r

[Ibidem:] *Se ab eis avelli nullo modo patiantur.*

⟨Si alibi statuitur, ut illi, quibus permittitur coniugium usque ad futuri concilii deliberationem, non administrent sacramenta, et hic vehementer hortatur catholicos, ut non patiantur se evelli ab institutionibus, quas hactenus servaverunt, — quis administrabit sacramentum sub utraque specie tot milibus hominum?⟩ [a] 3v

[Ibidem:] [b] *Reservat sibi S. M^tas curam.* Dictum est superius in litteris, quae supposuimus, quis habeat facultatem et quomodo tractandum de ecclesiae christianae dogmatibus. Verumtamen dissimulandus non est locus iste, ubi sub colore auferendae superstitionis a ceremoniis authoritatem sibi arrogat, ubi et quando opus fuerit, ordinem et modum in omnibus constituendi. 4v

[In cap. 1.]

Omni posteritati suae conservasset... omne denique peccatum atque vitium vitasset. Vitasset, si tamen haereditariam iustitiam conservasset; similis namque ratio est Adae et posteritatis. Et si aliter intelligit (quod tamen non exprimit), error est. 5r

[In cap. 2.]

Quod peccatum. Nullo facto discrimine in hoc capite indifferenter peccatum appellat privationem iustitiae et concupiscentiam, cum concupiscentia nonnisi improprie dicatur peccatum, ut decretum est in concilio Tridentino [1]. 5v

[Ibidem:] *Ex qua tanquam fonte profluunt et virtutes morales.* Non ex voluntate proprie tanquam ex fonte profluunt virtutes morales, sed ex dictamine rationis.

[Ibidem:] *Aspirare haud potest.* Si per gratiam et reparationem idem intelligit, ut verba prae se ferunt, errorem committit, quia ad hanc gratiam habitualem auxilio Dei gratuito disponi et ad illam aspirare possumus.

[Ibidem:] *Illis tamen a Deo etiam ad exercitium adhibentur* [*sc. poenae*]. Verbum autem illud *etiam* hic prae[se]fert regeneratis concupiscentiam reliquosque morbos relictos esse in poenam, quod ex diametro efficacissimae baptismi virtuti repugnat necnon doctrinae a conciliis et summorum pontificum decretis promulgatae contradicit. 6r

[Ibidem:] *Aeternis ibi suppliciis plectatur.* Verum est, quod poenis aeternis plectetur ille, qui actuale peccatum annectit originali. Sed poena pro originali tantum hic omissa est, quae quidem omitti non debuerat, ne pro isto tantum peccato damnatos esse homines crederetur vel cum eo quispiam posset vitam aeternam ingredi.

[In cap. 4.]

Facit etiam meliorem. Verbum illud *meliorem* non caret suspitione haeresis. Iustitia enim inhaerens facit nos iustos et filios Dei, sine qua nec boni esse possumus, ut ipsa adveniente faciat nos meliores. 7r

[Ibidem:] *Plenam iustitiae inhaerentis perfectionem.* Verum est, quod plenitudinem illam perfectionis, quae haberi posset in hac vita, nemo habet, illam tamen plenitudinem iustitiae multi habuerunt et in dies habebunt, quae statui nostro, officio et saluti competere potest. 7v

[Ibidem:] ⟨*Per communicationem iustitiae suae iustitiam hominis de illa participantis inhaerentem ut effecit, ita auget*⟩ [c]. Verba, quae in eodem capite continentur, ita immiscent complementum iustificationis cum augmento eiusdem, ut difficile videatur, quo tempore et

[a] *Ordo notarum in codd. praeposterus a nobis emendatus est* [b] *C add.* Sub titulo de ceremoniis [c] *Com.*

[1] Sess. V de pecc. orig. cap. 5, *Conc. Trid.* V 239 sq.; cfr. etiam *H. Iedin*, Des Ioh. Cochlaeus Streitschrift de libero arbitrio hominis 1525 (Breslau 1927) 52 sqq.

modo iustitia Christi nobis communicetur. Patet tamen, quod, cum hic agatur de iustificatione impii, non opus erat communicationem iustitiae Christi iustitiam hominis de illa alio tempore et modo participantis hoc in loco adducere, quia iustitia inhaerens, quam Deus per Christum, dum iustificamur, nobis infundit, ita satisfacit, ut tunc applicatione alterius iustitiae non indigeamus. Et si errore hoc factum est et non malitia, et augumentum iustitiae intendit docere et non actum sufficientis nostrae iustificationis, cur meritorum nostrorum nullam habet rationem, quae una concurrunt cum participatione gratiae Christi tunc nobis communicatae, ut scripturarum et sanctorum testimonio patet et in concilio Tridentino definitum est [1]?

[In cap. 6.]

8v *Non accipit [homo] beneficia illa Christi nisi praeveniente gratia Dei mens eius atque voluntas moveatur ad detestationem peccati.* Male ordinantur hic actus poenitentiae, nam post divinam motionem primus locus debetur fidei — *accedentem* enim *ad Deum oportet credere* [2] —, et detestatio peccati, cum effectus sit fidei et amoris, his praeponenda non erat, ut concilium Tridentinum ordinavit [3].

[In cap. 7.] [a]

10r *Mercedem liberalissime promisit.* Requiritur proculdubio divina promissio, ut opera nostra sint meritoria vitae aeternae et temporalium. Sed hoc non sufficit ad completam meriti rationem, quod cum opus sit humanum, cuius principium proximum est liberum arbitrium cum gratia, nec potuit nec debuit omitti.

[Ibidem:] *Iustitiae incrementa ipsis adiunguntur.* Si iustificati et servi facti iustitiae per bona opera et Dei gratiam maiora iustitiae incrementa acquirimus ob idque Deus magis laudatur in sanctis suis, cur dicit *incrementa iustitiae* iustificatis *adiunguntur* et non potius « iustitiae incrementa iustificati acquirunt », praesertim propter instantem necessitatem?

10v [Ibidem:] *Quae tamen praeceptis superaddita aut pie aut honeste suscipiuntur.* Nimis hic extendat opera supererogationis, nam non solum pie debent suscipi et commendari, verum etiam credi per eadem nobis gratiam augeri, quod hic non erat omittendum tum propter rei veritatem tum propter adversarios.

[In cap. 8.]

11r *Quin ei omnis spes et totius fiduciae certitudo esse debet in pretioso sanguine Christi.* Praefatio huius capitis est de fiducia remissionis peccatorum, prosecutio vero tam fiduciam remissionis peccatorum quam salutis complectitur, quae verum dicit, modo ibi non lateat, quod operibus factis in gratia fidere non debeamus, et tantum, ut per Dei gratiam et Iesu Christi meritum credamus per illa nos adepturos esse salutem, ut pluries [b] Christus testatur.

[In cap. 9.]

Nunc de ecclesia, quae est universitas christifidelium, agendum videtur. Exordium istud de ecclesia gravem falsitatis suspitionem praebet propter ancipitem et permixtam doctrinam hic insertam. Nam priusquam discriminet invisibilem ecclesiam a visibili, multa ei tribuit, quae invisibili non conveniunt.

11v [Ibidem:] *Extra eam [sc. ecclesiam] dona gratiae suae tribuit nemini.* Haec verba confirmant Germanos in ea haeresi, quam hactenus professi sunt, vana sc. esse ad iustitiam praeparatoria cuncta. Si enim nulla datur gratia, nulla est praeparatio, quae nulla est, si desit gratia, explosum dogma peculiariter a Milevitano [4], a Tridentino [5] et a Leone X [6].

12r [Ibidem:] *Singula membra percipiant ex eo [sc. spiritu Christi] quantum sibi satis sit ad salutem.* Si nisi *quantum satis sibi*, non scriptum esset de B. Virgine *gratia plena* [7], de Stephano idem [8], de apostolis *repleta sunt* [9] etc. Suspecta est haec doctrina, ne gloriam sanctorum aequam faciat.

[a] *C secundam glossam primo loco ponit, tertiam secundo, primam terti[o].* [b] *C om.*

[1] Sess. VI de iustific. cap. 16, *Conc. Trid.* V 796 sq., praesertim 797, 3 sqq.

[2] *Hebr.* 11, 6.

[3] Sess. VI de iustific. cap. 6, *Conc. Trid.* V 793.

[4] Videtur alludere ad can. 4 (*Denzinger*[14-15] n. 104), qui tamen non proprie de praeparatione ad gratiam agit.

[5] Vide Sessionem VI de iustific. can. 3 et 7 *Conc. Trid.* V 797, 42 sqq., 798, 11 sqq.

[6] Prop. 6 (de contritione), *Denzinger*[14-15] n. 746.

[7] *Luc.* 1, 28.

[8] *Act.* 7, 55.

[9] *Act.* 2, 4.

[Ibidem:] *Sacramentis item uti licet* [*sc. peccatoribus*]... In cap. de confirmatione cum concilio Aurelianensi [1] bene dicit accedentes ad illud sacramentum confessos esse debere. Hoc tamen in loco oppositum et male asserit *licite* posse uti sacramentis hi, qui languent ex peccato mortali et a spirituali commune sunt remoti. 13r

[In cap. 10.]

Primaria nota hic omittitur, qua expressius cognoscitur, quaenam sit vera ecclesia. Est autem haec unitas legitima successio capitis ecclesiae vicarii scil. Christi et summi pontificis, quam notam, si non admittit, adversariorum haereticorum sententiam sequitur, et si eam admittit, ob rei veritatem et temporis calamitatem subticere non debuit.

[Ibidem:] *Tertium signum est unitas, quae vinculo charitatis et pacis continetur.* Etsi ecclesia hanc habeat unitatem, non tamen eam habet ut notam et signum. Prohibent enim sancti, praesertim Paulus, ne quemquam de charitate iudicemus [2]. Unitas autem, quae signum verum et patens ecclesiae est, [in eo consistit] quia oves sumus unius ovilis et unius pastoris. Et hoc inculcare est adversariis favere, qui non agnoscunt ecclesiae facultatem, ubi charitatem non vident, damnatum dogma in concilio Carthaginensi [3]. 13v

[In cap. 11.]

Tamen fuit penes ecclesiam authoritas discernendi scripturas veras ab adulterinis. Hic cum adversariis videtur consentire, dum dicit tamen fuisse hanc facultatem penes ecclesiam. Dicunt enim tunc temporis fuisse hanc in ecclesia facultatem, cum scriptorum stilus vitaque nota essent, nunc autem minime. Verba autem hoc in loco sic sunt posita, ut facile intelligatur eius esse sententiae, hoc est fuisse, sed in praesentia tamen non esse penes ecclesiam facultatem discernendi scripturas veras ab adulterinis; igitur Spiritus Sanctus non manebit nobiscum usque ad saeculi consummationem ducens ecclesiam in omnem veritatem [4], falsa sunt tot patrum testimonia et tot concilia, quae nullo facto temporum discrimine perpetuo dixerunt ecclesiam istam habere facultatem. 14r

[Ibidem:] *Idque per synodum.* Tandem se prodidit, quantum pontificiae deferat dignitati, cur dictum illud *Matthaei* 18, [17]: *Dic ecclesiae* potius de coetu hominum quam de ministris sit interpretatus, cur in notis ecclesiae omisit pontificem, quia ecclesia [de quaestionibus iudicare] potest *per synodum*, i. e. non per pontificem. Hunc esse sensum convincunt superiora. Cur non affirmatur hoc de facultate excommunicandi, cur non de potestate iurisdicendi? Praeterea, si opinaretur munus esse pontificium decernere dogmata fidei nostrae, cur haec usque ad concilii definitionem credenda proponitur? Nam perpetuis temporibus credendum est, quod decrevit pontifex, et contrarium asserere a nascentis ecclesiae initio haereticum semper fuit et a religione christiana eiectum, quod quidem, licet multis modis demonstrari posset, ne tamen prolixiores videremur, ex multis tantum nonnulla praecipua decerpemus ex scripturis et summorum pontificum decretis, conciliis, patrum testimoniis et ecclesiae usu, quibus facile patebit, quantum ecclesiae Romanae eiusque pontifici sit tribuendum [5]. 15r

[1] Inter canones conciliorum Aurelianensium annorum 511, 533, 538, 541, 549 et 640 nullus de dispositione confirmandorum agit; sed Gratianus c. 6 *Ut ieiuni* de consecr. D. 5 (*Friedberg* I 1414) concilio Aurelianensi cuidam falso attribuit; cfr. *Mansi* VIII 364.

[2] *I Cor.* 4, 5.

[3] Alludere videtur auctor ad colloquium Carthaginense inter Catholicos et Donatistas, ubi demonstratum est in ecclesia malos esse tolerarique posse. Vide *Augustinum*, Breviculus collationis cum Donatistis, *Migne* 43, 629 sqq.

[4] Cfr. *Io.* 16, 12.

[5] Testimonia, ad quae auctor alludit in codice A, f. 70r-71v et f. 73r-74v conservantur, in cod. C immediate sequuntur; de quibus aliqua excerpsimus.

a) Ex evangelio. *Duobus nominibus Simonem Christus appellari iussit, quibus aperte insinuaretur, quae et qualis futura erat eius authoritas. Dixit enim eum esse Petrum et vocari debere Cepham; Petrum, ut futuram eius firmitatem ostenderet, supra quam aedificanda erat ecclesia, Cepham vero, ut caput omnium in terris futurum esse cunctis compertum esset.* Postea praeter *Matth.* 16, 18, *Io.* 21, 17, *Luc.* 22, 32 hoc quoque argumentum adducit, quod, *dum enumerantur apostoli, semper primo loco ponitur;* quod *Petro dicitur, ut duceret in altum rete* (*Luc.* 5, 4 sq.); quod *Petro dicitur ut uno eodemque didragmate satisfaceret pro se et Christo, et multa his similia non desunt in evangelio, quibus authoritas pontificis comprobatur, et quod Petro superius et inferius tribuitur, id idem suis successoribus fieri debere intelligatur, ut bene in hac parte iste author dicit, dum asserit summum pontificem eo iure quo Petrus habere authoritatem.*

b) Ex summis pontificibus. Post *Act.* 15, 7 adducit decretales multos Ps. Isidori, ex. gr. Clementis Ep. 2 ad Iacobum c. XLV (*Hinschius* 46 sq.), Anacleti Ep. 3 c. XXXIV (*Hinschius* 84), Alexandri Ep. 1 c. IV (*Hinschius* 95), Lucii c. VIII (*Hinschius* 179), Iulii c. XI (*Hinschius* 465).

c) De usu ecclesiae. Auctor adducit concilium apostolorum, electionem Matthiae, concilium Ephesinum, Antiochenum, Ariminense et concludit:

15v [Ibidem:] *Iuxta illud concilii Hierosolymitani.* ⟨In praecedenti capite de autoritate ecclesiae sequitur *iuxta illud concilii Hieroso[lymitani]*: *Visum est nobis etc.* Hoc idem, quod legitur factum esse a ceteris apostolis [*Act.*] 15, [28] per concilium, Petrus solus sine concilio legitur fecisse [*Act.*] 10 et 11, et in eodem concilio praefatus est Deum ab antiquis diebus eum elegisse, ut per os suum gentes audirent verbum evangelii et crederent⟩[a].

[In cap. 13.]

Quae continentur in isto capite, admodum involuta sunt et perplexa, sed industria ita disposita, quod posset maior pars eorum in bonum sensum trahi, si, dum de ecclesiae authoritate et nobis ageretur, summo pontifici, ut par erat, delatum fuisset. Dicit enim *in remedium schismatis etc.* Hyeronimus, quem putat auctor iste se esse imitatum, his etiam verbis utitur[1], sed non ea intentione, ut omnimode authoritatem et officium exprimeret. Iste autem tum ex his, quae superius omisit (ut diximus)[2], tum ex praefatione capitis et modo loquendi iustam causam suspicandi nobis relinquit, ut crederemus his verbis in totum exprimi voluisse officium et omnimodam summi pontificis authoritatem. Sed si verbis Hyeronimum hic sequitur, sequatur etiam eum, ubi ex professo in hac parte de summi pontificis potestate loquitur. Nam scribens Damaso papae (ut superius recitavimus)[3] ea[dem] et longe maiora summo pontifici tribuit, quae ecclesiae per synodum, pontifice summo omisso, superiori capite tribuebantur.

[Ibidem:] *Cum plenitudine potestatis.* Si ecclesiae per synodum tribuit id, quod potissimum est, omisso pontifice, quaenam et qualis est haec plenitudo potestatis, quam ei modo tribuit?

[Ibidem:] *Pro praerogativa Petro concessa.* Si eo iure, quo Petrus, superius iam dictum est scripturarum testimonio, a summis pontificibus, a conciliis et a sanctis patribus, quodnam sit munus quaeve authoritas Petro debita. Quae tamen, ubi locus erat, ab ipso authore praetermissa est.

16r [Ibidem:] *Potestate uti debet non ad destructionem.* Optima verba sunt ista, quod *non debet.* Si tamen non praestitent, ob id ne minimum quidem minuitur de sua suprema potestate, nec a quavis potestate in terris iudicari potest, praeterquam in casu haeresis, ubi negligens corrigi ex se se ipsum penitus disiungens a Christo iam iudicatus est.

[Ibidem:] *Suarum ecclesiarum et dioecesium veros iure divino episcopos esse voluerit.* Episcopatus institutus est de iure divino, ut per scripturas patet, constituere autem hunc vel illum ad hanc vel illam ecclesiam, ad papam spectat, qui eos vocat in partem sollicitudinis suae, cui soli dictum fuit in sui iustitutione: *Pasce oves meas*[4] indistincte, non has vel illas, sed omnes, quae sub Christo merent[ur] easque, dum Daemon cribrare vellet[5], confirmaret.

[In cap. 14.]

Inepte hic describuntur sacramentorum causae, quod notae essent ecclesiae, non enim ideo signa dicuntur, quia ecclesiam repraesentant, sed ⟨gratiam iustificantem⟩[b]

[In cap. 16.]

18r *Innititur autem misterium hoc promissionibus Christi.* Hic et ubique, dum de sacramentis sub hac ratione agitur, ut verba omni suspitione careant et Christum omnium

[a] *C om. totam glossam* [b] *C* gratiae iustificantis

[Quae] Basiliense[s] invito pontifice de rebus fidei statuerunt, ipse absque concilio abolevit.

d) Ex patribus adducit *Irenaeum*, Adv. haer. III, 3 (*Migne gr.* 7, 848 sqq.); *Tertullianum*, De praescript. haer. c. 36 (*Migne* 2, 59 sq.) et alia iuxta editionem Beati Rhenani; *Cyprianum*, Ep. 3 ad Cornelium [n. 14] (*Migne* 3, 818. 821); *Athanasium*, Ep. ad Felicem; *Hieronymum*, Ep. 15 ad Damasum [n. 1] (*Migne* 22, 355); *Basilium*, Ep. 6 ad Athanasium [nunc 69] (*Migne* 32, 431 A sq.).

[1] *Hieronymus*, Ep. 146, 1 (*Migne* 22, 1194): *Quod autem postea unus* [sc. ex presbyteris] *electus est* [sc. episcopus], *qui ceteris praeponentur, in schismatis remedium factum est.* Cfr. etiam Com. in *Tit.* 1, 5 sqq., *Migne* 26, 562 sq. Sed advertendum, Hieronymum his locis non de primatu loqui, sed de origine episcopatus.

[2] Cfr. quae auctor supra p. 95 in capp. 10 et 11 libri *Interim* adnotavit.

[3] Cfr. p. 95 adn. 5 sub d.

[4] *Io.* 21, 17.

[5] Cfr. *Luc.* 22, 32.

sacramentorum (ad quem solum spectat) esse institutorem profiteamur, melius et sine suspitione diceretur, si dicatur «institutioni Christi innituntur».

[Ibidem:] *Sacramentum confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit.* Duplex error hic latere potest. Alter quod apostoli tantum per manus impositionem confirmarent, est enim, inquit Dionysius [1], quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri, i. e. apostoli, chrismatis hostiam nominarunt; alter vero, quia videtur innuere materiam huius sacramenti non a Christo institutam, sed ab ecclesia inventam, quod erroneum est ex concilio Florentino [2].

[In cap. 17.]

Forma eius [sc. poenitentiae] et verbum tale esse debet, ut qui confitetur, audire atque intelligere possit. Iste putat ecclesiam adhuc non habere veram et sufficientem formam absolvendi. Certe hoc falsum et haereticum est. Non negamus ad confessarios spectare instruere et hortari poenitentes, quantum fieri potest, in his et aliis. Quae tamen, si omittantur, non ob id vere non est assecutus poenitens suorum peccatorum absolutionem, et quae dehinc enumerat, licet sint oportuna, si tamen desint, non defraudatur poenitens effectu absolutionis. 20r

[In cap. 20.]

Sub alteram [sc. potestatem ordinis] cadit ministerium verbi divini, administratio sacramentorum et ecclesiarum ordinatio. Ordinatio et gubernatio ecclesiarum sub potestate iurisdictionis continetur, et non ordinis, ut prae se ferunt haec verba. 23r

[In cap. 21.]

Etsi in capite de sacramentis in genere dictum sit sacramenta non solum significare, sed sanctificare, dum tamen hic explicat matrimonium esse sacramentum aliarum rerum potius quam gratiae iustificantis, cuius proprie est signum, voluit esse notam [a]. 23v

[In cap. 22.]

Sine quibus religio coli non potest. Non colitur religio, sed est qua Deus a nobis colitur. 25v

[Ibidem:] *Ut in cruce meritam [sc. redemptionem] fide et devotione nobis applicemus.* Verum est, quod fide et devotione per hoc incruentum sacrificium cruenti meritum nobis applicatur. Sed omittitur hic, et male, quod sacrificium hoc incruentum sua efficacissima virtute, non tamen sine fide et devotione, applicat nobis meritum cruenti sacrificii. 32r

[In cap. 24.]

Reliquae preces ad dignam sumendae sacrosanctae eucharistiae praeparationem referuntur. Alienum certe videtur a ratione, quod pars missae, quae incipit *Nobis peccatoribus* [3], non prodesset absentibus. Cur cum societatem sanctorum petimus, excludere fratres nostros debemus? Praeterea non esset pars sacrificii vel missae, si ab illa excluderentur. 36v

[In cap. 26.]

Pertinent enim [ceremoniae] ad efficaciam huius sacramenti adumbrandam et significandam. Haec verba innuunt, quod hi ritus dumtaxat significent, nihil autem efficiant. Huius tamen contrarium docuit ecclesia authore divo Augustino in libro de symbolo [4]. 37r

[a] *A del. eundem fere textum ut supra et postea denuo ponit*

[1] *Ps. Dionysius*, De eccl. hier. 4, 1, *Migne gr.* 3, 471 sq.

[2] Vel potius ex decreto pro Armenis, *Denzinger*[16-18] n. 697.

[3] *Miss.* Rom., Canon missae post memoriam defunctorum: *Nobis quoque peccatoribus... partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus.*

[4] *Augustinus*, De symbolo ad catech. c. 1 n. 2, *Migne* 40, 628.

37a [Ibidem:] *Nec cultus latriae in hoc genus transferatur.* De crucibus vero et imaginibus non est praetereundum, quod, ubi ponitur *nec cultus latriae*, et bene, addi debuisset, quod dulcia possunt et debent venerari (!).

38a [Ibidem:] *Vigiliae item et exequiae mortuorum de more veteris ecclesiae celebrentur.* Multa inferius et superius sunt, quae praetermisimus, ne nimis videremur curiosi, ut de hora, de numero missarum, ‹de causa vigiliarum et exequiarum, de pecoribus quae deficerent, si carnibus semper vesceremur›[a].

39a [Ibidem:] *Eadem est ratio usus eucharistiae sub utraque specie.* De communione vero sub utraque specie et de coniugatis in exordio operis, dum cetera, quae hic continentur, Caesar probaret, iam a S. M[te] damnata sunt. Si autem bene aut male haec permittantur et possint usque ad concilii definitionem [illis uti], nonne superius, dum exordiremur, compendio protestati sumus, quomodo et ad quem spectet de his pertractare, quae ad religionem christianam spectant, ‹pollicentes, sicuti pollicemur, quae diximus nos latius declaraturos scripturis sanctis, summorum pontificum decretis, conciliis, patrum testimoniis, perpetuo ecclesiae usu et rationibus. Ad laudem Dei et proximi salutem. Amen›[b].

20.

Franciscus Romeus de Castilione, generalis ord. Praedicatorum: [De libro Interim][1].

[**Maio** vel **Iunio 1548**].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3931* f. 59r-63v, cop. coaeva; *Vat. lat. 3554* f. 335r-339v, cop. saec. XVI exeuntis; *Vat. lat. 12127* [antea Arch. Vat. *Arm. XI 45*] f. 515 sqq.

Primo quoad singula capita libri *Interim*, praesertim c. 4 de iustificatione, cc. 10 et 11 de notis et signis ecclesiae verae et de autoritate et potestate ecclesiae, c. 13 de pontifice summo et episcopis, et capita de sacramentis, quae sentit, adnotat. Deinde de *Interim* in genere iudicat omnino a sede apostolica non approbandum esse.

Vat. lat. 3931 f. 59r In consultatione Germanica exhibita Caesareae Maiestati super negotio religionis multa sunt, quae me offendunt. Circa quae dicam paucis, quae sentio, sub obedientia et correctione maiorum meorum.

In primis offendor in prologo, cum dicitur sic in titulo de ceremoniis[2]: *Si quid forte irrepsisset, quod causam daret superstitioni, reservat sibi Sua Maiestas curam in hoc negotio atque aliis, ubi et quando opus fuerit, modum et ordinem legitimum constituendi* etc.

Haec, salva pace, mihi non placent. Nam cum superstitio sit vitium religioni contrarium per excessum, et contraria eiusdem sint disciplinae, non reservatur imperatori constituere vel declarare, quae vel qualia dent causam superstitioni, sed spectat ad Christi vicarium Romanum pontificem, cui commissa est cura de religione, cum dictum est illi[3]: *Pasce oves meas.* Hinc divus Bernardus[4] attribuit Romano pontifici, quod dictum fuit Moysi 18, [19 sq.] *Exodi: Esto tu in populo in his, quae ad Deum pertinent, ut ostendas eis ceremonias et ritum colendi Deum.* Unde et 96. Dist. cap. [11] *Si imperator*[5] sic dicitur a Ioanne papa: *Si imperator catholicus est, filius est, non praesul ecclesiae, et quod ad religionem competit, discere ei competit, non docere* etc.

Offendor nonnihil in titulo [2] de conditione hominis lapsi, ubi dicitur, quod virtutes morales et actiones profluunt sicuti ex fonte ex libertate arbitrii etc. Verius siquidem et magis proprie apud Aristotelem in libro Ethicorum[6] virtutes et actiones morales ortum habere dicuntur ex dictamine rationis, nam et actus virtuosi, quibus

[a] C om. [b] C om.

[1] De auctore, qui ab anno 1546 ad 1552 ord. Praed. regebat, cfr. *Quétif-Echard* II 125 sq.; *R. P. Mortier*, Histoire des maîtres généraux de l'ordre des frères prêcheurs V (Paris 1911) 422-451. Romeus tractatum Romae scripsisse videtur, cum post 30. Ian. 1548 in diario IV Massarelli de eo mentio non fiat. *Conc. Trid.* I 741, 21.

[2] *Le Plat* IV 34. Verba supradicta etiam in consistorio 3. Iunii habito lecta et reprehensa sunt. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 362 adn. 1 (ex relatione Serristorii 4. Iunii data).

[3] *Io.* 21, 17.

[4] *Bernardus*, De consider. l. II c. 8 n. 15 (*Migne* 182, 751) Eugenium IV alloquitur: *Tu princeps episcoporum, tu haeres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus.*

[5] *Friedberg* I 341.

[6] Eth. Nic. III 8 (*Bekker* 1114 sq.) VI 1 (*Bekker* 1138).

acquiruntur virtutes, sunt a dictamine rationis et dicuntur esse de lege naturae. Liberum autem arbitrium dicit voluntatem in ordine ad electionem etc.

Offendor titulo [4] de iustificatione, ubi sine distinctione dicitur, quod homo, quandiu vivit, non consequitur plenam iustitiae inhaerentis perfectionem. Dico enim, quod licet homo in hac vita nunquam habeat tantam gratiam, | quanta absolute haberi 59v potest, eam tamen gratiae et charitatis plenitudinem habere potest, quae suae saluti, statui et officio competere potest. Unde et Maria mater Dei *gratia plena* et Stephanus *plenus gratia* fuisse dicuntur [1]. Hinc Augustinus super primam canonicam Ioannis [2] asserit apostolum, qui cupiebat *dissolvi et esse cum Christo,* sanctos quoque martyres plenam charitatis perfectionem habuisse.

Offendor in eodem titulo, ubi augumentum gratiae seu inhaerentis iustitiae Christo dumtaxat et non meritis nostris videtur attribui etc. Nam constat, quod sub meritis iustificati hominis cadit non solum vita aeterna, sed etiam ipsius gratiae incrementum, alioqui frustra adhortarentur sacrae literae ipsum iustificatum, ut *qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus, sanctificetur* [3]. Accedit quod Augustinus, ubi supra [4], sic expresse ait: *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.*

Offendor in eodem titulo, ubi redditur causa, quare Christus dedit nobis inhaerentem iustitiam, propterea, inquit [5], *ut sobrie, iuste et pie vivamus.* Hoc siquidem non erudite nec proprie dicitur. Nam apud theologos ad hoc principaliter datur gratia, ut per illam efficiamur filii Dei, simusque deiformes iuxta illud Petri [6]: *Maxima et pretiosa promissa donavit nobis Deus, ut per hoc efficiamini divinae consortes naturae.* Ioannes quoque in sua canonica [7]: *Videte,* inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Breviter et parvulis datur iustitia inhaerens, quibus tamen non adest operatio, filii tamen Dei efficiuntur etc.

Offenduntur nonnulli, quando in eodem titulo dicitur sic [8]: *Cum homo in hac vita plenam iustitiae inhaerentis perfectionem non consequatur, Christus benignissime succurrit nobis, quatenus per communicationem iustitiae suae iustitiam hominis de illa participantis, ut effecit, ita et auget* etc., et infra sic: *Cum in multis labamur omnes ac propter infirmitatem | imperfectionemque nostram multa occurrant, quae animos nostros turbare et ad desperationem sollicitare possunt, in merito Christi, quod est iustitiae nostrae inhaerentis causa, respiramus et invenimus quoad spem salutis, cui firmissime inniti valeamus* etc. 60r

Ex praemissis et consimilibus verbis quidam catholici offenduntur existimantes poni iustitiam imputativam Christi more Lutheranorum. Sed hi, salva pace, falluntur; per iustitiam enim imputatam non [a] sumus nec efficimur formaliter iusti, sed reputamur et denominamur iusti quasi extrinseca denominatione.

At ex praemissis nos efficimur et dicimur iusti per iustitiam nobis inhaerentem communicatam et causatam nobis a iustitia et merito Christi. Et licet simus in gratia constituti et operemur bona, multa tamen occurrunt nobis et praeteritae et praesentis vitae, quae possent nos turbare, nisi respiceremus ad fontalem iustitiam et meritum Christi, cui coniungimur ut rivuli fonti, ut membra capiti, illius iustitia nos armantes et respirantes in merito illius, qui factus est nobis advocatus iustus apud patrem, qui et interpellat pro nobis etc. [9].

Haec profecto non Lutherana, sed catholica sunt, iuxta illud Prophetae [10]: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine* etc. Si quis tamen in praemissis verbis subolfacit periculosum dogma, non puto id fieri posse ex vi verborum, sed ex usu potius et mala haereticorum intentione; at nos verba ipsa perpendimus etc.

Offendor in eodem titulo, ubi non bene ordinantur actus poenitentiae, qui in iustificatione concurrunt. Nam praesupposita divina motione, actus primus poenitentis est motus fidei in Deum relaxantem peccata per mysterium Christi, sicut ait Apostolus [11], quod *accedentem ad Deum oportet credere* etc. Consultatio autem ponit, quod primus motus

[a] Cod. nos

[1] *Luc.* 1, 28; *Act.* 7, 55.
[2] *Augustinus*, In ep. Ioannis ad Parthos tr. 5 n. 4, *Migne* 35, 2014; de perfectione iustitiae martyrum vide Serm. 285 n. 5, *Migne* 38, 1295, quibuscum cfr. etiam Contra duas epp. Pelagianorum l. III c. 7 n. 19, *Migne* 44, 602; De gestis Pelagii c. 12 n. 32, *ibid.* 339.
[3] *Apc.* 22, 11.
[4] Cfr. adn. 2; verba ipsa non invenio.
[5] *Tit.* 2, 12.
[6] *2 Petr.* 1, 4.
[7] *1 Io.* 3, 1.
[8] *Le Plat* IV 37 sq.
[9] Quibuscum conferas, quae Franciscus de Castilione in voto suo 24. Nov. 1546 dato de duabus iustitiis exposuit. *Conc. Trid.* V 660, 27 sqq.
[10] *Ps.* 142, 2. [11] *Hebr.* 11, 6.

poenitentiae est detestatio peccatorum, id quod non bene dicitur. Nam in poenitentibus credere et amare Deum est ratio et causa, quod detestantur peccata. |

60ᵛ Offendor in titulo [9] de e c c l e s i a, ubi adducens illud: *Dic ecclesiae*[1], accipit ecclesiam more haereticorum, videlicet pro collectione fidelium vel pro concilio et non pro praelato, cum tamen iuxta sanctorum patrum interpretationem et rationem sumatur ibi ecclesia pro praelato[2]. Absurdum enim videtur omnibus, quod in correctione fratris mei, si audire noluerit, debeam[a] convocare concilium vel fidelium multitudinem, ut illum emendem. Quare consona doctorum expositione detegendus est ecclesiae, id est praelato illius, nam illud videtur esse unumquodque, quod est principalissimum in eo, ut dicitur 9.º Ethicorum[3].

Offendor in eodem titulo, ubi dicitur, quod his, qui sunt in peccato mortali, licitum est uti sacramentis ecclesiae, et quod utuntur utiliter, id quod non censeo est sustinendum, nisi forsan de baptismo et poenitentia, ad quae tamen duo sacramenta debent accedentes carere affectu peccandi. Ad reliqua vero sacramenta accessurus se prius ipsum probet homo, et a culpa purgatum exhibeat.

Offendor in titulo [11] de a u t o r i t a t e e t p o t e s t a t e e c c l e s i a e, ubi potestas iudicandi et decernendi quaestiones, quae accidunt in ecclesia, necnon canones condendi soli synodo attribuitur, nulla prorsus facta mentione de papa, cum tamen ea, quae fiunt per concilia, nec robur nec autoritatem habeant, nisi per summum pontificem approbentur, ut patet X de electione c. [4] *Significasti* [I 6][4]. Unde locus iste unus est, qui forsan totam hanc consultationem commaculat et suspectam reddit etc.

Adversatur enim sacris literis, conciliis antiquis, pontificum et priscorum patrum sententiis. Scimus namque, quod tempore apostolorum ortam quaestionem, num legalia deberent cum evangelio servari, solus Petrus in medio multitudinis resolvit, Paulus quoque non reputabat se securum in praedicando evangelio, nisi prius illud cum Petro contulisset, *ne forsan,* inquit, *in vacuum currerem aut concurrissem*[5]. Hinc H i e r o n i m u s ad Dama-
61ʳ sum [C.] 24 | q. 1 [c. 14] *Haec est fides*[6]. Hinc A u g u s t i n u s contra Manicheos Dist. 11 c. [9] *Palam*[7], hinc I n n o c e n t i u s [C.] 24 q. 1 c. [12] *Quoties*[8]. Breviter infiniti alii pontifices et doctores, quos brevitatis causa non recenseo, et antiqua concilia ultimatam resolutionem dubiorum, sacrarum literarum interpretationem diffinitivam, quaestionum firmam sententiam, plenam denique condendi canones autoritatem soli Petro et successoribus eius sine discrepantia tribuerunt, unde apostolicam sedem regulam veritatis et Romanum pontificem magistrum eorum, quae sunt fidei, praedicarunt. Nec mirum profecto. Nam soli Petro et successoribus dictum est[9]: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando confirma fratres tuos.* Quare synodus vel ecclesia confirmanda est a papa et instruenda. Satis.

Offendor in titulo [13] de p o n t i f i c e, ubi dicitur, quod inter ceteros episcopos in remedium schismatis unus debet esse episcopus cum plenitudine potestatis, qui omnibus praesit. Non probo, quod munus, ad quod principaliter instituitur papa, sit, ut tollat schisma, quandoquidem in sui institutione dictum est illi[10]: *Pasce oves meas,* non has vel illas, sed plane omnes etc. Ad pascendam ergo et gubernandam universalem ecclesiam divino iure est institutus papa, cui dantur et claves, plenitudo scilicet potestatis et iurisdictionis ad regendam et gubernandam catholicam ecclesiam, ut patet J o a n n i s ultimo[11]. Sed esto, sit papa in remedium schismatis (ut aiunt). Cur ergo quaestiones diffinire, dubia interpretari, canones condere decretaque probare non referunt ad unum papam? Nonne per unum in supradictis longe melius quam per synodum aut multitudinem ecclesiasticae unitati consulitur? Facile enim tollitur schisma, si fateamur, universalis ecclesiae regimen esse monarchicum et unum esse principem et rectorem, nempe vicarium Christi, cui omnes obedire teneantur, id quod rationibus est et sanctorum patrum decretis potest fieri conspicuum. Sed de hoc alias etc.

Offendor in eodem titulo, ubi dicitur, quod *ceteros episcopos Christus voluit esse episco-*
61ᵛ *pos in suis ecclesiis de iure divino* etc. | Licet enim episcopatus ipse sit de iure divino, tamen

[a] *Cod.* debeat

[1] *Matth.* 18, 17.
[2] Ex. gr. *Chrysostomus,* In Matth. hom. 60 (61) c. 2, *Migne gr.* 58, 586, locus receptus a *S. Thoma* in Catena aurea l. c.
[3] Eth. Nicom. IX 4 (*Bekker* 1166A): *Δόξειε δ' ἂν τὸ νοοῦν ἕκαστος εἶναι ἢ μάλιστα.*
[4] *Friedberg* II 49 sq.
[5] *Gal.* 2, 2.
[6] *Friedberg* I 970 (non est Hieronymi).
[7] *Friedberg* I 25.
[8] *Friedberg* I 970.
[9] *Luc.* 22, 32.
[10] *Io.* 21, 17.
[11] Cfr. adn. praec.

de iure pontificiae potestatis est, quod hic vel ille huic vel alteri ecclesiae praeficiatur in episcopum; papa enim est, qui hos vel illos immediate vel mediate vocat in partem sollicitudinis, sicut est etiam Moyses praefectus a Deo super totum populum, [et] sapientes alios vocavit et applicuit in partem sollicitudinis, *Exodi* 18, [21 sqq.]. In solo autem Petro fuit facta institutio tam ipsius quam suorum successorum de iure divino. Cum enim Christus aeterna sapientia provideret Petrum cito ab humanis subtrahendum, ne sponsa sua universalis ecclesia remaneret acephala, instituendo ipsum instituit pariter omnes eius successores, a quibus in alios inferiores episcopos, veluti a fonte, derivanda erat potestas ecclesiastica.

Offendor in titulo [17] de sacramento poenitentiae, ubi dicitur, quod in absolvendo peccatorem forma et verbum sacramenti tale esse debet, ut poenitens audiat, merito et beneficio Christi sibi remitti peccata. Hoc ego non iudico necessarium, nec ullo pacto est immutanda forma absolutionis, cum sit ex institutione divina, quam tamen nullus negabit catholicus habere virtutem ex beneficio Christi, etiam si non audiatur aut intelligatur a poenitente etc.

Offendor in titulo [19] de extrema unctione, ubi dicitur, quod ista unctio inter initia fidei non fuit corporalis. Nec repugnat, quin talis unctio simul mystica et sacramentalis sit, iuxta illud Augustini de aqua baptismi: *Quae est ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat*[1]. Ecce lotio corporalis simul et spiritualis. Imo non esset unctio mystica et | sacramentalis, nisi simul esset corporalis et sensibilis, sicuti patet in ceteris sacra- 62r
mentis ecclesiae.

Offendor in titulo [20] de sacramento ordinis, ubi dicitur, quod administrare sacramenta et ecclesiam ordinare spectat ad ordinis potestatem, excommunicare vero, ligare etc. spectat ad iurisdictionem etc. Prima duo, scilicet sacramenta administrare et ecclesiam ordinare, non video, quomodo spectent ad solam ordinis potestatem condistinctam[a] a potestate iurisdictionis, cum in illis multa occurrant, quae in sui exercitio iurisdictionem saltem delegatam requirant etc.

Offendit fortasse titulus [21] de matrimonio, in quo consultatio non ponit, quod matrimonium ex virtute sacramenti sanctificet aut det gratiam contrahentibus, id quod etiam quidam scolasticorum tenuerunt. Verumtamen si teneamus matrimonium esse unum de septem sacramentis novae legis, necesse est, ut communem ei cum aliis definitionem attribuamus. Omnes autem probati theologi conveniunt, quod communis diffinitio sacramentorum novae legis sit illa, quam posuit Ugo de Sancto Victore, videlicet: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, ita ut imaginem gerat et causa existat*[2]. Quare secundum eorum sententiam matrimonium quoque ex virtute sacramenti confert gratiam contrahentibus, qua possint digne exequi ea, quae sunt coniugii. Unde et Apostolus[3]: *Honorabile*, inquit, *coniugium et thorus immaculatus* etc.

Offendor in titulo [25] de communione, ubi desideratur, quod post communionem sacerdotis omnes inferiores ministri deberent etiam communicare sub utraque specie, id quod non est in usu, imo contra usum et statutum ecclesiasticum, ut patebit infra etc.

Offendor in titulo [26] de ceremoniis, ubi inducitur modus quotidianus celebrandi missam hora octava ante meridiem. Item quod, quando celebratur de sanctis, omnia legantur de communi[4]. | Item quod de quibusdam sanctis et non de omnibus debe- 62v
mus celebrare officium, quae omnia cum sint contra communem usum ecclesiae, non iudico admittenda iuxta illud Apostoli; *Nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei, primae* ad *Cor.* 11, [16] etc.

Offendor in eodem titulo, ubi rogant et petunt, quod uxores clericorum et communicatio sub utraque specie sustineantur et perseverent usque ad sententiam dandam per

[a] *Sic cod.*

[1] *Augustinus*, In Io. tr. 80 n. 3, *Migne* 35, 1840.

[2] *Hugo de S. Victore*, De sacramentis l. I p. 9 c. 2 (*Migne* 176, 317) aliam definitionem sacramenti tradit, quam auctor noster; similis est illi, quam *Petrus Lombardus*, Sent. l. IV dist. 1 c. 4 (ed. Quaracchi 746) exhibet: S. *ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat*. In Summa sententiarum, antea Hugoni attributa, sacramentum definitur *invisibilis gratiae visibilis forma*. *Migne* 176, 177. Cfr. *B. Geyer*, Die Siebenzahl der Sakramente in ihrer historischen Entwickelung: Theol. u. Glaube 10 (1918) 325-348.

[3] *Hebr.* 13, 4.

[4] *Interim* c. 26 n. 9 (*Le Plat* IV 66), ubi statuitur, ut, *quae de sanctis adiecta sunt, ad ea, quae in veteri de sanctis communi posita sunt*, restringantur vel corrigantur; non videtur intentio auctorum, ut missis propriis sanctorum reiectis omnibus textus sumantur semper de communi sanctorum, ut in Miss. Rom. notati sunt. De mandatis liturgicis libri *Interim* cfr. *L. Fendt*, Der lutherische Gottesdienst des 16. Jahrhunderts (München 1923) 302-319.

oecumenicum concilium etc. Super qua re satis stomachor, non certe tantum de re petita, sed quod petant, usquequo per concilium futurum aliud determinetur. Ac si ista duo non fuerint iam olim prohibita ab ecclesia et statutis pontificum, de quibus illi nihil curare videntur. Legant per totam Dist. 27 et 28 [1], legant et concilia, praesertim Constantiense in sessione XIII [2], et probabunt se in sua petitione et temeritate redargui, nec fore expectandam aliam concilii sententiam. Sed esto, exaudiantur, si placet Romano pontifici, qui solus est vicarius Christi, a quo pendet concilium, qui solus dispensare potest in praemissis. Satis.

Offendor denique in calce huius consultationis, ubi negotium reformandae ecclesiae procurandum ab imperatore promittitur etc. [3].

Certe reformationem ecclesiae ab unoquoque pio et iusto desiderari, satis credo. At dicit Apostolus [4]: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt,* subinde praecipit dicens ecclesiae [5]: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Debitus autem honestatis ordo requirit, quod reformatio ecclesiae ab ecclesiae rectore procedat. Imperatoris autem est propositam reformationem promovere et tutari habereque prae oculis divina illa oracula: *Obedite praepositis vestris* [6], et: *Quaecumque dixerint vobis, servate et facite* [7]. Itaque reformationem ecclesiae quaerat et procuret Caesarea Maiestas, sed a summo omnium antistite, cui commissa
63r est cura totius ecclesiae, qui solus | est vicarius Christi quique solus non habet superiorem in terris, unde iudicat omnia et ipse a nemine iudicatur, sic enim habes in extravagante Bonifacii VIII [8]: *Si deviat terrena potestas, iudicatur a spirituali, si deviat spiritualis, iudicatur minor a superiori, si vero suprema, a solo Deo et non ab homine potest* [a] *iudicari.* Huic sententiae iam subscripserant Constantinus, Helena, Theodosius et alii catholici imperatores cum 284 episcopis, ut patet Dist. 97 [9] et [C.] 11 q. 1 [10]; item in concilio Romae celebrato sub Sylvestro in ultimo canone [11]. Et haec sufficiant de consultatione quoad particularia etc.

Ut autem in communi dicam, quid ego sentiam circa totam consultationem, salvo semper meliori iudicio, salva superiorum censura, salva demum pace scribentium et reverentia censeo ego non acceptandam dictam consultationem [12], sed aut explodendam omnino aut corrigendam ab apostolica sede, antequam catholicorum usui committatur. Sicut enim patuit discurrenda per singula, multa deprehenduntur in dicta consultatione, quae aut de falsitate aut de errore in his, quae fidei sunt, aut de contemptu Romanae sedis aut denique, ut contraria ecclesiasticae doctrinae et consuetudini facile convinci possunt, super quibus ego non iudico fore conniventibus oculis transeundum etc. Nec probo, quod quidam dicunt aut suadere nituntur, nempe quod pro reconciliatione illius Germanicae nationis cum aliis catholicis, utque fiat unum ovile sub uno pastore, sit pro nunc dicta consultatio admittenda sub illa forma, qua prodiit ex Germanis; sic enim inquiunt: « Non sunt pro nunc taxandi Germani in pauculis suis placitis, nam paulatim coibunt nobiscum omni schismate
63v ablato ». Hoc, inquam, ego non probo, quia non sunt facienda mala, ut eveniant | bona. Malum autem et maximum est derogare veritati et apostolicae sedis magisterio vel non prohibere huiusmodi, cum possis et debeas prohibere. Nec valet, si pauca dicantur esse illa, in quibus a catholicis discoheret consultatio. Nam scimus, quod in his, quae sunt fidei, permaxime verificatur illud Iacobi apostoli [2, 10]: *Qui in uno offenderit, factus est omnium reus,* eo quod illa, quae sunt fidei, innituntur primae veritati, a qua, qui recedit singulariter, recedit omnifariam. Tantum vero abest, ut consultatio concessa tollat schisma, ut potius illius concessione foveatur, si quis bene perpendit. Quare sentiant alii, ut volunt, ego tamen pro mea exiguitate dixi, quae sentio, me semper subiiciens Romanae sedis censurae, quam fateor unicam veritatis christianae et salutis esse viam atque magistram.

[a] *Bulla habet* poterit

[1] *Friedberg* I 98-106, ubi multa de virginitate deque clericorum coelibatu.

[2] *Denzinger*[14-15] n. 626 de communione sub una specie contra Hussitas; cfr. *Hefele* VII 173 sqq.

[3] *Interim* c. 26 n. 25 (*Le Plat* IV 69).

[4] *Rom.* 13, 1 (locus perperam adductus).

[5] *1 Cor.* 14, 40.

[6] *Hebr.* 13, 17.

[7] *Matth.* 23, 3.

[8] i. e. in bulla *Unam Sanctam*, c. 1 Extravag. com. de maior. et obed. I 8 (*Friedberg* II 1245 sq.).

[9] C. 7 *Satis evidenter* D. 96, *Friedberg* I 339.

[10] C. 5 *Continua lege* C. 11 q. 1, *Friedberg* I 627, ubi tamen nihil de 284 episcopis.

[11] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 449; etiam c. 33 *Nullus clericus* C. 11 q. 1, *Friedberg* I 635.

[12] Erraret auctor, si librum *Interim* pontifici approbandum vel acceptandum transmissum esse opinaretur. Nam nil Caesar nisi facultates amplas pro legatis in Germaniam mittendis (quae videas apud *Raynaldum* a. 1548 n. 45) ab eo petierat (29. Martii 1548) petereque continuabat. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 286 sqq. 332 sqq.

21.

Gaspar de Fossa, episc. Scalensis[1]: [De libro Interim].

[Maio vel Iunio 1548]

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3931* f. 67r-68r, cop. coaeva; *Vat. lat. 3554* f. 339v-341v, cop. saec. XVI exeuntis, corrosa

De quibusdam *Interim* capitibus auctor sententiam suam breviter exponit.

Rme Domine! Cum superioribus diebus mihi Vra Rma D. imposuerit, ut examinata Augustanarum comitiarum doctrina, quam *Interim* dicunt, notarem, si quid offendissem orthodoxae sinceritati minus conveniens, id pro iudicii mei exiguitate effeci, cupiens, ut par est, ipsi gerere morem; nam quod attinet ad rem ipsam, copiosius diligentiusque effectum est ab his Rdis Dominis et patribus, qui hisce diebus ad hoc ipsum convenere[2]. Qua de causa plura dimisi, et quia ambigua, et ne eandem lectionem repetere videar. *Vat. lat. 3931 f. 67r*

Dum in prologo sermo esset de cerimoniis emendandis et de his maxime, quae causam darent superstitioni, dicitur: *Reservat sibi Sua Mtas curam in hoc ipso negotio atque aliis, ubi et quando opus fuerit, modum et ordinem legitimum constituendi.* Modus hic atque ordo constituendi ea, quae faciunt ad religionem, est Petri eiusque successorum, quibus data est autoritas a Christo confirmandi fratres. Si haec sunt Dei, dentur Deo suisque in spiritualibus ministris, sicuti quae sunt Caesaris, Caesari erogamus[3]. En Dominus discrevit Caesaris limites ab amplitudine spiritualis potestatis, necnon Oza tangant sacra[4].

Dum in capite [4] de iustificatione dicitur *sine peccato non vivant*, loquens de concupiscentia et inclinatione ad malum eorum, qui sunt renati et iusti, error est, quia renatis et iustis illa concupiscentia et inclinatio (modo eis non assentiatur) non est peccatum, sed exercitium et causa meriti, et si quando ab apostolo peccatum appellatur, est, quia venit ab Adae peccato vel quia excitat ad peccatum[5], sed vere peccatum non est, ut ibi videtur asseverari, ex quo quidem principio, si admitteretur, sequerentur multae conclusiones erroneae, quod scilicet homo non posset esse sine peccato ad mortem, et quod arbitrii vires non possent ab eo abstinere et similia.

/Dum in capite [10] de signis ecclesiae illa quatuor adducuntur, nullo prorsus facto verbo summi pontificis et apostolicae sedis, qui summus pontifex universali, cuius meminerunt, praeest ecclesiae, videntur de eius primatu curare parum./ Si enim notam verae ecclesiae dixerunt credentium universitatem in doctrina et sacramentis eisdem, cur capitis unitatem tacuerunt, si corporis unitas proficiscitur a capite? | Facit, ut clarius vereamur, ne supremam Petri dignitatem velint obnubilare, dum dicunt in capite [11] de autoritate et potestate ecclesiae: *Si quaestiones dubiae oriantur in ecclesia, habet quidem haec potestatem iudicandi de eisdem atque decernendi idque per sinodum.* Si hoc ita sese haberet, funditus rueret summi pontificis autoritas in scripturis exponendis et in dubiorum decisionibus, cum Petrus in electione Matthiae ad locum Iudae coapostolis exposuerit psalmum illum[6]: *Et episcopatum eius accipiat alter*, et supremus fuerit super alios doctor, cui dictum est[7]: *Pasce oves meas.* Quando pascere poterit, si sibi interdicta fuerit autoritas iudicandi et decernendi in dubiis, nisi habuerit semper penes se sinodum congregatam legitime et in Spiritu Sancto? Iudicans Ananiam et Saphiram dignos morte propter mendacium non legimus synodum convocasse[8]. Adsunt ad hoc, quicunque a surgentis ecclesiae exordio dixere sancti patres et vetustus mos. Insuper in capite [13]: de pontifice et episcopis, ubi dicitur *summum pontificem in unitate servanda institutum et in remedium scismatis*, videtur, quod suae potestatis amplitudinem in paucorum eventum restringant, et dum subditur: *Hanc autoritatem plenitudinem potestatis sic videtur Christus Petro eiusque successoribus dedisse, ut ceteris episcopis partem sollicitudinis eis commissae non* 67v

[1] Ut praecedens, ita iste quoque brevis tractatus Romae compositus esse videtur, nam Gaspar de Fossa, ord. Minim., qui 17. Maii 1548 episc. Scalensis (Scala prope Amalphim, *van Gulik-Eubel* III 294) factus est, non Bononiae, sed Romae moram fecit, cum *Interim* divulgaretur. Videtur iudicium suum cardinali cuidam dedicasse.

[2] De tali deliberatione deputatorum nihil notum est, nisi forte quattuor cardinales illi ad sententiam de translatione ferendam deputati cum sex episcopis, qui a concilio Bononiensi missi erant, hanc quoque provinciam aggressi sint, postquam 25. Maii 1548 a pontifice, ut scripturas ad translationem pertinentes referrent, admoniti sunt, sic enim Serristorius eadem die scribit. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 345 adn. 1.

[3] Cfr. *Matth.* 22, 21 et parall.

[4] *2 Reg.* 6, 3 sqq.

[5] Cfr. n. 19 p. 13 adn. 1.

[6] *Ps.* 108, 8; cfr. *Act.* 1, 20.

[7] *Io.* 21, 17. [8] *Act.* 5, 1-11.

abstulerit, sed suarum ecclesiarum et dioecesum veros iure divino episcopos esse voluerit: Non negamus episcopalem dignitatem a Deo ipso esse institutam, sed quod sint iure divino instituti super illam sollicitudinis partem, repugnat rei ipsae, quam conspicimus. Videat quisque episcopus, a quo acceperit ius super aliquam ecclesiam et quo iure sibi in alteram commutetur. Illa doctrina tolleret episcoporum electionem confirmationesque, quae fiunt communiter in ecclesia, et pugnat ex diametro contra canonem [5] *Omnes ecclesiae* [C.] 17 q. 4 [1] et sunt verba Aniceti martiris.

In capite [18] de eucaristia amplectimur, quam faciunt confessionem de vera ibi existentis corporis et sanguinis Christi, verumtamen cum nil dicatur de transubstantiatione, posset ibi Lutheranus latere serpens de substantia panis, quondam damnatus in Berengaro [2].

[Cap. 24] de oratione pro defunctis, ubi laudant, ut oremus ad invicem et pro eis defunctis, qui tales sunt hinc egressi, qui possint earum esse orationum participes, inter tot verba purgatorii nomen inserere convenisset; multi enim negantes purgatorium
68r commendant | eas pro defunctis orationes, non ut a poenis tollantur, sed ut corporibus uniantur. Hinc illud purgatorii nomen amovisset dubium.

In capite [26] de ceremoniis et sacramentorum usu, ubi dicitur, *ut convenientes vel communicent vel pie se Deo commendent,* optassem et illud explicari, ut scilicet in illo sacramento Christum Deum et hominem adorent, et licet inferius posse et debere adorari fateantur, tamen hic locus huius divini cultus expressione indigebat.

Abstinentias commendant propter quasdam eorum rationes et, ne deficiant pecora. Utinam omnibus illis rationibus praeposuissent eam praecipuam, quia sunt ab ecclesia et sanctis pastoribus ordinatae, de quibus ait Dominus [3]: *Qui vos audit, me audit, et qui vos contemnit, me contemnit.*

Concedere sacerdotibus mulierum, quas ipsi uxores vocant, usum non est comitiarum Germaniae estque tantae molis, ut gravissimi doctores non fuerint veriti dicere, non posse super coelibatum dispensari [4]. Et concedere comunionem sub utraque specie interdictam totius ecclesiae auctoritate et longo usu ipsi nec debuerunt nec potuerunt. Erant his longe inferiora, quae in Hierosolimitano concilio ad apostolos ipsos delata sunt; immo Paulus, qui evangelium didicerat a Iesu Christo, ne in vacuum curreret [5], voluit illud cum Petro et aliis primatibus conferre. Utinam qui vetustam semper testantur ecclesiam, illius etiam obedientiam et sanctimoniam sectarentur!

Haec sunt, Rme Domine, quae potissimum me in ea doctrina offenderunt, aliis posthabitis, quae illi Revdi patres et domini acutiori studio notaverunt [6].

1 *Friedberg* I 816 (Lucii, non Aniceti).

2 *Denzinger*[14-15] n. 355.

3 *Luc.* 10, 16.

4 In primis S. Thomas; cfr. infra tractatum Seripandi (n. 24).

5 Cfr. *Gal.* 2, 2.

6 « Sententia R. P. Nicolai de Grandis ord. Min. de observantia super scriptura, quam Interim vocant », missa ex Bononia Romam Cervino cardinali initio Iunii 1548 (*Conc. Trid.* I 771 adn. 1) in utroque codice, quo conservatur, sc. *Vat. lat. 3931* f. 43r-57r, cop. coaeva, et *Vat. lat. 3554* f. 316v-335r, cop. saec. XVI exeuntis, mendis ita scatet, ut edi vix possit. Excerpsimus tamen nonnulla, quibus cuius tenoris sit lector intelligat. Prima parte (*Vat. lat. 3931* f. 43r-47v et 52r; ordo foliorum ab amanuensi, qui exemplar exegit, perperam mutatus est) auctor suadet, ne haeretici incaute vel sine poenitentia iniuncta in ecclesiae sinum recipiantur, neve permittatur eis, ut conditiones apponant, adducens exempla Arianorum in Nicaeno, Graecorum in Ferrariensi, Bohemorum in Basiliensi conciliis, concluditque (f. 45r): *Cum autem astuti sapientisque sit teste Cypriano alieno periculo erudiri alienaque frui insania, ab huiusmodi permissionibus et dispensationibus velut noxiis ac periculosissimis temperandum est, ne et qui bona mente forsan id postulant et nos sathanae subdola arte in huiuscemodi periculum incidant fideliumque conventus graviori quam antea dispendio exponatur, neve longe maiora dissidia atque scandala, quibus vix occurri possit, suboriantur.* Impugnat deinde acerrime ut contrariam conciliis iurique canonico protestantium opinionem, decreta concilii Tridentini iam sancita denuo esse retractanda: ... *erubui nonnullos nihil suppuduisse a Smo D. N. postulare, ut quae in hac sacrosancta oecumenica synodo decreta fuere et publica sessione promulgata totique ecclesiae catholicae ac Smo D. N. probata rursum in eodem concilio controvertantur, quod — adeo res haec monstruosa est et a ratione modis omnibus dissidens — nondum in mentem nostram venire potuit a Smo D. N. postulatum fuisse* (f. 45v). Adiungit f. 47r: *Ad haec quoque est, quia cum unum concilium non sit alio maius, si unius acta retractari aut in concertationem sive dubium revocari concedatur, eadem quoque facilitate et de omnium aliorum conciliorum decretis fiet sicque ea omnia, quae supra mille annos et citra a priscis patribus in Spiritu Sancto collectis in Nycena synodo, Ephesina, Constantinopolitana et aliis non paucis super fidei firmitate, christiana religione et honestis moribus pie religioseque tot susceptis laboribus, tot vigiliis orationibus, ieiuniis totque vitae periculis definita fuere et frequenti martyrum sanguine confirmata, denuo in dubium et concertationem revocabuntur, salutis quoque animarum nostrarum inimico et hac callida invertenti non sine gravi ecclesiae dispendio, quibus nil laetius aut gratius accidere posset.* Recte quoque animadvertit, conciliorum statuta quidem disciplinam ecclesiasticam concernentia mutari posse, non autem fidem, quae semper eadem maneat. *Obiiciunt insuper nonnulli, quo suadeant, quae decreta sunt,*

22.

[Thomas Campegius ep. Feltrensis (?)][1]: [Iudicium de reformatione Germaniae a. 1548].

[Post 2. Iulii 1548].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3931* f. 76^{r}-83^{v}, cop. coaeva; *Vat. lat. 3554* f. 345^{r}-351^{v}, cop. saec. XVI exeuntis.

[illegible]

Maluissem, Rev^de Domine mihique observandissime, ut Tibi satisfactum fuisset responsione mea, quando me interrogasti, quid de allata nuper quadam ex Germania reformatione sentirem. Atque posteaquam me acrius urgere coepisti, ut quod verbo retuleram, literarum monumentis mandarem, maximum (fateor) mihi onus impositum sensi, cum de re maxime seria agatur, ut nulla in alia hominum studia magis contrarias in partes scindantur. Sed *Vat. lat. 3931 f. 76r*

retractanda esse, concilium oecumenicum universalem ecclesiam repraesentare, omnesque fideles in concilio universali et audiri et admitti debere, quod Tridenti non sit factum (f. 47^{r}). Ad quae obiecta respondet (f. 47^{r}-52^{r}): *Non inficior laicos concilio adesse posse atqui et teneri, legimus enim regum principumque oratores concilio Constantiensi interfuisse...; conciliis interesse iubentur, ut discant, quomodo iustitia omnibus administranda sit. Possunt et iis inferiores iisdem adesse | iuxta id, quod scriptum est c. In synodo 63. dist.* [*Friedberg* I 241] *et c. Ad sedem* [C.] *35 q. 5* [*ibid.* I 1271 sqq.] *et si quid habent, quod iustitiae et aequitati congruat, Dei et ecclesiae honori conducat, eidem proponant pertractandum atque concludendum, velut constat ex iis, quae habentur in c. Nicaena. 31. dist.* [*ibid.* I 114], *quibus tamen eadem diffinire aut eorum diffinitioni interesse non licet, sed ecclesiastici dumtaxat.* De protestantibus citandis paulo post (f. 52^{r}) addit: *Cum autem in morem hactenus probe receptum in aliis quoque conciliis semper observatum solennis et publica citatio ad omnes, quorum intererat, per S^mum D. N. transmissa fuerit multo tempore, antequam concilium incoharetur, quod postmodum, cum id licuit et debuit, Tridenti coeptum est, subinde certis causis Bononiae continuatum, in quo ne unus quidem audiri cupiens repulsam passus est, atqui omnibus huc proficiscentibus quam humane quamque amice exceptis palam ac coram hac sacrosancta synodo loqui, quantum modestia christiana suffert, liberum fuit.*

Secunda parte (f. 52^{v}-56^{v}. 48^{r}-51^{v}. 57^{r}) duo praesertim protestantium postulata, matrimonium presbyterorum communionemque sub utraque specie, oppugnat. Quod ad prius attinet, post multa patrum conciliorumque de clericorum continentia testimonia dicit (f. $49^{r\cdot v}$): *Ex his autem Richardi* [de Mediavilla], *Thomae, Durandi et eorum sequacium sententia facile refellitur, qui in IV.* [Sent.] *dist. 38 scripsere, post continentiae votum etiam ritu solemni emissum regulares et non regulares sacris ordinibus initiatos, ubi subsistente causa pontifex dispensavit, uxores ducere posse. Nam cum divini iuris sit, post sacrum ordinem susceptum matrimonium non contrahere, super quo pontifex nequaquam dispensat, ut dicitur c. Sed* [lege *Super eo*, quod est c. 2] *novo iure X de bigamis* [II 13, *Friedberg* II 286 sq.], *et c. Litteras X de restitutione spoliatorum* [I, 21, *Friedberg* II 146] c. *quoque Cum ad monasterium X de statu monach.* [III 35, *Friedberg* II 599] *dispensationi in hoc casu locus nullus relinquetur. Quod verius semper duxi* [cod. *duxit*] *et eorum, qui ita sentiunt iudicium velut aequius et sanctius exosculatus sum et amplexatus.*

Quod ad alterum attinet: *Quod insuper*, inquit f. 49^{v}, *nonnulli postulant, ut non conficientibus sive laicis, quibus libuerit, sub utraque specie communicare concedatur, audiendum non est minusque concedendum*, et id quidem ex rationibus aliunde notis, sc. ut facto profiteretur sub utriusque speciei singulis partibus Christum totum esse, deinde ob incommoda devitanda, quae in huius sacramenti irreverentiam non tollerandam cedere possent. Quoad *cetera* dicit: *Ceterum aliquot alii mihi oblati fuere articuli, qui cum in sacrosancta concilia tum in divinam scripturam aperte pugnant, erroribus et schismatibus, quae hac infelici tempestate nostra in lucem prodiere, magnopere favent. Idcirco mihi suadere nequeo rem tam indignam tamque prodigiosam etiam pacis et concordiae nomine a S^mo D. N. postulatam fuisse* (f. 51^{r}).

[1] Pro investigando « Iudicii » auctore, de quo nihil in codice vel alibi, animadvertendum est eum iuris can. esse peritum (cfr. praeter multas allegationes ea, quae de « homiliis » cap. 2 et cap. 19 adnotat), optime instructum de gestis in concilio Tridentino et Bononiensi (cfr. praesertim, quae infra p. 108 adn. 2 et saepius adnotavimus) necnon de reformatione curiae Romanae (cfr. infra, quae in cap. 8 et cap. 18 reprehendit auctor), denique card. Laurentio Campegio certo modo addictum (cfr. infra, quae auctor p. 106 adn. 3; p. 109 adn. 4 ex reformatione Ratisbonensi a. 1524 allegat). Quae omnia Thomae Campegio episc. Feltrensi conveniunt, qui a. 1530 cum Laurentio fratre comitiis Augustanis interfuit (cfr. *St. Ehses*, Cardinal Lor. Campeggio auf dem Reichstag v. Augsburg 1530: Röm. Quartalschr. 17 (1903) 383 sqq.; 18 (1904) 358 sqq.), a. 1540 nuntius apostolicus Germaniam, ut colloquio Wormatiensi interesset, missus (*Nuntiaturberichte* I. Abt. VI 1-146, cfr. V, XXX sqq.), in concilio Tridentino et Bononiensi propter egregiam iuris peritiam et dexteritatem magni aestimabatur (cfr. *Conc. Trid.* I, index sub v. Feltrensis). Die 3. Martii 1548 una cum Albenganensi et Aliphano deputatus, ut translationem defenderet, Bononia discessit Romam versus (*Conc. Trid.* I 749, 7 sq.), ubi iam ab a. 1540 officium regentis cancellariam apostolicam obtinebat (*W. v. Hofmann*, Forschungen z. Gesch. der kurialen Behörden II (Rom 1914) 76). Non esset mirum, si Campegius tum a Farnesio vel Cervino vel alio potenti cardinale rogatus, ut saepius in rebus gravibus, sententiam suam aperuisset.

« Formulae reformationis », cuius textum exhibet *Le Plat* IV 73-101, prima pars a card. Sfondrato 15. Iunii, secunda 19. Iunii Romam transmissa (*Nuntiaturberichte* I. Abt. X 374. 382; *Conc. Trid.* I 777, 1 sqq.) illic ut etiam Bononiae diligenter examinabatur (*Nuntiaturberichte* l. c. 384 adn. 1; *Conc. Trid.* I 777, 23 sqq.; 781, 45 sqq.).

cum Tibi omnino me parere necesse sit, scutum unum firmissimum galeamque mihi tutissimam praeparabo, nudam scil., simplicem nullique obnoxiam terrenae cupiditati purissimam veritatem.

Ad prooemium[a].

Huius prooemii bona sunt omnino verba. Sed actu tum necesse est, a quo proferantur, imprimis novisse. Oza[1] enim et Ahaio filii Aminadab plaustrum novum agebant, cui imposita erat archa Dei, postquam autem venerunt ad arcam Nachor, extendit Oza manum ad archam Dei et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves et declinaverant eam; iratusque est indignatione Dominus contra Ozam et percussit eum super temeritate. Qua in re etiam pontificis summi Nicolai I memorabiles extant epistolae 96. Dist. apud Gratianum registratae[2].

[Cap. 1]: De ordinatione et electione ministrorum ecclesiae.

76r [§§ 1-4] Cum fieret haec reformatio in Germania et pro Germania, | operae pretium fuisset diligenter animadvertere, quibus episcopis eiuscemodi permitterentur ordinationes, et nisi illi firmi et constanter semper permansissent in catholica fide, vel summoverentur vel negotium hoc iis demandaretur, qui omni labe caruissent haereticae saltem pravitatis. Et quamvis de ordinatis ab haereticis (modo alias rite) communis sit approbatio sanctae matris ecclesiae, nihilominus in agenda reformatione ordinandorum hoc potissimum fuisset considerandum et statuendum.

Reliqua vero, quae de qualitatibus ordinandorum subiunguntur, bonis sunt verbis concepta, sed longe melioribus in sacris canonibus explicata ac in reformatione cleri Germaniae per Rev^mum^ bo. me. cardinalem de Campegiis facta[3] et novissime in sacro oecumenico concilio, dum Tridenti commoraretur, sancita[4].

Sequitur § [5] *Licet autem* usque ad § [6] *In his.* Miserendum profecto est conditionis quorumdam consiliariorum, de quibus Propheta ait[5]: *Ibunt in adinventionibus suis.* Nam de moderatione anni trigesimi ad vigesimum quintum pro suscipiendo ordine presbyteratus[6], quid attinebat hoc in loco decernere, quasi non satis decretum fuisset et ab omni ecclesia receptum a Clemente V in concilio Viennensi[7]? Sed esto fuerit hoc superflue dictum, ut pleraque alia in hac reformatione, non illud equidem ferendum est de confusione aetatis
77r eiusdem | in adipiscendo ordine episcopali, quod neque canonibus neque ullis sanctorum patrum regulis probabile est.

Sequitur § [6] *In his omnibus* usque ad § [7] *Ad episcopatum.* Quid attinebat novam verborum pompam inculcare, cum de hac ipsa re pleni sint canones, etiam denuo innovati in sessione septima cap. tertio concilii Tridentini[8] cum oportuna provisione videl.: *Alia autem facta collatio sive provisio omnino irritetur et ordinarius collator poenam constitutionis concilii generalis, quae incipit « Grave nimis » se noverit incursurum.* Ecce quantum distat canones fieri ab iis, quorum est munus proprium, vel ab iis, qui propria innituntur prudentia, qui plerumque id, quod optimum est, utpote de modo observantiae, oblivioni tradunt.

[a] *In cod. hic et infra initia capitum sive paragraphorum adnotantur, quae brevitatis causa omittimus.*

[1] Cfr. *2 Reg.* 6, 3 sqq.

[2] C. 4-c. 8 D. 96, *Friedberg* I 338 sqq., ex litteris Nicolai I ad Michaelem et Ludovicum imperatores.

[3] « Constitutio ad removendos abusus et ordinatio ad vitam cleri reformandam Ratisbonae edita anno 1524 » (apud *Le Plat* II 226-237, excerpta apud *Raynaldum* a. 1524 nn. 26-38) proposita a Laurentio card. Campegio, tum pontificis per Germaniam legato, accepta a principibus et episcopis Ratisbonae collectis et deinde a pontifice pro universa Germania decreta, cap. 14 de ordinatione clericorum agit. Cfr. *W. Friedensburg*, Der Regensburger Convent von 1524, in libro: Histor. Aufsätze dem Andenken an Georg Waitz gewidmet (Hannover 1886) 502-539; *Ianssen-Pastor* II^19-20^ 408-412; *Hefele-Hergenröther* IX 375-385.

[4] In Sess. VII de reform. c. 9-12 aliqua de promovendis ad ordines statuuntur, sed nihil de qualitatibus, sc. studiis, moribus etc. *Conc. Trid.* V 998.

[5] *Ps.* 80, 13.

[6] Formula reformationis c. 1 § 5: *Licet autem canones antiqui statuerint, ut ante trigesimum aetatis annum nemo in episcopum vel presbyterum ordinetur, ministrorum tamen inopia post tam latam huius ordinis stragem hodie postulat, ut qui alioqui dignus est, in anno vigesimo quinto ab hoc ordine non repellatur.* Le Plat IV 74.

[7] In iure veteri decretum erat, neminem ante XXX. aetatis annum in episcopum vel presbyterum ordinari debere, c. 1 *Si quis triginta* et c. 4 *Presbyter* D. 78 (*Friedberg* I 275 sq.) excepto casu necessitatis c. 5 *Si triginta* ead. D., in quo XXV annorum aetas sufficiens erat. Clemens V autem in concilio Viennensi generaliter sancivit, ut omnes in XXV. aetatis anno ad presbyteratus ordinem promoveri possent, c. 3 *Generalem* Clem. de aetate et qualitate ad praefic. I 6 (*Friedberg* II 1140).

[8] *Conc. Trid.* V 997, 28 sqq., ubi non de examine ordinandorum, ut in Formula ref. c. 1 § 6, sed de collatione beneficiorum inferiorum agitur.

Sequitur § [7] *Ad episcopatum* usque ad § [10] *Episcopi et archidiaconi*. Novus hic modus coactionis in re tam necessaria nequaquam satisfacit bono ecclesiarum regimini, ut satis sit electis huiusmodi iuramento se adstringere [1], cum longe sit plenior canonum provisio, qua dignitate concupita ipso iure privantur. Cetera autem confuse dicta nunc de episcopis, nunc de episcopatibus, nunc de ecclesiis parrochialibus longe melius explicata sunt in memorata sessione septima concilii Tridentini [2]. Qua de re etiam atque etiam admiror, quid sibi velit reservatio toties | 77v in hac reformatione repetita *donec concilium oecumenicum plenius sanciverit,* quandoquidem et super his et quampluribus aliis plenissime suas decreverit sanctiones adhucque etiam recens sit atramentum, nec tamen de ipsis ulla habetur consideratio adeo, ut uno praeterquam in loco, de quo infra dicetur, consiliarii isti ex suo capite aridissimam edere maluerint reformationem quam promulgatam amplecti. Cum autem toties reiterent « concilium, concilium », illorum numero adscribuntur, qui dicunt *Domine, Domine* [3], nec tamen Domini adhaerent voluntati.

Sequitur § [10] *Episcopi* usque in finem huius tituli [§ 12]. Cum tot et tanta requirat haec reformatio circa electionem, collationem aut provisionem beneficiorum, quid aliud est hic dicere, quod episcopi et archidiaconi eadem suo arbitrio denuo explorent, nisi schismata plurima in quibuscumque ecclesiis inducere? Nam *quis custodit ipsos custodes* [4], ut quidam poeta ait. Itaque velit nolitve haec reformatio necesse habet ad unicum caput devenire, a quo membra omnia normam sumant et vigorem, alias *abissus abissum invocabit in voce cataractarum multarum* [5].

Quod autem pro examinatione nulla exigatur pecunia, minimum est, quod hic dicitur, si cum sacris canonibus conferatur, in quibus dum agunt de simonia, etiam cartam et sigillum, cum de ordinibus agitur, gratuito concedunt [6].

Quod si | 78r quispiam dixerit alicubi non observari, magis agendum fuerat de modo observationis quam de simplici atque arida prohibitione. De resignatis autem beneficiis in favorem certae personae, cum sit huiuscemodi provisio soli summo pontifici reservata [7], modestius fuerat de hac re loquendum. Ille enim Domino suo stat et cadit iuxta illud Prophetae [8]: *Tibi soli peccavi,* cuius acta, si pro libito cuiusque rescindantur, non reformatio quidem in ecclesia Dei statueretur, sed maxima potius deformitas et desolatio.

[Cap. 2]: De ordinum ecclesiasticorum officiis per totum.

Omnia haec pulcherrima verba sunt, quae tamen congruentius in epistolis Pauli, in sacris canonibus, in multis conciliis et praesertim in novissimo, dum haberetur Tridenti, descripta sunt [9], eoque etiam maxime, cum in ipsis canonibus non tantum de admonitionibus agatur, verum etiam de remediis contra transgressores. In toto autem hoc titulo huius reformationis nihil aliud continetur nisi pulchra contio in suggestis habenda. Cum autem de reformatione agendum est, conficiendi canones sunt, qui suas partes integre habeant, quod est opus summi pontificis vel sacrorum conciliorum iuxta adagium vulgatum [10]: Tractent fabrilia fabri.

[Cap. 3]: De officio decani et canonici per totum.

Eadem hic conveniunt, quae ad proximum titulum bona | 78v annotavimus.

[Cap. 4]: De horis canonicis per totum.

Censeo nihil probari debere ex omnibus dictis praeter illud *donec de ea re per concilium generale statuatur*. Esto sint in eiusmodi officiis nonnulla frigidiora inserta et quaedam forte apocrypha, nihil est tamen in his omnibus, quod pietati adversetur. Atque de duobus malis minus eligendum censeo, cum longe peiora his oriri posse arbitrer, si pro libitu suo

[1] Sc. ad ordines competentes suscipiendos.
[2] Sess. VII de ref. c. 1-4, *Conc. Trid.* V 997.
[3] *Matth.* 7, 21.
[4] *Iuvenalis*, Sat. 6, 347 sqq. (*Herrmann* 37).
[5] *Ps.* 41, 8.
[6] C. 39 *Sicut pro certo* X de simonia V 3 (*Friedberg* II 765) = Lateran. IV c. 63.
[7] Cfr. *P. Hinschius*, Kirchenrecht III 1, 278, ubi adn. 8 dicitur decretales usque ad tempus Bonifacii VIII nihil de tali reservatione continere. Nec apud *E. v. Ottenthal*, Regulae cancellariae apostolicae (Innsbruck 1888) eam inveni.
[8] *Ps.* 50, 6.
[9] Vide Sess. IV de editione et usu sacr. libr., *Conc. Trid.* V 92, 19 (approbatio per ord. danda); Sess. V de ref. cc. 1, 2, 3, 7, 9-17, *Conc. Trid.* V 241 sqq. (lectio s. scripturae et praedicatio); Sess. VI de ref., *Conc. Trid.* V 802 sqq. (residentia episcoporum et aliorum beneficiatorum); Sess. VII de ref., *Conc. Trid.* V 997 sqq. (collatio ordinum sacrorum et beneficiorum).
[10] Quod adagium apud *A. Otto*, Die Sprichwörter der Römer (Leipzig 1890) non inveni; idem significat, quod aliud *ne supra crepidam sutor iudicet*. *Otto* l. c. 97.

quilibet episcopus adiiciat, minuat, mutet et reformet, unde tot erunt diversi ritus atque officia, quot ecclesiae ex eaque diversitate schismata, rixae et contentiones facillime orirentur, a quibus cavendum esse toties monet Apostolus [1]. Quam igitur melius erit (salvaque etiam pietate) in his tantis praesentium temporum turbinibus paulisper mutationibus ipsis parcere, quam magnis confusionibus causam praestare, donec generale concilium super id decernat, maxime cum pleraque huiusmodi in sacra Bononiensi synodo iam sint praeparata [2], quae cito in lucem proferentur, et omnis confusio simul et contentio evitabitur.

[Cap. 5]: De monasteriis.

[§ 1] usque ad § [6] *At ubi.* Commodius desumpta fuissent regularia instituta ex ipsismet sanctorum patrum regulis atque ex sacris canonibus de statu monachorum, de religiosis domibus, de votis [3] et aliis similibus locis toto iuris corpore descriptis. Haec ipsa
79r tamen tamquam illorum partem | commendatione digna ducimus.

Sequitur § [6] *At ubi* usque ad § [7] *Monialibus.* Si in re tam seria risum solvere fas esset, nullus equidem ridendi modus daretur, ut plusquam sexcentum (!) monasteria per hanc tempestatem excisa, monachis exhausta bonisque omnibus privata, quae (ut notissimum est) in profanorum atque haereticorum manibus cesserunt, per duos aut tres bene institutos monachos illuc mittendos restaurari debeant. Haec profecto fuisset tanto principe digna reformatio, si de manibus profanis tam cathedrales et collegiatae ecclesiae quam diversa monasteria religiosaeque domus erutae fuissent veris dominis restitutae; tum de transmittendis probis monachis huius reformationis consilium et oportunum et laudabile fuisset.

Sequitur § [7] *Monialibus* usque in finem. De institutis monialium, quosque habitus illas habere deceat, et quae vivendi forma illis praescribatur, pleni sunt codices, plenae regulae canonesque refertissimi, cum in sacris conciliis tum a summis pontificibus editi [4]. Sed illud profecto tractare quammaxime operae pretium fuerat, quonammodo nuptae moniales ab incestuosis nuptiis retraherentur, quoque modo ad sua monasteria reintegrarentur, atque quomodo sacri census occupati restituerentur. Hoc enim sibi munus praecipuum arma
79v victricia deposcebant, sacri vero canones satis ad praescribendum | vitae morem abunde iam editi fuerant.

[Cap. 6]: De scholis et universitatibus.

[§ 1] usque ad § [5] *Nulla re.* Quid sibi velit haec reformatio, non facile est intelligere, quandoquidem ad futuram concilii determinationem semper se refert, fingens nescire, quod haec eadem sint nuper provisa per sacrosanctum oecumenicum concilium, dum existeret Tridenti sessione IV, quae fuit decimaseptima Iunii 1546 [5], cuius sessionis verba utpote per Spiritum Sanctum dictata, si cum huius reformationis dictis comparentur, auro simillima in aeris conspectu iudicabuntur.

Sequitur § [5] *Nulla re* usque ad finem. Speciatim hoc caput libuit annotare, licet de eo satis provisum sit in memorata sessione, ut omnes orthodoxi cognoscant, quam sit difficile, immo impossibile quidquam statui, quod rectum in se sensum habeat, nisi id a veris legislatoribus videl. summis pontificibus aut sacris conciliis unacum suo vero capite decernentibus fiat. Ecce in hoc capite fertur sententia rem hanc [6] toti christianae reipublicae omnium utiliorem [esse], quae tamen, si ad praxim deduceretur, infinitas fere secum traheret difficultates. Sed esto, non sit inutilis, eam tamen omnium potiorem esse nemo sani capitis diiudicabit.

Praeterea si de reformatione interim statuenda agitur, quid de eo, quod futurum est, nunc attinet decernere? Accedat, quod textura verborum huius capitis quodammodo pro-
80r vinciali [7] | ea summittit, quae per summum pontificem agi debent. Ea vero, quae de

[1] *Rom.* 13, 13; *1 Cor.* 3, 1 sqq.; *2 Cor.* 12, 20; *Phil.* 2, 3.

[2] Bononiae a 26. Sept. ad 7. Oct. et denuo a 19. ad 22. Oct. de abusibus baptismi et confirmationis, a 24. ad 29. Oct. de abusibus circa eucharistiam et sacr. in genere, a 9. ad 14. Nov. et denuo mense Ian. 1548 de abusibus poenitentiae, a 18. ad 28. Nov. de abusibus ordinis et unctionis, mense Dec. de abusibus matrimonii in congr. gen. disputabatur (vid. Massarelli diarium IV ad dies com.), sed nihil legitur de reformatione breviarii.

[3] X, III 34-36, *Friedberg* II 589-607.

[4] Cfr. *I. B. Saegmüller*, Lehrbuch des kath. Kirchenrechts II³ 390 sqq. passim.

[5] *Conc. Trid.* V 241 sqq.

[6] sc. propositionem graduatorum pro beneficiis conferendis per universitates faciendam. Formula reform. c. 6 § 5: *Nulla re magis ecclesiae publicaeque utilitati consuleretur, quam si summus pontifex et collatores ordinarii secundum concilii Basiliensis placita academiis purioribus et incorruptis potestatem facerent significandi eis subinde viros litteratos ad regendum ecclesias idoneos... Le Plat* IV 81.

[7] scil. conventui.

concilio Lateranensi adducuntur [1], nonne firmiora per se existent, quam si privata auctoritate denuo statuantur?

[Cap. 7]: De hospitalibus pauperum et infirmorum.

[§ 1] usque ad § [3] *In huiusmodi*. Quamquam verba haec aliqualem prae se ferant pulchritudinem, attamen schisma in se continent manifestum. Namque uniones rescindere novasque formas ab his, quae apostolica auctoritate in praesentia reperiuntur, tradere alterius quam eiusdem summi pontificis, qui providit, munus esse non potest. Igitur decernere, quod haec ipsa per dispositionem episcopi aut locorum ordinarii rescindantur, nihil aliud est quam tunicam Christi inconsutilem scindere. Quodsi res digna videbatur oportuna provisione, quare a laicali non fuit coeptum potestate, unde haec emanavit refermatio [2]? Obviam scil. eundo laicalibus oppressionibus videl. multis principibus, qui haec ipsa in usum proprium vendicarunt, sane quidem, ut ea imprimis ecclesiae consignarent, quae postquam consignata fuerint, tunc facile erit summo pontifici eadem ad meliorem usum et, per quem Deo magis serviatur, dirigere.

Sequitur § [3] *In huiusmodi* usque ad finem. Pleraque verba, quae hic effunduntur, super quibus nulla auctoritate | cura demandatur episcopis (forte enim huiusmodi loca 80v exemptione fruuntur). Quam rectius, quam etiam uberius unico brevi capite videl. decimoquinto de residentia in sessione VII Tridenti habita die 3. Martii 1547 exarata fuerunt [3].

[Cap. 8]: De dispensatione verbi Dei et officio ecclesiastico per totum.

Haec omnia religiose dicta sunt et ad conservandam verae fidei integritatem maxime idonea, ideo valde commendatione digna eoque maxime, cum eisdem prope verbis Revmus bo. me. card. Campegius de latere legatus in reformatione cleri Germaniae primo reformationis suae capitulo haec eadem illi nationi observanda decreverit [4], quae etiam Romae per edictum christianum de fide et sacramentis anno abhinc quarto plenius sancita fuere [5].

Secunda pars [cap. 9]: De administratione sacramentorum.

Cum de sacramentis in genere hic agatur, nulli dubium esse potest, quod fructuosius relatio habenda erat ad septimam sessionem concilii Tridentini superius nominatam [6], quamquam et haec dicta commendari debeant praeterquam ea in parte, de qua postremo agitur, non improbari videl. baptismatis sacramentum lingua vernacula perfici debere. Nam si abrenuntiantes sathanae et fidem profitentes lingua vernacula id egerint, etiam necesse erit interrogationes lingua eadem fieri, quae quidem res | non privato consilio, sed potius 81r universali vel sedis apostolicae aut concilii oecumenici permittenda fuerat, praesertim cum ex eo loquendi modo videl. *non improbamus* dissidium magis seminetur et pro certis incerta statuantur.

[Cap. 10]: De administratione sacramenti baptismi.

Haec omnia longe uberius in memorata sessione [7] discussa sunt. De abusibus vero super his et aliis sacramentis adeo plene et opportune omnia discussa et annotata sunt in sacro concilio Bononiensi [8], ut nihil melius hoc tempore desyderari possit.

[Cap. 11]: De missae ceremoniis.

[§ 1] usque ad § [2] *Quoad reliquas*. Nequaquam ergo arbitrari possum, ut, cum hic suo quoque ordine de sacramentis agatur, consulto sit omissum de sacramento eucharistiae

[1] Conc. Lat. IV c. 11, rec. in Corp. iur. can. c. 4 X de mag. V 5 (*Friedberg* II 770).

[2] Similiter catholici ad concipiendum librum *Interim* deputati postulaverant, ut prae ceteris bona alienata ecclesiasticis possessoribus restituerentur. *F. B. Bucholtz*, Gesch. d. Regierung Ferdinand I, VI 223 sq.; cfr. etiam *G. Beutel*, Ueber den Ursprung des Augsburger Interims (Dresden 1888) 45-60.

[3] *Conc. Trid.* V 999, 8 sqq.

[4] *Le Plat* II 229.

[5] De hoc edicto, quod *Philippo Archinto* auctore a. 1545 Romae prodiit, cfr. *Lauchert*, Die ital. lit. Gegner Luthers 467 sqq.

[6] *Conc. Trid.* V 994 sqq.

[7] Cfr. adn. praec.

[8] Cfr. p. 108 adn. 2.

et eius administratione [agere], qui titulus cum permaxime oportunus fuisset his praesertim temporibus, satis erit ex hoc arguere, quanta sit inter artifices differentia, vel quod potestas saecularis vel quod sedes apostolica aut sacrum concilium de sacramentis statuat. Itaque congruentius fuisset verba aurea sacri concilii Florentini sub Eugenio IV habiti hic depromere [1] quam verba nova excogitare, praesertim quae sequuntur. ‖

81v [§ 2] Quaeso, qui tandem finis erit varietatum et dissidiorum, si episcopi omnes quisque in sua diocesi huic intendant repurgationi. Facilius equidem fuisset linguarum turris Babiloniae varietates in unum connectere.

Cetera autem, quae toto hoc titulo perscribuntur, propterea quod ex sacris canonibus decerpta sunt, semetipsa commendant.

[Cap. 13]: De sacramenti poenitentiae administratione per totum.

Cum de sacris canonibus doctrina haec excipiatur, satis per se commendanda est. Duo tamen insunt, quae non probo, desperationem videlicet quandoque adigendi populum ad severas poenitentiae leges — nostrum enim non est scire, quae futura sunt, et potens est Dominus Abraae filios de lapidibus suscitare — [2]; prudenter tamen fieri non inficior, ut ea, quae in praesentia statuuntur, moribus etiam praesentis tempestatis coaptentur, quemadmodum Pelagius papa scribens Florentino episcopo prudentissime sancivit [3]. Secundum autem, quod mihi summopere displicet, ultimo huius tituli capite continetur, de potestate scil. absolvendi nullis omnino reservatis casibus. Hoc enim vere esset delinquendi incentivum praebere. Rectius igitur vera illa Germaniae reformatio per legatum de latere instituta (de qua supra diximus) decrevit capite nono, ut neque omnimoda fieret relaxatio neque onerosa nimis retentio [4]. |

[Cap. 14]: De unctionis extremae administratione per totum.

82r Quid sibi velit superius in baptismate, confirmatione et poenitentia sacramenti nomen adiecisse, hic autem minime [5], non satis intelligo. Boni tamen consulo, illud repetens, quantum intersit, si canones a veris conditoribus aut alienis condantur.

[Cap. 15]: De sacramenti matrimonii administratione.

Sacramentum hoc magnum esse dixit Apostolus in Christo et ecclesia [6], hoc est exemplo Christi et ecclesiae. Et quae hic annotantur, satis digna sunt, longe tamen diffusius et plenius a sacris canonibus enarrata [7]. Qua in re hoc unum mihi occurrit nullo modo silentio praetermittendum, quod hic finis statuatur sacramentorum enarrationi, cum de ordinationis sacramento nullum penitus verbum conscriptum sit, nec recte video, ullam posse reformationis mentionem fieri, nisi de hoc potissimum sacramento plenissima ratio habeatur. Itaque illud mihi saepe repetendum est: Tractent fabrilia fabri [8].

[Cap. 16]: De ceremoniis ecclesiasticis per totum.

Multa hic bona congeruntur, quae digna sunt commendatione et ad instructionem fidelium utilia. Cuperem attamen de ceremoniis, quibus ipsa sacramenta constant, aliquid
82v distinctius traditum ab aliis operibus, quae etsi ad varios pietatis | usus valeant, nullum tamen in se meritum continent, quandoquidem in memorata sessione septima Tridenti habita cap. 8 de sacramentis in genere ita decretum est: *Si quis dixerit per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit* [9]. Consultius itaque fuisset, omisso primo huius tituli capite, in quo potius decretum fidei quam reformationis continetur (quod maiori egebat distinctione et explicatione), reliqua, quae ad mores pertinent, dumtaxat enarrare. Sed boni omnia consulamus.

[1] Decr. pro Armenis, *Denzinger*[14-15] n. 700.
[2] Cfr. *Matth.* 3, 9.
[3] Cfr. c. 7 *Fraternitatis tuae* D. 34, *Friedberg* I 27, litterae non numerantur inter originales.
[4] *Le Plat* II 231.
[5] *Le Plat* IV 89 hic quoque nomen sacramenti habet.
[6] Cfr. *Eph.* 5, 32.
[7] Sc. in X lib. IV, *Friedberg* II 661 sqq.
[8] Cfr. supra p. 107 adn. 10.
[9] *Conc. Trid.* V 995, 25 sq.

[Cap. 17]: De disciplina cleri et populi per totum.

Haec omnia probo praeter id, quod in prooemio habetur de vitiis, quae emendationem requirunt, non expectata concilii diffinitione. Quasi concilium Tridenti residens in prima ipsa sessione habita die septima Ianuarii 1546 nihil de eis dixerit, et quasi de habitu, victu et familia non plene sit ubique provisum [1], et novissime in concilio Lateranensi sessione nona [2], tamquam ista nuper excogitentur, cum nihilominus verba haec omnia ipsismet sacris conciliis proferantur.

[Cap. 18]: De pluralitate beneficiorum per totum.

Potestatem saecularem de his statuere, quae ad summum pontificem vel ad sacrum concilium tantummodo pertinent, non satis commendari | posse existimo, praesertim cum de 83ʳ
hac ipsa re et in sexta et in septima sessione Tridenti habitis quamplurima sint decreta [3] innovatique sint illi idem canones, de quibus hoc titulo agitur. Ideo satis fuit hanc praesentem in hac parte ad ipsam synodum referre, et tantummodo, ut observentur, pro vera reformatione providere, quemadmodum severissime ea omnia hodie in curia Romana observantur ex ordine et iussu S^mi D. N. [4], ut quod alii benedicendo usurpant, S. S. beneagendo vere adimpleat.

[Cap. 19]: De disciplina populi per totum.

Totus hic titulus instar est elegantis homeliae, ideo commendationis titulo efferrimus. At in concedenda tali reformatione salubriori sane modo sacri canones procedunt, qui post debitas admonitiones etiam salubria pro illorum observatione remedia subiiciunt.

[Cap. 21]: De synodis.

Quid opus erat ad hanc ipsam rem ex concilio Basiliensi auctoritatem mutari [5], cum alibi saepe sancitum fuerit illud idem, et novissime ipsamet reformatio cleri Germaniae iuste edita trigesimoquinto eius capite, quod et supremum est, satis superque diffiniverit [6]. Decebat igitur reformationem hanc alteri piae reformationi magis adhaerere quam ancipiti et tandem schismatico Basiliensi concilio inniti.

[Cap. 22]: De excommunicatione usque ad finem.

Verba haec pietatem prae se ferunt, ideoque commendanda, quamquam | illud unum 83ᵛ
pleniori distinctione egeat, quod dicitur *in causis mere civilibus* etc., non quia illud improbem, sed quia maiori explicatione indigere non dubito.

Haec ex tempore recensui, quae certo scio R^mae D^ni V^ae manus non egressura. Aliud enim est unum atque idem argumentum verbis familiaribus pertractare, quod nequaquam in lucem prodire habeat, aliud, si invulgandum veniat et ad manus plurimorum sit deducendum. Atque in re tam gravi tamque seria amplioribus verbis illud erat imprimis disserendum, neque per sedem apostolicam neque per sacrum oecumenicum concilium stetisse aut stare, quominus haec omnia perpetuo stabilia et magna ex parte sancita debito etiam fine terminentur. Deus autem optimus maximus pro sua erga omnes pietate ignoscat iis, qui alioquin viri catholici existunt, sed tamen sibi ipsis nimium applaudentes, perniciosissimo exemplo illorum, qui longe maioris partis sacri concilii tunc Tridenti existentis auctoritatem spreverunt, et qui sanctissimae crucis vexillum deseruerunt. Unde origo indecentium protestationum assumptionisque iudicii ad apostolicam sedem processit felicissimaeque Bononiensis synodi mora subsecuta est, quae omnia, licet necessario enarranda fuissent, attamen silentio praetereunda duxi, cum D. V. Rev^mae quammaxime sint notissima, apud quam humillime me etiam atque etiam commendatum esse summopere desydero.

[1] *Conc. Trid.* IV 554 sqq. Aperitio 13. Dec. 1545 celebrata ab auctore ut plurimum non numeratur inter sessiones.

[2] Cfr. bullam *Supernae dispositionis arbitrio* editam 5. Maii 1514, in *Bull. Rom.* V 604-614; *Hefele-Hergenröther* VIII 602 sqq.

[3] Cfr. supra p. 107 adn. 9.

[4] Magni momenti testimonium de observatione eorum, quae sub Paulo III pro reformatione ecclesiae et praesertim curiae Romanae decreta erant, de quibus cfr. *St. Ehses*, Kirchliche Reformarbeiten unter Paul III vor dem Trienter Konzil: Röm. Quartalschr. 15 (1901) Gesch. 153 sqq., 397 sq.; *Conc. Trid.* IV 451-512; *W. v. Hofmann*, Forschungen z. Geschichte der kurialen Behörden II (Rom 1914) 248-252.

[5] Conc. Basiliense Sess. XV (26. Nov. 1433) sancivit, concilia provincialia tertio quoque anno celebranda esse. *Mansi* XXIX 75 sq.; cfr. *Hefele* VII 557 sqq.

[6] Apud *Le Plat* II 236 sq. est c. 38.

23.

Communis aliquot episcoporum Gallicanae ecclesiae apud Molam congregatorum sententia, quam rogati dixerunt ad haec duo, videlicet: Viderenturne Romam mittendi episcopi aliquot disceptaturi de moribus ecclesiae universae [1], et quid censerent de iure, quod sibi Romani pontifices assererent in Provinciam Britanniamque Gallicam.

[ca. **29. Sept. 1548**].

Parisiis Bibl. Nat. *Cod. lat. 1525* f. 318^{r}-330^{v}, cop. coaeva [= *P*]; Romae Bibl. Vat. *Barb. lat. 835* f. 153^{r}-165^{r}, cop. saec. XVII [= *B*]; Arch. Vat. *Conc. 41* f. 247^{r}-252^{r}, cop. coaeva [= *C* 41a]; *Conc. 41* f. 253^{r}-261^{v}, cop. coaeva [= *C* 41b]; *Conc. 77* f. 262^{r}-266^{r}, cop. coaeva [= *C* 77]; *Conc. 132* f. 34^{r}-38^{v}, cop. coaeva; Florentiae Arch. publ. *Cart. Mediceo 4015* f. 76^{r}-95^{v}, cop. coaeva; *Carte Cerv. Filza 32*. Ed. *E. Martène-U. Durand*, Veterum scriptorum et monumentorum historicorum... amplissima collectio VIII (Parisiis 1732) 1188-1203; *Le Plat* IV 132-146; *Raynaldus* a. 1548 n. 73-77.

I. De causis concilii generalis indicti. II. De auctoritate papae et concilii. III. De statu concilii post translationem. IV. Responsio ad quaesitum: Non esse mittendos Romam praelatos reformationis instituendae causa.

Barb. lat. 835 f. 153^{r} Est hoc ad nos relatum a rege nostro Christianissimo Henrico ex Beatissimi Patris Pauli papae nostri litteris, viderenturne nobis Romam esse mittendi aliquot episcopi, qui cum ceteris, qui illuc convocati essent, agerent de collapsa corruptaque ecclesiae disciplina; ad haec, quid censeremus respondendum de iure, quod sibi pontifices Romani vindicarent in Provinciam atque Britanniam, eam scilicet, quae Gallici iuris est et nominis. Id quod nobis cum ab utroque perhonorificum accidit, ut ad nos ea de re referretur, tum alterius paternae quidem indulgentiae, alterius humanitati pietatique et regiae et christianissimae tantum nos debere confitemur, ut neutri neque officio neque studio quamvis vehementissimo satisfacere posse videamur. Huius quidem honoris magnitudinem, quando ne gratiis quidem agendis valemus, obtemperandi certe alacritate gratiam quidem testabimur, quod unum nobis reliquum est accepti beneficii.

I.

Itaque quod ad alterum illud superius attinet, de mittendis qui Romae de moribus constituant, id quidem haud paulo facilius esset explicatu, nisi hoc a rege Christianissimo peteretur, eo tempore potissimum, quo utpote publico christianorum conventu instituto nec liberum est nobis decernere nec, si nobis hoc integrum sit, rei publicae commodum.

Etenim hoc imprimis considerandum, quem in locum summa rerum christianarum progressa sit, quid ex eo conducat, quid secus animadvertendum. Exorta est iam pridem Martini Lutheri, pestilentissimi hominis, pestilentior secta, quae primum ministrorum ecclesiae auctoritatem, vim deinde sacramentorum et efficaciam labefactans, post in dissimiles secumque pugnantes haereticorum familias dissecta, omnem admodum christianae religionis speciem deformavit et corrupit integritatem; postremo, cum
153^{v} in arcem totius pietatis invasisset, baptismi, eucharistiae | et [a] reliquorum sacramentorum religionem atque sanctitatem evertit.

Ad haec, quae non alia disciplinae christianae instituta Oecolampadiani, Zwingliani, Buceriani, Calviniani, ceterae importunissimae pestes et immanissimae violarunt tum scriptis

[a] *C 41b C 77 om.*

[1] Inter proponenda Caesari, quae card. Farnesius 14. Iulii 1548 cum Bertano nuntio communicavit, erat reformatio universalis extra concilium Romae vel Bononiae deliberanda, sc. *che intanto si attendesse a far' una reformatione generale tanto desiderata dal mondo o in Bologna o in Roma in presentia di Sua Santità, dove venissero li prelati Spagnoli et un paio di Todeschi, per il manco sei, instrutti di loro bisogni, et si attendesse in un medesimo non solo alla Germania, ma al resto della christianità. Nuntiaturberichte* I. Abt. XI 40 sq. De qua reformatione facienda, cum Caesar 26. Iulii annuisset, a pontifice insuper petens *a farla tale che non sia di bisogno parlarne più nel concilio* (*Nuntiaturberichte* XI 61), mense Augusto exeunte Bartholomaeus Cavalcantius, a pontifice Taurinum missus, Henricum II Gallorum regem certiorem fecit (*A. Pieper*, Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen [Freiburg 1894] 133. 195), qui paulo post praelatorum sententias quaesivisse videtur, ut ex Massarelli relatione ad 29. Sept. 1548 (*Conc. Trid.* I 799, 36 sqq.) apparet. Cfr. *L. Romier*, Les origines politiques des guerres de religion I (Paris 1913) 204 sq.; et de doctrinis Gallicanis saec. XVI *G. Hanotaux*, Sur les chemins de l'histoire I (Paris 1924) 105 sqq.

factisque impudentissimis, tum praecipiti quadam et perdita ⟨praedicandi, hoc est autem obloquendi veritati et obtrectandi, petulantia⟩[a], in quo profecto omnem superarunt antiquorum immanitatem et insaniam haereticorum, quorum ex furore tamen et vecordia haec rabies profecta est, recentioris[b] quidem, verum haud paulo magis ⟨furiosae amentiae⟩[c]. Itum est utcumque obviam a catholicis, et res est libris ac disputationibus acta; nec minus tamen maxima Germaniae pars, nonnulla Galliae, Britannia paene tota[d], maxima ubique perditorum hominum multitudo[e] hoc incendio deflagravit.

Ex eo ⟨tempus haud dubie christiani concilii⟩[e] coepit esse pernecessarium, ut et isto morbo correpta ecclesiae viscera curarentur[f] quam primum, et ab integris arceretur contagio.

Cuius unius remedii permulta exstiterunt vetustissima exempla. Sed ne ultima repetamus: Apostoli, cum de circumcisione gentium a nonnullis esset illata quaestio, convenerunt Ierosolymam; res constitit habito concilio, ne gentes circumcidi cogerentur[1]. Secundum haec tempora, ut Simonem, Basilidem, Apellem, Menandrum, cetera ecclesiae vulnera omittam, Paulumque Samosatenum Antiochiae publice confutatum et damnatum, Nicaena synodus adversus Arianorum blasphemias propugnavit et trinitatis veritatem in unitate et in trinitate unitatis[g]. Stetit pro Spiritus Sancti divinitate contra Macedonium, Eunomium, Eudoxium Constantinopolitana [I.]; damnavit Ephesina Nestorium duas in Christo personas constituentem; uti unam in eodem Christo naturam asserentem Eutychem, abbatem Constantinopolitanum, ⟨et Dioscorum et Nestorium iterum Calchedonensis; altera Constantinopolitana⟩[h] Theodorum, aliae alios christianae ecclesiae et religionis hostes.

Hoc exemplo in tanta haereticorum insolentia ad unicum subsidium pietatis occursum est universae videlicet ecclesiae concilium, ut, quibus [co]piis adhuc res christiana fuit haereticis omnibus schismaticisque superior, patrum quidem auctoritatibus, nos iisdem uteremur in non dissimili periculo et graviori etiam nostro quidem iudicio. | Haec itaque causa quae 154r
fuerit, hoc tempus quam iustum, quam necessarium, quot quantisque exemplis nitatur antiquitatis, satis arbitramur esse probatum, ut nec tempore[i] nec necessitate conventus ipse Tridentinus ulli antiquorum cedere videatur. Itaque decretus et indictus est a Beatissimo Patre papa nostro Paulo, adnitente tunc rege nostro christianissimo Francisco, instante etiam imperatore Carolo, quorum alterius nunc vita functi memoriam laudibus apud omnes homines, lacrimis vero etiam ad Christum et assidua totius ecclesiae nostrae precatione prosequimur, alterius vitam quoque et salutem qua debemus caritate complectimur, auctoritatem certe utriusque coniunctam praesertim arbitramur esse defendendam. Nam quidquam aut in Beatissimi papae nostri Pauli sanctitate aut in gravitate Tridentinae celebritatis desiderare, nec pudoris est nostri nec recti sincerique iudicii. Quid enim? Eumne non laudare auctorem possumus, qui in locum successerit principis apostolorum Petri, aut eam non suspicere frequentiam, quae ecclesiae totius sustineat dignitatem atque potestatem, cum utrique tot tantaque sint testimonia sanctitatis atque gravitatis?

II.

Apostolis verba sua enuntiaturis non universis tantum, sed singulis etiam Spiritum Sanctum ad principes praesto fore pollicetur Christus[2], ⟨ut neve quid loquantur⟩[k] neve quid respondeant solliciti sint; neque enim eos fore, qui loquerentur aut responderent, sed Spiritum Patris sui illis omnia, quae dicerent, suppeditaturum. Hoc autem prae ceteris Petro tributum videtur hoc argumento, quod, qui se improbatum lapidem[l] in scripturis dici intelligeret[3] Christus, quemque Paulus apostolus angularem lapidem ex Isaia[4], Petrus ipse et offensionis et scandali[5], idem ille Christus cum Petro huius nominis notionem communicaverit[6]: *Tu vocaberis,* inquit, *Cephas.* Idem ad nominis sui egregiam ingenuamque professionem Petri eandem in eodem denominationem repetivit[7], addidit et consequentia illa, quae mirifice commemorata sunt, de exaedificanda ecclesia, perstatque in eiusdem

[a] *Raynaldus* praedicandi, ac obloquendi vanitate et obtrectandi petulantia? [b] *C 41a* recentior [c] *C 41a* furiosa amentia; *Raynaldus totam phrasim ita mutavit*: quoniam ex furore et vecordia haec rabies profecta est recentioris veneni, haud paulo magis furiosa amentia [d] *C 41a add.* nam [e] *Raynaldus* tempore haud dubie christianum concilium [f] *C 41a add.* et [g] *C 41a add.* sustinuit [h] *C 41 a et b in marg.* [i] *Raynaldus add.* nec causa [k] *om. Raynaldus* [l] *C 41a del.* ex Esaia, Petrus ipse et offensionis

[1] *Act.* 15, 1 sqq.
[2] Cfr. *Matth.* 10, 18 sqq. et parall.
[3] Cfr. *Ps.* 117, 21; *Marc.* 12, 10.
[4] Cfr. *Eph.* 2, 20; *Is.* 28, 16.
[5] Cfr. *1 Petr.* 2, 8.
[6] *Io.* 1, 42. [7] *Matth.* 16, 18.

nominis mysterio discipuli praeceptor de singulari potestate Petri alligandi et solvendi. Sunt quam plurima alia, sed hoc vel maximum ad praestantiam, quod ter repetita commendatione commisit gregem suum Dominus Petro praeter ceteros omnes [1].

Neque tamen minus se conventui catholico affuturum et Spiritu suo administraturum pollicitus est, nec minorem ceteris [apostolis], quorum gravitatem et auctoritatem sustinent
154v episcopi, quam Petro, cuius dignitatem refert summus pontifex Romanus, et alligandi et expediendi facultatem fecit [2] atque auctoritatem [ad] remissionem [et] retentionem peccatorum [3], et apud Matthaeum [28, 20] Sancti Spiritus inspiratione futuram suam praesentiam et gubernationem ecclesiae sempiternam praedicationisque pollicetur permissionem.

Eundem autem Spiritum Petro atque universae apostolorum ecclesiae fuisse ita probabile est, ut Paulus quoque adscriptus ad illum numerum eum, qui Petrum sublevasset in administrationem circumcisorum, testatus sit [4] adiutorem sibi fuisse et legato et oratori ad gentes, et quidem, quemadmodum unum in una Dei ecclesia corpus est, unus est Spiritus, unus Dominus, una fides, unus Deus [5], ita haec omnia in Petro et apostolis, in optimo pontifice et optimo praesulum conventu eadem sunt. Sed id quod est ipsum decantatum viri omnium sapientissimi versibus, retinendum est ab omnibus, ut ecclesia quam maxime una sit. *Una*, inquit [6], *est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae*. Etenim sic illius simplicitas atque constantia servabitur, si unus semper fuerit et boni pastoris et verae ecclesiae sensus, secum semper ipse consentiens, sed ab alienis discedens, nisi forte in illo apostolorum conventu Petri principis mentem ab reliquorum apostolorum sensu, hoc est autem spiritum a spiritu, discrepare putamus, et in hoc unitatem coarguimus apostolici edicti, quod ita habuit: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* [7], aut nobis illusit omnibus scribens Paulus ad Corinthium illum conventum, quem ut cum suo absentis spiritu ad illius incesti damnationem unum in locum convenire hortatus est, summam in eo consensionem probavit, in altera ad eosdem [a] Corinthios epistola inquiens: *Si quid cui concedtis, et ego* [8]. Itaque illo eodem ⟨in Spiritu⟩ [b] suis omnibus coniuncta partibus ecclesia et sibi ipsa conveniens non modo in capite, sed ne in articulis quidem ullum sive doctrinae sive morum experiri potest dissidium.

Non est quidem ecclesia certe hoc modo aliud Paulo [testante] [c] quam domus Dei, columna fundamentumque veritatis [9], et haec sane duo cum uno in sensu conspirant, quid absurdius esse queat quam alterum cum altero committere stultis istis et insultis decertationibus, hoc dum quaerunt ineptissimi homines, summine pontificis auctoritas sit conci-
155r liorum auctoritate potior, an contra? Dissentientium | enim partium est huiusmodi diiudicatio et pugnantium inter se, non unius eiusdemque et Dei Domini Spiritu opinionum et voluntatum [d], si forte dissimiles essent ac ⟨diversae invicem, summa conciliatio. Non⟩ [e] patitur hoc ecclesiae verae [f] consensus [g], et hoc Paulus ad Corinthios detestatur et aspernatur in enuntiatione [h] verbi divini, ut nulla appareat inconstantia, cuiusmodi videtur in his contrariis verbis inesse: « est » et « non est ». Quid autem magis secum pugnet, quam si partes inter se concilii alicuius ita discrepent, ut idem aliae affirment, aliae negent, ut indignitas eadem incidat, quam tanta indignatione Paulus persequitur [i], cum hoc inter discipulos iactari cognosceret: *Ego quidem sum Cephae, ego sum Pauli, ego sum Apollo* [10]. Tum enim iustissima et sanctissima animi promotione velut excandescens inquit: *Divisus est in vobis* [k] *Christus, an Paulus pro vobis* [k] *crucifixus est?* [11].

Paulo post idem rem totam ita concludit, ut, ne quid divisionis aut sectae admittere videatur, utpote cum ab uno principio totum pendere, ab uno fonte proficisci et defluere necesse sit: *Ego plantavi*, inquit [12], *Apollo rigavit; sed neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus*. Ergo ex ipsius Dei maiestate atque potentia, non ex sua utriusque dignitate perpendenda est utriusque auctoritas.

[a] *P* om. [b] *P* inspirante; *C 77* in spiratu [c] *C 41a del.* testante [d] *C 41a hic astericum habet* [e] *Raynaldus* diversi invicem: summa ecclesiae conciliatio non [f] *C 41a* verus [g] *Raynaldus* dissidium [h] *C 41a* denuntiatione [i] *B C 41a C 77* prosequitur [k] *B C 41a* nobis

[1] *Io.* 21, 15 sqq.
[2] *Matth.* 18, 18.
[3] *Io.* 20, 22 sq.
[4] *Gal.* 2, 8.
[5] Cfr. *Eph.* 4, 5 sq.
[6] *Cant.* 6, 8.
[7] *Act.* 15, 28.
[8] *2 Cor.* 2, 10.
[9] *1 Tim.* 3, 15.
[10] *1 Cor.* 1, 12.
[11] *1 Cor.* 1, 13.
[12] *1 Cor.* 3, 6 sq.

Quid autem aut Marcellini papae causa atque abdicatio [1] aut accusatio Damasi [2] aut Anastasii secundi detestatio [3] aut recentiorum nonnullorum invidia pontificum aliorum [4] oberit innocentiae? Quemadmodum nihil efficient ad elevandam[a] conciliorum catholicorum aut potestatem aut fidem actitati ab haereticis schismaticisque conventus, quibus una saepenumero opposita pontificum Romanorum auctoritas integritatem retinuit [b] ecclesiae.

Princeps apostolorum Petrus ancillarum atque servorum proterviorem vultum non ferens non modo praeceptorem dissimulavit suum, verum etiam negavit turpiter ac flagitiose, et idem ille a [c] socio administrationis Paulo, post acceptum quoque Spiritum Sanctum, dignus est reprehensione habitus [5], haud propterea tamen aut Christi misericordia ex superiore | culpa est iudicatus indignus aut posteriore castigatione minus ad principatum idoneus. 155v Ita se res habet; singulorum vitae ac moribus facillime detrahitur, quamquam est apud non [d] iniquos haud admodum difficilis humanae infirmitatis venia.

Catholicorum porro pontificum sollemnes conventus ab omni fraudis suspicione vacant, quorum gravitas dignitasque omni superiorum temporum antiquitatisque commendatione et fide celebratur. Quorum de iure atque amplitudine si quid demptum sit semel aut detractum, actum [e] sit in posterum de subsidio, quod unum semper exstitit laboranti titubantique religioni, ut omnia mihi effudisse [f] medicamenta restituendae veritatis et salutis publicae videantur, qui vim illam atque religionem ulla ex parte tentari conati sunt, hoc est Spiritus Sancti vocem labefactare, diminuere maiestatem, potestatem convellere. Horum auctoritate Romani pontifices suam dignitatem confirmaverunt, ut Nicaeni, ut Calchedonensis, ut ceterorum, et eorum illos decretis stetisse testantur canones universi cum eorum auctoritate comprobati, tum admixti adscriptique pontificiarum epistularum auctoritatibus. G r e g o r i u s [6] non minus quam evangeliorum conciliorum approbat atque veneratur instituta. De iis non multo secus G e l a s i u s sensit [7] [g]. Ab apostolorum canonibus ad quartam et vigesimam Lugdunensem alteram synodum recensentur omnes atque comprobantur; papa Zosimus, Gelasius, Leo, Damasus, Urbanus, ceteri complures ita decreta christianorum conventuum confirmant, ut vel Romanis pontificibus prae ceteris omnibus rata sint. His quantum Augustinus tribuerit, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, infinitum esset [h] recensere, quin etiam supervacuum, cum graeci latinique auctores hos fere secundum sacrarum litterarum dignitatem sanctitate, auctoritate, fide proximos esse voluerint; quorum de iure non dubitamus eadem illa praedicare, quae de praedicationis suae veritate | professus est Paulus, ut, si quis docuisset secus, detestabilis esset [8]. 156r

III.

Illa ergo et pontificis et concilii auctoritas summa [i] una atque eadem, auctoritati veterum pontificum, veterum conciliorum nec dissimilis nec dispar, quippe cum cetera omnia convenire non diffiteamur, ne [k] revocetur in dubium, idque multo minus in pontificio conventu a summo ipso pontifice convocato [l], qui aut nulla, quod nefas est putare, aut antiqua est sanctitate. Is autem hoc tempore ita habet. Coeptus quidem ille est et inchoatus tantum, ut de doctrina, quae pars erat causae totius altera, vix disputatio sit ad elementa actionis illius perducta. Deinde sunt, ne [m] dicamus omissa, certe intermissa omnia. Causam

[a] *Legendum videtur potius* enervandam [b] *P* retinuerit [c] *P B C 77 om.* [d] *Raynaldus* nos [e] *om. Raynaldus* [f] *C 41a* sustulisse [g] *P* sentit [h] *B* est [i] *C 41a C 77* summi [k] *P* nec [l] *Codd.* conventus [m] *B P C 132 C 77* cur

[1] Marcellinum in persecutione Diocletiani thurificasse seque in conspectu synodi Sinuessani pontificatu abdicasse falsa eiusdem synodi acta narrant *Mansi* I 1249 sqq. Cfr. *Doellinger-Friedrich*, Die Papstfabeln des Mittelalters² (Stuttgart 1890) 57 sqq.; *E. Caspar*, Geschichte des Papsttums I (Tübingen 1930) 98 sq.

[2] Liber pontificalis ed. *Duchesne* I 212: *Hic* (sc. Damasus] *accusatus invidiose incriminatur de adulterio et facta synodo purgatur a XLIIII episcopis.*

[3] De falsis accusationibus contra Anastasium II, *quia voluit occulte revocare Acacium*, patriarcham Constantinopolitanum schismaticum, Liber pontificalis ed. *Duchesne* I 258. Cfr. *Doellinger-Friedrich* l. c. 146 sqq.

[4] Quae recentiores contra orthodoxam quorundam pontificum Romanorum fidem attulerunt, Albertus Pighius in opere suo «Hierarchia ecclesiastica» refutare conatur. Cfr. *H. Iedin*, Studien über die Schriftstellertätigkeit Albert Pigges (Münster 1931) 90 sqq.; *P. Polman*, L'élément historique dans la controverse religieuse du XVIe siècle (Gembloux 1932) 484 sqq.

[5] *Gal.* 2, 11 sqq.

[6] *Gregorius* I, Ep. 25, *Migne* 77, 478; habetur c. 2 *Sicut sancti* D. 15, *Friedberg* I 35 sq.

[7] Conciliorum, praesertim Chalcedonensis, auctoritates *Gelasius* in epistulis saepius meminit, ex. gr. Ep. 1, *Migne* 59, 17; ep. 15, *ibid.* 92; sed auctores sine dubio *decretum* illud, quod *Gelasianum* dicitur, in animis habent, ibid. 159 sq. quod in decreto Gratiani locum ex Gregorio I sumptum immediate sequitur, c. 3 *Sancta Romana* D. 15, *Friedberg* I 36 sq.

[8] Cfr. *Gal.* 1, 9.

afferunt insalubrem caeli statum et pestilentem aeris intemperiem, quorum nos opinioni libentius accedimus concedimusque non inviti de loco transferendi inter patres recte atque ordine convenisse. Verum ut hoc dicere liceat, nimis acceleratam alii [1] aut praecipitatam potius nec illam plane integram deliberationem fuisse conqueruntur, causam quoque ipsam commentitiam et fictam, et sic adhuc in sententia permanent, ut ne pedem quidem extulerint Tridento, nec ullum praeter hunc locum esse concilii fateantur — graves illi quidem viri et cum dignitate pontificia, tum condicionis [a] excellentia, tum sanctitate morum et commendatione vitae totius insignes; penes quos autem [b] sit veritas [c], ut de hoc non ambigamus, ex eo tamen res ⟨sunt in controversia⟩ [d].

Sic autem rex Christianissimus noster Henricus, impressa pietatis a maioribus suis vestigia prosecutus, non consecutus est modo, verum etiam studio vicit superiores, qui Beatissimi Patris Pauli papae nostri voluntate provocatus translatum Bononiam concilium celebravit [e]. Sed ab altera parte Romanorum imperator Carolus perstat perseveratque in patrocinio loci Tridentini. Hinc ad illa ulcera, quae ab haereticis sunt imposita ecclesiae, ad discessionum [f] calamitatem, quae adhuc pars coniuncta et una adeo fuerat ecclesia,
156v verendum est in primis, ne, quod prope inceptum est, in partes abeat et | secessione dilabatur, quod ipsum certe maioris multo et discriminis et damni fuerit, familiae scilicet ecclesiasticae iactura, quam futura fuerat haereticorum, hoc est autem hominum iam dudum alienorum desperatio, qui tamen ut revocarentur, toto concilio, omnibus ecclesiae viribus atque opibus actum est. Quanto magis igitur elaborandum est, ne hanc multo graviorem plagam accipiat ecclesia, ut in ea parte, quae ad haec tempora stetit sua integritate incolumis, miserabiliter in partes divisa videatur [g], Christus Dominus apud nos [h] divisus ad labem christiani nominis sempiternam, quod sit argumentum vel maximum adversariis nostris debacchandi vehementius et furendi [i], ut [sc.] rex Christianissimus Henricus in propugnatione Bononiensis loci, imperator Romanus Tridentini inter se dissentiant, quorum ceteris in rebus mirificus consensus est. Cui malo ante omnia est nostro quidem iudicio occurrendum et eo remedia omnia adhibenda, nec cogitandum ante quidquam aliud aut tentandum, quam hoc sit dissidium compositum. Concurrunt haec omnia: imperatoris ⟨professio pro Tridentino⟩ [k] ad consessum ⟨Bononiensem iam inde suspensum, omnium exspectatio⟩ [l], quid concilio futurum sit ex ea velut offensione, maior haereticorum arrogantia, summum integrae partis periculum, armorum metus, quae omnia non videntur nobis posse admittere perficiendae rei vel dilationem vel tergiversationem.

IV.

Nam quod Romam interim ad differendum, ut ab iniquis dicitur, remedium convocantur episcopi, qui mores ecclesiae iudicent constituantque, hoc quidem primum res in eam opinionem adduxit, ut initum videatur esse concilium de supprimenda prorsus tractatione publica et religionis et morum, sive ea est Tridentina sive Bononiensis. Suppressa sane synodus, ut omnes corruptarum partium sanandam rationem evertit, ita obstruit viam earum servandarum, quae sunt a contagione integrae, et exspectationem reliquam aufert in posterum melioris aliquando futurae ecclesiasticae condicionis. Verum intermittatur tantummodo, ne tollatur, differt tamen ea ratio | eius aegritudinis curationem eius-
157r que periculi cautionem, quam aut primo quoque tempore necesse est expediri aut vix numquam postea verisimile est explicari posse, nisi forte, quae sua sponte in dies fiunt deteriora, longinquitate temporis neglecta meliora fient [m], aut quae recentia mala aut parva vix sanari possunt, eisdem inveteratis et maioribus facilius medebimur, aut impendenti et iam iamque urgenti gravioris incommodi periculo non praesentissimo quoque opus est remedio. Age vero, cum salus agitur corporis universi, quae in discrimine maximo et extremo prope iamdiu versatur [n], ac ne [o] deposita cura ad experiendas [p] corporis gravissime laborantis partes et quasdam velut redivivas sanandas animum convertemus? Quamquam non negamus in restituendis moribus et excolenda disciplina christianae vitae operam optime poni universae ecclesiae. Hoc tamen et pars est altera eorum, quae proponebantur [q] indicendo concilio,

[a] *Raynaldus* eruditionis [b] *C 132 om.* [c] *P C 41a C 77 add.* sit [d] *P* in controversiam venit; *C 77* fiunt in controversia [e] *Le Plat* approbavit [f] *P* discessionem [g] *C 41a add.* et [h] *C 41a add.* sit [i] *P* furiandi [k] *Raynaldus* protestatio Tridentina [l] *P* Bononiensem, suspensa omnium expectatio [m] *P C 77* fiant [n] *B C 41a* versamur [o] *P* hac in [p] *C 41a* expediendas [q] *C 41a add. supra marg.* de

[1] Cfr. quae supra in tractatu n. 9 ex protestatione Caesaris referuntur.

et, si differri non possit, a singulis metropolitanis ad veterum canonum severitatem commodius exigetur, et committendum nobis non videtur, ut superioribus maleficiis hoc adiungatur haud parvum malum, ut in sermones hominum malevolorum [a] incurramus, nos nihil [b] minus velle quam corruptorum principum ecclesiae administrationis medicinam, quam improbitatem nostram retractare [c] et corrigi, quod solum summum concilium et suscipere et perficere queat, proinde subterfugere nos nec ullo remedii genere acquiescere.

Est [d] haec nostra communis omnium sententia: nihil magis necessarium esse quam controversiam istam locorum componi, ut de alterutro aut de tertio aliquo conveniat instituti conventus actiones progredi ac finem accipere; ad id autem nihil minus conducere vel nihil plus obesse potius [e] nihilque magis esse praeposterum quam conventionem istam fieri Romae. Neque vero ex quatuor quae feruntur generibus conciliorum ignoramus nos uni summo esse obnoxios, cui et iam satisfactum | est ex parte et in posterum non sumus 157v
defuturi. Scimus duos maximos simul esse non posse conventus; verum nec [f] venerationi in Beatissimum papam Paulum nostrum nec in Christianissimum nostrum regem Henricum observantiae ullos regionum terminos circumscribimus; id tantummodo censuimus, quod nobis videtur rei christianae utile, quod ad priorem relationis partem attinet [1].

24.

Hieronymus Seripandus ord. Erem. S. Augustini generalis: An papa possit dispensare in solemni voto continentiae quacumque ratione emisso?

[Mensibus Aprili-Augusto 1548] [2]

Neapoli Bibl. Nat. *Cod. IX A 50* f. 131r-135r, cop. coaeva; Romae Bibl. Vatic. *Barb. lat. 806* f. 96r-99r, cop. saec. XVII; Arch. Vat. *Borgh. I 892* f. 101r-104v, cop. saec. XVII.

Recitatis opinionibus theologorum praesertim S. Thomae et Caietani de auctoritate papae in dispensandis votis suadet auctor vota presbyterorum Lutheranorum commutanda, non simpliciter relaxanda esse.

Ex doctrina B. Thomae tam in IVo Sent. dist. XXXVII quam in IIa IIae q. LXXXVIII [3] *Cod. IX A 50 f. 131r*
votum continentiae duobus modis solemniter emittitur: [Primo] in susceptione ordinis sacri, de quo Gregorius, cuius verba recitantur XXVIII. Di. [c. 1] [4]: *Nullum facere subdiaconum presumant episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit, quia nullus ad*

[a] *C 41a add. supra marg.* non [b] *B om. C 41a* non [c] *Sic codd, videtur potius legendum cum Raynaldo* retractari [d] *B C 41a* etsi; *P* et [e] *C 41a* potuit [f] *C 41a* ne.

[1] Quae postea (a. 1549) Henricus II cum pontifice de mittendis Romam praelatis tractavit, vide apud *G. Ribier*, Lettres et memoires d'Estat II 192 sqq.; *A. v. Druffel*, Briefe u. Akten I 194 sqq.; pro parte Caesarea *Nuntiaturberichte* XI 105 sqq. 127 sq. 183. 187. 196. 260 sqq. et relationem 26. Aug. 1549 datam apud *W. Maurenbrecher*, Karl V u. die deutschen Protestanten 1545-1555 (Düsseldorf 1865) 129*-134*. Quoad alteram quaestionem (cfr. supra p. 112 l. 3 sq.) praelati doctrinis Gallicanis suffulti, unaque regressus, regulas cancellariae, pensiones, appellationes superfluas oppugnantes, respondent nequaquam pontifici Romano ius conferendi beneficia in Provincia Brittanniaque sita competere concordataque inter Leonem X et Franciscum I regem inita pro his quoque provinciis valere. Textum excusum apud *Baluze-Mansi*, Miscellanea II 297-300, ut minus ad concilium pertinentem omittimus; multa de hac quaestione, decisa tandem per indultum Cluniacense (1549), necnon de pontificis decreto 18. Febr. 1547 contra pluralitatem beneficiorum emisso (*Conc. Trid.* I 620 adn. 3; X 788, 27 sqq.), in quantum Galliam concernit, afferunt *Druffel* I 111. 115 sqq. 134; *Ribier* II 196 sqq.; *Romier* I 202-211; cfr. etiam *I. Gerardin*, Etudes sur les bénéfices ecclésiastiques au XVIe et XVIIe siècles (Nancy 1897).

[2] Verisimile est tractatulum hunc a Seripando scriptum esse mense Augusto 1548, cum periti Romae Bononiaeque de facultatibus nuntiorum vel legatorum, qui in Germaniam mittendi erant, consilium haberent. Inter quas ea quoque a Caesare desiderabatur, ut *si etiam ex praedictis* (h. e. presbyteris], *qui in sacris constituti matrimonia contraxerunt, sive saeculares sive regulares fuerint, nonnulli ad dimittendas uxores eo, quod continenter vivere non possint, minime induci valebunt, habeant facultatem ipsi Revmi legati, considerata aliquorum singulari qualitate et cognita eorum vera conversione ac temporis exigentia, cum illis specialiter dispensare, ut cum uxoribus, quas duxerint, permanere atque stipendia ecclesiastica percipere possint, et hoc usque ad concilii generalis diffinitionem. Raynaldus* a. 1548 n. 45. Cfr. *Nuntiaturberichte* I. Abt. X 289. 294 sq. Exemplo facultatum 10. Aprilis 1548 Bononiam transmisso legati quoque 14. Aprilis, quid sentirent, card. Farnesio aperuerunt (*Conc. Trid.* I 759, 28 sqq.; sententia ipsa apud *Raynaldum* a. 1548 n. 46).

Denuo de facultatibus consilium habebatur, cum Caesar comitiis Augustanis expeditis petitionem suam renovasset (*Nuntiaturberichte* XI 65. 71. 81. 689 sqq.). Cardinales ad hoc deputati primo inter se dissentientes (*ibid.* 696 sq.; *Conc. Trid.* I 789, 22 sqq.) tandem ut cum sacerdotibus saecularibus tantum et sub conditionibus quibusdam dispensaretur, suaserunt (*Nuntiaturberichte* XI 480); similiter regularis quidam in voto *ibid.* XI 468.

[3] Sent. IV dist. 38 q. 1 a. 2 et praesertim S. th. II-II q. 88 a. 7: *Utrum votum solemnizetur per susceptionem sacri ordinis et per professionem ad certam regulam.*

[4] *Friedberg* I 100, ex Gregorii Epp. lib. I ep. 42.

ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata; idem Di. XXXI cap. [1] *Ante triennium* [1], ex quo sic arguit Thomas Caietanus [2]: *Aut omnes episcopi occidentales sunt transgressores precepti apostolici aut non; non primum, cum multos constet esse episcopos timoratos et sanctos, quos conscientia non reprehendit ex transgressione huius precepti in actu ordinandi, observant ergo hoc praeceptum. Suscipientes ergo ordinem sacrum non verbo, sed ipso facto intelliguntur vovere castitatem, dum occidentali ritu sacros ordines suscipiunt.* Ad idem faciunt Di. eadem [XXVIII] c. 2, 3, 5 [3] recitata decreta 131v Innocentii II et concilii Toletani II et V. | Ad idem facit can. 8 [Di. XXVIII] [4] concilii Ancyrani, in quo dicitur, quod qui diaconi ordinantur, si dixerint, velle se coniugio copulare, possunt post coniugium in ministerio perseverare, qui vero tacuerint, si postea nubant, a ministerio sunt removendi, cuius rationem reddit, quia susceperunt manus impositionem professi continentiam. De coelibatu quoque subdiaconorum est canon concilii Romani sub Silvestro papa, actione prima cap. 8, et presbyterorum, actione secunda cap. 19 [5].

Secundo votum continentiae solemniter emittitur in professione alicuius certae regulae debito modo facta, scil. in manu eius, qui debet recipere, aliisque servatis circumstantiis iuris, et de hoc nemo dubitat.

Votum continentiae primo modo emissum dicitur publicum, quia habet aliquid annexum, unde in publicum venire debet, ordinem scil. sacrum, per quem vovens minister ecclesiae constituitur ad publice serviendum Deo. Dicitur et solenne, quia in eo promissio perfectam habet et completam vim obligationis, quoniam vovens non solum promittit se daturum, ut in voto simplici, sed dat se de praesenti Deo divinis se mancipando servitiis. Qua etiam ratione votum secundo modo emissum, in professione scil. alicuius certae 132r regulae, dicitur solenne, et quamvis, ut Caietanus ait [6], posset ecclesia alias | decernere rationes, quibus vota redderentur solemnia, de facto tamen non invenitur statuisse voti solemnitatem nisi duabus iis rationibus, susceptione sacri ordinis et regulari aliqua professione.

Est tamen differentia inter solemnitatem voti continentiae in susceptione ordinis sacri et solemnitate eiusdem in professione regulari. Nam prima habet pro ratione et fine gradum ordinis sacri, altera vero pro ratione habet et fine statum regularem seu religionis.

His praemissis duae sunt apud B. Thomam conclusiones [7]. Prima: In voto continentiae emisso in susceptione ordinis sacri potest dispensari. Cuius ratio est, quia debitum continentiae non est essentialiter annexum ordini sacro, qui est ratio et finis solemnitatis voti continentiae in susceptione ordinis sacri, ut dictum est, sed tantum ex statuto ecclesiae, et ideo potest solemnitas consecrationis remanere sine debito continentiae ac propterea in voto continentiae solemni per susceptionem ordinis sacri potest ecclesia dispensare.

Secunda conclusio: In voto continentiae emisso in professione regulari non potest dispensari. Cuius ratio est, quia debitum continentiae est 132v essentialiter annexum professioni regulari seu statui religionis, qui | est ratio solemnitatis voti continentiae in tali professione, ut dictum est. Nam in eo statu abrenuntiat vovens saeculo seque totaliter Dei servitio mancipat, quod cum matrimonio stare non potest, sed necessitatem habet coniunctam uxoris, liberorum et familiae, et ideo non potest status religionis remanere sine debito continentiae. Unde Apostolus *1 Cor.* 7, [33]: *Qui cum uxore est, solicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est,* quod facit decretalis Innocentii III, X de statu mon. [8], ubi ait: *Abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.*

Est ad idem et alia ratio. Sicut res, quae benedictione consecratur, quamdiu vivit seu est in esse suo, perseverat sacra, ut patet in calice, corporali, paramentis etc., ita homo, qui benedictione consecratur, ut sit religiosus, quamdiu vivit, perseverat religiosus, et sicut nulla potestate humana fieri potest, ut res illa non sit sacra, ita nec fieri potest, ut

[1] *Friedberg* I 111.

[2] Opuscula omnia Thomae de Vio Caietani (Venetiis 1588) tom. I, tractatus 27: *Utrum summus pontifex possit dispensare cum sacerdote occidentalis ecclesiae, ut accipiat uxorem* (p. 121 sq.); in fine loci Seripandus verba, non autem sensum mutavit. Tractatus compositus est a. 1505, ergo ante commentaria.

[3] *Friedberg* I 101. Quorum ultimus revera, ut *Friedberg* animadvertit, can. 4 concilii Toletani IV est.

[4] *Friedberg* I 102.

[5] *Mansi* II 625. 630.

[6] Cfr. Comm. in II-II q. 88 a. 7 (in ed. Lugdunensi a. 1588, p. 305).

[7] S. th. II-II q. 88 a. 11, ubi etiam exemplum de calice consecrato.

[8] C. 6 X de statu mon. III 35, *Friedberg* II 600.

hic non sit religiosus, et sic, si dispensetur in voto continentiae, esset simul religiosus et
coniugatus, totaliter Deo mancipatus et mundo in parte serviens.
Quoniam vero invenitur summum pontificem | dispensasse cum religiosis in voto 133r
continentiae, concedendo, ut contraherent matrimonium, ut patet ex Petro de Palude
in IV. Sent. de rege Aragonum [1], et de Constantia, filia Rogerii regis [2], quae cum esset sancti-
monialis Panormi et quinquagenaria, nupsit Henrico VI, ex quo Fredericum II genuit,
multi doctores tenent contrarium secundae conclusionis, et inter alios Thomas Caieta-
nus in quodlibetis [3], ubi nimis audacter a quibusdam oppositum esse decretum ait; in com-
mentariis etiam secundae partis S. Thomae inquit [4], S. Thomam eo loco non suam attulisse
sententiam, sed opinionem, quia recitatis et confutatis aliorum opinionibus dicit: *Ideo aliter
videtur dicendum* etc.; secundo, quia non vidit summum pontificem declarasse decretalem,
in qua suam fundavit opinionem, quod si vidisset, non eius fuisset opinionis, quia ad legis-
latorem pertinet legem interpretari, de qua interpretatione postea dicemus; propterea oppo-
situm conclusionis ipse tenet et ad rationes B. Thomae simul ac decretalem respondet.
Prima ratio solvitur, quia illa connexio continentiae cum professione regulari
facit, ut non possit quis simul esse regularis et coniugatus, in quo pontifex non potest dis-|
pensare; neque enim illa duo potest separare, custodiam castitatis a professione regulari, 133v
cum quo tamen stat, quod possit separare ab eo, cum quo dispensat, professionem regula-
rem cum omnibus sibi annexis, et hoc dicunt, qui docent, quod papa potest dispensare in
voto continentiae cum religioso faciendo de monacho non monachum. Est ad hoc exem-
plum accomodatum: Disgregare visum est ita annexum albo, ut non possit ab eo separari,
cum quo tamen stat, quod esse album cum omnibus suis proprietatibus separari possit a
subiecto albo, et ideo decretalis illa Innocentii [5] intelligenda est, quod papa contra custo-
diam castitatis annexam regulae monachali non potest licentiam indulgere, separando scil.
custodiam a regula monachali seu stante monachali statu, ut quis sit monachus et non
teneatur ad castitatem, sicut potest dispensare cum clerico saeculari, ut simul sit clericus et
maritus, quia continentiae votum non est essentialiter connexum sacro ordini, ut dictum est.
Hic sensus consonat autori decretalis. Innocentius enim III successit immediate Celestino,
qui cum Constantia, de qua supra dictum est, dispensaverat, nec poterat haec dispensatio
ipsum latere facta in fa|cie totius orbis ab eo, a quo creatus fuerat cardinalis, in muliere 134r
quinquagenaria et imperatrice eo magis, quod matrimonium illud Romae fuerat consum-
matum. Nec est verisimile, quod voluerit damnare factum sui praedecessoris verbis illis,
quae hoc non sonant.
Alia ratio solvitur per hoc, quod, licet quae benedictione consecrantur, ne-
queant passim in alios usus transferri, possunt tamen in alios usus transferri in articulo
necessitatis, ut Dominus noster exposuit [6] de panibus propositionis translatis in usum Davi-
dis et suorum propter articulum necessitatis. Sic etiam, qui benedictione consecratus
est, ut sit religiosus absolute, non potest transferri ad usum matrimonii, quia repugnat
matrimonium statui regulari, potest tamen autoritate ecclesiae in usum matrimonii transferri
in articulo communis necessitatis. Hanc solutionem Durandus attulit, quam secutus est
Caietanus [7] in suis quo[d]libetis, qui tamen in IIa IIae propter id, quod legitur de S. Mat-
thaeo, quod voluit potius mortem eligere quam cum Iphigenia virgine consecrata dispensare,
ut regi nuberet promittenti conversionem dimidii regni ad fidem, aliam excogitavit solu-
tionem [8], quam non est nunc opus recitare. |

[1] Quod exemplum etiam Caietanus in tractatu supra allegato (p. 118 adn. 2) affert. Opuscula omnia, tom. I p. 122.

[2] Constantia nec unquam monialis erat, ut Thomas Papiensis, Ptolemaeus Lucchensis, Villanus aliique scriptores (etiam *Dante*, Paradiso III 113 sqq.) narrant, nec quinquagenaria erat, cum Henrico VI nuberet, sed post mortem patris a. 1154 nata a monialibus educabatur tandemque a. 1185 magni imperatoris magno filio uxor tradita est. Cfr. pro aliis *E. Kantorowicz*, Kaiser Friedrich der Zweite I (Berlin 1927) 10 sq.; II (Berlin 1931) 10.

[3] Caietanus in tractatu supra allegato tenet, *quod* quidem *votum religionis per se dirimit matrimonium contractum*, sed *potest ecclesia dispensare in utroque voto sc. religionis et ordinis pro aliqua maxima necessitate.* Quoad votum in receptione ordinis sacri emissum *summus pontifex... salva conscientia potest dispensare cum sacerdote occidentali, quod contrahit etiam cessante causa publicae utilitatis.* L. c. p. 122.

[4] Sc. q. 88 a. 11, unde Seripandus sumpsit, quae sequuntur. Cfr. editionem Lugdunensem a. 1588, p. 310 sq.

[5] Cfr. supra p. 118 adn. 8.

[6] *Marc.* 2, 25 sq.

[7] Caietanus l. c. p. 122 ait: *Et ad illam quidem de consecratione potest cum aliis dici, quod semel sanctificatum Deo, non potest in alios usus passim converti, sed bene in magnae necessitatis periculo.* Non fit hoc loco mentio de Durando a St. Porciano.

[8] Vide supra adn. 4. Quantum ad legendam S. Matthaei Caietanus addit l. c.: *obstaret, si verum esse constaret.*

134v In hac conclusione convenit Ricardus[1] in IV. Sent. dist. XXXVIII art. 9 q. 1, Augustinus Anchonitanus et Ioannes Baco in IV. [Sent.] dist. III q. 5 art. 4, et ut colligitur ex Capreolo tenente oppositum, conveniunt etiam Scotus, Durandus, Aureolus, Petrus de Palude, Godofredus et Henricus[2], quorum adducit argumenta et solvere nititur. Bonaventura in IV.[3] non audet hanc quaestionem determinare, sed recitatis opinionibus et solutis omnium rationibus indecisam reliquit.

Et quamvis sit haec doctorum, quos recitavi, sententia, tamen in casu praesenti, ubi, qui quaerunt dispensationem, iam contraxere matrimonia spreta auctoritate et adhaerendo opinionibus haereticorum, non debere cum eis dispensari, nisi solemniter prius abiurata haeresi et cognito, quod ex hac dispensatione vel tota illa natio vel saltem maior pars reditura esset ad gremium et pacem ecclesiae. Haec enim esset optima causa dispensationis et longe melior quam pax regnorum, cuius ratione facta quandoque est talis dispensatio. Quia etiam isti specialium votorum doctrinam ecclesiasticam ludibrio habuere et forte contra eam libellos edidere, putarem non esse cum eis absolute dispensandum, sed commutandum esse eorum continentiae votum in
135r aliud bonum, quod est | melius continentia, etsi non quoad bonum privatum, quia forte inveniri non posset, saltem quoad bonum commune, ut scilicet mutaretur in eis materia voti manente vinculo, puta, quod tenerentur ex voti vinculo procurari suis omnibus viribus resipiscentiam aliorum suae nationis, ut scil. redirent ad pacem ecclesiae relictis mendaciis et doctrinis, quibus seducti fuere. Quod eis concedat ex ineffabili misericordia Dominus noster Iesus Christus, qui vivit et regnat etc.

[1] Sc. de Mediavilla, O. F. M. † post a. 1300.

[2] Godofredus de Fontibus (Fontaines prope Leodium), † post a. 1306, et Henricus de Gandavo († 1293), theologi praecipui ex clero saeculari sui temporis.

[3] *Bonaventura*, In IV. Sent. dist. 38 a. 2 q. 3 (Opera omnia [ed. Quaracchi] IV 823 sq.) ait summum pontificem non posse votum relaxare, sed tantum declarare; utrum autem votum continentiae ullo alio bono recompensari possit, se nescire fatetur.

III.

Tractatus ad sessiones sub Iulio III spectantes.

25.

[De vera Christi in eucharistia praesentia] [1].

[Mense Sept. 1551].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat.* 6209 f. 140^r-160^r, cop. coaeva.

Christum vere et realiter in ss. eucharistia praesentem esse probat auctor I. ex sacra scriptura et II. testimoniis patrum; deinde III. refutat adversariorum obiectiones.

I.

In sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus, sanguinem et divinitatem D. N. Iesu Christi [2] pluribus probari et doceri potest: *Vat. lat.* 6209 f. 140^r

Primo, quoniam Christus Iesus Deus est *veritas et vita* [3]. Si veritas, quomodo mentiri potuit? Si Deus, cur ei non credendum, cum dixit [4]: *Hoc est corpus meum*? Erat igitur, quod porrigebat, corpus suum. Et si dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* [5]; *hoc quotiescumque feceritis* etc. [6], nonne credendum et apostolos fecisse et sacerdotes eadem verba proferendo conficere verum corpus et verum ipsius sanguinem? Nec mirum eisdem verbis id facere

[1] *Auctor* huius tractatus ignoratur, nec iuvant multum ad explorandum eius nomen verba, quibus ipse infra p. 125 utitur: *hoc dissolvimus, cum de ecclesia disseruimus*. Cogitari posset de Ioh. Ant. *Delphino* ex ordine Minorum theologo, qui paulo post (an. 1552) Venetiis tres libros de ecclesia prelo dari iussit. Sed frustra ibi locum investigavi, qui argumentum illud adversariorum de « testibus veritatis », ut postea vocabant, refutaret. Deest quoque Delphinus inter theologos Minorum, qui mense Septembri 1551 Tridenti de articulis eucharistiae disputabant (*Theiner*, Acta genuina I 501). Econtra ex eiusdem Delphini libro de ecclesia (fol. 242^v, cfr. *Lauchert*, Die italien. literar. Gegner Luthers 509 adn. 3) constat ipsum revera *librum de sacramento eucharistiae* scripsisse, de quo, utrum idem cum nostro tractatu sit necne, nil certi affirmare queamus. — Eodem anno 1551 duo Gallicae nationis theologi libros de eucharistia ediderunt, sc. *I. Tavernerius*, De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia (Parisiis 1551) et *P. Doré* [Auratus] ex ordine Praedicatorum, Anticalvin, contenant deux défenses catholiques de la vérité du sacrement (Parisiis 1551). De quibus et aliis multis scriptoribus catholicis, qui de ss. eucharistiae sacramento libros ediderunt, cfr. *P. Polman*, L'Elément historique dans la controverse religieuse du XVIe siècle (Gembloux 1932) 441-464. Anno sequenti (1552) *Paulinus Bernardinus* O. Pr. in opere suo Concordia ecclesiastica (Florentiae 1552) fusius de eucharistia contra Oecolampadium disputavit, cfr. *Lauchert*, Die italienischen literar. Gegner Luthers 565.

[2] Inter 10 haereticorum articulos, qui 3. Febr. 1547 et — paucis mutati — 2. Sept. 1551 theologis refutandi exhibiti sunt (*Conc. Trid.* V 869 sq.; *Theiner* I 488 sq.), primus erat: *In eucharistia non esse revera corpus et sanguinem neque divinitatem D. N. Iesu Christi, sed tantum ut in signo. Hic error est Zvinglii, Oecolampadii et Sacramentariorum*; secundus: *Exhiberi in eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem, non sacramentaliter. Articulus iste est supradictorum haereticorum, praesertim Oecolampadii in libello, quem fecit de sacramento eucharistiae cap. XIV et in multis aliis locis. Cum non negent Christum esse revera in eucharistia, asserunt non posse manducari nisi per fidem: sacramentaliter autem sumi tantum buccellam panis.*

Quibus de libris sumpserint patres articulos praedictos, non apparet. Neque videntur novisse, quae Caietanus cardinalis anno 1525 egregia sua sagacitate contra Zwinglium scripsit (Opuscula omnia [Venetiis 1588] II 142-146), nec alios nationis Italicae scriptores in hac materia, quorum *Lauchert* l. c. 352 sq. (Pantusa) 427 (Verratus) 441 sq. (Hier. Monopolitanus) meminit.

Zwinglius quoad eucharistiam primo cum Erasmo sensit, deinde (ab a. 1524) epistolam Honii Batavi secutus (Dr. Martin Luthers Briefwechsel ed. *Enders* III 412-425) verba Christi: *Hoc est corpus meum* figurative interpretatus est, praesertim in libris De vera et falsa religione (1525) c. 18, *Corp. Ref.* XC 773-882; Subsidium sive coronis de eucharistia (1525), *Corp. Ref.* XCI 458-504; Eine klare Unterrichtung vom Nachtmahl Christi (1526), *ibid.* 789-862, necnon in diversis libellis, quos contra Lutherum scripsit, de quibus omnibus egregie *W. Köhler*, Zwingli und Luther I (Leipzig 1924) 91 sqq. 301 sqq. 462 sqq.

Oecolampadii opus praestantissimum De genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum iuxta vetustissimos authores expositione liber (Basileae 1525) multa affert patrum testimonia, quae Zwinglii interpretationi favere videntur, ex. gr. ex Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, Augustino, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, acerbissimeque insectat in Sententiarum Magistrum et Gratianum. De hoc libello cfr. *Köhler* l. c. 117 sqq.; *Polman* l. c. 54 sqq.

[3] *Io.* 14, 6.

[4] *Marc.* 14, 22 et parall.

[5] *Luc.* 22, 19; 1 *Cor.* 11, 24.

[6] Miss. Romanum in canone hanc formam habet: *Haec quotiescumque feceritis* etc.

sacerdotes, quod ipse fecit, cum vox illa Dei, qua dixit [1]: *Crescite et multiplicamini et replete terram* (ut scite dixit Chrysostomus) [2] semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum operante ad generationem natura, sic et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernum diem et usque ad eius adventum praestat sacrificio veritatem.

Nec admittendum Christum Dominum per tropum et figurative locutum [3] exemplo
140v eius, quod dixit *Io.* 15, [1]: *Ego sum vitis*, et | eius, quod dixit Apostolus [4]: *Petra autem erat Christus*, quoniam ex his, quae subsequuntur locis illis, constat tropum esse. Cum enim Dominus dixit: *Ego sum vitis*, subiecit: *et vos palmites*, et ex post: *sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso* etc. Verbum autem *sicut* similitudinem designat et tropum. Apostolus autem subiecit [5]: *Haec autem in figura dicta sunt.* At casu nostro nihil additum, quod figuram denotet, quin potius Dominus *Io.* 6, [52] de eodem sacramento locutus, postquam dixerat: *Panis meus, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;* [*ibid.* 6, 54] *nisi manducaveritis carnem filii hominis* etc., subiecit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quae verba omnem excludunt tropum, nec illam admittunt interpretationem, qua dicunt: *Hoc est corpus meum*, scil. hoc significat corpus meum, nisi dixerit: *Qui manducat meam carnem*, scil. figuram meae carnis, quem sensum excludit littera ipsa et illi vim affert haec interpretatio. Quoniam si vere, quomodo figurative, significative aut per quandam imaginem? Nec enim imagines et figurae vere illa dici possunt, quorum sunt imagines aut figurae. Quod si Dominus per tropum *Matth.* 4, [4] dixit hominem vivere *de omni verbo, quod procedit de ore Dei*, non tamen dixit omne verbum, quod exit de ore Dei, vere esse cibum. |

141r Secundo: Si Dominus figurative sive per tropum loqui voluisset, cum dixit: *Hoc est corpus meum*, hoc est: figurat corpus meum, id convenientius dixisset de agno paschali, cum in cena illum comedit cum discipulis suis, is enim figura erat immolationis suae in cruce.

Tertio: Quomodo quis indigne manducaret *non diiudicans corpus Domini* [6], si tantum in signo sumeretur? Tantine esset figuram sumere, ut dici deberet [7]: *Qui sumit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*, idest reatum damnationis aeternae? Cur non idem interminatus est in esu agni paschalis? Cur Achimelech, etsi panes propositionis non dederit David et sociis eius, nisi postquam rescivit eos mundos a mulieribus [8], nihil tamen huiusmodi comminatus est, si immundi fuissent, cum tamen panis ille figura foret huius sanctissimi sacramenti?

Quarto: Cum Dominus dixit [9]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* etc., per tropum locutus fuisset, et discipuli comesturi, si crederent signum carnis suae, non scandalizati fuissent, non dixissent: *Durus est hic sermo*, non murmurassent, non retro abiissent, quin etiam discipulis, qui non abierunt, et Petro, qui dixit: *Quo ibimus? Verba vitae aeternae habes*,
141v aperuisset parabolam et figuram, | quemadmodum discipulis, qui seorsum interrogaverant de eo, qui exierat seminare, aperuit parabolam *Matth.* 13, [18 sqq.]

Quinto: [Non] oblatio panis et vini facta per Melchisedech Abrahae revertenti a caede quattuor regum [10], non panes propositionis, non subcinericius panis positus ab angelo ad caput Heliae [11] fuissent figura huius sanctissimi sacramenti, si in eo ut in signo fuisset corpus D. N. Iesu Christi, aut fuissent figura figurae, imo sui ipsius figura: panis scil. figura panis. Non evanuissent igitur figurae veteris legis, non sacrificia, nobis omnia in figura contingerent, quemadmodum patribus nostris.

Sexto: Confutatur eadem assertio ea ratione, qua usus est Ephesinum concilium [12] contra Nestorium ponentem duas personas in D. N. Iesu Christo, quod scil., si alia esset persona hominis, alia persona Dei, non esset caro eius vivificatrix, non panis vitae dans vitam aeternam, quod carni coniuncta non foret divinitas. Sic, si panis ille solum in signo esset caro Christi, non esset panis vitae, non daret nobis carnem vivificatricem, sed illius signum,

[1] *Gen.* 1, 22.
[2] *Chrysostomus*, In Gen. hom. 7 n. 5, *Migne gr.* 53, 66.
[3] Cfr. *Zwinglii* Subsidium, *Corp. Ref.* XCI 472 sqq.; *Oecolampadii* De genuina verborum Domini ... expositione fol. 16 sqq.
[4] *1 Cor.* 10, 4. De hoc s. scripturae loco et similibus cfr. *Ioh. Fisher*, De veritate corporis et sanguinis Christi in eucharistia ll. V adv. Ioh. Oecolampadium (Coloniae 1527) l. II c. 1-10; usi sunt eodem loco illi haeretici, quos *Petrus Lombardus*, Sent. IV dist. 10 c. 1. (ed. Quaracchi 796) impugnat.
[5] *1 Cor.* 10, 6.
[6] *1 Cor.* 11, 29.
[7] Ibid., Vulgata: *Qui enim manducat et bibit indigne* etc.
[8] *1 Reg.* 21, 4 sqq.
[9] *Io.* 6, 54 sqq.
[10] *Gen.* 14, 18 sqq.
[11] *3 Reg.* 19, 6.
[12] Cfr. epistolam Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, *Mansi* IV 1075; cfr. Gratianum c. *Necessarie* de consecr. D. 2 (*Friedberg* I 1346); *Conc. Trid.* V 938. E contra vide, quae *Zwinglius* de duabus naturis scripserit, *Corp. Ref.* XCI 827 sqq., et *Oecolampadius*, De genuina... expositione fol. 56r.

cum tamen sanctum illud concilium pro constanti ponat in eo sacramento dari carnem Domini vivificatricem et ideo coniunctam divinitati nec propterea aliam personam | hominis, aliam 142r
personam Dei in D. N. Iesu Christo.

S e p t i m o: Si Christus Iesus pollicitus est se nobiscum futurum *usque ad consummationem saeculi*[1], se missurum Spiritum Sanctum, qui doceret nos omnem veritatem[2], si insuper portas inferi non praevalituras adversus ecclesiam suam[3], quomodo promissa implesset, si permisisset nos idolatras fore, adorare creaturam pro creatore, adorare signum pro veritate? At dices: Ecclesia penes paucos fuit, sicut in Abel, in Noe et octo illis, qui fuerunt in archa; semper fuerunt, quibus haec veritas revelata fuit. At hoc dissolvimus, cum de ecclesia disseruimus[4].

O c t a v o: Si ex figuris et mysticis locutionibus licet argumentum sumere, habemus manna caelitus populo Israelitico demissum *Exod.* 16, [15 sqq.], panes propositionis *Levit.* 21, [8] et subcinericium panem ad caput dormientis Heliae ab angelo positum, in cuius fortitudine ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb[5]. Ex mysticis locutionibus habemus illud *Iob* 30, [31]: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, ut saturaremur?*; *Ps.* 22, [5]: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, et calix meus inebrians quam praeclarus est*; *Ps.* 77, [24]: *Et pluit illis manna* | *ad manducandum, panem caeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo*; *Ps.* 80, 142v
[17]: *Cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos*; *Ps.* 103, [14 sqq.]: *Ut educas panem de terra et vinum laetificet cor hominis*; *Ps.* 110, [5]: *Escam dedit timentibus se*; *Prov.* 9, [5]: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis*; *Sap.* 16, [20]: *Angelorum esca nutriri iussisti*[a] *populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti illi sine labore, omne delectamentum in se habentem.* Quae loca sacri expositores Augustinus, Hieronymus, Cassiodorus, Lyranus et alii recentiores figurative interpretati sunt[6] de hoc sanctissimo eucharistiae sacramento, nec figurae illae et mysticae illarum interpretationes commode tribui possunt figurae duntaxat corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi.

N o n o: Salvator *Io.* 6, [32] dixit: *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de coelo verum*[7]; *panis enim verus est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo,* ex his aperte distinguens panem illum spiritualem, qui in sacramento eucharistiae datur, a manna Israelitico tamquam panem verum a figurato et tamquam veritatem a sua figura. Non ergo | erit 143r
panis iste figura, sed veritas.

D e c i m o: Si panis ille solum figura foret et signum, quomodo verum esset, quod de eo dicitur eodem capite *Io.* 6, [48 sqq.]: *Ego sum panis vitae, patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt; hic est panis, qui de coelo descendit, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur*; et quod ex post subdit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

U n d e c i m o: Idem deducitur ex hoc A p o s t o l i *1 Cor.* 16, [16 sqq.], cum dicitur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Quae ad figuram corporis et sanguinis aptari minime possunt aut commemorationem.

D u o d e c i m o: Hoc idem comprobatur ex loco A p o s t o l i *1 Cor.* 11, [26], cum dicit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,* per panem et calicem sanctam eucharistiam intelligens. |

II

Si t e s t i m o n i a quaerimus, habemus C l e m e n t e m sive primus, sive quartus fuerit 143v
Petri successor in epistola ad Iacobum fratrem Domini[b], cum praecipit[8], ne clerici, qui residua corporis Dominici, quae in sacrario relicta sunt, edunt, prorsus ad communes cibos accipiendos conveniant.

D i o n y s i u s tertia parte tertii capitis[c] [9] [libri de eccles. hierarchia] preces ad ipsum sacramentum dirigit his verbis: *O divinum penitus sanctumque mysterium obducta tibi significantium*

[a] *Vulgata.* nutrivisti [b] *In marg. add.* liber apocriphus est [c] *Lacuna in cod.*

[1] *Matth.* 18, 20.
[2] Cfr. *Io.* 16, 13.
[3] Cfr. *Matth.* 16, 18.
[4] Cfr. supra p. 123, adn. 1.
[5] *3 Reg.* 19, 6.
[6] Sed nec omnia nec ab omnibus in hunc modum haec loca sunt enarrata: ex. gr. *Augustinus Ps.* 22, 5 et *Ps.* 77, 24 minime de eucharistia interpretatur (*Migne* 36, 182. 995); item *Lyranus* in *Ps.* 77, 24 et *Ps.* 103, 14 sqq. Cfr. etiam, quae *Köhler*, Zwingli u. Luther I 355 sqq. de commentariis Doctoris Pomerani (Bugenhagen) in Psalmos scripsit.
[7] Vulgata hic addit: *sed Pater meus dat vobis panem de coelo.*
[8] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 47.
[9] *Migne gr.* 3, 427 C.

operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque aperte lucesce nostrosque spirituales oculos singulari et aperto tuae lucis fulgore adimple. Et paulo post affirmat [1]: *Et per imposita sacro altari venerabilia signa Christus et signatur et sumitur*; nec ex eo quod dicitur *signatur* colligi debet, quod in signo solum adsit, sed *signatur*, quia sub velamine specierum latet, vere enim adest et sub velamine et in mysterio.

Ignatius epistula ad Romanos [c. 7] inquit [2]: *Panem Dei volo...* [usque ad verba *vita aeterna*].

144r Ireneus libro V adversus haereses ita disserit [3]: *Quando ergo* | *et mutuo calix et fractus panis percepit verbum Dei...* [usque ad verba *de pane, qui est corpus eius, augetur*].

Tertullianus libro de resurrectione carnis [c. 8] inquit [4]: *Videamus nunc de propria etiam christiani hominis forma...* [usque ad verba *anima a Deo saginetur*].

144v Origenes homilia 7 in lib. Numeri sic dicit [5]: *Moses priusquam* | *acciperet Aethiopissam...* [usque ad verba *caro mea vere est cibus et sanguis*]. |

145r Cyprianus epistula 3 lib. 2 ad Cecilium sic inquit [6]: *Ut ergo in Genesi per Melchisedech...* [paucis omissis usque ad verba *quem credentibus propinaret*].

Idem libro primo adversus Iudaeos ostendit [7] eos panem et calicem Christi et omnem gratiam eius amissuros, nos vero gratiam istam accepturos super quo praeter alia citat *Io.* c. 6, [35]: *Ego sum panis vitae, qui venit ad me, non esuriet*, et [6, 53]: *Nisi ederitis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ex *Esaia* quoque c. 65, [13]: *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis; ecce qui serviunt mihi, bibent, vos autem sitietis.* Quae omnia spectant ad esum carnis et potum sanguinis in eucharistia.

Hilarius libro VI de Trinitate quaestionem hanc proponit [8]: *Utrumne per naturae veri-*
145v *tatem hodie Christus in nobis sit* | *an per concordiam voluntatis.* Cui quaestioni respondet in hunc modum: *Si enim vere verbum caro factum est...* [usque ad finem c. 13].

Idem Ps. 63 inquit [9]: *Habemus etiam cibum praeparatum...* [usque ad verba *tamen in*
146r *posterum praeparamur* | in fine sectionis n. 14].

Basilius in ea regula, quam suis monachis dedit eos instruens, quali timore, fide vel affectu percipere deberent corporis et sanguinis gratiam, inquit [10]: *Timorem quidem docet nos apostolus...* [usque ad finem regulae 172].

Ambrosius tria tempora distinguit [11]: unum legis, alterum gratiae, tertium gloriae. Sub legis tempore dicit fuisse meras umbras; sub tempore gratiae non solas umbras, sed res velatas et modo quodam imagines, sub tempore gloriae res absque velo conspicis, hoc est nudas ipsas veritates. Propter quod et primo libro de officiis c. 48 dicit [12]: *Hic umbra, hic imago, illic veritas...* [usque ad finem cap. 48].

Idem in expositione Ps. 110, serm. 8, postquam recensuit Hebraeos per esum agni
147r paschalis factos fuisse liberos, sermonem | ad celebrationem oblationis nostrae perducens ita monet et hortatur unumquemque [13]: *Tunc*, inquit, *paratus assiste...* [usque ad verba *per Christum, fugiet ac recedet*].

147v Ioannes Damascenus, lib. IV de orthodoxa fide cap. 14 haec scripsit de veritate corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi in eucharistia [14]: *Corpus enim secundum veritatem coniunctum est divinitati...* [usque ad verba *non figura sanguinis, sed sanguis*].

Theophilus Alexandrinus in evangelio Marci enarrans verba cenae Dominicae sic ait [15]: *Benedicens fregit i. gratias agens fregit* [usque ad verba *converti corpus et sanguinem*].

[1] *Migne gr.* 3, 438 C.

[2] *Migne gr.* 5, 815 A. Auctor forma illa epistolae ad Romanos, quae dicitur interpolata, utitur. Patres apostolici ed. *F. X. Funk* II 211. De loco integro eiusque sensu cfr. *Funk* l. c. I 261. – Brevitatis causa hic et in sequentibus textus integros adducere omisimus.

[3] *Irenaeus*, Adv. haereses l. V c. 2 n. 3, *Migne gr.* 7, 1125 sqq.

[4] *Migne* 2, 806 AB.

[5] *Migne gr.* 12, 613 (ex interpretatione Rufini).

[6] Nunc ep. 63 n. 4-7, *Migne* 4, 388 sqq.

[7] *Cyprianus*, Testimoniorum adv. Iudaeos l. I c. 22, *Migne* 4, 721.

[8] Immo l. VIII c. 13, *Migne* 10, 245 sq.

[9] Re vera est *Hilarii* tractatus in Ps. 64, [10] n. 14, *Migne* 9, 421.

[10] *Basilius*, Regulae brevius tractatae n. 172, *Migne gr.* 31, 1195.

[11] *Ambrosius*, De officiis l. I c. 48, *Migne* 16, 94. Cfr. etiam De excessu fratris l. II n. 109, *Migne* 16, 1347.

[12] L. c.

[13] *Ambrosius*, In Ps. 118 serm. 8 n. 48, *Migne* 15, 1314.

[14] *Iohannes Damascenus*, De fide orthodoxa l. IV, c. 13, *Migne gr.* 94, 1143-1150. Versio ab auctore adhibita differt a Billiana, quam Lequien et Migne denuo textui graeco addiderunt.

[15] Commentaria in ev. Marci Theophilo Alexandrino vel Antiocheno supposita adhibere mihi non licuit. Non sunt confundenda cum commentariis in quattuor evangelia Theophilo Ant. adscripta (*O. Bardenhewer*, Geschichte der altkirchl. Literatur I 312 sqq.) quorum textum vide apud *Otto*, Corpus apol. christ. VIII 278-324.

Ambrosius libro de sacramentis, et habetur de consecr. Dist. 2 c. [69] *Revera*, inquit[1]: *Si tantum valuit*... [usque ad finem c. 69]. 148r

Augustinus libro sententiarum Prosperi, et habetur in c. [41] *Nos autem* de consecr. Dist. 2, inquit[2]: *In specie panis et vini*... [usque ad finem c. 41]. 148v

Idem serm. quodam de veri[tate] evang., et habetur in c. [72] *Utrum* de consecr. Dist. 2, inquit[3]: *Sicut per Spiritum Sanctum* etc.

Hieronymus expressis verbis fatetur in commentariis epistulae ad Titum, quod inter panes propositionis, qui erant figura sacramenti huius, et corpus in hoc sacramento[a] quantum inter umbram et corpus, inter imaginem et veritatem, inter exemplar et id quod per exemplar figuratum fuit. Et ex post[4]: *Relegamus*, inquit, *Regum libros et inveniemus*... [usque ad verba *Christi corpus confectura sit libera*].

Chrysostomus homilia de proditione Christi sic scribit[5]: *Fuit quidem aliquando pascha Iudaicum* etc. 149r

Theophilactus in illud Io. c. 6 [v. 52]: *Panis quem ego dabo caro mea est* inquit[6]: *Manifeste autem nobis hoc loco de mystica sui corporis communione dicit.* [Sequuntur verba usque ad illa *alioquin affecti*[b] *sumus*] 149v

Cyrillus lib. 4 super Io. c. 15 inquit[7]: *Considerandum est non habitudine solum*... [usque ad finem sectionis]. 150v

Cassiodorus exponens illud *Ps.* [109, 5]: *Tu es sacerdos in aeternum* sic ait[8]: *Cui enim potest veraciter et evidenter aptari*... [usque ad verba *et vitae aeternae dona praestantur*]. 151r

Leo primus in epistola ad Constantinopolitanos ita scribit[9]: *In ecclesia Dei omnium ore tam consonum est*... [usque ad verba *caro nostra factus est transeamus*].

Eusebius Emisenus in sermone de corpore et sanguine Domini ait[10]: *Cum benedicendae verbis caelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrantur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi, corpus est et sanguis Christi.* 151v

Anselmus in lib. de mysteriis ecclesiae contra Berengarium sic scripsit[11]: *Christus dicit: Ego sum ostium* [usque ad verba *fit corpus Christi non significative tantum, sed substantive*].

Rabanus in libro de corpore et sanguine Christi inquit[12]: *Figura esse hoc sacramentum videtur* [usque ad verba *splendor gloriae et figura substantiae eius*]. 152r

Cyrillus super Io. c. 14 lib. 4 inquit[13]: *Audiant haec, qui ex arrogantia nondum Christi fidem suscipere volunt*... [usque ad finem sectionis]. 152v

Ambrosius in *Ps.* [118] *Beati immaculati* in persona populi nationum scribit[14]: *Ille ego despectus ante, iam praefero*... [et sequentia, locus nimis prolixus]. 154r

Augustinus quaestione 58 super Lev. quaerit[15]: *Cum Dominus dicit: Nisi manducaveritis*... [et sequentia usque ad verba *qui volunt habere vitam*].

Quo loco Augustinus asserit Christi sanguinem, non illius figuram sumi in alimentum.

III.

Sed quoniam non satis est, veritatem pluribus rationibus comprobasse et eam plurimorum testimoniis confirmasse, nisi adversariorum rationibus respondeamus, et istud laboris pro veritate magis elucidanda suscipiamus. 156r

[a] *Supple* est discrimen [b] *Migne* assueti

[1] *Friedberg* I 1340.

[2] *Friedberg* I 1328. Locus sumptus est ex *Lanfranco*, Contra Berengarium c. 13.

[3] *Friedberg* I 1348. Compositus est canon, ut *Friedberg* l. c. adnotat, ex diversis Paschasii Radberti locis. Verba auctoris nostri multis differunt.

[4] *Migne* 26, 568 sq.

[5] *Migne gr.* 49, 379 sq.

[6] *Migne gr.* 123, 1307.

[7] Videtur auctor alludere ad *Cyrilli* in Io. l. IV c. 2, *Migne gr.* 73, 582 sq., qui tamen locus multis a suprascripto differt.

[8] *Migne* 70, 797.

[9] *Leo* I, Ep. 59 c. 2, *Migne* 54, 868.

[10] Inveniuntur haec fere verba in hom. quinta de Pascha, quam inter alias homilias Eusebio Emeseno falso attributas (cfr. *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Literatur III 264) I. Gagnaeus anno 1547 primus edidit: D. Eusebii Emisseni ep. Homeliae (Parisiis 1589) fol. 47v. Alius Ps.-Eusebii Emeseni locus habetur c. 35 *Quia corpus* de consecr. D. 2, *Friedberg* I 1325 sq.

[11] Nec *Anselmus Cantuarensis* nec *Laudunensis* scripsit librum de mysteriis ecclesiae contra Berengarium. Etiam in prioris Ep. IV 107 (*Migne* 159, 255 sqq.) hac de re nihil.

[12] Haec verba in epistola *Rabani*, De corpore et sanguine Domini (*Migne* 112, 1510 sqq.) non inveniuntur, sed multa similia apud *Radbertum*, *Migne* 120, 1278.

[13] *Cyrillus*, In *Io.* l. IV c. 2, *Migne gr.* 73, 578 B-579 D.

[14] *Ambrosius*, In *Ps.* 118 serm. 18 n. 26 sqq., *Migne* 15, 1461 sqq.

[15] *Augustinus*, Quaestiones in Heptateuchum l. III q. 57, *Migne* 34,704.

Primo. Non obstat, quod *Io.* 6, [64] habetur: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quicquam* [1], et quod dixit Augustinus in expositione *Ps.* 4 et habetur in c. [44] *Prima quidem* de consecratione Dist. 2, cum dixit [2]: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificat vos, caro autem non prodest quicquam.* Quasi subsequatur: Spiritualiter intelligendum est, ergo non revera adest corpus et sanguis D. N. Iesu Christi.

Non obstat, inquam, cum ipsemet Augustinus aufert hanc dubitationem in epistola ad Ireneum, et habetur in c. [45] *Non hoc corpus* eadem Dist. [2 de consecr.], cum dixit [3]: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri sanguinem, quem effusuri sunt illi, qui me crucifigent; ipsum quidem et non ipsum: ipsum invisibiliter et non ipsum visibiliter. Unde*
156v *et subditur: Si necesse est illud celebrari visibiliter, necesse est | illud invisibiliter intelligi.* Sed et ipse Augustinus super Io. tract. 27 [n. 5] respondet, cum dixit [4]: *O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quicquam cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quicquam, et propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam aeternam, quam tu carne promittis? Quid est ergo: Non prodest quicquam?* [*Non prodest quicquam,*] *sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetetur. Proinde sic dictum est: Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est* [5]*: Scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est: Scientia inflat? Sola sine charitate. Ideo adiunxit: Charitas vero aedificat. Adde ergo scientiae charitatem, et utilis erit scientia non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quicquam, sed sola caro; accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et proderit plurimum.*

Aliam interpretationem dedit Chrysostomus in eum locum homilia [6]: *Sicut*
157r *Spiritus,* inquit, *in hoc loco pro spiritualibus | posuit, ita cum carnem dicit, non pro carnalibus, sed carnaliter audire eos significans, qui semper carnalia desiderabant, cum spiritualia desiderare oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet, nihil sane lucraretur. Quid igitur: Caro non prodest quicquam? Num de ipsa carne dicitur? Absit. Sed de his, qui carnaliter accipiunt, quae dicuntur. Quid autem est, carnaliter intelligere? Simpliciter, ut res dicuntur, neque aliud quippiam excogitare. Non enim ita iudicanda sunt, quae videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritualiter: Qui non manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso. Quomodo nihil prodest caro, sine qua nemo potest vivere?* Vide, quod ea particula *caro non prodest quicquam* non de ipsa carne, sed de carnali auditione dictum est.

Hinc patet, quod non est barbaries plus quam Scythica aut Diomedea [7], quam nobis obiiciunt adversarii, ipsam non hospitis, sed redemptoris carnem sumere, quod abhorrerunt discipuli illi et propterea retrocesserunt putantes, quod dilaniaturi forent carnem Domini velut in macello et dentibus contrituri. Non sic, inquam, sed invisibiliter sine illius con-
157v sumptione et divisione. | Propter quod dixit [8]: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem in coelum, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat,* quasi dicat: « Si consumptus, si dilaniatus fuissem, quemadmodum caro in macello, non videretis eum ascendentem in coelum ». Quod ergo subiecit: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam,* dixit, quoniam non sufficit corpus et sanguinem D. N. reipsa sumere, quod faciunt etiam indigne sumentes, sed opus est per fidem et charitatem illi uniri, effici membra eius et in eo manere.

Secundo obiiciunt illud Augustini contra Adamantium c. 12, cum dixit [9]: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* Cui respondemus illud dixisse Augustinum, quia *aliud videtur, aliud intelligitur,* quemadmodum ipsemet declaravit in sermone ad infantes [10].

Tertio obiiciunt illud Ambrosii in epistolam ad Corinthios, cum dixit [11]: *Ostendit mysterium eucharistiae inter cenandum celebratum, non cenam esse. Medicina enim spiritualis est, quae cum reverentia degustata purificat sibi devotum; memoriam enim redemptionis nostrae*

[1] Cfr. *Zwinglium,* De vera et falsa religione c. 18 1. V, *Corp. Ref.* XC 782 sqq.

[2] *Friedberg* I 1330. Caput *Prima quidem* collectum est ex variis Augustini locis.

[3] *Friedberg* I 1330 sq.

[4] *Migne* 35, 1617 (pluribus locis mutatus).

[5] *1 Cor.* 8, 1.

[6] Nunc est hom. 47, *Migne gr.* 59, 265.

[7] Equos Diomedis sacros homines devorasse antiqui referunt. Cfr. *Pauly-Wissowa,* Realencyclopädie V 815 sqq.

[8] *Io.* 6, 63 sq.

[9] *Augustinus,* Contra Adimantum Manichaei discipulum c. 12 n. 3, *Migne* 42, 144 (ut fere semper, non verbotenus).

[10] Serm. 272, *Migne* 38, 1247.

[11] *Ps.-Ambrosius,* In *1 Cor.* 11, 23 sqq., *Migne* 17, 242 sq.

ut redemptoris memores maiora ab eo consequi mereamur, ex eo | colligentes eucharistiam esse 158r solum memoriam redemptionis nostrae. Sed respondemus id non recte colligi, quin imo, quod non solum sit memoria, sed etiam medicina spiritualis virtutem habens purificandi sibi devotos, habens scil., quod quatenus editur, vere sit cibus et medicina spiritualis, quatenus non editur, sit memoria, non autem, quod solum sit medicina commemorativa.

Quarto obiiciunt eundem Ambrosium super illud: *Mortem Domini annuntiabitis*, cum dixit [1]: *Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei in edendo et potando* (hic punctum ponendo) *carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus*. Sed respondemus eos dolo omittere verbum *memores*. Verba enim Ambrosii sunt: *Huius rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus*, ut sit sensus: Dum illud Apostoli enarrat: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, quia scil. morte Domini liberati sumus, huius mortis memores, dum in eucharistia carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, edimus, designamus seu annuntiamus eandem Christi mortem [2]. Et quod ex post dicit: *Sed quid agitur in mysterio? In eius typum nos calicem mysticum percipimus* [3], 158v non excludit, quin sanguinem verum sumamus, sed tantum in figura, quoniam nihil prohibet eundem sanguinem in calice sub vini specie dici posse typum eiusdem sanguinis, qui in cruce effusus fuit, etsi idem sit utrobique sanguis, quemadmodum etiam oblatio ipsa mysterium nuncupatur.

Quinto obiiciunt Chrysostomum in Matthaeum, cum dixit [4]: *Sicut in vetere eodem hic modo in beneficio relinquit memoriam mysteriorum colligendo et hinc haereticorum ora frenando. Nam quando dicunt: Unde patet immolatum Christum fuisse, et alia multa mysteria, haec enim asserentes ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides, quantum ei studium fuerit, ut semper memoria teneamus pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quum Marcion, Valentinus, Manichaeus eorumque sequaces negaturi erant hanc dispensationem in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium, ut nemo non insanus seduci possit, ita per sacratissimam mensam istam, ut salvat et docet; hoc est enim caput bonorum omnium.* Respondemus non repugnare, quod mysteria sint, et nihilominus | etiam res verae, ut diximus, et quod simul cum mysterio adsit veritas, ostendunt verba eiusdem 159r Chrysostomi in cap. [10, 16] primae ad Corinthios iuxta traductionem Francisci Aretini [5], cum dixit super illo verbo: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*, maxime his sibi verbis et fidem facit et horrorem. Eorum autem huiusmodi est sententia [6]: *Quod est in calice, idipsum est, quod e latere fluxit, et illius sumus participes.*

Sexto obiiciunt Hieronymum in eundem locum, cum dixit [7]: *Postquam mysticum pascha fuerat (!) impletum et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum paschae transgreditur sacramentum, ut quomodo in praefiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos, vinum et panem proferens fecerat, ipse quoque veritatem corporis et sanguinis repraesentaret.* Respondemus, quod repraesentare dixit, quia sub speciebus panis et vini corporis [et] sanguinis veritatem repraesentavit.

Septimo obiiciunt, quod, cum suis circumscriptionibus corpora quaeque finiantur, impossibile videtur corpus D. N. Iesu Christi fore in diversis hostiis consecratis et sic in diversis locis. Sed respondemus cum Innocentio [8], quod, quemadmodum | Dei 159v filius secundum divinitatem habet triplicem essendi modum: primum in omnibus per essentiam, secundum in iustis per gratiam, tertium in homine Christo per unionem, ita corpus Christi localiter est in coelo, personaliter in verbo, sacramentaliter in altari. Est enim ibi verum Christi corpus, sed non localiter, cum ibi circumscriptive non sit neque diffinitive, sed per mutationem panis in ipsum,; propterea nihil is modus essendi corporis Christi in pluribus hostiis repugnat aut potentiae divinae aut philosophicae rationi aut essentiis corporum iuxta naturae suae veritatem. Nam quicquid natura prius est altero, non [a] oportet, ut illud

[a] *In marg. alia manu add.*

[1] *Ps.-Ambrosius*, In *1 Cor.* 11, 26, *Migne* 17, 243.

[2] Sed advertendum est, locum Ps.-Ambrosii continuare: [*significamus*] *novum testamentum in his consecuti, quod est nova lex, quae obedientem sibi tradidit coelestibus regnis.*

[3] Haec verborum forma l. c. non invenitur, nisi illa: *In cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis et animae nostrae percipimus.*

[4] *Chrysostomus*, In Matth. hom. 82 (alias 83) n. 1 sq., *Migne gr.* 58, 739. Versio Aretini ab autore adhibita saepius mendosa est.

[5] De Chrysostomi homiliis in latinum translatis a Fr. Aretino cfr. *Chr. Baur.*, S. Jean Chrysostome et ses œuvres dans l'histoire littéraire (Louvain 1907) 145 sqq.

[6] *Chrysostomus*, In ep. 1 ad Cor. hom. 24 n. 1, *Migne gr.* 61, 199.

[7] *Hieronymus*, Comm. in Matth. l. IV, cap. 26, 26 sqq., *Migne* 26, 195.

[8] Cfr. *Innocentii III* de sacro altaris mysterio l. IV c. 44, *Migne* 217, 886, ubi pontifex continuat: *totus sacramentaliter est in pluribus locis.*

absoluta necessitate multiplicetur. Quare cum locus posterior sit et accidens corpori, nihil repugnat, quin locis pluribus existentibus idem omnino corpus in eis locetur. Nam sicut per divinam potentiam duo corpora possunt esse in eodem loco, ut cum illaesa virginitate Iesus exiit de utero Virginis matris et clausis ianuis intravit ad discipulos, quid prohibetur, quominus et uni corpori duo loca communicentur, licet sive duo corpora locum unum obtineant, sive duo loca corpus unum, utrumque miraculo sit et iuxta rationem, qua sunt a Deo condita.

Ex his plane constat corporalem Christi in sacramento praesentiam non repugnare evangelio, actibus apostolorum, symbolis et ipso Augustino, ⟨quae omnia attestantur Christum ascendisse in coelum, sedere ad dexteram patris et non e sacramento aut aliunde quam de coelo venturum ad iudicium. Quomodo igitur, exclamant adversarii, in sacramento esse potest, praesertim cum Christus dixerit [1]: *Me autem non semper habetis*, et Petrus *Act.* 3, [21]: *Oportet illum coelum recipere usque ad tempora restitutionis omnium*⟩ [a].

26.

Rev.mi P. Magistri Christophori Patavini [2] ord. Erem. S. Augustini generalis vigilantissimi tractatus de sanctissimo eucharistiae sacramento, scilicet: An sub speciebus panis et vini vere et realiter sit Christi corpus.

[Mense Septembri 1551].

Romae Bibl. Angelica *Cod. 425* f. 1r-4r, cop. saec. xvi. Cfr. *H. Narducci*, Catalogus codicum manuscriptorum in bibliotheca Angelica I (Romae 1893) 201.

I. Quinque obiectiones ex s. scriptura desumptae contra realem D. N. I. Chr. in eucharistia praesentiam. II. Argumenta ex s. scriptura et patribus, praesertim ex Augustino, quae faciunt pro catholicorum doctrina. III. Obiectionum solutio.

Primo adducentur quorundam errores circa praesentem materiam; secundo veritas ipsa probabitur, quam catholica tenet ecclesia; tertio obiectis respondebitur haereticorum.

I

Cod. 425 f. 1r Quantum igitur ad primum, animadvertendum [est] circa hoc sacramentum multas ac varias fuisse haereses, cum circa consecrationis formam tum circa eiusdem materiam ac panis transsubstantiationem in Christi corpus, vini quoque in sanguinem eius. Sed omnium maxima fuit negantium verum Christi corpus sub speciebus sanctissimi huius sacramenti vere ac realiter contineri [3]. Ceteris igitur praetermissis haeresibus hanc unam nostris temporibus agitatam multoque antea damnatam plurimis sacrae scripturae locis ac etiam rationibus falsitatis impietatisque convincemus.

Primo igitur dicunt adversarii: Si Christi corpus vere sub sacramento ipso existeret, ex sacrae scripturae loco aliquo deduci ac veritas haec communiri possit, alioquin fideles ad hoc minime coarctandi essent; at nullibi, inquiunt, in scripturis hoc inveniri.
1v Quod si fortassis id Christi dictum, quod *Matth.* 26, [26] | scriptum legimus, obiicias, ubi de hoc sanctissimo sacramento verba faciens sic inquit: *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, mox ipsi respondent id Christi dictum nihil concludere. Non maiorem, inquiunt, vim dictum hoc habere videtur quam illud Pauli *prima ad Corinthios* 10,

[a] In cod. del.

[1] *Marc.* 14, 7.

[2] Christophori Patavini, ord. Erem. S. Augustini generalis ab anno 1551 usque ad mortem an. 1569 et in hoc munere successoris Hier. Seripandi, duos tractatus de iustificatione et de Christi baptismo et eius praecursoris Ioh. Bapt. videas *Conc. Trid.* XII 603-610; 760-763. De vita eius et scriptis cfr. *Ossinger*, Bibliotheca Augustiniana 670, quibus tamen addere nonnulla liceat. Quod ad vitam eius attinet, Christophorus Pat. Magister in theologia creatus est iam mense Iulio 1528 (Arch. ord. Reg. Dd. 15 f. 150v), non 1530, ut apud *Ossinger* l. c. legitur; 1539 regens studii Patavini (Reg. Dd. 18 f. 29v), 1542 Marchiae Tarvisinae provincialis (Reg. Dd. 19 f. 165), 1544 conventus Venetiani prior electus (Reg. Dd. 20 f. 168) 22. Febr. 1545 a Seripando generali Romam vocatus, ut procuratoris generalis munus obiret (Reg. Dd. 21 f. 50v), ibidem permansit usque ad capitulum generale Bononiense a. 1551 celebratum, in quo die 16. Maii magister generalis est electus (Analecta Augustiniana IX [1922] 373 sqq.). Quod ad scripta eius attinet, praeter Bibliothecae Angelicae codd. a *V. Schweitzer* in *Conc. Trid.* XII 603 nominatos varia eius inveniuntur etiam in eiusdem bibliothecae codd. 290 (Excerpta ex Innocentio III etc.), 894 (Tractatus de iustificatione = *Conc. Trid.* XII 603 sqq.), 1279 (De matrimonio), 119 et 762 (Litterae); 6 litterae ad Seripandum directae asservantur Neapoli in Bibl. Nat. cod. XIII AA 47. Expositio in ep. ad Galatas, de qua *Ossinger* l. c., invenitur Patavii in Bibl. Univers. cod. 831, divisa in 24 « lectiones » quas auctor a. 1544 legit, non 1540, ut *Ossinger* l. c. habet.

[3] i. e. Zwinglii, Oecolampadii et « sacramentariorum ». Cfr. supra n. 25 adn. 2.

[4]: *Petra autem erat Christus.* Modo certum est petram illam, cuius Paulus meminit, non vere Christum fuisse, sed illud tantummodo significasse ac illius figuram gessisse.

[Secunda ratio:] Similem quoque sensum verba Christi, quae dicunt: *Hoc est corpus meum*, habere affirmant, et eo magis, quia Augustinus contra Adimantum Manichaei discipulum cap. 12 hunc eundem sensum Christi verba prae se ferre affirmat. Ea, inquit [1], ratione vera est haec propositio: Anima est sanguis, quae habetur *Deut.* 12, [23], sicut haec Christi: *Hoc est corpus meum*, id est, figurate intelligenda asserit ibidem. Haec sunt verba eius: *Sicut*, inquit, *non dubitavit Christus dicere: Hoc est corpus meum*, id est: Hoc est figura corporis mei, ita quoque, cum scriptura dicat: Anima sanguis est, id est sanguinem significat [a]. Propterea si scriptura sanguinem comedere vetat, nec id ideo facit et mandat, quod vere sit anima sanguis, sed ob id solum, quod animam ipsam significet.

⟨Tertia ratio⟩ [b]: Multis quoque evangelii dictis et divi Pauli verum Christi corpus sub sacramento non esse probare contendunt. Verba illa Salvatoris nostri, quae *Io.* 6, [64] habentur, in medium afferunt, quibus errorem, in quem eius discipuli quorundam verborum eius occasione inciderant, ex eorum mentibus tollere cupiens seipsum iis ipsis verbis | exponit; inquit enim: *Verba quae loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, non enim hoc 2r corpus, quod videtis, manducaturi estis. Dicit etiam: *Caro non prodest quicquam; spiritus est, qui vivificat.* Quibus verbis adversarii moti Christi corpus sub sacramento esse negant, quasi Christum sub sacramento esse et verba eius tantum spiritualiter intelligenda fore simul stare nequeant, similiter carnem non prodesse, sed spiritum, et Christi carnem in sacramento ad salutem sumi impossibile [c] sit.

Quarta ratio: Praeterea inquiunt: Ubique Paulus ipse, ubi de hoc sacramento incidit sermo, panem et vinum appellat. *Quotiescumque, primae ad Corinthios* 11, [26] ait, *manducabitis panem hunc et calicem bibetis.*

Quinta ratio [2]: Item *prima ad Corinthios* 10, [16] ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio* etc. Et in *Actis apostolorum* 2, [42] dicitur: *Quotidie communicabant in fractione panis.*

Multis quoque aliis scripturae locis, quae omnia tamen loca, dum suum errorem munire contendunt, extorquent, panem et vinum tantum Christi corpus et sanguinem significare volunt, non autem ibi esse credunt.

II.

At iis omnibus non obstantibus veritas ipsa, quam universalis et veritatis magistra tenet et credidit ecclesia, inconcussa et firma manet, neque novus hic error in ecclesia ipsa apparuit, sed olim saepe damnatus nostris quoque temporibus ad multorum credentium exercendam fidem revixit. Item nisi Christi corpus sub hoc salutari sacramento vere existeret ac contineretur, non tam acriter Paulus in | Corinthios [illud] tractantes ac id inreverenter 2v sumentes inveheretur, eorum ipsorum errorem emendare ac corrigere cupiens [3]: *Qui manducat*, inquit, *et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini.* Ecce unde ostendit maxima cum devotione ac reverentia sacramentum hoc percipiendum eo, quod non communem cum ceteris cibum, corporis dumtaxat alimentum, sed animae refectionem, carnem Salvatoris, suscipiunt. *Ioannes* etiam 6, [56]: *Caro*, inquit, *mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Et ideo Gregorium huius fuisse mentis non dubium est, qui supra Christi verba ad hanc eandem confirmandam veritatem citat [4]. Ambrosius quoque de sacramentis lib. VI cap. 1 [5]: *Sicut*, inquit, *verus est Dei filius D. N. Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris, ita vera [est] caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus est potus.* Et nulli dubium Beatum Ambrosium, si quis eum locum attente ac diligenter legat, veram carnem et verum Christi sanguinem sub sacramento veraciter contineri perspicuum fiet [d]. Et Cyprianus expresse in Dominicae orationis expositione super illud *panem nostrum quotidianum* Christum hunc panem [esse] exponit. *Hunc*, inquit [6], *panem quotidie dari nobis postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes et non*

[a] *Suppleas* in figura locuta est [b] *in marg.* [c] *cod.* incompossibile [d] *Legas* facere

[1] Haec sunt verba Augustini (*Migne* 42, 144): *Nam ex eo, quod scriptum est, sanguinem pecoris animam eius esse; ... possum etiam interpretari praeceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus dubitavit dicere: Hoc corpus meum, cum signum daret corporis sui.*

[2] Ex. gr. *Zwinglius*, De vera et falsa religione, *Corp. Ref.* XC 801 sqq.; Subsidium, *Corp. Ref.* XCI 467 sq.

[3] *1 Cor.* 11, 29.

[4] Gregorius Magnus in multis locis, quibus de ss. eucharistiae sacramento tractat, nunquam verba Christi *Io.* 6, 56 allegat.

[5] *Migne* 16, 453. [6] *Migne* 4, 553.

3r *communicantes a coelesti pane | prohibemur, a Christi corpore separemur.* Beatus A u g u s t i n u s lib. III de trinitate cap. 4 sic ait [1]: *Paulus*, inquit, *significare praedicando D. N. Iesum Christum aliter per linguam suam, aliter per epistolam potuit, aliter per sacramentum corporis et sanguinis eius. Nec linguam quippe eius nec membranas nec atramentum nec significantes sonos linguae eius nec signa literarum conscripta pelliculis corpus Christi et sanguinem dicemus, sed illud tantum, quod ex fructibus terrae accipimus et prece mistica consecratum rite suminus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicae passionis, quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter spiritu Dei.* Haec illa lux doctorum Augustinus. Ex cuius verbis evidenter concluditur non in sacramento corpus Christi uti in signo tantummodo, sed etiam veraciter contineri, alioquin nulla inter supradictos modos differentia notaretur, quia in verbis et membranis significative continetur tantummodo. Eodem quoque libro cap. 10 [2]: *Neque*, inquit, *norunt infantes, quod in altari ponitur et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur, nisi*, inquit, *cum offertur et datur dicaturque illis auctoritate gravissima, cuius corpus et sanguis sit, nihil aliud credent* 3v *nisi in illa specie oculis apparuisse mortalium et de latere tali percusso liquorem | illum omnino fluxisse.* Si consideraret quispiam, qualenam Augustini propositum fuerit, ibi vere Christi corpus esse facile intelliget; ob id enim de hoc sacramento ipsius doctoris incidit sermo, ut quod ibi dixerat, ex his, quae in hoc sacramento contingunt, confirmaret. Ostendit enim, quod uti hic, quanam ratione existat, ignoramus ac fere imperscrutabile sit, id tamen firma fide tenemus ac veneremur, ita multa a Deo fieri nos credere convenit vel per seipsum seu per angelos, cuius facti rationem reddere minime valemus. At si uti in signo sub sacramento tantummodo esset, quonam modo ac ratione existeret, nemini ambiguum foret. Primum est insuper et salutare ac saluti nostrae necessarium, etiam quod nullis divinarum litterarum auctoritatibus hoc muniri posset, antiquam et veterem ecclesiae consuetudinem sequi. Quam ecclesiae consuetudinem *prima ad Corinthios* 11, [16] commendat A p o s t o l u s: *Si quis*, ait, *vult contentiosus esse*, ut omnium velit habere aut rationem seu minus scripturae auctoritatem, ut exponit H i e r o n y m u s [3], hinc obviat Paulus dicens: *Nos talem consuetudinem non habemus nec ecclesia Dei.* Unde expresse apparet, quod, ubi in scripturis non aliquid apertum quodque universalis tenet ecclesia communiri possit, soli ecclesiae consuetudini standum esse non ambigit Paulus, sed praecipit. Quod idem contra epistolam Fundamenti confirmat A u g u s t i n u s cap. 5, [6], qui ait [4]: *Evangelio [non crede-* 4r *rem], nisi ecclesiae me commoveret auctoritas.* Tandem contra | Donatistas lib. 2 cap. 7 [5]: *Quod*, inquit, *semper ecclesia servavit nec in conciliis patrum decretum invenitur, credendum est firmiter venisse ex traditione apostolica*, cuius [in] ecclesia maxima est auctoritas, quae etiam scripturas ipsas praecedit, uti videre licet. *Nec quisquam*, inquit C y p r i a n u s [6], *Deum in coelis patrem se habere existimet, qui non habuerit in terris ecclesiam matrem.* Haec est, quae nos in Christo generat, nutrit ac fovet, et qui illam spernit, spernit sponsum eius Christum. Nec insuper ecclesia ipsa tanta reverentia et devotione sacramentum hoc custodiret, veneraretur, adoraret prae ceteris omnibus, nisi verum ibi Christi corpus esse crederet; non enim ipsis iis sacramenti speciebus tantus honor ac reverentia exhiberetur.

III.

M o t i v a c o n t r a r i a e o p i n i o n i s f a c i l e d i l u u n t u r. P r i m u m de facili tollitur. Non enim, si id A p o s t o l i ad Corinthios [ubi] supra [7]: *Petra videlicet erat Christus* figurate intelligitur, consequens est, ut Christi verba, haec videlicet: *Hoc est corpus meum* figurative [a] intelligantur. Extat quippe A u g u s t i n i regula in De verbis apost. serm. 449 [8]: *Talis circumstantia scripturarum solet illuminare sententiam.* Et cum A p o s t o l u s eo loco ad Corinthios dixisset: *Petra autem erat Christus et omnes patres sub nube fuerunt et omnes in Moyse et in mari baptizati sunt*, postmodum dicit: *Omnia autem in figura contingebant illis*, sic post

a cod. add. hic

[1] *Migne* 42, 873 sq. In principio Maurini habent *significando praedicare.*

[2] *Migne* 42, 881. Post verbum *assumatur* omittuntur nonnulla.

[3] *Ps.-Hieronymus*, Commentarii in epp. Pauli, *Migne* 30, 750.

[4] *Migne* 42, 176: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas.*

[5] *Migne* 43, 133 (non verbotenus). De hoc S. Augustini loco et similibus cfr. *Conc. Trid.* XII 518 sq.

[6] De cath. eccl. unitate c. 6, *Migne* 4, 503 (non verbotenus).

[7] *1 Cor.* 10, 4.

[8] Editiones Basilienses operum S. Augustini nonnisi 35 sermones de verbis Apostoli continent, in quibus verba non inveniuntur; nec in serm. 352 (*Migne* 39, 1551 sq.), qui de loco *1 Cor.* 10, 2 sq. agit.

illa verba ex ipsius scripturae circumstantia figurate intelligenda fore, quia non vere in nube et mari baptizati fuere. Hoc idem ex Pauli lo|quendi modo [demonstratur]. Inquit enim: *Bibe-* 4v
bant de spiritali consequente eos petra, quod verum etiam, inquit, in significatione tantum, quia petra Christum significabat, qui est vera spiritalis petra per materialem illam significata. Sic de Christo tantum ad litteram intelligitur, non figurate, cum dicitur *Petra autem* significata vere *erat Christus*. Non sic ex modo loquendi, quo usus est Christus, aut ex ipsius verborum circumstantia figurative sensus haberi potest, quia potius oppositum perpenditur; dicit enim Salvator: *Hoc est corpus meum*, [et] statim intulit *quod pro vobis tradetur*. Quae sequentia verba figurativo sensui aptari non possunt; nihil enim secundum eos sub sacramento continetur, quod pro mundi salute tradendum sit, corpore eiusdem excepto, nec propterea quicquam ante a Christo est dictum, quod ipsum figurative loquutum fore significet.

[A d s e c u n d u m :] Nec illud etiam A u g u s t i n i, quod adversus Adimantum Manichaei discipulum [scripsit], aliquam fidem facit. Cum Augustinus ait [1]: *Hoc est corpus meum* id est: *Hoc est figura corporis mei*. ad sacramenti s p e c i e s considerationem habuit, quae certe non Christi corpus vere esse quisquam fateri audebit, sed illud idem significare dicere non dubitabit. Non propterea iis ipsis sacramenti accidentibus Christi corpus invisibiliter velari ac contineri fidelis quisquam negabit. Verum A u g u s t i n us epistola 23 ad Bonifatium non inconvenire asserit aut dictum absurdum existimandum sacramenti species corpus Christi appellari posse, significans, inquit [2], significati nomine plerumque nominari; sicut sacramentum fidei, id est baptismus, fides est, sic sacra|mentum corporis Christi corpus Christi est. 5r

[A d t e r t i u m :] A d id vero, quod de evangelio [*Ioannis*] cap. 6, [64] assumitur, videlicet: *Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, qui sane locus perperam intellectus circa sacramentum hoc errandi multis occasio fuit: verum sacrarum litterarum interpres Augustinus hanc Christi sententiam lucide explicavit et, quid Christus ipse intelligere vellet, aperuit. Solum quippe pravum Iudaeorum sensum, quem loquente Christo conceperant, Christus tollere volens, qui Christum non secus ac caro de macello manducandum se illis praestaturum crediderant, quem sensum sequentia verba prae se ferunt, inquit enim: « Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, quo quidem modo *caro non prodest quicquam* ». Ecce quid sibi velit: Corpus, quod oculis subiectum est, non [esse] manducandum. Nihil autem refert, quin spiritualiter sub sacramento ad salutem invisibiliter, sub visibili tamen specie, a fidelibus salubriter suscipiatur.

[A d q u a r t u m e t q u i n t u m :] Neque enim veritatem hanc infringit, quod passim scriptura ipsa sacramentum hoc panem et vinum appellare consueverit. Sacrae enim scripturae mos est, rerum similitudines earum rerum, quarum sunt similitudines, saepenumero appellare. Cum vero species illae panis [et vini sacramenti] ipsius sint accidentia et illum ipsum significant, non absurdum cuique videri debet, si panis nomine ea scriptura appellet. Ex his perspicuum nobis esse debet, quae sit veritas, plenissimamque hinc fidem facere debet, quod a tot gravissimis patribus ac ecclesiae luminibus comprobatur, quorum sententiis repugnare ac acquiescere nolle praeter id, quod impium est, est maxime temerarium. Simile etiam contra Iulianum haereticum | lib. II cap. ultimo [10 n. 36-37], qui originale in pueris 5v
non esse peccatum dixit, obiicit A u g u s t i n u s [3]. Hanc quoque superborum hominum arrogantiam Salomonis *Prov.* 22, [28] arguens: *Ne*, inquit, *transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*, Moses quoque *Deut.* 32, [7]: *Interroga*, ait, *patrem tuum et annuntiabit tibi, maiores tuos, et dicent tibi.*

Non haesitandum igitur nec quaerendum, quod maiores nostri seu ecclesia ipsa, omnium nostrum mater, nobis filiis suis salubriter credendum, non discutiendum proposuit. Potentissimis quoque miraculis, quae in eorum confusionem, qui ausu temerario ad hanc Dominicam coenam se conferre divinum non habuerunt iudicium, Spiritus Sanctus efficit, praedicta veritas robur accepit. Gloriosus martyr C y p r i a n u s in sermone de lapsis nonnulla se vidisse commemorat [4]. Omni itaque studio Deum orare nos convenit, ut non impuros ac de omnium sacramentorum dignissimo male sentientes ad id ipsum suscipiendum accedere

[1] *Augustinus*, Contra Adimantum Manichaei discipulum c. 12 n. 3 (*Migne* 42, 144) non his, sed similibus verbis utitur. Cfr. supra p. 131 adn. 1.

[2] *Augustinus* in ep. 98 ad Bonifacium n. 9 haec dicit: *Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi, ita sacramentum fidei fides est.* Quoad interpretationem huius loci legas *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 136. Usus est eo iam *Oecolampadius*, De genuina verborum Domini expositione, fol. 74v. 76r.

[3] *Migne* 44, 699 sqq. [4] *Migne* 4, 480.

nos permittat, quod tandem fiat, ut in animae nostrae iudicium sumamus *non diiudicantes corpus Domini*[1], sed ut *sit nobis intercessio salutaris ad veniam, sit*, inquam[2], *ablutio scelerum et fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum*, ut tandem coelesti hoc viatico roborati ad aeternam ac sempiternam vitam aliquando pervenire valeamus. Laus Deo semper, qui hanc nos docuit veritatem[3].

27.

An missa sit sola commemoratio sacrificii in cruce peracti, non autem verum sacrificium[4].

[Mense **Decembri 1551**].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3944* f. 204r-210v, cop. saec. XVI, multis locis mendosa.

Missam verum esse sacrificium probatur I. ratione, scil. ex usu gentium et figuris Veteris testamenti, II. lege, scil. ex conciliorum summorumque pontificum decretis, III. auctoritatibus sanctorum patrum, IV. exemplis.

Vat.lat. 3944 f. 204r Quod missa et sanctum eucharistiae sacramentum in illa confectum sit verum et proprium sacrificium et non simplex commemoratio, videtur probari posse ratione, lege seu authoritate et exemplo[5].

I.

Ratione: Quod clarum est, quod religio est de iure naturali; illam namque cum ipso genere humano rerum natura prodidit ac illa omnes gentes peraeque utuntur, ut patet de se,

[1] Cfr. *1 Cor.* 11, 29.

[2] Ex Missali Romano, Orationes diversae n. 35, Post-communio.

[3] Contra ceteros haereticorum articulos, quorum supra n. 25 fecimus mentionem, praesertim de communione sub utraque specie, tractatus invenire non contigit. Sed non videtur silentio praetereundus tractatulus quidam Hieronymi Muzzarelli Bononiensis O. Pr., Magistri s. palatii 1550-1553 (*Quétif-Echard* II 179 A), asservatus in Arch. Vat. AA I-XVIII tom. 6544 f. 59, or., qui testimonia continet contra hanc Ambrosii Catharini sententiam: *Christum Dominum... in coena, cum mox foret immolandus in cruce, iam confecisse sanctissimum altaris sacramentum, antequam Patri gratias ageret, benediceret, frangeret diceretque: Hoc est corpus meum*, voluisse tamen *hac in postrema sententia omnibus sacerdotibus formam praestituere, qua in posterum conficerent egregium hoc sacramentum.*

Quae sententia, quam Catharinus exposuit in «Quaestione, quibusnam verbis Christus confecit divinum eucharistiae sacramentum» (*Schweizer*, Ambrosius Catharinus 300), non est nova, sed impugnata iam a Thoma Aquinate (S. th. p. III q. 78 a. 1 ad primum) et renovata ab Honio Batavo (Luthers Briefwechsel ed. *Enders* III 417). — Lectori quaerenti, an de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis, de quibus Tridenti a 15. Oct. ad 25. Nov. 1551 discutebatur, tractatus extent, respondere debemus: Frustra quaesivimus. Quorum loco ad commoditatem studiorum ex *Hurter*, *Lauchert* aliisque auctoribus adnotavimus opera quaedam de sacramento poenitentiae in specie agentia, utilia ad illustrandam catholicorum, qui illo tempore floruerunt, doctrinam: In Germania *Io. Eckius*, De poenitentia et confessione secreta (Tubingae 1522) et saepius, cfr. *Metzler*, Corp. Cath. XVI p. LXXXVII sq.; De satisfactione et aliis poenitentiae annexis (Romae 1523), cfr. *Metzler* l. c. p. LXXXVIII sq.; *Iac. Latomus* De confessione secreta adversus Oecolampadium (Antverpiae 1525); *Henr. Gravius*, De ritibus antiquis baptismi et confessionis et praefationibus (Coloniae 1530); *Io. Haner*, De poenitentia (Lipsiae 1539); *Nic. Mameranus*, Confessio delictorum vocalis seu privata ([Augsburg?] 1553), cfr. *N. Didier*, Nic. Mameranus (Freiburg 1915) 203 sqq. 281 sq.; praeterea multas instructiones practicas, ex. gr. *Io. Fabri*, Instructio pro confessione (Dilingae 1551), *Petrus Soto*, Methodus confessionis (ibid. 1553).

In Italia contra Thomae de Vio Caietani opiniones (quae continentur in commentariis ad s. scripturam et Summam theologicam et in multis opusculis, vide Opuscula omnia [Venetiis 1588] I n. 4-7 et praesertim n. 18) scripserunt *Barth. a Spina*, De necessitate confessionis ante s. communionem (Venetiis 1530) et *Ambr. Catharinus*, Trattato nuovo, utile et necessario del'institutione dela confessione sacramentale etc. (Roma 1544), cfr. *I. Schweizer*, Ambr. Catharinus Politus 136. 296; praeter eos *Vinc. Giaccari*, Tractatus de necessitate confessionis vocalis omnium peccatorum, inter Opuscula (Venetiis 1537), cfr. *Lauchert* 414-418.

In Hispania: *Io. Medina*, De poenitentia eiusque partibus commentarium (Salmanticae 1550); in Gallia: *Petrus Lizet*, De auriculari confessione, inter Opuscula (Lutetiae 1551 et Lugduni 1552); in Bohemia: *Thomas Baworowsky*, De poenitentia contiones (Poczatek 1552).

Pro illustranda doctrina theologorum patrumque quorundam, qui in concilio vota sua dederunt, cfr. *Aloysius Lippomanus*, Confirmatione et stabilimento di tutti li dogmi catholici (Venetia 1553) f. 339v-372v; *Melchior Cano*, Relectio de poenitentiae sacramento (Opp. [Bassani 1776] 354-426); *Ruardus Tapper*, Explicatio articulorum, art. 3-6 (Opp. I 82-180); *Io. Gropper*, Enchiridion (Coloniae 1538); Antididagma (Coloniae 1544); in Institutione (1550) nihil fere; cfr. *W. van Gulik*, Ioh. Gropper (Freiburg 1906) 50 sqq., 100 sqq.; *Cornelius Mussus*, Conciones evangeliorum (Coloniae 1603) I 596-680 (Concio de peccato et poenitentia habita a. 1541).

[4] Auctor, quem iuris utriusque peritum quemdam fuisse ex allegationibus ipsis, insuper ex epilogo elucet, opusculum suum Tridenti conscripsisse videtur, ut alterum ex cardinalibus ibidem commorantibus, scil. Crescentium vel Madrutium, seu unum ex tribus electoribus de materia 3. Dec. 1551 proposita instrueret.

[5] Doctrina de sacrificio missae iam anno 1547 mense Augusti discussa (*Conc. Trid.* I 677 sqq.; articulos ipsos vide apud *Raynaldum* a. 1547 n. 69; *Le*

et habemus textum in l. [2] *Veluti* Dig. de iust. et iure [I 1] [1], et Glossa in l. [1] *Cunctos populos* Cod. de summa Trin. [I 1] [2]. Nec fuit nec est aliqua gens, quae pro huiusmodi sua religione et [d]iis colendis, velut voti compos fieret, non habu[er]it vel habeat aliqua peculiaria sacrificia, ut puta aris accendi ignes, adoleri in eisdem thura, victimas caedi, pateris vina libari et similia, quae notissima sunt ex gentilium historiis et probantur toto titulo, maxime in l. [1] *Placuit* Cod. de pag. sacrificiis [I 12] [3]. Quod, ut dixi, coepit primus [ex] hominibus. Nam Chain obtulit de fructibus terrae munera Domino, et Abel de primogenitis suis et adipum eorum, *Gen.* 4, [4], et Iob offerebat singulis | diebus pro filiis suis holocausta ut *Iob* 1, 204v
[5], et quod esset gentilis et dumtaxat instinctu naturae duceretur.

Cum ergo non sit gens tam barbara, quae non habeat suum peculiare sacrificium seu modum sacrificandi, estne credendum, quod solus Christus legislator noster, qui fuit omnimoda sapientia, in hac sancta religione et lege evangelica aliarum omnium legum perfectissima non instituerit neque voluerit nobis relinquere aliquod sacrificium vel in sui memoriam aut laudem vel pro nostris reatibus expiandis? Quod utique fuisset, si missa non esset sacrificium. Quod igitur non est verisimile, speciem habet falsitatis, ut dicunt doctores nostri in l. Cod., ubi B a l d u s, de servis fugit [VI 1] [4], et in l. *Non aliter*, ubi Ba ld u s et alii, de leg. [5]; in obscuris enim inspicitur, quod verisimile, regula [30] *In obscuris* de reg. iuris cum vulg. in VI [V c. ult.] [6].

Dicamus ergo: *Quod corpus assumptum Salvator erat ablaturus ab oculis nostris et illaturus syderibus, necessarium fuit, ut die cena[e] sacramentum | corporis et sanguinis sui nobis* 205r
consecraret ⟨instrueretque in posterum ab aliis consecrandum⟩ [a], *ut iugiter coleretur* [b] *per misterium, quod semel offerebatur in pretium ac perpetua esset redemptionis oblatio et victima perennis in memoriam sui.* Ista sunt verba formalia texti in c. [35] *Quia corpus* de consecr. Dist. 2, [7] qui solus textus resolvit hunc articulum; *memoriam enim fecit Deus mirabilium suorum et escam dedit timentibus eum, Ps.* 110, [4 sq.].

Praeterea dicit Dominus: *Nolite putare, ⟨quod venerim⟩* [c] *solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere;* quoniam *unus apex non praeteribit a lege* etc. *Matth.* 5, [17 sq.]. Si ergo Dominus venit adimplere prophetas, sacrificium istud, quod fuerat a prophetis et scripturis iamdiu p r a e f i g u r a t u m, necessum fuit per eum adimpleri et huiusmodi nobis relinquere sacrificium.

[a] *Deest in Decreto Gratiani* [b] *Cod.* colereturque. *In sequentibus textus Decreti abbreviatur* [c] *Vulg.* quoniam veni

Plat III 631), cum post sessionem XIV (25. Nov. 1551) mense Decembri ineunte iterum proponeretur, theologis 10 articuli ex novatorum scriptis excerpti una cum 6 articulis de ordine traditi sunt (*Theiner* I 602 sq.; *Raynaldus* a. 1551 n. 60; *Le Plat* IV 334 sqq.). Quorum primus (vide infra n. 28) sumptus erat ex Lutheri libello De captivitate Babylonica (1520) et ex Confessione Augustana (1530). L u t h e r u s l. c. ait: *Tertia captivitas eiusdem sacramenti est longe impiissimus ille abusus, quo factum est, ut fere nihil sit hodie in ecclesia receptius ac magis persuasum, quam missam esse opus bonum et sacrificium. Stet ergo primum et infallibiliter*, paulo post addit, *missam seu sacramentum altaris esse testamentum Christi, quod moriens post se reliquit distribuendum suis fidelibus.* Et infra: *Vides ergo, quod missa (quam vocamus) sit promissio remissionis peccatorum a Deo nobis facta. Luthers* Werke V 512 sq. Fusius de missa tractaverat Lutherus eodem anno 1520 in libello Teutonico: Ein Sermon von dem neuen Testament d. i. von der heiligen Messe, *Luthers* Werke VI 349 sqq.

C o n f e s s i o n i s A u g u s t a n a e versio Germanica art. 24 inter alia haec de missa tradit: *Und erstlich, dass kein Opfer fur Erbsunde und andere Sunde sei dann der einige Tod Christi, zeiget die Schrift an viel Orten an.* Et paulo post: *Dieweil nun die Messe nicht ein Opfer ist fur andere, Lebendige oder Tote, ihre Sunde wegzunehmen...* Die Bekenntnisschriften der evangelisch-lutherischen Kirche (Göttingen 1930) 93 sq.

De c a t h o l i c i s, qui usque ad annum 1551 de sacrificio missae contra novatores editis libellis disseruerunt, cfr. *F. Renz*, Die Geschichte des Messopferbegriffs II (Freising 1902) 35-117 (praesertim 74 sqq. de Alphonso de Castro, 87 sqq. de Ruardo Tappero, 95 sqq. de Melchiore Cano, qui viri illustres omnes concilio 1551-52 interfuerunt); *P. Polman*, L'Elément historique dans la controverse religieuse du XVI[e] siècle (Gembloux 1932) 419 sqq. (de Murnero, Eckio, Sasgero, Vicelio, Michaele Helding, Pelargo et aliis); *M. Alonso*, El sacrificio eucaristico de la ultima cena del Senor segun el concilio Tridentino (Madrid 1929). De Ambrosio Pelargo, qui 17. Decembre 1551 sententiam suam exposuit (*Theiner* I 620 sqq.), et Augustino Mario, vide *N. Paulus*, Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther (Freiburg 1903) 191 sqq., *I. Birkner*, Augustinus Marius (Münster 1930) 48-73.

Anno 1551 exeunte Bononiae prodierunt *Antonii Puccii* cardinalis SS. Quattuor, Maioris poenitentiarii, de corporis et sanguinis D. N. I. Christi sacrificio homiliae XIV. *Lauchert* l. c. 464 sqq.

[1] *Krueger* 29.

[2] *Krueger* 5.

[3] *Krueger* 62.

[4] *Krueger* 237 sq. Auctor initium lectionis omisit. De Baldi de Ubaldis († 1400) commentariis in Corpus Iuris civilis cfr. *F. C. v. Savigny*, Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter VI 238 sqq.

[5] Talis lectio in Cod. de lege Aquilia [III 35], *Krueger* 142, non invenitur.

[6] *Friedberg* II 1122: *In obscuris minimum est sequendum.*

[7] *Friedberg* I 1325 sq.

Istud enim sacrificium fuerat praefiguratum per M e l c h i s e d e c h, qui obtulit panem et vinum Deo pro Abraam redeunte de victoria quinque regum, *Gen.* 14, [18 sq.]. Dictum namque fuerat: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Ps.* 109, [4] et ad *Hebr.* 7, [17]. |
205v Et quod ista fuerit vera praefiguratio istius sacrificii ultra alios sanctos doctores ecclesiae habemus textum in c. [88] *Accipite*, quod est divi H i e r o n y m i [1], et in c. [83] *In calice* in primo, quod est divi A m b r o s i i [2], de consecr. Dist. 2.

Item sacrificium istud fuit praefiguratum in a g n o P a s c h a l i, ut in dicto c. [88] *Accipite*, et ibi doctores, et *ad Cor. prima* cap. 5, [7 sq.], ubi: *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azimis* etc. Nam dicitur agnus ob innocentiam; manducabatur etiam cum azimis [a] secundum illud *Exod.* 12, [1 sqq.], prout nos sacrificamus in azimis; offerebatur ab omni multitudine Israel decimaquarta luna, per quod fuit figurata Christi passio; nam per sanguinem agni protecti sunt ab angelo devastante ac liberati a servitute Aegypti, et per passionem et istud sacrificium a morte aeterna liberamur. Textum [vide] in c. [73] *Quid sit sanguis* de consecr. Dist. 2 [3].

Fuit etiam figuratum in m a n n a, ut habemus textum in c. [78] *Ubi pars* [4], et in c. [81] *Inquit Apostolus* de consecr. Dist. 2 [5] et in c. [69] *Revera* eadem Dist. 2 [6].

Item figuratum est per a q u a m f l u e n t e m d e s e q u e n t i p e t r a in deserto, ut
206r declarant textus in c. [83] *In calice* [7] | et in c. [69] *Revera* de consecr. Dist. 2 [8] et [1] *ad Cor.* c. 10, [4].

Fuit etiam figuratum per illud: *David ferebatur manibus suis* etc., ut dicit textus in c. [92] *Accesserunt* de consecr. Dist. 2 [9], et Glossa ordinaria in verbo sacrificium in c. [1] X de summa Trin. et fide cath. [I 1] [10].

Item fuit praefiguratum in v e t e r i s a c r i f i c i o e x p i a t i o n i s, maxime duorum hircorum, ut unus videlicet mactaretur pro peccatis populi et eius sanguis in sanctuarium inferretur pro expiatione [11]; quod verificatum est in sacrificio in cruce peracto, quia tunc pro expiatione nostra Salvator *semel intravit in sancta* sanctorum, ut inquit A p o s t o l us ad *Hebr.* 1, [3]; 9, [12]. Alius vero hircus, qui dicebatur emissarius, post emendatum sanctuarium, id est post expiationem nostram per oblationem in cruce peractam, dimittebatur, ut post confessionem peccatorum ille secum portaret omnes iniquitates populi; quod verificatur in isto sacrificio incruento, in quo Christus ulterius non moritur, sed quasi dimittitur, ut secum
206v portet ac deleat nostra peccata, ut in c. [51] *Semel* | *Christus* de consecr. Dist. 2 [12]. Idem autem de hircis habetur *Lev.* [16, 31], et de hac figura loquitur A p o s t o l u s *Hebr.* 9, [12]: *Nec per sanguinem hircorum.*

Istud sacrificium fuit etiam praedictum a M a l a c h i a, ut c. 1, [10 sq.] ibi: *Magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.* Qui locus intelligitur secundum omnes sacros doctores de sancto sacrificio, ut ostendunt omnes moderni de hac re loquentes [13].

Si ergo Christus per adventum suum adimplevit scripturas, necessario introductum est id sacrificium, de quo introducendo per adventum spiritualiter loquebantur ipsae scripturae, alias non fuissent adimpletae per Christum *Matth.* 11, [2 sqq.].

Praeterea omnes fatentur, quod Christus in coena sua instituit apostolos sacerdotes, maxime per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem* etc., *Luc.* 22, [19], *1 ad Cor.* 11, [24], sive per illa: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* etc., *Matth.* 28, [19], vel per illa:
207r *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt* | *ligata et in coelis, Matth.* 18, [18], vel per illa: *Accipite Spiritum Sanctum, Io.* 20, [22], vel per illa: *Ecce do vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et supra omnem virtutem inimicorum, Luc.* 10, [19]. Unum est, quod a Christo fuit et translatum sacerdotium ad *Hebr.* 7, [12] in c. [3] *Translato* X de consecr. [I 2] [14]. Si ergo habemus sacerdotes, necesse est, quod habeamus sacrificium, quod unum

[a] Cod. anzimis

[1] *Friedberg* I 1350 (ex Comm. super Matth. l. IV ad cap. 26).

[2] *Friedberg* I 1348 sq. (ex opere De sacram. l. V c. 1 Ambrosio adscripto).

[3] *Friedberg* I 1343 sq.

[4] *Friedberg* I 1346 (ex homilia a *Petro Lombardo* Sent. IV dist. 11 c. 4 et aliis Hilario adscripta).

[5] *Ibid.* Locus sumptus est ex *Augustino*, In Io. tr. 26 n. 12 (*Migne* 35, 1612).

[6] *Friedberg* I 1339 s. (= *Ambrosius*, De mysteriis c. 8 sq.).

[7] Vide supra adn. 2. [8] Vide supra adn. 6.

[9] § 5, *Friedberg* I 1351. [10] *Friedberg* II 5.

[11] *Levit.* 16, 15 sqq.

[12] *Friedberg* I 1332.

[13] De interpretationibus patrum cfr. *I. Knabenbauer*, Com. in prophetas minores II (Parisiis 1886) 442 sqq. Secundum Lyranum *iste passus loquitur ad litteram de sacrificio novae legis, quod est eucharistia.* Ex scriptoribus polemicis saec. XVI sufficiat *Ioh. Eckius*, Enchiridion, art. 17 (in ed. s. l. 1545 f. 112).

[14] *Friedberg* II 8.

est propter aliud. Nam omnis sacerdos ita a Christo institutus habebat, quid offerat, prout formaliter arguit Apostolus ad *Hebr.* c. 8, [3]: *Omnis pontifex* etc. et dempta missa nihil haberent, sed vacarent omnia officia ecclesiastica, ut dicit textus in c. [54] *De hymnis* ibi *componantur missae*, de consecr. Dist. 1 [1].

Sed certe per illa verba: *Hoc facite* nedum fuerunt constituti sacerdotes, sed illis data potestas celebrandi et conficiendi istud sanctissimum sacrificium, quod cum immediate Christus consecrasset et illis tradidisset, subiungit: *Hoc facite*, id est: Quod ego feci; et quod per illa verba fuerit hoc institutum, habemus textum in c. [53] *In Christo* [2], ita intelligi Glossa in verbo *sed utrumque* in c. primo [3] et [35] *Quia* | *corpus* in verbo *consecraret* [4]. Facit etiam 207v
textus in c. [3] *Scriptura* ibi *docet nos facere magisterio et exemplo*, de consecr. Dist. 2 [5]. Habemus etiam textum in Clem. cap. un[icum] post principium de reliquiis et veneratione sanctorum [III 16] [6], et ita tenent sancti doctores, licet aliqui ex patribus nostris visi fuerint de hoc dubitasse.

II.

Lege etiam comprobari potest, quod missa sit sacrificium, per textum concilii Ephesini, ubi damnatus fuit Nestorius, de quo in c. [89] *Necessarie* ibi *incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem et sanctificamur* etc., de consecr. Dist. 2 [7].

Item concilium Toletanum XII, de quo in c. [11] *Relatum*, qui textus semper vocat sanctam eucharistiam sacrificium et oblationem et statuit sub poena suspensionis, ut sacerdos, quoties missam et sacrificium celebrat, toties sanctam communionem percipiat. *Nam quale erit sacrificium*, inquit, *cum nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*, de consecr. Dist. 2 [8].

Habemus etiam concilium Lateranense sub Innocentio III, de quo c. [1] *Firmiter credimus* X de summa Trin. [I 1] verbum *una vero* etc. | ibi *in qua idem ipse sacerdos est* 208r
sacrificium etc. [9].

Habemus etiam concilium Laodicense, de quo in c. *Qualiter* prope finem, ibi *sacrificia offerri et oblationes* etc., de consecr. Dist. 2 [10].

Non desunt etiam ad hoc decretales et statuta summorum pontificum, ut Honorii III in c. [13] *Perniciosus*, ibi *de aqua plus ponitur in sacrificio quam de vino* etc., X de celebr. missarum [III 41] [11] et Iulius papa in c. [7] *Cum omne* in multis locis, maxime ibi *Cum enim magister veritatis verum salutis nostrae sacrificium suis commendaret discipulis nulli lac, sed panem et calicem dedisse* etc., de consecr. Dist. 2 [12], et Anacleti in c. [59] *Episcopus*, ibi *consensum praebentes sacrificio*, de consecr. Dist. 1 [13]. Item Eusebii et Sylvestri in c. [46] *Consulto*, ibi *ut sacrificium altaris [non] in serico panno* etc. [14], et Leonis Magni in c. [51] *Necesse est*, ibi *si unius tantum missae sacrificium offerre non posset* [a] etc. [15], et Felicis in c. [11] *Sicut*, ibi *sacrificia super altare offerre quam in locis consecratis* etc., eadem Dist.
[1] [16]. Et nedum | est sacrificium, sed nihil in sacrificiis maius esse potest neque ulla oblatio 208v
hac potior, sed omnes haec praecellit, ut formaliter inquit Alexander papa, quartus a Petro, in c. [8] *Nihil in sacrificiis* de consecr. Dist. 2 [17].

III

Non desunt etiam authoritates sanctorum patrum, ut divi Augustini: *Sacrificium*, inquit loquens de hoc sacramento, *visibile est* [b] *invisibile sacramentum*, in c. [32] *Sacrificium* [18]. Idem c. [48] *Hoc est* ait: *Conficitur autem sacrificium ecclesiae duobus, sacramento et re sacramenti* etc. [19]; et inquit: *Sacramentum pietatis signum unitatis et vinculum caritatis*, ut in c. [63] *Hoc sacramentum* de consecr. Dist. 2 [20].

[a] *Sic Cod.; in Decreto* possunt. *Simili modo auctor saepius loca ex Corp. Iuris desumpta mutat, quas tamen mutationes nos brevitatis causa non semper adnotavimus* [b] *Apud Gratianum* est visibile

[1] *Friedberg* I 1309.
[2] Supple: de consecr. D. 2, *Friedberg* I 1333.
[3] *Friedberg* I 1314. [4] *Friedberg* I 1325.
[5] *Friedberg* I 1315.
[6] *Friedberg* II 1174 sqq. Est bulla celebris *Transiturus* Urbani IV renovata per Clementem V, qua instituitur festum SS. Corporis Christi.
[7] *Friedberg* I 1346. [8] *Friedberg* I 1317 sq.
[9] *Friedberg* II 5 sq.
[10] Hic error irrepsit; non enim allegatur concilium Laodicense in D. 2 de consecr. neque continet haec D. caput, quod incipiat *Qualiter*. Videtur auctor spectasse ad can. 19 concilii Laodicensis, *Mansi* II 564; *Hefele* I² 763 sq. [11] *Friedberg* II 643.
[12] *Friedberg* I 1315 sqq. [13] *Friedberg* I 1310 sq.
[14] *Friedberg* I 1306. [15] *Friedberg* I 1307 sq.
[16] *Friedberg* I 1297. [17] *Friedberg* I 1317.
[18] Supple: de consecr. D. 2, *Friedberg* I 1324. Locus sumptus est ex De civ. Dei l. X c. 5, *Migne* 41, 282.
[19] Eadem D. 2, *Friedberg* I 1331 sq. Non est Augustini, sed, ut editor adnotat, *Lanfranci*, De corp. et sanguine Domini c. 10, *Migne* 150, 421.
[20] *Friedberg* I 1337 (= In Io. tr. 26 n. 13, *Migne* 35, 1613).

Item Gregorius in c. [73] *Quid sit sanguis*, ibi *haec salutaris victima*, et ibi *calix enim, quem sacerdos sacrificat*[1].

Item Hieronymus in c. [89] *Sacerdos*, dum ponit, quod *idem est sacerdos qui est sacrificium*, in eodem capite Dist. 2[2], et idem in c. [87] *Nec Moyses*, ibi *Iesus ipse conviva et convi-*
209r *vium*, de consecr. Dist. 2[3]. Et alii, ut | Chrysostomus, Hom. 69 ad populum Antiochiae[4] et ad Philippenses c. 1[5], Damascenus Orat. pro defunctis[6], Cyprianus Lib. II ep. 3[7] et tota Africana ecclesia, ut idem Cyprianus testatur Ep. 9 lib. I[8], et Hilarius[9], Gregorius Nazianzenus[10], Irenaeus[11] et plures alii relati per modernos de hac re scribentes[12].

IV.

Exemplo etiam mirabili ac stupendo praemissa suaderi possunt ex illo, quod a tercentis annis retro servatur in ecclesia sancta Urbevetana[13]. Tempore namque Urbani IV in eadem civitate ob Manfredum Siciliae regem et hostem ecclesiae commorantis, dum quidam incredulus sacerdos istud sanctissimum conficeret sacrificium dumque sanctam hostiam iam consecratam in manu teneret, dubitavit, numquid sub illa specie panis esset verum corpus et sanguis Salvatoris nostri. Eo sic dubitante repente (mirabile dictu) ex illa sancta hostia vivus emanavit sanguis. Ex quo perterritus, dum conatur illum cum corporali tegere, con-
209v festim ex sanguine isto madefactum est ipsum corporale | et in eo divinitus in pluribus locis impressae imagines Salvatoris sanguineae in forma pietatis, quae adhuc claris oculis cum magno gentium stupore conspiciuntur.

Quo audito per Urbanum corporale praedictum in dictam ecclesiam ex oppido Vulsinii, ubi hoc contigerat, deferri iussit et in eadem ecclesia Urbevetana cum maximis donis, privilegiis et indulgentiis (re etiam cum divo Thoma et Sancto Bonaventura bene cognita et discussa) perpetuo custodire voluit. Ex quo postea fabricatum est illud ornatissimum et toto orbe celeberrimum templum, quod hodie conspicitur. Hinc enim exordium sumpsit ad convincendos maxime infideles et haereticos celebratio festivitatis huius sanctissimi sacrificii eucharistiae. Extat adhuc ipsum tremendum miraculum et bulla ipsius Urbani desuper edita[14]
210r ac et[iam] alia perpetua constitutio eiusdem Urbani super huiusmodi | celebratione (ut creditur) ab eisdem sanctis Thoma et Bonaventura composita, deinde per Clementem V in generali concilio Viennensi publicata et maximo laudum praeconio commendata[15]. Ex qua constitutione sola et miraculo praefatis omnes infidelitates et impietates circa huiusmodi sanctissimum sacrificium penitus tolli et confundi deberent, ut de his legitur in Clem. de relig. et veneratione sanctorum III 16[16], quae est constitutio aurea. Et sic patet, quod non est simplex commemoratio.

Istud igitur sanctissimum sacrificium est illa mensa, de qua scriptum est: *Parasti in conspectu* [*meo*] *mensam et* ⟨*poculum tuum*⟩[a] *inebrians quam praeclarum est*, *Ps.* 22, [5], prout habemus in c. [83] *In calice*, qui est textus Ambrosii, de consecr. Dist. 2[17]. Hic ille panis subcinericius per angelum datus Eliae fugienti[18], quem qui manducat, non deficit, *Io.* 6, [52], qui vero non manducat, ut Saul, deficit et *cecidit super terram et robur non erat in eo, quia*

[a] *Vulg.* calix meus... praeclarus est

[1] *Friedberg* I 1343 sq. Canon compositus est ex diversis locis Gregorii et Alcuini, cfr. *Petrus Lombardus*, Sent. l. IV dist. 11 c. 2 (ed. Quaracchi 804).
[2] *Friedberg* I 1350 (non est Hieronymi, ut Friedberg adnotat).
[3] *Ibid.* (= Ep. 120 ad Hedibiam quaest. 2, *Migne* 22, 985 sq.).
[4] De prod. Iudae hom. 2 n. 6, *Migne gr.* 49, 390.
[5] Hom. 3 in ep. ad Phil. n. 4, *Migne gr.* 62, 204.
[6] *Migne gr.* 95, 250 sqq.
[7] Nunc ep. 63 c. 14, *Migne* 4, 385.
[8] Nunc ep. 64 c. 2 et 4, *Migne* 4, 390-392.
[9] Cfr. *Hilarius*, De trin. l. VIII c. 14, *Migne* 10, 247; In *Ps.* 68 n. 19, *Migne* 9, 253.
[10] Orat. 8 c. 18, *Migne gr.* 35, 809 sqq.
[11] Adv. haer. l. IV c. 17 n. 5, *Migne gr.* 7, 1023.
[12] Cfr. supra p. 134 adn. 5.
[13] De « missa Volsiniana » et multis aliis miraculis circa eucharistiam cfr., quae *P. Browe* in: Römische Quartalschrift 37 (1929) 137-169, praesertim 165 sqq., docte disseruit. Antiquissima descriptio miraculi, quod anno 1263 factum esse dicunt, in ecclesia maiori Urbevetana invenitur; est lapide sculpta post annum 1323.
[14] Talis bulla Urbani IV hodie ignoratur. Sed extat bulla Gregorii XI edita anno 1377, quae miraculum Volsinianum narrat. *Browe* l. c. 165.
[15] Urbanus IV in bulla *Transiturus*, per quam festum SS. Corporis Christi instituit, miraculi Volsiniani mentionem non facit. Invenitur bulla in Clem. de reliquiis et veneratione sanctorum III 16 cap. unicum (*Friedberg* II 1174 sqq.). Recte auctor animadvertit constitutionem in concilio Viennensi esse editam, non a concilio, *Hefele* VI² 552. De origine festi SS. Corporis Christi cfr. *Cl. Blume*, Das Fronleichnamsfest: Theologie u. Glaube 1 (1909) 337-349.
[16] Cfr. adn. praecedentem.
[17] *Friedberg* I 1348 sq. (= De sacramentis l. V c. 1).
[18] 3 *Reg.* 19, 6 sqq.

illa die non comederat panem suum [1]; | et quotidie manducatur, quia quotidie labimur et peccamus, c. [71] *Iteratur* [2], c. [51] *Semel* § *Quoties* [3] de consecr. D st. 2. 210ᵛ

Stantibusque rationibus praemissis ac tot sacrorum canonum et generalium conciliorum summorumque pontificum et sanctorum patrum statutis, decretis et authoritatibus ac perpetuo inviolabili usu et observantia catholicae ecclesiae, quae errare non potest, quanta autem [in] his esse debeat impietas unius Lutheri hominis deperditi contra tantum sacrificium blasphemantis ac panem nostrum supersubstantialem subtrahere conantis, et qua poena dignus, unusquisque bonus de se facile poterit iudicare.

Et haec sunt, Ill^{me} Domine, quae raptim ex libris nostris canonicis haurire potui, reliqua summis theologis relinquendo, illorum me determinationi libenter submittens. De hac enim re scripsit Apostolus, ut *prima ad Cor.* 10, [16 sq.], ad *Hebr.* 7, 8, 9 et 10.

28.

Rev.mi P. generalis [Christophori Patavini] tractatus de sacramento ordinis [4].

[Mense **Decembri 1551**].

Romae Bibl. Angelica *Cod. 425* f. 47ᵛ-56ᵛ, cop. saeculi XVI. Cfr. *H. Narducci*, Catalogus codicum manuscriptorum... in bibliotheca Angelica I (Romae 1893) 201

[illegible]

Primus articulus: Ordinem non esse sacramentum, sed ritum quendam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum; imo quod ordo sacramentum sit figmentum, est[a] humanum excogitatum a viris imperitis rerum ecclesiasticarum. Cod. 425 f. 47ᵛ

Hic articulus quoad primam partem est haereticus contra patrum omnium sententias. Augustinus expresse contra ep. | Parmeniani lib. [II] [b] cap. 13 [n. 28] [5] utrumque esse sacramentum affirmat, baptismum et ordinem. Propterea dicit non esse reiterandum et dandum his, qui apud haereticos ordinati fuerunt, cum ad nos veniunt, alioquin fit, inquit, magna sacramento iniuria. Vide[a]tur etiam Contra Donatum lib. [V] cap. [20] [6], n. [28], ubi de quattuor sacramentis mentionem facit [7]. Estetiam contra concilium Florentinum [8], quod septem ponit sacramenta ex definitione ex verbis Apostoli ad Timotheum [9], quia confert gratiam, [sicut] dicit Apostolus [ubi] supra: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii* 48ʳ

Secunda pars est falsa, quod sit humanum figmentum, cum sancta mater ecclesia et antiqui patres verum sacramentum senserint; est [temerarium] dicere omnes sanctos doctores usque ad haec ipsa tempora rerum ecclesiasticarum imperitos fuisse. Et ubi et quomodo Spiritus Sanctus in ecclesia sua dedit doctores et pastores [10], qui in principalibus rebus fidei prave senserint? Solum igitur ipsi Lutherani divinarum scripturarum scientiam se habere arbitrantur et sibi eam arrogant, quod maximae est temeritatis et nimis temere dictum, quibus illud Christi convenienter dici potest [11]: *Videte, ne lumen, quod in vobis est, tenebrae sint.*

Quid sit ordo, vide theologos in quarto sententiarum [12]. Est enim *signaculum quoddam, quo spiritualis*[c] *potestas* ordinate confertur. Ibi tria est[d] considerare: Sacramentum tantum, | res sacramenti et sacramentum et res sacramenti. 48ᵛ

[a] [illegible] [b] *Lacuna in Cod* [c] *Corr. ex* personalis [d] [illegible]

[1] 1 *Reg.* 28, 20.
[2] *Friedberg* I 1341 sq.
[3] *Friedberg* I 1332 sq.
[4] De auctore cfr., quae ad tractatum n. 26 adnotavimus. Articulos ipsos vide etiam *Theiner* I 603; *Raynaldus* a. 1551 n. 60; *Le Plat* IV 335 sq.
[5] *Migne* 43, 70 sq.
[6] *Migne* 43, 190.
[7] Sc. de baptismo, unctione, eucharistia et ordine.
[8] Potius decretum pro Armenis, *Denzinger*[14-15], n. 701.
[9] *1 Tim.* 4, 14.
[10] Cfr. *Eph.* 4, 11.
[11] Cfr. *Luc.* 11, 35.
[12] *Petrus Lombardus*, Sent. IV dist. 24 et 25 (ed. Quaracchi 892-911) tractat de ordinibus ecclesiasticis. In dist. 24 cap. 13 dicit ordinem *signaculum quoddam esse, id est sacrum quiddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato et officium* (ed. Quaracchi 902).

Secundus articulus: Ordinem non esse sacramentum nec infimos et medios ordines velut gradus quosdam tendere in sacerdotii ordinem.

Secundum hanc opinionem non esse[t] unum nec [essent] plura sacramenta, ex quo non tenet esse sacramentum. Sic est falsum, sicut quod in primo articulo dicebatur. Sed veritas tenet esse unum sacramentum omnes ordines unitate analogiae vel unitate finis, sicut omnia sana sunt, [sed] unum sanum [est] in ordine ad animal ipsum, quod simpliciter sanum dicitur.

Secunda pars est falsa, quia experientia docet omnes tendere in sacerdotium et ad sacrificium missae. Si per singulos discurramus, hoc tamen licet videre ex theologis in quarto, qui sufficientiam horum ordinum ponunt. Sed an omnes ordines sint sacramenta, non omnes hoc tenent [1], sed bene omnes conveniunt, quod septem sint ordines, aliqui etiam plures, quia ponunt episcopatum. Sed an omnes ordines sint sacramentum, est difficultas et diversitas opinionum. Aliqui ponunt, quod omnes sint sacramentum, quia ordo in se est sacramentum, igitur omnis ordo. Alii autem tenent contrarium, quia, si omnes ordines essent sacramentum, tunc laici non possent exercere ea munera, ad quae deputantur ordinati, quod est falsum. Hostiarii munus exercet mere laicus, et accoliti munus et subdiaconi, qui
49r non est ordinatus, quod | non permitteret ecclesia; tamen permittit. De diaconatu autem et sacerdotio nemo dubitat, quin sint sacramentum. De subdiaconatu, de minoribus contrarium teneri videtur, quod non sint sacramentum. Ista etiam erant tempore veteris legis; tamen omnes isti ordines clericum constituunt, ut patet ex canonibus apostolorum [2], qui omnes tales clericos appellant [3], quasi mancipati ad spiritualia ministeria directe vel indirecte. Quare autem vocetur ordo fortasse ex illa connexione, [quod] unum post aliud in ordine ad unum finem [confertur].

Tertius articulus: Nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, sed omnes christianos ex aequo esse sacerdotes et ad usum seu executionem opus esse vocatione magistratus et consensu populi, et qui sacerdos semel fit, eum laicum rursus posse fieri.

Duplex ecclesiastica hierarchia: aut iurisdictionum aut ordinum sacramentalium. Primum negare non possunt, nisi mundum destruant; tollunt enim civilem politiam. In omni republica et civitate bene constituta sunt principes, nobiles, cives plebei. Ecclesia etiam est sicut corpus unum naturale, quod habet multa membra, quae *non eundem actum habent*, inquit Apostolus [3]. Hoc negare non est haereticum in ecclesia, ubi Spiritus quosdam dedit apostolos, alios evangelistas, alios pastores et doctores [4]. Hoc
49v negare, est negare sensum, est etiam fatuum, non haereticum, | quod facit omnia aequalia, facit non omnia esse omnia, inquit Augustinus contra adversarium legis et prophetarum [5].

Si autem secundo modo intelligit, quod praetendunt verba ipsa, cum dicitur scilicet [omnes] aequo esse sacerdotes, quasi quod sacerdotium non sit aliquis gradus eminentior laicis, quia omnes sunt ex aequo sacerdotes et ita non est assignare alios diaconos, alios sacerdotes etc. Quod autem dicunt, moventur ex verbis Petri [6]: *Vos estis regale sacerdotium, gens sancta* etc. Sed hoc est levissimum fundamentum, et perperam sacram scripturam intelligere, quod est causa omnis haeresis, ut inquit Augustinus super Ioanne [7]: *Haeres[es]*, inquit, *ex hoc oriuntur, quod bonae scripturae male intelliguntur*. Si enim ex eo loco omnes christianos sacerdotes esse concluderemus, simili argumentatione omnes christianos reges esse haberemus, quod falsum est, quod si concedis de rege regendo seipsum, cum spiritu Dei agantur [8], sic dicitur, quod sunt sacerdotes, quia spirituales hostias offerunt, non quod ministrare habeant sacramenta, quod ipsi praetendunt; alioquin nihil habent adversus catholicos, imo maxime conveniunt. Quare etiam non omnes circumcisi sacerdotes erant Veteris testamenti.

[1] Multi, praesertim nostri temporis theologi, quattuor ordines minores et subdiaconatum non esse ordines sacramentales censent. Cfr. ex. gr. *I. Pohle*, Lehrbuch der Dogmatik III[7] 509-514.

[2] Ex. gr. can. 69, *Lauchert* 10.

[3] Cfr. *Rom.* 12, 4.

[4] Cfr. *Eph.* 4, 11.

[5] *Augustinus*, Contra adversarium legis et prophetarum l. I c. 4 n. 6 (*Migne* 42, 606): *Quae non solum illi, a quo sunt condita, sed nec inter se esse oportet aequalia: et ideo sunt omnia. Nam si essent aequalia, unum genus bonorum esset, non omnia.*

[6] *1 Petr.* 2, 9.

[7] *Augustinus*, In Io. tr. 18 n. 1, *Migne* 35, 1536 (non verbotenus).

[8] Cfr. *Rom.* 8, 17.

Etiam quomodo quis potest iure esse sacerdos, cui iure non potest munus sacerdotis competere? Nam missam celebrare feminae non competit, imo femina est irregularis. Etiam mulieri praedicare non convenit, minus competit sacerdo|tem esse, si proprie sacerdos [50r] dicitur, qui sacramenta ministrare habet. Hoc dico, quia ipsi possent dicere: Omnes sunt baptismi iure sacerdotes, sed unus sibi ex magistratus electione competit; sed mulieres non possunt eligi, igitur non sunt sacerdotes, quia sacerdotium est potestas ad exequendum actum. Est expresse contra canones apostolorum haec conclusio, ubi gradus distinguitur expresse [1]. De diacono mentionem faciunt ad Philippenses I g n a t i u s, Ioannis evangelistae discipulus, [qui] in quadam epistola dicit: *Saluto presbyteros, diaconos, subdiaconos, acolitos* [2]; et sic gradatim. A u g u s t i n u s etiam sic distinguit et alii theologi antiqui [3].

Si non omnes Iudaei erant sacerdotes nec omnes ex tribu Levi ob reverentiam illorum sacrificiorum [a] initiati erant sacris, quanto magis tempore Novi Testamenti, ubi nobiliora sunt sacramenta, et sacrificium omnium praestantissimum non omnibus administrandum committetur, nec omnes sacerdotes dicentur. Sic ista opinio est haeretica, si proprie loquitur; si autem improprie, nihil habet contra catholicos. Neque sacerdotes eligendi sunt consensu populi de necessitate, sed de congruitate. Nam P a u l u s presbyteros constituebat [4], et Timotheo scribit idem in *prima ad Tim.* cap. 4, [14]. Congruum tamen est, *ut bonum testimonium habeat ab his, qui foris sunt, et a | plebe, ut ex animo magis obediant* [5], et requiritur etiam, [50v] quia illis invitis praeponi non debet, alioquin non proficient sub illo. Etiam requiritur, et maxime in primitiva ecclesia, quia nutriendus erat ab eis, quia ecclesiae redditus non habebat, quod commode fieri non potuisset, nisi illis gratus fuisset. Vide A u g u s t i n u m super Psal. 36 [6]: *Popule*, inquit, *elige tibi sacerdotem, pro quo tu orare non valeas, sed tu pro illo*, ubi plus est eligere quam consentire. Sed certe A u g u s t i n u s loquitur de electione, qua christiani, quod bonum est, eligere debent iuxta illud: *ut sciant reprobare malum et eligere bonum* [7]. David dicebat [8]: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare* etc., non de illa potestate eligendi sibi praelatum. Idcirco dicit A u g u s t i n u s infra [9]: *Talis autem est Christus sacerdos, pro quo orandum non est a populo, sed solus ille orat pro populo.* Etiam spiritualis potestas a saeculari eligi non convenit. Prophetae reges eligebant, inungebant, solutos declarabant [10]. Aaron a Moyse propheta electus est, non a populo signo electivo declaratus [11].

Tertia pars huius articuli est e r r o n e a . Unde enim dari possit exemplum suae fictionis in aliquo statu sub Deo militante? Si daretur, dandus esset tempore veteris legis; sed ubi unquam legitur aliquem designatum sacerdotem laicum factum fuisse? Quod enim semel Deo consecratum [est], propha|nari non potest. Quod si dicas, quod cum quis [51r] degradatus laicus efficitur, neque hoc est verum, quia tenet ecclesia, quod degradatus, si celebraret, vere conficeret, quod non esset, si sacerdotalis potestas auferri posset. Etiam per haeresim non tollitur secundum A u g u s t i n u m contra epist. Parmeniani lib. II cap. 13 [12]. Et si alias apud gentiles fiebat et observabatur, quia Iulius Caesar et alii summi pontifices fuerunt, ipsi etiam reges sacerdotes eligebant et creabant, nec est inconveniens, quia illud sacerdotium non ordinabatur nisi ad bonum naturale, cum non aliam vitam crederent, ideo poterant a laicis sacerdotes assignari et eligi. Munus autem sacerdotum Veteris et Novi Testamenti ad bonum supernaturale ordinatum; ideo a spirituali potestate et divina eligendi sunt et designandi. Nil autem prohibet, cum consensus populi concurrat ad bene esse, non autem ad necessitatem, ut gratior sit illis et acceptior.

[a] *Cod. add.* nec omnes, *quae verba destruunt sensum*

[1] Ex. gr. can. 1, *Lauchert* 1.

[2] *Ps.-Ignatius*, Ep. ad Antiochenos c. 12: *Saluto sanctum presbyterium. Saluto sacrosanctos diaconos et desiderabile mihi nomen eius, quem reservavi pro me in Spiritu Sancto, cum Christum meruero adipisci; pro cuius anima ego efficiar. Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas atque confessores.* Patres apostolici ed. *F. X. Funk* II 171.

[3] *Augustinus*, De moribus ecclesiae cath. c. 32 n. 69, *Migne* 32, 1339; [*Optatus Milevitanus*], Excerpta et scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia, *Migne* 43, 773. Multa patrum testimonia allegat *Petrus Soto*, De institutione sacerdotum (Lugduni 1587) f. 248r-249r.

[4] *Act.* 14, 22.

[5] *I Tim.* 3, 7.

[6] *Migne* 36, 378. Locus quoad sensum et verba mutatus est; loquitur enim Augustinus de Christo haec: *Itaque, o popule, talem elige sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cuius oratione pro te securus esse possis. Ipse est D. N. I. Christus, unus sacerdos, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.*

[7] Cfr. *Is.* 7, 15.

[8] *Ps.* 83, 11.

[9] Vide adn. 6.

[10] Cfr. *I Reg.* 10, 1 sqq.; 15, 23 sqq.; 16, 13.

[11] Cfr. *Lev.* 8, 1 sqq.

[12] *Migne* 43, 70 sq.

Quartus articulus: Esse in Novo testamento sacerdotium visibile et externum, neque potestatem aliquam[a] spiritualem sive ad consecrandum corpus et sanguinem Domini sive ad offerendum sive ad absolvendum coram Deo a peccatis, sed officium tantum et ministerium praedicandi evangelium et eos, qui non praedicant, non esse prorsus sacerdotes. |

51v Prima pars huius articuli haeretica videtur, tum quia in veteri lege erat externum sacerdotium, de quo nemo dubitat et littera ostendit, tum etiam quia sacerdotium et sacrificium quasi correlativa dicuntur, sed externum erat sacrificium ex animalibus, igitur et sacerdotium, per quod imolabantur. Similiter in Novo Testamento sunt externa sacramenta et externum sacrificium, videlicet eucharistia, ut supra in primo articulo de missa declaratum est [1], igitur et sacerdotium est, ecclesia cum quid sensibile sit, alioquin Christus non diceret [2]: *Dic ecclesiae*, quia nesciretur, cui dicendum esset, si esset insensibilis. Potior autem huius ecclesiae pars sunt sacerdotes, quia ex ore ipsorum sapientia et scientia acquirenda est; igitur sacerdotium est quid sensibile.

Sacerdotium Christi nonne fuit sensibile? Quomodo fuit *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*[3]? Sacrificium Christi fuit sensibile, igitur et sacerdotium. Datur tamen cum hoc in ecclesia insensibile sacerdotium, sicut insensibile sacrificium, ut sacrificium cordis et spiritus. Hoc modo omnes christiani sacerdotes dici possent.

Secunda pars pariter est haeretica, cum universi theologi characterem in anima ponant, qui est quaedam spiritualis potestas vel ad remittendum peccata sive ad consecrandum et pariter offerendum et remittendum coram Deo iuxta illud[4]: *Quaecunque solveritis super*
52r *terram* etc., id est coram Deo. | Similiter erronea est, quod sacerdotium videlicet non sit nisi officium tantum et ministerium praedicandi evangelium; imo ad consecrandum pertinet sacerdotium.

Tertia pars est erronea et est apud me haeretica; non enim verum est, quod qui non praedicant, non sint sacerdotes. Non enim tantam connexionem consecrare et praedicare inter se habent, ut unus absque altero esse non possit. Multi enim Veteris Testamenti tempore sacrificabant, qui tamen non docebant, et multi etiam docendi munus habebant, qui tamen non sacrificabant. Ita etiam Novo Testamento aliqui consecrare poterunt, qui tamen non evangelizabunt. Diaconi etiam evangelizabant, qui tamen non sacrificabant nec erant sacerdotes. Non igitur per se ad sacerdotem praedicare pertinet. Apostoli etiam, antequam essent sacerdotes, praedicabant, ut ex evangelio patet [5]. In cena namque communiter tenetur illos sacerdotes constitutos fuisse, tamen longe ante praedicaverant. Fortasse 72 discipuli ex huiusmodi fuerunt. Utcumque sit, evangelizare per se et directe ad sacerdotes non pertinet; est enim iurisdictionis potestas, quae non sacerdotibus ab episcopo et summo pontifice concedi potest. Est etiam contra Apostolum ad *Timoth* [6]: *Presbyteri*, inquit, *qui bene praesunt, duplici honore digni sunt, et maxime*, inquit, *qui laborant in verbo Dei et*
52v *evangelizant* [b]. Diversum etiam munus erat prophetae et | doctoris seu evangelistae (ad Ephesios) [7]. Est haec modernorum theologizantium opinio merum figmentum et somnium.

Quintus articulus: Unctionem non solum non requiri in ordinum traditione, sed esse pernitiosam contemnendam. Similiter et omnes alias ceremonias, et per ordinationem non conferri Spiritum Sanctum. Proinde impertinenter episcopos, cum ordinant, dicere[8]: *Accipite Spiritum Sanctum.*

Prima pars non est contra scripturas Novi Testamenti; nullibi namque hoc prohibetur, nisi diceres, quod figurae cessaverunt. Modo unctio externa figura fuit internae unctionis per Spiritum Sanctum, ut ait Ioannes in canonica [9]: *Unctionem habetis a Deo.* Similiter Christi unctio figurata fuit per unctionem regum et prophetarum et sacerdotum, qui

[a] *Thiner* om. [b] *Vulg.* doctrina

[1] Cfr. supra tr. n. 27
[2] *Matth.* 18, 17.
[3] *Ps.* 109, 4.
[4] *Matth.* 18, 18.
[5] *Marc.* 6, 12.
[6] 1 *Tim.* 5, 17.
[7] *Eph.* 4, 11.
[8] *Io.* 20, 22.
[9] 1 *Io.* 2, 20.

Christum figurabant. Christus namque rex et propheta et sacerdos extitit, qui tamen non est sensibili unctione unctus, sed invisibili, ut David testatur dicens [1]: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus* [a] *tuis.* Sed responderi potest, non sacerdotum veteris legis tantum figuram Christi unctionis fuisse, sed etiam aliquid secundum se pertinens ad rationabilem causam et decentiam ut sacerdotes et pastores, qui adversus diabolum pro ovibus sibi commissis luctum habere debent, | oleo ungi debent, quo robustiores ceteris esse 53r intelligantur, sicut, qui pugnaturi erant, oleo ungebantur olim, ut fortiores redderentur, cum oleum animum exhilaret et exultare cor hominis facit in bello. Sic non omnia, quae servabantur in Veteri Testamento, tantum figura fuerunt [b], sed etiam secundum se res quaedam. Idcirco non cessare debuerunt, sed etiam tempore Novi Testamenti vim habere debuerunt, sicut in templo luminaria incendebantur et orationes publicae fiebant, psalmi cantabantur et multa alia, quae in Novo Testamento etiam servantur, quia ad decorem et maiestatem divini cultus pertinent. Erant multa aquae baptismata etiam, et modo in multis aqua benedicta utimur. Etiam panes propositionis servabantur et a sacerdotibus tantum comedebantur, qui benedicebantur. Simili modo tempore Novi Testamenti panis et vinum consecratur et solum a sacerdotibus sumitur sub utraque specie.

Quod vero dicit unctionem iam perniciosam, haereticum est; licet enim unctio non necessario requiratur ex parte essentiae sacerdotalis potestatis conferendae, quia non est de essentia, tamen est de necessitate praecepti ecclesiae. Si quis episcopus ordinando praetermitteret, peccaret, tamen, si praetermitteret porrigendo calicem et patenam cum debita verborum forma, ille [c] esset sacer|dos ordinatus. Christus namque apostolos sine externa unctione 53v sacerdotes ordinavit et fortasse 72 discipulos et post resurrectionem eis, scilicet apostolis, iurisdictionem dedit, cum diceret [2]: *Accipite Spiritum Sanctum* etc. Sed episcopus utramque potestatem, cum ordinat, tradit, videlicet potestatem consecrandi et absolvendi a peccatis, quae usum non habet, nisi subditos habeat et actualem in aliquos iurisdictionem habeat. Idcirco omnes illae partes articuli sunt erroneae, videlicet unctionem esse perniciosam. Nam etsi bona non esset, non esset consequens, ut sit perniciosa, sicut nec unctio Christi a Madalena nec illa apostolorum, quando infirmos ungebant, nec illa Iacobi, quae unctiones fuerunt in Novo Testamento tempore illo, in quo figurae cessaverant. Idcirco temere ab illis dicitur hoc absque ullo divinarum scripturarum testimonio, imo adversum potius sacris litteris; similiter, quod sint omnes ceremoniae ecclesiae contemnendae, imo cum sint per ecclesiam ordinatae et a sanctissimis pontificibus iussae, imo maior horum pars ex traditione apostolica accepta sit, haereticum est oppositum censere. *Qui enim ecclesiam non audierit,* erit *tanquam ethnicus et publicanus* [3]. *Et qui vos spernit,* inquit Christus, *me spernit* [4]. Nonne Christus etiam ceremoniis usus est, dum quemdam caecum illuminaret, expuit in terram | et fecit lutum ex sputo et linivit oculos eius, similiter posuit digitum in auriculam 54r surdi, et audivit, cum hos ipsos effectus sine istis ceremoniis facere potuisset, scilicet certa causa, licet fortasse nobis ignota, hoc faciebat. Similiter enim est ceremonia in eucharistia conficienda. Accipitur panis in manibus, elevantur oculi, benedicitur, consecratur et frangitur. Si haec non scripta essent, has etiam in eucharistia conficienda ceremonias damnaret, et ita nimis temere fieri debere negatur, quod in scripturis fieri debere scriptum non est; alioquin, antequam evangelia et epistolae scriberentur, nihil ex his, quae postquam scripta fuerunt et ab ecclesia observata, antea observandum erat. Sic non fuisset consecranda hostia, unde namque hoc habebatur, nisi ex evangelio non scripto, sed tantum praedicato. Sicut etiam falsum est, quod per ordinationem non conferatur Spiritus Sanctus; confer Apostolum *prima ad Tim.* [4, 14]: *Noli negligere*, inquit, *gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Quamvis aliquid per gratiam non gratum facientem [intelligere possit], sed gratis datam, quae idem est ac quaedam spiritualis potestas, scilicet dignitas episcopalis, sicut *prima ad Cor.* cap. 15, [10] dicens: *Gratia Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit*, ubi per gratiam apostolicam dignitatem intelligit, quam ex quo suscepit, | non fuit otiosus, sed plus omnibus laboravit, sicut ad *Rom.* [11, 13] etiam 54v dicebat: *Quamdiu sum gentium apostolus, misterium meum honorificabo.* Vide ibi multa ad propositum.

[a] *Vulg.* consortibus [b] *Cod.* fuit [c] *Cod. hic add.* non

[1] *Ps.* 44, 8.
[2] *Io.* 20, 22.
[3] *Matth.* 18, 17.
[4] *Luc.* 10, 16.

Sextus articulus: Episcopos iure divino non esse constitutos nec presbyteris superiores neque habere ius ordinandi, aut si habent, id illis esse commune cum presbyteris ordinationesque factas sine plebis consensu irritas esse.

Quatuor partes habet hic articulus.

Prima pars haeretica est contra Apostoli verba *Act.* [20, 28]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere ecclesiam suam*; igitur sunt de iure divino. Paulus Titum et Timotheum episcopos constituit, et Christus duodecim apostolos veluti episcopos constituit, ut *Psal.* [108, 8] dicit *et episcopatum eius* videlicet Iudae *accipiet alter.* Idcirco post mortem Iudae alium quasi ex divina iussione in locum eius subrogarunt orantes et ieiunantes etc.; ubi ostenditur electio illa a Deo fuisse, sicut ipsi orabant dicentes: *Ostende, quem elegeris ex his duobus*[1]. Petrus episcopos creavit. Cum igitur ab initio nascentis ecclesiae a Christo primum, demum a successoribus episcopi constituti sunt, quatenus est esse de iure divino, hoc est, quod Paulus ad *Eph.* [4, 11] dicit per Spiritum
55r Sanctum aliquos in ecclesia esse | apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores. Qui sunt episcopi, Spiritus, inquit, Sanctus[a]. Igitur videtur ad ius divinum pertinere, quod episcopi sint in ecclesia. Quod si dicis: Per episcopos presbyteros intelligit, quia cum Paulus ea in civitate, in qua hoc dicebat, non erant plures episcopi, sed presbyteri; igitur de presbyteris dicens loquebatur Apostolus. Sed, licet hoc dici possit, tum videtur, quod ibi multi episcopi diversarum ecclesiarum concurrissent ad videndum eum, antequam discederet; et ad *Titum* scribit Paulus [1, 5]: *Propterea reliqui te Cretae, ut constituas presbyteros*, videtur, qui supra reliquit Titum Cretae, ut presbyteros constitueret

Secunda pars falsa videtur et erronea, quia a principio nascentis ecclesiae fuit inter presbyteros et episcopos distinctio quoad rationem muneris et functionis, quia episcopi sacerdotes ordinant, confirmant, altaria monialesque consecrant, quod simplices non faciunt sacerdotes, et licet in primitiva ecclesia propter paucitatem populi fidelis omnis sacerdos esset episcopus et econtra, sicut, antequam septuaginta duos discipulos ordinasset Salvator, poterat dici: Omnes discipuli erant apostoli et econtra. Non tamen postea hoc verum erat, quia multi crediderant in Iesum. Ita in primitiva ecclesia omnes sacerdotes erant episcopi et
55v econtra. Ratio tum episcopi erat alia a | ratione presbyteri; idem et homo ut episcopus erat seipso ut presbyter maior et dignior, et propterea episcopi presbyteri dicuntur, ut ibi ad *Titum* [1, 5]: *ut constituas per civitates presbyteros*, idest episcopos. Et ibi *quos posuit vos Spiritus Sanctus episcopos*, id est sacerdotes, aliqui intelligunt[2].

An vero episcopus sit maior presbytero ordine et iurisdictione, an iurisdictione tantum, dubium est. Theologi [dicunt]: dignitate tantum et iurisdictione, non autem ordine[3], quia supremus ordo sacerdotium ponitur; etiam octo essent ordines, non septem, et ita dicunt, quod episcopatus non est alius ordo a sacerdotio, sed est consummatio sacerdotii et perfectio. Igitur ab ecclesia episcopus sacerdos magnus dicitur[4]

Canonistae autem sunt in alia opinione, quod sit alius ordo superior, non solum iurisdictione maior[5], et haec opinio etiam mihi videtur probabilior duabus de causis. Primo, quia, si sola iurisdictione excelleret et non ordine, tunc sequeretur, quod episcopus non posset ordinare diaconum cardinalem electum in papam, quia cum illum consecrat, meliorem papa electo et maiorem esse [perspicuum est]; sed non potest esse maior iurisdictione, quia diaconus cardinalis papa electus iurisdictione maior est episcopo; igitur oportet, ut sit maior
56r ordine. Nec vult dicere, quod benedicens | in eo, quod benedicit, maius est eo, qui benedicitur, non autem simpliciter, quia Paulus nihil haberet, nisi intelligat[ur] apostolus de benedictione principaliter sicut Melchisedech, qui Christi personam gerebat. Igitur oportet episcopum [esse] maiorem ordine quam papa talis electus, quia est episcopus, non ille. Nec valet dicere: Si maioritas ordinis sufficit ad posse consecrare, sacerdos diaconum consecrare

[a] *Supple* posuit

[1] *Act.* 1, 24. [2] *Act.* 20, 28.

[3] *Thomas*, S. th. III Suppl. q. 40 art. 5; *Bonaventura*, In IV. Sent. p. II art. 2 q. 3 (ed. Quaracchi IV, 633 sqq.) et alii theologi scholastici episcopatum non esse ordinem sacramentalem a presbyterali distinctum affirmant; plures ex modernis theologis praesertim *Petrus Soto*, De inst. sacerdotum (Lugduni 1587) f. 251v oppositum tenent. Hac de quaestione cfr. *B. Bartmann*, Lehrbuch der Dogmatik II[4-5] 454 sq.; *I. Pohle* Lehrbuch der Dogmatik III[7] 498 sqq.; *I. Schulte-Plassmann*, Der Episkopat ein vom Presbyterat verschiedener und sakramentaler Ordo (1883).

[4] Cfr. in Breviario Romano primam antiphonam vesperarum de communi confessoris pontificis.

[5] Cfr. *G. Philipps*, Kirchenrecht I 319 sqq.; *P. Hinschius*, Kirchenrecht I 5.

posset, quia maior est ordine. Dicas, quod non est solum haec potestas ex maioritate ordinis, sed etiam maioritate iurisdictionis. Diceres: Tres episcopi ordinant episcopum, tamen episcopus non est maior episcopo. Dicit quidam, quod est maioritas extensiva, sed non intensiva. Sed hoc nihil est, quia Paulus solus episcopos constituebat, similiter Timotheus et Titus. Dicas, quod haec authoritas emanat a summo pontifice. Diceres igitur: Summus pontifex instituere posset, ut tres sacerdotes unum sacerdotem consecrarent, quod non conceditur; igitur nec illud posset responderi etc.

Praeterea ordinatus ab episcopo degradato non reordinatur, tamen talis degradatus non habet iurisdictionem, qua sit maior ordinato; igitur est maior ordine, aliter non posset benedicere; nisi dicas, quod est maior gradu ordinis, sed non ordine, quia habet in summo

Tertia pars etiam est erronea, videlicet, quod episcopi ius ordinandi | non habent. 56v
Nam Clemens in prima epist. ad Iacobum fratrem Domini[1]: Petrus, inquit, ordinavit episcopos et presbyteros, et Titus *per civitates presbyteros constituebat*[2], id est ordinabat Forte haereticus intelliget, quod ius ordinandi non habeat, idest conferendi verum ordinem, qui sit sacramentum. Si sic intelligat, supra est reprobatum, cum probatum sit, quod ordo vere est sacramentum. Sic potest esse falsum, ius ordinandi commune esse episcopis et presbyteris; neque enim ecclesia hoc sensit neque hanc tenuit consuetudinem, ut sacerdotes ordinarent una cum episcopis.

Quarta insuper pars falsa est, quod videlicet ordinationes ab episcopis sine plebis consensu irritae sint, quia etiam, quod consensus plebis requireretur, non est quid essentiale ad ordinationem pertinens; ideo irritare tales ordinationes non valet. Et nescio, quomodo tam temere ista pronuncient, cum apostolos et tot summos pontifices clarissimos et sanctissimos viros multas sine plebis aut populi consensu ordinationes fecisse legamus, ut ex historiis perspicuum est. Nonne ordinationes sacerdotum Veteris Testamenti legitimae erant, erantne irritae et vanae?

Quare ...[3].

29.

Gentianus Hervetus: De matrimoniis clandestinis[4].

[Romae 20. Ianuarii 1552].

Florentiae *Carte Cerv. Filza 29* f. 295r-304r, cop. coaeva; Romae Arch. Vat. *Concilio 104* f. 191 sqq., cop. coaeva; ed. *Baluze-Mansi*, Miscellanea III 493-497. Quae ab auctore ipso Lutetiae Parisiorum 1560 typis data est forma, posterior est, anno 1556 episcopo Aurelianensi dedicata diversisque in locis aucta denuoque impressa Venetiis 1563 (cfr. *Calenzio*, Doc. ined. 559) et apud *Le Plat* IV 365-385. Nos priorem exhibemus formam, quae a. 1552 concilio transmissa est, posterioris additamenta adnotantes partemque quintam ut nimis differentem in appendice collocantes.

Post epistolam dedicatoriam ad concilium Tridentinum auctor I. quid probandum sit, explicat, scil. matrimonia sine parentum consensu inita irrita esse. Quam sententiam probare nititur II. ex sacra utriusque testamenti scriptura, III. ex iure civili et canonico, IV. ex patribus. V. Solvit adversariorum obiectiones.

[Dedicatio].

⟨De matrimoniis clandestinis sanctae synodo Tridentinae Gentianus Hervetus Aurelianensis salutem in Christo Iesu dicit plurimam. Carte Cerv. Filza 29 f. 295r

Cum Bononiam translato concilio ceteris iam examinatis sacramentis ventum esset ad sacramentum matrimonii, inter cetera de matrimoniis clandestinis fuit non parva controversia.

[1] Haec verba l. c. (Decretales Pseudo-Isidorianae ed. *Hinschius* 30-60) non inveniuntur, licet saepius de episcopis et presbyteris mentio fiat.

[2] Cfr. *Tit.* 1, 5.

[3] Sic explicit tractatus.

[4] Gentiani Herveti, tum cardinalis Cervini familiaris, litterarum praesertim Graecarum peritissimi (cfr. *Conc. Trid.* I 197 adn. 3; XII 530 adn. 5), tractatum collectioni nostrae hoc loco inseruimus, quia Ian. 1552 concilio Tridentino est dedicatus destinatusque, ut patres de quaestione Bononiae anno 1547 multum controversa (cfr. supra n. 14) certiores faceret et ad deliberationes de sacramento matrimonii, quae imminebant, praepararet.

Quo tempore composuerit opusculum, auctor ipse in praefatione narrat; quae autem moverit eum ratio ad reassumendum prius inceptum laborem, exponit in epistola, qua formam posteriorem auctam Aurelianensi episcopo dedicavit, quam annecti hic liceat:

Lucii III pont. max. rescriptum, quod situm est in titulo de raptoribus, si ita intelligatur, ut omnes fere recentes iuris pontificii interpretes intelligunt, quam multos evertat antiquissimos canones, non dubito, quin pro Tua prudentia facile intelligas. Hanc ego repugnantiam cum viderem, ex qua in rempublicam non parva invehuntur incommoda, tentavi sedulo, possetne aliqua iniri ratio tollendae antinomiae. Huius itaque rescripti singula verba tam diligenter perpendi, excussi et exami-

Quo quidem tempore, cum ego quoque statuissem de ea re meam dicere sententiam, hoc ne facerem, obstitit id quod inceptam concilii causam tunc retardavit. Nunc autem, cum, unde prius discesserat, redierit concilium et quae intermissa fuerant, Christo duce rursus feliciter tractentur sitque, ut audio, propediem de matrimonio agendum, id ipsum, quod Bononiae dicere constitueram, statui, Reverendissimi patres, Tridentum ad Vos mittere, sperans fore, ut id legisse minime poeniteat. Vos autem oro et obsecro, ut rem pro vestra prudentia diligenter considerantes, id quod a me dicitur, in bonam partem accipiatis. Dico plane et aperte, quod hac in re controversa tam videtur verisimile, ut id verum esse omnino mihi persuadeam. Quidquid tamen dico, id totum Vestrae subiicio censurae, ut qui sim semper secuturus, quidquid Spiritui Sancto videbitur et Vobis. Valete in Christo felicissime. Romae, xx. Ianuarii 1552〉[a]. |

I.

296ʳ Quoniam magna est de clandestinis matrimoniis hodierna die controversia, nec desunt, qui ea omnino infirmanda et irrita declaranda esse censeant; alii vero iure quidem prohibita esse censent, sed rata tamen esse et valida, si ea fuisse contracta probari possit, operae pretium primum fuerit videre, quaenam dicuntur clandestina matrimonia. Ea autem ego esse statuo, quae non publice et cum iis, quae a iure requiruntur, ceremoniis, sed clam et in occulto contrahuntur[1]. Ea autem esse prohibita, nulli erit dubium, qui [C.] 30 q. 5 et totum titulum de clandestina desponsatione [IV 3][2] legerit. Sed quaeritur, an sint firma et valida. Si autem prohibitionis ratio attenditur, quaestio facillime solvetur. Cum enim ideo prohibeantur matrimonia clandestina, quod cum ea non adhibitis testibus contrahantur, si alterutra pars velit a pacto convento resilire, alteri deerunt probationes, clarum est, quod si vel uterque confiteatur contractum esse matrimonium vel id aliqua ratione plane probari possit, verum, ratum et minime dissolvendum erit matrimonium, addo etiam legitimum. Nam, etsi ideo forte dici potest illegitimum, quia non cum iis, quae a iure requiruntur, ceremoniis sit celebratum, legitimum tamen est, quatenus est a iure permissum, adeo ut ex eo filii nascantur legitimi, quos ex illegitimo posse nasci matrimonio dicere esset plane stultum et ridiculum. Haec autem omnia ita demum vera sunt, si inter eas personas contrahatur matrimonium, inter quas iure licet contrahere. Ad hoc enim, ut verum sit et legitimum matrimonium, necessario requiritur, ut ii contrahant, qui iure non prohibentur contrahere et hoc merito dici potest esse, ut loquuntur, de substantia contractus. Si itaque cum persona

[a] *Conc. 104 om. – Ed. princeps et Le Plat dedicatoriam hic epistolam inserunt, de qua adn., necnon praefationem ad lectorem sequentem:* Quam leges orationem, velim te admonitum eam a me eo tempore fuisse scriptam, quo Tridento Bononiam translato concilio de clandestinis agi coeperat matrimoniis. Statueram autem eam habere ad concilium, nisi id a Paulo III sanctae memoriae pont. max. fuisset suspensum. Hoc autem ideo dico, ne me putes novum aliquod dogma velle inducere aut temere velle aliquid definire. Disputandi tantum gratia affero rationes, quae me moverunt, ut in hanc sententiam sim propensior, ut si disputationibus et argumentis contigerit elucere veritatem, aliquid tandem certi vel a concilio vel a pontifice maximo de hac re statuatur. Quorum divinae ut par est auctoritati me et mea omnia semper submittere constitui. Quae autem hic a me dicuntur, non sunt accipienda tamquam aliquid affirmem, sed tamquam in medium afferam, quae dici possent, si quis disputando vellet hanc tueri partem, concilio interim vel pontifici maximo, sine quibus nihil est omnino innovandum, integrum relinquens iudicium. Vale.

navi, ut tandem ex profundissimis tenebris veluti quaedam clarissima lux veritatis exoriri visa sit. Hanc autem meam in hoc capite exponendo sententiam cum multis viris longe doctissimis, qui omnes eam suis suffragiis comprobarunt, ostendissem statuissemque eam in lucem edere, nemo mihi occurrit, cuius auspiciis in publicum exiret felicius quam Tuis, cuius acerrimum iudicium et summa aequitas cum eximia doctrina et insigni naturae bonitate coniuncta Te non minus reddunt admirandum quam omnibus carissimum. Quae quidem omnia auditione iam diu abhinc accepta aliquot iam mensibus, quibus Tu me in Tuam ascivisti familiam, mihi abunde cognita et perspecta fuere. Quamquam autem haec mea in hoc capite exponendo sententia hactenus mihi visa sit satis probabilis, nolo tamen eam adeo mordicus tenere et tam acriter defendere, quin, si quis aut plures ac probabiliores afferat rationes, aut fide dignioribus nitatur auctoritatibus, aut proferat integrum Lucii III rescriptum, ex quo haberi possit ipsa facti narratio diversa ab ea, quam ponimus, paratus sim protinus canere palinodiam. Interim autem ea, cuiusmodicumque sunt, acerrimo Tuo et doctorum omnium iudicio subiiciens tam omnium aequam exspecto et exopto sententiam, quam, quod sentio, christianae reipublicae non inutile futurum esse mihi persuadeo. Vale, Lutetiae Parisiorum, Idibus Maii 1555.

[1] *Henricus de Segusio,* Summa aurea (Lugduni 1556) f. 296ʳ quattuor vel sex modos matrimoniorum clandestinorum distinguit:

P r i m o [*dicuntur clandestina*], *quia omittuntur solemnitates quaedam, quae ibi requiruntur, de honestate scil., quod benedictio detur in facie ecclesiae, et ut sponsa ab his, sub quorum dominio et potestate est, petatur et recipiatur et dotetur...*

S e c u n d o *matrimonia dicuntur clandestina, quia clam contrahuntur sine aliquibus testibus.*

[2] *Friedberg* I 1104 sqq.; II 679 sq. – De forma matrimonii cfr. *Lexikon f. Theologie u. Kirche* III 557 sqq.

prohibita contrahatur, sive sit publicum sive clandestinum matrimonium, semper est illicitum, nec potest consistere ut quod sit ipso iure nullum. His nunc ita iactis fundamentis accedamus ad id, quod hac in re videtur omnium difficillimum. Quaeritur, an si filia familias clandestinum cum aliquo matrimonium contraxerit et uterque eorum id confiteatur, adeo ut probatione non sit opus, et per solemnes ritus et ceremonias id confirmari petat, an id satis sit ad hoc, ut firmum et legitimum matrimonium, etsi parentes non consenserint, dicatur et habeatur. Ego quidem | in hac sum sententia, ut existimem matrimonium sine consensu 296v parentum, qui filios habent in potestate, nullo modo posse consistere, et inter eos inita coniugia esse fornicationes et stupra eaque tum demum legitima futura, si neutra pars ab eis resilire statuerit et accedens parentum consensus id comprobaverit. Ac primum quidem in filiis familias esse necessarium parentum consensum (id enim primo loco planum faciendum est) tam Veteri quam Novo Testamento, et tam iure civili quam iure pontificio facile ostendi potest.

II.

Quantam diligentiam adhibuerunt veteres illi patriarchae, ut, quas e re eorum existimabant, filii sui uxores ducerent? Quam rursus pudice et verecunde se gesserunt puellae, ad quas petendas missi erant, quae nunquam, dum de suo matrimonio ageretur, se ingesserunt, sed quod suis parentibus visum erat, secutae sunt? Adiurat Abraham iam provectae aetatis seniorem suum servum, ut de filiabus Chananaeorum filio suo Isaac uxorem non accipiat, sed ex terra et cognatione sua. Qui servus ad Bathuelem profectus, cum ei Abrahae mandatum exposuisset, responderunt Laban et Bathuel [1]: *A Domino egressus est sermo; non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam et proficiscere et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus.* Cum is autem iam esset abiturus, dicunt parentes: *Vocemus puellam et quaeramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quae ait: Vadam.* Haec est ut antiquissima, ita longe pulcherrima matrimonii forma, cum praeeuntem parentum voluntatem filiorum voluntas sequitur, non cum, quod inconsultis parentibus stulte et insolenter a filiis gestum est, parentes velint nolint comprobare coguntur, dum id nulla possunt ratione rescindere. Misit etiam Isaac filium suum Iacob ad Laban in Mesopotamiam, ut ab eo filiam suam uxorem peteret. Qui cum septem annis pro Rachel servisset, non legitimum tamen nec firmum duxit esse matrimonium, | nisi eam a patre petiisset. *Da mihi,* 297r inquit [2], *uxorem.* In cuius locum cum Lia fuisset ei supposita, septem aliis annis servire coactus a patre, tandem Rachelem accepit. Porro autem non fuisse eo tempore verum matrimonium, nisi filiae familias voluntati paternus etiam consensus accederet, eos quoque sensisse, qui erant a Dei cultu alieni, testatur Sichem, qui cum Dinae, Iacob et Liae filiae, stuprum attulisset et blandis verbis ad eius amorem pellexisset, a patre contendit, ut eam sibi uxorem ab Iacob, filiae patre, petat, non facturus, si solum puellae consensum, quem amatoriis verbis et illecebris iam sibi conciliaverat, satis esse putasset. Quid autem consecutum sit, non est quod hic persequamur [a]. Possent hic multa alia afferri: haec tamen satis esse existimo, ut intelligatur in Veteri Testamento fuisse necessarius parentis consensus.

In Novo autem Testamento, licet nullus inveniretur locus, quo id probari posset, satis tamen esset, si ostenderetur id nusquam fuisse immutatum. Sed cum ex divo Paulo aperte constet in potestate fuisse patris filiam suam vel dare nuptum vel non dare, quis negare potest tam Novo quam Veteri Testamento necessarium fuisse patris consensum? Quid igitur dicit Paulus [3]? *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta et ita oportet fieri, quod vult faciat; non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit.* An non clarissime dicit his verbis Paulus iungendi vel non iungendi matrimonio filiam in patris arbitrio potestatem esse sitam?

[a] *Ed. princ. et Le Plat add.* Quid, quod in *Exodo* [22, 16] scribitur, quam aperte ostendit necessarium esse patris consensum? *Si seduxerit,* inquit, *quis virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit uxorem. Si vero virginis pater dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Frustra ergo seductor et seducta inter se consensissent, nisi pater eam dare voluisset. Possent hic multa alia afferri, haec tamen satis esse existimo, ut intelligatur in Veteri Testamento fuisse necessarium parentis consensum.

[1] *Gen.* 24, 50 sq. [2] *Gen.* 29, 21. [3] *1 Cor.* 7, 36 sq.

III.

Iure autem civili quid clarius quam filium vel filiam familias non posse legitime coniungi matrimonio, nisi is consentiat, qui eos habet in potestate? Si tamen filiam 25 annos natam pater matrimonio locare distulerit, ea se ipsam libere poterit iungere matrimonio. Quod autem ex eo, quod Iustinianus[1] inter exheredationis causas enumerat, si filia 297v fornicetur vel se vili et abiectae et infami personae matrimonio | coniungat, ex eo inferre volunt, nonesse omnino necessarium patris consensum. Eum nodum Theodorus Balsamon[2], doctus canonum interpres, pulchre explicat: *Debemus,* inquit, *dicere et fornicationi et matrimonio quandoque posse patrem veniam dare. Si enim filia nupserit sive ante perfectam aetatem sive post viro, qui infamia laborat, ita ut pater per matrimonium non afficiatur atroci iniuria, matrimonium quidem patre interveniente solvetur, ut quod non possit consistere, filia autem non exheredabitur. Quod etiam fiet, si similiter fornicata sit. Sin autem patri atrocem iniuriam attulerit, sive dum nubit, sive dum fornicatur, omnino exheredabitur. Idem etiam fit in filio.* Constat ergo iure civili esse in filiorum filiarumve familias contrahendo matrimonio parentum necessarium consensum. Qui si tollatur, patria certe potestas, quae olim tanta fuit, ut filiorum vita et mors in manu parentum sita esset, ad nihilum propemodum redierit[3].

Restat nunc, ut ad nostrum ius pontificium descendamus, a cuius constitutione matrimonium, ut quod sit ecclesiae sacramentum, dependeat oportet. Atque hoc quidem in loco hoc mihi videor iure posse dicere, quod cum inter leges et canones tanta sit convenientia et concordia, ut nonnulli iuris pontificii interpretes non vereantur eos fratres et sorores appellare, si quid in iure pontificio non fuerit correctum, ut iuri civili stetur, tacite decretum videri. Cum igitur iure pontificio nec patria potestas sublata sit nec parentibus ademptus, qui in filiorum familias matrimonio necessario requiritur consensus, an non aperte patribus iniuriam facimus, dum eos patria potestate privamus? Haec dici possent, si iure pontificio de ea re nihil fuisset constitutum, cum autem ipsi canones vel praecedentem vel subsequentem parentum consensum omnino exigant, quid indignius quam per falsam iuris interpretationem quempiam iure suo privare? Videamus, quaeso, quid dicat SS. pontifex Evaristus[4]: *Aliter legitimum non sit*[a] *coniugium, nisi ab iis, qui super ipsam feminam domi-* 298r *nationem habere videntur,* | *et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus et propinquioribus sponsetur et legibus dotetur.* An non clarum est Evaristum exigere non solum ut parentes consentiant, sed etiam ut filiam tradant? Sed operae pretium est videre, quid nonnulli afferant, ut hoc in loco, qui est longe apertissimus, parentibus consensum adimant. « Quae », inquiunt, « hic ab Evaristo posita sunt, non esse de substantia contractus, ex hoc intelligi potest, quod pleraque fere omnia exoleverint, ut, quod de paranymphis dicitur, de precibus et oblationibus, de vacando biduo vel triduo orationibus ». Imo vero ea exoleverunt, quae ad rei ipsius constitutionem non erant necessaria, et quae propter aliud constituta erant, id certe, propter quod constituta fuerant, exolevisse non potuit. Cum itaque ad declarandum parentum consensum haec maxima ex parte instituta fuerant, ipsa quidem exoleverunt, quae non erant de substantia, parentis autem necessarius omnino remansit consensus, nisi ei fiat iniuria, qui quomodocumque declaretur, modo de eo constet, non refert. In primis considerandum est, quodnam sit legislatoris institutum, quo intellecto et diligenter servato, si, quae sunt minus necessaria, forte praetermittantur aut exolescant, id facilius ferendum; a toto vero legis scopo omnino recedere, hoc vero minime est permittendum. Sed quam est, ut eis videtur subtile et acutum, quod adferunt ad tollendum, quod dicit Evaristus, non esse legitimum coniugium! « Verum est », inquiunt, « matrimonium, quod fit sine consensu parentum, et si non sit legitimum ». Admittamus posse esse aliquod verum matrimonium, quod non sit legitimum, dum constet non nasci filios legitimos, nisi ex matrimonio legitimo; verum autem matrimonium esse qui potest, cum ab Evaristo non coniugium, sed adulterium,

[a] *Le Plat et Gratianus* fit *Simili modo textus saepius ab autore mutantur*

[1] 11 Nov. CXV ut cum de appellatione c. 3, *Schoell-Kroll* 538. Cfr. Inst. de nuptiis I 10, *Krueger* 4; l. 2 Dig. de ritu nuptiarum XXIII 2, *Mommsen-Krueger* 330; Cod. de nuptiis V 4, *Krueger* 195 sqq.

[2] Nomocanon Photii cum commentariis Theod. Balsamonis ed. *Chr. Iustellius* (Parisiis 1615) 228v (tit. XIII cap. 9). Cfr. *K. Krumbacher*, Geschichte der byzantinischen Literatur (München 1897) 607.

[3] Cfr. l. 11 Dig. de liberis et posthumis XXVIII 2, *Krueger* 412.

[4] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 87 sq.; apud Gratianum c. 1 *Aliter* C. 30 q. 5, *Friedberg* I 1104.

contubernium, stuprum et fornicatio dicatur? An non | sunt haec verba E v a r i s t i? *Ita* 298v *peracta legitima scitote esse connubia, aliter vero praesumpta non coniugia, sed adulteria vel contubernia vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima coniugia esse non dubitatur.* Haecne vobis videntur vera esse matrimonia? Video, quid dicant, me ultimam partem canonis omittere, et incivile esse, nisi unaquaque legis parte perspecta iudicare. Nolo incivilis aut agrestis videri; ea quoque proferatur. Quid dicit? *Nisi voluntas propria suffragata fuerit et vota succurrerint legitima.* « Erunt », inquiunt, « fornicationes et stupra, nisi inter se consenserint et in votis habuerint matrimonium solemniter celebrare ». Haec si interpretatio vera sit, ut ego eam falsam esse non dubito, aut ego plane desipio, aut viro sanctissimo et sapientissimo stultitiae nota plane inuritur. Ita enim agam cum Evaristo « Quid tibi vis, sanctissime Evariste? Ita praesumpta coniugia stupra et fornicationes appellas, hanc autem addis exceptionem, quae totam eam rem in eorum, qui contrahunt, arbitrio ita collocet, ut quomodocumque contrahant et quomodocumque inter se habitent et versentur, fornicationis crimen semper evitent? Nam si consensisse et solemniter celebrandi matrimonii votum habuisse sufficit, quis nescit sine consensu nunquam contrahi matrimonium et in potestate eorum esse positum, ut dicant se celebrandi matrimonii votum habuisse? Si ergo consensisse et votum habuisse satis est, nunquam stupri et fornicationis ita accusari poterunt, quin tuum possint canonem circumvenire et eludere ». Nunquam haec fuit divi Evaristi sententia. Quae si esset, tamen, cum in matrimonii celebratione hoc inter cetera atque adeo in primis contineatur, ut parentes filiam | tradant, in voto quoque eorum erit, ut parentis 299r consensus, qui praecedere debuerat, sequatur. Quae est ergo Evaristi sententia? Ego salvo semper meliori iudicio hanc esse existimo, ut dicat duo requiri ad hoc, ut clandestinum matrimonium inter filium aut filiam familias sine consensu patris initum confirmetur et legitimum efficiatur: Unum, ut priori consensui sequens eorum voluntas suffragetur, adeo ut, cum sine consensu parentum consistere non potuerit matrimonium, liceat alterutri, si velit, ab eo recedere; a l t e r u m, ut id patris consensu confirmetur et comprobetur; patris enim consensum legitimum votum vocat, ut quod a lege necessaria requiratur. Alioqui si dicas illud, quod dicitur *propria voluntas suffragata fuerit*, intelligi de primo illo contrahentium consensu, quid ea opus erat exceptione, cum constet, sine consensu nullum umquam matrimonium perfici? Et si per votum legitimum intelligatur voluntas matrimonii quandoque celebrandi, quis non videt rem esse plane ridiculam et ludificatoriam? Accedit his, quod haec duo vocabula, licet *suffragata fuerit* et *occurrerit* [a], plane significant alicui rei iam quidem factae, sed quae aliquo adhuc patrocinio et auxilio indiget, postea remedium afferri, quod non fieret, si per ipsum in contrahendo consensum et de celebrando votum verum et ratum fieret matrimonium [b]. Ut autem intelligamus, hanc esse veram et germanam Evaristi sententiam, proferam tres B a s i l i i C a e s a r i e n s i s canones ex Graecorum Nomocanone desumptos, qui sunt Evaristi canoni usque adeo similes, ut alter ab altero accepisse videatur. Basilius certe Evaristum interpretatur aperte, unus autem ex eis ita habet [1]: *Puellis, quae praeter patris sententiam fornicatores secutae sunt, reconciliatis parentibus videtur res remedium accipere, sed non protinus ad | communionem restituantur, sed triennio puniuntur.* H u n c 299v canonem ita exponit T h e o d o r u s B a l s a m o n [2]: *Puellas hic Sanctus eas appellat, quae sunt in potestate parentum; dicit ergo, quod, si alicuius puellae se ipsas suis amatoribus tradiderint praeter suorum parentum sententiam et ab illis vitium ipsis allatum fuerit, etiamsi matrimonio sibi esse coniunctae videantur, matrimonium eius, quae est in parentis potestate, non possit consistere; sin autem parentes ipsarum eis reconciliati fuerint et eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei illa ratione videtur remedium afferri. Quod enim ab initio male factum est, parentum postea consensus reparare videtur. Sed ea non est statim recipienda ad communionem, sed post tres annos.* Multa alia dicit hic Balsamon notatu digna quae longum nimis esset hic adducere.

[a] *Sic! Le Plat rectius* succurrerit [b] *Ed. princ. et Le Plat add.* Aut rursus dici potest quod in idem recidit, ut dicamus *vota legitima* matrimonii legitimam celebrationem, quasi diceret: Non prius erit legitimum matrimonium, quam id fuerit legitime celebratum. Quae sit autem forma celebrandi legitimi matrimonii, ipse prius exposuit, in quo inter cetera vult puellam desponsari a parentibus. Atque votum quidem accipi pro matrimonio est satis usitatum, ut cum dicimus mulierem transire ad secunda vota. Votum autem legitimum nusquam, quod sciam, invenitur significare propositum celebrandi legitime. Utrovis ergo modo accipiatur, vel pro ipsa legitima matrimonii celebratione, quae parentum etiam consensum includit, quod verbis ipsis magis videtur convenire, vel pro ipsa parentum voluntate, Evaristi non ridicula, sed tanto viro plane digna videbitur sententia.

[1] *Basilius*, Ep. 199 can. 38, *Migne gr.* 32, 727-8. [2] *Migne gr.* 138, 705-6. Aliam utitur versione auctor.

Est et alius canon, cuius haec verba sunt [1]: *Quae praeter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est, quae autem postea libero matrimonio usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verum matrimonium. Eorum enim, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmitatis nihil habent.* Alius quoque eiusdem canon ita habet [2]: *Quae sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes; nec ergo vivente patre nec domino sunt ab accusatione liberi, donec coniugio ii, quorum est potestas, annuerint; tunc enim firmitatem accipit coniugium.* Planumne vobis factum est idem cum Evaristo sentire Basilium adeo, ut, si utrique credendum sit, ut certe credendum est, sine parentum consensu non possit consistere matrimonium? Est enim canon concilii Carthaginensis, qui sponsum et sponsam, cum sunt benedicendi a sacerdote, a parentibus vel paranymphis offerri iubet sacerdoti [3]. Dicit etiam Leo papa [4]: *Paterno arbitrio feminae viris iunctae carent culpa.* Quod exponens idem Gratianus, qui cum adducit, ita dicit [5]: *Cum ergo dicitur « paterno arbitrio feminae*
300r *iunctae viris »,* | *datur intelligi, quod paternus consensus desideratur in nuptiis nec sine eo legitimae nuptiae habeantur, iuxta illud Evaristi papae: Aliter non sit legitimum coniugium nisi a parentibus tradatur.* Quo magis mirum est, quid idem sibi, ut videtur, contrarius dixerit clandestina coniugia contra leges quidem fieri, contracta tamen non posse dissolvi, quia ex legitimo voto subsequente corroborantur, unde Evaristus cum dixisset: *Aliter praesumpta non sunt coniugia, sed adulteria*, addidit *nisi voluntas propria.* Quod tamen dicit, ita demum verum esse potest, si inter eas personas contractum fuerit matrimonium, inter quas potest consistere, filium autem familias aut filiam familias non posse contrahere matrimonium sine consensu parentum iam satis ostensum est. Qui si hoc etiam de iis, qui sunt in potestate, intellexit, quod tamen non satis constat, ex eo deceptus est, quod, quid sibi vellet ultima clausula, non intellexerit. Ei autem quamquam hoc nomine multum debeamus, quod in colligendis antiquis canonibus christianae reipublicae egregiam operam navaverit, ei tamen non usque adeo addicti esse debemus, ut, si qua in re erraverit, eius errorem defendere velimus. Eum autem in multis errasse vel hoc, ut cetera omittam, satis argumento est, quod et de confessione ita disputat, ut et dubium relinquat, an soli Deo satis sit confiteri, eumque errorem Graecis tribuat, quod tamen est falsissimum. Cum autem de iure quaeritur, non quid dicat |
301v Gratianus, sed quae sit eorum, quos adducit, canonum sententia, spectandum est [a].

IV.

Hanc etiam de necessario parentum consensu sententiam praeter Veteris et Novi Testamenti auctoritatem iurisque civilis et pontificii constitutionem veterum etiam ecclesiae doctorum scripta confirmant. Pulchre profecto Tertullianus in exhortatione ad uxorem [6], ut, si cum priorem decedere contigisset, non alii viro, sed Christo nuberet, ita scribit: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignatum angeli renuntiant, pater rato habet? Nam nec in terris filii sine*

[a] *Ed. princ. et Le Plat add.* Sed cur Gratianum innocentem accusamus, cum quod in eum confertur, a se possit facillime repellere? Ut qui disertis verbis dicat patrium requiri consensum. Eius enim haec sunt verba [c. 11 C. 36 q. 2]: « Legitime igitur post poenitentiam peractam raptor poterit sibi copulare quam rapuit, nisi pater puellae illam raptori detrahere voluerit ». Ut necessarium autem patris esse consensum ostendat, subiungit, quid de patris consensu in filiorum familias matrimonio dicant leges codicis, digestorum et institutionum, non facturus, si eas a canonibus sentiret fuisse abrogatas. His etiam accedit, quod id quod ex Exodo superius citavimus, ut ostenderemus fuisse necessarium patris consensum Veteri Testamento, translatum est a Gregorio IX in titulum de adult. et stupro [V 16], quod numquam fecisset, si ius pontificium a lege veteri hac in re discrepasset.

Sed fortasse dicent non esse, quod nos de seducta hic loquamur, cum verba fiant de ea, quae sua sponte prudensque et sciens contraxerit, non de ea, quae blandis verbis in fraudem inducta fuerit. Age, ita sit, quamquam non video, quomodo puella aliqua citra consensum parentum alicui possit nubere, si non sit seducta. Sed concedamus posse fieri. Hoc quaero: Liceatne huic seductae et vitiatae seductori sua auctoritate nubere an non? Si dicant licere, quid opus erat dicere « si vero virginis pater dare noluerit », cum nubere aut non nubere sit positum in libera filiae potestate? Sin vero non temere hoc dictum est, in potestate patris videtur esse dare aut non dare. Ergo sine consensu patris non potest nubere. Ex hoc loco nunquam, ut arbitror, poterunt evadere, nisi forte dicant in *Deut.* [22, 28 sq.], cum eadem lex fertur, patris nullam fieri mentionem. Sed cum priorem citet Gregorius [IX], iure pontificio ei standum videtur. Sed nec ea secunda lex corrigit priorem, sed tantum adiicit seductorem daturum patri virginis quinquaginta siclos argenti, quod est intelligendum, si pater virginis eam dare voluerit.

[1] *Basilius*, Ep. 199 can. 40, *Migne gr.* 32, 727-730.
[2] Ibid. can. 42, *Migne gr.* 32, 729-30.
[3] Can. 13 Cartheginensi IV falso addictus *Mansi* III 952; Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 304.
[4] Leo I, Ep. 167 c. 5, *Migne* 54, 1205, locus allegatus a Gratiano c. 12 *Non omnis* C. 32 q. 2, *Friedberg* I 1123.
[5] L. c.
[6] *Tertullianus*, Ad uxorem l. II c. 9, *Migne* 1, 1302 (non verbotenus).

consensu patrum rite et iure nubent. Audisne sine consensu patrum non [esse] verum, iustum ac legitimum matrimonium? A m b r o s i u s in libro quoque de patriarchis exemplo Rebeccae probat electionem mariti esse a virgine deferendam parentibus [1]. Quo in loco adducit pulcherrimum illud E u r i p i d i s in Andromacha, in quo ita dicit Hermondas [2]: *Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μεριμνάζει, κ᾽ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.* Matrimonii mei curam meus geret pater neque est enim haec iudicare meum [a].

V.

Sed videamus, quaeso, quibusnam auctoritatibus aut rationibus nitantur, qui c o n t r a r i a m s e n t e n t i a m defendunt. Afferunt auctoritatem C h r y s o s t o m i | quaehabetur[C.] 302r 27 q. 2 [3], quae ita habet: *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas.* Quid tum? Quasi vero negetur proprium consensum esse necessarium ad matrimonium contrahendum. Hoc nemo unquam dixerit. Vere tamen omnino dicendum est esse ita necessarium patris quoque accedere consensum (de iis loquor, qui sunt in potestate), ut sine eo non possit consistere matrimonium.

Citant etiam eum, qui statim sequitur N i c o l a i papae canonem [4], qui ita dicit: *Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu et coniunctionibus agitur, qui solus, si defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrentur.* « Videtis », inquiunt, « sufficere solum contrahentium consensum nec aliquid aliud requiri », et non animadvertunt haec ipsa, quae adducunt, secum ferre solutionem. Cum enim dicitur *secundum leges consensus,* quis non clare perspicit in filio aut filia familias non posse dici consensum secundum leges, nisi cum consensum pater ratum habeat [b]?

Est et decretalis epistola I n n o c e n t i i III ad episcopum Brixiensem [5], quae ita habet: *Postulasti, utrum ex solis verbis, et ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris con|sensum, sed necessaria sunt, quantum ad ecclesiam verba consensum exprimentia de* 302v *praesenti; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis et pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligantur minime consentire.* « Nonne clarum est », inquiunt, « Innocentium praeter solum consensum nihil requirere »? Nec itidem animadvertunt eum non de quovis consensu loqui, sed de legitimo, cum dicit *legitimum consensum.* In filiis autem familias non est legitimus consensus, nisi quem pater ratum habuerit et suo consensu confirmaverit. Alioqui si quemvis consensum ad matrimonium contrahendum sufficere existimant, non intelligunt se consanguinitatis et affinitatis omne discrimen tollere et promiscuam coniunctionem ubique introducere. Quod si non ita sentiunt, sed legitimum consensum a iure prohibitas personas excludere definiunt, cur non eum etiam ad filiosfamilias extendunt, quos leges diserte et dilucide vetant sine consensu parentum matrimonium contrahere, et nisi id ratum habeant, pronunciant non posse consistere [c]?

Hae sunt, quas pro se ferunt auctoritates, quas non solum pro eis facere, sed etiam adversus eos pugnare, nemo est paulo consideratior, qui non clare intelligat. Et tamen ex earum male intellectarum ineptis glossematibus maxima christianae reipublicae incommoda et incredibiles offensiones nescio quot iam annorum | curriculis promanavere. Nam quod 303r nonnulli existimant primam illam legem statim latam post creationem, quae dicit [6]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae,* pro hac eorum sententia facere, quam hoc verum sit, ex hoc facile potest intelligi, quod ea iubeat suae adhaerere uxori. Uxor ergo sit oportet, priusquam ei adhaereatur. Uxor autem esse non potest, nisi inter virum et mulierem legitimus consensus intercesserit; sine patris autem consensu non est, ut

[a] *Ed. princ. et Le Plat add.* Quod si idem S. Ambrosius dicit lib. III de virginibus: « Quibus licet sponsum eligere, non licet Deum praeferre », non est ita accipiendum, quod permittat puellae potestatem eligendi, quem velit sponsum contra leges et canones, quod faceret, si sine consensu patris filiam familias sibi sponsum eligere nosse statueret, et ipse sibi ipsi repugnaret [b] *Ed princ. et Le Plat add.* Quod autem nonnulli — sumus facturi. *Vide in app. huius tractatus.* [c] *Ed princ. et Le Plat hic inserunt disputationem de Lucii III decretali, quae incipit* Cum causam. *Vide in app. ad hunc tractatum.*

[1] *Ambrosius,* De Abraham l. I c. 9 n. 91, *Migne* 14, 453; locus allegatus a Gratiano c. 13 *Honorantur* C. 32 q. 2, *Friedberg* I 1124.

[2] *Euripides,* Andromache v. 987 sq. (*Nauck* I 78).

[3] *Pseudo-Chrysostomus,* Opus imperf. in Matth. hom. 32, *Migne gr.* 56, 802; locus allegatus a Gratiano c. 1 et c. 4 C. 27 q. 2, *Friedberg* I 1063 sq.

[4] *Nicolaus* I, Responsa ad consulta Bulgarorum c. 3, *Mansi* XV 402 sq.; *Migne* 119, 980; *Friedberg* I 1063.

[5] C. 25 *Tuae fraternitati* X de spons. et matr. IV 1, *Friedberg* II 670; cfr. *Potthast,* Regesta pont. Roman. n. 2656.

[6] *Gen.* 2, 24.

iam diximus, legitimus filiorum familias consensus; rite autem hoc modo procedit argumentatio: Uxor est, ergo propter eam relinquendus est pater et mater. Quod si contra ab aliquo dicatur: Propter uxorem relinquendus est pater et mater, ergo uxor est, an non is statim audiet: Si probes esse uxorem, rite sequetur esse relinquendum patrem et matrem; numquam autem efficies, ut, quia propter uxorem relinquendus est pater et mater, ea uxor dici possit, cum qua non legitime contractum est [a]. His frivolas nescio quas et plane inanes rationes coniungunt; dicunt enim non coacta, sed libera matrimonia esse oportere, quod quidem fatemur, nec ullum cogendum esse censemus, ut matrimonium contrahat. Velit et consentiat quidem necesse est qui contrahit, sed consensus ille legitimus sit oportet. Legitimus autem esse non potest, nisi pater, qui habet in potestate, eum comprobet
303v ac confirmet. Indignum esse clamant, si quis non sit membrorum suorum dominus. Egregium vero dominium, si cui, quod libet, licet. Impune ergo scortemur, adulteremur, et quaelibet flagitia admittamus, ut membra in nostra potestate habere videamur. Quod si qui ad vitia praecipites feruntur, impotentes merito appellantur filii quoque familias, qui patris auctoritate contempta, quem eis optime prospicere consentaneum est, illicite contrahunt, id per nimiam mentis et consilii imbecillitatem facere censendi sunt [b].

Deterioris autem conditionis esse filiosfamilias, quam servos, cum his invitis dominis liceat uxorem ducere, illis invitis patribus non liceat [1], aegre ferre aliquid fortasse rationis haberet, si non paterna in filios benevolentia omnem hunc scrupulum tolleret. In servis enim domini omnia ad suam utilitatem referunt, propter quam iure indignum visum est, ut qui plurimas servitutis molestias perferrent, naturali etiam uxoris coniunctione privarentur et peccare vel inviti cogerentur [c]. Parentibus autem natura insitum est, ut non minorem atque adeo maiorem liberorum suorum quam sui ipsorum curam gerant et rationem habeant. Est ergo iniusta et supervacanea haec illorum querela.

Proferunt etiam ipsi, immo potius confingunt nescio quae incommoda: Tyrannum, qui
304r in patrem imperium habeat, | patrem, qui puellam vel invitam cogat alicui nubere. Sed haec locum haberent, si non ad contrahendum matrimonium eius, qui contrahit, expressus requireretur consensus, quo fit, ut cogi non possit. Quod si forte pater est adeo negligens et dissolutus, quod raro tamen usuvenit, ut nec rei nec honoris rationem ducens eam elocare non curet, poterit puella post XXIII. annum ipsa sibi maritum patre inconsulto procurare nec pater propterea poterit eam exheredare. Nec tamen negari potest aliqua fortassis nonnunquam posse evenire incommoda, sed quae sint levissima, si cum eis conferantur, quae quotidie videmus accidere, nempe parentes, quibus post Deum Opt. Max. plurimum debemus, a filiis contemni, puellas honesto loco natas ab indignissimis hominibus circumventas in servitutem abduci et amatoriis blanditiis delinitas turpissima quaeque probra et quasvis ignominias pati [2]. Quae omnia cessabunt, patres, si, non dico novam aliquam, quae tamen in tantis incommodis iure ferri poterat, [legem] feratis, sed Veteris et Novi Testamenti iurisque civilis et pontificii longe antiquissimam et antiquorum patrum suffragiis comprobatam legem
304v vestra sententia comprobetis et confirmetis, nempe, ut in contrahendis matrimoniis | parentum, quos par est filiis optime consulere, requiratur consensus. Quod si clandestina matrimonia vestra sententia ita comprobetis, ut parentum non esse requirendum consensum statuatis, et eum, qui contradixerit, vestra sententia anathemate notetis, videte, inquam, et diligenter considerate, patres, quanta audacia filios alioqui satis hodie insolentes in parentes armetis. Quos ego nunc mihi videor audire unumquemque suo patri ita dicentes: « Ego te vel invito, pater, cum qua volo matrimonium inibo, et si tu contradixeris, ego te non solum ut excommunicatum, sed etiam ut anathemate notatum vitabo ». Miseri autem parentes hoc unum solatii habebunt, quod si sint revera anathemate notati, Evaristum, Basilium, Tertullianum, Ambrosium, viros longe sanctissimos, eodem anathemate secum comprehendi videbunt, qui omnes aperte dixerunt in contrahendo matrimonio paternum omnino requiri consensum.

[a] *Ed princ. et Le Plat add.* Puellam autem — comprobet ac confirmet. *Vide in app. ad hunc tractatum* [b] *Ed princ. et Le Plat add.* Hi toties loco — contrahere matrimonium. *Vide in app. huius tractatus* [c] *Ed. princ. et Le Plat add.* Peccare autem cogebantur — nauci haberent. *Vide in app. huius tractatus*

[1] Cfr. X de coniugio servorum IV 9, *Friedberg* II 691 sqq.

[2] De malis, quae matrimonia clandestina sequebantur, cfr. quae supra p. 72 adn. 4 adnotavimus.

Appendix ad n. 29:
Partis V forma posterior.

Sed videamus, quaeso, quibusnam aut auctoritatibus aut rationibus nitantur, qui contrariam sententiam defendunt. Afferunt auctoritatem Chrysostomi, quae habetur [C.] 27 q. 2 [1], quae ita habet: *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas.* Quid tum? Quasi vero negetur proprium consensum esse necessarium ad matrimonium contrahendum. Hoc nemo unquam dixerit. Vere tamen omnino dicendum est esse ita necessarium patris quoque accedere consensum (de iis loquor, qui sunt in potestate), ut sine eo non possit consistere matrimonium. Citant etiam eum qui statim sequitur Nicolai papae canonem [2], qui ita dicit: *Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu et coniunctionibus agitur, qui solus si defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* «Videtis», inquiunt, «sufficere solum contrahentium consensum nec aliquid aliud requiri», et non animadvertunt haec ipsa, quae adducunt, secum afferre solutionem. Cum enim dicitur *secundum leges consensus*, quis non clare perspicit in filio aut filia familias non posse dici consensum secundum leges, nisi eum consensum pater ratum habeat? Quod autem nonnulli ponderantes vocabulum *solus* id putant eam habere vim, ut parentum excludat consensum, quantum fallantur, ex hoc videre licet, quod ne animadverterint quidem in tota illa quaestione nihil aliud agi, quam ut ostendatur concubitum non esse necessarium ad hoc, ut sit matrimonium, cum absque possit consistere, convenienter illi regulae iuris: Nuptias non concubitus, sed consensus facit. Qui consensus cum non possit esse aliorum quam eorum, de quorum coniunctionibus agitur, et tamen iure civili fatentur necessarium esse parentum consensum, non eum etiam requiri iure pontificio, ex his verbis nunquam ostendent, maxime cum secundum leges civiles is sit necessarius, quas iure pontificio nusquam esse abrogatas planum, ut spero, sumus facturi

Est et decretalis epistola Innocentii III ad episcopum Brixiensem [3], quae ita habet: *Postulasti, utrum ex solis verbis et ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis et pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligantur minime consentire.* «Nonne clarum est», inquiunt, «Innocentium praeter solum consensum nihil requirere?». Nec itidem animadvertunt eum non de quavis consensu loqui, sed de legitimo, cum dicit *legitimum consensum.* In filiis autem familias non est legitimus consensus, nisi quem pater ratum habuerit et suo consensu confirmaverit; alioqui si quemvis consensum ad contrahendum matrimonium sufficere existimant, non intelligunt se consanguinitatis et affinitatis omne discrimen tollere et promiscuam coniunctionem ubique introducere. Quod si non ita sentiunt, sed legitimum consensum a iure prohibitas personas excludere definiunt, cur non eum etiam ad filios familias extendunt, quos leges diserte et dilucide vetant sine consensu parentum matrimonium contrahere et, nisi id ratum habeant, pronuntiant non posse consistere?

Adducunt etiam, quod dicit Lucius III [4]: *Respondemus, quod, cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum et prius eam desponsaverit quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.* Est hoc caput longe difficillimum, et quod ii, qui contrariam tuentur sententiam, videntur quodammodo constituisse arcem suae opinionis. Nec certe immerito; est enim eiusmodi, ut videatur quasi ex diametro pugnare cum iis, qui dicunt esse necessarium parentum consensum in contrahendo matrimonio, adeo ut Oldendorpius [5], vir certe iuris peritissimus, cum idem quod nos sentiret, ex huius autem capitis verbis contrarium omnino elici putaret, nihil aliud invenit, quo se expediret, nisi ut diceret hoc caput tamquam omnino impium corrigi ab Innocentio III, Connanus autem et Duarenus [6] disertissimi

[1] Cfr. supra p. 151 adn. 3.

[2] Cfr. supra p. 151 adn. 4.

[3] Cfr. supra p. 151 adn. 5.

[4] C. 6 *Quum causam* X de rapt. V 17, *Friedberg* II 809 sq.; *Iaffé-Loewenfeld*, Regesta pont. Rom. n. 15184.

[5] Iohannes Oldendorphius (ca. 1480-1567), quem auctor recte iuris peritissimum appellat, plura evulgavit opera, quorum praecipuum «Εἰσαγωγή iuris naturalis» Coloniae 1539 prodiit. *Allgem. Deutsche Biographie* XXIV 265 sqq.

[6] Quoad Francisci Connani († 1551) iurisconsulti Commentaria iuris civilis (Parisiis 1538) vide *Nouvelle Biogr. générale* XI 491 sq. Francisci Duareni († 1559), Bituricenis professoris, De sacris ecclesiae ministeriis et beneficiis ll. VIII prodierunt Parisiis anno 1551. *Hurter*, Nomenclator II 1557.

iurisconsulti ne afferre quidem tentarunt solutionem, quam se posse invenire, ut puto, desperarunt.

Absit autem, ut dicamus aliquem pontificem aliquid impie scripsisse, et ita invadamus in hanc arcem adversariorum, ut ostendamus Lucium nihil contra nos facere. Atque utinam extaret ipsius Lucii epistola, quae nobis ipsius rei gestae seriem exponeret, ita enim et ex facto se nobis ius ostenderet et pontificis sententia nobis luce clarius elucesceret. Sed cum ea deperierit, agendum ea species facti afferatur, quae et verbis Lucii conveniat et nihil nostrae, Evaristi inquam, Leonis et ceterorum pontificum, Basilii quoque, Ambrosii, Tertulliani et eorum, quae postea dicemus, conciliorum non repugnet sententiae. Sit ea ergo huiusmodi. Cuidam militi desponsa[ta] fuerat quaedam puella. Eam cum is miles vellet uxorem domum ducere, parentes, nescio qua de causa, mutata voluntate nolebant ei dare. Miles autem eam per vim abduxit et cognovit. Nescio quot interiectis diebus cum eam forte militis taederet insolentiae, ut seiungeretur ab eius consuetudine ingressa est monasterium. Uxorem repetebat miles et causa coepta est agitari. De ea relatum est ad pontificem et causabatur quidem mulier se monasterium ingredi potuisse, cum uxor eius non esset, qui eam rapuisset, cum, etsi ipsa assensa esset, parentes reclamassent; raptum enim admitti, si vel parentibus solis vis afferatur. Respondet pontifex eam esse eius uxorem nec potuisse sine mariti assensu ingredi monasterium, cum non sit censenda fuisse rapta, licet parentes reclamarent. Hoc autem ita probat: Raptus non est, ubi actum fuit de nuptiis; sed tecum actum est de nuptiis; ergo non fuit raptus. Et per consequens: Si non fuisti rapta, es eius uxor. Et ne quomodocumque actum esset de nuptiis, videretur eum excusare a raptu, subiungit: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum,* quasi diceret: Inique agit mulier, quae eum raptus insimulat, cum ipsa ei sit assensa, nam uti volenti non fit iniuria, ita nec volens rapitur. Sed quia dicit posset raptum admitti, si vel solis parentibus vis afferatur, subiunxit: *et desponsaverit,* ut significaret non intervenisse solum mulieris consensum, sed etiam parentum, cum iure cautum sit, ut puella sponsetur a parentibus — alioqui enim non sunt legitima sponsalia — et sponsam potuisse a sponso iure rapi nec ideo raptus teneri. Sed quoniam sunt multi canones, quos postea afferemus, qui volunt raptorem manere sine spe coniugii, et nec cum consensu quidem parentum posse raptam in uxorem ducere, ne, si despondisset, postquam eam rapuisset, id non excusaret a raptu, subiunxit: *priusquam cognoverit,* quasi diceret: Si prius eam rapuisset et postea eam despondisset, uxor eius non fuisset. Sed quia eam prius despondit et postea et desponsam rapuit, quod licuit, uxor eius fuit nihilo secius; licuisse autem sponsam rapere, patet ex eo, quod dicit Gregorius[1]: *Siquis virginem aut viduam furatus fuerit, nisi fuerit a se desponsata, anathema sit.* Et Eusebius in decretis[2]: *Si quis virginem aut viduam furatus fuerit, nisi fuerit a se desponsata, anathema sit.* Cum autem essent multi canones, qui prohibebant, ne raptor ne cum consensu quidem parentum raptam uxorem duceret, primus Innocentius III[3] statuit raptam puellam legitime contrahere cum raptore, *si prior dissensio postmodum transeat in consensum, et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimae sint personae.* Nam quod dicit Gratianus[4], vitio purgato posse raptorem raptam ducere, id nulla confirmat canonum auctoritate, sed solis verbis divi Hieronymi[5], quae nescio an satis virium haberent adversus conciliorum et pontificum canones. Legitimae autem, ut hoc obiter dicamus, ad contrahendum sunt personae, quae iure possunt et legitime contrahere, in quarum numerum referuntur filii et filiae familias, si id faciant cum consensu parentum. Quo fit, ut legitimarum ad contrahendum personarum duo sint ordines: Quaedam enim sunt absolute legitimae, quae nec consanguinitatis nec affinitatis vinculo impediuntur, neque sunt in potestate parentum; aliae autem, quae nisi parentum consensus accesserit, non legitime contrahunt. Porro autem illa, de qua nunc agitur, Lucii epistola ita est intelligenda, ut dicantur reclamasse parentes, non quando puella est assensa, nec quando ei fuit desponsa, sed quando, cum antea desponsa fuisset, est rapta. Nam cum mulier non alia de causa eum negat esse maritum, nisi quod rapta fuerit, propterea quod parentes reclamaverint, videndum est, quando parentum reclamatio videri potuerit verisimiliter militem raptorem constituere. Et cum tum demum admittatur raptus, cum

[1] Can. 11 synodi Romanae sub Gregorio II an. 721 celebratae hanc habet formam: *Si quis virginem, quam sibi non nisi desponsaverit, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit.* *Mansi* XII 264; apud Gratianum c. 5 C. 36 q. 2, *Friedberg* I 1290.

[2] Non invenitur apud Gratianum.

[3] Cap. 7 *Accedens* X de rapt., incendiariis et violat. ecclesiarum V 17, *Friedberg* II 810.

[4] Post c. 7 C. 36 q. 2, *Friedberg* I 1291.

[5] C. 8 *Tria legitima* l. c. incerti est auctoris, non Hieronymi.

mulier per vim abducitur, ut corrupta uxor habeatur, neque tum abducta dici potest, quando militi mulier est assensa neque quando fuit ei desponsa, sequitur, ut tum demum videri potuerit raptor, quando eam iam desponsam licet reclamantibus abduxerit parentibus.

Est itaque eiusmodi causae constitutio. Dicit miles: « Uxor mea es, neque me invito debuisti ingredi monasterium ». Quid mulier? « Non sum uxor; me enim rapuisti, ut qui reclamantibus abduxeris parentibus ». Quid rursus miles? « Non rapui, neque enim vis tibi facta est, cum mihi sis assensa, et te mihi desponsam licuit abducere, licet reclamarent parentes ». *Κρυόμενον* ergo, quo tota causa continetur, et de quo iudex laturus est sententiam et ex quo tota pendet causae controversia, sitne uxor an non, est hoc, an is raptor sit censendus, qui sibi desponsam invitis abducit et cognoscit parentibus. Respondet autem pontifex Lucius eam sua sententia decidens controversiam: *Respondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum et prius eam desponsaverit quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.* Quasi diceret etsi eam dicatur rapuisse, quam invitis abduxit parentibus, cum tamen is raptum non admittat, qui suam sponsam abducit, non est raptor censendus. Ex hoc itaque capite hoc solum dici potest raptum in sponsam propriam non admitti iure pontificio, et in hoc differre a iure civili. Non esse autem necessarium parentum consensum in desponsatione, numquam vere poterunt elicere. Quaerant ergo aliam auctoritatem, quam, nisi fallor, nunquam sunt inventuri. Sed quia contextus est paulo intricatior, ex quo tota oritur difficultas, ita parum transpositus fiet delucidior, nullo tamen verbo omnino mutato: « Iste raptor dici non debet, licet parentes reclamarent, a quibus dicitur eam rapuisse, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit quam cognoverit ». Et ita remanebunt integra et inviolata, quae ab Evaristo et Leone et ceteris pontificibus statuuntur de consensu parentum, et necesse erit iure pontificio, ut vel in sponsalibus consentiant parentes vel in ipso matrimonio, si nulla ante praecesserint sponsalia, alioquin non erit verum matrimonium, sed stuprum et adulterium, nisi et uterque postea consenserit et parentes comprobaverint. Et ita fiet, ut haec epistola non modo [non] contra nos, sed pro nobis faciat Quae certe non magis nobis adversatur quam primum caput Sexti de sponsalibus [IV 1] [1]; nulla enim sunt dicenda sponsalia ex defectu consensus, cui non accesserit, qui necessario requiritur, consensus parentum.

Illud autem, quod scribitur a Clemente III ad Arelatensem episcopum [2]: *Sufficiat solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur*, cum hoc solum velit ostendere surdum et mutum posse contrahere matrimonium, quod quidem videbatur fieri non posse, cum loqui non possint nec se invicem audire — illud *solus*, ut rei propositae conveniat, nihil omnino aliud excludet nisi verba, quae ad contrahendum videbantur necessaria. Quod si propterea, quia non est additus legitimus, censent excludi consensum parentum, eadem ratione fiet, ut etiam inter consanguinitate coniunctos possit contrahi matrimonium, quod certe scio eos non esse admissuros.

Alexandri autem tertii epistolam de Mariota [3], quam sibi suffragari putant, facile est ostendere eos nihil iuvare. Nam ex eo, quod Soranus episcopus eam ab illo, a quo fuerat cognita et se illius futuram uxorem iuraverat, separaverit propter proximam, quae inter eos intercedebat, lineam consanguinitatis, velle inferre, quod nisi fuisset illa consanguinitas, is iudicasset verum esse contractum inter eos matrimonium, hoc merum est somnium Quid enim secutus sit et quid fecerit, constat; quid vero facturus fuerit pronuntiare, plane est ariolari de iis, quae nunquam fuerunt nec futura sunt. Quantam autem vim habeat consensus parentum in contrahendo matrimonio, vel maxime patet ex hoc capite. Nam cum illa Mariota eo relicto, cui nolebat consentire, Titio in conspectu ecclesiae nupsisset et ex eo filium suscepisset, Titii tum pater eo, quod alteri desponsam duxisset, filium suum eam uxorem habere non posse diceret, pontifex ex eo maxime confirmat posterius matrimonium, quod ille, cui a parentibus fuerat copulata, e vita excesserat, non facturus, si vixisset, cum eam per vim nupsisse probatum non fuisset. Pater autem Titii ad infirmandum matrimonium ideo eam alteri fuisse desponsam causabatur, quod cum matrimonium in conspectu ecclesiae fuisset celebratum et eius filius ex ea suscepisset filium, frustra suum dixisset matrimonio defuisse consensum, cum tam sero reclamasset Cum ergo etiam ex hoc capite pateat, quanti sit parentum faciendus consensus, non est, quod de eo sibi magnopere placeant.

[1] C. *Ex sponsalibus*, *Friedberg* II 1065 sq.

[2] Decretalis Innocentii III (non Clementis III) ad Arelatensem episcopum c. 23 *Quum apud* X de spons. et matr. IV 1 (*Friedberg* II 669 sq.), in qua inveniuntur verba suprascripta, non agit de matrimonio surdorum et mutorum.

[3] C. 13 *Veniens* X de spons. et matr. IV 1, *Friedberg* II 665 sq.

Aliud quoque afferunt, quod si verum esset, omnis esset omnino de hac re sublata controversia. Florentinum, inquiunt, concilium pro nobis facit, cum eo dicatur [1] consensum esse efficientem causam matrimonii. Id in eo dici concilio fatemur, sed libenter ab eis quaereremus, quidnam efficiens causa possit efficere, si desit apta materia. Apta autem et ad contrahendum legitima materia non est dicenda filia familias sine consensu parentum, in quorum est potestate. Quem esse necessarium, vel inviti fateantur necesse est, nisi patriam potestatem esse iure pontificio sublatam probaverint, quod certe scio eos nunquam esse facturos. Quoniam autem concilii generalis auctoritatis terrore nos volunt a nostra depellere sententia, quod, quam frustra fecerint, ostendimus: videamus nos quoque, an alicuius concilii generalis praesidio possimus nos tueri. Videamus ergo, quid dicat Chalcedonensis synodus can. 27, qui fuit etiam renovatus in sexta synodo in Trullo can. 92 [2]: *Eos qui nomine coniugii mulieres rapiunt, vel eos, qui opem ferunt ac consentiunt iis, qui rapiunt, statuit synodus, si sint quidem clerici, suo gradu excidere, siu autem laici, anathematizari.* Quem canonem etsi non satis fideliter versum citat Burchardus Wormatiensis episcopus [3] et subiungens canonem Cabilonensis concilii eum approbantem in fine ita ait: *Quibus verbis datur intelligi, qualiter huius mali auctores damnandi sint, quando participes et consilio conniventes tanto anathemate feriuntur, ut iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptas sibi iure vindicare nullatenus possint.* Quem canonem citat[a] etiam Gratianus [C.] 36 q. 2 [4].

Quodsi ad eos e sua sententia dimovendos non sufficiat pulcherrimus ille canon illius concilii, cui non minus tribuendum voluerunt esse maiores nostri quam sacris evangeliis, sed ad se defendendum provincialium conciliorum uti volunt auxiliis, videamus, utris ea sint magis opem allatura. Et Cabilonense quidem concilium citare canonem concilii Chalcedonensis iam diximus et, quid subiungat, subiunximus. Videamus, quid dicat Parisinum [5]! *Nullus aut viduam aut filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere praesumat, aut regis beneficio aestimat postulandam. Quodsi fecerit, gladio anathematis feriatur.* Ne videamur autem solis Gallicis niti conciliis, Aquisgrani quoque habitum citemus concilium [6]. Quid ergo dicit? *Placuit, ut hi, qui rapiunt feminas vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat aut eas dotaverint vel nuptialiter cum consensu parentum acceperint. Si quis uxorem autem habere voluerit, eam canonice et legaliter accipiat et non rapiat. Qui vero eam rapuerit vel furatus fuerit aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat.* Ponderanda sunt autem ea verba *rapuerit, furatus fuerit, seduxerit*, cum ex his apertissime eliciatur, sive vi rapiatur femina, sive clam abducatur, sive blandis verbis et promissis illiciatur, sine consensu parentum non posse consistere matrimonium, imo ne cum consensu quidem. Quid Meldense [7]? *Qui vero deinceps virgines rapere praesumpserit sive viduas, secundum synodalem Beati Gregorii definitionem ipsi et complices eorum anathematizentur et raptores sine spe coniugii perpetuo maneant.* Quid Toletanum [8]? *Proinde placuit atque statutum est a sacro conventu, ut si aliquis sponsam alterius rapuerit, publica poenitentia multetur et sine spe coniugii maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si et ipsi post haec se coniungere praesumpserint, utrique usque ad satisfactionem anathematizentur.* Videtisne, quam pulchre Gallicis, Germanicis et Hispanicis inter se conciliis conveniat? Atque utinam omnes illarum nationum homines aeque hodie inter se convenirent.

Sed fortasse dicent me praetermittere illum concilii Meldensis canonem, qui pro eis facit, qui incipit *Si autem necdum* [9]. Sed cum eum pro eis nihil facere ipse citans et

[a] *Edd.* citant

[1] Decretum pro Armenis (*Denzinger*[14-15] n. 702): *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.*

[2] *Lauchert* 96. 135; Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 287.

[3] Decretorum lib. IX cap. 35 sq., *Migne* 140, 820. Cap. 36 Burchardi non est sumptum ex concilio Cabillonensi, sed ex capitulari ecclesiastico Ludovici Pii a. 818/9 emanati, *Mon. Germ. hist.* Capitularia I 278.

[4] L. c. can. 1, *Friedberg* I 1290.

[5] Can. 6 concilii Parisiensis inter a. 556 et 573 celebrati, *Mansi* IX 746; *Mon. Germ. hist.* Concilia I 144; apud Gratianum c. 6 C. 36 q. 2, *Friedberg* I 1291.

[6] Can. 11 *Placuit* C. 36 q. 2 non est, ut *Friedberg* I 1292 adnotat, concilii Aquisgranensis cuiusdam, sed invenitur apud Benedictum Levitam canonum collectorem. Secunda pars canonis *Si quis uxorem* etc. apud Gratianum deest.

[7] Concilium Meldense a. 845 habitum, can. 66, *Mansi* XIV 834 sq. De canone Gregorii II cfr. supra p. 154 adn. 1.

[8] Revera est can. 8 concilii Trosleiani (Trosly, dioec. Suessionensis) a. 909 celebrati, *Mansi* XVIII 263-308; cfr. *Hefele* IV 572 sqq.

[9] Can. 10 C. 36 q. 2 (*Friedberg* I 1291 sq.) = can. 65 concilii Meldensis a. 845 celebrati, *Mansi* XIV 834, qui incipit *Hi autem, qui necdum.*

exponens docuerit Gratianus[1], et eum locum ita concluserit, ut dicat esse in potestate parentis puellam raptori detrahere, et in numerum canonum iuris civilis leges referant, quae in contrahendis matrimoniis necessarium dicunt parentum esse consensum, vel inviti fateantur necesse est omnia iura divina et humana cum eis pugnare ex diametro et nec Gratiani quidem eos hac in re se posse tueri praesidio.

Sed fortasse dicent nos haec de raptoribus frustra in hunc locum adduxisse, cum hic de mutuo utriusque consensu agatur ad contrahendum matrimonium, raptus autem fiat, cum de nuptiis nihil antea agatur, etsi ideo puella rapiatur, ut corrupta uxor ducatur. Qui si considerent nulla alia de causa tam acerbe puniri raptorem, quam quod a parentibus canonice et legitime non petierit, et in eo puniendo tantum parentum consensus haberi rationem, ut vel ne cum consensu quidem parentum, qui omnino requiritur, ei possit puella nubere, vel si poenitentia purgato vitio id eis permittatur, non tamen citra parentum consensum id eis licere, intelligent non nisi iustissimis de causis eos a nobis adductos esse canones.

Hae sunt, quae pro se afferunt auctoritates, quas non solum pro eis facere, sed etiam adversus eos pugnare nemo est paulo consideratior, qui non clare intelligat. Et tamen ex earum male intellectarum ineptis glossematibus maxima christianae reipublicae incommoda et incredibiles offensiones nescio quot iam annorum curriculis promanavere. Nam quod nonnulli existimant primam illam legem statim latam post creationem, quae dicit[2]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae*, pro hac eorum sententia facere, quam hoc verum sit, ex hoc facile potest intelligi, quod ea iubeat suae adhaerere uxori. Uxor ergo sit oportet, priusquam ei adhaereatur. Uxor autem esse non potest, nisi inter virum et mulierem legitimus consensus intercesserit, sine patris autem consensu non videtur esse legitimus, ut iam diximus, filiorum familias consensus. Recte autem hoc modo procedet argumentatio: Uxor est; ergo propter eam relinquendus est pater et mater. Quodsi contra ab aliquo dicatur: « Propter uxorem relinquendus est pater et mater; ergo uxor est » — an non is statim audiet: « Si probes esse uxorem, rite sequetur esse relinquendum patrem et matrem, nunquam autem efficies, ut, quia propter uxorem relinquendus est pater et mater, ea uxor dici possit, cum qua non est legitime contractum ». Puellam autem non esse in potestate parentis positam tamquam ancillam, sed ad educationem, nos quoque confitemur. Sed ea educatio velim scire solane alimenta comprehendat, an etiam ad bonos mores docendos se extendat? Quid autem bonis moribus magis repugnat, quam effrenatam puellam caeco et temerario impetu ferri ad libidinem, cum ad contrahendum matrimonium parentum debere accedere consensum civilis et naturalis ratio persuadeat? Non itidem autem posse puellam sine consensu parentum contrahere matrimonium et ingredi monasterium, quis non videt, cum qui ingreditur monasterium Christo paret, qui est primus omnium parens, et qui vult iure optimo se praeferri patri et matri[3], et quem qui sequitur aberrare non potest[4], cum sit *via, veritas et vita*[5]. Qui autem reiecto consensu parentum contrahit matrimonium, et parentes habet contemptui et Deum ipsum, qui eos iubet haberi in honore, nisi forte velint dicere cum poeta gentilium Deum esse suam cuique libidinem. Quantum autem aberrant et in quot mala praecipites sua se dent temeritate, quotidiana testatur experientia.

Nunc ad id, quod dicunt nonnulli propter sacramenti dignitatem et matrimonii consummationem id adeo ratum esse debere, quod factum est a consentientibus, ut dissolvi non possit, ita paucis respondemus. Matrimonium si negaremus sacramentum, impietatis iure optimo damnaremur. Sed quod sine parentum consensu contrahitur, nos cum Sanctis Evaristo et Basilio non matrimonium, sed struprum esse dicimus et adulterium. Quod tum demum erit matrimonium et consequenter sacramentum, si accedente consensu parentum legitime fuerit celebratum. Consummatum quoque matrimonium nunquam est dirimendum. Sed prius videndum est, ut sit matrimonium, alioqui non dirimetur matrimonium, sed stuprum et adulterium.

Audent etiam dicere omnes leges civiles, quod ad matrimonium attinet, esse omnino reiiciendas. Quod etsi non magni sit momenti, quod ad hanc rem attinet, cum ex ipsis canonibus satis probetur necessarium esse parentum consensum, quam verum tamen sit, viderint, cum dicat Calixtus papa[6]: *Coniunctiones consanguineorum fieri prohibentur.* Quare? *Quia has divinae saeculique prohibent leges.* Et leges, quae statuunt parentum familias esse necessarium in eorum filiorum matrimonio consensum, a Gratiano in canonum

[1] Cfr. adn. praec. [2] *Gen.* 2, 24.
[3] Cfr. *Matth.* 10, 37.
[4] Cfr. *Io.* 8, 12.
[5] Cfr. *Io.* 14, 6.
[6] Ep. 2 n. XVI, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinchius* 140 (non verbotenus).

numerum referuntur [a]. His frivolas nescio quas et plene inanes rationes coniungunt. Dicunt enim non coacta, sed libera matrimonia esse oportere. Quod quidem fatemur nec ullum cogendum esse censemus, ut matrimonium contrahat. Velit et consentiat quidem necesse est qui contrahit, sed consensus ille legitimus sit oportet, legitimus autem esse non potest, nisi pater, qui habet in potestate, eum comprobet ac confirmet. Indignum esse clamant, si quis non sit membrorum suorum dominus. Egregium vero dominium, si cui, quod libet, licet. Impune ergo scortemur et quaelibet flagitia admittamus, ut membra in nostra potestate habere videamur. Quod si qui ad vitia praecipites feruntur, impotentes merito appellantur; filii quoque familias, qui patris auctoritate contempta, quem eis optime prospicere consentaneum est, illicite contrahunt, id per nimiam mentis et consilii [b] imbecillitatem facere censendi sunt. Hi toties loco pulsi non video, quid sint tandem facturi aut cuius auxiliares copias imploraturi? Quaecumque autem ab eis fuerint evocatae, eae si in nos impressionem facere tentaverint, bone Deus, quos non eis viros obiiciemus, si viri dicendi sunt: Mosen, Paulum Tarsensem, Evaristum, Ambrosium, Tertullianum, Gregorium, Leonem et synodi Chalcedonensis, ut ceteros omittam, sexcentorum patrum cohortem praetoriam, qui eas vel fundent ac omnino fugabunt, aut saltem efficient, ut aequo foedere inito maiestatem eorum comiter observent, nisi forte consuetudinis longi temporis praescriptione eos conentur repellere, cum omnia legum et canonum praesidia eos aperte destituant, quae quidem, cuiusmodi sint, non est meum statuere, sed eorum, qui, ut de hac re, ita de ceteris rebus ecclesiasticis sunt laturi sententiam. Hanc tamen hinc natam esse suspicor, quod, cum poenitentiae illae publicae essent olim gravissimae et longissimae, parentes eos satis poenarum dedisse arbitrantes, iam laesa eorum existimatione et honestam matrimonii conditionem se eis posse invenire desperarent, id quod factum fuerat, tacite approbarent. Hinc factum est processu temporis, ut peracta poenitentia non requireretur amplius parentum consensus, maxime cum ipsi dissimularent, ius certe suum minime prosequerentur. Serpsit deinde res longius et eo deducta est, ut etsi non rapta nec seducta fuisset puella, sed sine consensu parentum clandestinum cum aliquo contraxisset matrimonium, id haberetur ratum, quod tamen planum fecimus nullo niti iure divino nec humano. Cum etsi verum sit verum et ratum esse matrimonium clandestinum, id tamen minime est extendendum ad filios familias, in quibus parentum consensus videtur omnino necessarius ad hoc, ut possint contrahere matrimonium.

Deterioris autem conditionis esse f i l i o s familias quam s e r v o s, cum his invitis dominis liceat uxorem ducere, illis invitis patribus non liceat, aegre ferre aliquid fortasse rationis haberet, si non paterna in filios benevolentia omnem hunc scrupulum tolleret. In servis enim domini omnia ad suam utilitatem referunt, propter quam iure indignum visum est, ut qui plurimas servitutis molestias perferrent, naturali etiam uxoris coniunctione privarentur et peccare vel inviti cogerentur. Peccare autem cogebantur, cum domini non uxorem unam legitimam, sed modo hanc, modo illam in contubernio feminam eis permittebant, ut numerosa propagata subole eis lucrum cresceret. C a b i l o n e n s e quidem concilium [1] prohibuerat dirimi a dominis matrimonium servorum, quod eorum consensu contractum fuerat. A l e x a n d e r autem tertius cum dominorum malitiae vellet occurrere, Cantuarensi respondit archiepiscopo [2] non prohiberi inter servos matrimonia, etiamsi fiant dominis reclamantibus. Servis ergo permissum est, ut vel contradicentibus dominis contrahant, propterea quod soli suo emolumento consulentes domini servorum saluti nauci haberent. Parentibus autem natura insitum est, ut non minorem atque adeo maiorem liberorum suorum quam sui ipsorum curam gerant et rationem habeant. Est ergo iniusta et supervacua haec illorum querela

Proferunt etiam ipsi, imo potius confingunt nescio quae i n c o m m o d a : Tyrannum, quae in patrem imperium habeat, patrem, qui puellam vel invitam cogat alicui nubere. Sed haec locum haberent, si non ad contrahendum matrimonium eius, qui contrahit, expressus requireretur consensus, quo fit, ut cogi non possit. Quod si forte pater est adeo negligens et dissolutus, quod raro tamen usu venit, ut nec rei nec honoris rationem ducens eam elocare non curet, poterit puella post 25 annos ipsa sibi maritum patre inconsulto procurare nec pater propterea poterit eam exheredare.

[a] *Le Plat* referentur [b] *Le Plat* concilii

[1] Cap. 30 concilii Cabillonensis a. 813 habiti, *Mansi* XIV 99; *Mon. Germ. hist.* Concilia II 1, 279; apud Gratianum c. 8 *Dictum est* C. 29 q. 2, *Friedberg* I 1095.

[2] Immo Adrianus IV Salzburgensi archiepiscopo, c. 1 *Dignum* X de coniugio servorum IV 9, *Friedberg* II 691 sq.; cfr. etiam *Iaffé-Loewenfeld*, Reg. pont. Rom. n. 10445.

Nec tamen negari potest aliqua fortassis nonnunquam posse evenire incommoda, sed quae sint levissima, si cum eis conferantur, quae quotidie videmus accidere, nempe parentes, quibus post Deum Optimum Maximum plurimum debemus, a filiis contemni, puellas honesto loco natas ab indignissimis hominibus circumventas in servitutem abduci et amatoriis blanditiis delinitas turpissima quaeque probra et quasvis ignominias pati. Quae omnia cessabunt, patres, si non dico novam aliquam, quae tamen in tantis incommodis iure ferri poterat, feratis, sed Veteris et Novi Testamenti iurisque civilis et pontificii longe antiquissimam et antiquorum patrum suffragiis comprobatam legem vestra sententia comprobetis et confirmetis, nempe ut in contrahendis matrimoniis parentum, quos par est filiis optime consulere, requiratur consensus. Quod si clandestina matrimonia vestra sententia ita comprobetis, ut parentum non esse requirendum consensum statuatis et eum, qui contradixerit, vestra sententia anathemate notetis, videte, videte, inquam, et diligenter considerate, quanta audacia filios alioqui satis hodie insolentes in parentes armetis. Quos ego nunc mihi videor audire unumquemque suo patri ita dicentes: « Ego te vel invito, pater, cum quo volo matrimonium inibo, et si tu contradixeris, ego te non solum ut excommunicatum, sed etiam ut anathemate notatum vitabo ». Miseri autem parentes hoc unum solatii habebunt, quod si sint revera anathemate notati, Evaristum, Leonem, Basilium, Tertullianum, Ambrosium, viros longe sanctissimos, eodem anathemate secum comprehendi videbunt, qui omnes aperte dixerunt in contrahendo matrimonio parentum omnino requiri consensum.

30.

Nicolaus Mameranus: Consilium de religione reformanda datum Sacrae catholicae Romanorum regiae Maiestatis consiliariis [1].

[18. Decembris 1551].

Viennae Arch. publ. *Religionsakten: Concil v. Trient fasc. 5*, 3 foll., or. In tergo add. alia manu: *Pium et salubre consilium*. Ed. *A. v. Druffel* [D], Briefe u. Akten zur Geschichte des XVI. Iahrhunderts I (München 1873) 861-864.

Curent principes saeculares, antequam concilium determinaverit, ut diebus Dominicis omnes fideles missae, contioni et vesperis intersint

Dominus noster Iesus Christus de ultimis mundi diebus loquens: *Quoniam*, inquit [2], *abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum*. Numquam ab initio religionis nostrae hoc Domini dictum magis locum invenit quam hoc nostro tempore, sicut et illud apostolorum de iisdem temporibus [3]: *Erunt homines sui amantes, elati, superbi, blasphemi, ingrati, scelerosi, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum magis quam Dei amantes, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, iuxta* [4] *proprias concupiscentias et desideria sua ambulantes*. *Religionsakten Concil v. Trient fasc. 5 f. 1r*

His autem mundi pestilentiis enasci incipientibus bonorum principum et fidelium officii est, quibus pietas et cultus Dei curae est, advigilare et, quantum possunt, ubique in ditionibus suis consilio, studio, industria occurrere. Nam mali, cum sint ipsi maculae et corruptelae, haec ut ex officio esse non meminerunt, ita non modo non curant, sed adiuvant quoque ac promovent in peius augmentum. Emendari autem in vulgo possunt reducta per mandatum publicum ecclesiae oboedientia, quae simul secum inducet timorem Dei, reverentiam, pietatem verumque cultum, quibus eductis et exilio damnatis, ut hodie [fit] passim per negligentiam capitum ecclesiastici et saecularis status, non potest non summa inesse in religione erga Deum et proximum frigiditas; sublato enim [a] templario Dei cultu in populo et haec concidunt. Templarius autem cultus tollitur, cum populus ad audiendum sacra, ad precandum, ad reconciliandum se Deo templa non ingreditur.

Educatur extra ecclesiam haec inoboedientia, supinitate et remissione animi dormientibus religionis et ecclesiae capitibus nec curantibus quoque prophanis principibus [b]. Iubent|

[a] D om. [b] *Videtur supplendum* introducta

[1] De Nicolao Mamerano (n. 1500 post 1566), poeta laureato, historico, polemista, qui bonam vitae suae partem in aula Caroli V et Ferdinandi I trivit, cfr. praeter *Hurter*, Nomenclator II 1442 adn. 1; *Foppens*, Bibliotheca Belg. II 914: *N. Didier*, Nicolaus Mameranus (Freiburg 1915), praesertim 74 sq. In Bibl. Vat. cod. Palat. lat. 1913 litterae Mamerani datae « Bruxellae, alterae Michaelis [15]48 » fautori cuidam directae extant.

[2] *Matth.* 24, 12.

[3] *2 Tim.* 3, 2 sqq. Omittit Mameranus nonnulla.

[4] Cfr. *Iud.* 16.

1v sacrosancta concilia et sancta mater nostra ecclesia catholica, ut in die Dominica singuli in suis parochiis et missae officium ac contionem verbi Domini ab initio ad finem audiant, et a meridie vespertinas quoque preces. Nunc neutrum observatur, et hinc illa inter omnes frigiditas in Deum et invicem privatique commodi inordinata cupiditas, quae omnem subvertit in religione felicitatem et salutem. Quomodo enim ibi salus esse possit et felicitas, ubi Dei neglectus, devotio nulla, affectus et fervor orandi Deum nullus? Quae quomodo esse apud aliquem possent, qui non prodit vel semel in hebdomada in die Dominica templum, in coetum fidelium, ut sacra audiat et Deum precetur, qui solutus timore Dei audet tali die tempore sacrorum emanere et aliis se rebus occupare? Vix autem hodie centesimus in suam parochiam in die Dominica auditum missae officium et verbum Domini prodit, vesperas vero nemo ferme. Et illi ipsi, qui veniunt, ex abrupto parte aliqua et missae et contionis audita statim dilabuntur et excurrunt. Quod cum a principibus non consideretur nec curetur a pastoribus, frigescunt in caritate Dei et proximi omnium corda, sequiturque Dei contemptus et omnis perversitas.

Qui se evangelicos vocant, hoc potissimum nomine rident catholicos, quod ex mandato 2r suae ecclesiae tam pauci tali die venire ad | sacra curent, ipsi vero evangelici diligentissime ea die omnes, *senes cum iunioribus*[1], in templum auditum verbum Domini confluant et nemo emaneat. Hincque collatione facta se veros esse christianos iactitant, catholicos autem hypocritas, quod nihil praeter superstitionem et ceremonias praestent, nec verbum Domini curent, nec tanti faciant missas, nec mandata suae ecclesiae curent, quorum omnium apertissimi sint contemptores.

In nulla autem prope modum ditione magis in hoc peccari animadverti quam in ditione Tirolensi[2], ubi in parochiali aliquo templo in die Dominica ex trecentis communicantibus non invenies viginti praesentes, et eos ipsos nec contionem integram audientes nec totum missae officium.

Principum itaque non tantum ecclesiasticorum, sed etiam saecularium quoque cum sit hanc absurditatem de ecclesia Domini deducere, pietatem, reverentiam et oboedientiam ac timorem reducere, contemptum, negligentiam et inoboedientiam poenis subiicere et castigatione emendare, ut decor et ornatus domus Dei cum salute ex pietate et devotione promoveatur, videretur mihi Sacra Regia Romana Maiestas non omnino pessimum[a] collocatura pietatis et rectitudinis studium, si haec pars religionis ipsi curae nonnulli propriori esse velit cognitis defectibus per suas ditiones et regna, ut exemplo pio ac catholico ceteri quoque principes ad idem aemulandum excitentur et invitentur. Neque ad concilii determinationem hanc 2v partem suspendere velit, | quae ad iuvandum concilii felicem progressum devotione ac pietate non parum esse utilis et necessaria potest. Cum enim ecclesiastici curare ista negligant, licet ex officio suo sint et praecipua eius annexa, principum saecularium est quam proxime animum apponere et circa adsistere, ne utrobique negligentia peccatrice intercidat verus Dei cultus, reverentia, pietas, devotio, ecclesiae oboedientia omnisque christiana et salus et felicitas, quo discriminis manifestissime omnia properant et devolvuntur.

Edicto autem publico sub mulcta pecuniaria in singula capita unius floreni constituta, pulchre restitui religioni possunt ad confusionem aemulorum, ut quicumque supra annum aetatis suae 12 in die Dominica in parochiali sua ecclesia totum sacrum missae solemnis officium contionemque verbi Domini ab initio ad finem reverenter et quiete, nulla excusatione admissa, non audierit, similiterque et vesperas a meridie, mulctae huic in fiscum obnoxius fieret. Item ne vel ante peractum missae officium in diversoriis publicis vel sub vesperis quis potet aut epuletur, nec recipiat aliquem eo tempore pandochaeus[3] eius rei gratia, sub eadem aut graviore poena in singula capita. Quid enim negotii ea die sit, quominus queat quis interesse sacris audiendis unam aut alteram horam ex oboedientia ecclesiae? Quae si ex mandato non essent[b], tamen pietas christiana huc unumquemque pertrahere deberet, vel potius religionis officium et salutis necessitas, quae remissum esse et solutum a Deo non patitur, cum ille dies nulli alii rei quam audiendis sacris et precibus pietatisque studiis vacandis Deoque reconciliando sacer omnibus esse debeat. |

3r Cur autem domi desideat quis missae aut contionis aut vesperarum tempore? Cur expatietur[c] aliquo? Cur negotia aut quid rerum tunc tractet? Feriari siquidem et vacare

[a] D pessime [b] D esset [c] D exporietur

[1] *Ps.* 148, 12. [2] De statu religionis in ditione Tirolensi cfr. *J. Hirn*, Erzherzog Ferdinand II von Tirol I (Innsbruck 1885) 80 sqq. [3] Pandochaeus (πανδοχεύς cfr. *Luc.* 10, 35) vel pandox = stabularius, caupo.

sacris illa die oportet nec ullo modo in tabernis perpotare et diem sacrum turbulentis comessationibus, rixis et caedibus temerare ac profanare. Veteres non tantum in die Dominica, sed quotidie haec sacra diligenter et sancte et reverenter observabant, et isti nequidem in septimana semel? Iustum enim est et necessarium horum neglectores contumaces aut contemptores omnes a minimo ad summum principis uniuscuiusque ditionis severa et irremissibili percellat super hoc constituta et mulcta rei familiaris et poena corporis, ut constet Dei cultus et sanctae matris ecclesiae debita sua oboedientia. Valete. Oeniponte, ex cancellaria Caesaris XVIII. Decembris anno Domini 1551.

Et rogo, haec non ut ex officio aut ut doceam scribi a me accipiantur, sed pietatis et salutis christianae promovendae causa decorisque domus Dei, ut sciantur, si quo modo forte corrigi queant, cum fortasse non considerate in ignoratione sint. Si enim ecclesiae Domini reformatio speretur, ab his omnino exordiis incipi debet, ut timor Domini et pietatis cultus reducatur et pueritia in his sancte instituatur. Porro mei nominis de huiusmodi nulla fiat usquam mentio, sed tamquam nunciorum relatione constent.

V. D. addictissimus
Nicolaus Mameranus Lucemburgensis [1].

[1] Nescio, an oratio Gasparis Paragii abbatis ad concilium Tridentinum, quae *Ad sacrosanctum concilium Tridentinum pro reconciliandis ecclesiae catholicae adversariis oratio Gasparis Paragii, iur. utr. doctoris, abbatis monasterii S. Quirici Gerundensis* inscripta in Arch. Vat. *Misc. Arm. II t. 13* (antea *Var. Pol. 13*) f. 797ʳ-805ʳ, cop. coaeva, conservatur, anno 1551 aut anno 1552 ineunti attribuenda sit; hoc solum certum esse videtur, eam compositam esse, dum concilium Tridentinum iterum convenit, cum auctor, Gaspar de Paratge O. S. B., ab anno 1549 ad annum 1559 abbas monasterii S. Quirici de Colera fuerit. Vide *Fr. Monsalvatjé*, Noticias historicas XIV: Los monasterios de la diócesis Gerundense (Olot 1904) 188; *eiusdem* Noticias historicas VIII; *Florez*, España sagrada XLV (1832) 146 sq. – Auctor Lutheranos invitat, ut in ecclesiae sinum redeant eosque redarguere conatur, quia contemnant ecclesiae auctoritatem, summi pontificis primatum reiiciant, haereticorum antiquorum errores renovent, ex. gr. iconomasticum, *quos olim Constantinopolitano concilio causa cecidisse et ea ratione imperium inde in Germanos translatum fuisse memoriae proditum est* (f. 803ᵛ). In fine auctor Lutheranos his verbis alloquitur: *Quid ergo remoramini? Ecce vobis concilium! Servate Dei ac divorum patrum decreta, sed ne quaeso existimetis christianis viris verba vos dare posse, dum alii estis, videri vultis, nam cum meliori iure Deum sane defensorem habeamus* (f. 804ᵛ). Cum oratio haec nimis in communibus versetur, eam praetermittimus.

IV.

Documenta de reformatione ecclesiae sub Iulio III ante et post concilium.

A. Generalia.

31.

Angelus Massarellus: De reformatione quae desiderabatur in concilio Bononiensi 1547 [1].

[Mense **Septembri** 1550].

Romae Arch. Vat. *Conc.* 77 f. 69, manu Massarelli.

Adnotat Massarellus, quae ei pro reformatione curiae (I) et ecclesiae universalis (II) necessaria videbantur.

I. Pro reformatione curiae, quae in duas partes dividitur: *Conc.* 77 f. 69r

Quoad partem pertinentem ad Smum D. N. tamquam episcopum Urbis hae provisiones occurrunt faciendae [2]: Deputare aliquem vel aliquos, qui visitent ecclesias Urbis tam parochiales quam collegiatas et, quae in eis invenerint reformanda, reforment. Sed tota vis erit in electione visitatoris seu visitatorum.

Eodem modo visitentur hospitalia Urbis. Item carceres et monasteria monialium. Item cetera loca, quae videbuntur indigere reformatione.

Quoad partem, quae tangit curiam separatim:

Reassumatur minuta bullae, quae superioribus annis multo labore fuit confecta per Revmos DD. tunc deputatos et postea non fuit expedita [3]. Quae minuta poterit nunc revideri et addendo vel minuendo, quae necessaria sunt, expediri. Nam in ea continebatur reformatio totius curiae.

II. Pro reformatione universali.

Capita universalis reformationis sunt:

Reformatio conclavis.

Electio bonorum episcoporum et presbyterorum.

Impedimenta, quae episcopi allegant, quominus possint residere cum dignitate. Quae impedimenta cum sint in duplici differentia (ut ipsi episcopi existimant), aut a sede apostolica aut a principibus saecularibus, utraque fuerunt exhibita in concilio Tridentino [4]. Itaque poterunt inveniri et reassumi, ut provideatur iis, quibus tunc provisum non fuit.

Reformatio religiosorum cuiuscumque ordinis et sexus. Quae latissime patet et est valde necessaria.

[1] Pro illustranda origine huius scripti sufficiant, quae die 7. Septembris 1550 Massarellus in diario VI adnotat: *Admonuit me pontifex, ut, quae in concilio Tridentino tractata sunt et quae restant expedienda tangentia reformationem, componerem colligeremque, ut hic Romae expediri (prout Stas S. decrevit) possint.* *Conc. Trid.* II 190, 12 sqq. Ad omnia fere de reformatione Iulii III documenta adhibendus est *Vincentius Schweitzer*, Zur Geschichte der Reform unter Iulius III: Goerresgesellschaft, Dritte Vereinsschrift 1907 (Köln 1907) 51-66, quem secutus est *Pastor* VI 118-127.

[2] Cfr. infra n. 32, V cum adnotatione.

[3] Loqui videtur Massarellus de bulla *Superni dispositione consilii* annis 1541-1542, ut eius editor *Ehses* in *Conc. Trid.* IV 489 adn. 6 adnotat, a cardd. pro reformatione deputatis concepta in favorem ordinariorum. Cfr. etiam supra p. 111, adn. 4.

[4] Quae habes *Conc. Trid.* XII 578-599 (n. 84-91).

Reformatio abusuum, qui passim fiunt in administratione sacramentorum. Qui abusus pro maiori parte fuerunt exhibiti Bononiae, nonnulli eorum etiam disputati et conclusi, licet non publicati [1].

Item de vita et honestate episcoporum et presbyterorum.

Demum reassumatur bulla, quae missa fuit a sa. me. Paulo ad legatos Tridenti [2].

Viderentur etiam mittenda executioni, quae promulgata fuerunt Tridenti super ipsa reformatione.

32.

De reformatione excerpta ex actis consistorialibus [3].

Romae Arch. Vat. *Acta Consist.: Acta vicecanc. 6 et 7, Acta cam. 8.*

I. Romae apud S. Petrum die veneris 24. Februarii 1548:

Prorogavit terminum ad dimittendum ecclesias per Rev^{mos} obtentas ad tres menses, et quatenus lapsus esset, terminum trium mensium de novo concessit [4].

Cons. Acta vicecanc. 6 f. 64^{v}.

II. Romae apud S. Marcum die mercurii 16. Maii 1548:

Fuit factum verbum ad cogitandum, quid agendum esset super decreto dimissionis ecclesiarum per Rev^{mos} obtentarum, et fuit remissum negotium ad aliud consistorium.

Cons. Acta vicecanc. 6 f. 76^{r}.

III. Romae apud S. Marcum die veneris 10. Maii 1549:

Fuerunt lectae litterae Ser^{mi} D. Henrici Francorum regis Christianissimi super pluralitate ecclesiarum per Rev^{mos} cardd. in regno Francorum obtentarum [5], et fuit commissum negocium Rev^{mis} DD. deputatis super rebus concilii, et decretum, quod interim tempus non currat.

Cons. Acta vicecanc. 6 f. 115^{r}; cfr. *Acta cam.* 7 f. 185^{r}.

IV. Romae apud S. Petrum die veneris 25. Maii 1548:

Rev^{mus} D. Iohannes Dominicus episc. Ostiensis decanus [6] nominavit pro retentione sua ecclesiam Adriensem, et Rev^{mus} de Rodulphis nomine Rev^{mi} de Salviatis pro retentione eiusdem Rev^{mi} de Salviatis nominavit ecclesiam Ferrariensem, et idem de Rodulphis ecclesiam Vicentinam et ego Alexander vicecancellarius pro mea retentione ecclesiam Avenionensem necnon Rev^{mus} de Bellayo nomine Rev^{mi} Hyppoliti card. Ferrariensis pro retentione Rev^{mi} D. card. nominavit ecclesiam Mediolanensem et hoc vigore decreti super pluralitate ecclesiarum per Rev^{mos} obtentarum antea consistorialiter facti [7].

Cons. Acta vicecanc. 6 f. 78^{v}-79^{r}.

V. Romae apud S. Petrum die lunae 10. Martii 1550:

S^{tas} S. [8] habuit orationem, per quam egit gratias R^{mis} DD. de assumptione sua ad pontificatum, et ostendens eius desiderium in prosequendo concilio commisit reformationem faciendam in curia, praesertim de datariatu Rev^{mis} DD. Decano, Tusculano, Crescentio, Sfondrato, Cibo et Polo [9].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 25^{v}; similiter *Acta cam.* 8 f. 147^{v}.

[1] Die 11. Iunii 1547 patres deputati super reformatione concluserunt, *ut pro nunc expurgentur abusus, qui sunt suborti in administrandis sacramentis. Conc. Trid.* I 663, 3. Materia in multis deputatorum congregationibus disposita (ex. gr. 30. Iunii, 20. Iulii, 30. et 31. Augusti, 6. Sept.) in generali congregatione a 26. Sept. ad 7. Oct. et rursus a 19. ad 22. Oct. de abusibus baptismi et confirmationis, a 24. ad 29. Oct. de abusibus circa eucharistiam et sacramenta in genere, a 9. ad 14. Nov. de abusibus poenitentiae, a 18. ad 28. Nov. de abusibus ordinis et extremae unctionis, a 1. ad 23. Dec. de abusibus matrimonii disputabatur, ut Massarellus ipse in diario IV refert. *Conc. Trid.* I 703-728.

[2] Bulla *Nostri non solum* data 31. Dec. 1546 (*Conc. Trid.* IV 504-512), recepta a legatis 11. Ian. 1547. *Conc. Trid.* I 600, 36; X 782, 20 et 784, 32 sqq.

[3] Adnectenda sunt iis, quae *Conc. Trid.* IV 451-457 edita sunt.

[4] Cfr. decretum consistoriale de pluralitate ecclesiarum 18. Febr. 1547 emissum *Conc. Trid.* I 621.

[5] Videtur agi de responso ad litteras collegii cardinalium 1. Martii 1549 ad regem datas *Ribier*, Lettres et memoirs II 195 sq.

[6] Scil. de Cupis, cardinalis ab anno 1517. *Van Gulik-Eubel* III 16.

[7] Vide supra adn. 4.

[8] Iulius III creatus pontifex maximus 8. Febr. 1550. *Pastor* VI 34.

[9] Iidem fere cardinales, scil. de Cupis, de Turnone, Crescentius, Sfondratus, Polus et Moronus, 13 illa « Capitula super reformatione » in occasione anni iubilaei facienda decreverunt, de quibus *St. Ehses*,

VI. Romae apud S. Petrum die mercurii 19. Martii 1550:

Proponente S^{mo} D. N., statutum et ordinationem ac decretum dudum per fe. rec. Paulum pp. III super dimissione ecclesiarum per Rev^{mos} obtentarum de eorundem Rev^{morum} consilio facta [1] innovando, de simili consilio statuit, ordinavit et decrevit, ut ipsi Rev^{mi} DD. cardinales, qui pluribus metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis (sex, quae ipsis cardinalibus primoribus concedi consueverunt, dumtaxat exceptis) praesunt aut in administratione vel alias obtinent, omnes easdem ecclesias praeter unam, quam maluerint, si citra, infra sex menses, si vero ultra montes consistant, infra annum in S^{tis} S. aut Romani pontificis pro tempore existentis manibus dimittere ac illarum regimini et administrationi cedere omnino teneantur et debeant, alioquin sex mensibus et anno praedictis elapsis omnes ecclesiae per singulos cardinales obtentae, ea, cuius regimen et administrationem ultimo assequuti fuerint, dumtaxat excepta, eo ipso vacent et vacare censeantur, possitque ecclesiis ipsis per S^{tem} S. et sedem apostolicam de persona seu personis idoneis libere provideri.

Praeterea statuit ordinavit atque decrevit, ut interim ipsi Rev^{mi} plures ecclesias, ut praefertur, obtinentes, una earum per eos, ut praefertur, retenta, reliquas ex causa permutationis aut ad effectum, ut alii vel aliis similibus seu dissimilibus metropolitanis vel cathedralibus ecclesiis praeficiantur aut in administratores deputentur, dimittere nullatenus possint, sed simpliciter ad hoc, ut ecclesiis ipsis de alia seu aliis personis idoneis aliam seu alias ecclesias similes non obtinentibus per S^{tem} S. et Romanum pontificem pro tempore existentem libere provideri valeat, dimittere teneantur et debeant.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 28; *Acta cam. 8* f. 149^{v}-150^{r}.

VII. Romae apud S. Petrum die lunae 9. Iunii 1550:

S^{mus} D. N. admonuit Rev^{mos}, ut facinorosis et aliis delinquentibus aditus et receptus in suis palatiis nullatenus darent seu praeberent.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 42^{v}; *Acta cam. 8* f. 156^{v}.

Zum Iubiläum des Jahres 1550: Pastor bonus 11 (1898-1899) 571 sqq.; quae inveniuntur etiam Florentiae *Carte Cerv. Filza 29* f. 48, cop. coaeva:

1. *Deputentur examinatores audientium confessiones, maxime in ecclesiis principalibus.*

2. *Deputati ad audiendas confessiones sub censuris et gravissimis poenis ipso facto incurrendis non audeant aliquid recipere pro confessionibus audiendis, etiam pro elemosyna. Provideatur aliunde.*

Placuerunt Dominis, et quod R^{mus} D. Sabi[n]ensis [de Turnone] una cum quatuor vel sex praelatis per eum eligendis provideat.

3. *Indulgentiae etc. concedantur omnibus religiosis claustralibus impeditis utriusque sexus, ita tamen quod omnibus diebus dominicis anni iubilaei faciant processionem cum letaniis etc., religiosi intra eorum ecclesias, moniales vero intra claustra monasteriorum eorundem.*

Placuit Dominis, quod provideatur etiam pro decedentibus in itinere, addentes etiam, quod cogitetur de facultatibus concedendis ipsis confessoribus, an debeat aliquid addi ultra solitum.

Commissum fuit R^{mo} D. Crescentio.

4. *Deputentur aliqui probi viri, qui saltem semel vel bis in hebdomade requirant hospitalia nationum et ad eorundem deputatorum relationem pauperibus peregrinis in illis repertis aliquae eleemosynae largiantur.*

Placuit Dominis, quod aliqui ex eis sint praelati, etiam cardinales, et fuit hoc commissum R^{mo} D. Decano [de Cupis] et R^{mo} D. Morono.

5. *Visitatio omnium ecclesiarum saepe fiat.*

Commissum fuit R^{mo} D. Polo.

6. *Deputentur loca separata meretricibus, et de habitibus eorum, et ab honestis mulieribus discernantur.*

Placuit Dominis, quod conservatores et ad hoc alias deputati provideant.

7. *Meretrices nullo modo audeant ire cum viris ad ecclesias et in eisdem viros alloqui sub gravissimis poenis, et de hoc stetur relationi unius verbo vel scripto referentis cum allegatione tamen duorum testium, qui teneantur secreti, et tam viri quam mulieres huiusmodi delinquentes puniantur.*

Placuit Dominis, quod provideatur per publica proclamata.

8. *Clerici beneficiati et alii in sacris ordinibus constituti quacumque dignitate fulgentes etc. in eorum habitibus lat[issi]me extenden[dis].*

Placuit Dominis, quod sub gravissimis poenis etiam per proclamata cum interventu et auctoritate Sanctitatis Suae, de quo fiat verbum cum Sanctissimo D. N.

9. *Prohibeantur negotiationes et alia inhonesta in ecclesiis, quae perturbant divina et alios scandalizant.*

Placuit Dominis, quod provideatur per proclamata.

10. *Pauperes mendicantes non eant per ecclesias, sed stent extra portam.*

Placuit Dominis, et commissum fuit R^{mis} DD. Decano et Morono.

11. *In terris ecclesiae iter sit tutum venientibus ad Urbem.*

Placuit Dominis, quod scribatur legatis etc., qui provideant.

12. *Hospites tam in Urbe quam extra iusto et honesto pretio hospitentur peregrinos, non ad eorum libitum. Provideatur etiam victualibus.*

Placuit Dominis, ut de utroque fieret verbum cum Sanctissimo D. N., et fuit commissum R^{mo} de Sfondratis.

13. *Viae ad semptem ecclesias, maxime ad quatuor principali[o]res aptentur et dilatentur, ut peregrini illas visitantes a curribus non impediantur.*

Placuit Dominis, et fuit hoc commissum R^{mo} de Crescentio.

[1] Vide supra p. 166 adn. 4.

VIII. Romae apud S. Petrum die lunae 14. Iulii 1550:

Fuit decretum, ut idem Rev^{mus} Maffeus dictam ecclesiam Casertanam [ad quam ex translatione card. de Cesis in Vultuariensem accessum habuit] infra sex menses iuxta tenorem decreti novissime super hoc editi dimittere omnino teneatur.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 52^{v}.

IX. Romae apud S. Petrum die lunae 21. Iulii 1550:

S^{mus} D. N. fecit verbum de reformatione, dicens primis sui pontificatus diebus deputasse sex cardinales, qui huic reformationi incumberent, videl. decanum et Tusculanensem episcopos, Crescentium et Sfondratum presbyteros, necnon Cybo et Polum diaconos cardinales, et cum partim essent absentes et partim infirmitate detenti [1], et instaret dieta Augustana [2], tractandum esse de concilii prosecutione et imprimis reformationem fieri debere, ut maiori cum fiducia S. S^{tas} posset prosequi concilium. Proposuitque S. S^{tas}, an propterea deberet fieri nova deputatio, vel essent exspectandi absentes aut monendi, ut venirent, et fuit conclusum, si res ita urgeret, ut vocarentur absentes, et si legitima causa impediti venire non possent, alii eorum loco deputarentur; alias exspectarentur.

Insuper dixit S^{tas} S. se exspectare litteras a suo nuntio archiepiscopo Sipontino [3], quem huius rei gratia ad S. M^{tem} miserat, et illas receptas Rev^{mis} communicaturum et in praemissis deliberaturum, allegans per se non stare, quin reformatio fiat.

Praeterea ad tollendos abusus conclavis proxime praeteriti [4] deputavit Rev^{mos} de Medicis et Mapheum, ut notarent ea, quae sibi viderentur ad fugienda scandala et electionem pontificis facilitandam [5].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 54^{r}; *Acta cam.* 8 f. 163.

X. Romae apud S. Petrum die mercurii 27. Augusti 1550:

Referente Rev^{mo} de Cesis. Petiit [sc. de Cesis] a Ste S., sicut ipsa S. S^{tas} accessum ad ecclesiam Cremonensem decedente bo. me. Francisco card. Sfondrato cum hoc, quod infra sex menses a die accessus huiusmodi computandos novam provisionem a Ste S. et sede apostolica consistorialiter impetrare et obtinere teneretur, benigne concesserat, ita quoque huiusmodi novam provisionem sibi concedere dignaretur. Cui S^{tas} S. respondit se non negare neque concedere huiusmodi gratiam propter qualitatem temporum, videlicet et reformationis et concilii, animadvertens, quantum sint odiosi accessus apud omnes, et propterea, considerata etiam qualitate ecclesiae, aliquantulum supersedendum fore, cum sit tempus sex mensium non minus in favorem S. S^{tis} quam ipsius Rev^{mi} de Cesis, infra quod S. S^{tas} animum suum declarabit.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 55^{v}-56^{r}.

[In eodem consistorio episcopo Asculano, Urbis gubernatori, coadiutor deputatus est]. Et fuit decretum, ut de cetero coadiutoriae non concederentur, nisi prout a sacris canonibus est permissum.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 56^{v}; *Acta cam.* 8 f. 164^{v}.

XI. Romae apud S. Petrum die veneris 3. Octobris 1550:

[S^{mus} D. N.] fecit etiam verbum de celebratione concilii et dixit Caes. M^{tem} instare, ut dies illius resumptionis nuntiaretur et bulla desuper publicaretur [6], seque velle petitioni S. M^{tis} satisfacere, et hac de causa Rev^{mos} DD. cardinales absentes advocasse, videl. Sancta Cruce [7], Moronum et Polum, ut quanto citius bulla desuper expediri posset.

[1] Card. Innocentius Cibo mortuus erat iam 15. Aprilis, card. Franciscus Sfondratus 13. Iunii 1550. *Van Gulik-Eubel* III 15. 32. Polus iam mense Iunio Balneis regiis morabatur. *Reg. Poli* Epp. IV 53; vide infra n. XI.

[2] Aperta est 26. Iulii 1550. Cfr. *Druffel,* Beiträge I 454 sqq.

[3] Sc. Sebastiano Pighino, qui 2. Iulii 1550 Roma discesserat in Caesaris aulam iturus, *Conc. Trid.* II 181; cfr. *A. Pieper*, Die päpstlichen Legaten u. Nuntien I (Münster 1897) 8 sqq., instructionem apud *Druffel*, Beiträge I 423-429.

[4] De quibus cfr. diarium V Massarelli cum iis, quae *Merkle* in editione *Conc. Trid.* II 26-145 ex Gualterio, Firmano et de Brevibus adnotavit; *I. B. Sägmüller,* Die Papstwahlbullen (Tübingen 1892) 1-13; *Pastor* VI 25 sqq.

[5] Edita est eadem actorum pars quae supra a *C. Erdmann,* in periodico: Quellen u. Forschungen 20 (1928-1929) 287 sq.

[6] Pighinus Dandino 10. Sept. 1550, *Erdmann* 297 sq.

[7] Cervinus, qui Eugubii morabatur, 24. Oct. 1550 in Urbem reversus (*Conc. Trid.* II 197, 11 sqq.) bullam indictionis a pontifice ipso exaratam (*Pastor* VI 67) una cum ceteris ad hoc deputatis cardinalibus 12. Nov. probavit. *Erdmann* 267; *St. Ehses*, Ein unbekanntes Briefregister Angelo Massarellis: Römische Quartalschrift 32 (1924) 153. Polus mense Septembri 1550 Balneis regiis a Seripando visitatus

Praeterea dixit, ut Rev^{mi} DD. cogitarent, si quid illis occurreret tam de concilio quam de reformatione, quam S^{tas} S. facere constituerat his mensibus, quibus a celebratione huiusmodi concilii cessabatur, et cogitasse indicere diem dicti concilii ad kal. Aprilis proxime futuras, et iam dedisse initium reformationi conclavis, ac Rev^{mos} de Medicis et Mapheum de mandato suo composuisse bullam de tollendis abusibus in electione Romani pontificis [1], quam dedit Rev^{mo} decano, ut per manus mitteretur ad Rev^{mos}, qui deberent videre, si quid in ea addendum aut diminuendum esset [2].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 59^{r}; *Acta cam.* 8 f. 166^{r}.

XII. Romae apud S. Petrum die mercurii 18. Februarii 1551:

Fuerunt deputati legati super reformatione infrascripti Rev^{mi}, videl. Tranensis decanus, Sabinensis, Tusculanus, Carpensis, S. Iacobi, S. Crucis, Moronus, Crescentius, Verallus, Pisanus et Polus [3].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 72^{r}.

XIII. Romae apud S. Petrum die 18. mensis Martii 1551:

Providit ecclesiae Cremonensi... de persona Rev^{mi} D. Federici card. de Cesis nuncupati... [4], sic tamen, quod si dictus Rev^{mus} Federicus cardinalis regressum seu accessum ad aliquam seu aliquas alias cathedrales etiam metropolitanas ecclesias habeat, in illorum eventum una ecclesia cathedrali seu metropolitana, quam maluerit, cum titulo sui cardinalatus dumtaxat excepta, infra sex menses a die eventus huiusmodi computandos reliquas omnes, quas ex tunc S^{tas} S. vacare decrevit, dimittere omnino teneatur [5].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 77^{r}.

XIV. Romae apud S. Marcum die 24. mensis Augusti 1552:

Fuit decretum, ut decetero in cessionibus et dimissionibus ecclesiarum et monasteriorum ac eorum propositionibus exprimerentur causae legitimae, propter quas cessiones et dimissiones fierent, quodque huiusmodi cessiones et dimissiones non in favorem alicuius, sed pure et libere in manibus S^{tis} S. fieri deberent.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 131^{r}.

XV. Romae apud S. Petrum die veneris 16. mensis Septembris 1552:

Fuit factum verbum de mittendis legatis ad principes... Insuper fuit factum verbum de modo vivendi tranquille in alma Urbe [6] et reformatione facienda.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 134^{v}.

Verba, quae protulit pontifex Iulius III in consistorio, dum de reformatione primum tractandum erat, manu propria S. S^{tis} scripta [a] [7].

Videtur nobis, quod reformatio nostra auspicatum possit sumere exordium a reformatione conclavis, ut eligatur ille, quem Deus ostenderit, astutia humana remota.

[a] *Titulus manu Massarelli scriptus*

est (*Conc. Trid.* II 441, 34); ubi Moronus versatus sit, nescio. — Secundum Massarellum (*Conc. Trid.* II 193, 19 sqq.) pontifex cardinales vocavit hac etiam mente, ut *una cum eis et quibusdam aliis ipsum reformationis negocium prosequatur.*

[1] Cfr. infra n. 43.

[2] Editum est a *H. Lämmer*, Meletematum Romanorum mantissa (Ratisbonae 1875) 206.

[3] Cfr. supra n. V et IX. Ergo praeter quattuor deputatos anni 1550, qui supererant, 7 novi electi sunt: Franciscus de Turnone ep. Sabinensis, Albertus Pius de Carpis, Iohannes Alvarez de Toledo (propter administrationem episcopatus Compostellani « S. Iacobi » appellatus), Marcellus Cervinus (tit. S. Crucis), Iohannes Moronus, Hieronymus Verallus, Franciscus Pisanus. Inter quos Fr. de Turnone natione Gallus, Io. Alvarez natione Hispanus, Moronus et Verallus Germanicarum rerum periti erant.

[4] Cfr. supra n. X.

[5] Inseratur hic scheda secretarii cardinalis Caraffae de consistorio 18. Sept. 1551 apud S. Petrum habito:

Instante R^{mo} D. card. Neapolitano domino meo fuerunt revocati omnes regressus, qui hactenus reperiuntur facti super ecclesiis cathedralibus sine consensu praelatorum dictas ecclesias obtinentium, et specialiter fuit revocatus et cassatus regressus, qui asserebatur obtentus in ecclesia Neapolitana. Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 6545* f. 1^{r}.

De quo decreto in *Actis cons. vicecanc.* 7 f. 98^{v}-99^{r} nihil.

[6] Seditione Senensium (27. Iulii 1552) et Urbis tranquillitas et pax inter Caesarem et regem Christianissimum in dubium vocatae sunt. *Druffel*, Beiträge II 766 sq.; *A. Pieper*, Die päpstlichen Legaten u. Nuntien 43 sqq. 3. Aprili 1553 Dandinus ad Caesarem, Capodiferrus ad Henricum II legati missi sunt. *Pastor* VI 111 sqq.

[7] Etsi Massarellus hanc pontificis allocutionem, quam ex autographo pontificis *Conc.* 78 f. 247 (exem-

Quod electus abstineat ab omnibus tam a iure divino quam humano prohibitis, que sapiunt peccatum.

Quod non dispensetur contra ius nec relaxet ipsum ius nisi ex causa rationabili.

Quod cardinales in suffragiis suis sub pena periurii aut saltem peccati mortalis dent ea consilia pontifici, quae putaverint esse honesta et salutaria.

Quod cardinales sint unica tantum ecclesia contenti, quam tamen visitent, quandocunque potuerint, quam bene gubernari curent per suffraganeos et vicarios suos.

Quod cardinalibus non commendentur perpetuo neque ad tempus beneficia curam animarum habentia.

Quod non deponantur beneficia in personas cardinalium neque aliorum, ut dici solet, in confidentiam.

Quod episcopi resideant in ecclesiis suis, et certo tempore absentes non faciant fructus suos nec releventur eo pretextu, quod manentes in Urbe inserviant summo pontifici, nisi ⟨sint prefecti alieni muneri speciali prout sunt Gubernator, Auditor Camerae et Auditores Rotae⟩ [a]. |

Quod episcopi residentes possint exercere iurisdictionem suam in quoscunque delinquentes etiam exemptos.

Quod capitula quantumvis exempta teneantur exhibere reverentiam episcopis suis, et delinquentes ut singuli coherceri ab episcopo possint, non obstante quavis pretensa exemptione capituli.

Quod beneficia saltem curam animarum habentia conferantur dignis et idoneis, et quoad hoc erit cogitandum de aliqua via vel modo durabili et observabili.

Quod nemo ordinetur neque in Urbe neque alibi sine licentia sui ordinarii.

Perquirantur abusus, si qui sunt, in officio datarii et tollantur.

Idem dicimus de abusibus, qui sunt in officio penitentiariae et in quibusvis tribunalibus Urbis et curie.

Expeditis abusibus clericorum deveniendum erit ad abusus laicorum, qui usurpant in mille casibus iurisdictionem ecclesiasticam et non permittunt in dominiis suis intimari litteras apostolicas neque citationes.

Conc. 78 f. 247.

XVI. Romae apud S. Petrum die mercurii 28. Sept. 1552:

S^{mus} fecit verbum de publicatione bullae factae per S. S^{tem} contra impedientes executionem iustitiae [1] et postea accepit vota Rev^{morom} DD. de modo tenendo pro componenda pace inter christianos principes [2].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 135^{v}.

XVII. Romae apud S. Petrum die lunae 17. Aprilis 1553:

S^{mus} D. N. fecit verbum de reformatione per Rev^{mos} deputatos facta, et fuerunt lecta ea, quae per eos acta extiterunt, et visum fuit S. S^{ti} sumendum esse initium a reformatione

[a] *add. in marg.*

plum *Vat. lat. 11901* f. 149) annectimus, inter materias anni 1554 inseruit, cum *Schweitzer* l. c. 57 eam diei 16. Sept. 1552 attribuendam esse censemus. Nam autumno 1552 revera *de reformatione primum tractandum erat;* deinde animadvertendum est, quae cardinales deputati in prima congregatione die 26. Oct. 1552 habita reformanda sibi proposuerunt, exacte cum iis convenire, quae pontifex hic exponit. Vide infra n. 33, I. Cardinalis Cervinus, quem pontifex Romam vocaverat, Maffeo 25. Sept. 1552 scripsit: *Quanto alla propositione che S. Sta fece in concistoro, quale certo è più che necessaria al pericoloso stato in che ci troviamo, V. SS. Rev^{me} non dovranno havere mancato con la solita prudentia loro di ricordare tutto quello che si può in una causa tale. Druffel*, Beiträge II 767.

[1] Cfr. infra n. 57 p. XI.

[2] Eadem die (28. Sept.) pontifex cardinalem Mignanellum, qui Senis in vanum pro componenda concordia laborabat, Romam revocavit, ut ecclesiae reformandae operam daret:

Cardinali Mignanello legato. Dilecte fili noster sal. Putamus Circumspectionem Tuam quam ob eas praecipue causas Senas misimus, ut amorem erga illam civitatem nostrum tamquam alteram nostram patriam ostenderet, et ad bonum regimen illius reipublicae dirigendum tum sua prudentia tum nostra etiam, si opus esset, auctoritate cives illos adiuvares, utrique rei ampliter satisfecisse. Ex quo fit, ut appropinquantibus praesertim kalendis Octobris, in quibus, ut tu longa experientia scire potes, huius curiae negocia resumuntur, praesentiam hic Tuam desideremus et Tua opera in reformatione morum ecclesiasticorum, cui stante concilii generalis suspensione ad honorem Dei et bonum publicum incumbere intendimus, uti cupiamus. Quare ipsam Tuam Circumspectionem hortamur eique mandamus, id quod cum nonnullis aliis cardinalibus absentibus fecimus, ut postquam praesentes receperis, nulla interposita mora cum suo alioqui commodo civibus istis, quibus nostra principalis charitas nunquam deerit, prius nostro nomine salutatis ad nos revertaris. Dat. Romae 28. Sept. 1552 anno tertio. Gal[eatius Florimontius].

Arch. Vat. *Arm. 41 t. 65* n. 636.

conclavis, videl. de electione pontificis, et fuit decretum, quod bulla antea desuper facta mitteretur per manus ad Revmos, nullo tamen exemplari sumpto seu relaxato, qua visa postmodum mitterentur etiam ea, quae de dicta reformatione per praefatos deputatos ut praefertur acta fuerant, et deinde super omnibus concluderetur [1].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 160r.

XVIII. Romae apud S. Petrum die mercurii 17. Maii 1553:

Smus D. N. fecit verbum de reformatione et hortatus est Revmos DD. pro expeditione bullae conclavis.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 162v.

XIX. Romae apud S. Petrum die veneris 26. mensis Ianuarii 1554:

Smus D. N. Iulius divina providentia pp. III pro bonoregiminesanctae Romanaeecclesiae ac pro felici sacri collegii cardinalium directione de ipsorum cardinalium consilio et unanimi consensu praesenti decreto statuit, ut nullo unquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem S. Romanae ecclesiae cardinalem, qui sit frater germanus alterius cardinalis viventis, ita quod eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint, decernens et declarans fratres cardinalium viventium ad cardinalatus dignitatem penitus incapaces et inhabiles habendos et reputandos esse, et ex nulla quantumvis urgentissima causa adversus hoc decretum dispensare licere.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 184v.

XX. Romae apud S. Marcum die veneris 3. Augusti 1554:

Smus D. N. D. Iulius divina providentia papa III, attendens diversorum ordinum religiosos ultra modum cathedralium ecclesiarum desiderosos esse, eorum ambitioni occurrere volens de fratrum consilio statuit atque decrevit, ut de cetero quorumvis ordinum religiosi ad cathedrales, etiam metropolitanas ecclesias minime promoveantur, nisi eorum superioris et in Romana curia protectoris ad id respective expressus accedat assensus [2].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 204r.

XXI. Romae apud S. Petrum die lunae 12. mensis Novembris 1554:

Lecta fuit bulla super reformatione conclavis.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 212r.

XXII. Romae apud S. Petrum die veneris ultima mensis Novembris 1554:

Fuerunt tradita per manus exempla reformationis factae a Smo D. N. Revmis, ut ipsi mature considerare possent, si quideis occurreret [3].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 216v.

XXIII. Romae apud S. Petrum die lunae 24. Martii 1555 hora vigesima:

Disputatum est magna contentione, an esset observanda bulla reformationis conclavis [4]. Collecta sunt vota et sententiae patrum, et licet maior pars, immo quasi omnes censerent eam validam et observandam esse, tamen, quia aliquibus contrarium videbatur, visum fuit Revmo D. decano super hoc consulere peritiores, et ordinatum fuit consentiente collegio, ut ipse Revmus D. decanus solus communicaret rem cum quibus sibi videretur doctoribus seu peritis, et referret et decerneret, et fuit mandatum, ut quilibet de collegio rem secretam teneret et ita discessum est iam multa nocte nulla alia penitus re tractata.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 227r.

XXIV. Romae apud S. Petrum die veneris 29. mensis Martii 1555:

Datus est punctus, super quo consuli deberent a Revmo D. decano secrete doctores et iuris periti, ut tandem statui posset, an teneremur bullam reformationis conclavis observare.

[1] Ed. a *Raynaldo* a. 1553 n. 46.

[2] Ed. a *Raynaldo* a. 1554 n. 23 sub falsa data 13. Aug.

[3] Ed. a. *Raynaldo* l. c.

[4] Iulius III die 23. Martii 1555 mortuus est, antequam bulla conclavis modo consueto publicaretur. De contentione inde orta vide Massarelli diarium VII, *Conc. Trid.* II 249 sq.

Decretum est etiam, utsolverentur pensiones, quae pauperibus cardinalibus per S^{tem} S. fuerunt assignatae, immo ut deberet etiam anticipari solutio pro necessitatibus et impensisconclavis.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 229^r.

XXV. Romae apud S. Petrum die mercurii 3. mensis Aprilis 1555 in sacristia basilicae S. Petri post peractas exequias pro anima eiusdem Iulii III:

Rev^{mus} D. decanus, cui collegium commiserat, ut consuleret aliquos peritos, a quibus expeteret, an bulla edita per fe. rec. Iulium III super reformatione conclavis ligaret cardinales ad observantiam eius, retulit praesentibus in ipsa congregatione, praesentibus [etiam] ipsis DD. consultoribus, videl. R. D. decano Rotae [1], et Peregrino Fabio, eiusdem Rotae locumtenente [2], ac Federico Fantuccio, eiusdem Rotae auditore [3], ac D. Antonio Gabrielio, advocatorum decano, et Ioanne Baptista Osio, utriusque iuris doctore [4], pro maiori parte inter ipsos consultores conclusum fuisse, bullam praefatam in utroque foro Rev^{mos} DD. cardinales non ligare, et ipsi consultores praesentes post relationem Rev^{mi} D. decani id affirmarunt ita inter ipsos conclusum fuisse.

Postea determinatum est, ut quilibet cardinalis adduceret in conclavi duos vel tres conclavistas, secundum quod eius conscientia sibi dictaret, dummodo non excederet dictum numerum trium conclavistarum, etiamsi esset cardinalis infirmus. Item, quod conclavistae introducendi essent familiares continui commensales cardinalis introducentis, non tamen consanguinei nec mercatores aut principum agentes vel illustres.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 231^v.

33.

[Bernardinus card. Maffeus: Fragmenta reformationis] [5].

[1552-1553].

Romae Arch. Vat. *Conc.* 78 f. 71. 76^r. 125^r. 138^r. 239^r-246^r; or. autogr. cum multis emendationibus [6]

I. Fragmentum diarii a. 1552. II. Capita eorum, quae tractanda sunt in reformatione. III. Fragmenta ad reformationem curiae Romanae pertinentia.

I.

Principium diarii cardinalis Maffei [a] 1552.

Conc. 78 f. 71^r Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

Die mercurii 26. mensis Octobris hora 20. fuit facta prima congregatio Rev^{morum} DD. deputatorum super reformatione in cubi[cu]lo Rev^{mi} D. cardinalis Sanctae Crucis in palatio [7], qui fuerunt [8]:

Rev^{mus} D. Marcellus Cervinus card. S. Crucis,

[a] *Inscriptio manu Massarelli*

[1] Fabius Accorambonus, decanus Rotae 1550-1559. *E. Cerchiari*, Sacra Romana Rota I (Roma 1921) 294; II (Roma 1920) 96.

[2] Peregrinus Fabius (de Faba), auditor Rotae ab anno 1543 (*Cerchiari* l. c. II 97), anno 1547 ep. Vestanus nominatus. *Van Gulik-Eubel* III 352. Cfr. etiam *E. Göller*, Zur Geschichte der Rota Romana: Archiv f. kath. Kirchenrecht 91 (1911) 19 sqq.

[3] Cfr. *Cerchiari* l. c. II 100. Qui paulo post (a. 1556) a Paulo IV ad Henricum II nuntius extraordinarius missus (*A. Pieper*, Die päpstlichen Legaten u. Nuntien I 90 sqq.) a. 1557 ep. Cariatensis et Geruntinus factus est. *Van Gulik-Eubel* III 218.

[4] I. B. Osius, eodem anno 1555 ep. Reatinus factus, a. 1562 obiit. *Van Gulik-Eubel* III 301.

[5] Bernardinus Maffeus natus 1514 Romae ex illustri et antiqua familia Bononiensi, secretarius Alexandri card. Farnesii, postea 22. Apr. 1547 episcopus Massae Maritimae nominatus, in ultima Pauli III creatione 8. Apr. 1549 cardinalis creatus erat. Praemature mortuus est 16. Iulii 1553. *Van Gulik-Eubel* III 34. De quo Seripandus 13. Aug. 1553 Cocciano amico scripsit: *Havendo udito che sia morto il card. Maffei et ancora il generale de' Servi* [Augustinus Bonuccius] *quasi me vergogno di vivere, vedendo che li giovani atti a far bene se ne vanno, et io vanissimo occupator della terra, non atto se non a mangiarne li suoi frutti, ancor ci resto* (Neapoli Bibl. Nat. *Cod. XIII AA* 50 f. 151, or). *Purpura docta* II 618 sq. — Maffeo card. Polus ab illo requisitus opinionem de reformatione facienda exposuit litteris 19. Sept. 1552 datis, *Calendar of State papers: Venice* V 371 sqq.

[6] In codicibus *Conc.* 78 et 79 antiquos foliorum numeros adduximus, ut cum iis, quos *Schweitzer* allegavit, conveniamus.

[7] Sc. apostolico i. e. Vaticano, ubi Cervinus habitabat, cfr. Neapoli, Bibl. Nat. *Cod. XIII AA 61* f. 24^r et infra n. 34.

[8] Didacus Lassus 26. Nov. 1552 Ferdinando regi scribens loco Pighini et Cicadae Verallum et Caraffam inter deputatos enumerat. *Druffel*, Beiträge II 825.

Rev^{mus} D. Petrus card. Pacecus,
Rev^{mus} D. Iacobus cad. Puteus,
Rev^{mus} D. Sebastianus Pighinus card. S. Calixti,
Rev^{mus} D. Ioannes Baptista Cicada card. S. Clementis,
et ego, Bernardinus card. Mafaeus, qui eram tertius in ordine et secundus in dicenda sententia, propterea quod Rev^{mus} S. Crucis, in cuius camera erat congregatio, servabat votum suum in extremo, ut moris est.

P r i m u m lecta fuit a me nota quaedam scripta manu S^{mi} D. N.[1], in qua continebantur capita quaedam, et ea quidem maxime necessaria, ad reformationem, incipiendo a persona S. S^{tis} et Rev^{morum} cardinalium, episcoporum, sacerdotum, deinde a tribunalibus et officiis paenitentiariae et datariatus, demum vero a reformatione laicorum | principum et de tuenda 71v libertate ecclesiastica. Hac nota praelecta tractatum est et dictae [sunt] sententiae, utrum incipienda esset reformatio universalis an a capite i. e. S^{mo} D. N. et Romana curia, conclusumque est, ut reformatio incipiatur a capite et membris, dein transeamus ad provincias et regna christiana, et ut initium sumatur reformationis a tollendis abusibus conclavis, et reassumatur bulla, quae scripta est et nondum publicata, atque hac diligenter examinata inter nos veniamus ad reformationem consistorii, ubi episcopi et abbates fiunt, qui praesunt curae animarum, et sic reformatio per partes fiat, ne in immensum opus excrescat iniunctumque [est] Rev^{mis} DD., ut ad alteram congregationem veniant cum annotationibus, quae unicuique occurrent tam super abusibus conclavis quam consistorii, decretumque est, ut singulis ebdomadibus die mercurii congregatio fiat et, si opus fuerit...[a] [2].

II.

Capita eorum, quae tractanda sunt in reformatione[b] [Oct. 1552 exeunte][3].

De creatione cardinalium. 76r
De numero.
De aetate.
De qualitate personarum.
⟨De redditibus.
De habitu non mutando.
De absentia cardinalium et quod non gaudeant privilegiis⟩[c].
De confirmatione episcoporum et electione.
De abbatibus.
De commendis et dispensationibus.
De propositionibus S^{mi} D. N., ⟨ut a S. S. non fiant et a cardinalibus significentur ante consistorium capitibus ordinum iuxta decreta L a t e r a n e n s i s concilii⟩[c] [4].
De propositionibus cardinalium.
Ut omnia beneficia consistorialia proponantur.
De bulla conclavis, numero dierum[5] tollendo, remittendo se ad canones.
Item de exequiis per canonicos[6] celebrandis.

[a] *Cod. hic prorumpit* [b] *Inscriptio manu Massarelli, cetera Maffei* [c] *add. in marg*

[1] Quae nota illa videtur fuisse, quam sup. n. 32, XV exhibuimus.

[2] Augustus Coccianus 12. Nov. 1552 Seripando scripsit:
Il Rev^{mo} Maffei poco fa mi mostrò alcuni quinterni di questa materia — che è uno delli riformatori — cioè quinterni, che già si hebbero da Portugallo, da Polonia et da altri delle cose che richiedevano rimedio. Dice S. S. Rev^{ma}: « Gia havemo riformato il conclave et se ne fara una bolla. Adesso riformamo il concistoro ». « Havete da far assai qua », dico io. Et cosi si passa[va a] burla. Riformaremo il datariato, la penitentiaria et di mano in mano. Neap. Bibl. Nat. *Cod. XIII AA* 50 f. 180.

[3] Videntur esse *annotationes*, de quibus Maffeus ipse supra sub I.

[4] In bulla *Supernae dispositionis arbitrio* publicata in conc. Lateranensi V, sess. IX (5. Maii 1514) statuitur, *ut cardinalis, cui electionis, postulationis aut provisionis ecclesiae seu monasterii relatio committetur, antequam in sacro consistorio, ut moris est, referat commissionem examinis ac relationis huiusmodi sibi datam, uni cuiuslibet ordinis antiquiori cardinali... notam illam facere debeat, qui tres priores aliis quamprimum sui ordinis cardinalibus eam significare teneantur* etc. *Mansi* XXXII 875; *Raynaldus* a. 1514 n. 18.

[5] Sc. a morte pontificis usque ad ingressum conclavis. In prima forma bullae statuebatur, ut cardinales infra 10 dies conclave ingrederentur, etiamsi exequiae pro defuncto finitae non essent; quae a vicario S. Petri et canonicis absolverentur. *Sägmüller*, Die Papstwahlbullen 285 sq. Vide infra n. 43.

[6] Sc. S. Petri. Cfr. adn. praecedentem.

De coadiutoriis, uti statutum est a iure et decretum.
De regressibus et accessibus.
De reservationibus fructuum et ecclesiarum.
De pensionibus.
De resignationibus successionis causa et sine aliqua ratione.
De permutationibus ecclesiarum.
De protectoribus regnorum: Vel per turnum fiant vel a S. S[te] distribuantur.

III.

[Quaedam fragmenta ad reformationem curiae Romanae pertinentia Maffei cardinalis manu scripta] [a] [1].

242r Beneficia aut sunt curata aut sine cura. Si curata, non videntur ita passim omnibus conferenda, etiam si aetatem legitimam habeant, ⟨cum curae animarum praeesse debeant⟩ [b], sed servanda aliqua forma in collationibus, uti in concilio Tridentino in VII. sessione [2].

Nec videretur admittenda resignatio beneficiorum curatorum in favorem certae personae, etiam in manibus papae, nisi exprimatur causa, quae ipsum movet ad resignandum, et verificetur et ponatur qualitas illius, in cuius favorem renuntiatur. Permutatio in curatis non admittatur, nisi constet, an sit habilis ille, qui vult habere beneficium curatum ex permutatione [3]. |

242v Coadiutoriae non dentur in beneficiis curatis cum futura successione.

Pensiones in beneficiis curatis, etiam ex causa resignationis, non imponantur, nisi fuerit iusta causa et fructus beneficii ascendant summam 50 ducatorum. Tunc posset imponi pensio, quae tamen tertiam partem fructuum non excedat.

Item in resignationibus beneficiorum curatorum non detur reservatio omnium fructuum, cum non sit honestum, ut unus laboret et alter manducet. In beneficiis curatis vel quocumque modo incompatibilibus per viam unionis seu commendae servetur canon concilii Tridentini in VII. sessione [4]. |

243r Pensiones cum potestate transferendi nec in beneficiis curatis nec in aliis dentur, maxime pro tertio.

Si beneficia fuerint sine cura, aut sunt dignitates in cathedralibus vel principales in collegiatis, quae, etiamsi non habeant curam animarum [c], alicui ante vigesimum annum conferri non possint sine causa, ut quod aliis papa significavit, ipse etiam servet; aut sunt beneficia simplicia. Si simplex, cum beneficium ecclesiasticum sit stipendium ministrantium Deo et, quo plures ministri sunt, eo magis cultus divinus augetur, non
243v videretur, ut ita indistincte darentur, sed in supplicationibus | sive per obitum sive per reservationem qualitas ministri exprimeretur et quilibet impetrans teneretur exprimere beneficia per eum obtenta et valores illorum, ne unus multorum stipendia occupet, et quod non daretur clausula *una cum obtentis* nisi post specificationem ipsorum.

Item beneficia saecularia saecularibus, regularia regularibus conferantur, nisi sint solita commendari ab antiquo tempore, quo casu papa de iis provideat.

In resignationibus beneficiorum simplicium reservetur aliqua portio proviso, ex qua in ecclesia ministrando posset verisimiliter vivere.

Beneficia simplicia, quae computatis distributionibus quotidianis 24 ducatos non excedunt, non graventur aliqua pensione, ut paucis abhinc annis fieri solebat. |

[a] *Inscriptio manu Massarelli exarata invenitur f. 235r.* [b] *add. in marg.* [c] *del.* tamen, cum aliis praeferantur et quodammodo praesint, quod non viderentur conferenda pueris, sed ad minus, ut essent 20 annorum, [quibus] possint conferri

[1] Omisimus, quae a Maffeo de bulla conclavis (*Conc. 78* f. 236r-238v), de confessionibus religiosorum et monialium (ibid. f. 240r) et de electione superiorum ordinum religiosorum (ibid. f. 177r) adnotata sunt, reiicientes lectorem ad n. 43 c. 2 et 8 et n. 56 c. 8 et 9. Inserenda autem esse (post partem de indulgentiis tractantem) existimavimus ea, quae de dispensationibus matrimonialibus deque absolutionibus et commutationibus Maffeus composuit (ibid. f. 125r et 138r, inter ea, *quae pertinent ad poenitentiariam sub Iulio III*).

[2] Trid. sess. VII de reform. c. 3, *Conc. Trid.* V 997.

[3] Cfr. *F. Gillmann*, Die Resignation der Benefizien: Archiv f. kath. Kirchenrecht 80 (1900) 687 sqq.; 81 (1901) 223 sqq.; *Q. Mandosius*, Signaturae gratiae praxis (Romae 1559) 22-26.

[4] Ibid. c. 4, *Conc. Trid.* V 997.

Circa [a] pensiones indecens videtur, quod assignentur super distributionibus quotidia- 246^r nis, quod tamen fit, etiamsi omnes fructus absorbeant. Nam cum sint destinatae residentibus dumtaxat, absurdum, quod alteri dentur in totum. Quare videretur, quod in dignitatibus et in aliis beneficiis curam animarum non habentibus non imponeretur pensio, etiam iusta causa existente, quae medietatem fructuum [b] excedat. Et iis qui habent, unde aliunde vivant, nullatenus videretur de pensionibus providendum, ut finis avaritiae clericorum quando imponeretur. |

Indulta percipiendi fructus in absentia non dentur neque rectoribus par- 244^r rochialium neque aliis ratione residentiae in Romana curia.

Regulae de idiomate in parochialibus ecclesiis vel aliis residentiam requirentibus nullatenus derogandum videtur.

Non dispensetur cum Iaico, maxime coniugato, ut posset retinere beneficia simplicia et praestimonia et pensiones ratione ordinis S. Iacobi vel alterius, cum ista facient in fraudem. Item dicimus de regressibus.

Quando aliquis renunciat canonicatum vel dignitatem in aliqua ecclesia cathedrali vel collegiata, non dispensetur, ut possit reservare sibi denominationem, stallum in choro et locum in capitulo, etiam de consensu, cum sit monstrum constituere duo capita in eodem corpore beneficii. |

Parrochiales ecclesiae [vel] [c] alia beneficia residentiam requirentia nullo pacto aliis piis 244^v locis, etiam hospitalibus, perpetuo uniri deberent, si tamen fructus fuerint nimium uberes, posset aliqua competens portio illorum separari et applicari hospitali aut alteri pio loco ex causa, cuius cognitio ordinario committenda esset. Alia beneficia non curata non essent similiter perpetuo unienda nisi perraro et ex magna causa, cuius cognitio similiter ordinario committatur.

Dispensatio ad plura curata non detur nisi nobilibus vel graduatis in publica universitate aut alias valde literatis viris, nunquam tamen dispensetur ad duo conventualia vel claustralia.

Iuri patronatus laicorum ex fundatione et dotatione etiam in vacantibus per obitum apud sedem derogandum non videtur. |

Item in praebendis theologalibus sive doctoralibus nec non fundationibus 245^r beneficiorum certos sacros ordines requirentium non esset ullo pacto derogandum, ne laici ex hoc retrahantur a fundendis beneficiis.

Filius clerici nullo modo vivente patre possit habere praebendam nec dignitatem in ecclesia, in qua pater est beneficiatus, etiam si beneficia sint diversi generis, ad evitandum scandalum. Servetur omnino constitutio Clementis VII de filiis presbyterorum [1].

Indulta, quae dantur super conferendis beneficiis ad collationem aliorum spectantibus, sunt plurimum scandalosa et praeiudicialia ordinariis collatoribus ⟨inferioribus, qui⟩ [d] priventur iure suo conferendi. |

Cum ultimae voluntates [2] defunctorum summa cum religione servandae sint, 138^r praecipue vero in pios usus, non videretur, ut S^mus^ D. N. illas commutaret nisi ex magna, urgenti et rationabili causa.

Similiter abstinendum esset ab erectionibus relictorum ad pias causas in titulum beneficii.

Absolutiones in utroque foro ab homicidiis et aliis excessibus atrocioribus pro legitime inquisitis et citatis a suo ordinario non essent dandae.

Absolutiones ab apostasia non viderentur concedendae nisi revertentibus ad claustrum sui ordinis vel transeuntibus ad aliam religionem arctiorem sive parem, ut ibidem perpetuo remaneant nec beneficia obtinere aut illis deservire valeant nec etiam altari ministrare, donec in apostasia perseveraverint.

Similiter [licentiae standi extra pro religiosis] etc. [3].

Facultates de ingrediendo monasteria non essent mulieribus concedendae nisi perraro, ⟨etiam si matres vel sorores essent; quae indui debeant vestes simplices

[a] *Hanc partem hic inserendam esse Maffeus ipse signo quodam indicavit* [b] *Cod. add.* non [c] *corros* [d] *del.* quorum iurisdictio usurpatur, etiamsi vacet in eorum mensibus, ita ut omnes inferiores collatores

[1] *Bullar. Romanum* VI 143 sqq. (3. Iunii 1530); cfr. etiam *Göller* l. c. II 2, 156 sq. De qua tamen constit. *I. N. Delphinas,* Flores iuris patronatus (Lugduni 1551) 50 ait: *Est in viridi observantia et contra eam non dispensatur.*

[2] Cfr. infra n. 49 (Commutationes ultimarum voluntatum), quae forma istam Maffei antecessit.

[3] Reiicit auctor ad aliud scriptum, quod invenitur *Conc. 78* f. 121^r.

et⟩ [a] sine aliquo ornatu, ita ut devotionis causa et non voluptatis venisse videantur, et tunc etiam non nisi de licentia superioris et deputatorum pro tempore curae dicti monasterii, si qui fuerint. |

125r In dispensationibus matrimonialibus videretur, ut S^mus D. N. abstineret omnino ab iis, qui coniuncti sunt sanguine in primo gradu; in secundo vero non dispensaret nisi ex maxima et urgenti et cognita causa; in tertio et quarto revocandae viderentur omnes facultates concessae tam legatis apostolicis et nuntiis quam fabricae [S. Petri] et Cruciatae, ne ita passim, ut fit, dispensaretur. Et in primis haberetur ratio, utrum scienter an ignoranter contraxerint, nam si scienter, maiori essent poena mulctandi, cum nullam haberent excusationem peccati. Itemque, ut S. S^tas in dispensationibus concedendis recte et diligenter examinet causas, an iustae sint, in contractis et simili modo in contrahendis, ne nimia facilitate apostolicae sedis abutantur. Et ne huiuscemodi dispensationes vel ex ignorantia vel ex malitia supplicantium surreptitiae fiant, nulli nisi ordinariis locorum committantur.

Ordinariis locorum residentibus videretur concedi posse facultatem dispensandi gratis sub publica honestate et cognatione legali et spirituali praeterquam inter levantem et levatum ac super affinitate occasione copulae fornicariae contracta [1]. |

239r Rescripta in forma *si in evidentem* dirigenda essent ordinario et non alteri, quia fiunt multae fraudes, cum committantur iudicibus affectatis. Et si agatur de interesse ordinarii, committantur metropolitano vel alteri ordinario viciniori.

Reservationes in pectore et speciales aliaeque gratiae praeventivae ad beneficia, quibus gravantur ordinarii et votum captandae mortis inducitur, non solum non videntur amplius concedendae, sed et concessae hactenus revocandae itemque indulta in alienis ecclesiis. Gratiae vero expectativae sive mandata de providendo iuxta constitutionem Gregorii IX [2] concedi possunt et non nisi in forma pauperum in propriis regnis sive provinciis, unde oriundi sunt clerici, et ad unum tantum beneficium, ex quo honeste vivere possint.

Non videtur derogandum regulae de surrogando non collitigantes [3] etiam in vacantibus apud sedem, quando est vera lis et non calumniosa, ita tamen ut litigans habeat vel sententiam pro se vel possessionem.

Cassationes pensionum anticipata solutione non essent concedendae nisi pro pensionibus antiquis vel saltem unius anni ad obviandum simoniacae fraudi.

Exemptiones etiam ratione protonotariatus vel accolitatus non dentur, sed servetur in omnibus canon quartus concilii Tridentini, qui incipit *Omnes ecclesiarum* [4].

239v Itemque exemptiones, quae a curia emanarunt ratione confra|ternitatum hospitalis Sancti Spiritus et Sancti Iohannes Latheranensis et aliorum, non concedantur amplius et concessae revocentur.

[a] *supra lineam; del.* et illustribus honestisque matronis, quae a tribus vel quattuor associarentur, sine ornatu cum vestibus simplicibus

[1] *Conc. 78* f. 123 invenitur alia forma huius capitis ab ipso Maffeo manu propria correcta:

De dispensationibus matrimonialibus.

In dispensationibus matrimonialibus distinguendum esse videretur ita, ut in primo gradu, etiam affinitatis, nunquam, in secundo non nisi perraro et ex aliqua maxima et publica causa cognita et probata dispensaretur. Et quoniam in his duobus gradibus nulla potest verisimiliter pretendi aut allegari ignorantia, placeret, ut in matrimoniis iam contractis vel nunquam dispensaretur vel ecclesiastica censura saltem adhiberetur. In tertio gradu de contrahendo similiter non nisi ex causa ab ordinariis locorum cognoscenda dispensari placeret. In contractis vero, si ignoranter, facilius, si scienter, difficilius dispensandum esset et poenitentia salutaris iniungenda, praesertim cum iis, qui in fraudem legis contraxissent. In quarto gradu etiam non ita passim, ut nunc fit, dispensandum videretur, sed rationabili dumtaxat de causa; ac de contrahendo quidem in quarto, dispensationes ordinariis locorum committendae essent, ut sic saltem provideretur, ne tales dispensationes subreptitiae vel ex ignorantia vel ex malitia supplicantium fierent. In contractis autem, si ignoranter, facile cum omnibus, si scienter, quoniam huiusmodi matrimonia magna ex parte in contemptum legis et in fraudem facta esse reperiuntur, cum iis, qui taliter contraxissent, difficilius et graviori iniuncta poenitentia dispensandum videretur. Et haec constitutio omnibus intimari oporteret.

Ordinariis locorum residentibus videretur concedi posse facultas dispensandi gratis super publica honestate et super cognatione legali praeterquam inter adoptantem et adoptatum ac super affinitate occasione copulae fornicariae contracta.

[2] C. 38 *Quum olim* X de praebendis et dign. III 5 (*Friedberg* II 481); fusius hac de re tractat Bonifatius VIII in Sexto sub eodem titulo III 4 (*Friedberg* II 1020 sqq.). Cfr. *J. Haller*, Papsttum u. Kirchenreform I (Berlin 1903) 28 sqq.

[3] Cfr. *E. v. Ottenthal*, Die päpstlichen Kanzleiregeln von Iohannes XXII bis Nicolaus V (Innsbruck 1888) 58 (Bonifatius IX n. 11), 214 (Martinus V n. 117), 258 (Nicolaus V n. 27); etiam inter regulas Iulii III invenitur. Cfr. *P. Rebuffus*, Praxis beneficiorum (Venetiis 1554) 254v-256v.

[4] Trid. sess. XIV de reform. cap. 4.

⟨Capitula cathedralium ecclesiarum itemque clerici ratione litis cum eorum episcopo viciniori metropolitano durante lite subiecta sint, ne propter litis diuturnitatem perpetuo exempti remaneant⟩ [a].

In conservatoriis concedendis, cum in concilio Tridentino abunde provisum sit cap. 5, quod incipit *Insuper* [1], servetur eius canonis forma. In impetrationibus *certo modo* servetur regula cancellariae [2]. |

Cum ⟨ex publicatione indulgentiarum, quae quaestuariis ut plurimum fit, multi abusus inoleverint⟩ [b], cogitandus esset modus, qui a S[mo] D. N. servari deberet in illis concedendis. 241r

Similiter de iam concessis, utrum suspendendae essent, an omnino revocandae, habita ratione locorum et provinciarum. Et primum

de iubileo,
de indulgentiis plenariis perpetuis,
de indulgentiis ad aliquot annos alicui ecclesiae vel oratorio concessis,
de indulgentiis plenariis, quae in festo alicuius sancti conceduntur,
de indulgentiis fabricae S. Petri et Cruciatae, redemptionis captivorum,
de indulgentiis, quae a quaestuariis B. Antonii S. Spiritus, SS. Lazari et Bernardi publicantur [3].

34.

[Marcellus card. Cervinus: Fragmentum diarii super reformatione sub Iulio III] [4].

[1552-1553].

Florentiae Arch. publ. *Carte Cerv. Filza 32* f. 17r-17v, or. autogr

Die sabbati 12. Nov. [1552] fuit congregatio, in qua unusquisque attulit abusus a se collectos super signatura, quae fit coram pontifice. *Carte Cerv. Filza 32* f. 17r

Die sabati 28. Ian. [1553] fuit congregatio absente D. S. Clementis ⟨propter legationem⟩ [c] [5] super residentia et auditus fuit magister s. palatii [6].

Die sabati 4. Februarii fuit congregatio absente D. S. Clementis propter aegritudinem, in qua unusquisque dixit suam sententiam de residentia et praecipue cardinalium et an excusantur, quia assistunt pontifici, et an causa, quae exprimitur in litteris, communiter sit rationabilis, ut sc. decent... [d] orum substentare valeant. |

Die lunae 27. Februarii fuit congregatio absente cardinale Puteo, qui podagra detinebatur, in qua de residentia fuit auditus cardinalis S. Clementis, qui adhuc sententiam eius non dixerat super ea re 17v

[a] *add. in fine, del. alia forma eiusdem tenoris* [b] *in marg., del.* propter abusum indulgentiae fuerint [c] *supra lin.* [d] *corros. Videtur legendum* decenter decorum

[1] Ibid. cap. 5.

[2] Regulae cancellariae Iulii III (Romae 1550) hanc habent regulam: *Item voluit et ordinavit, quod in gratiis beneficialibus de vacantibus aut certo modo vacaturis factis quibuslibet, si plura petantur beneficia, unum cuiuscumque annui valoris per simplicem signaturam et addito « ut petitur », duo aut tria et non ultra beneficia petita veniant, dummodo etiam illorum fructus etc. centum libras Turonensium parvorum... non valeant annuatim.*

[3] Maffeus in alio scripto « *Indulgentiae quot modis concedantur* » (*Conc. 78* f. 82r) easdem fere indulgentias enumerat quas hic, addens in fine indulgentias S. Sebastiani, benedictionis coronarum, altarium portatilium et confessionalium. De omnibus huiusmodi indulgentiis cfr. *N. Paulus*, Geschichte des Ablasses im Mittelalter III (Paderborn 1923) 170 sqq. (S. Petri); 238 sqq. (S. Spiritus); 247 sqq. (religio S. Antonii); 252 (S. Lazari); 437 (redemptionis capt.).

[4] Cervinus una cum Maffeo revera « spiritus rector » reformationis erat. De revocatione eius in Urbem vide acta consistorialia (n. 32, XV) et litteras ad Maffeum 25. Sept. 1552 Eugubiis datas *Druffel*, Beiträge II 767 sq. Augustus Coccianus Seripando 17. Sept. 1552 scribit (Neap. Bibl. Nat. *Cod. XIII AA 50* f. 161v): *Si spera che 'l Rev[mo] S. Croce sarà tosto qua, chiamato da S. S[ta] per far la riforma.* Idem 29. Oct. 1552 (ibid. f. 177r) conqueritur Cervinum tot congregationibus esse occupatum, ut adiri non possit: *La congregatione degli heretici, quella della riforma, che si fa in cam[era], quella del[lo] studio, quella della fabrica di San Pietro. Ogni dì n'ha da far una.*

[5] Iohannes Bapt. Cicada, tit. S. Clementis, 13. Martii 1553 legatus Campaniae deputatus est (*Van Gulik-Eubel* III 36), ergo tum legationis causa vix aberat.

[6] Hieronymus Muzzarellus, mag. s. palatii 1550-1553 (*Quétif-Echard* II, XXI), postea archiep. Consensis, † 1561. *Lauchert*, Die italien. literar. Gegner Luthers 672.

Die mercurii 15. Martii fuit congregatio[a] absente D. Giennensi, qui vocatus fuit a pontificc in... [b] in qua conclusa fuerunt de residentia infrascripta [1].

Die mercurii 5. Aprilis fuit congregatio super reformatione poenitentiariae et fu... [c] tus D. Paulus Draco, ipsius poenitentiariae datarius [2]. |

35.

Sententia Francisci Vargas oratoris [de reformatione generali] transmissa imperatori [d] [3].

[17. Nov. 1552].

Simancas *Patronato real 21 f 67 n. 338*, or.

I. Rationes affert, quare nec liceat nec expediat Romae reformationem generalem tunc facere. II. Sanctio pragmatica minime est abolenda.

Patronato real 21 f. 67 n. 338 f. 1r

Iulius III pontifex maximus videtur in animo habere generalem morum reformationem hoc tempore Romae constituere et una quaerere rationem aliquam concordiae ineundae in illis rebus, quas quidam homines in pragmatica Hispaniae sanctione ausi sunt vocare in disputationem.

Exosculamur sane pium optimi pastoris studium, qui in tantis rerum omnium angustiis (quibus facile omnis eiuscemodi cogitatio excludi poterat) putavit non sibi modo et suis familiaribus bene ordinateque vivendum [esse], sed hoc etiam ad salutem ovium suarum idest christianorum omnium pertinere, ut hoc tempore, quo omnia sunt armis involuta, novae leges conderentur, quibus morum correptio fieret ubique terrarum.

Propositum igitur istud, ut magnum habet pietatis argumentum, ita multorum iudicio est operosum, ut merito dubitari queat, an his rerum difficultatibus conveniat, in quibus principum christianorum auxilio, quod est omnino necessarium, summi pontificis voluntas iuvari non potest, an vero ulla alia ratione id modo fieri non debeat.

Cum igitur rogatus sim (pro eo atque muneris mei ratio postulare visa est), qui putem 1v rationi veritatique in utroque proposito consentire, breviter uno atque altero | capite aut potius indice monstrabo, quae mihi sequenda videantur, eadem latius explicaturus, si necessarium esse iudicetur. Sed quod omnium negotiorum publicorum confutatio non solum considerat, quid liceat, sed etiam multoque magis, quid expediat, visum est mihi utrumque breviter per conclusiones aperire, si tamen antea nonnulla praemiserimus.

[Caput primum: De reformatione generali].

Reformationis vocabulum ita intelligo, ut restitutionem significet earum rerum, quae res in peius collapsae a forma sua recesserunt. Duo autem praecipua sunt in religione christiana, in quibus hac reformatione opus sit: Alterum error fidei, in quam quidam inciderunt, alterum corrupti mores et bonarum rerum beneque institutarum turpissimi abusus.

Haec duo mala istam inter se cognationem habent, ut ex vita et moribus depravatis et sacrarum utiliumque rerum abusu scandala secuta sint hominum minus firmorum, e scandalis porro haereses ortae una cum magna omnium rerum perturbatione.

[a] *supra lin.* [b] *corros.* [c] *corros. Videtur legendum* fuit auditus [d] *in marg. rubrica* Parescer del embaxador Vargas q'embio a su M[agesta]d en XVII de Noviembre 1552

[1] Desunt in codice.

[2] Paulus Draco, tum datarius vel auditor poenitentiariae, sub Paulo IV regens eiusdem poenitentiariae fuit. *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie II 1 (Rom 1911) 59; ibid. 60 sqq. de officio datarii poenitentiariae, qui distinguendus est a datario papae. Cfr. infra n. 65.

[3] Franciscus Vargas, cuius mentionem iam supra fecimus de protestatione Bononiensi agentes (p. 16), tunc temporis (1552-1558) Caroli V et postea Philippi II ad rempublicam Venetiarum orator erat. *G. Constant*, Rapport sur une mission scientifique aux archives d'Autriche et d'Espagne: Nouvelles archives des missions scientifiques et littéraires 18 (1910) 359-385. Ibid. p. 404 sqq. enumerantur litterae, quas 1560-1563 praesertim Philippo II scripsit vel ab eo accepit, et quidem plures quam quae a *Döllinger* Beiträge I 265-543 et in collectione *Documentos ineditos* IX 81 sqq. receptae sunt. Pro illustrando hoc nostro tractatu vide etiam *M. Levassor*, Lettres et mémoires de François de Vargas (Amsterdam 1699) et *I. Susta*, Die römische Kurie u. das Konzil v. Trient unter Pius IV, II-IV (Wien 1909-1914) passim; denique tractatum eiusdem apud *I. Texada y Ramiro*, Colleccion de cánones y de todos los concilios de la iglesia de España IV (Madrid 1859) 699 sqq.

Quaesitum igitur est remedium cum a summo pontifice multisque aliis piis viris tum maxime ab imperatore, | sed nullum aliud inventum est quam c o n c i l i u m g e n e r a l e. 2r
Tandem igitur post innumeras molestias exhibitas concilium rite convocatum est, tum ut Germaniae haereses et, si quae aliae essent aliarum regionum, extirparentur, tum ut origo et fomes omnium malorum tolleretur, quam originem et fomitem omnes videbant consistere in corruptis moribus cum aliorum, tum maxime ecclesiasticorum. Una igitur causarum praecipuarum concilii convocandi ea fuit, ut mores castigarentur, e quibus originem et fomitem haereses et mala omnia habere intelliguntur.

1. [a] Morum igitur reformatio ad concilium pertinet, quo durante, ut hactenus durat, quamvis consultandi assiduitas sit suspensa, reformatio solemnis nec Romae nec alibi quam in concilio tractari potest.

2. Illuderetur enim ab iis concilio, qui hoc concilio negotium eriperent, ad cuius tractationem est convocatum.

3. Iam quamvis ad hoc convocatum expressa et aperta significatione non esset, non liceret tamen, ut notum est, tempore concilii de summis reipublicae christianae negotiis alibi conventus habere.

4. Praeterea multo minus licet hac causa, quod non solum id tractatur, quod concilii est proprium, sed | etiam, quod hoc modo videatur contendi morum reformationem ad 2v
concilium non pertinere, ut P a u l u s III eadem via persuadere videbatur, qui durante concilio mores reformare Romae publicis comitiis et ritu solemni indictis tentavit [1].

5. Deinde, si nulla alia ratio esset, hac sola prohiberetur, quod nemini liceat quicquam struere ad concilium extinguendum, quod modo suspensum est. Sed reformationem Romae solenniter absolvere, nihil aliud sibi vult quam ut persuadeant non opus esse concilii alia consultatione, propterea quod, quae in fide controversa erant, iam in concilio decidi curassent, ea vero, quae de morum reformatione restabant, iam Romae perfecissent.

6. Postremo istud fictae reformationis genus nihil aliud est quam contemptus conciliorum, quo omnis conciliorum authoritas elevatur, ut omnes nimirum hoc pessimo exemplo inducantur ad credendum, iam ea in re (ne quid deterius dicam) conciliis generalibus omnem authoritatem et libertatem ademptam esse.

N o n l i c e r e igitur hoc tempore Romae solemni christianorum ritu reformationem indicere, his causis, quas indicavi, satis doceri potest.

Sed quia duplex caput deliberationis annotatum est idque | in divo P a u l o observatum 3r
videmus [2], alterum an liceat (de quo modo breviter dixi), alterum, an e x p e d i a t, non arbitror me quaestioni satisfecisse, si non adiecero, quae in hac secunda parte examinanda esse iudico. Sicut legitur id quod licet e legum permissu fere doceri solet, ita quod expedit, e fine et utilitate rerum consequentium id, de quo dubitatur, eliciendum videtur. Quanto autem finis illo potior est, quod ad finem est ordinatum, tanto quid expediat quam quid liceat magis est videndum.

[b] Quamvis igitur daretur (quod minime dicendum videtur) licere, non tamen expedit Romae hoc tempore reformationem solemniter fieri.

1. Et primum quidem, an quicquam boni de morum correctione Romae statueretur in absentia et silentio omnium provinciarum et principibus bello explicatis, ubi, ut quicquam de malis moribus demeretur, nec concilii vigentis authoritas nec omnium gentium querelae nec haereticorum convicia nec patrum adhortatio nec imperatoris labores obtinere potuerunt.

2. Deinde, si aliquid statuant, id fortassis faciet non ad emendationem, sed ad veteres corruptelas magna ex parte muniendas et novi aliquid statuendum, quod bonis legibus et institutis non conveniat. Nam id | quominus facerent, vix in ipso concilio impedire potui- 3v
mus, ut omnibus notum est [3].

[3] Quid? An nunc mores reformari poterunt, cum omnes principes et praesertim imperator, cuius maxime interest, bellis impediti sint nec possint intelligere nec per se nec per suos, quid in reformatione tractandum sit, quae si mala sit, non Romam solam, sed omnes regiones affliget?

[a] *in marg.* non licere [b] *in marg.* non expedire

[1] Vide supra n. 23.
[2] Cfr. *1 Cor.* 6, 12; 10, 22.
[3] In litteris ad episcopum Atrebatensem 28. Oct., 26. Nov., 29. Dec. 1551 Tridenti datis Vargas acerbe cardinalem Crescentium vituperat, quod reformationi non faveat. *M. Levassor*, Lettres et mémoires de François de Vargas (Amsterdam 1699) 162 sqq. 208 sqq. 234 sqq. 313 sq.

4. Iam si summus pontifex putavit concilii intermissionem fieri debere, quod per bellorum tumultus non satis integrum esset ea discutere, quae in disputationem veniebant, multo minus reformationem nunc fieri utile fuerit, in qua omnis fere difficultas concilio futura erat.

Quare si concilium suspendendum fuit, suspendatur etiam tractatio negotii, ob quod concilium erat maxime convocatum.

5. Addamus hic, quod est praecipuum, minime e re ecclesiae esse hanc Romae hoc tempore morum solemnem castigationem institui, quod verisimile sit, quod nihil sani sint tractaturi in illis rebus, quae in ipsis maxime notantur, et praetextu reformationis exclusuri sint omnem meliorem deinde reformationem.

4r 6. Verum si aliquid fortasse praeter expectationem bonae | reformationis fieret, illud minime mandaretur executioni. Sic enim fieri vidimus in Paulo III pont. max., qui cum ab illis piis cardinalibus et episcopis, quibus reformationis provinciam curandam dederat, formula quaedam reformationis oblata esset, conatus est, ne in vulgus exirent cardinalium et episcoporum censurae, quamquam invito pontifice a multis postea visae sunt, quae utinam executioni mandatae fuissent [1].

7. Postremo non deerunt, qui facile existimare putabunt summum pontificem hac reformatione nihil aliud quaerere quam concilii supplantationem, et ad hanc rem iam in promptu habere consilia, quibus tempus ducat tantisper, dum videat, quorsum res Caesaris inclinent. Omnis enim motus nonnullorum hominum est, ne rebus pacatis imperator concilium inceptum ad finem modo debito perduci faciat. Quamobrem non omnem lapidem non movent, ut suis rebus consulant [a]. Si igitur ad nihil aliud utile esset reformationem fieri, ad hoc saltem conduceret, ut metu concilii in officio magis teneantur; quod an verum sit, notius est, quam ut probatione egeat.

Censeo igitur summum pontificem bonis et modestis rationibus rogandum et admonen-4v dum, ut hanc reformationem differat ad tempus magis integrum. | Quod si istud apud eum obtineri non potest, sic est leniter tractandus, ut nec exasperetur alieno tempore, nec Caesaris authoritas rebus agendis interponatur. Hoc tamen sic fiat, ut intelligat Caesar, an quicquam moliantur, quod rebus ipsius et totius reipublicae damni esse possit.

Haec igitur sunt, quae de reformatione solemni Romae hoc tempore instituenda censeo, quam reformationem sic accipio, ut titulum habeat generalis reformationis. Nam nihil impedio, quominus summus pontifex suo iure ut pater et omnium pastor corruptos mores corrigat, si id faciat sine violatione authoritatis concilii convocati, cui generalem reformationem integram servari volo.

Sed cum de concilio generali loquor, nihil minus intellectum velim quam eiusmodi concilium, quale Tridenti celebrari vidimus, in quo concilio nihil pene relictum fuit praeter nudas ceremonias et concilii nomen. Eiusmodi enim celebratio facit, ut omnis generaliorum conciliorum authoritas corruat.

Praeterea frustratur Caes. M^tis studium et ingentes labores, quos ad convocationem concilii per multos annos subivit, deinde abusuum turpitudinem ab ecclesia non tollit, sed corroborat, 5r et | haereseon propagationem non amputat, dum a nonnullis sumuntur fundamenta malarum persuasionum.

Quod [b] igitur concilium expectandum? Nempe nullum generale, ut nunc mores et tempora sunt. Sed interea, dum in hac calamitate versamus, redintegranda sunt provincialia [2] et, cum opus erit, nationalia concilia, quibus mores et abusus in singulis regionibus (quoad tempora ferent) ex decretis conciliorum et canonum corrigantur, nam tempus fortasse dabitur, quo legitimum concilium et tale, quale esse debet, conveniat, quod, ut est optandum, ita remedium provincialium conciliorum negligere non debemus, sine quorum frequenti cele-

a *Cod.* consulent b *sic!*

1 « Consilium de emendanda ecclesia », a Contarino, Caraffa, Sadoleto, Polo cardd., Fregoso, Aleandro, Giberto tum episcopis, Cortesio abbate et Fr. Thoma Badia auctoribus anno 1537 Paulo III dedicatum (*Conc. Trid.* XII 131-145) anno sequenti a Luthero et Iohanne Sturmio per Germaniam cum glossis detrectantibus divulgabatur, ita ut Io. Cochlaeus in libello « Aequitatis discussio super consilio delectorum cardinalium (1538) » partes auctorum tueri conaretur (cfr. *H. Walter* in Corp. Cath. 17, XV sqq.), et Paulus IV « Consilium » illud in indice libr. prohib. poneret (*H. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I 396). Cfr. quae *V. Schweitzer* in introductione sua *Conc. Trid.* XII 131 sqq. docte disseruit.

2 Redintegrationem conciliorum provincialium Vargas iam 26. Nov. 1551 postulaverat. *Levassor*, Lettres et mémoires 211. Cfr. etiam *Texada y Ramiro* IV 707.

bratione olim tot iuribus sancita irritus est omnis labor. Nec video (ut saepius dixi et perpetuo dicam), quanam alia sanctiori leviorique via disciplina ecclesiastica quoquomodo his temporibus restaurari queat, cuius nervus ab illorum celebratione sustineri notum est, qua sublata ille quoque corruit.

Cap. secundum: [De pragmatica sanctione].

Alterum caput tractationis futurae huic congregationi erat, quae ratio posset iniri concordiae in pragmatica Hispaniae sanctione. |

Haec concordia, quid sibi modo velit, non intelligo, cum pragmatica nostra iustissima 5v
sit, iusta autem quae sunt, iustis omnibus concordant.

Quod iustissima sit, ex eo perspicuum est, quod nihil in ea continetur, quod non multo ante omni iure statutum erat. Deinde, quidquid in ea est, concessione pontificum summorum et praesertim Sixti decretum est [1]. Quod autem obiicere possent aliqui in pragmatica Galliae [2], et quaesitam et inventam esse concordiam quandam, nihil ad nostram pragmaticam facit, eo quod nostra nihil sanciat directa authoritatis via, sed defensionem duntaxat adversus quorundam abusus inducat et ne ecclesiarum et patria iura tollantur, quae divino et humano iure permissa est. Galliae autem pragmatica alterius generis erat et infinito durior, et quamvis rigidissima esset, tamen diutissime pro ea quasi aris et focis pugnatum est a tota ecclesia Galliarum et tandem [a] concordia inita, qua parum pragmaticae decederet[ur] [3]. Verum quod Galliarum sanctio longe alia fuerit quam nostra, nihil praeiudicii ex ea nostrae pragmaticae adferri debet, atque idcirco reiicienda haec comparatio.

Porro quod nihil pragmatica nostra statuat, quod non sit | maxime consentaneum 6r
ecclesiae institutis, et quod non sit tale, ut, si statutum non esset, iam statui [non] deberet, etiamsi [b] nulla esset aut Sixti aut aliorum pontificum concessio et confirmatio, a nobis monstratum est volumine et bene spisso et egregie operoso, quo complexus sum, quicquid necessarium putavi ad conciliationem utriusque potestatis, ecclesiasticae et saecularis, quod ad hunc potissimum usum composui, ut, si sententia mea rogaretur, paratior essem et copiosior ad ea explicanda, quae iustissima putarem [4].

Nullam igitur desiderari video concordiam, ubi omnia sunt concordantia iustissimis ecclesiae sanctissimisque institutis. Sed videntur quidam male feriati homines tale forsan concordiae genus summo pontifici consulere et quaerere, ut pragmaticae beneficia aliqua eximantur, quae semel exempta perpetuo in aere eorum sint, dum in arbitratu summorum pontificum sine ulla spe manumissionis semel quieverint, et ut in reliquis beneficiis idem faciant, quod nunc faciunt, i. e. pro libidine sua vendant et hac fraude sanctionem pragmaticam eludant. Hinc sane consequerentur, quod quaerunt, ut scil. aliis beneficiis exemptis, aliis per fraudem divenditis nulla beneficia pragmaticae sanctioni relinquerentur. |

Si tamen concordia quaerenda est, ea nobis potius quam illis quaerenda est, propterea 6v
quod infinitis fraudibus et malis artibus sanctionem nostram eludant, ut nemo ignorari potest in tanta peccandi pertinacia et tam manifesta defraudatione. Concordiae igitur principium fuerit, si fraudes tollantur et summus pontifex provideat, ut, quod bonis legibus est statutum, diligenter observetur.

Iam ut fraudes melius evitari a summo pontifice possint, cavebit imperator, ne quis Hispanus Romae beneficiorum mercatum exerceat et, cum sibi quaestum faciat, pragmaticae sanctionis constitutiones prodere et toties vendere, quoties quisquam licetur. Haec enim praecipue pestis est reipublicae, quam imperator non secus ac turpissimam proditorum turbam proscribere deberet, ut saepe ab Hispaniarum senatu petitum est; ii enim hostes sunt nec in civium numero habendi [5].

[a] *Cod. add.* (in ea) [b] *Cod.* tamen si

[1] De concessione quae dicitur Sixti IV deque aliis privilegiis a pontificibus Hispaniarum regibus concessis cfr. *F. Hergenröther*, Spaniens Verhandlungen mit dem römischen Stuhl: Archiv f. kath. Kirchenrecht 10 (1863) 14 sqq.

[2] De sanctione pragmatica Burgensi (1438), qua 23 decreta concilii Basiliensis a Gallis recepta sunt, cfr. *Hefele* VII 762 sqq.; *Imbart de la Tour*, Les origines de la réforme II (Paris 1909) 73-125.

[3] Concordata inter Leonem X et Franciscum I, quibus a. 1516 sanctio pragmatica abolita est, vide *Raccolta di concordati* 233-251, cfr. *Hefele-Hergenröther* VIII 655-674.

[4] Videtur Vargas loqui de libro illo nunc deperdito super pragmaticam, de quo *Constant* l. c. 381 adn. 4.

[5] Frustra Vargas de hoc hominum genere conqueritur; ducentis enim post annis, cum Benedictus XIV anno 1753 concordiam de collatione beneficiorum cum Hispania fecit, adhuc eos Romae floruisse testatur Cordara apud *Döllinger*, Beiträge III 16 sq., cfr. *Pastor* XVI 1, 53.

Haec concordiae ratio facilis est; alia m si quaerant, fraudem fortassis struunt et aliquid sinistri alunt. Quod ne fiat, nullo modo illis permittenda est hoc tempore haec deliberatio, ne, si semel permittatur, videamur confiteri aliquid in pragmatica sanctione esse, de cuius aequitate dubitari queat, et ad eas angustias reducamur, quibus non parum vexati sumus, dum | de curatis et simplicibus beneficiis partiendis molesta illa et periculosa tractatio Tridenti incidit[1], qua facile edocemur, quid modo ex hac pragmaticae concordia sperare possimus.

Rogandus igitur summus pontifex, ut imperatori huius concordiae ineundae inducias tantisper concedat, dum ei per haec impedimenta bellorum licebit animum adiicere ad examinandos regnorum suorum mores et instituta, quae res inter arma tractari non potest. Et ut merito reformatio generalis hoc periculoso rerum statu differri debet ex iis omnibus, quae in superiori articulo diximus, ita et multo magis pragmaticae sanctionis concordia, quae cum ad imperatorem omnino spectet ut illius authorem, non potest de ea sine maiori ipsius otio tractari.

Franciscus Vargas.

36.

Quaedam capita, quae reformatione indigere videntur[a 2].

[1553].

Romae Arch. Vat. *Conc.* 78 f. 75, cop. coaeva.

Primo dissuadet auctor, ne bulla reformationis conficiatur, propter ingerentiam potestatum saecularium; secundo proponit aliqua ad reformationem signaturae pertinentia

Conc. 78 f. 75^r

Postquam agitur de reformatione in generali, videntur etiam aliqua dici debere in generali facientia ad propositum.

Primo, quod super reformatione huiusmodi litterae apostolicae nullatenus conficiantur duplici ratione: Prima est, ne principes saeculares capta occasione reformationis faciant pragmaticas in dominiis suis super observantia ipsius reformationis et nonadmissione litterarum apostolicarum, quae quandoque ex rationabili causa possent contra tenorem eiusdem reformationis emanare, prout Caesar fecit in regno Aragonum[3], statuendo, quod commendatarii monasteriorum cogantur exponere quartam aut tertiam partem fructuum etc. in restaurationem illorum fabricae aut ornamentorum emptionem seu fulcimentum vel pauperum alimoniam, quod etsi sanctum est et rationabile, tamen non deberet fieri per saeculares in diminutionem libertatis ecclesiasticae.

Secunda ratio est, ne eidem reformationi quoquomodo contraveniendo et derogando dedecus sit sedi apostolicae.

Secundo est mature considerandum, ne dum volumus reformare, incipiamus deformare et tollere iura officialium Romanae curiae, qui emerunt officia sua bona fide et sub spe, quod ea, quae tunc per dictam sedem concedebantur, semper deberent concedi[4].

His mature consideratis pro reformatione signaturae crederem observandas [esse] constitutiones concilii Tridentini super his, quae expediuntur per signaturam[5], non ut statuta a concilio, sed ut beneplacita S^{tis} S., cum iudicio meo omnia emanaverint cum magna maturitate.

Tollerem clausulam obstantiarum[6] solitam apponi in signaturis et bullis, quia plures, si cogerentur exprimere omnia beneficia per eos obtenta et in quibus ius habent, erubescerent impetrare alia beneficia de novo, et sic tolleretur pluralitas beneficiorum et indiscreta eorum collatio.

[a] *Inscriptio manu Massarelli.* F. 74 a (95^r): Diversa de reformatione peracta in s. concilio Tridentino anno 1553.

[1] Scil. sess. VII, *Conc. Trid.* V 871 sqq.

[2] Auctor ignoratur, sed sine dubio inter officiales curiae quaerendus est, quorum rebus favet.

[3] De « regalismo » in Hispaniarum regnis tum vigente cfr. *V. de la Fuente*, Historia eclesiástica de España V 66 sqq.

[4] De emptione officiorum in curia Romana a temporibus schismatis usque ad Leonem X cfr. *W. v. Hofmann*, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden I 162-303.

[5] Nonnulla decreta signaturae competentiam tangentia continent praesertim sessiones VII et XIV (ex gr. sess. VII de reform. c. 3-6, 9, 11, 12).

[6] Scil. generalem, in qua singulae « obstantiae » omittebantur. Cfr. *Q. Mandosius*, Signaturae gratia praxis (Romae 1559) 72.

Non videtur danda gratia aliqua de vacaturo inhabili, | quia sequuntur duo inconvenientia: alterum est provisio beneficii, antequam vacet, quod a iure reprobatur, alterum est inhabilitas provisi, cum possit exspectari tempus vacationis et tunc fieri collatio habili. 75v

Accessus, qui dantur ex retrocessione concessionis gratiae sibi factae, essent omnino reiiciendi, quia sunt omnes simoniaci et illaqueant animas tam resignantium quam retrocedentium, cum semper praecedat pactum de retrocedendo facta resignatione, et hoc non soleat ut plurimum exprimi, et sic non purgetur simonia. Darem potius accessum simpliciter de consensu obtentis beneficium ad hoc, ut provideatur prospero successui et salubri directioni beneficii, dando accessum ad illud personae habili.

Non esset in aliquo casu dispensandum super defectu aetatis ultra duos annos.

Indulta, quae dantur super conferendis beneficiis ad collationem aliorum spectantibus, sunt plurimum scandalosa et praeiudicialia ordinariis collatoribus, quorum iurisdictio usurpatur, ita ut archiepiscopus Mediolanensis [1], cui est communicatum indultum conferendi beneficia ad aliorum collationem spectantia, incarceret inferiores collatores, si conferat aliquod beneficium ad eorum collationem pertinens, etiamsi vacet in eorum mensibus et non sit generaliter reservatum, et hoc modo omnes inferiores collatores privantur iure suo conferendi in perpetuum, quod quam iustum sit, considerent quorum interest.

37.

De pluralitate beneficiorum per D. Riccardum canonicum regularem ad Reverendissimum Marcellum Cervinum cardinalem Sanctae Crucis.

Anno 1553 [2].

Parmae, Biblioth. Palat. *Cod. 997 fasc. 5*, cop. coaeva.

I. De pluralitate beneficiorum. II. De dispensatione bonorum ecclesiasticorum.

I.

De pluralitate beneficiorum, quid tuta conscientia sit sentiendum.

Ut Rev^mae et Ill^mae Dominationi Tuae satisfacerem de his, quae mihi in die sabbati sancti iniunxisti, collegi ex sacrorum canonum et doctorum sanctorum lectione circa beneficiorum pluralitatem et bonorum ecclesiasticorum dispensationem conclusiones aliquas, quibus secura reddi potest et laeta conscientia praelatorum, quarum veritas lucidissima patescet, si puritas et munditia mentis cum oratione comes erit candido lectori. Nulli enim melius se lux veritatis insinuat quam iis, qui a peccatorum labe animam purgare satagunt et sancto Dei timore, qui initium sapientiae est [3], comitante ad intimum Dei amorem pro viribus anhelant et consequi student. Expendat igitur scripta Rev^ma Tua Dominatio, et si amico, pro quo hunc laborem mihi subire iussisti, conducere aut satisfactum iri iudicaveris, illi redde, sin secus, igni. Vale. *Cod. 997 fasc. 5*

Cuilibet ministro et servienti ecclesiae licet pro rata et pro portione servitii competens stipendium vitae sumere, sed non immoderatum.

Prima pars ex Apostolo *prima ad Cor.* 9, [9 sq.] probatur, quia scriptum est *Deut.* 25, [4]: *Non alligabis os bovi trituranti*, quod de nobis scriptum esse determinat, quando debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Et *prima ad Timoth.* 5, [17] scilicet: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, scilicet reverentiae et subventionis, cum *dignus sit operarius mercede sua*. *Luc.* 10, [7].

[1] Qui a. 1550-1555 erat Io. Angelus Arcimboldus. *Van Gulik-Eubel* III 240.

[2] Riccardus Vercellensis can. reg. S. Augustini congregationis Lateranensis concilio Bononiensi inter theologos minores interfuit (*Conc. Trid.* I 669, 38) et a legatis litteras commendatitias accepit (*ibid.* 686, 27 sq.). Abbas monasterii B. M. V. Praevallensis dioec. Genuensis factus die 4. Oct. 1561 Tridentum advenit (*Conc. Trid.* II 358, 16 sqq.; III 1, 12, 8 sqq.) ibique mortuus (secundum *Pallavicinum* XVIII, 4, 19) die 25. Nov. eiusdem anni 1563 (cfr. *Conc. Trid.* IX 639). Mense Augusto 1562 in suspicionem venit minus recte sentiendi de potestate papae, *Susta*, Die römische Kurie u. das Konzil v. Trient II 537. 541; *Pallavicini* XVIII, 4, 18-20, de quo nihil in actis *Conc. Trid.* VIII 785 sq.

[3] Cfr. *Ps.* 110, 10.

S e c u n d a p a r s patet ex se, quod immoderatio dicit excessum modi seu medii, quod virtus requirit, cum item dicat H i e r o n y m us super Esaiae cap. 3 [1] raptores esse, qui, dum metunt temporalia, non seminant spiritualia. Igitur a proportione, ubi non seminant sufficienter spiritualia proportionabiliter ad stipendium, in partem (quamquam non quoad totum) raptores sunt. Audi, quid scribat divus B e r n a r d u s ad Theobaldum comitem epistola 269 [2]: *Honores*, inquit, *et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui digne eas secundum Deum administrare velint et possint. Porro eas acquiri parvulo* [a] *vestro meis et vestris precibus, nec verbis iustum nec mihi tutum esse noveritis. Nec cuiquam adulto plures habere in diversis ecclesiis licet, nisi dispensatione* [b] *quidem ob magnam ecclesiae necessitatem vel personarum utilitatem.* Igitur oportet servitium proportionale esse honori et stipendio suscepto. Videatur S. A m b r o s i u s [3] tractans id A p o s t o l i *I ad Timotheum* [5, 17] scilicet: *Qui bene praesunt* etc., ubi aperte asserit nemini licere immoderatum requirere vel etiam oblatum suscipere, concludens, tales sic laboris sui fructum recipere debere, non quidem ut abundent, sed ut non desit.

Et certe sicut naturaliter iniustum est coacervare ultra necessitatem victus et paupertatis modum stipendia pauperum, ut sunt portiones diversorum hospitalium, sic non minus iniustum est de stipendiis militantium ecclesiae ultra status et servitii proportionem aliorum loca praeoccupare velle. Nil enim magis ecclesiam Dei a profectu impedit, gravat et lacerat, quam sibi uni plurima acervare et aliorum, qui digne militare ecclesiae possent, portiones percipere et multorum alimenta non suum usum, sed abundantiam et suas delicias facere. Quis noxium esse dubitat, in tanta necessitate ecclesiae tot superstitionibus, haeresibus et criminibus oppressae, ubi, qui habiles et idonei atque volentes essent ad resistendum, penuria et egestate prohibentur, cum stipendia sibi debita occupantur a paucis et parum aptis ad reparandum etc.? Quare patet nemini licere ultra servitii atque militiae dignitatem et proportionem stipendia sumere, minus certe de ecclesia publico quam forensi et mundano [c]. Quae in proportione geometrica consistit, quae scilicet Ethic. dicitur aequitas rationis, de quo vide IV. Polit. cap. 24 [4], ut scilicet secundum dignitatem plus vel minus alicui detur. Sed s t i p e n d i u m competens et moderatum, quodnam censeri debet? An quod sufficit homini soli, an etiam includi debeant domestici et familiares seu cognati? Respondeo per has veritates:

P r i m a : Non potest de hoc tradi regula utilis, quae cuiuslibet casus particularis sufficienter determinet veritatem, quemadmodum nec, quantum de cibo sit moderatum pabulum pro uniuscuiusque substentatione.

S e c u n d a : Certum est, quod immoderate cumulantur et perdite contra rationis et modi debitum, quando ultra quam substentationi mediocri et executioni ministerii prosunt, acervantur; tunc enim boni rationem amittunt. Videatur pulchra declaratio P h i l o s o p h i I. Polit. cap. 1 [5] ostendentis externa bona esse ut instrumentum quoddam, quorum excessus noceat habenti vel certe non prosit, perdite autem ac illiberaliter viventes in infinitum excessum eorum, opum scilicet, potentiae et famae sequuntur, sicut e diverso virtutis se satis habere putant, quantulamcumque habeant. Quando igitur sollicitudine nimia a divinis ministeriis avocant, certum est immoderata esse, quia finem, propter quem dantur, impediunt. Immoderantiam ecclesiasticorum ex H i e r o n y m o perpendere potes Dist. 35 [c. 4] *Ecclesiae princeps* [6], ubi vituperantur lautae epulae et convivia multo labore conquisita et cetera inimica pudicitiae etc. et a B. B e r n a r d o [7]: *Vani ornatus equorum, vestium et ceterorum, quae sunt praeter necessarium victum et vestitum.*

T e r t i a : Mediocris autem substentatio pro gradus qualitate et exigentia personae magis prudentia determinari habet quam in genere arte diffiniri, cum mensura illa non consistat in indivisibili, sed, prout decet, restringi debeat aut dilatari. Quod autem gradus debeat attendi, quantum scilicet utilitatis ecclesiae universali afferri potest, tam fultum est ratione,

[a] *Migne add.* filio [b] *Migne* dispensatorie [c] *sic Cod*

[1] *Hieronymus*, Comment. in Isaiam lib. II, cap. 3, 14 (*Migne* 24, 68): *Et rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos et ecclesiae opibus abutuntur in delicias publicasque stipes, quae ad sustentationem pauperum datae sunt, vel sibi reservant vel propinquis distribuunt, et alienam inopiam suas suorumque faciunt esse divitias.*

[2] Nunc ep. 271, *Migne* 182, 475.

[3] *Ps.-Ambrosius*, Comment. in ep. ad Tim. 5, 17 (*Migne* 17, 479) asserit bonum dispensatorem et sublimi et terreno honore esse dignum, *non ut abundet, sed ut non deficiat.*

[4] Locus iste in libro Pol. IV non invenitur. Videtur cogitasse auctor de loco Pol. VII 9 (*Bekker* 1329); sed nec ille bene congruit.

[5] Pol. VII 1, *Bekker* 1323.

[6] *Friedberg* I 131.

[7] *Bernardus*, De moribus et officio episcoporum c. 2, *Migne* 182, 812 sq.

ut omnibus pateat et probatione non egeat nostra. Sed et exemplum affero. Valeat, quantum valere potest statutum Basiliensis concilii sessione habita IX. kal. Febr. 1438 [1], ubi providetur graduatis in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis ad minus de summa ducentorum aureorum in beneficiis propter utilitatem, quam suo ministerio ecclesiae universali afferunt, quod tamen immoderatum foret stipendium pro simplici idiota, et qui praeterquam in canendo in nullo alio fere servit ecclesiae.

Quod de familia tangitur, quemadmodum non voluptati servire debet, sed corporis necessitati, extra quam est luxus et defectus, ita familiam sibi necessariam, ut ministerium gradus tui digne valeas implere, de bonis ecclesiae potes substinere, quod amplius est, a malo est, quod necessitati non servit, superbiae cedit aut vanitati, c. 16 Dist. 86 [2].

De cognatis non potes propterea de beneficiis plura cumulare, quemadmodum nec largas elemosynas pro tuo arbitrio tribuere, sed subsidium necessitatis impendere, non divites facere; *causam enim praestat natura, non gratia* [3].

At dices: Cum summus pontifex plenam et liberam dispositionem habeat omnium beneficiorum propter plenitudinem potestatis, videtur, quod omnis dispositio apostolica super pluralitate beneficiorum faciat hominem tutum et securum in conscientia.

Respondeo per hanc secundam conclusionem enucleatius inferius declarandam: Dispensatio per papam ad plura beneficia[a], si subest ecclesiae necessitas vel pia utilitas, ut quando plures ecclesiae alicuius obsequio indigerent, vel plus aut tantum servire ecclesiae posset absens quam praesens, vel quando plures idonei non invenirentur. Tunc enim, ne ecclesiae et populi paterentur, uni bono etiam omnis civitatis beneficia possent conferri, ut Hostiensis in c. [29] *Grave* X de praeben. [III 51] [4] scribit. Pia vero utilitas, quae est commune commodum ecclesiis, idem requirit, ut, si unus sua industria et bona conscientia sit valde necessarius aut utilis defensioni, conservationi vel profectui ecclesiae in spiritualibus et temporalibus etiam absens — non est autem pia utilitas commodum privatae personae plura beneficia appetentis fine obliquo, et ut facilius ad altiora ascendat, cum nec tali intentione unum beneficium tenere liceat teste S. Thoma [5], — tutus in conscientia dispensatus esset. Si non subest talis vel similis ratio dispensationis, ut etiam sentit Panormitanus in cap. *Dudum* [6], habet quidem apud ecclesiam militantem exceptionem, apud Deum autem nequaquam veram habet excusationem. Hanc conclusionem probat aperta sententia S. Bernardus, De consideratione ad Eugenium lib. III cap. 6 [7], ubi post longam discussionem, quod indecens est papae uti voluntate pro lege et potestatem exercere, cum apud eum non sit appellatio neglecta ratione sibi postea obiiciens sic scribit: *Quid [inquis?] prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* [8] *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.* Et in epistola ad Adam monachum, quae est septima in ordine, in qua longa censura examinat materiam de dispensatione, scribit [9]: *Nunquid ideo aut malum esse desiit, aut minoratum est, quia papa concessit? Quis vero malum esse neget, assensum praebere malo? Quod tamen summum pontificem nequaquam fecisse crediderim, nisi aut circumventum mendacio aut importunitate victum.* Et in solis mediis vult dispensari posse, non in his, quae sunt pura bona aut pura mala; praeceptis namque nequit obviare hominis prohibitio. Et divini ac naturalis iuris prohibitionibus nequit detrahere humana licentia. Sed pure et secundum se malum est occupare stipendia publica ultra proportionem servitii et utilitatis impensae, ergo etc. Et in libro de dispensatione et praecepto post longam declarationem rerum dispensabilium et sanctorum pontificum confirmationem sic concludit [10]: *Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem ecclesiae, qui potestatem habet, etiam dispenset. Ex necessitate enim*

[a] *Supple* licite fieri potest

[1] Sess. XXXI, *Mansi* XXIX 163 sqq.; *Hefele* VII 662.

[2] *Friedberg* I 301.

[3] Vide adn. praec.

[4] *Henrici de Segusio* card. Hostiensis in III. Decretalium librum Commentaria (Venetiis 1581) fol. 25r.

[5] *Thomas*, Quodlibet IX art. 15.

[6] Abbas Panormitanus non in c. *Dudum*, sed in c. 28 *De multa* X de praeb. III 5 ait: *Aut dispensatio [circa pluralitatem beneficiorum] fit ex causa propter necessitatem vel utilitatem ecclesiae vel propter evidentem praerogativam meritorum et est tutus, aut sine causa, et non est tutus quoad Deum, sed bene est tutus quoad ecclesiam militantem. Abbatis Panormitani* Commentaria in III. Decretalium librum (Venetiis 1591) fol. 35v.

[7] *Migne* 182, 769.

[8] *1 Cor.* 4, 2.

[9] Ep. 7 n. 9, *Migne* 182, 98 sq.

[10] L. c. cap. 3, *Migne* 182, 864.

fit mutatio legis, ut cum casus novus emergit utilior ecclesiae, tunc optimum esset contra ius et formam statutam dispensare, sed in contrarium usum et a ratione abhorrentem, ad quem bona ecclesiae sunt destinata, gravissime peccaret, qui potestate abuteretur; est enim natura turpe, ait Archidiaconus [1], alienare res ecclesiae in casu non concesso L. *probrum* ff. de rei vendic. [2].

Si dicas: Ad peccatum summi pontificis pertinet, si dispenset super plur[ali]tate absque causa sufficienti; ergo dispensatus apud Deum tutus est. Consequentia patet ex Augustino a simili arguente de voto abstinentiae per uxorem emisso, irritato per virum, ubi peccati reus est vir uxore libera remanente, *Num.* 30, [7 sqq.] et habetur [C.] 33. q. [5] [3] scilicet; ergo similiter etiam in proposito. Respondeo ex Petro de Palude in IV. [Sent.] dist. 34 q. 4 art. 2 [4], quod licet in irritatione non requiratur causa, sufficit enim tunc voluntas superioris irritantis, id est nolentis votum valere absque alia dispensatione, ut in voto uxoris nolente viro; tunc namque vir rationem reddet irritationis ipse solus. At in dispensatione sine sufficienti causa per papam vel episcopum secus est.

Et licet adhuc consequentiam admitterem in iure positivo, quod tamen papae sine causa temperare [a] non licet, nequaquam tamen in his, quae sunt iuris naturalis vel divini, quae sicut non constant humana voluntate, ita nec sine causa a parte dispensandi quoquo modo possunt relaxari. In illis enim papa minime legibus solutus est sicut nec alii.

Si obiicias: Dispensatore elemosynarum excedente in distribuendo elemosynas uni et non alteri aeque vel magis egenti, pauper accipiens fit dominus earum nec obligatur restituere; igitur et hic in dispensatione super pluralitate beneficiorum. Dico, quod tutus est recipiens, si habet causam sufficientem, alias non, ut si dives recipiat relictum pauperibus ab executore; tunc enim excessus est contra iustitiam et tam conferens quam recipiens obligatur restituere.

Oh dices: Nisi sic esset, papa non haberet plenam et liberam dispensationem in beneficiis contra Clem. c. 2 *Ut lite pendente nil innovetur* [II 5] [5] et communem catervam doctorum can[onistarum]. Respondeo et de summi pontificis potestate cum omni reverentia ad vicarium Domini et summissione ad sanctam Romanam ecclesiam catholicam haec pauca dicam iuxta sanctorum patrum sententiam et rationis dictamen. Primum, quod liberam et plenam dispensationem habet summus pontifex quoad homines, quia de eius iudicio disceptare non licet, sed Deus eum suo iudicio iudicabit. Et certe textus illius Clem. solum praetendit ad summum pontificem spectare plenam et liberam dispensationem beneficiorum, libertate opposita subiectioni ad ius humanum, puta canonicum. Ipse namque princeps est solutus legibus illius [6]. Unde, si causa est sufficiens, cur debeat a iure scripto recedere, quod tunc est, cum melius est a iure communi recedere quam tenere, tunc omnia, quae licent, decent, et econtra. Nec sufficit causam esse aeque bonam, quia temere [b] esset recessus a lege, et tam dispensans, etiam papa, quam dispensatus, si sciat, peccat; pro quo allegatur Hostiensis in dispensatione super voto a Petro de Palude in IV. [Sent.] ut infra [7], nisi sit in mere positivis, quia tunc solus dispensans abusus potestate sua peccat, non dispensatus, quia positivi iuris vinculum per dispensationem est sublatum, et alia lege ad factum illud non tenebatur. Haec autem causa sumitur vel ex qualitate negotii, de quo agitur, vel personae aut loci vel temporis Dist. 29 cap. 1 et 2 [8]. Si vero causa subest non vera, vel si vera non sufficiens, non decet ipsum aliquatenus a iure deviare.

Sed cum Dei et naturae legibus astringatur summus pontifex, eas servare tenetur, non tantum in dispensatione beneficiorum, sed in omni vita et opere. Unde cum doctores scribunt summum pontificem pro libito posse in pluralitate beneficiorum dispensare, et de papae iudicio nemini licet disputare et a nemine iudicatur nisi in causa haeresis, sunt intelligendi solum quoad ecclesiam militantem, non quoad Deum. Nam inscriptum [c] fundatum est super bono communi, quod privata consuetudine huius vel illius non debet omitti, et apud papam non debet esse acceptio personarum. Petrus de Palude agens de causa dispensationis in

[a] *Cod.* temetarie [b] *Cod.* tenere [c] *Videtur legendum* praeceptum

[1] *Guidus de Baysio*, Rosarium (Venetiis 1577) f. 230r, in c. *Non liceat* C. 12 q. 2.

[2] Corrige: de verb. sign. Dig. L, 16, 42, *Mommsen* 858.

[3] C. 11 *Manifestum* (*Friedberg* I 1253 sq.), sumptus ex Quaestionibus in Heptateuchum l. IV q. 59, *Migne* 34, 745.

[4] Corrigas: dist. 38 q. 4 art. 2 concl. 2, in editione Venetiana a. 1493 fol. 182r.

[5] *Friedberg* II 1146.

[6] Dig. I, 4, 31, *Mommsen* 6.

[7] Supple: dist. 38 q. 4 art. 4 concl. 3, l. c. fol. 183r.

[8] *Friedberg* I 100 sq.

IV. [Sent.] dist. 38 q. 4 in 3. parte sic dicit [1], valere in positivis: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, quia quod principi placuit, legis habet vigorem et sicut lex quamquam dura ab omnibus servanda est*, quamvis contradicat Isidorus, quia lex erit, quod ratione constiterit, sed in his, quae sunt iuris divini, secus, ut notatur in c. [5] *Non est* [X] de voto et voti redempt. [III 34] [2]. Et debent considerari illa tria: An licet, decet et expedit, cap. [7] *Magnae* eod. titulo [3]. Propterea reprehendens Hostiensem, qui dicit papam super pluralitate pro libito posse dispensare, dicit [4]: Sicut episcopus, quia non est supra ius positivum, nisi ex causa legitima dispensare [potest], ita nec papa super pluralitate beneficiorum, *cum innitatur iuri naturali et intentioni fundatorum, qui potuerunt in* ⟨*traditione sua modum et*⟩[a] *legem imponere, per quam plures et non pauciores Deo servirent.* Et sic non solum alteratur iuris positivi dispensatio, sed etiam Christi patrimonium dispergitur et ius divinum propter inordinationes plures comitantes talem pluralitatem lege divina prohibitas, de quibus infra.

Cum itaque super pluralitate beneficiorum utilitate tantum privata suadente dispensatur, quoad Deum tutus non existit in beneficiis praecipue incompatibilibus, quae requirunt residentiam, et dispensatus non potest ubique residere. Ideo evigilet summus pontifex in dispensationibus fiendis et provisionibus beneficiorum et generaliter in gratiis faciendis, ut gratis et ex causa iusta eas faciat, proponaturque utilitas ecclesiae Dei et salus animarum utilitati privatae, ut supra dictum est.

Secundum: Tantum potest summus universalis ecclesiae pastor, quantum melius occurrit vera ratione, quod Christus illi dederit potestatem, ut in II. de lib. arbitrio per simile doctissime sensit Augustinus de Dei operibus concludens [5]: *Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, scias id fecisse Deum.* Et ut de scriptura sacra, quae cibus est necessarius et mensa omnibus epulis refertissima animarum, pientissime scripsit quidam alius doctor, Spiritum Sanctum omnem veritatem, quae inde hauriri posset, in eius compositione et revelatione intellexisse. Quo et sublimibus et mediocribus et infimis intellectibus filiorum sponsae suae universalis ecclesiae famelicis satis fieri posset, sic et in hac re potestatem dedit vicario suo Deus aedificandi, pascendi, servandi et perficiendi gregem suum sicut oportet, et hac sola ratione ei primatum dedit. Unde nec ille habet potestatem destruendi et dissipandi nisi de facto.

Tertium: Hinc sequitur, summum pontificem in his, quae non implicant peccatum, cum subsit et ipse his, quae sunt de iure divino et naturali, quorum scilicet commissio vel omissio ex lege divina revelata vel cordi inscripta est peccatum, esse potestatis illimitatae, idest posse quicquid neque teneri rationem reddere, quare sic fecerit. Quod intellige, cum scit veritatem et casus est clarus, quod vacat culpa; tunc enim non tenetur agere cum consilio aliorum, derogaret quippe plenitudini potestatis eius; quia, cum est dubius (est enim homo, et falli potest) et praesumitur nescire, quae sunt facti, consulere tunc debet sub poena peccati venialis vel mortalis, prout materia requirit. Hac de causa dati sunt ei consiliarii, c. [14] *Qui si scit* C. 2 q. 6 [6].

Quartum: Cum autem casus habet speciem mali, potest cum modestia ei resisti dicente Apostolo *1 ad Timotheum* scilicet [7]: *Seniorem observa ut patrem*; restiterat enim et ipse Cephae in faciem, quia reprehensibilis erat, *ad Gal.* 2, [11]. Ideo dati sunt ei cardinales ut fratres et filii in subsidium reverentiale et caritativum, qui papam observent ut patrem et in his, quae sunt facti, instruant; quod si voluerit ipse omnino sensum suum sequi, reddet rationem Domino tanto acerbiorem, quanto maior est, *et potentes potenter tormenta sustinebunt* [8]. Licet enim sit caput ecclesiae influens et dirigens membra, tamen etiam caput sustentatur ab aliis membris. Ideo benefacit, cum sit homo, sequendo consilia, ad quae dicitur teneri, prout quilibet tenetur in melius proficere, c. [3] *Praecipue* C. 11 q. 3 [9].

Superest examinare aliam causam, quae in dispensatione pluralitatis beneficiorum potest concurrere, quae est evidens praerogativa et sublimitas meritorum quorumdam, qui maioribus beneficiis sunt honorandi, cum ratio postulaverit, ut dicitur C. 1 q. 7 [c. 17] *Tali coniugio* [10]

[a] *Apud Petrum de Palude* traditionem rei sue

[1] Cfr. supra p. 186 adn. 7.
[2] *Friedberg* II 590.
[3] *Ibid.* 591 sqq.
[4] Scil. Petrus de Palude l. c.
[5] Cap. 5 n. 13, *Migne* 32, 1277.
[6] *Friedberg* I 470.
[7] Cfr. 1 *Tim.* 5, 1.
[8] *Sap.* 6, 7.
[9] *Friedberg* I 642 sq.
[10] *Friedberg* I 434.

et cap. [28] *De multa* [X] de praebend. [III 5][1] ubi dicitur, quod praeeminentia et praerogativa meritorum, unde vel pendet vel speratur de propinquo utilitas universalis seu etiam ad causam facit illius, in quo esset dispensandum, est sufficiens causa dispensationis. Expedit enim ecclesiae, columnas fortes, viros scilicet probatos, habere, qui haereticis et aliis scindentibus ecclesiam possent resistere. Talium certe ea est necessitas, ut nec orbis ipse absque eis regi possit, et plus prodest unus bonus et literatus quam decem illiterati ministri. Et quandoque unus nobilis et potens plus potest proficere sua potentia ecclesiae in defensionem suorum iurium quam plures ignobiles. At si tales, ait abbas doctissimus Panormitanus[2], non possent vivere ex redditibus duorum beneficiorum, negabiturne dispensatio? Poteritne quisquam conqueri de inaequalitate et acceptione personarum, si melius meritis conferuntur meliora? Verum hic adverte, quod, ut dicitur, scilicet Ethicorum et III. Politicorum[3], cum non statim vir bonus non est civis bonus, eminentia seu praerogativa meritorum huiusmodi non est pro unius privatae personae utilitate sufficiens causa ad dispensandum in statutis seu constitutionibus communibus, sicut in causa, de qua agimus, nisi cedat in communem utilitatem. Quae enim ad commune bonum sunt praefixa, ob privatum bonum mutari non debent, et plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati est praeferenda, sive faciat ad causam eius, in quo est dispensandum, ut utilius sit, illis videlicet ecclesiis, pro Dei cultu, pro salute animarum et fidelium aedificatione taliter dispensari. Unde extra casus hos rationabiles dispensatio seu consuetudo non excusat a mortali peccato, ut declarat Panormitanus in Repert. in cap. [30] *Extirpandae* [X] de praeb. [III 5][4], cum illa consuetudo sit inimica canonum et irrationabilis, quia est periculosa animabus et inducens occasiones ad mortale peccatum. Ideo dispensatus non est tutus quoad Deum, et dispensans scienter ei, cui sufficienter de beneficio est provisum, non excusatur a mortali, quia confert indigno, quia indignus ille est ad secundum beneficium, quod sine peccato mortali non potest tenere, et dat occasionem manifestam mortalis peccati ei, cui confert secundum beneficium. Nam ille acceptando secundum beneficium peccat mortaliter. Ex his simul conclude nemini licere immoderatum stipendium, cum secundum se sit malum, ex beneficiis suscipere sive per dispensationem sive sine dispensatione, sed moderatum et sibi rationabiliter conveniens. In Extravag. Ioannis XXII, quae incipit *Execrabilis* titulo de praeb.[5] enumerantur decem inordinationes in plur[al]itate beneficiorum:

Prima: Insufficientia impletionis officii in pluribus locis, ubi praebendae sunt assignatae. Omnia enim beneficia requirunt residentiam, quam absens non potest reddere nec ibi officium exequi, ob quod datum est beneficium, sicut et de pueris etiam concluditur. Vide ib. [C.] 16 q. 1[6] et Panormitanum cap. *fin.* [X] de non residen. [III 4] post Hostiensem et Ioannem Andream[7].

Secunda est inaequalitas distributionis bonorum ecclesiae, dum unus abundat et plures meliores et utiliores ecclesiae carent necessaria provisione etc.

Tertia vagationis materia.

Quarta diminutio divini cultus ab eo subtrahendo tot personas.

Quinta defectus hospitalitatis.

Sexta sustractio honoris, commodi et auxiliorum illarum ecclesiarum et locorum; non enim exequitur opus, propter quod stipendium accipit, ut scilicet serviat in beneficiis, in quibus est intitulatus, et sic defraudat voluntatem fundatorum, qui bona sua ea de causa legaverunt ecclesiis, ut certus numerus ibi resideret Deo servientium. Vide severam censuram septimae synodi prohibentis talem pluralitatem [c. 1] *Clericus* C. 21 q. 1[8]. Nec enim praesumi potest, ut illi tot bona reliquerint ob eum, qui non servit beneficio, sed ut ibi Deo serviretur, et impetraretur remissio peccatorum fundatoribus, quod cum non fit, spoliantur suis suffragiis.

Septima deperditio libertatum et iurium ecclesiarum.

Octava ruina aedificiorum et perditio censuum et reddituum.

[1] *Friedberg* II 474 sq.

[2] *Panormitanus* loco ubi supra p. 185 adn. 6: *Pone enim, quod sublimis vel literatus non potest vivere ex redditibus duorum beneficiorum simplicium, dicemusne, quod episcopus non potest dispensare in tertio?*

[3] *Aristoteles*, Pol. III 4, *Bekker* 1276.

[4] Non licuit mihi, Panormitani Repetitione (cfr. *Schulte* l. c. II 313) ad c. *Extirpandae* uti; in Commentariis eius ad locum nihil hac de re.

[5] *Friedberg* II 1207 sqq. Quoad praxim cfr. *Conc. Trid.* XII 137 sq.

[6] *Friedberg* I 761 sqq. (*Quod monachi officia populis celebrare non possint*).

[7] *Panormitanus* ubi supra p. 185 adn. 6, fol. 22r ait: *De iure communi omne beneficium requirit residentiam. Hostiensis et Ioh. Andreae et antiquiores apertius loquuntur.*

[8] *Friedberg* I 852.

Nona negligentia curae animarum.

Decima praestatio fomenti vitiorum et cumulatio periculorum sine causa, dum se supponit eis ex occasione superbiae, intemperantiae, luxuriae. Item dum exponit se oneri dispensandi bona ecclesiae in pios usus, quia arduum est esse fidelem dispensatorem et non a medio iustitiae declinare ex propria cupiditate aut favore vel aliis passionibus, quia, cum teneatur ultra necessitatem propriam superflua, nedum aliorum beneficiorum, sed etiam unius, quod ei sufficit, dispensare, patet, quanto se discrimini supponat.

Item extra casus rationabiles se exponit periculo mortalis peccati, quod in materia morali est mortale, quia, cum non sit certus, utra opinionum sit vera, affirmantium scilicet an negantium pluralitatem talem, et habere plura beneficia extra casus secundum sententiam plurium sanctorum et clarorum doctorum et maiorem concordantiam ad sacram scripturam et sacros canones sit mortale, et opinio opposita est magis incerta et minus probabilis, et se committere incerto peccati mortalis dimisso certo (ut omnibus est certum, esse de non habentibus plura beneficia, quod non habent peccatum) claret, quod est in peccato mortali. Sed et quod magis urget: Si innititur opinioni tenentium non esse peccatum tenere plura beneficia, et non est vera, certum est, quod non excusatur a culpa; si autem cum veritate opinionis dubitat de ea cum trepidatione magna ob contrarietatem opinionis, et tamen tenet plures praebendas, committit se discrimini peccati mortalis. Ideo tene certum incerto relicto cum Augustino, ne amans periculum in illo pereas [1]. Subscribam hic, quae scripta rep[p]eri in duobus piis mentibus non contemnendis authoribus, quicquid aliud sentiant, qui salutis propriae obliti dicunt illud Psalmi [2]: *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt* — plura scilicet pinguia beneficia — in authore libri apum et in Speculo exemplorum dist. 5 c. 19 [3]:

Beatus Iacobus de Vitriaco [4] cardinalis Robertum de Corton [5] cardinalem et magistrum in theologia probatissimum morientem interrogavit circa pluralitatem beneficiorum. Qui respondit: *Dico iam migraturus a vita, quod mortale est damnabile, dummodo unum competens sit, plura beneficia retinere.* Idem Petrus Comestor [6] dixit; idem Guillardus [a] Magister in theologia, episcopus Cameracensis [7], tali verbo confirmavit: *Nollem pro toto auro Arabiae una tantum nocte duo beneficia retinere, et certus tamen essem, quod de mane unum illorum homini idoneo conferretur, et hoc propter vitae incertae discrimen.* Quidam frater Bernardus de ordine fratrum Praedicatorum poenitentiarius papae [8] detulit, quod cum Beatissimus Gregorius IX interrogaretur, si posset de plenitudine potestatis suae cum plurimorum beneficiorum detentoribus dispensare, respondit: « Non possum nisi super vexatione tantum detinentium dispensare ».

II.

Quid de dispensatione bonorum ecclesiae per praelatos et ministros eius sit salva conscientia sentiendum.

Prima conclusio: Clericis, quia sunt ecclesiae ministri, dantur decimae et cetera temporalia, ut soli Deo et eius verbo vacare possint, *Num.* 18, [21 sqq.], 2 *Paral.* 31, [6] et ex glosa *Iosue* 13, [14], et efficacius peccata populi apud Deum supportent. Sacerdotes enim dicuntur comedere peccata populi, *Os.* 4, [8], quia precibus ea delent ipsi sacerdotes. Ideo eis non licet possidere temporalia, quorum sollicitudo retrahit et impedit eos a cultu divino,

[a] *Thomas Cantimpr. habet* Guiardus

[1] *Augustinus,* De baptismo contra Donatistas l. I c. 5 n. 6, *Migne* 43, 113: *Vera ergo falsis aut incertis certa praepone.* Cfr. etiam *ibid.* c. 3 n. 4 (*Migne* 43, 111): *Quamquam etiam si dubium haberet, ... graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.*

[2] *Ps.* 143, 15.

[3] Thomas Cantimpratensis (Chantimpré) ex ord. Praedicatorum († 1270) in libro suo: Bonum universale de proprietatibus apum l. I c. 19 post alia exempla contra pluralitatem beneficiorum etiam affert omnia illa, quae ad finem usque sectionis huius sequuntur. De auctore cfr. *Quétif-Echard* I 250 sqq.; *Chevalier,* Rep. 4499 sq.

[4] De B. Iacobo cfr. *Ph. Funk,* Iacob v. Vitry (Leipzig 1909).

[5] De Roberto Cursono († 1219) cfr. *Chevalier,* Rep. II 3389.

[6] Petrus Comestor († 1179) auctor historiae scholasticae. Cfr. *Hurter,* Nomenclator II³ 183 sqq.; *Chevalier,* Rep. II 3705.

[7] Inter episcopos Cameracenses enumeratos apud *Eubel* I 160 invenitur tantum Guido vel Guiardus de Lauduno, ep. Camerac. circa a. 1238. *Chevalier,* Rep. I 1914.

[8] Loqui videtur auctor de Bernardo Guidonis († 1331) ex ord. Praed., qui Catalogum seu chronicon summorum pontificum scripsit. *Quétif-Echard* I 576 sqq.; *Chevalier,* Rep. I 1919 sq.

cui sunt deputati, C. 12 q. 1 [c. 5] [1], ubi ait Hieronymus: *Si aliquid habet clericus praeter Dominum*, id est contra [Dominum], *pars eius non erit Dominus*. Qui autem est ita sollicitus circa possidenda temporalia, ut a divino cultu retrahatur, talis contra Dominum dicitur temporalia possidere, C. 11 q. 1 c. [29] *Te quidem* [2] et in q. 12 c. [6] *Cui portio* [*Deus*] *est*, et in c. 7 *Duo sunt* [3].

Corollarium: Clericus perdite vivens aut officium debitum praetermittens tenetur restituere, quicquid de fructibus ecclesiasticis expenderit, quia suscipiens aliquid ad causam, quam praestare non curat, tenetur perceptum restituere ff *de condict*[*ione*] *causa data causa non sequuta* [4] et in cap. 35 *Commissa* de elect. [I. 6] lib. VI [5]. Hinc recipientes distributiones quotidianas, cum tamen non intersint divinis, debent reddere ecclesiae vel pauperibus fructus beneficiorum.

Si agricolae detur pecunia, ait Alexander de Hales tertia parte Summae q. 36 [membr. 5] art. 2 [6], ut in agro laboret et ipse acciperet et non laboraret, raptor esset et fur. Simile huic accidit[iis], qui bona ecclesiae expendunt, sed non deserviunt etc. S. Hieronymus super 3. Esaiae cap. de eisdem scribit [7]: *Raptores sunt, qui capiunt temporalia, et spiritualia non seminant.*

Si tamen illud suum non interesse divinis in melius commutent aut in aeque bonum ecclesiae cum superioris praecipue licentia, videntur excusari, quia mos ille ratione innititur, et sic tacite praesumeretur fundatorum consensus, ut accidit per pontificem pluribus praelatis occupatis ad universalis ecclesiae bonum.

Corollarium: Ideo bona ecclesiastica non sunt quaerenda et recipienda ea intentione, ut ditemur vel consanguineos divites faciamus vel palatia struamus aut pompose et luxuriose vivamus, sed ut nostris honestis usibus provideamus et pauperibus tempore necessitatis subveniamus et ceteris piis operibus. Hinc clericus superflua retinens et in pios usus non distribuens raptor, invasor et fur dicitur a sanctis patribus. Hieronymus [8]: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessitatem sibi retinere probatur.* Idem S. Ambrosius, Super Lucam 12 serm. 81 [9] et S. Augustinus de tempore serm. 219 per totum [10]. Superfluum autem dicitur, quod nulla ratione est necessarium naturae vel personae vel gradus vel officii vel dignitatis, et sic superfluum est, quod caret ratione iustae necessitatis et intentione piae utilitatis. Homo enim consideratus, ut est individuum singulare, superfluum tenet, quicquid superfluum est naturae, quae paucis contenta est. Qui tamen, ut est membrum ecclesiae, dicitur non habere superfluum, cum non caret ratione iustae necessitatis et ratione piae utilitatis ad prudentis et moratae conscientiae mensuram, quae non consistit, sed prout iudicatum fuerit decens et expediens, prout praelatis et superioribus ecclesiasticis habentibus familiam vel subditos accidit, de quorum provisione debent esse solliciti et invigilare.

Bonis ecclesiasticis datis indistincte ecclesiae potest ecclesiasticus uti mediocriter secundum decentiam sui status, etiam si nihil residui remaneret, nec tenetur pauperibus potius subvenire quam sibi ipsi. De his autem, quae supersunt, pauperibus et ceteris piis usibus dictae ecclesiae succurratur; videatur Innocentius III in c. [10] *Cum ab omni* [X] de vita et honest. cler. [III 1] [11]; illud autem, ubi dicitur, quod clerici, quibus sufficiunt sua propria, non possunt licite petere beneficia ecclesiastica, adverte, quod intelligi illud debet, quando ecclesia indiget nec omnibus sufficit, vel quando ea causa quis recipit stipendium, ut in usus illicitos convertat, et ne sua quotidianis expensis imminuat, et ut patrimonium suum augmentet, illud consanguineis suis relicturus. Alias etiam, qui habet propria, licite de altari vivet, cui servit secundum Laurentium [et] communem doctorum opinionem in cap. [4] *Episcopus* [X] de praebend. [III 5] [12]; iure enim suo utuntur, ex quo serviunt ecclesiae et beneficia eis canonice assignata sunt. Eodem modo intellige S. Hieronymum, cum dicit scribens S. Damaso papae eos clericos absque sacrilegio de bonis ecclesiae substentari non posse, qui parentum substentari possunt opibus ib. [C. 16] q. 1 cap. [68] *Quoniam* [13].

Secunda conclusio: Bona ecclesiae donata, ut praedia, decimae et alia, sic donata sunt, ut expendantur ad ministrorum substentationem et ad alium quemlibet usum pium

[1] *Friedberg* I 677 sq.
[2] *Friedberg* I 634.
[3] *Friedberg* I 678.
[4] Dig. XII 4, *Mommsen* 167 sqq.
[5] *Friedberg* II 965.
[6] *Alexandri Alensis* Summae theologiae pars III (Coloniae 1622) 277.
[7] Non invenitur l. c.
[8] Cfr. adn. praec.
[9] Quae in antiquis operum *S. Ambrosii* editionibus erat sermo 81, nunc inter *Basilii Magni* homilias recensetur, *Migne gr.* 31, 261 sqq., praesertim 275 sqq.
[10] Nunc in appendice n. 277, *Migne* 39, 2266 sq.
[11] *Friedberg* II 451.
[12] *Friedberg* II 465; Laurentii Hispani, doctoris Bononiensis saec. XIII, apparatus in decretum adhuc est ineditus. *Schulte* I 190 sq.; *Hurter* II³ 251.
[13] *Friedberg* I 784 sq.

cedentem spiritualiter ad Dei honorem, unde possunt licite expendi in luminaria ecclesiae, in libros divinae legis explanationem continentes et sic de aliis, nullius desuper requisita auctoritate vel assensu.

Quod non liceret, si spiritualiter usui pauperum deductis necessitatibus ministrorum essent delegata, ut sunt bona hospitalium, quae pro Dei gloria in usus pauperum expendi debent, tunc certe dispensator ea inutiliter in alios usus expendens, si multus fuerit excessus, qui non posset latere, quia modicus defectus vel excessus fieri potest absque detrimento bonae fidei, cum non possit punctuale accipi, quid fieri oporteat, non soli Deo obligatur per culpam suam, cui per contritionem potest satisfieri, sed et pauperes defraudat et [eis] satisfacere tenetur. Hoc voluit S. Doctor, Quodlib. 6 art. 12 [1], et devotissimus et doctus Ioannes Gerson, cum in conclusionibus ait [2]: *Si praebendatus certa bona habeat pro pauperibus instituta et illa consumit ad alios usus, ipse restituere tenetur.* Hoc Clem. [c. 2] *Quia contingit* de relig. domibus [III 11] [3], ostendit, cum dicit, ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem sedis apostolicae auctoritate, converti.

Nec obstat, quod a sanctis omnia ecclesiae bona dicuntur pauperum, quia dicuntur eorum, non quia iure proprietario ad eos spectent vel spirituali eorum usui destinata, sed dicuntur eorum, quia eis in necessitate debita sunt magis vel aeque pio usu non occurrente. Immo dicunt sancti superflua, quae divites retinent, pauperum esse, et per eos aliena occupari, quorum tamen proprietas certum est, quod apud divites residet, et quod non tenentur ad restitutionem, et liceret in usum magis pium (si occurrat) expendere quam in pauperum alimoniam, puta in tuitionem fidei pro stipendiis militum, ubi necessitas urgeret.

Tertia conclusio: Canonici et singuli praebendati de his, quae eis in stipendium designata sunt, ut fructus praebendae annualis, ut quarta pars oblationum et proventuum ex praediis ecclesiae, quae in c. [23] *Vobis* C. 12 q. 2 [4] assignatur, et cetera, quae ibi *Quia*, huiusmodi portionis verum dominium habent et proprietatem. Si aliter expendant, quam decet et licet, peccant quidem, sed restituere non obligantur, quemadmodum, si alicui dem centum in elemosynam, ut inde honeste vivat, turpiter illa expendens sine dubio peccat, et Deo, quem laedit, satisfacere tenetur per contritionem, sed non obligatur restituere.

Quarta conclusio: Non licet sacerdoti aut alteri praebendato de bonis ecclesiae, quorum est constitutus administrator et non dominus, in proprium sibi usum usurpare, nisi sit et ipse indigens; tunc enim potest etiam sibi elemosynam facere ea ratione, qua aliis, pro sobrio et decenti usu. *De altari,* ait B. Hieronymus [5], *tibi, o sacerdos, vivere licet, non luxuriari*; luxuriantur autem, quicumque praeter status decentem necessitatem plus debito expendit in cibis et vestibus; luxus namque et luxuria omnis abundantia dicitur. *Praeter victum et vestitum et manifestas necessitates,* ait idem, *nihil cuiquam tribuas,* ne filiorum panes canes comedant ib. [C. 16] q. 1 c. [5] *Si cupis* [6]. Et S. Bernardus in epistola 43 testatur [7] extrahi crudeliter a pauperibus, quod consumitur inaniter de ecclesiae bonis, et consequenter furtum committit et sacrilegium et restituere tenetur; vide Augustinum, Super Ioann. 12 [8] super loculos Iudae, ubi concludit eum, qui aliquid de ecclesiae bonis furatur, Iudae perdito comparari. Iudae autem licuisset ex loculis dominicis, quorum administrator erat, suis necessitatibus et aliorum occurrere, vide c. 7 *Episcopus* C. 10 q. 2 [9], ubi agitur de his, quae administranda susceperint in opere pietatis episcopus et sacerdotes, quod nihil usurpare possint, nisi pauperes sint et egeant; vide S. Thomam II-II q. 185 art. 7 [10]. Nam etiam bonorum, quae tota fidei suae sunt commissa, vocantur quandoque domini et usufructuarii quantum ad ea, quae sufficiunt eis ad honestum victum, sed eorum, quae supersunt, sunt nudi dispensatores ad pios usus, ut bene et canonice dispensent.

Corollarium: Hinc sequitur apertissime, praelatos et ministros bonorum ecclesiae posse et teneri cognatis suis pauperibus aliquid de rebus ecclesiae donare in elemosynam, immo ex ordine caritatis eis principalius quam ceteris pauperibus, cum coniunctiores ceteris paribus teneamur magis diligere et eis providere, sic tamen ut non des eis aliquid praeter necessarium victum; licet enim praelatus possit suis tantum dare, quod habeant sufficienter

[1] *Thomas*, Quodl. VI q. 7 a. 12 ad 3.

[2] *Io. Gersonius*, Regulae morales: de avaritia n. 60, Opp. omnia ed. *Dupin* III 89.

[3] *Friedberg* II 1170 sq.

[4] *Friedberg* I 694 sq.

[5] Com. in Michae. l. I c. 3, 9 sqq., *Migne* 25, 1184.

[6] *Friedberg* I 762.

[7] *Migne* 182, 815 sq.

[8] Tr. 50 n. 10, *Migne* 35, 1761 sq.

[9] *Friedberg* I 621 sq.

[10] Art. 7 est titulus: *Utrum episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica, quae procurant, pauperibus non largiantur.*

necessaria naturae et personae, non tamen ut ditiores fiant et prae aliis exaltentur magis. Audi apostolicum canonem [1]: *Omnium,* inquit, *negotiorum ecclesiasticorum habeat episcopus, ut ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere aut parentibus propriis, quae Dei sunt, condonare; quod si pauperes sint, tamquam pauperibus subministrare, ne eorum occasione ecclesiae depraedentur.* Et primo de offic. cap. 3 scribit S. Ambrosius [2]: ex Deo dicatis subveniendum esse tuis egentibus, non tamen, ut illos divites facias. Et S. Prosper [3]: *Ecclesiae pastor, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.* Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. Archidiaconus [C.] 12 q. 2 cap. [20] *Non liceat papae* [4] dicit terribile verbum de summo pontifice, qui ut princeps solutus legibus videtur, si bona ecclesiae alienat sine rationabili et honesta causa, ut quia consumit in turpes usus vel dat consanguineis, ut eos prae aliis divites faciat vel construat sibi turres et palatia, *peccat mortaliter*. Ait enim textus: *Non liceat papae,* id est non credat sibi licere alienare sine utilitate ecclesiae et sine honesta et rationabili causa bona ecclesiae. Sicut enim est peccatum in aliis, ait cardinalis Alexander ibidem [5], hoc facere, ita, immo multo magis in papa, ubi non prospiciatur utilitati ecclesiae et honestae ac rationabili causae, peccat mortaliter et magis quam alius, c. [4] *Nulli fas* in De[creto] [C.] 25 q. 1 [6].

Natura enim turpe est alienare res ecclesiae in casu non concesso L. *probrum* ff. de rei vend. [7] ideo pontifex in usum a ratione abhorrentem, ad quem bona ecclesiae sunt destinata vel possent destinari rationabiliter casu novo emergente, non debet putare sibi licitum illa alienare, cum alienatio sine iusta ratione facta aliis prohibita sit etiam prohibita papae; licet enim canonibus sit solutus, eis tamen vivere debet, ne, quod aliis prohibet, sibi licere putet; vide notata per Hostiensem in c. [12] *Cum venissent* [X] de iud. II 1; Extra de concess. praebend. c. *Proposuit* [8]: « Recipientes etiam a clerico de bonis ecclesiae in casibus non concessis, ut consanguinei non indigentes, ioculatores, mimi, fornicarii etc. tenentur ad restitutionem; contractant enim bona aliena invito Domino, quia, quicquid habent clerici praeter patrimonialia et aliunde recte acquisita, sunt pauperum ».

38.

Capita praecipua eorum, quae episcopus Veronensis cuperet in reformatione emendari [9].

[Initio anni 1554].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 111r, cop. Massarelli manu scripta et accommodata; *Conc. 78* f. 254r [illegible] d M [illegible]ll

Conc. 78 f. 111r

[1] Beneficia curata non uniantur beneficiis simplicibus ad vitam, cum huiusmodi uniones sint effugia ad plura incompatibilia obtinenda.

[2] Non dispensetur cum simoniacis, ut possint retinere beneficia ⟨per simoniam obtenta⟩ [a].

[3] Iudices delegati apostolici non nisi viri docti, periti et idonei assumantur ⟨nec unquam ad partium nominationem concedantur⟩. [a]

[4] Qui citaverit primum [b] possessorem beneficii, non subrogetur in iure adversarii eo [c] defuncto, nisi de suo bono iure prius docuerit.

[a] [illegible] [b] *si[illegible] min, f. 111r* tantum [c] *s[illegible] min; fol. 111r* ex

[1] Decretales Ps.—Isidorianae ed. *Hinschius* 29.
[2] *Migne* 16, 26 sq.
[3] Locus sumptus ex *Gratiano*, c. 7 *Pastor* C. 1 q. 2, *Friedberg* I 409 (non est Prosperi).
[4] Cfr. supra pag. 186 adn. 1.
[5] Nescio, an auctor hoc loco cardinalem Alexandrinum, *I. A. de S. Georgio* (*Schulte* II 338 sqq.) alleget, qui l. c. ait: *Mortaliter peccat papa consumendo res ecclesiae in turpes usus.*
[6] *Friedberg* I 1008.
[7] Cfr. supra p. 186 adn. 2.
[8] *Henrici de Segusio* card. Hostiensis in II. Decretalium librum commentaria (Venetiis 1581) fol. 5r; *eiusdem* in III. Decretalium librum... fol. 34r.
[9] Episcopus Veronensis (1548-1557), Aloysius Lippomanus, qui annis 1551-52 concilio Tridentino praesidebat, vel Massarello oretenus consilia quoad reformationem exposuit, quae ille scriptis dedit, vel votum ipse composuit, quod secretarius excerpsit et postea cardinalibus deputatis communicavit, qui capp. 1-6 deleverunt, cetera respicienda esse decreverunt. De scriptis eius cfr. *Hurter* II³ 1543 sq.; *Lauchert* 569-584; *Tiraboschi* l. II c. 2 n. 55; de legatione eius in Germaniam 1548-49: *A. Pieper*, Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen (Freiburg 1894) 196 sqq.; *Nuntiaturberichte* I. Abt. XI passim; *Pastor* V 664 sqq. Multa de legatione Polonica 1555/7: *Hosii* epp. ed. *Hipler-Zakrzewski* II passim.

[5] Beneficia curata quaecunque, etiam monasteriis, militiis religionis aut aliis piis locis quibuscunque perpetuo unita, per ordinarios visitentur quibuscunque privilegiis non obstantibus.

[6] Tollendae videntur consuetudines, etiam antiquissimae, quod quis non assequatur possessionem canonicatuum seu aliarum dignitatum et beneficiorum, nisi certa[a] quibusvis soluta pecunia[b].

[7] Cohabitationes clericorum cum mulieribus (nisi sint consanguinitate aut affinitate propinqua coniunctae)[c] omnino prohibeantur.

[8] Monendi essent principes saeculares, ut immunitates ecclesiarum ab eorum ministris observari curarent et facerent[d].

[9] Prohibendum esset, ne pro administratione quorumcumque sacramentorum aliquid directe vel indirecte petatur[e].

39.

Ioannes de Melo, episc. Silvensis[1]: Instructio eorum, quae consideranda videntur in reformatione facienda.

[1553/1554].

Romae Arch. Vat. *Conc. 6* f. 344r-349r, or; Bibl. Vatic. *Vat. lat. 11901* f. 60r-66r, cop. saec. XVII [= A]; *ibid.* f. 69r-75r, cop. saec. XVII [= B].

[illegible] quae in ecclesia et in curia Romana reformanda videntur, enumerat.

Haec sunt, quae videntur consideranda a S. Ste in reformatione facienda: *Conc. 6* f. 344r

1. Decet imprimis Stem S. exhortari ac admonere reges omnes ac principes christianos, quibus facultas est ad praelatiam[f] praesentandi, ut curent quam maxime et elaborent in eligendis pastoribus, qui moribus probati, vita honesti, literis praestantes ac aetate maturi sint, quales decet esse tantum onus, angelicis quippe humeris formidandum, subituros, idque faciant postpositis omnibus humanis affectibus. Qua in re ipsos benigne admoneat, ut suarum conscientiarum rationem habeant nec deinceps instent, illis ut indulgeat, quibus eorum quidpiam (quod iure cautum est) desit. Quod nec ipse facturus est, nisi sit aliqua urgens ac legitima ratio nota quidem et approbata apud cardinalium consistorium, quinimo S. Stas prius praesentatorum vitam honestam, mores probatos ac cetera omnia, quae tanto obeundo muneri exiguntur, diligenter perpendat.

2. Expedit, ut S. Stas praecipiat omnibus, quibus incumbit beneficiorum, saltem curatorum, collatio, ut non nisi personis habilibus ac dignis, etquae in loco residerecuramque per se ipsos exercere velint ac possint, cunctis aliis postpositis ac neglectis humanis affectibus beneficia conferantur. Ex iniusta namque beneficiorum collatione magni defectus, neglectus, errores plurimaque et ea execranda mala novissime in domum Domini irrepsere, quibus non sic facile occurri ubique potest.

3. Cavere praeterea debet S. Stas, ne beneficia curam animarum habentia ullis nisi diligenter examinatis conferantur quique a duobus, quos S. Stas in curia Romana praefecerit[2], idonei reperti fuerint, cuius rei publicam praestari fidem atque in suae collationis literis fieri mentionem oportebit; in partibus autem a locorum ordinariis, admonitis tamen atque ante oculos conscientia proposita, ut rite et | legitime talia conferant beneficia, praevio 344v iam dicto examine; quodsi a sedis apostolicae nuntiis talis sit facta beneficiorum provisio, ea ne possint retinere, nisi primo facta per literas fide, quod ab ordinariis fuerint examinati et ab eisdem idonei reperti; si vero hi a suis absint diocesibus tunc temporis, cum talia impetran-

[a] *min. add.* prius, *et in marg.* Ver[onensis] Hisp[ani] [b] *Can. 1-6 postea del.* [c] *Quae unculis continentur, postea del.* [d] *Min. add. alium canonem:* Prohibendae videntur deambulationes, colloquutiones de rebus prophanis et armorum delatores in ecclesiis, dum sacra celebrantur, ac etiam in earum cimiteriis nundinationes et venditiones rerum, ut fit in publicis festivitatibus. [e] *del.* vel exigatur; *min.* peteretur vel acciperetur [f] *sic!*

[1] Episcopus Silvensis (nunc Silves in Algarbia, Lusitaniae provincia), Iohannes de Melo, a. 1552 Tridentino concilio intererat. *Theiner* I 643.

[2] Edicto 11. Febr. 1536 emisso pro Italicae nationis presbyteris, qui in Urbe missam celebrare vellent, Thomas Guerrerius et Franciscus de Vanutiis examinatores constituti sunt. *Pastor* V 826 sq.

tur beneficia, a duobus, quos nuntii exequendo examini praefecerint, sedulo examinabuntur, quos literis ac moribus ornatos esse convenit esseque admonitos curent, ut legitime sit ac vera facta collatio. Examinis autem mentio in literis facienda est, nec simile examen praetermittendum in confirmandis, eligendis ac praesentandis personis.

4. Visum est nec oportere, ut expectativarum seu reservationum quas vocant literae in beneficiorum collationem expediantur nisi iis tantum, quos et optimi mores ac honesta vita apud S. S^{tem} commendarint, diligentique apud curiam Romanam facto examine ab his, quos S. S^{tas} examini faciendo praefecerit quique diligenter ac sedulo illud efficiant, quod in praedictis literis exprimetur, et possint talium expectativarum vi duo duntaxat curata accipere, dummodo illis conditionibus omnibus praediti sint, quas ius in accipientibus desiderat. Deo tamen quidpiam gratius fieri et animarum saluti convenientius esse duco, si omnino reservationum ac expectativarum literae abolerentur; praebetur enim inter cetera occasio alienae captandae mortis atque digniori fortassis aditus occluditur.

5. Summopere sanctae ecclesiae expedire videtur coadiutoriarum quas vocant aut regressorum [a] titulos a S. S^{te} nullis concedendos praeterquam habilibus ac talium beneficiorum gubernationi idoneis, priusquam praescriptum examen, tam in his, quae ad vitam, quam quae ad mores spectant et aetatem, subeuntibus, nec ullo pacto indulgere cuipiam S. S^{tas} oportebat. Sed crederem Deo quidpiam gratius et in usum et salutem animarum fore, si regressorum ac coadiutoriarum usus in totum aboleretur; arripitur namque similiter
345^{r} occasio, ut alienam mortem magno cum animae dispendio | plurimi captent et dignioribus iniuste admodum beneficiorum aditus occludantur atque (quod non minus dolendum) simoniacae pravitati locus paratur litibusque ac iurgiis parandis occasio praestatur.

6. Quia literae fel. rec. Alexandri [1] papae praecipientis, ut in unaquaque sede cathedrali duae reservarentur canoniae cum integris praebendis, quarum altera magistro seu doctori in sacra theologia, qui evangelium annuntiaret et verbum Dei praedicaret, altera doctori in iure, qui capitulo et ecclesiae consuleret, sub certa ibi expressa forma conferretur, in nonnullis cathedralibus ecclesiis effectum sortitae non sunt, videtur quod S. S^{tas} debeat huiusmodi literas et in eis contenta innovare et in omnibus executioni mandare, immo quod nullo modo per viam renuntiationis vel coadiutoriae illae canoniae cum praebendis per sedem apostolicam conferantur, sed tantum in partibus illis, qui oppositione mutua iuxta illarum literarum formam magis idonei apparuerint.

7. Convenit etiam, ut locorum ordinarii (modo absint praedictae condicionis expectantes apostolici [b] ac ipsorum literae non sint insinuatae) beneficia intra suam diocesim mensibus apostolicis vacantia personis habilibus ac dignis conferre valeant, ea tamen lege, quod tales admissi intra certum tempus beneficiorum titulos per sedem apostolicam expediant; fiet etenim, ut beneficia legitime conferantur nec quidpiam detrimenti sedi apostolicae inferatur.

8. Decens ac apprime necessaria coarctatio sive moderatio pensionum visa est tam earum, quae ex praelatiis, quam quae ex curatis beneficiis eliciuntur; hinc namque pars illa, quae ecclesiae fabricis cedere debuit, maximo cum ecclesiae detrimento usurpatur, hinc pauperes iniuste admodum debita mercede defraudantur, hinc symoniacae pravitates magna cum Domini offensione pullulant, hinc ambitiones magno cum ambientium malo emergunt, praesertim inter litigiosa beneficia, hinc iurgiis et litibus magno cum labore occasio praestatur, quibus non nisi pensiones ex beneficiis aucupari tentant, quas nequaquam admittendas a Ste S. consentaneum videtur nisi circa quartam partem reddituum, quae pauperibus iure
345^{v} debetur, nec id nisi subveniendi egeno ecclesiastico praesertim, vel pii al|terius usus gratia. Non minimo igitur, sed maximo conatu fugiendus est ille abusus, qui inter beneficio cedentes ubique celebratur, ut omnes sibi fructus reservent atque id omne, quod circa cultum divinum [c] et beneficiati alimoniam expendendum necessario erat, adimatur.

9. Cavendum esset, ne monasteria regularia ulli a sede apostolica in commendae titulum conferantur religioso eiusdem ordinis, quoniam paratur occasio, ut redditus monasteriorum non debite consumantur et antiquus religiosorum status deperdatur.

10. Nullatenus indulgendum erit a S. S^{te} presbyterorum filiis, ut parentum beneficia possint obtinere, quinimo nec ad beneficia illius ecclesiae accedant, cuius alias patres

[a] *sic Codd.!* [b] *Codd.* apostolicae [c] *Codd.* diurnum

[1] Cfr. *V. de la Fuente,* Historia ecclesiastica de España V 85. Constitutio illa a Sixto IV. sed mediante Rodrico Borgia tum cardinale facta est. De praebendis doctoralibus cfr. etiam infra p. 271 l. 27 sqq.

praecipuum titulum habuerint. Extirpabuntur enim sic plurima scandala ac mala exempla, quae inde oriuntur, et ideo utilissimum erit in ecclesia Dei, ut hae prohibitiones directe vel indirecte absque dispensatione sedis apostolicae stricte serventur.

11. Cum simoniae vitium ecclesiasticos homines (quod citra dolorem dixisse non liceat) inverecunde admodum occuparit, cavendum esset a S. S[te], ne poenitentiarii, nuntii aut a latere legati valeant in foro iudiciali simoniacis indulgere, quo possint sic acquisita beneficia obtinere, quinimo eisdem illos conentur privare. Praecipiendum in eundem esset usum ordinariis, ut diligenter suis diocesibus, si qui sunt [a], scrutentur in illosque animadvertendo, prout iure cautum est, procedere curent.

12. Non liceat praelatis quenquam ad sacros ordines promovere, quem non norint esse aptum et idoneum, secundum quod iuris sanctiones praescribunt; teneantur alioqui ultra iuris poenas illegitime ordinatos propriis expensis in studiis vel alibi alere, quousque docti ac prompti evadant in iis omnibus, quae ad suum munus facile exequendum exiguntur. Nec ordinarii pecunias pro ordinum extorqueant administratione nec praeter confectionis literarum officialibus debitas impensas quidquam solvere patiantur. Teneantur praeterea ordinarii, in hunc—usum, ut in suis diocesibus non desit aliquis eruditionis ac vitae probatae homo, qui 346r omni industria invigilet in erudiendis ac docendis iis, qui ordinibus iam constituti sunt vel ad eosdem promoveri affectant, ut docti ac prompti evadant in illis, quae ad sua officia peragenda spectant; inde namque plurima compescentur incommoda ac maxima ignorantia evitabitur, quae nostra tempestate ecclesiasticos detinet, qui posthabitis ac neglectis sanctionibus, quae in ordinum celebratione observari debent, absque ullo delectu sacris ordinibus constituuntur.

13. Utile sanctae ecclesiae ac reipublicae videtur, si praecipiatur locorum ordinariis, ne tot homines impraemeditate [b] admodum, ut usu fieri videmus, ad minores ordines promoveant, quos nec quidpiam ecclesiae Domini praestare nec ministeriis, quibus ex ordinibus tenentur, inservire compertum est. Sic enim fiet, ut maximos fugiamus excessus, quos tales patrare audent minorum ordinum privilegio innixi; eosdem namque in alios usus non affectant, nisi ut poenas alioquin ob suos errores graviores effugiant.

14. Praecipiendum esset praelatis (quia ex defectu doctrinae quotidie incidunt miseri homines in nefandos et execrandos errores), ut [c] praedicationis officium salubriter exequantur; quibus rebus non sic facile occurri poterit, nisi primum districte admodum caveat S. S[tas] praelatorum residentiae, quos item admonere oportebit, ne saecularibus muneribus principum vel regum intenti a suis diocesibus plus quam ratio expostulet abesse possint.

15. Praecipiendi sunt praelati, ut saltem tertio quoque anno teneantur circumire ac visitare totam diocesim, nulla nisi urgenti ac rationabili causa excusante, atque interea sollicite de rebus ad orthodoxam fidem pertinentibus inquirant, indoctos doceant et erudiant, noxios puniant, errantes ab erroribus arceant et ad hoc tantum intendant, ut vita hominum corrigatur et robur acquirat religio ac cultus Domini. |

16. Praecipiendum esset praelatis, ne interim, dum dioceses suas perlustrant, incedant 346v magno familiarium comitatu, sed solis visitationis negotio necessariis ministris ac famulis, quos excusare non possint. De utrisque autem, exemptis et [d] non exemptis, diligenter inquirant; usu enim et experimento compertum est, exemptionum causa quosdam praelatos ab ordinaria visitatione abstinuisse [e]. Atque cuncti procurationem iuxta consuetudinem exsolvere [teneantur]; quod si non adsit consuetudo, iuxta taxam [f] Extravagantis Benedicti [XII] in tit. de cens. [III 10] inter communes teneantur [1].

17. Diligenter admonendi ac praecipiendi sunt praelati, ut illos, quibus commissa sunt beneficia curam animarum habentia, residere cogant eosdemque examinare in sua sufficientia valeant et in examine non idoneos ad discendum compellere constituendo interim animarum curae vicarium, appellatione remota, ex redditibus ipsius beneficii sustentandum, cuius opera animarum cura laudabiliter exerceatur; et si quos canonicae sanctiones rite excusent, tunc temporis ordinarii curabunt, ut alii substituantur, quorum industria beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur, congrua portionis fructuum assignatione, appellatione cessante, privilegiis [et] exemptionibus nemini alias pro non residendo suffragantibus.

18. Indicendum esset a summo pontifice, ne quispiam alienigenas ad beneficia promoveat; tales enim, ut constat, nihil minus quam residentiam curantes pactiones ac simoniacas

[a] *sic Codd., supple* simoniaci [b] *sic!* [c] *B* qui [d] *AB* ex [e] *B om* [f] *B* taxa

[1] *Friedberg* II 1280 sqq.

pravitates macchinantur, ex quibus pensiones aut regressus comparent pecuniamque ab aliis magno cum animarum dispendio extorqueant.

19. Non levi de causa, ut plerunque fit, verum urgentissima concedenda esset petentibus a summo pontifice testandi copia, ne pauperibus optimo iure debita bona in pravos usus aut saltem minus necessarios convertantur.

20. Ultimae voluntates commutandae non essent, nisi primo causa diligenter discutiatur; sunt enim, qui sub paupertatis et cognationis praetextu redditus et pecuniae quantita-
347r tem, quam in pios usus testator legarat, apostolico consensu | in suos usus convertunt. Nisi ergo rationabili causa constiterit testatores ante mortem, si memores fuissent, talia procurantem pio usui praelaturos, commutationes non fiant.

21. Non facile usus confessionalium atque altaris portatilis cuiquam concedendus [esset]. Vilescunt inde namque, si fas est dicere, res omnes ecclesiasticae ac praecipuum omnium eucharistiae sacramentum in quendam veluti contemptum ducitur ac minorem venerationem, et in detrimentum iuris parrochialis devenitur.

22. Item oblationes, quae in oratoriis intra limites alicuius ecclesiae existentibus offeruntur, non acquirantur ecclesiae principalis priori tunc temporis in ea non residenti, immo quod ordinarii arbitrio cedant in usus oratorii vel ecclesiae; passim enim contingit, ut cum maximo plebis scandalo priores sibi tales oblationes acquirant, neglecto ecclesiarum cultu et offerentium voluntate defraudata.

23. Statuendum esset, ut animadverteretur in illos, qui, cum ex facultate iurispatronatus quempiam ad beneficium praesentaverint, redditus tamen sub procuratoris praetextu vel auctoritate propria in suos usus convertunt. Ordinarii igitur diligenti facta inquisitione (si quid inciderit simoniae) in praedicto negotio adversus utrosque contendere debuissent, prout de iure fuerit procedendum.

24. Expedit utilitati animarum, ut matrimonia clandestina novissime prohibentur atque, ut eorundem inhabilis materia constituatur, si sex ad minimum testibus praesentibus non celebretur. Sic enim falsitates, litigia, dolos ac innumera incommoda non parum animarum saluti perniciosa fugere facillimum erit.

25. Non minus conducere saluti animarum videtur, si a S. Ste publicae honestatis impedimentum cognatioque spiritalis inter levatum et filios levantis in celebrandis matrimoniis tollerentur et affinitatis impedimentum ad tertium saltem gradum reducatur.
347v Sic enim non pauca incommoda vitae ac animo noxia fugienda | veniunt, quae passim inter pauperes reperiuntur, qui paupertate oppressi ab impedimentis liberari non queant [et] magno suae salutis incommodo in excommunicatione ac peccatis consenescunt mortalibus.

26. Sanciendum illud erat diligenter, ne in matrimonialibus causis ad sedem apostolicam omisso medio appelletur. Fit enim pluries, cum adversariorum potentior nihil magis quam vexationem intendat, ut alter eorum paupertatis causa succumbat aut causae cedat, unde maxima et ea detestanda mala emergunt, et semel atque iterum illicite matrimonium contrahunt; et si contingat appellationes huiusmodi a metropolitanis ad sedem apostolicam interponi, in partibus committantur, quotiescunque de paupertate partium constiterit eorum, qui matrimonio consentiunt.

27. Episcopi, commendatarii, capitula ac ceteri omnes praelati, qui quartam illam partem, quae ex canonicarum sanctionum praescripto ecclesiarum fabricae cedere debuit[a], consuetudine, iure aut quovis alio suffragante titulo in suos usus convertunt, quantitate pensata cunctis ad ecclesiarum reparationem necessariis prospiciant. Talis enim a patribus sancita ac praescripta iuris obligatio negligitur corruuntque aedificia et omnia, quae cultui divino apprime sunt necessaria ornamenta, deficiunt.

28. Praecipiendum videtur sedis apostolicae legatis, quod cathedralium ecclesiarum rationabilia, maxime iurata statuta non derogent, violent vel dispensent sine iusta rationabili causa in derogationis vel dispensationis literis exprimenda.

29. Debet S. Stas nulli particulari personae exemptionem ab ordinario indulgere, quinimo exemptiones in hunc usque diem emissas omnino revocare. Datur enim ex illis delinquendi libertas et materia perpetrandi[b], cum neque ordinarius nec alius sit in partibus, qui in eos animadvertat. Et si quando [ex] iusta et urgentissima causa exemptio concedenda foret, videtur permittendum ordinariis, ut pro criminibus perpetratis exemptos nihilominus capere et cum actis possint et debeant sedi apostolicae vel in partibus eius legatis vel exemptorum iudicibus remittere puniendos. |

[a] *Videtur legendum* debuerunt [b] *Supple* delicta

30. Oportet S. S[tem] providere, quod, si quando ecclesiasticis iudicibus per viam denuntiationis, inquisitionis, accusationis vel alias de nefandissimo contra naturam crimine plene constiterit, debeant clericos in sacris ordinibus constitutos beneficiorum privatione, verbali degradatione nec non perpetui carceris intrusione punire, clericos vero in minoribus constitutos nec non saeculares personas, ubi in ipsis competit iurisdictio, huiusmodi criminosos acriter punire ac pensata criminis magnitudine et illius circumstantiis curiae saeculari tradere puniendos, ut ab omni orbe christiano crimen hoc nefandissimum exterminetur et illius atrocitas puniatur, audacia delinquendi comprimatur et irae Dei ac multis aliis inde incommodis provenientibus occurratur. 348r

31. Expedire maxime visum est, ut nec sedes ipsa apostolica nec item apostolici nuntii illis indulgeant, qui perpetratorum scelerum causa ad exilia damnati sunt, cum eisdem vel dispensando vel poenae genus commutando, nisi accusatoris aut eorum, quibus iniuria irrogata est, venia et rationabilis causa praeveniat, quam sequetur causae et veritatis agnitio, de qua in abolitionis literis mentio facienda est; alias ex tali indulgentia nihil praeterquam peccandi occasio paratur aut scandalum in locis, ubi crimina perpetrantur.

32. Sanciendum quoque videtur, ut capitula sede vacante teneantur vicarios generales et omnes, qui antea officiales fuerant, unumquenque in suo munere et officio conservare nec ipsorum aliquem, modo in officio non deliquerit, ad libitum et legitima causa non subsistente tollere. Experientia enim docuit, capitula propter singulares de capitulo inimicos nonnunquam ex eo solo, quod iustitiam libere administrarunt, et aliis humanis respectibus vicarios generales sede vacante statim removisse et singularem de capitulo iuris imperitum vicarium constituisse, ex quo multa et pessima oriuntur.

33. Cavendum summopere esset, ne causae omnes, praesertim criminales, inquibus accusator deficit, iudicibus apostolicis, qui literas et eruditionem non habeant, committantur, et [a] solum episcopis aut vicariis aut alias iurisdictionem habentibus; | 348v et si aliis committi contingat, sint ii dignitatibus ac literis et eruditione probati. Indies etenim experimur, quod id non observetur ob humanos affectus vel particulares quosdam respectus, [et] maxima cum adversariorum iniuria adiudicari victoriam publicis reis vel saltem poenam illis imminui plus debito.

34. Beneficiorum obtentores de illis apud Romanam curiam non citentur, sed coram solis locorum ordinariis, sedis apostolicae nuntiis atque eiusdem delegatis. Passim enim quotidianoque experimento comperimus plures curiales, vel quia regressus desiderant, vel pensionum aucupandarum animo aut pecuniae sub expensarum praetextu a miseris extorquendae possessoribus gratia pacificos obtentores nullo iure perturbare, quod illi libere faciunt, quia nullo alio pacto a vexatione liberari queant.

35. Expediens videtur esse, ne ex licentia camerae apostolicae nomine beneficia acceptentur. Pluries etenim contingit, ut possessione pacifica, velo ut aiunt levato, possessores priventur; malunt enim dimittere beneficia alioquin iuste obtenta quam citra possessionem Romam peregrinari, ubi sui iuris rationem reddant.

36. Convenire visum est, ne ad notariatus apostolici ministerium quicunque [b] sine delectu (quod usu fieri videmus) promoveantur, quin potius curandum, non nisi qui bonae famae et opinionis ac officio exercendo idonei reperiantur, ad dicta munera admittantur, cuius rei fides ab actis sumpta primo habenda est ab his, qui eosdem ad ministeria promovent.

37. Praecipiendum esset, ne apostolici notarii in gratiam sui laboris plus pecuniarum a negotiatoribus extorqueant, quam quod notariis ordinariorum deberi sancitum est. A miseris namque hominibus nummos extorquent et, quod peius est, sibi liberam ac pro arbitrio petendi concessam facultatem [vindicant et] [c] multoties instrumenta denegant, quibus expediendis ex officio sibi iniuncto tenebantur. Curent praeterea, ut [in] citationibus vel intimationibus nihil praetermittant, quod responsum a partibus fuerit, idque earundem expensis; contingit enim plerunque nolle talia in actis scribere, unde plurima incommoda enascuntur. |

38. Tria postremo ex his omnibus videnturperpendenda: Primum quod beneficia curam 349r animarum habentia non nisi idoneis conferantur, alterum, ut nulli a personali residentia privilegio aut ratione alia excusentur, ultimum, ut nemini curatorum pluralitas concedatur propter multa quae inde nascuntur incommoda, praesertim quia ambitionis materia enutritur et unus plurium stipendia cum eorum iniuria consequitur ac praedicta personalis residentia contemnitur, quod inter cetera pertimescendum. Hinc namque, quod citra lacrimas dixisse

[a] *Videtur legendum* sed [b] *Codd.* cuicunque [c] *Sic supplendum esse putavi, vel legendum* sibi liberam ac pro arbitrio petentis concessam facultatem [negant et] multoties instrumenta denegant

non licet, errores omnes dimanarunt, hinc pravae haereses in templa irrepsere, hinc opiniones detestandae mentes hominum occuparunt, hinc abusus omnes scaturierunt, hinc pravi hominum mores exorti sunt. Nihil igitur vitiosum patratur modo in ecclesia Dei, quod ex incuria residentis non fluxerit, si namque idonei pastores electi vigilanter suis praeessent ovibus, quis esset lupis rapacibus aditus[1]? Nullus profecti. Curent igitur et evigilent pastores, ut attendant suo gregi[2], memoresque suae ac suorum salutis ministerium suum impleant, quod si fecerint, spero futurum, ut ceteris omnibus faciliter cavendum sit.

39. Expedit item, ut D. N. summus pontifex auctoritate sua Tridentini concilii decretis adhibita omnes christianos admoneat, ut eisdem adhaereant easdemque observent; sunt enim non minus observatione quam exequutione digna.

Haec sunt, B^me^ Pater, quae sese ad praesens offerunt circa reformationem faciendam per S^tem^ S., cuius vitam Dominus Noster conservare dignetur, ut opus tam pium et necessarium christianae religioni diu desideratum et nostris temporibus desperatum ad finem debitum deferatur.

I[ohannes] episcopus Algarbiorum Lusitanus[a].

40.

Summarium eorum, quibus Hispania se gravari conqueritur, petitque a summo pontifice provideri.

Missum ex Hispania ad Iulium papam III anno 1554[3].

Romae Arch. Vat. *Conc. 6* f. 296, cop. coaeva manu Massarelli facta; Bibl. Vat. *Vat. lat. 11901* f. 67r-68r, cop. saec. XVII; *ibid.* f. 126, cop. saec. XVII; *Barb. lat. 895 f.* 146r, cop. saec. XVII; Mediolani Bibl. Ambros. *Cod. H 102 f.* 5r-6v, cop. coaeva; Parisiis Bibl. S. Genovevae *Cod. 3342* f. 286r-287v, cop. saec. XVII.

17 gravamina Hispanorum contra curiam Romanam continet.

Conc. 6 f. 296r 1. Quod beneficia Hispaniae non dentur neque in titulum neque in commendam nec alio modo neque etiam in confidentiam alienigenis.

2. Quod non dentur pensiones super beneficiis illorum regnorum illis alienigenis.

3. Quod beneficia Hispaniae, cum conferuntur ipsis Hispanis, gratis dentur, id est, quod id non fiat cessionibus, intercessionibus vel opera alienigenarum, cum hac via emuntur et venduntur beneficia.

4. Quod canonicatus duo, qui in qualibet cathedrali ordinati sunt pro theologis et doctoribus[4], non nisi theologis et doctoribus conferantur. Et qui de praesenti similes canonicatus impetrarunt, moneantur et cogantur a pontifice, ut desistant a litibus, quas super his habent.

5. Quod beneficia, quae in aliquibus, ut Palentinensi, Burgensi et Calaguritanensi, sunt patrimonialia, non dentur nisi filiis patrimonialibus oppositione et examine praecedente, ut fieri debet, nec uni nisi unum eiusmodi beneficium conferatur, neque per dispensationes fiat quis patrimonialis.

6. Quod beneficia iurispatronatus non dentur sine praesentatione patronorum, et ipsi iuripatronatus laicorum non derogetur.

7. Quod cappellae, hospitalia et alia pia loca, quae privatae personae vel confraternitates devotionis causa erexerunt, non conferantur uti beneficia neque, ut conferri possint, in beneficia erigantur.

[a] *Subscriptio manu propria*

[1] Cfr. *Act.* 20, 29.

[2] Cfr. *Act.* 20, 28.

[3] De querelis Hispanorum conferendum esset praeter gravamina episcopi Calaguritani (*Conc. Trid.* XII 590 sqq.) et summarium gravaminum porrectorum ab episcopis hispanis (*ibid.* 598 sq.) ea quoque « memoria », quae orator Caesaris Franciscus de Toledo mense Octobri 1551 exeunte Crescentio legato Tridenti exhibuit; de qua vide epistolam Francisci Vargas 28. Oct. 1551 datam apud *M. Levassor,* Lettres et mémoires 164. Idem Vargas die 26. Nov. 1551 loquitur de « Memoria » quadam, quae a consilio regni Castiliae ante concilium de rebus ecclesiasticis composita eiusdem fere tenoris fuisse videtur, cuius summarium nostrum (ex. gr. contra alienigenas, contra pensiones etc.). *Levassor* 222.

Summarium, quod nos exhibemus, sumptum esse censemus ex memoria simili illi « longo memoriali » episcopi Legionensis ceterorumque episcoporum Hispaniae, de quo Cervinus 3. Dec. 1552 Morono scripsit. *Druffel,* Beiträge II 828.

[4] Cfr. n. 39 art. 6 cum adn.

8. Quod non admittantur coadiutoriae, regressus et ingressus, accessus, reservae et expectativae, renuntiationes patrum in filios reservatis sibi fructibus, sede, nomine, titulo etc.

9. Quod annexiones beneficiorum, etiam non curatorum, non fiant.

10. Quod exemptiones tam clericis privatis quam capitulis et eorum personis a iurisdictione ordinariorum non concedantur et hactenus concessae revocentur.

11. Quod pontifex praecipiat, ne a poenitentiaria concedantur facultates de promovendo, neque etiam nuntii apostolici neque capitula sede vacante eas facultates concedere possint, sed remaneat tantum ordinariis, cum multi accipiunt tantum primam tonsuram, ut liberentur a iudicibus saecularibus. |

12. Quod interdicta et cessationes a divinis non ita passim concedantur neque impo- 296v
nantur nisi ob res graves et maximi momenti, declarenturque casus, ob quos ipsa interdicta imponi possint.

13. Quod curiales non debeant vexare pacificos possessores beneficiorumsub praetextu certarum causarum. Ideo deberet mandari executioni, quod Bononiae decretum est [1], scilicet ut curiales molestatores, qui student beneficiorum permutationibus atque inique fatigandis indigenis, Roma abeant, redeant in patriam, resideant in eorum ecclesiis.

14. Quoad causae ecclesiasticae in prima instantia non committantur Romae causaeque appellationis illic committantur severis iudicibus omni suspicione maioribus, qui in singulis diocesibus deputentur ac designentur, nec concedantur iudices a parte nominati.

15. Quod non deberent vexari, puniri aut condemnari ii, qui confugiunt ad Caes^{am} M^{tem} vel eius consiliarios seu audientes, sub praetextu, quod utantur contra suos adversarios viis seu remediis indebitis.

16. Quod uni soli plura curata beneficia non concedantur, neque dispensetur ad ipsa plura curata nisi in bonum publicum et ecclesiarum commodum.

17. Queritur, quod [a] dispensetur super irregularitate cum presbyteris sicariis, homicidis, mulierum raptoribus et aliis facinorosissimis hominibus, non habita ratione praeteritae vitae nec inspectis processibus.

[a] *del.* non

[1] Bononiae omnino nihil decretum est, licet saepius in diario Massarelli de pluralitate beneficiorum et similibus mentio fiat. *Conc. Trid.* I 663, 5 sqq.; 676, 1 sqq.

B. De reformatione curiae Romanae in specie.

41.

De reformatione consistorii.

[Ante aestatem a. 1553] [1].

Romae Arch. Vat. *Conc.* 6 f. 351^r-354^v cum correctionibus card. Maffei; Bibl. Vat. *Vat. lat.* 11901 f. 100^r-102^r, cop. saec. XVII.

1. De creatione novorum cardinalium. 2. De provisione ecclesiarum et monasteriorum. 3. De alienatione rerum temporalium sanctae sedis.

Conc. 6 f. 351^r T r i a potissimum sunt, quae pontifex solet in consistorio referre ad cardinales et in eo loco constituere: C r e a t i o n o v o r u m c a r d i n a l i u m , p r o v i s i o e c c l e s i a r u m e t m o n a s t e r i o r u m , a l i e n a t i o b o n o r u m t e m p o r a l i u m R o m a n a e e c c l e s i a e.

1. Q u o a d p r i m u m d e c r e a n d i s c a r d i n a l i b u s:

Providendum videtur, n e cooptentur i n tam praeclarum e t grave collegium pueri neque indocti, sed viri graves, docti, modesti, in disciplina ecclesiastica cum laude versati, non autem subito vel per saltum in clerum asciti, serventurque canones circa aetatem uniuscuiusque ordinis, hoc est presbyterorum et diaconorum.

Cardinales n o n r e t i n e a n t p r i o r e s e c c l e s i a s, quando absolvuntur a vinculo, quo tenentur, quando promoventur ad cardinalatum, nisi sint vicinae ecclesiae, quas visitare possint.

Cardinalium n u m e r u s moderandus esset propter multas rationes, praesertim eas, quae in reformatione a Constantiensibus instituta recensentur [2]. |

351^v Cardinalibus provideri deberet a sede apostolica, ne cogantur huic vel illi principi adhaerere et universali ecclesiae graves esse. Et quibus a sede apostolica provideretur, debere[n]t omnibus aequales esse r e d i t u s.

Quod nec cardinalibus nec aliis resignantibus r e s e r v e t u r aliquo pacto administratio spiritualium nec fructus ultra medietatem

Quod cardinalibus non reservetur r e g r e s s u s ecclesiarum aut monasteriorum, quae non possederint saltem per triennium, ad evitandas confidentias; quando enim diu ecclesiam vel monasterium possederit cardinalis laudabiliter, non videtur inconveniens, quod detur regressus, cum ecclesia revertatur ad personam approbatam et de regimine informatam.

Quod nec cardinales nec alii, praesertim clerici camerae apostolicae, accipiant ecclesiam nec beneficia i n c o n f i d e n t i a m ad evitandas fraudes annatarum et decimarum sub poena Extravagantis *Cum detestabile* etc. [3].

[1] Auctor ignoratur. Quaerendus videtur inter illos cardinales, qui in minoribus officiales curiae fuerunt, ut de Medicis vel Verallus. Composuit tractatum, a n t e q u a m anno 1553 exeunte canones de cardinalibus etc. formarentur. De numero cardinalium moderando pontifex ipse iam anno 1550 locutus est, ut ex litteris Benedicti Buonanni ad Cosmum ducem cognoscitur. *Pastor* VI 632.

[2] Cfr. concordata cum Hispanis, Gallis, Germanis, cap. 1: De numero et qualitate DD. cardinalium (*Raccolta di concordati* 144 sqq.): *Statuimus, ut deinceps numerus cardinalium S. R. E. adeo sit moderatus, quod nec sit gravis ecclesiae nec superflua numerositate vilescat. Hefele* VII 333 sqq.

[3] Cap. 2 *Cum detestabile* Extravag. com. de simonia V 1. *Friedberg* II 1289.

Quod cardinales absentes a curia per annum priventur indultis aliisque immunitatibus et gratiis, quibus cardinales praesentes frui solent, et quod in expeditione litterarum apostolicarum teneantur solvere an|natas et iura camerae apostolicae debita. 352r

Quod in promotione alicuius consanguinei cardinalis vel ad cardinalatum vel ad ecclesiam et monasterium cardinales praesentes, qui illi fuerint sanguine iuncti' secedant.

Quod facta relatione ecclesiae vel monasterii in consistorio a Rev^mo proponente quilibet cardinalis possit pro informatione pro et contra dicere, et postea votadenturper fabas secretas, ut sint magis libera.

Quod cardinales, quibus non sit aliunde provisum, ut dignitatem suam sustentare valeant, sint unica tantum ecclesia contenti, quam tamen visitent quandocunque potuerint, et interea illam bene gubernari curent per suffraganeos vel vicarios.

Quod cardinalibus non commendentur perpetuo neque ad tempus beneficia curam animarum habentia.

Tollendus etiam videtur abusus introductus a Rev^mis protectoribus regnorum et provinciarum, videl. quod promovendi teneantur solvere XV ducatos pro quolibet centenario iuxta taxam camerae apostolicae, verum in eorum arbitrio | sit recognoscere cardinalem 352v
proponentem de aliquo xenio, vel saltem reducatur ad V ducatos pro quolibet centenario.

Quod omnia beneficia consistorialia, sive sint ecclesiae sive monasteria, in consistorio proponantur, unde nomen deduxere et taxata reperiuntur in libris camerae, quemadmodum et in capitulis conclavis annotatum fuit [1].

2. Quoad secundum de providendis ecclesiis et monasteriis.

Relatores diligenter informationes capiant, antequam aliquid proponant, et per testes idoneos et fidedignos. Et postquam de aliqua re relatum fuerit, ea res non expediatur statim neque in eodem consistorio, sed pro eius magnitudine et gravitate sumatur spatium ad cogitandum saltem usque ad alterum consistorium, ut ab antiquis patribus nostris fiebat, ⟨serveturque modus annotatus in concilio Lateranensi novissime celebrato de informandis capitibus ordinum⟩ [a] [2].

[b] Relationes ecclesiarum et monasteriorum non fiant per pontificem, ne aut quem ipse laudaverit, alii reprobent, aut in eius gratiam cardinales dicant, quod non sentiunt. |

[b] Eligendi, antequam promoveantur, afferant aut mittant professionem suae fidei, 353r
ne contingat haereticos aut male sentientes promoveri aut deponi.

Non dispensetur super aetate aut ceteris ⟨qualitatibus requisitis⟩ [c], nisi cum causae cognitione ⟨mature excussa in consistorio⟩ [d].

Non fiant coadiutoriae ⟨cum futura successione, cum videamus per illas eligi non coadiutores, sed successores⟩ [e]. ⟨Per haec enim et similia abutentes maiorum exemplis sumus ludibrio universo orbi⟩ [f].

Accessus non dentur neque regressus ⟨ad ecclesias cathedrales et metropolitanas etiam S. R. E. cardinalibus⟩ [g].

Resignationes ⟨ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium nec non monasteriorum⟩ [h] nisi cum causae cognitione non admittantur.

Pacta a partibus inita ⟨et concordiae quaecunque resignationem ecclesiarum et monasteriorum concernentes proponantur in consistorio et non confirmentur nisi in eodem consistorio et cum causae cognitione⟩ [i].

Novae commendae monasteriorum nemini omnino concedantur. |

[a] *add. in marg. manu Maffei.* [b] *in marg. manu Maffei* ponatur ad partem [c] *corr. ex* impedimentis [d] *in marg; del.* Nam pontifex existimare debet sibi non licere dispensare in legibus ab ecclesia conditis, nisi ex causa urgenti, necessaria et utili non privatim alicui, sed reipublicae. Ita enim convenit dispensatori fideli ab apostolo descripto. [e] *add. in marg.; del. in altera marg.* nisi in casibus a iure concessis [f] *om. Vat.* [g] *in marg.; del.* nisi in casibus a concilio Laterano novissimo contentis. [h] *add. in marg.* [i] *in marg.; del.* nisi extinguendae litis causa, et tunc etiam cum causae cognitione et nisi in consistorio recitatae fuerint, non confirmentur; *in Vat. textus corruptus est.*

[1] « Conventio inter cardinales inita de iis, ad quae teneretur pontifex eligendus », cap. 14: *Item, quod ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis consistorialibus nullo modo provideri possit aut debeat nisi per consistorium, nec litterae apostolicae seu bullae desuper aut per secretarium aut aliter expediri possint nisi per viam ordinariam. Le Plat* IV 158. De capitulis formatis per sex deputatos, sc. Salviatum, Caraffam, Crescentium, Verallum, Cibum et Camerarium, die 1. Dec. 1549 vide Massarelli diarium V, *Conc. Trid.* II 33 sqq.

[2] Scil. in constitutione *Supernae dispositionis arbitrio* edita in concilio Lateranensi V, sess. IX celebrata 5. Mai 1514, *Raynaldus* a. 1514 n. 18; *Mansi* XXXII 875; *Hefele-Hergenröther* VIII 603.

353v Concordata cum nationibus adamussim serventur, praesertim circa personarum qualitates.

Episcopi titulares non fiant nisi perraro et cum causae cognitione [a]. Videmus enim cum magna indignitate et scandalo, quanta mala oriuntur ab ordinationibus huiusmodi episcoporum.

[b] Quod promovendi in Italia existentes se conferant personaliter ad curiam, ut diligentior et melior inquisitio de eorum qualitatibus fieri possit.

Quod existentes extra Italiam, etiam, praesentati aut nominati a regibus, non admittantur nisi transmisso testimonio sui ordinarii vel illius, sub quo degere soliti sunt. ⟨Et si nuntius apostolicus praesens fuerit in curia principis, per ipsum nuntium processus fiat et⟩ [c] examen plurium testium [d], et si religiosus fuerit, ex religiosis sui monasterii, si canonicus, ex canonicis non minus octo vel decem super requisitis in cap. *Cum in cunctis* [1], ⟨nisi fuerit alias approbatus. Et nullus in episcopum promoveatur, nisi fuerit saltem in subdiaconatus ordine constitutus iuxta iuris formam⟩ [e]. |

354r ⟨Cum promoto, etiam qualificato iuxta cap. *De multa*⟩, [f] [2] non dispensetur, ut possit retinere ultra unum curatum [beneficium] vel conventuale in titulum vel commendam; reliqua dimittere teneatur.

Quod causae criminales episcoporum et aliorum superiorum cognoscantur in consistorio ⟨iuxta formam concilii Tridentini⟩ [g] [3].

Quod ecclesiae, ⟨quae quingentorum ducatorum valorem non excedunt⟩ [h], non graventur pensionibus, ⟨etiam ex causa resignationis eiusdem ecclesiae, quae quidem constitutio habeat locum etiam in S. R. E. cardinalibus⟩ [i].

Quod promotus teneatur ad ecclesiam suam accedere, ⟨si in Italia fuerit⟩ [k], infra sex [l] menses, ⟨si extra Italiam, infra annum⟩ [k] et non concedatur prorogatio [4].

Quod episcopi non residentes mulctentur [m] iuxta decretum concilii Tridentini [n] [5]. |

354v Ecclesiae nimis tenues uniantur aliis ecclesiis vicinis ⟨ita, ut⟩ [o] episcopus possit ⟨ex ecclesiae fructibus⟩ [p] honeste se sustentare [q].

3. Quoad tertium:

Cum pontifex sit administrator [r] patrimonii Romanae ecclesiae [s], nullo modo debet bona ecclesiastica alienare ⟨neque infeudare⟩ [t], sed potius alienata et distracta ab aliis recuperare, quantum potest.

Et quoniam abusus infeudandi [u] nimium iam inolevit, debet per suas literas declarare, quam peccent ii, qui talia committunt, et prohibendo in futurum infeudationes [v] providere eo modo, quo potest. Facile enim erit aliquam rationem inire, qua haec licentia infeudandi [x] refrenetur, quod nisi fiat, brevi Romana ecclesia toto suo patrimonio privabitur, ⟨sine quo spiritualia diu durare non possunt⟩ [z]. |

[a] *del.* praeter id enim, quod saepe uni ecclesiae providetur de pluribus episcopis, et quod nulla fere ecclesia est in partibus infidelium, in qua non remanserint aliqui christiani, qui egent suo episcopo; *in marg.* Videatur concilium Tridentinum. [b] *in marg.* Sit 2dum caput in ordine. [c] *add. in marg.; in altera marg.* Communicetur cum Smo D. N. [d] *del.* cleri et populi [e] *add. in marg.* [f] *add. in marg.*; *Vat. textum corrumpit.* [g] *add. in marg.* [h] *add. in marg.; Vat. falso* centum duc. [i] *add. in marg.; del.* nisi ex causa resignationis et in consistorio iuxta formam concilii Lateranensis novissime celebrati. [k] *add. in marg.* [l] *corr. ex* quattuor [m] *del.* priventur primum aliqua parte fructuum, postea maiore, demum universa. [n] *del.* quodque huius rei executio capitulis committatur et fructus, qui episcopis non residentibus adimuntur, applicentur pro tertia parte capitulo, altera pauperibus, et reliqua pro refectione ecclesiae vel sacristiae aut domus episcopalis. [o] *del.* vel eis uniantur alia beneficia ecclesiastica in eius dioecesi consistentia usque ad summam, unde [p] *supra lin.* [q] *in marg.; del.* Videretur mittendos esse visitatores per provincias atque his danda facultas corrigendi episcopos. Eligendae [essent] personae graves, doctae et moribus probatae, nec displicerent aliquibus in locis cardinales. [r] *supra lin.; deletum* dispensator. [s] *del.* non dominus [t] *supra lin.* [u] *supra lin.; del.* alienandi [v] *supra lin.; del.* alienationes [x] *supra lin.; del.* alienandi [z] *add. in marg.*

[1] Cap. 1 *Cum in cunctis* X de his, quae fiunt etc. III 11, *Friedberg* II 506.

[2] Cap. 28 *De multa* X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[3] Trid. sess. XIII de ref. cap. 8.

[4] Hic in codice deletus est alius canon: *Denique episcopi non fiant, qui verisimiliter non debeant residere aut qui residendo potius destructuri quam constructuri ecclesias videantur. Quod in forma iuramenti episcoporum addatur, quod residebunt in ecclesiis suis.*

[5] Trid. sess. VI de ref. cap. 1, *Conc. Trid.* V 802 sq.

42.

De creatione et qualitate cardinalium [1].

[Ante aestatem anni 1553].

Romae Arch. Vat. *Conc. 6* f. 355^r^-356^r^, cop. coaeva; Bibl.Vat. *Vat. lat. 11901* f. 102^v^-103^r^, cop. saec. XVII.

De numero, aetate et ceteris qualitatibus cardinalium deque modo proponendi ecclesias in consistorio.

Circa numerum cardinalium fiat limitatio, ne in infinitum multiplicentur cum scandalo universae reipublicae christianae et damno et ruina camerae apostolicae, ex cuius opibus *Conc. 6 f. 355r* sustentari de iure debent, si aliunde dignitatem suam non possunt commode et honeste tueri, id quod etiam cedit in fraudem et damnum officialium propter expeditiones, quas faciunt gratis ipsi et eorum nepotes et familiares, praeterquam quod etiam, cum sunt pauperes, coguntur supplicare etiam pro beneficiis minimi valoris, quae beneficia deberent ceteris curialibus in minore dignitate constitutis et etiam magis pauperibus conservari.

Quod statuto numero definiatur aetas cardinalibus in futurum creandis, quae non sit minor triginta annorum, sicut in episcopis a iure statutum est; etenim cardinalis maior est episcopo et etiam archiepiscopo et patriarcha dignitate et officio [2], licet quantum ad ordinem episcopo non maior videatur, et propter facultatem, quam habet eligendi Christi vicarium, et eo etiam attento, quod cum est cardinalis, potest eligi in summum pontificem, quod non convenit ei, qui est minor triginta annis.

Insuper provideatur, quod non possint esse duo cardinales fratres eodem tempore nec patruus et filius fratris vel avunculus et filius sororis et reliqua eiusmodi, quae inducunt in collegio sede vacante sectas et impressiones quasdam in creatione pontificis. Nec allegetur exemplum Christi et apostolorum, quia non omnes sunt Christus et apostoli, cum maxime etiam leges saeculares prohibeant in eodem senatu duos de eadem familia | vel 355v cognatione esse, nedum tam proximo gradu coniuncti admitti possint.

Quod cardinales sint presbyteri aut diaconi, aliter non habeantur procardinalibus neque possint dare vocem in electione pontificis, sicut etiam est a iure statutum.

Quod eant in habitu suo, non sint absentes a curia nisi per moderatum tempus et de licentia S. S^tis^.

Quod S. S^tas^ non proponat ecclesias in consistorio propterea, quod cardinales reverentur S. S^tem^, sicut debent, et non audent ei contradicere. Et simul, cum S. S^tas^ proponit, non habentur cedulae de solvendo iura collegii et officialium, immo id variis modis et artibus evitant, ita ut nunquam debita collegio persolvantur.

Bonum esset providere, quod cessarent protectiones principum, aut saltem, quod proponerentur ecclesiae et monasteria per ordinem et per turnum, ut quilibet ex cardinalibus sine passione et affectione posset proponere veritatem et partem suam facere. Et quod propositiones, quae debeant fieri in consistorio, notificentur per unum consistorium ante a debentibus proponere prioribus trium ordinum, qui aliis significare debeant, ut tunc sequenti consistorio, si personae videbuntur idoneae, possint proponi, sicut etiam in Lateranensi concilio est constitutum [3].

Quantum ad regressus ecclesiarum et fructus videntur [a] cardinales reformandi simul cum reformatione datarii et signaturae gratiae, ut possint illi quidem | reformari, sed tamen 356r prae ceteris privilegiati existant, et maxime, cum in eis non cadat simonia sive mali exempli suspicio, quia gratis expediunt.

Item fiant cardinales literati; etenim si simplices clerici literati esse debent, alias non modo non promoventur, sed etiam de iure a gradu deiiciuntur, quanto magis hoc est in cardinalibus faciendum.

[a] *Cod.* serventur

[1] Huius quoque tractatus auctor ignoratur. Quoad tempus vide, quae ad n. 41 adnotavimus.

[2] Cfr. *I. B. Sägmüller*, Die Tätigkeit u. Stellung der Cardinäle bis Papst Bonifaz VIII (Freiburg 1896) 194 sqq.

[3] Vide supra n. 41, p. 201 adn. 2.

43.

Bulla S[mi] D. N. Iulii III de reformatione conclavis exhibita cardinalibus ad censurandum [1].

[Mense Martio 1553].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 143^{r}-146^{v}, exemplum card. de Carpis; *Vat. lat. 12199* f. 222^{r}-226^{v}, cop. coaeva; Arch. Vat *Conc. 78* f. 326^{r}-330^{v}, cop. coaeva sine capitum inscriptionibus; *Conc. 78* f. 319^{r}-323^{r}, cop. coaeva cum titulis et correctionibus.

Vat. lat. 12127 f. 143^{r} Iulius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In eligendis ecclesiarum praelatis, quibus non humana et mortalia, sed divina ministeria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur antiquorum patrum nostrorum sacratissimae leges, quas illi magna severitate de episcoporum et aliorum praelatorum qualitate ediderunt, propterea quod a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, ecclesiastica disciplina, denique animarum eis commissarum salus proficisceretur, a malis vero contra non nisi mala, nempe avaritia, negligentia, fastus et animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet ecclesiarum pastoribus tantopere providendum est, ne quis assumatur indignus, maiorem certe et perspicaciorem diligentiam in Romano pontifice eligendo, qui ceteris pastoribus est praefuturus et totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi. Hac sancta meditatione permoti praedecessores nostri et praesertim fel. rec. Alexander III[2], Gregorius X[3], Clemens V[4] et Iulius II[5] nonnullas constitutiones sanxerunt ad providendum, ut summorum pontificum electiones libere, recte et mature fierent.

Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas assidue retineat et conservet[a], factum esse hac nostra tempestate videmus, ut post tot constitutiones multi tamen abusus partim veteres propter earum constitutionum desuetudinem, partim de novo irrepserint, et[b] nisi de ecclesia, priusquam altius radices figant, evellantur, grave quandoque damnum gignere possint. Quare ut ipsos abusus quantum cum Deo possumus tollamus et ob praeteritorum experientiam futuris casibus et periculis occurramus, eorundem praedeces-

[a] *Conc. 78 f. 319^{r} in marg. pro iis, quae sequuntur, hanc habet formam:* Verendumque sit, ne aliquando propter earum constitutionum desuetudinem suborti abusus, nisi severioribus legibus coherceantur, longius serpant et progrediantur, nos, quantum cum Deo possumus, futuris casibus et periculis occurrere volentes eorundem praedecessorum nostrorum constitutiones tum innovando tum declarando, et quae rerum et temporum necessitas requirit, supplendo de fratrum nostrorum unanimi consilio atque assensu definimus, statuimus et ordinamus [b] *Conc. 78* ut

[1] Constitutionis *In eligendis* editae sub Pio IV die 9. Oct. 1562 (*Bull. Rom.* VII 230-236) forma prima (= I), quae incipit *Ad universalis*, anno 1550 a Maffeo et de Medicis cardinalibus composita (cfr. Acta consist. n. 32, IX et XI), apud *I. B. Sägmüller*, Die Papstwahlbullen u. das staatliche Recht der Exclusive (Tübingen 1892) 285-291, typis extat; propterea eam praetermittimus. Quam nos primo loco exhibemus, forma secunda (= II) est iuxta card. Maffei imprimis consilia emendata (*Conc. 78* f. 236^{r}-238^{v}), quam ante oculos habebant cardinales, qui annis 1553 et 1554 vota sua dederunt (cfr. n. 32, XVII et XVIII et rubricam Massarelli *Vat. lat. 12127* f. 143^{r}, infra n. 41). Quae forma secundum cardinalium vota in multis locis emendata vel potius moderata, ut exemplaria in codicibus *Conc. 78* f. 314^{v}-318^{v} et *Vat. lat. 12127* f. 132^{r}-135^{r} (sub data 10. Nov. 1554) conservata necnon Panvinii copia, quam licet mendosam *Sägmüller* l. c. 291-298 typis dedit, testantur, die 12. Nov. 1554 in consistorio lecta et, capite de victu cardinalium agente denuo aptato (*Conc. 78* f. 325^{r}) approbata est (forma tertia = III, infra n. 44), sed non promulgata, ita ut post mortem pontificis de eius validitate dubitaretur (n. 32, XXV). Marcellus II paulo post suam ad pontificatum assumptionem denuo, quid cardinales praecipui sentirent de bulla, per Massarellum exquisivit. *Conc. Trid.* II, 257. Demum sub Pio IV anno 1560 forma quarta (= IV) orta est (apud *Sägmüller* l. c. 298-307), quae postremam immediate antecessit, pro cuius origine cfr. quae ex scripturis cardinalis Moroni cod. *Vat. lat. 12199* f. 234 sqq. continet.

[2] C. 6 *Licet de vitanda* X de elect. I 6, *Friedberg* II 51 (1179).

[3] C. 3 *Ubi periculum* in VI° de elect. I 5, *Friedberg* II 946 sqq. (1274). *O. Joelson*, Die Papstwahlen des 13. Jahrhunderts bis zur Einführung der Konklaveordnung Gregors X (Berlin 1928).

[4] C. 2 *Ne Romani* Clem. de elect. I 3, *Friedberg* II 1135 sq. (1310-11).

[5] Constitutio *Cum tam divino* die 14. Ian. 1506 promulgata, *Bull. Rom.* V 405 sqq.; *Raynaldus* a. 1506 n. 1; cfr. *Pastor* III 2, 876 sq. (de commentariis Andreae Gammari etc.).

sorum nostrorum constitutiones tum innovando, tum declarando et, quae temporis necessitas requirit, supplendo de fratrum nostrorum unanimi consilio atque consensu definimus, statuimus et ordinamus:

1. Exequiae demortui pontificis non intermisso tempore superfluisque omissis impensis peragantur.

Ut, cum in alma Urbe Romanum pontificem de hac vita migrare contigerit, cardinales praesentes prima statim die aut ad summum altera post diem mortis eius exequias peragere incipiant et eas nullo die, etiam festo, nisi dominicis et maioribus solemnitatibus intermittant et, ne quid impedimento esse possit, quominus exequiae ipsae quantocitius absolvantur, simulque ut impensis superfluis, quae iam in immensum creverunt, modus ponatur, volumus, ut castro doloris et omnibus superfluis prorsus omissis funus simplicius quam consueverit fiat, ita ut in eo sex millium ducatorum summam pannis lugubribus et regalibus ac aliis omnibus omnino computatis impensa non excedat. |

2. Ne peractis exequiis ingressus cardinalium in conclave nisi ex causa differatur, quaeque aut non intrantium aut absentium ratio haberi debeat. 143v

Finitis vero exequiis conclavis ingressus ulterius nisi ex causa a duabus partibus cardinalium praesentium per secreta suffragia probanda prorogari et differri nequeat, sed sequenti die missa de Spiritu Sancto celebrata, sive cardinales absentes venerint sive non, qui fuerint praesentes, statim conclave ingredi teneantur, et ius eligendi ⟨penes ipsos ingredientes sit et remaneat, et si qui non intraverint, constitutio Gregorii X in concilio Lugdunensi edita cum eis servetur, declarantes nihilominus, postquam cardinales praesentes aliis cardinalibus ex quacunque etiam publica causa, etiam cum licentia Romani pontificis absentibus ulterius non expectatis, conclave (ut praefertur) ingressi fuerint et ad electionem processerint, electio huiusmodi ex itineris aut alterius etiam probabilis et notorii ipsorum cardinalium absentium impedimenti praetextu impugnari minime valeat⟩ [a], cum cardinales apud summum pontificem et in Romana curia residere teneantur et publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi praeferri debeat, districte prohibentes quibusvis personis cuiusvis status aut dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, etiamsi cardinalatus aut imperiali vel regali honore aut maiestate praefulgeant, ac eorum oratoribus vel nuntiis sub excomunicationis latae sententiae poena, quae per solum Romanum pontificem extra mortis articulum relaxari valeat, ne contra praemissa etiam per viam protestationis aut alias quovismodo aliquid attentare audeant vel praesumant. Quod si secus forsan quavis auctoritate scienter vel ignoranter ante vel post electionem (ut praefertur) faciendam factum fuerit, illud utpote contra sacros canones et libertatem ecclesiasticam irritum et inane ac nullius roboris vel momenti fore decernimus.

3. De potestate collegii cardinalium sede vacante.

Vacante vero sede collegium cardinalium in iis, quae ad Romanum pontificem dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat neque gratiam neque iustitiam faciendi aut factam per pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia [b] futuro pontifici reservare teneatur, neque de statu temporali Romanae ecclesiae neque de pecuniis camerae apostolicae aut datarii, etiam pro solutione debitorum ante obitum pontificis quomodolibet contractorum aut pro familiae eiusdem pontificis post peractas exequias victu vel alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quicquam disponere possit, neque camerarius, thesaurarius, datarius, depositarius, castellani aut alii officiales contra harum constitutionum tenorem collegio obedire teneantur, imo si ei in talibus obtemperaverint aut ipsi etiam ex eorum officiis contra | praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo 144r proprio camerae apostolicae plenarie satisfacere et quaecunque damna ad eligendi pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit, erit praefata sex millium ducatorum summa; item ubi de defensione terrarum ecclesiae vel partis earum ageretur et pro custodia Urbis et conclavis illiusque fabricae et aliis provisionibus necessariis et opportunis, quo electio novi pontificis cito et libere fiat. Qui vero numerus militum conscribendus, qui dux et capitanei eligendi, et quae impensa pro defensione terrarum et locorum ecclesiae et securitate conclavis facienda sit, cardinales praesentes per secreta suffragia statuere debeant,

[a] *Verba a Maffeo proposita Conc. 78 f. 238^r.237^r.* [b] *Vat. 12199* omnino; *Vat. 12127 cor[illegible]s.*

ita ut maioris partis sententia obtineat, id quod observandum erit etiam in gubernatoribus Urbis tam ultra pontem quam citra et in omnibus aliis officialibus eligendis, dummodo dux et capitanei huiusmodi alicuius cardinalis consanguinei aut affines intra tertium gradum non sint neque eius sumptibus vivant. Si vero ultra praefata aliquod grande periculum immineret, cui omnibus et singulis cardinalibus praesentibus concorditer et nemine discrepante videretur celeriter occurrendum, postquam ita omnibus et singulis visum fuerit, tunc collegium iuxta maioris partis sententiam per secreta suffragia de remedio opportuno providere possit et debeat.

4. Qui ante conclavis ingressum ius cardinales congregandi congregatisque opportuna proponendi atque, ut ipsum conclave fideliter claudatur, curam habituri sint.

Statuimus etiam, quod tres cardinales seniores, unus videlicet ex quolibet ordine, una cum camerario et aliis, si qui a collegio cum eis deputarentur, post pontificis obitum ius congregandi reliquos cardinales habeant et occurrentes necessitates in congregationibus generalibus, quae quotidie, dum exequiae peraguntur, post missam celebratam fiunt, proponant et, ut conclave bene undique claudatur, curent. Ipsorum autem officium post conclavis ingressum omnino expiret eorumque loco alii de quolibet ordine tertio quoque die in orbem cum eadem potestate eligantur.

5. De officio et potestate camerarii maiorisque poenitentiarii sede vacante.

Camerarii vero et maioris poenitentiarii officia, quae etiam sede vacante durant, ita durare declaramus, ut ea dumtaxat facere valeant (iis tamen, quae praesenti constitutione prohibentur, exceptis), quae vivente pontifice facere soliti erant, non autem, ut ea usurpent,
144v quae eodem pontifice vivente exercere communiter non consueverant, | seu a quibus pro eiusdem pontificis reverentia aut alias quomodolibet abstinebant; alioquin in quibus contrafecerint, ea nulla et irrita fore et nemini suffragari decernimus.

6. Pontificis obitu datarii ministerium expiret.

Datarii vero ministerium per eiusdem pontificis obitum omnino expirare volumus, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascunque supplicationes gratiarum et iustitiae penes eum aut eius ministros adhuc existentes, etiam si iam datae fuerint, collegio statim sub sigillo clausas praesentare teneatur. Quod si contra praemissa quicquam ad cuiusvis, etiam cardinalis, instantiam attentare praesumpserit, irritum et inane existat [a] et nihilominus falsi crimen incurrat, illius rationem futuro pontifici redditurus.

7. Praesidentes custodiae conclavis immediatas circa conclave habitationes omnemque procul a parietibus fraudem sollicite prohibeant.

Post conclavis autem ingressum interdicimus et expresse prohibemus sub officiorum ac beneficiorum privationis poena atque etiam sub alia arbitrio gubernatoris Burgi infligenda, ne quis immediate supra aut infra conclave seu a lateribus habitare vel morari possit, quae loca muris claudi et a praesidentibus custodiae conclavis et a dicto Burgi gubernatore saepius visitari debeant; et si qua fraus fiat, teneatur dictus gubernator sub periurii et suspensionis a divinis poena eo ipso incurrenda delinquentes huiusmodi carcerare et acriter punire et nihilominus eosdem collegio cardinalium revelare. Qui vero in ipsius conclavis muris aut laquearibus seu pavimentis vetita foramina faciunt aut fieri mandant, ultra praefatas poenas per curiam saecularem gravissime puniantur, et conscii de praemissis eadem poena teneantur, nisi statim revelaverint collegio cardinalium, si intra conclave fuerit, si vero extra conclave, gubernatori et praelatis praefatis, qui statim sub eisdem poenis providere teneantur.

8. De numero et qualitate personarum singulis cardinalibus in conclavi servientium.

Cardinales autem in conclavi sint contenti singuli duobus servientibus clericis vel laicis, prout duxerint eligendum, infirmis [b] tamen affectis graviter a maiori parte collegii per secreta

[a] *Conc. 78 f. 321r* praexistat; *Conc. 78 f. 328r* existet [b] *sic! Videtur leg.* infirmitate

suffragia tertius ad summum indulgeri potest. Qui servientes familiares domestici esse debeant illius cardinalis, cum quo | intrant, et non mercatores mensarii, ministri principum, 145r domini temporales aut iurisdictionem habentes sive alio modo illustres viri neque fratres neque nepotes cardinalium, etiam quod omnes suprascripti vellent eis inservire et quod impensis cardinalium viverent; et de qualitatibus conclavistarum huiusmodi cardinales deputati ante conclavis ingressum diligentem inquisitionem habere et eos approbare debeant.

9. De conclavis officialibus personisque in eo communiter servientibus.

⟨Sacrista quoque cum duobus clericis coadiutoribus in officio sacristiae et uno serviente⟩[a] duoque magistri ceremoniarum cum singulis servientibus tantum conclave ingrediantur, missis celebrandis et aliis, quae ad ipsos pertinent, inservituri. Adsit praeterea unus collegii secretarius tantum, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus famulis, unus faber lignarius, unus cementarius, ⟨duo barbitonsores cum uno aut duobus⟩[a] servientibus. Item ⟨sex aut octo servientes⟩[a] publicae commoditati et necessitati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi et similibus necessariis ministrandis. Qui omnes a collegio per suffragia secreta, dummodo non ex familia alicuius cardinalis, eligantur, et eis salaria de publico persolvantur. Quod si ultra praefatas personas in conclavi aliquis reperiatur, expelli statim debeat, et si quis uspiam se occultasse deprehendatur, praeter id quod expellendus est, infamiae notetur et officiis ac beneficiis privetur. Conscii vero sub eadem poena illos collegio revelare teneantur praemium reportaturi, si indicaverint.

10. Colloquia non nisi ex causa aut personae aut literae alicuiusque[b] generis notae intra vel extra conclave admittantur.

Clauso igitur conclavi nulli ad colloquium, etiam extra portam conclavis, etiam principum oratores, nisi ex magna et urgente causa a maiori parte collegii per secreta suffragia approbanda admittantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum conclave et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu et ordine ipso facto privatus existat et tradatur aut relinquatur curiae saeculari acerrimis poenis puniendus; literas vero aut cuiusvis generis scripta ad eos, qui in conclavi sunt, seu nuntium vel notam aut signum aliquod mittere sive recipere aut contra e conclavi ad illos, qui foris sunt, nullo modo liceat. Qui contrafecerint, quacunque dignitate praefulgeant, poenae excommunicationis latae | sententiae 145v subiaceant, absolvendi facultate praeterquam in mortis articulo soli Romano pontifici reservata.

11. De victu cardinalium in conclavi.

Victus autem cardinalibus primis quinque diebus indifferenter concedatur, dein per quindecim dies tam in prandio quam in cena sint uno ferculo unius speciei contenti, nec quisquam in alterius cella vel de alterius ferculo vescatur, si vero (quod absit) dictis diebus quindecim adhuc non fuerint in electione concordes, ad panem, vinum et aquam iuxta Gregorii X constitutionem[1] redigantur, donec tandem inter eos convenerint.

12. Exacta inquisitio epulis ceterisque rebus et personis in conclavi recipiendis per custodes adhibeatur.

Volumus quoque, ut praelati et reliqui ad custodiam conclavis deputati sub periurii et suspensionis a divinis poena maxima et exquisita diligentia utantur in perquirendis epulis et aliis rebus et personis conclave intrantibus et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine literae aut notae vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares cardinalium vel alii delinquentes ultra poenam periurii et inhabilitatis ad obtenta et obtinenda [beneficia] per saeculares magistratus carceribus mancipentur, exinde nisi de mandato novi pontificis[c] relaxandi, omni facultate collegio cardinalium in favorem quorumcunque, qui in praemissis omnibus et singulis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

13. Conclave semel clausum nisi ex causa minime mutetur.

Neque liceat cardinalibus, postquam ingressi fuerint, conclave mutare nisi ex urgentissima et necessaria aliqua causa ab omnibus et singulis approbanda.

[a] *Verba a Maffeo proposita Conc. 78 f. 237v.* [b] *corr. ex* aliusque [c] *Conc. 78 add.* minime

[1] Cfr. supra p. 204 adn. 3.

14. De cardinalibus et conclavistis infirmis e conclavi exeuntibus.

Si qui vero infirmitatis causa de conclavi exierint et deinde reversi iterum exierint, nisi de consensu maioris partis amplius reverti non possint. Conclavistae autem et quaecunque aliae personae conclave infirmitatis causa exeuntes nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi ipsi exeunt, ingredi valeant.

15. De scrutinio et accessu. |

146r Mandamus etiam ac statuimus, ut primo die postquam conclave clausum fuerit, sine ulla omnino retardatione ad scrutinium procedatur, quod singulis diebus etiam festis fiat, quodque etiam in primo scrutinio accedere liceat, nec per accessum videatur quis discedere aut resilire a voto iam dato, sed eum, ad quem accedit, aliis a se nominatis aggregare.

16. Conspirationes privataeve congregationes aut conventicula et[a] alicuius generis ambitus seu prensationes in conclavi non fiant.

Illud autem in primis districte cardinalibus interdicimus et sub divini interminatione iudicii et excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi a futuro Romano pontifice absolvi possint, prohibemus, ne in ipso conclavi conspirationes vel conventicula vel privatas congregationes facere audeant, sed tantum congregationes generales in loco ad id deputato legitime habeant, in quibus quidem congregationibus palam de electione tractare et alias omnibus audientibus libere loqui liceat, quemadmodum sanctis legibus permittitur. Ambire vero et prensare per se vel per alium vota ad suimetipsius vel alterius electionem, quod sanctis patrum nostrorum constitutionibus apertissime prohibetur[1], non solum vetamus, verum etiam nec exquiri quidem licere volumus, cui aut quibus suffragari aliquis cogitet in proximo aut in futuris scrutiniis, nec ei, qui de tali re interrogatus esset, licere eius votum patefacere verbo, scripto aut nutu nec per se nec per alium quoquomodo, cum his artibus constet condicta practicas et cetera illicita saepe fieri electionemque retardari et minus libera suffragia ferri. Qui contra fecerint, divinae noverint se ultioni subiacere. Excommunicationes autem supradictae ipsum solum afficiant, qui deliquerit, et non alios cum eo conversantes durante illo conclavi, etiam in sacris[b].

17. Ad custodiam conclavis deputati curent sua auctoritate, ut omnia huius constitutionis decreta sine dolo et fraude observentur.

Quia vero parum esset iura condere, nisi forent, qui ea executioni demandarent, statuimus et ordinamus, ut praelati, rectores et officiales Urbis ac principum oratores et illustres viri, quos a collegio pro custodia conclavis eligi continget (eligere autem collegium debebit
146v eos, qui ad id magis idonei | videbuntur) praemissa omnia plene et inviolabiliter ac sine fraude et dolo aliquo observari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipso collegio ante ingressum conclavis praestare teneantur, quae quidem nisi fecerint vel si in eis fraudem vel dolum commiserint, praemissas poenas et ceteras in dicta constitutione Gregorii X contentas incurrant. Volumus autem neque per praelatos neque per rectores aut officiales praefatos ultra quam praemittitur cardinales arctari.

18. Praesentem constitutionem nullo modo cardinales immutent.

Neque praesentes has nostras constitutiones per collegium cardinalium ullo modo alterari, corrigi aut immutari posse, sed coram omnibus de verbo ad verbum semper in omni conclavi legi et iurari eo modo, quo leguntur et iurantur constitutiones Iulii II et aliorum praedecessorum nostrorum.

19. Leges de hac eadem re antea latae minime infirmantur.

Quorum constitutionibus et poenis in eis contentis per hanc nostram sanctionem derogare non intendimus, sed magis eas confirmare innovare et comprobare.

[a] *corr. ex* neve; *antea enim in principio habebatur* Ne conspirationes etc.; *Conc. 78* seu [b] *Conc. 78* divinis

[1] Ex. gr. constitutione Symmachi anno 499 promulgata c. 3, *Mansi* VIII 232; *Mon. Germ. hist.* Auctores antiquiss. XII 403; Epp. Rom. pont. ed. *A. Thiel* 645 sq.

20. Cardinales praetextus censurarum ex hac lege fortasse incurrendarum a pontificis electione excludi nequeant.

Et ne dissensionis occasio aut schismatis inter cardinales oriatur, volumus censurarum et excommunicationum praedictarum praetextu cardinales a pontificis electione active vel passive excludi nullo modo posse, quas quidem excommunicationes et censuras ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus ac suspensas esse volumus et declaramus.

Vota Rev^{morum} et Ill^{morum} DD. cardinalium in bulla Iulii III super reformatione conclavis [cum summariis Massarelli] [1].

Mense Martio 1554.

A. Card. Bellaius [2]: Capita quaedam selecta ex extravaganti concepta ad reformationem conclavis.

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 139^{r}-140^{r}, or

In primo capite [a].

Ut cardinales praesentes primo statim die aut ad summum altero post mortem S^{mi} pontificis exequias peragere incipiant etc. Mihi videtur praepropera festinatio neque puto tam repente rite atque ordine fieri posse. *Inter superfluas impensas auferatur castrum doloris.* Exterorum longe hic maxima est copia, qui sciunt apud suos castrum doloris etiam episcopis insignibus concedi; quod si denegatum videant S^{mo} pontifici, verendum est, ne aliquid ad eorum opinionem detrahatur de maiestate huius sanctae sedis; denique pusilla est impensa neque moram afferre potest apparatus castri quam diei unius. *Vat. lat. 12127* f. 139^{r}

In secundo capite.

Constitutio Gregorii X in concilio Lugdunensi servetur quoad cardinales absentes. Fortasse expediret magis hic specifice tractari de ea constitutione, praesertim de ingredientibus post conclave coeptum; videtur enim ea constitutio esse aliquantum sui dissimilis initio ipso et fine. Praeterea advertendum est, quod constitutio illa non dat quidem privilegium absentibus, sed non etiam tollit. Sed videat S. S^{tas}. Nam quod attinet ad absentes excludendos, mihi est indifferens.

In cap. 3.

Collegium nullam habere iurisdictionem in iis, quae ad pontificem pertinebant, dum viveret. Omnem omnibus auferre iurisdictionem tam praecise videtur periculosum. Clementina enim *Ne Romani* [3], unde haec apparet sumi, quantumvis severa sit, tamen limitat suum rigorem his verbis: *nisi quatenus in constitutione praedicta* (quae est illa *Ubi periculum*) [4] *coetus duxerit exercendum.* Cogitandum itaque hic puto. Quid enim, si sedem vacare contingeret nunc annum, | nunc biennium aut sexquiannum, ut decies vidimus contigisse? 139^{v}

[a] *Capitum numeri in hoc voto necnon in sequentibus a Massarelli addita sunt.*

[1] Ex inscriptione a Massarello ipso addita apparet haec cardinalium vota non anno 1553 data esse, quo pontifex in consistorio semel atque iterum instabat (cfr. n. 31, XVII et XVIII), sed anno 1554 ineunte, cum reformatio generalis ad finem fere perducta esset. Praeter originalia, quae ex codice Bibliothecae Vaticanae *Vat. lat. 12127* (antea Archivii Vaticani *Arm. XI tom. 45*) desumimus, votorum exempla saec. XVII exarata in codicibus Bibl. Vat. *Vat. lat. 6111* f. 293^{r}-314^{v} et Arch. Vat. *Borgh. I 154* f. 9^{r}-29^{r} extant; unicum Cesii cardinalis votum nonnisi in Arch. Vat. *Conc. 78* f. 304^{r} asservatur.

[2] Iohannes de Bellayo ep. Parisiensis, creatus cardinalis 20. Maii 1535 una cum Contareno, paulo ante (11. Dec. 1553) in ep. Portuensem translatus, ab anno 1546 ad a. 1549 et denuo ab anno 1550 Romae Gallorum causas agebat; † 1560. *Van Gulik-Eubel* III 26; Lexikon f. Theologie u. Kirche II 129 sq., litterae eius inveniuntur apud *Ribier*, Lettres et mémoires I et II (Parisiis 1666); *V. L. Bourrilly-P. de Vaissière*, Ambassades en Angleterre de I. du Bellay (Paris 1905).

[3] C. 2 Clem. de elect. I 3, *Friedberg* II 1135 sq.

[4] C. 3 in Sexto de elect. I 5, *Friedberg* II 946 sq.

Si grande aliquod periculum accideret terris et locis ecclesiae, statui debere ab omnibus et singulis cardinalibus concorditer nemine discrepante, an occurri debeat; postmodum a maiori parte de remedio opportuno provideri. Vereor, ne hoc perniciem afferre per occasionem possit sedi apostolicae. Nam fieri posset, ut unus aliquis cardinalis cuperet hanc aut illam urbem vel arcem per suos occupari vel saltem, ut conniveret, id quod usu venisse vidimus non ita valde magno intervallo [1]. Quod, si accideret, quo loco sitae essent res nostrae? Convenit, fateor, constitutio ista cum ea, quae est c. *Ubi periculum*, sed fortasse eo tempore non ea adhuc inciderant, quae vidimus incidere, neque eo usque processerat audacia hominum; leges autem mutantur pro ratione rerum ac temporum.

In cap. 4.

Post conclavis ingressum per cardinales munera administrari debere per ordinem et in orbem eligi. Non satis fateor hoc me intelligere. Nam si per ordinem veniunt cardinales ad administrationem rerum, quomodo per electionem? Atqui decani auctoritatem stare debere existimo neque ipsius ut ceterorum auctoritatem mutari.

In cap. 7.

Cardinales duo tantummodo habere conclavistas, nisi infirmi sint. Non esset fortasse absurdum, si sexagenarii tres haberent, etiam ut nullo alio morbo laborarent quam ipsa senectute.

In cap. 11.

Post dies quindecim cardinales redigantur ad panem et aquam. Hoc fortasse duriusculum. Nam quo tempore introductum id fuit, levius ferebant cardinales inediam, quod
140r non tam essent quam sunt assueti cibis delicatioribus. Verum de tota ratione victus aliquid vellem excogitari, quomodo id servetur, quod statuendum est. Nam si aliis conclavibus norma, quae erat laxior, semper violata est, quid de arctiore, quae proponitur, sperari potest, nisi adhibita maiore aliqua cautione, non video.

Satius duximus his adnotatiunculis ineptire quam videri mandato S[mi] D. N. toties repetito morem minime gessisse.

Io[hannes] card. Bellaius.

B. Card. de Carpo [2].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 143r-146v, notae marg. ad bullam.

[Cardinalis in margine omnium capitum ponit *Laudo* vel *Approbo* vel similia, praeter sequentia.]

[In cap. 2].

143v Pontifice in Urbe decedente nulla [ratio] videtur esse posse tam gravis, ut ob eam debeat ingressus et electio retardari. Idcirco ad tollendum omnem occasionem dilationis (qui est scopus bullae) arbitrarer statim peractis iustis absque ulla cuiusvis causae exceptione ingrediendum esse [conclave] nec super ea in suffragiorum ratione periclitandum. Quod si placet id fieri, videretur debere causa tam urgens et perspicua esse, ut a toto collegio nemine discrepante (quod etiam in sequenti capite constituitur) vel saltem a tribus eius partibus comprobaretur.

[In cap. 4].

144r Providentiam hanc potestatem congregandi penes plures constituentem tanquam alia ratione tutiorem laudo.

[In cap. 16].

146r Cum notum sit huiusmodi poenam plerumque parum timeri ab aliquibus et parvipendi solere, ne volentibus male agere male agendi facultas relinquatur, videretur opportunum ad censuras aliquam quoque aliam coerci[ti]onem, quae fortasse pluris fieret, adiungere.

[1] Alludere videtur auctor ad Alexandri Farnesii cum fratre Octavio tacitum consensum in occupatione civitatis Parmensis a. 1549. *Pastor* V 674 sq.

[2] Rodulphus Pius de Carpo (Carpensis), ex illustri comitum Carpensium familia ortus et nepos Alberti Pii, qui contra Erasmum scripserat (*Lauchert* 279 sqq.) a. 1528 ep. Faventinus, die 22. Dec. 1536 cardinalis creatus diu cum card. Caraffa et Cervino inquisitoris generalis munere fungebatur, *vir magnae virtutis, doctrinae et prudentiae*; † 1564. *Van Gulik-Eubel* III 27; *G. Buschbell*, Reformation u. Inquisition in Italien (Paderborn 1910) passim.

[In cap. 20].

Quamvis videretur cum his severius agendum, quemadmodum in 16. cap. tetigi, tamen existimans hanc rem a S^{mo} D. N. diligenter perpensam et examinatam fuisse et ad scandala evitanda sic constitutam, non possum non me S^{tis} Suae prudentissimo iudicio, quod et in reliquis omnibus facio, remittere.

⟨R[odulphus] card. de Carpo⟩ [a].

C. Card. Moronus: Animadversiones super extravaganti constitutione S^{mi} D. N. Iulii III pro reformatione conclavis.

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 147^r-148^v, or; *Vat. lat. 12199* f. 229^r-231^v, min. cum notulis cardinalis

In primo capite.

Primo constitutio in eo tantum casu disponit, quo pontifex in Urbe mortem obiret. Videtur itaque amplianda, etiam si extra Urbem vita fungatur, iuxta constitutionem Gregorii X *Ubi periculum*, ne alias constitutio praesens videatur localis et defectiva in alterum casum; ideo videretur dicendum « Cum in alma Urbe vel alibi Romanum pontificem de hac vita etc ». 147^r

In secundo capite.

Dum dicitur, quod exequiae quanto citius finiantur, et eis finitis non differatur ingressus conclavis, advertendum est, quod exequiae possent finiri etiam infra decem dies, et sic fieret ingressus conclavis in praeiudicium cardinalium absentium, qui debent exspectari per decem dies. Videtur itaque statuendus certus terminus decem dierum, et interim fiant exequiae, ne beneficium iuris cuiquam auferatur; nec videtur aequum revocare constitutionem conciliarem dicti c. *Ubi periculum*.

Dum dicit ingressum conclavis posse differri etiam post finitas exequias ex causa probanda a duabus partibus cardinalium, advertendum, quod ista dilatio est contra finem maturandae electionis et ideo rectius omitti posset, statuendo indistincte, quod post decem dies ab obitu pontificis cardinales praesentes omnino conclave ingrediantur iuxta constitutionem Gregorii *Ubi periculum*.

In tertio capite.

Dum dicit non posse expendi de pecuniis camerae apostolicae ⟨nisi | in casibus exceptis⟩ [b] 147^v etiam pro victu familiae eiusdem pontificis, videtur excipiendus etiam hic casus pro honore summi pontificis et sedis apostolicae, et ne addatur afflictio afflictis, qui grati et familiares fuerunt pontifici defuncto [c].

Dum dicit, quod capitanei pro custodia conclavis et defensione terrarum ecclesiae non possint esse consanguinei cardinalium etc. : Istud videtur omittendum non respectu Urbis et conclavis, sed respectu defensionis terrarum ecclesiae, quia vix invenietur aliqua civitas ecclesiae, in qua affines cardinalium non obtineant primum locum et optime possint prodesse rebus ecclesiae, et illis etiam videtur magis fidendum.

In quinto capite.

Dum dicit, quod camerarius et poenitentiarius non possint ea usurpare, quae non consueverant exercere communiter vivente pontifice. : Istud videtur omittendum [d], quia fortasse sedes posset longo tempore vacare et hoc esset in maximum dispendium animarum et regiminis terrarum ecclesiae. Sed admonendi serius essent Rev^{mi} poenitentiarius et camerarius, ne tali abutantur potestate sub periculo offensae futuri pontificis.

In octavo capite.

Dum dicit, quod affectis graviter infirmis possit concedi tertius serviens a maiore parte collegii per secreta suffragia, videtur, quod sufficeret licentia a tribus deputatis [e].

[a] *Manu propria cardinalis* [b] *Min. add. in marg.* [c] *Min. del.* dum dicit posse expendi de pecuniis camerae apostolicae pro aliis provisionibus necessariis et opportunis pro maturanda electione, videretur rectius omitti, ne detur occasio expendendi effuse sub hoc praetextu, et ideo melius esset exprimere omnes casus, in quibus expendi possit. [d] *Min. supra lin.; del.* relinquendum dispositioni iuris communis. [e] *Min. del.* Dum dicit, quod servientes cardinalium non possint esse fratres neque nepotes eorum, videtur debere relinqui libero arbitrio cardinalium, quos velint adducere, dummodo sint domestici eorum.

Dum dicit, quod omnes conclavistae cardinalium debeant approbari a tribus deputatis, videtur contrarium praecedentibus, dum arbitrium eligendi relinquitur cardinalibus, et ideo |
148r videtur sufficere, quod dicti tres deputati diligentem inquisitionem habeant de conclavistis et non admittendos repellant, et quod quilibet conclavista obtineat schedulam pro ingressu.

In decimo capite.

Dum dicitur, quod nulli admittantur ad colloquium clauso conclavi nisi ex magna et urgenti causa, videtur addendum « iudicio trium deputatorum ».

Quod recipientes litteras sive nuntium intra vel extra conclave incurrant poenas excommunicationis, videtur durum, cum ipsi recipientes non dederint causam nec sit in eorum potestate, quod alii scribant, nec cuiquam possit imputari, quod audierit nuntium vel forte legerit scripturam, si forte ignorasset unde venirent, et ideo esset addendum « sed teneatur deputatis manifestare sub poenis etc. ».

[In] capite decimoquarto.

Quod cardinales bis egressi causa infirmitatis non possint amplius admitti nisi de consensu maioris partis, videtur iniquum, et ideo, cum eadem sit causa in secunda quae in prima, debent indistincte admitti, quia non est verisimile, ut fraus in re manifesta committatur.

In capite decimoquinto.

⟨Ubi dicit de scrutinio et de accessu, videretur exprimendum, quod etiam eadem die ad unum vel plures liceat accedere nec per accessum sive accessus videatur resilire a voto tum dato etc.⟩ [a].

Dum prohibet congregationes privatas, esset exprimendum, quot cardinales intelligantur facere congregationem. |
148v Dum dicit, quod cardinales contrafacientes incurrant poenam excommunicationis, videtur addenda « et alia poena arbitrio futuri pontificis ». Et quia frustra est multiplicare leges, nisi serventur, idcirco pro inviolabili observatione praesentis constitutionis essent deputandi a toto collegio tres cardinales censores totius conclavis, qui cardinales praestito iuramento transgredientes notare teneantur et futuro pontifici in scriptis tradere. Et quilibet cardinalis in ingressu conclavis iuret punire transgressores praesentis constitutionis, si eum contingat eligi in summum pontificem.

D. Card. de Toledo [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 149r, or.

149r Beatissime Pater! Quando St Vrae ita visum est, ut de his, quae a V. Bne bene et sancte ordinata sunt pro edenda bulla conclavis, meam proferam sententiam, suis iussibus obtemperando dico cetera alia in ea contenta a me valde probari. Unus tamen scrupulus mihi restat, qui talis est, quod cum in sacro nostro collegio (sicuti et in aliis esse solent) poterunt esse (quod Deus avertat) aliqui cardinales, qui posthabentes meliores rationes et adhaerentes se peioribus omnia pro eorum nutu facere studebunt spretis bonis cardinalibus, qui nec latum unguem a bulla et ab his, quae in ea continentur, discedent. Ad quorum audaciam continendam non satis mihi sufficere videtur, si suorum [b] errorum punitio ad futurum summum pontificem relinquatur, cum Stas V. optime sciat pontifices de novo creatos minime ad puniitiones, sed magis ad faciendas gratias procedere. Quare consultius ea in re Stem Vram facturam puto, si huiusmodi iudicium committat his cardinalibus, qui pro gubernando conclavi deputandi sunt, tribuendo illis omnimodam potestatem puniendi, castigandi et, si opus fuerit, ab ipso conclavi expellendi vocibusque suis privandi, quos invenerint rebelles, pertinaces et non parentes his, quae a Ste V. tam sancte ordinata et disposita sunt. Hoc est, Pater Beatissime, iudicium meum, quod tamen ea lege protuli, ut me in omnibus St Vrae submittam.

⟨Stis Vrae hummillimus servitor
I[ohannes] episcopus Albanensis
card. Compostellanus⟩ [c].

[a] *Min. add. in marg.* [b] [illegible] [c] *Manu propria cardinalis*

[1] Iohannes Alvarez de Toledo O. Pr., a. 1523 Cordubensis, a. 1537 Burgensis episcopus factus, cardinalis ab a. 1538, ipse quoque inquisitor generalis, inter egregia s. collegii membra numerabatur; † 1557. *Van Gulik-Eubel* III 28. Eiusdem familiae erat, qua Petrus de Toledo, prorex regni Neapolitani 1532-1553,

E. Card. de Sylva[1]

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 151r-152r, or.

Sanctissimo et clementissimo Patre! 151r

Per ubedir dirò brevemente il parer mio sopra alcuni cappi della bolla della reformatione del conclave, la quale pregho lo omnipotente Idio, che non habbia a metersi in exsecutione, se non di quà a molte e molte di[e]cine d'anni. V. B^ne viva felicemente governando a servitio de sua Divina Maestà et bene universale, come fa, questa santa sede.

Il redurre la spesa delle exequie a sei millia duccati mi piace, ma parmi necessario determinare il modo di espendergli senza lassare niente in arbitrio d'altri, perche bene spesi bastaranno, e niente che vada male de così piccola quantità, restarebbero le essequie forse indegne.

Piacemi anchora che le essequie si faccino subito, et fenite si entri in conclave e si proceda alla elletione sanza aspectare altro; ma dechiarir nella bolla che alli cardinali ausenti non si habbia ad mettere scusa alcuna de impedimento, etiam probabile e notoria, par molto da considerare, che non sia dar occasione di pensare quel che hora non si pensa, e al mancho ne' cardinali ausenti [ex] causa publica par duro, et se bene pare che questo habbia essere causa che cardinali siano pressenti, a questo si può provedere con non dargli licentia di essere ausenti, et chi sarà absente senza licentia, [sarà] suo danno.

A levare totalmente l'autorità al collegio sede vaccante de far quello che faceva il papa sanza limitatione alcuna, dubito non sia causa di molti disordini essendo come restare [a] sanza capo, et quella parte che etiam le cose fatte non si possino dar a [e]secutione, in molti così potrà partorire scandalo.

Che il cappellano del collegio non possi essere parente di alcuno cardinale dentro del terzo grado, non si potrà sempre osservare sanza elegere persona indegna con periculo de' cardinali o sanza inguria de qualche persona degna di tal grado. |

Che l'uffitio della penetentiaria non possi [far niente] salvo le cose ordinarie, pare recerchi 151v
qualche limitatione, come sarebbe «salvo essendo cosa de gran principi e che sia periculo nel tardare », o veramente che le cose straordinarie grandi e importanti non si faccino salvo de parere di tutti e cardinali o parte, e quello gratis per levare l'occasione de far male.

Ciò che si fa intorno a vietar li avisi che vanno al conclave e escano, a serrare [a]busi a giuditio mio non giovarà mai perfettamente, se non si levano in tutto con pene acerbissime le scomesse, che si fanno sede vacante sopra il futuro pontefice, che oltra alla indegnità del mettere li meriti e opinione de cardinali come allo incanto a tanto per cento, di qui nasce ogni diligentia d'avisare, e dentro e fuora, etiam con periculo, che spesso per tale interesso gli servitori et conclavisti medesimi non servino con intiera fede a suoi padroni.

Ancora non pare da preterir il proveder alli libelli famosi, che pare cosa indegnissima nel tempo, ch[e]'l sacro collegio ha più bisogno di autorità e reverenza apresso li popoli, siano publicati per tutto il mondo infami li cardinali.

Che li conclavisti siano veri servitori de cardinali, par tanto necessario per vitare mille pratiche e inconvenienti, che sarebbe forse da aggiognere che sieno servitori al mancho per un mese avanti l'obito del pontefice ⟨per evitare ogni fraude intorno a ciò. Il cavare per sorte o altrimenti eleggere doppo la morte del pontifice immediate quatro cardinali almanco, che habbino havere cura particolare di far observare questa santa bolla in ogni cosa dentro et fuori del conclave, mi pare necessariissimo, che altrimenti molte cose si faranno al contrario et altre si trascureranno come per il passato⟩ [a]. |

La causa della infermità per potere uscire del conclave pare debbia essere aprovata dal 152r
medicho con giuramento, e che ci sia periculo manifesto della vita non uscendo, ⟨et non altrimenti⟩ [a].

Il vietare così indistintamente il praticar de cardinali l'un con l'altro e posser parlare de' voti, mi pare sia far cascar tutti nella scomunicha, ne sò, quanto giovi alla elletione il non posser' li cardinali pigliare informatione l'uno da l'altro delle qualità e meriti loro, e

[a] Add. manu cardinalis

et Franciscus de Toledo, qui ab a. 1545 usque ad a. 1552 orator Caesaris in concilio Tridentino erat, cfr. *G. Buschbell*, Francisco de Toledo u. seine Tätigkeit in kaiserlichen Diensten: Hist. Jahrbuch 52 (1932) 356-388.

[1] Michael de Sylva Lusitanus, ep. Visensis, creatus cardinalis die 20. Dec. 1538, publicatus die 2. Dec. 1541; † 1556. *Van Gulik-Eubel* III 29 sq.; *Pastor* V 404 sq.; de legatione eius ad Caesarem a. 1542 *ibid.* 473. 477. Cfr. etiam *Conc. Trid.* XII 447.

veggo che in ogni eletione concedantur tractatus. Pare bene conveniente che non possino essere mai in conclave tre cardinali insieme, ⟨salvo in le congregationi publiche o deputationi solite farsi di tre et quatro cardinali ad qualche cura particolare⟩ [a].

Non trovo in questa bolla, se nelli scrotinii li voti hanno a esser aperti o sigillati, e per dire in questo ancora el parrer mio, dicco che per molte raggioni e grandi i voti debono essere aperti, e così si trova essere usato in tutti li conclavi antichi, e li voti serrati fu uno invento nuovo da pochissimi pontefici in qua, e in ogni modo si sa, di chi sono li voti, come se fussero apperti, e oltra agli altri inconvenienti non serve ad altro che a posser nominare uno indegno sanza sentirsi leggere il nome suo con sua vergogna.

⟨Iddio omnipotente conservi et prosperi la vita et stato di V. S[tà], come essa desidera, et io humilissimamente bacio li suoi S[mi] piedi et ad le sue buone gratie con tutto il cuore mi raccomando.

Di V. B[ne] humiliss[o] et devotiss[o] servo
Il car[le] de Sylva⟩ [a].

F. Card. de Medicis [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 153r-156r, or.

Beatissime Pater!

In primo capite.

153r Circa reformationem conclavis primum decretum videtur mihi in eo peccare, quod in eum casum tantum decernat, in quo [b] pontifex in alma Urbe moriatur. Quod si Perusii aut Bononiae decedat aut Viterbii, remanente Romae audientia causarum et literarum apostolicarum? Certe eo casu erit electio Romae facienda, et tamen remanebunt abusus, quia non tolluntur nisi cum decedit in Urbe Romana. Quod si curia esset translata aut decretum factum de transferenda, quo casu alibi facienda esset electio, iidem abusus essent in aliis locis qui Romae et non essent sublati; sequuntur enim abusus electionem sicut umbra corpus. Cum itaque lex debeat esse generalis, bonum est, ut comprehendat omnem casum et extendatur ad omnem locum, in quo de iure electio facienda sit, et ubicumque pontifex moriatur, sicut omnes constitutiones hactenus circa electionem factae generaliter comprehendunt.

In alio loco istius decreti videtur mihi non tolli, sed introduci abusus, dum dicit, quod exequiae intermittantur in [diebus] Dominicis vel maioribus solemnitatibus, cum hactenus sit observatum, ut etiam in istis festivitatibus exequiae procedant et peragantur. Quid enim si incideremus in festa Nativitatis? Num tot dies deberemus intermittere et producere exequias? Certe abbrevianda est dilatio, non proroganda, et sicut in conclavi diebus festivis facimus scrutinia, sic extra debemus exequias facere et incipere prima statim die post mortem pontificis, ut servetur numerus decem dierum; nam dies, in qua moritur pontifex,
153v non est | computanda. Altera statim die debent incipi exequiae, quae durant per novem dies continuos, in quibus necesse est Dominicam diem cadere. Decima die fit missa de Spiritu Sancto et ingressus conclavis, undecima die incipit fieri scrutinium, et ita contat ceremoniale nostrum [2], quod est conforme conciliis generalibus. Immo si exequiae ultra decem dies cardinalibus absentibus expectandis praestitutos producantur, tenerentur omissis exequiis cardinales conclave intrare et permittere exequias aliis faciendas aut novo pontifici reservare, sicut antiquitus fiebat, quamquam de istis novem dierum exequiis nullibi in iure mentio fiat, quin potius iura innuunt breviores fuisse, videlicet trium dierum, c. [7] *Nullus pontifice* 79. Dist. [3]; sed certum est has exequias cardinalibus arbitrarias esse et posse ab eis minui et prorogari, dum tamen non differant conclave intrare statim post decem dies.

[a] *Add. manu cardinalis* [b] *Cod* quem

[1] Iohannes Angelus de Medicis, postea Pius IV, ut votum testatur, iuris canonici usuumque curiae Romanae peritissimus erat.

[2] Errat cardinalis. Nam licet in Ceremoniali Augustini Patritii, edito a Christ. Marcello a. 1516, caveatur, ne plus quam decem dies cardinales expectentur, ibid. f. 67r praescribitur, ut pontificis mortalia *per biduum aut triduum* inhumata remaneant, deinde per 9 dies exequiae fiant; denique *nona die post missam de defunctis cantatur missa de Spiritu Sancto.*

[3] *Friedberg* I 278: *Nullus... presumat loqui aut partes sibi facere nisi tercio die depositionis eius* [*sc. pontificis*], *adunato clero et filiis ecclesiae, et tunc electio fiat.* Caput sumptum est ex vita Bonifatii III c. 2, Liber pontificalis ed. *Duchesne* I 316.

In secundo capite.

Sequitur in hoc decreto, quod duae partes cardinalium possint prorogare ingressum conclavis per suffragia secreta. Istud etiam mihi non plene satisfacit, quia derogatur conciliis generalibus, quibus in tollendis abusibus mihi non videtur derogandum. Non dico, quod S^{tas} V. non possit hoc facere, quia potest sine dubio; sed tamen, cum omnes constitutiones hactenus editae super electione pontificis sint conciliares, mihi videtur, quod S^{tas} V. non debeat his in aliqua parte derogare, et maxime cum tempora ista sint adeo turbulenta, ut facile minor pars innixa aliquorum potentia posset compellere maiorem ad prorogandum. |

Sequitur in decreto ius eligendi penes ingredientes esse. Et istud bene stat et mihi 154r
probatur in eo, quod includit, sed in eo, quod videtur excludere (quod scilicet ante ingressum conclavis post decem dies cardinales praesentes non habeant ius eligendi), id mihi non probatur, quia immo expectatis absentibus per decem dies etiam extra conclave cardinales praesentes, si duae partes erunt concordes, poterunt eligere pontificem sive in palatio sive in ecclesia sive in quocunque loco fuerint congregati, ut dicunt doctores. Non enim conclave est de substantia electionis neque antiquitus adhibebatur, sed est inventum ad accelerandum electionem, quando cardinales sunt discordes et ad obviandum fraudibus et excludendum cardinales ab aliis practicis, litteris, colloquiis et nuntiis, et ut huic soli rei vacent et tandem taedio ducti, si nolint aliter, summum pontificem eligant. Aptandus itaque videtur iste locus, ut non excludat facultatem eligendi ante ingressum conclavis, post decem tamen dies, ut supra.

In tertio capite.

In quantum dicitur: *dux et capitanei alicuius cardinalis consanguinei aut affines non sint intra tertium gradum*, exprimatur, an de gradu de iure civili intelligatur, an de iure canonico, et an tertius gradus videatur inclusus vel exclusus, quia includendo tres gradus de iure canonico computandos, qui faciunt sex de iure civili, vix reperietur capitaneus aut dux, qui non sit eo modo consanguineus aut affinis alicuius cardinalis.

Dum dicitur: *si ultra praedicta aliquod grande periculum immineat, cui omnibus | et singulis* 154v
cardinalibus praesentibus videatur occurrendum, addendum videretur « vel saltem duabus partibus ex tribus », nam hodie tot sunt cardinales, ut vix casus inveniri possit, in quo aliquis non sit contradicturus.

In quinto capite.

Circa officium vero poenitentiarii, ei relinquenda videtur potestas, quam habet a iure et a generalibus conciliis ad obviandum periculis animarum. Et idem in officio camerarii pro conservatione et augmento redditthe camerae apostolicae.

In octavo capite.

Quod dicitur servientes cardinalium debere esse familiares domesticos illius cardinalis, cum quo intrant, mihi videtur addendum, quod deberent esse cum effectu continui commensales et eius sumptibus tum vivere, ne quis forte sub praetextu simplicis familiaritatis olim contractae conclave ingredi niteretur.

In decimo capite.

Quod dicitur de sola facultate pontifici Romano relicta absolvendi ab excommunicatione, saltem quantum ad cardinales deberet relinqui facultas absolvendi alicui, velut decano aut poenitentiario aut sacristae, uti cardinales resipiscere possint et poenitere et missas celebrare et sanctissimum Christi corpus pure et pie suscipere, et maxime, cum secundum concilia antiqua et cardinales et alii possint a quocunque ordinario absolvi.

Quod dicitur primis quinque diebus victum indifferenter concedi, deinde per quindecim dies uno ferculo contentos esse debere, considerandum est, an ea sint addenda, quae in Clementis VI constitutione [1] continentur.

In capite decimoquarto.

Quod dicitur conclavistas infirmitatis causa conclave exeuntes nullo modo | reverti 155r
posse, addendum videretur, quod non possint exire, nisi infirmitas sit gravis et periculosa et a medicis medio iuramento diligentique desuper per eos habita inspectione comprobata

[1] Clemens VI in bulla *Licet in constitutione* data 6. Dec. 1351 (*Bull. Rom.* IV 501) quoad victum cardinalium Gregorii X severitatem moderavit, ex. gr. quod et potagium, caseum etc. edere possent

et etiam a maiore cardinalium per secreta suffragia pro iusta causa admissa; et hoc, quia experientia didicimus, et maxime in praeterito conclavi, aliquos simulata aegritudine exire, ut secreta conclavis denuntient, et alios loco eorum introire, qui principum et aliorum consilia, practicas, voluntates, fomenta et multa alia illicita introferant.

In decimoquinto capite.

Quod dicitur per accessum quem non resilire a voto suo, sed eum ad quem accedit aliis aggregare, addendum videtur « et sicut potest plures nominare in voto suo, ita etiam possit ad plures accedere », et hoc non sine causa, quia in conclavi Leonis X et Stis Vrae [1] fuit de hoc dubitatum, licet in ceremoniali nostro hoc expresse dicatur [2] et de iure sit manifestum.

In decimosexto capite.

Quatenus prohibet conventiculas et omnes congregationes praeter generales, exprimendum videtur, per quot personas videantur fieri conventiculae, et quantus numerus requiratur.

In undevigesimo capite.

Quod in fine dicitur praedictarum censurarum et excommunicationum praetextu non excludi cardinales etc., addendum videretur « et aliarum quarumcunque sicut in Clem. |
155v *Ne Romani* ». Una tamen est excommunicatio, quae videtur impedire electionem activam et passivam, quando scilicet quis gerit se pro pontifice non electus a duabus partibus, ut dicunt doctores in cap. *Licet*, et ista esset excipienda.

Ad hanc reformationem videntur mihi quattuor addenda:

Primum, quod eligatur pontifex de gremio et collegio cardinalium, sicut per concilia antiqua ordinatum est cap. [3] *Oportebat* [3] cum sequentibus 79. Dist., cap. [1] *In nomine Domini* 23. Dist. [4]. Quibus conciliis non est derogatum, sed tantum abusus introduxit, ut possit aliquis extra collegium eligi, etiam saecularis, ut factum est alias de Amadeo duce Sabaudiae [5], etiam uxoratus, ut dicunt doctores in cap. [6] *Licet* [X] de elect. [I 6] [6]. Igitur ad hoc inconveniens evitandum est tollendus abusus et redeundum ad antiqua concilia.

Secundo videtur mihi exprimenda aetas necessaria ad pontificem, quae si non maior, saltem mihi ea constituenda videtur, quae in aliis episcopis necessaria est, videlicet triginta annorum, cum Romanus pontifex non tantum episcopus sit, sed etiam universalis ecclesiae et omnium episcoporum episcopus; et hoc non sine causa, quia videntur dicere doctores in cap. *Licet*, quod sola infantia et pupillaris aetas possint opponi a duabus partibus electo. |

156r Tertio statuendum videretur, ne cardinales ante electionem pontificis possint facere capitula [7] nisi publicam utilitatem concernentia, non ipsorum privatam, quoniam sic sapiunt speciem simoniae, cum obligant futurum pontificem ad dandum civitates et castra vel faciendum aliquid etc., quod eorum favorem concernat.

Ultimo addendum videretur, quod sacrista et magistri ceremoniarum habitent sub cortinis et tentoriis in aliqua separata parte [8], non in lapideis et lateritiis cameris, ne sint melioris conditionis quam cardinales, et ne cameras suas locare possint cardinalibus, sicut fecerunt in praeterito conclavi; nam praeter reliqua inconvenientia fiunt fraudes et mittuntur per parietes litterae et nuntii et etiam homines expressi ingrediuntur.

Haec sunt, quae mihi in praesentia occurrerunt, quae tamen iudicio Stis Vrae et cuiuslibet melius sentientis relinquenda sunt. Reliquum est, ut Stis Vrae beatissimos pedes deosculer et me illi humillime commendem.

⟨Stis Vrae devotissimus servus
Io[hannes] A[ngelus] de Medicis⟩ [a].

[a] *Manu propria cardinalis*

[1] De disceptatione, quae die 4. Dec. 1549 in conclavi Iulii III orta est, scil. an *per accessum intelligantur priora vota antiquari*, cfr. Massarelli diarium V, *Conc. Trid.* II 41, 18 sqq. Quoad conclave Leonis X apud *Pastor* IV 1, 15 sq. nihil.

[2] Ceremoniale f. 7v: *Potest fieri accessus ad unum vel plures sicut nominatio in cedulis.*

[3] *Friedberg* I 277.

[4] *Friedberg* I 77 sqq. Est decretum illud Nicolai II anno 1059 sancitum de electione Romani pontificis.

[5] Qui a Basiliensibus est electus a. 1439. *Pastor* I 335 sq.

[6] Cfr. *L. Ferraris*, Bibliotheca s. v. papa, art. I n. 48 sq.

[7] Revera incipiendo ab electionibus anni 1555 capita publica longe privata superant. *I. Lulvès*, Päpstliche Wahlkapitulationen: Quellen u. Forschungen 12 (1909) 212-235.

[8] Scil. divisa a cameris cardinalium. Cfr. *F. Ehrle-H. Egger*, Die Conclavepläne (Biblioteca Vaticana 1933).

G. Card. Verallus [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 157^{r}-158^{r}; or.

157^{r} Beatissime Pater etc. Constitutio extravagans super reformatione conclavis est adeo prudenter et maturo consilio facta, ut videatur nefas super ea aliquid attentare. Verum ut mandatis S^{tis} V^{rae} paream, aliqua hic humillime annotabo.

Et primo, dum statuit exequias statim die sequenti post obitum pontificis inchoandas et celebrandas, quibus finitis sequenti die cardinales praesentes teneantur ingredi conclave, videretur mihi esse statuendum specifice numerum dierum, quibus exequiae celebrandae forent, cum de illis nihil habeamus in iure praeter c. [7] *Nullus* el. secundo 79. Dist. [2], ubi praecipit nullam fieri electionem de Romano pontifice nisi tertio die depositionis eius, coadunato clero. Unde quispiam depravati animi arguere posset, licere post triduum intrare conclave et ad electionem procedere, quod absurdum foret et contra pontificum decreta.

Secundo, ubi de Rev^{mis} camerario et maiore et aliis poenitentiariis loquitur, in nihilo videtur alternandum ius commune nec eis quicquam detrahendum de his, quae ad eorum officia pertinent. Officium enim camerarii versatur *in erogando temporalia pauperibus* (quod utinam servaretur), dicit Cardinalis in Clem. *Ne Romani* [3]; item habet servare libros reddituum camerae et exercere iurisdictionem contra omnes debentes camerae et propterea auditorem habet, cuius officium durat, sicut ipsius camerarii, quae si sibi interdicerentur, absurda et maxima scandala oriri possent, ut si contingeret sedis vacationem longe diuturniorem fore quam par esset (quod Deus avertat) eamque egere celeri aliqua provisione ad eius officium pertinente, in qua, si non valeret auctoritate officii providere, vel imparata remaneret, vel necesse esset id ad Rev^{morum} cardinalium | 157^{v} coetum referre, qui neque virtute antiquarum cum etiam praesentium constitutionum in aliquo remedium afferre posset, et si vellet quoque, tum intromitteret se de alio negotio, retardando forsan electionem pontificis contra decretum concilii Lugdunensis § *Iidem quoque* [4].

Eaedem et longe maiores militant rationes in maiori et aliis poenitentiariis. Maior enim absolvit in casibus poenitentialibus quantumvis arduis et papae reservatis secundum Zenz[elinum] et Math[aeum] relatos per Cardinalem in dicta Clem. § *Eo ipso* in supradicta quaestione [5]. Vertitur profecto maximum animarum periculum, si id sibi interdiceretur, quod papa vivente exercere non potest. Quis dubitat maiorem poenitentiarium in reservatis arduis, reservatore tamen vivente, exercere se nequaquam posse; quod si vacante sede sibi esset interdictum, nullo modo animarum periculis consultum foret, quibus ante omnia providendum videtur c. 1 ne sede vac. [III 8]; c. 1 de sepult. [III 12] lib. Sexto [6].

Ne igitur (ut ad camerarium quoque redeamus) redditus temporales ad Romanam sedem pertinentes negligantur, sine quibus spiritualia diu esse non possunt, in q. 3 [C. 1 c. 7] *Si quis obiecerit* [7], neve pauperum sustentatio intermittatur, 86. Dist. [c. 21] *Pasce* [8], minimeque etiam (quoad poenitentiarium) ita animarum periculum immineat, ut vitari nequeat, iure sancitum est officia ipsa durare, quae vacante sede exerceri valeant. Qua de re sentio nihil omnino in his immutandum fore. Consulo tamen utrosque seorsum amice et blande admonendos, ne quid absurdi aut absoni, quod ecclesiam ac probos et bonos scandalizare posset, exerceant, quod plane propter eorum et probitatem et modestiam facturos nequaquam dubito.

De aliis, quae in dicta constitutione continentur, dicerem statuendos esse modos, quibus imponeretur necessitas cardinalibus ea observandi, | 158^{r} quoniam satis compertum habemus parum in ipsa contineri, quod in antiquis decretis conciliorum non sit cautum, et tamen vidimus non fuisse observata, prout etiam puto (nisi severius provideatur) praesens hoc decretum minime servaturos. Quapropter placeret tantum tolli abusus et mandare servanda esse decreta antiqua.

⟨Eiusdem S^{tis} V^{rae} humillima creatura et servus H[ieronymus] card. Verallus⟩ [a].

[a] *Manu propria cardinalis*

[1] Hieronymus Verallus archiep. Rossanensis, ab a. 1541 ad a. 1547 nuntius apud Ferdinandum I et in aula Caesaris, creatus cardinalis 8. Aprilis 1549, † 1555. Cfr. *Nuntiaturberichte* I. Abt. Bd. VIII p. IX sqq., litterae eius *ibid.* Bd. VII-IX continentur.

[2] Vide supra p. 214 adn. 3.

[3] *Francisci card. Zabarellae* Commentaria in Clem. (Lugduni 1551) fol. 13^{v}.

[4] *Iidem quoque cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant* etc. C. 3 *Ubi periculum* in Sexto de electione et electi potestate I 6, *Friedberg* II 947.

[5] Cfr. supra adn. 3. Zenzelinus de Cassanis et Matthaeus Romanus scripserunt super Clem., ut refert *F. v. Schulte,* Geschichte der Quellen u Literatur des kanon. Rechts II 199. 239. De facultatibus maioris poenitentiarii cfr. *E. Göller,* Die päpstliche Pönitentiarie I 2, 1-47; II 2, 1-30.

[6] *Friedberg* II 1041 sq.; 1045 sq.

[7] *Friedberg* I 413.

[8] *Friedberg* I 302.

H. Rainutius card. Farnesius [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 159r-160r, or.

159r Multa sunt iudicia, Beatissime Pater, optimae mentis prudentissimique consilii S^{tis} V^{rae}, cum in pontificia dignitate recte atque ordine gerenda, tum quod iam inde ab ipso pontificatus initio summo quodam desiderio semper flagrare visus es, ut omnia, quae a sanctissimis maiorum nostrorum institutis delapsa in pessimos usus defluxerunt, ad pristinum statum reduceres tuisque decretis ac legibus in posterum devincires. Cuius quidem pulcherrimi facti ab ipsa Romana curia initium sumendum putasti, recte scilicet sapienterque perspiciens, si hoc christianorum caput valebit, fore, ut facilius universae religionis nostrae vulnera sanari possint; multi enim praecipientium exemplis magis quam praeceptis moventur. Et quoniam christiana republica summo pontifice nititur ex eoque pendent omnia, prudentissime, ut soles, de ipso pontifice eligendo deque iis, quae electionem praecedunt, primum omnium deliberandum censuisti. De qua re vidimus bullam $Beat^{nis}$ V^{rae} tam sancte, tam recte sancitam, ut nihil addi, nihil imminui debere videatur, ac propterea mihi assentiendum potius quam quicquam de ea dicendum esse existimo. Verum ut S^{ti} V^{rae} obtemperem, quae meam ceterorumque cardinalium sententiam requirit, et ut officio conscientiaeque meae satisfaciam, dicam ea, quae sentio, sed omnia cum ea, qua debeo erga S^{tem} V^{ram} observantia ac reverentia.

Primum igitur dicam s u m p t u s, qui pro funeribus celebrandis in bulla decernuntur, mihi satis tenues videri. Magnus est enim eorum numerus, quibus vestitus in tali casu dari consuevit [2], ac propterea sine magna iniuria iis denegari non potest, ut sunt assistentes, officiales multique alii huius generis homines, in quos tantam pecuniam insumi necesse est, ut nihil ex ea parva summa, quae in bulla decernitur, ad pontificiam familiam vestiendam et funeris pompam superesse possit. Quam quidem pompam, si nimis sumptuosa et modum excedens fuerit, reprehendendam, si decens et huius sedis dignitati conveniens, summopere laudandam censeo. Dignetur igitur S^{tas} V. perspicere et videre, an aliquanto maiorem pecuniam tantis exequiis assignandam existimet.

Quod autem de c a r d i n a l i b u s a b s e n t i b u s in eadem bulla positum est, id equidem nonnihil considerandum esse iudico, et cum reliqua sine exceptione maxime sint ab omnibus laudanda, videndum est, ne in hoc tantum capite locus aliquis malevolis atque obtrectatoribus
159v relinquatur. Quare | statui, Beatissime Pater, quaedam, quae mihi de hac re in mentem veniunt, ad S^{tem} V^{ram} a me deferri debere.

P r i m u m : Si aliquis Rev^{mus} rerum publicarum causa forte absens fuerit, is mihi videtur dignus, cui aliquid temporis assignetur, praeter hos omnes, qui iusto aliquo casu sint impediti. Est e t i a m animadvertendum, ne, dum S^{tas} V. improborum iniquitatibus obsistere atque obviare cupit, aliqua pessimis hominibus malefaciendi occasio praebeatur, ne scilicet cogitent venientibus cardinalibus insidias occulte parare aut aperte se se opponere et diu terrendo permorari. Censeo igitur, Beatissime Pater, aliquam huic capiti a prudentissimo consilio S^{tis} V^{rae} moderationem adhiberi debere illudque omnino persuasum esse ad pontifices recte atque ordine creandos (haec enim videtur intentio S^{tis} V^{rae}) non tam celeritate opus esse quam optimis illis institutis, quae a $Beat^{ne}$ V^{ra} in eadem bulla sanctissime ac prudentissime sunt posita.

Reliquum est, ut eam partem, quae ad sacrae p o e n i t e n t i a r i a e officium pertinet, nunc attingam, de qua non praetermittam, quae sentio, libere ac sincere dicere, etsi video nonnullos facile suspicari posse meam hanc sententiam non tam ad utilitatem publicam quam ad meum privatum commodum spectare. Verum Deus ipse optimus, qui nostrorum consiliorum est particeps, ut ipse optime novit, me publica commoda meis privatis commodis anteferre ita spero efficiet, ut S^{tas} V., a qua omnia Dei nutu et voluntate fieri certum est, sententiam meam, quae ab optima mente proficiscitur, in optimam partem sit acceptura. Dico igitur maiori poenitentiario facultatem summam et liberam dispensandi sine ullis ordinariis exceptionibus aut limitationibus esse traditam, sed summi pontifices per regulas cancellariae quosdam ad se casus advocant sibique ipsi reservant, quod licet maximum damnum dicto officio atque officialibus privatim afferat, fit tamen nullo aliorum incommodo aut animarum detrimento.

[1] R a i n u t i u s F a r n e s i u s, nepos Pauli III et frater Alexandri Farnesii, creatus cardinalis die 16. Dec. 1545, poenitentiarius maior 12. Febr. 1547, † 1565. *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie II 1, 12; *Conc. Trid.* I 357, 7 sqq.; X passim.

[2] Ceremoniale f. 67r: *Familiares papae, officiales curiae et urbis officiales, si Romae fit, vestiuntur panno nigro, ut in libris camerae apostolicae plenius apparet... Fiunt largae eleemosynae pro anima pontificis religiosis viris et mulieribus... In prima die exequiarum leguntur 200 missae cum elemosyna.*

Habent enim homines pontificem maximum, ad cuius pedes accedere et ab eo, quod sibi sit opus, impetrare possint. Sed quo tempore sedes apostolica summo pontifice vacua atque orbata est, quonam in reservatis casibus confugient, si neque adhuc novus pontifex creatus fuerit neque maior poenitentiarius solitam in sede vacante dispensandi facultatem habebit, praesertim si, ut quotidie accidere videmus, casus tales erunt, quod nullam moram, nullam dilationem pati poterunt? Profecto magnum | multarum animarum detrimentum sequatur 160^{r}
necesse est, non sine maxima multorum [a] maestitia, cum viderint suos peccatis illaqueatos a nemine (cum maxime cupiant) solvi posse omnesque sibi misericordiae fontes esse praeclusos. Erunt praeterea multi, qui ea, quae facere sibi non licet, facient tamen sine ulla sedis apostolicae dispensatione. Quod ne fieret, et ut omnes sub solita huius sedis obedientia ac legibus permaneant, fortasse melius esset veteres mores conservare quam novos inducere, praesertim qui tales sint tamque ad salutem communem animarum necessarii, ut eos, si non essent, adhibendos magis quam, cum per multos annos fuerint, tollendos esse existimare debemus. Quod ita esse cum multi summi pontifices iudicarunt, tum praecipue Clemens V, S^{tis} V^{rae} praedecessor, qui omnibus consideratis sanxit maioris poenitentiarii in sede vacante facultatem expirare non debere, quoad novus pontifex creatus sit, ne huius sedis auxilium ullo unquam tempore deesse videatur [1]. Ad haec illud etiam accedit, quod maior poenitentiarius non solet nisi ex S. R. E. cardinalibus eligi, quos et probos et ab omni scelere remotos existimare debemus, praesertim cum nulla avaritia, nulla privata utilitas ad scelus perpetrandum possit impellere; pecunia enim, quae (vacante sede) ex reservatorum casuum compositione colligitur, omnis futuro pontifici (ut S^{ti} V^{rae} notum est) integra servatur, neque quicquam ad maiorem poenitentiarium ex ea pervenit, nisi quantum novi pontificis benignitate et liberalitate conceditur.

Haec sunt, Beatissime Pater, quae ipse sentio quaeque mihi dicenda videbantur, ut et officio et conscientiae meae satisfacerem et S^{ti} V^{rae} parerem, quam spero omnia in bonam partem esse accepturam. Reliqua vero, quae in bulla continentur, ita a me cuncta probantur, ut maximas pro iis S^{ti} V^{rae} me gratias agere debere fatear.

⟨Eiusdem S^{tis} V^{rae} humillimus et devotissimus servitor
R[ainutius] card. S. Angeli, maior poen[itentiarius]⟩ [b].

l. Card. de la Cueva [2]

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 161^{r}, or.

Beatissime Pater! Nullum maius nec certius veri pastoris et Dei vicarii esse potest 161^{r}
argumentum quam id, quod V. S^{tas} suae divinae mentis consilio in conclavis reformatione instituit facere; illa enim, quae ad praesentem rerum statum constituuntur, quod aliquando in nostram utilitatem cessura esse videantur, etsi magna et egregia sint, non tamen eius sunt generis et dignitatis ut ea, quae tantum posteritatis tranquillitati et futurorum beate vivendi rationi prospiciunt, quod unum facile mihi ac omnibus Rev^{mis} patribus persuadere debet, hoc V^{rae} S^{tis} institutum sanctissimum esse suosque conatus Iesu Christi vicario dignissimos. Quare quod sanctam, rectam et vere christianam eam reformationem arbitror, approbandam censeo, illud tamen, quod ad poenitentiarii maioris officium attinet, iuxta papae Clementis V constitutionem mane[n]dum iudico, ne quod ille sanctissimus pontifex ad salutem animarum ad gremium sanctae matris ecclesiae recurrentium instituit, ex aliqua parte tolli videatur et hoc beneficio tot retro saeculis totque pontificum auctoritate confirmato populus christianus aliquo in tempore privetur [3].

⟨S^{tis} V^{rae} humilissimus [!] servus
B[artholomaeus] card^{lis} de la Cueva⟩ [c].

[a] *del.* affinium [b] *Manu propria cardinalis* [c] *Manu propria cardinalis*

[1] C. 2 *Ne Romani* Clem. de elect. I 3: *Friedberg* II 1135 sq.

[2] Bartholomaeus della Cueva y Albuquerque Hispanus, creatus cardinalis die 19. Dec. 1544 ad instantiam Caesaris, a. 1558 prorex Neapolitanus factus, † 1562. *Van Gulik-Eubel* III 31; *Conc. Trid.* II 454 adn. 7, 458, 10.

[3] Cfr. adn. 1.

K. Card. Saracenus [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 163^r-164^r, or.

163^r Sanctissime ac Beatissime Pater! Pedum post oscula beatorum. Quamquam in constitutione transmissa per manus super reformatione conclavis promulganda nihil equidem optandum esse censeo, cum tam respectu materiae quam et respectu formae mihi quam optime considerata videatur. Continet enim ipsa innovationem canonum summorum praedecessorum pontificum eandem materiam tractantium. Continet etiam dubiorum exinde forsan emergentium declarationem. Supplet demum penitus extirpando exortos abusus, et qui saepissime ex ambitione quadam seu ex naturae humanae semper ad malum pronae defectu pro tempore oriri possunt. Pro mea tamen sententia tria consideranda puto idque rogo S^{tem} V^{ram} (si ita placebit), duo scilicet moderanda et unum, quod est supplendum; quae quidem tria proponam sapientissimo S^{tis} V^{rae} iudicio moderanda, praemissa tamen protestatione, quod sit hoc a me cogitatum et dictum post longaevos nestoreosque vitae annos V^{rae} $Beat^{nis}$, quae diu ac feliciter vivat.

Primo cogitandum puto, cum per constitutionem Gregorii X et Clementis V fuerit provisum in casibus decessus summi pontificis in loco, in quo fecerit residentiam vel alibi extra residentiam, et per doctores [quaeratur], quid, si in mari contingatur [!] mori, nulla facta mentione, si mors successerit in hac alma Urbe: si mens S^{tis} V^{rae} erit, expresse providere,
163^v quando mors succedit in alma Urbe, bene stant illa verba *in hac alma Urbe.* Si vero | S^{tas} V^{ra} velit providere generaliter in omni loco et omni tempore, ut convenit, puto illa verba *in hac alma Urbe* accomodanda seu penitus delenda, ne constitutio ipsa ad unum tantum casum restringatur.

Secundo cogitandum existimo, illa verba, quod *datarius, depositarius et alii* etc. *non teneantur obedire sacro collegio cardinalium praecipienti aliquid contra dictam constitutionem promulgandam*, an debeant sic remanere vel moderari, ne videantur posita contra M^{tem} sacri collegii, cum firmiter credendum et tenendum sit, collegium Rev^{morum} cardinalium tali tempore sub Sancti Spiritus invocatione congregatum, et praesertim pro electione summi pontificis, retinere et habere potestatem papalem conservandam futuro eligendo pontifici. Si enim deest ei caput visibile, scilicet summus pontifex, qui vere erat vicarius Dei dum vivebat, remansit sub capite invisibili scilicet D. N. Iesu Christo, iuxta suam promissionem [2]: *Ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio eorum sum.* Et licet sacrum collegium, ut attentius vacet electioni summi pontificis, a Gregorio et Clemente prohibeatur auctoritatem et iurisdictionem exercere nisi in aliquibus casibus, ergo postquam prohibetur exercitium, praesupponitur potestatem habere, praesertim quia aliquando exercetur in casibus non prohibitis seu permissis non ex nova concessione, sed quia habent. Possumus tamen dicere tunc sacrum collegium conservare et habere potestatem et iurisdictionem papalem in habitu, non tamen in actu et exercitio, nisi in casibus permissis, modificatis ex Gregorii et Clementis prohibitione. Quae potestas et iurisdictio existens in collegio, facta electione papae a collegio et sic a membris, virtus transfusa in ipsis membris ad caput ascendit ibique residet, unde statuere, quod privatae personae non obediant sacro collegio retinenti talem potestatem, non videtur honestum.

Nec videtur conveniens, quod in tali perpetua constitutione futuris temporibus reperiatur casus expressus inobedientiae, scilicet quod sacro collegio cardinalium non pareatur sede vacante, cum de esse christianitatis sit obedientia; ipse enim Dominus ut Patri obedientiam servaret, morti nec etiam per crucem pepercit suoque exemplo id nobis imitandum ostendit
164^r nec non verbis expressis obedientiam omnino servandam sacro collegio | mandavit, dum plebi dixit, ut illud facerent, quod sedentes super cathedram [a] Moysi et seniorum dicerent et praeciperent [3]. Quae verba possent adaptari et accomodari sicut in aliis casibus statutis, scilicet « per secreta suffragia etc. » vel « uno discrepante seu prohibente non teneantur obedire »,

[a] Cod. chatredam

[1] Io. Michael Saracenus Neapolitanus, a. 1531 archiep. Acheruntinus et Materanensis factus concilio Tridentino a. 1546-1547 interfuit (*Conc. Trid.* I et V passim; nonnullae eius litterae in *Conc. Trid.* X vide indicem sub verbo *Materanensis*), a. 1550 gubernator Urbis, 20. Nov. 1551 cardinalis creatus, † 1568. *Van Gulik-Eubel* III 35; *B. Katterbach,* Referendarii utriusqus signaturae (Città del Vaticano 1931) 114.

[2] *Matth.* 18, 20 (non iuxta Vulgatam).

[3] Cfr. *Matth.* 23, 2 sq.

seu annullando actum per decretum irritans vel, ut melius fuerit visum prudentissimo iudicio S^{tis} V^{rae}. Et haec quoad verba, quae desidero moderanda.

[T e r t i o:] Quod vero s u p p l e n d u m cupio, est apponere decretum amovendo omnino auctoritatem et potestatem, etiam sub censuris, illam aliter declarandi seu interpretandi, ad hoc, ut ipsa constitutio, prout iacet, servetur ad unguem.

Omnia et me summittendo sanctissimo et prudentissimo iudicio S^{tis} V^{rae}, cuius etc. [a].

⟨Ex domo etc.

S^{tis} V^{rae} humillimus ac deditissimus servus
Ioannes Michaelis [card. Saracenus]⟩ [b].

L. Card. Corneus [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 165^{r}, or.

Beatissime Pater! Licet plenitudo supplemento non egeat nec quisquam existimare debeat esse aliquid, quod S^{tem} V^{ram} et Rev^{mos} dominos meos reformatores fugere possit, B^{nis} tamen V^{rae} iussionibus saepe repetitis [obediens] ipse etiam circa exhibitam bullam reformationis conclavis, quid mihi in mentem venerit, dicere non dubitabo, cum interdum Deus opt. max. quaedam etiam parvulis revelare soleat [2]. 165^{r}

P r i m u m mihi occurrit, quod in bulla de pontificis obitu in Urbe tantum fiat mentio, desiderari videtur, quid agendum sit, pontifice extra Urbem decedente.

D e i n d e, quod dicitur ingressum conclavis prorogari posse duabus partibus cardinalium id probantibus, forte ad tollendas contentiones consultius esset differre talem ingressum per quinque vel sex dies post exequias exactas, quo tempore absque ulla dilatione et cunctatione cardinales de necessitate conclave ingredi teneantur, quam reponere hoc in arbitrium etiam duarum partium cardinalium.

P r a e t e r e a, dum dicitur in dicta bulla, nemini licere votum suum patefacere verbo, scripto aut nutu, puto verendum, ne non ista lex sit quasi inobservabilis, neque tam prosit ad conventiculas tollendas quam noceat ad animas censuris illaqueandas.

P o s t r e m o illud unum non videtur omittendum, ut statuatur sub aliqua gravi poena, ne quis ad saeculares principes nuntios vel litteras mittere audeat percunctatum, quem in pontificem eligi velint, ne hoc ius eligendi sensim ad laicos quodammodo labi videatur. In his tamen et aliis omnibus prudentissimo ac sanctissimo iudicio B^{nis} V^{rae} me remitto.

⟨S^{tis} V^{rae} humillimus servulus et creatura
Fulvius card^{lis} Perusinus⟩ [b].

M. Card. Bertanus [3].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 167^{r}, or

Beatissime Pater! In ipso statim p r o h a e m i o nonnihil offendi, quod me non mediocriter movit; illa enim verba *In eligendis ecclesiarum praelatis, quibus non humana et mortalia, sed divina ministeria committuntur*, Christi verbis adversari videntur, qui cum re ipsa praestitisset, quod pollicitus antea fuerat, daturum se S. [Petro] claves regni coelorum etc., cumque auctoritatem iam collatam confirmaret, inquit [4]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*; nam licet alias dixerit [5]: *Regnum meum non est de hoc mundo*, non eo spectavit, ut rerum 167^{r}

[a] *Omittimus devotionis formulas* [b] *Manu propria cardinalis*

[1] F u l v i u s (I u l i u s) C o r n e u s, ord. Hieron., ex sorore Iacopa nepos Iulii III, a. 1550 ep. Perusinus, 20. Nov. 1551 cardinalis creatus, † 1583. *Van Gulik-Eubel* III 35; *Pastor* VI 53 et passim.

[2] Cf. *Matth.* 11, 25.

[3] P e t r u s B e r t a n u s O. Pr. Mutinensis, familiaris Herculis card. Gonzagae, ep. Fanensis ab a. 1537, concilio Tridentino a. 1545-1547 interfuit, deinde annis 1548-1550 et denuo 1551-1552 nuntium apud Caesarem agebat (litterae eius: *Nuntiaturberichte* I. Abt. Bd. XI et XII; cfr. etiam Quellen u. Forschungen 21 [1930] 305-314) et die 4. Dec. 1551 creatus est cardinalis; in conclavi Pauli IV proximus pontificatui erat (*Pastor* VI 361); † 1558. De vita huius cardinalis moribus, doctrina, prudentia insignis cfr. *Nuntiaturberichte* I Abt. XI, p. XV-XXII; *Conc. Trid.* I, II, IV, V et X passim. Scripta, de quibus *Quétif-Echard* II 166, adhuc non sunt inventa.

[4] *Matth.* 28, 18.

[5] *Io.* 18, 36.

20/11.

humanarum sibi ac successoribus suis adimeret potestatem, sed ne homines arbitrarentur, quod in aliis regnis ineundis videbant usu venire, Christi quoque regnum de hoc mundo prodiisse aut humanis opibus atque auctoritate niti. Quid, quod illa verba magnopere faverent Luthero, cui nihil fuit potius, quam ut pontificem humanarum rerum administratione exueret, quique eius auctoritatem ac munus in tria tantum capita conclusit ac saepsit: evangelii praedicationem, baptisma, eucharistiam [1].

Itaque corrigendus est, ut mihi quidem videtur, locus ille hunc in modum: « quibus non humana solum et mortalia, sed divina quoque ministeria committuntur ». Ita fiet, ut nec a Christi sententia et ecclesiae catholicae consensu discedamus, nec adversariis, qui plerunque in minutis quibusdam voculis haerent, ansam praebeamus nefarium illud dogma firmandi.

In eo etiam haereo, quo datarii potestas suspenditur ac paenitentiarii auctoritas quibusdam veluti cancellis ac limitibus coercetur; nam penes quem remanebit ecclesiae auctoritas? Ad quem esset confugiendum, si pro salute animorum eiusmodi casus evenerit, qui ecclesiae supremam illam auctoritatem ac vim desideraret?

Illud postremo me movet, quod in cardinales sancitur, qui adversae valetudinis causa semel atque iterum egressi ad conclave amplius reverti non possint. Eam enim ob causam in suffragiorum ratione de suo iure decederent, qua maxime essent adiuvandi; nam neque ratio necessitati subest, neque debet cuiquam officere, quod naturae necessitas afferat. At ne fraudis quippiam surrepat, S^us Tuae prudentiae est, huic quoque malo alia ratione prospicere.

⟨Cardinalis Fanensis⟩ [a].

N. Card. Campegius [2]

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 169, or.

In cap. primo.

169r Beatissime Pater! In bulla providetur, si *contingat pontificem in alma Urbe de hac vita migrare.* Quid, si ipse pontifex extra Urbem decedatur? De hoc casu nulla fit mentio; attamen id non sine magna ratione omissum esse mihi facile persuadeo, sed quia hanc rationem ignoro, idcirco volui hoc annotare.

In cap. 3.

Providet praeterea in bulla S^tas V., ut non expendantur plusquam sex millia ducatorum in omnibus expensis fiendis pro exequiis et electione pontificis. Cuperem, ut haec summa sex millium divideretur et unicuique rei necessariae sive ad exequias pertinens sive ad electionem pontificis sua portio attribueretur. Sunt enim tot ac tanti, qui etiam ex causa onerosa putant sibi multa deberi, ut fere infinitum sit. Sed fortasse parum de officialibus et aliis curialibus curandum nobis est. Populus Romanus, qui tot ac tanta sede vacante putat sibi deberi, me non parum movet; tunc enim maxime optandum est, ut in officio permaneat et obediens sit sacro collegio. Et ut hoc facilius ipse populus praestaret, sede vacante non sine causa maiores nostri illa emolumenta ac regalia ipsi populo constituerunt et largiti sunt. Nec placet mihi illud, quod a non multis cardinalibus respondetur; eo tempore dicemus nobis ligatas esse manus, et non posse aliud facere. S^tas Tua ac Domini mei Rev^mi super hoc cogitabunt, si tamen res erit digna consideratione.

S^tas Tua providet expensis, quae fiunt sede vacante, nec ulla mentio fit de damnis, quae inferuntur sedi apostolicae et camerae per quatuor vel sex dies ante mortem pontificis, quando laborat in extremis, quae et multo maiora et intolerabilia sunt. Crederem huic quoque rei aliqua ratione providendum esse.

196v De capitaneo mihi placeret, ut libera electio relinqueretur collegio sine illa exceptione *dummodo non sit affinis vel consanguineus in tertio gradu alicui ex cardinalibus.* Qui quidem capitaneus approbaretur per duas partes cardinalium per secreta suffragia, ut dicitur in bulla.

[a] *Manu propria cardinalis*

[1] Cfr. quae Lutherus in libro suo: An den christlichen Adel, *Luthers* Werke VII 434 sq. 465 exponit.

[2] Alexander Campegius Bononiensis, nepos Laurentii C. cardinalis et Thomae C. ep. Feltrensis, ep. Bononiensis 1526-1553, cardinalis una cum Bertano, Saraceno et Corneo die 20. Nov. 1551; † 1554. *Van Gulik-Eubel* III 36.

Posset enim accidere, ut vacante sede hic in Urbe esset vel dux Ferrariae vel Mantuae vel Urbini vel aliquis alius magnus princeps vel rex, qui sola auctoritate sine ullo sumptu camerae apostolicae praestaret securitatem ipsi collegio, et possent esse affines vel consanguinei cardinalium. Et ut ceteras rationes omittam, si ille efficitur pontifex, qui per duas partes cardinalium approbatur, quanto magis credendum est illum fore idoneum capitaneum, qui per secreta suffragia a duabus partibus fuerit approbatus.

In cap. 16.

Illud autem, quod sub divini interminatione iudicii et excomunicationis poena a S[te] Tua interdicitur, ne in ipso conclavi cardinales audeant facere conspirationes, conventiculas vel privatas congregationes et ea omnia, quae in hoc capite a S[te] Tua praecipiuntur ac statuuntur, certe, si observari possent, sanctissime ac sapientissime mihi decreta ac statuta esse viderentur. Sed vix fieri posse arbitror, ut illa a cardinalibus observentur, et videntur quasi esse de genere impossibilium. Idcirco potius in hac parte hortatione et precibus uterer quam poena et minis. Haec enim omnium antiquorum semper fuit sententia, ut in statuendo aliquid vel deliberando non solum, utrum illud honestum sit, sed etiam, si fieri possit, esse[t] considerandum.

Haec sunt, quae mihi in hac bulla annotare visum est, quae tamen omnia volo, ut a me dicta sint cum ea modestia et reverentia, quam debeo S[ti] Tuae et DD. meis Rev[mis].

〈Humillimus et devotissimus servus A[lexander] Card[lis] Campegius〉[a].

O. Card. Sfortia [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 171, or.

Multa sunt, Pater S[me], quae in bulla pie et erudite definiuntur, de quibus pro sua benigni- 171r
tate nostram a nobis sententiam petere dignatur. Quorum quae maiori consideratione egere videntur, iis, qui ex hoc amplissimo ordine et aetate et usu rerum longe me antecedunt, cum reliquero, ea modo, quae camerarii munus necessario videntur attingere, quam maxima (ut debeo) reverentia proferam. Non quo mihi incommodet, quicquid ea de re statutum hoc tempore fuerit; ego enim, quaecunque Tu, Pater B[me], et volueris et iudicaveris, etsi magnum mihi damnum inferre possent, ea mihi semper essent charissima [b]. Sed cum camerarii onus mihi impositum sciam cumque de iis nunc agatur, quae ad illud proculdubio pertinent, necessitate urgente coactus libere, summisse tamen, quae sentio arbitror esse dicenda.

Primum igitur illud nimium generatim mihi dictum videtur, quod vivo pontifice maximo camerario non licet, id eius vacante sede non licere. Hoc cum officii dignitas ipsa minuitur, tum camerario rerum confusio in deliberationibus gigni videtur. Postquam enim cardinales ipsi camerarii munus obierunt pontificiaque sedes vacavit, semper camerarius digniorem habitationis locum obtinuit, militum custodiam, magistratuum nonnullorum electionem aliaque id genus quamplurima, quae summorum pontificum atque adeo universorum patrum consensu, non propria auctoritate iam diu viguerunt. Ne igitur urgente quidem necessitate, camerario vero ea, quae diximus, attingere non audente, quod ita generaliter sit
decretum, | republica interim detrimenti aliquid patiatur, ut ambiguum omne tollatur, puta- 171v
rem equidem videndum esse, quaenam tunc temporis camerarium cavere oporteret eaque quam diligentissime perscribenda.

De inde illud etiam, quod camerarium nonnihil attingit, militum duces eos esse non oportere, qui cardinalium affines invenientur, durum fortasse alicui videatur. Quorum enim ducum prudentia fuerat respublica bene gesta, eorum aliquem affinem, si ceteris in rebus dignus esset iudicatus, pontifices in cardinalium ordinem accersebant. Nunc vero, quod affinis modo sit cardinalis, ab omni administratione etiam salutifera decretis excluditur.

Dixi id, quod mihi quidem videtur, verum quicquid tandem, Pater S[me], decreveris, huic non modo non repugnabo, sed libentissime etiam animo complectar.

〈S[tle] V[rae] humillimus servus G[uido] As[canius] card[lis] Camerarius〉[c].

[a] *Manu propria cardinalis* [b] *Constructio mutata, dicendum esset* ea semper pro clarissimis habes
[c] *Manu propria cardinalis*

[1] Guido Ascanius Sfortia de Sancta Flora filius Constantiae, Pauli III filiae, creatus cardinalis die 18. Dec. 1534 unacum Alexandro Farnesio, S. R. E. camerarius a. 1537, † 1564. *Pastor* V 101

P. Card. Sabellus [1].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 173ʳ, or.

173ʳ Beatissime Pater! Animadverti ex lectione bullae reformationis conclavis pro tenuitate ingenii mei nostro collegio maximam fore difficultatem reperiendi virum, qui singulari rei militaris virtute sit praeditus authoritateque polleat, si omnes, qui cardinalium affines intra tertium gradum fuerint, duces non erunt eligendi. Quare, Pater Sancte, satis consultum esse censeo Urbis securitati et nostri collegii tranquillitati, si aliquis, quicunque is sit, cardinalium arbitrio iuxta maioris partis sententiam per secreta suffragia Urbi custos fuerit praefectus.

Quod attinet ad officium maioris poenitentiarii, nullam ei authoritatem imminuerem neque solita potestate privarem. Nam si ea, quae consulto pontifice maior poenitentiarius exercere solebat, facere sede vacante non valeat, et electio summi pontificis in longius tempus differretur, non video, quo pacto isto decreto animarum saluti consulatur; sin autem fortasse veremur, ne consequentibus temporibus maiores poenitentiarii hac potestate, quae ad salutem animarum illis permissa est, ad quaestum utantur, poterit decerni, ut pecuniae, quae sede vacante huiusmodi expeditionibus conficientur, in publicas aut pias impensas erogentur.

Haec et reliqua, Pater Sancte, quae in bulla continentur, pro Tua bonitate et sapientia moderabere, mihi vero, quae restant, non solum probantur et laudantur, verum etiam maximas gratias Deo optimo maximo ago, quod in omnibus moribus, qui ad summam levitatem iam et ambitionem incubuerunt, emendandis et corrigendis eam quam habes mentem dederit.

⟨S^{tia} V^{rae} humillimus servus card^{lis} Sabellus⟩ [a].

Q. Card. Cesius [2].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 304ʳ, or.

In cap. primo.

Conc. 78 f. 304ʳ Constitutio nova super reformatione conclavis mihi probatur, ita ut apertius locum habere possit, ubicumque conclave contingeret celebrari.

In cap. 5.

Commendo S^{ti} V^{rae} authoritatem Rev^{morum} DD. meorum maioris penitentiarii et camerarii publicae utilitatis ratione, et commendo iura eorum officialium, qui vestes lugubres et alia post Romani pontificis mortem titulo oneroso habere consueverunt.

In cap. 3.

Puto advertendum, ne, ubi omnium et singulorum exquiritur votum, id in re maximi ponderis et celerem provisionem exposcente difficultatem seu damnum afferre possit.

Quae post conclavis ingressum statuunturet sigillatim prohibentur: ista possent generaliter prohiberi, et illa Rev^{mi} collegii dispositioni relinqui, si ita sapientissimo B^{nis} V^{rae} iudicio magis expedire visum fuerit, cuius beatissimos pedes devote deosculor et cui perpetuam precor a Deo felicitatem.

B^{nis} V^{rae} ⟨humilis et devotissimus servus Fed[ericus] car^{lis} Cesius⟩ [a].

[a] *Manu propria cardinalis*

[1] Iacobus de Sabellis, ex antiqua stirpe Romana, quae Honorium III et IV procreavit, ortus, cardinalis creatus est die 20. Dec. 1538; † 1587. *Van Gulik-Eubel* III 29.

[2] Federicus de Cesis, ep. Tudertinus 1523–1545, cardinalis creatus est 19. Dec. 1544; † 1565 *Van Gulik-Eubel* III 32.

R. Ea, quae aptata sunt in bulla conclavis iuxta censuras Revmorum DD. cardinalium [1].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 308, or. manu Massarelli exaratum.

In primo capite.

Additum est tempus novem dierum, infra quos exequiae peragi debeant. 308r

Deleta est illa exceptio de Dominicis et maioribus solemnitatibus diciturque nunc indifferenter, quod nullo die intermisso exequiae peragantur.

In secundo capite.

Verba illa *ius eligendi penes ingredientes sit* ⟨deleta sunt⟩ [a] propter clariorem sensum, cum ex eis aliqui offenderentur.

In tertio capite.

⟨Summa sex millium ducatorum augetur ad decem millia, et⟩[b] in exceptionibus expensarum extra ipsam summam decem millium ducatorum in exequiis faciendorum additur etiam victus familiae pontificis, item necessaria pro populi Romani magistratibus.

Ex hoc capite deleta est illa prohibitio, ne consanguinei et affines cardinalium possint esse dux seu capitanei etc. sede vacante, nullaque eorum nunc mentio habetur.

In quarto capite.

Verba illa, quod per ordinem et in orbem eligi debeant deputati etc., aptata sunt et facta clariora.

In quinto capite.

In hoc capite addita sunt quaedam verba moderantia ea, quae prius dicebantur de potestate camerarii maiorisque poenitentiarii. Quibus verbis reservatur ius camerario creandi officiales per eum creari solitos, maiori autem poenitentiario ea, quae prohibentur, prohibentur tantum in foro fori.

In decimoquarto capite.

Ex hoc capite deletum est totum id, quod loquebatur de cardinalibus infirmis e conclavi exeuntibus, quorum nulla mentio nunc habetur.

In decimosexto capite.

Totum hoc caput reformatum est, neque amplius prohibentur colloquia et privatae congregationes; alia quoque, quae prohibebantur, moderata sunt. |

In undevigesimo [c] et ultimo capite.

Additum est, quod etiam praetextu aliarum censurarum cardinales non excludantur ab electione etc. 308v

[a] *corr. ex* immutata sunt [b] *add. in marg.* [c] *corr. ex* vigesimo

[1] Votis cardinalium originalibus a nobis sub litteris A-Q exhibitis *Censurae Revmorum cardinalium in bulla super reformatione conclavis* a Massarello ex illis excerptae (*Conc. 78* f. 305r-307r; minutam vide *ibidem* f. 300r-303v) omittuntur. Non autem omittenda putavimus in hac nostra editione ea, quae cardinalium censuris obsequendo revera usque ad 12. Nov. 1554 in bulla mutata sunt (sub litt. R), necnon *Summarium* illarum censurarum, quae, etsi tunc temporis non approbatae, tanti tamen momenti esse videbantur, ut sub Pio IV, cum bulla aptaretur, denuo considerarentur (sub litt. S). Capitum numeri, qui adhibentur, formae III sunt (ex. gr. Arch. Vat. *Arm. II tom. 40* f. 9r-13r).

S. Summarium censurarum Rev^{morum} et Ill^{morum} DD. cardinalium sub Iulio III in bulla super reformatione conclavis.

[Compositum a Massarello anno 1560].

Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 137^{r}-138^{v}, or. manu Massarelli scriptum.

In cap. primo.

Vat.lat.12127 f 137^{r} In hoc primo capite erant quaedam censurae, quae conveniebant formae bullae, quae eo tempore examinabatur, nunc autem in bulla plumbata ipsae censurae aptatae sunt, propterea superfluum est eas hic ponere [1].

In cap. 2.

In hoc etiam capite aliquae aptatae sunt, aliquae non. Quae remanserunt considerandae, sunt infrascriptae: Dum dicitur, quod finitis exequiis ingressus cardinalium in conclavi ex causa differri possit, videtur esse contra accelerationem electionis et contra concilia generalia. Ideo dicatur indistincte: « peractis exequiis cardinales ingrediantur conclave ». Medices, Carpensis, Moronus.

Vel ipsa causa probari debeat a toto collegio vel ad minusa tribus partibus. Carpensis.

Vel etiam posset differri ingressus cardinalium per 4 aut 5 dies et postea nulla ex causa possit ulterius differri. Perusinus.

Quoad cardinales absentes non expectandos videtur nimius durum, quod cardinales absentes ex publica aut alia iusta causa non debeant expectari. S. Angeli, Viseus.

In hoc autem loco esset specifice tractandum de constitutione Gregorii X quoad ipsos absentes. Videtur enim ea constitutio esse aliquantum sui dissimilis initio ipso et fine. Bellayus.

In cap. 3.

Quod dicitur de grandi periculo etc. omnibus et singulis cardinalibus, addendum videtur « vel saltem duabus partibus ex tribus, cum difficile sit omnes in idem convenire ». Medices, de Cesis, Bellayus.

Quoad potestatem collegii, non videtur satis honestum estque contra maiestatem collegii, quod prohibeatur, ne datarius, thesaurarius, depositarius et alii officiales obediant collegio, et ob malum in futurum aevum exemplum, inobedientiae scil. Sarracenus.

Neque etiam convenire videtur, ut omnis prorsus auctoritas collegio auferatur ob varios casus, qui accidere possunt. Bellayus, Viseus. |

In cap. 5.

137^{v} Maiori poenitentiario relinquenda videtur potestas, quam habet a iure et generalibus conciliis ad obviandum animarum periculis. Idem in officio camerarii pro conservatione et augumento redituum camerae apostolicae. Medices, S. Angeli, Verallus, Sabellus, de la Cueva, de Cesis, Moronus, Fanensis, Camerarius.

Praesertim quoad camerarium, quia is multa potest mortuo pontifice, quae eo vivo non potest. Moronus et alii supradicti.

Vel saltem praescribitur ipsi camerario, quid ipsum cavere debeat, quid non. Camerarius.

Posset etiam statui, quae sede vacante reciperetur ex expeditionibus sacrae poenitentiariae, erogetur in publicas aut pias expensas. Sabellus.

Vel statui posset, ut res graves et, quae moram expectare non possent, non expedirentur absque consilio ceterorum cardinalium. Viseus.

In cap. 8.

Quoad conclavistas addendum esset, quod nemo admitteretur, nisi actu serviret ipsi cardinali et eius continuus commensalis esset. Medices.

Et quod dicitur *tertius [serviens] de consensu maioris partis* posset dici « de licentia trium deputatorum ». Vel tota haec materia conclavistarum remitti posset arbitrio ipsorum trium

[1] Quibus ex verbis apparet, censuras cardinalium ad formam II se referre

deputatorum. Videtur enim inter se pugnare, quod hic dicitur de consensu maioris partis et in fine, quod approbentur a deputatis. Moronus.

Tertius famulus posset concedi etiam sexagenario. Bellayus.

In cap. 10.

Quod dicitur de sola facultate absolvendi relicta pontifici Romano, haec facultas saltem quoad cardinales deberet relinqui alicui, ut puta decano aut summo poenitentiario, cum cardinales ipsi resipiscere possent et poenitere etc., ut missas celebrare et sanctissimum Christi corpus pie et pure suscipere possint, et maxime cum secundum concilia antiqua et cardinales et alii possent a quocunque ordinario absolvi. Medices.

Dum dicitur *nemo admittatur ad colloquium* etc. posset addi «nisi ex causa iudicio trium deputatorum approbanda». Moronus.

Videtur etiam durum, quod hic excommunicentur recipientes litteras intra vel extra conclave, cum ipsi recipientes non dederint causam etc. Et ideo esset addendum « sed teneatur deputatis manifestare sub poenis etc. ». Moronus. |

In cap. 11.

Quod dicitur de victu, primis quinque diebus indifferenter concedi, deinde per 15 dies 138r
uno ferculo contentos esse debere, considerandum est, an ea sint addenda, quae in Clementis VI constitutione continentur. Medices.

Post 15 dies *ad panem et aquam* [etc.]. Videtur hoc duriusculum, cum cardinales hodie non possint ferre inediam, ut olim forsan solebant. Ideo statuendum est, quod observari possit. Bellayus.

In cap. 13 [in forma II: 12].

Auctoritas puniendi transgressores huius constitutionis danda esset iis cardinalibus, qui ad gubernandum conclave electi fuerint, tribuendo eis omnem potestatem puniendi et, si opus esset, ex conclavi expellendi, vocibus privandi etc. Compostellanus[1].

In cap. 14.

Quod dicitur conclavistas infirmitatis causa exeuntes nullo modo reverti posse, addendum videtur, quod non possint exire, nisi infirmitas sit gravis et a medicis medio iuramento comprobata ac etiam a maiori parte cardinalium pro iusta causa admissa, cum nonnulli simulata aegritudine exeant et secreta conclavis denuncient. Medices.

In cap. 15.

Sicut potest quis plures nominare in voto suo, addendum esset, quod ita etiam possit ad plures accedere, cum alias de hoc in conclavi sit dubitatum, neque per accessum vel accessus quis videatur resilire a voto iam dato. Medices, Moronus.

In cap. 16.

Ubi dicitur excommunicationis poenam incurrant, addendum esset etiam alia poena arbitrio futuri pontificis. Moronus.

Vel nunc explicetur ipsa alia poena ad maiorem malorum coherci[ti]onem. Carpensis.

In cap. 19 [in forma II: 20].

Ubi dicitur *praedictarum excommunicationum praetextu* cardinales non excludi ab electione etc., excipiendum esset excommunicatio, quae incurritur, dum quis gerit se pro pontifice non electus a duabus partibus cardinalium, ut dicunt doctores in cap. *Licet* [X] de elect [I 6]. Medices.

Ea, quae in praedicta bulla ultra in ea contenta addi desiderantur.

In hac bulla addendum videtur, quod pontifex eligatur de gremio et collegio cardinalium, sicut per antiqua concilia ordinatum est iuxta cap. [3] *Oportebat* cum sequentibus 79. Dist. et cap. [1] *In nomine Domini* | 23. Dist.[2], quibus conciliis non est derogatum. Medices. 138v

Exprimatur, qua aetate debeat esse eligendus in pontificem sitque ad minus 30 annorum, uti requiritur in ceteris episcopis, cum doctores in cap. *Licet* dicunt, quod contra

[1] Scil. Io. Alvarez de Toledo.

[2] *Friedberg* I 227. 77 sqq.

electum a duabus partibus cardinalium sola infantia et pupillaris aetas opponi possit. Medices.

Statuatur, ut cardinales ante electionem pontificis non possint facere capitula, quae obligent pontificem, nisi concernentia publicam utilitatem, non autem privatam, quoniam sic sapiunt speciem symoniae, cum obligant pontificem futurum ad dandum civitates, castra et similia. Medices.

Item statuendum videtur, ut sacrista, magistri ceremoniarum et alii officiales habitent etiam ipsi sub cortinis, non autem sub lateritiis cameris neque possint locare eorum cameras aliis cardinalibus. Medices.

Videretur addendus aliquis modus, quo haec constitutio executioni demandaretur. Moronus, Compostellanus, Verallus, Viseus.

Possent ad id eligi ante vel post ingressum conclavis a toto collegio 3 cardinales, qui etiam iurarent transgressores se notaturos et eos futuro pontifici denunciaturos; et quod quilibet cardinalis iuraret se puniturum transgressores, si eum summum pontificem fieri contingeret. Moronus, Viseus.

Viderentur in aliquo loco prohibendi etiam libelli famosi et conventiones atque sponsiones, quae fiunt de futuro pontifice eligendo, ut removeatur omnis ansa sciendi, qua quis cardinalis in conclavi in existimatione sit. Viseus.

Deberet etiam statui, ut vota dentur aperta, ut olim fiebat. Viseus.

Quae post conclavis ingressum statuuntur et sigillatim prohibentur: ista possent generaliter prohiberi et illa Rev^mi collegii dispositioni relinqui. De Cesis.

Videretur etiam providendum damnis, quae fiunt ante obitum pontificis per 3 aut 4 dies, cum laborat in extremis. Bononiensis[1].

Prohibendum etiam esset, ne litteris aut nuntiis percontari liceret apud principes saeculares, quem ipsi in pontificem eligi mallent. Perusinus.

Addatur decretum irritans et amovendo auctoritatem aliter declarandi seu interpretandi sub censuris etc., quam in hac constitutione contineatur. Sarracenus.

44.

Bulla edita a Iulio III pont. max. super reformatione conclavis[a 2].

[12. Nov.] 1554.

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 176r-181v, cop. cum notulis sub Marcello II confectis in marg. et supra lin. [= A]; *Vat. lat. 12199* f. 247r-252v, cop. coaeva ex *Vat. lat. 12127* hausta; Arch. Vat. *Conc. 79* f. 125v-130r et f. 197r-202r, copiae coaevae; *Arm. II tom. 40* f. 9r-13r, cop. coaeva cum inscriptionibus capitum in marg. adnotatis [= B].

Vat.lat.12127 f. 176r

Iulius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In eligendis ecclesiarum praelatis, quibus et humana et divina ministeria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur patrum nostrorum sacratissimae leges, quas illa magna securitate de episcoporum et aliorum praelatorum qualitate ediderunt propterea, quod a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, ecclesiastica disciplina, denique animarum eis commissarum salus proficisceretur, a malis vero contra non nisi mala, nempe avaritia, negligentia, fastus et animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet ecclesiarum pastoribus tantopere providendum est, ne quis assumatur indignus, maiorem certe et perspicaciorem diligentiam in Romano pontifice eligendo, qui ceteris pastoribus est praefuturus et totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi. Hac sancta meditatione permoti praedecessores nostri et praesertim fe. re. Alexander III, Gregorius X, Clemens V et Iulius II nonnullas constitutiones sanxerunt ad providendum, ut summorum pontificum electiones libere, recte et mature fierent[3]. Sed quoniam res humanae semper in

[a] *A Inscriptio manu Massarelli; add.* demptis notulis sub Marcello II adnotatis mense Aprilis 1555, *quas notulas hic adnectimus*

[1] Scil. Alex. Campegius.
[2] De hac forma bullae, quae est tertia, cfr. quae ad n. 43 adnotavimus.
[3] Citationes vide in forma secunda n. 43.

deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas assidue retineat et conservet, verendumque sit, ne aliquando propter earum constitutionum desuetudinem suborti abusus longius serpant et progrediantur, Nos, quantum cum Deo possumus, futuris casibus et periculis occurrere volentes, eorundem praedecessorum | nostrorum constitutiones tum innovando, tum decla- 176v rando et, quae rerum et temporum necessitas requirit, supplendo de fratrum nostrorum unanimi consilio atque assensu definimus, statuimus et ordinamus [a]:

[1.] Ut, cum summum pontificem de hac vita migrare contigerit, cardinales praesentes solitas novem continuorum dierum exequias ⟨omnino infra tres dies peragere incipiant, nec ullo praetextu ulterius differant⟩ [b]. Et ne quid impedimento esse possit, quominus exequiae ipsae nono die [c] absolvantur, si quando ob reverentiam diei Dominicae vel alterius magni et praecipui festi officium exequiarum intermitteretur, dies illi sic intermissi in numero novem dierum nihilominus computari debeant, et impensa, quae in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur. ⟨Ac ut superfluis quoque sumtibus, qui iam in immensum creverunt, modus imponatur, funus simplicius, quam consueverit, fiat, ita ut in eo decem millium ducatorum summam pannis lugubribus et regaliis ac aliis omnibus omnino computatis impensa non excedat⟩ [d].

[2.] Finitis vero exequiis conclavis ingressus ulterius nisi ex causa a duabus partibus cardinalium praesentium per secreta suffragia probanda prorogari et differri nequeat, sed sequenti die missa de Spiritu Sancto celebrata, sive cardinales absentes venerint sive non, qui fuerint praesentes, statim conclave ingredi teneantur et ingredientes ipsi in electionis negotio procedant. Si qui vero forte non intra|verint, constitutio Gregorii X in concilio 177r Lugdunensi edita cum eis servetur, declarantes nihilominus, quod postquam cardinales praesentes aliis cardinalibus ex quacunque, etiam publica causa, etiam cum licentia summi pontificis absentibus ulterius non expectatis, conclave, ut praefertur, ingressi fuerint et electionem fecerint, electio huiusmodi ex itineris aut alterius etiam probabilis et notorii ipsorum cardinalium absentium impedimenti praetextu impugnari minime valeat, cum publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi praeferri debeat, districte etiam prohibentes quibusvis personis cuiusvis status aut dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, etiam si cardinalatus aut imperiali vel regali honore aut maiestate praefulgeant, ac eorum oratoribus vel nuntiis sub excomunicationis sententiae poena, quae per solum summum pontificem extra mortis articulum relaxari valeat, ne contra praemissa etiam per viam protestationis et alio quovis modo aliquid attentare audeant vel praesumant. Quod si secus forsan quavis auctoritate scienter vel ignoranter ante vel post electionem fieri contigerit, illud tanquam contra sacros canones et libertatem ecclesiasticam factum aut attentatum nullius roboris vel momenti ac irritum sit et inane.

[3.] [e] Sedis autem vacatione durante collegium cardinalium in iis, quae ad pontificem maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat neque gratiam neque iustitiam faciendi aut factam | per pontificem mortuum 177v executioni demandandi, sed ea omnino futuro pontifici reservare teneatur, neque de statu temporali Romanae ecclesiae, neque de pecuniis camerae apostolicae aut datarii et pro solutione debitorum ante obitum pontificis quomodolibet contractorum vel alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quicquam disponere possit, neque camerarius, thesaurarius, datarius, depositarius, castellanus arcis S[ti] Angeli aut alii officiales contra harum constitutionum tenorem collegio obedire teneantur, quinimo, si eis in talibus obtemperaverint, aut ipsi etiam ex eorum officiis contra praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo proprio camerae apostolicae plenarie satisfacere et quaecunque damna ad eligendi pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit, erit ⟨praefata decem millium ducatorum summa⟩ [f], item illud, quod pro victu familiae pontificiae ante conclavis ingressum ac post ingressum pro pauperum officialium palatii per camerarium et priores ordinum describendorum victu ac etiam pro elemosinis sede vacante fieri consuetis itemque pro defensione terrarum ecclesiae vel partis earum necnon pro pontificis Romani magistra-

[a] *B in marg.* Cap. primum. Exequiae demortui pontificis non intermisso tempore superfluisque omissis expensis peragantur [b] *A del.; supra lin.* peragant [c] *A add.* postquam inceptae fuerint [d] *A del. et add. in marg.* Exequiae vero ipsae tales erunt, quales pontificiam dignitatem deceant, sumptuum autem modus in ipso novem dierum funere is statuatur, qui cardinalium collegio honestus reique ac tempori conveniens esse videbitur. *B add. in marg.* Cap. 2. Peractis exequiis ingressus cardinalium in conclavim nisi ex causa non differatur, quaeve aut non intrantium aut absentium ratio haberi debeat [e] *B add. in marg.* Cap. 3. De potestate collegii cardinalium sede vacante [f] *A del.; in marg. add.* ea summa, quae per cardinalium collegium in exequiis faciendis decernetur

tibus et custodia Urbis et conclavis illiusque fabrica et aliis provisionibus opportunis necessarium erit. Qui vero numerus militum conscribendus, qui dux et capitanei eligendi, et quae 178r impensa pro defensione terrarum | et locorum ecclesiae et securitate ac provisionibus conclavis facienda sit, cardinales praesentes per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut maioris partis sententia obtineat. Id quod observandum erit etiam in gubernatoribus Urbis tam ultra pontem quam citra et in omnibus aliis officialibus eligendis. Si vero ultra praefata aliquod grande periculum immineret, cui iuxta ordinationem G r e g o r i i X omnibus et singulis cardinalibus praesentibus concorditer et nemine discrepante videretur celeriter occurrendum, postquam ita omnibus et singulis visum fuerit, tunc collegium iuxta maioris partis sententiam per secreta suffragia de remedio opportuno providere possit et debeat.

[4.] [a] Statuimus etiam, quod t r e s c a r d i n a l e s a n t i q u i o r e s, unus videlicet ex quolibet ordine, una cum camerario post pontificis obitum reliquos cardinales congregare et occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi et, ut conclave bene undique claudatur, curandi ius habeant; ⟨ipsorum autem officium post conclavis ingressum omnino expiret eorumque loco alii de quolibet ordine tertio quoque die cum eadem potestate sorte eligantur⟩ [b].

[5.] C a m e r a r i i quoque et m a i o r i s p o e n i t e n t i a r i i o f f i c i a, quae etiam sede vacante durant, ita durare declaramus, ut ea, quae praesenti constitutione prohibentur, et quae pontifice vivente exercere communiter non consueverant, seu a quibus pro eiusdem pontificis 178v reverentia aut alias quomodolibet | abstinebant, minime usurpent, alioquin in quibus contrafecerint, ea nulla et irrita sint et nemini suffragentur, ita tamen, ut ipsi camerario eligendi atque deputandi officiales, quos sede vacante eligere et deputare consuevit, summoque poenitentiario quoad forum conscientiae ius illaesum permaneat.

[6.] [c] D a t a r i i vero ministerium per eiusdem pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minime habeat, sed quascunque supplicationes gratiarum et iustitiae penes eum aut eius ministros adhuc existentes, etiam si iam datatae fuerint, collegio cardinalium statim sub sigillo clausas praesentare teneatur; quod si contra praemissa quicquam ad cuiusvis etiam cardinalis instantiam attemptare praesumpserit, irritum et inane existat et nihilominus falsi crimen incurrat, illius rationem futuro pontifici redditurus.

[7.] [d] Post c o n c l a v i s autem ingressum interdicimus et expresse prohibemus sub beneficiorum et officiorum privationis poena atque etiam sub alia, arbitrio gubernatoris ad custodiam conclavis deputari soliti infligenda, ne quis immediate supra aut infra conclavi seu a lateribus habitare vel morari possit. Quae loca muris claudi et a praesidentibus custodiae conclavis et a dicto gubernatore saepius visitari debeant, et si qua fraus fiat, teneatur dictus 179r gubernator sub periurii et | suspensionis a divinis poena eo ipso incurrenda delinquentes huiusmodi cardinalibus pro tempore deputatis revelare curareque, ut delinquentes ipsi carcerentur et acriter puniantur. Et qui in ipsius conclavis muris aut laquearibus seu pavimentis vetita foramina fecerint aut fieri mandaverint, severissimis poenis afficiantur et conscii de praemissis eadem poena teneantur, nisi statim, si intra conclave fuerint, eisdem cardinalibus deputatis, si vero extra conclave, gubernatori et praelatis praepositis revelaverint. Qui quidem gubernator et praelati sub periurii poena in hoc invigilare et opportune providere debeant.

[8.] [e] Quilibet autem cardinalis in conclavi duobus [f] s e r v i e n t i b u s clericis vel laicis contentus sit, infirmis tamen et graviter affectis a maiori parte collegii per secreta suffragia tertius [g] ad summum indulgeri possit. Qui servientes familiares domestici [h] ipsius cardinalis esse debeant et non mercatores, argentarii, ministri principum, domini temporales aut iurisdictionem habentes, neque fratres neque nepotes cardinalium, etiam si impensis ipsorum cardinalium viverent, et de qualitatibus conclavistarum huiusmodi cardinales deputati ante conclavis ingressum diligentem inquisitionem habere et eos approbare debeant.

[9.] [i] Sacrista quoque cum duobus clericis coadiutoribus in officio sacristiae et uno ser- 179v viente[k], duoque magistri ceremoniarum cum singulis servientibus tantum | conclave ingrediantur,

[a] *B in marg. add.* Cap. 4. Qui ante conclavis ingressum ius congregandi cardinales congregatisque opportuna proponendi atque, ut ipsum conclave fideliter claudatur, curam habituri sint [b] *A del.; B in marg. add.* Cap. 5. De officio et potestate camerarii maiorisque poenitentiarii sede vacante [c] *B add. in marg.* Cap. 6. Datarii ministerium pontificis obitu expiret [d] *B add. in marg.* Cap. 7. Habitationes immediate iuxta conclave omnisque a paretibus fraus prohibeatur [e] *B add. in marg.* Cap. 8. De numero et qualitate personarum singulis cardinalibus in conclavi servientibus [f] *A del.; add. supra lineam* tribus [g] *A del. et add.* quartus [h] *A del. et add.* continui commensales [i] *B add. in marg.* Cap. 9. De sacrista et aliis conclavis officialibus personisque in eo communiter servientibus [k] *A add. in marg.* Duo item sive seculares sive regulares clerici probatae vitae cum uno serviente ad audiendas confessiones

missis celebrandis et aliis, quae ad ipsos pertinent, inservituri. Adsit praeterea unus collegii secretarius tantum, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus famulis, unus faber lignarius, unus cementarius, duo barbitonsores cum uno aut duobus servientibus, item sex aut octo servientes publicae commoditati et necessitatibus omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi et similibus necessariis ministrandis. ⟨Qui omnes⟩ [a] a cardinalibus deputatis, non tamen ex familia alicuius cardinalis, eligantur et eis salaria de publico persolvantur. Quod si ultra praefatas personas in conclavi aliquis reperiatur, expelli statim debeat, et si quis uspiam se occultasse deprehendatur, ignominiose expellatur et infamia notetur et officiis ac beneficiis privetur; conscii vero sub eadem poena illos collegio revelare teneantur, praemium reportaturi, si indicaverint.

[10.] [b] Clauso vero conclavi nulli ad colloquium, etiam extra portam conclavis, etiam principum oratores, nisi ex magna et urgenti causa a maiore parte collegii approbanda admittantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum conclave et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu et ordine ipso facto privatus existat et tradatur aut relinquatur curiae saeculari acerrimis poenis puniendus, | 180r literas vero aut cuiusvis generis scripta ad eos, qui in conclavi sunt, seu nuntium vel notam aut signum aliquod mittere seu recipere, aut contra e conclavi ad illos, qui foris sunt, nullo modo liceat. Qui contrafecerint, quacunque dignitate praefulgeant, poenae excomunicationis latae sententiae subiaceant, ⟨absolvendi facultate praeterquam in mortis articulo soli pontifici maximo reservata⟩ [c].

[11.] Cardinales autem primo die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio quam in cena uno solo ferculo unius speciei sint contenti. Nec quisquam in [d] alterius cella vel de alterius ferculo vescatur. Si vero (quod absit) infra quindecim dierum spatium non fuerit ecclesiae de pastore provisum, panis, vinum et aqua iuxta Gregorii X constitutionem tantummodo ministretur eisdem, donec provisio subsequatur.

[12.] [e] Si qui tamen aliquo manifesto et minime contemnendo morbo laboraverint, possit ipsorum infirmorum ac medicorum omnium in conclavi existentium testimonio cum iuramento praecedente a cardinalibus deputatis, in quo eorum conscientiam oneramus, indulgeri, ut infirmitatis curationi necessaria eis ministrentur.

[13.] [f] Praelati quoque et reliqui ad custodiam conclavis deputati sub poena periurii et suspensionis a divinis maxima et exquisita diligentia utantur in inspiciendis ac perscrutandis epulis et aliis rebus ac personis conclave intrantibus | 180v et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine literae aut notae vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares cardinalium vel alii delinquentes ultra poenam periurii et inhabilitatis ad obtenta et obtinenda [beneficia] per saeculares magistratus carceribus mancipentur, exinde nisi de mandato novi pontificis minime relaxandi, omni facultate collegio cardinalium in favorem quorumcunque, qui in praemissis omnibus et singulis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

[14.] [g] Conclavistae vero et quicunque alii servientes conclave infirmitatis causa exeuntes nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi ipsi exeunt, ingrediantur.

[15.] [h] Statuimus etiam, ut primo die, postquam conclave clausum fuerit, sine ulla omnino retardatione ad scrutinium procedatur; quod singulis diebus, etiam festis, fiat, ⟨utque in primo scrutinio accedere liceat⟩ [i] nec per accessum videatur quis discedere aut resilire a voto iam dato, sed eum, ad quem accedit, aliis a se nominatis aggregare.

[16.] [k] Illud autem tam cardinalibus quam aliis quibuscunque in primis interdicimus et sub divini interminatione iudicii ac excomunicationis latae sententiae poena, a qua nonnisi a summo pontifice praeterquam in mortis articulo absolvi possint, prohibemus, ne pro ipsius pontificis electione conspirationes, condicta, pactiones et alios quoscunque illicitos tractatus inire [l] |

[a] *A del.; add. in marg.* Qui sex aut octo servientes ex iis familiaribus pontificis defuncti, qui in palatio apostolico huiusmodi officiis inservire solent, recipiantur. Omnes autem supranominati [b] *B add. in marg.* Cap. 10. Colloquia nonnisi ex causa aut personae aut litterae alicuiusque generis notae intra vel extra conclave mittantur [c] *A del.; B add. in marg.* Cap. 11. De vita [*lege* victu] cardinalium in conclavi [d] *A* ad [e] *B add. in marg.* Cap. 12. Cardinalibus infirmis in conclavi necessaria ministrentur [f] *B add. in marg.* Cap. 13. Exacta inquisitio epulis ceterisque rebus et personis in conclavi recipiendis per custodes adhibeatur [g] *B add. in marg.* Cap. 14. De conclavistis infirmis de conclavi exeuntibus [h] *B add. in marg.* Cap. 15. De scrutinio et accessu [i] *A del.; add. in marg.* Utque in primo scrutinio iuxta laudabilem ab immemorabili tempore consuetudinem accedere non liceat, in aliis autem liceat [k] *B add. in marg.* Cap. 16. Conspirationes, condicta, pactiones aliique illiciti tractatus in conclavi non fiant. [l] *A add. in marg.* aut ambire et prensare per se vel per alium vota ad suimetipsius vel alterius electionem

181^{r} minasve inferre vel denique ea facere, ob quae electio retardetur vel non rite et recte fiat, aut minus libera suffragia sint, per se vel alium audeant sive praesumant.

[17.] [a] Quia vero parum esset iura condere, nisi forent, qui ea executioni demandarent, statuimus et ordinamus, ut praelati, rectores et officiales Urbis ac principum oratores et illustres viri, quos a collegio pro custodia conclavis eligi continget (eligere autem collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur), praemissa omnia plene et inviolabiliter ac sine fraude et dolo aliquo observari faciant, de quo corporale iuramentum coram ipso collegio ante ingressum conclavis praesentare [b] teneantur. Quae quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum [c] commiserint, praemissas poenas et ceteras in dicta constitutione Gregorii X contentas incurrant.

[18.] [d] Volumus autem neque per praelatos neque per rectores aut officiales praefatos ultra quam praemittetur cardinales arctari, neque praesentes has nostras constitutiones per collegium cardinalium ullo modo alterari, corrigi aut immutari posse, sed coram omnibus de verbo ad verbum in omni conclavi legi et iurari eo modo, quo leguntur et iurantur constitutiones Iulii II et aliorum praedecessorum nostrorum, quorum constitutionibus et poenis in eis contentis per hanc nostram sanctionem derogare non intendimus, sed magis eas confirmare, innovare et comprobare.

181^{v} [19.] [e] Et ne dis|sensionis occasio aut schismatis oriatur, volumus censurarum et excomunicationum praefatarum et aliarum quaruncunque praetextu cardinales a pontificis electione active vel passive excludi nullo modo posse. Quas quidem excomunicationes et censuras ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus ac suspensas esse volumus ac declaramus. Decernentes quoque excomunicationes et censuras ipsas eum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios conclavi durante cum eo conversantes, praemissis ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque [f]. Nulli ergo etc. Datum Romae apud S. Petrum anno 1554 pridie Idus Novembris pontificatus nostri anno quinto.

45.

Pro informatione Rev^{morum} DD. reformatorum quoad officium datariatus [g] [1].

[27. Febr. 1551] [2].

Romae Arch. Vat. *Conc.* *78* f. 96^{r}-97^{v}, or.

Modus, qui in datariatu quoad dispensationes et facultates dandas servatur, exponitur

Conc. 78 f. 96^{r} Quae antea passim, hodie autem aliqua discrete, aliqua vero minime conceduntur, sunt infrascripta; ⟨Rev^{mi} DD. poterunt pro sua prudentia considerare, si ultra haec sint alia reformanda, et an desuper sit facienda aliqua declaratio vel constitutio vel decretum⟩ [h]:

Non dispensatur super defectu aetatis in monasteriis aut prioratibus conventualibus nec dignitatibus neque curatis beneficiis. Idem fit in commendis, quae hodie reputantur,

[a] *B add. in marg.* Cap. 17. Ad custodiam conclavis deputati iurent sua autoritate, ut omnia huius constitutionis decreta inviolabiliter observentur [b] *A del.; add.* prestare [c] *A add. supra lin.* aut fraudem [d] *B add. in marg.* Cap. 18. Custodes conclavis ultra quae in hac constitutione continetur [*lege* continentur] cardinales non arctentur, neque cardinales eam ipsam constitutionem mutare queant [e] *B add. in marg.* Cap. 19. Cardinales praetextu censurarum ex hac lege fortasse incurrendarum seu aliarum quaruncumque a pontificis electione excludi nequeant [f] *A add. in marg.* et ut praesentium ignorantia allegari non possit etc.; *et in uncis* ponatur clausula publicationis in locis consuetis in curia [g] *Inscriptio manu Pontificis exarata* [h] *add. manu Pontificis*

[1] Folio praecedenti manu Massarelli scriptum est: *Quae reformavit Iulius pp. III in datariatu.* Summarium fere, sed paucis locis differens, huius informationis sunt *Capita eorum, quae reformanda erant in officio datariatus transmissa ad Rev^{mos} deputatos die 27. Febr. 1551*, quae inveniuntur *Conc. 78* f. 373^{r}. Addita est *Dispensatio deferendi habitum subtus pro regulari*, omissa sunt illa de ordinibus suscipiendis, de homicidis, de bigamis, de matrimonio, de episcopis titularibus, de gratiis et coadiutoriis, de idiomate, de cassatione processuum et commutatione testamentorum. De origine datariatus vide *W. v. Hofmann*, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden I (Rom 1914) 80 sqq., *L. Célier*, Les dataires du XVe siècle et les origines de la Daterie apostolique (Paris 1910). Pro tractatibus sequentibus magna cum utilitate adhibebit lector *P. Rebuffus*, Praxis beneficiorum (Venetiis 1554).

[2] Cfr. adn. praecedentem et *Conc. Trid.* II 217, 10 sqq. Iam mense Martio 1550 Iulius 6 cardinales pro reformatione datariatus deputavit, cfr. supra n. 32, V.

ac si in titulum conferrentur. Si aliquando pro aliquo illustri viro ex urgenti necessitate dispensatum reperietur, factum est cum moderamine, deputato videlicet administratore in spiritualibus usque ad aetatem legitimam et assignata certa congrua portione pro mercede ipsius administratoris.

Non dispensatur super pluralitate beneficiorum incompatibilium nisi pro nobili aut graduato iuxta iuris communis dispositione[m] [1] et tunc nonnisi ad duo tantum et nunquam sub eodem tecto. Et ideo in provisionibus de vacantibus aut vacaturis in clausula *una cum obtentis et obtinendis* semper additur *dummodo inter se compatibilia sint* [a]. Idem fit in commenda, quae, ut dictum est, habetur pro titulo et inducit hodie incompatibilitatem. Uniones ad vitam, quae sunt palliatae dispensationes, ex quibus aliquando repertum fuit, aliquem obtinuisse viginti incompatibilia et ultra, hodie nunquam dantur. Uniones etiam perpetuae non conceduntur, et si ex urgenti et legitima ac pia causa concessae reperiuntur, non sunt de beneficiis alienae diocesis, nec | ⟨regularia uniuntur⟩ [b] saecularibus. Beneficia 96v etiam regularia solita dari in titulum non commendantur.

Non dispensatur cum episcopis, ut non teneantur suscipere munus consecrationis, nec cum inferioribus, quod non teneantur promoveri ad sacros ordines. Et si aliquando factum reperietur, erit pro unica vice tantum sine spe ulterioris prorogationis et ad brevissimum tempus.

Non dispensatur cum regularibus ad obtinendum beneficia alterius ordinis aut saecularia, etiamsi sint curata, nec ad deserviendum pro alio in beneficio curam animarum habenti, neque de stando aliquo praetextu, etiam infirmitatis, extra monasterium, nisi de consensu superioris, nec quod testari possit de aliquibus bonis, etiam sua industria quaesitis, neque eximuntur aliquo colore ab obedientia superioris, et hac ratione non fiunt amplius aliqui praedicatores apostolici. Non conceditur etiam eis aut monialibus facultas eligendi confessores nec dicendi officium nisi sui ordinis, etiam extra conventum, nec fabricandi aut habendi cameras particulares.

Non dispensatur cum homicidis ad altaris ministerium nec ad beneficia curata.

Non dispensatur super bigamia nisi pro excellenti viro et noto, quod etiam raro fit.

Non dispensatur cum constituto in ordine diaconatus aut subdiaconatus ad contrahendum matrimonium. |

Non dispensatur super matrimonio contracto, etiam per sola verba de praesenti, 97r ut eo non obstante possit cum alio contrahi, etiam de consensu utriusque.

Non dispensatur filius spurius ad obtinendum sui parentis beneficia, et si aliquando ex magna instantia factum fuit, nunquam de dignitate aut canonicatu vel praebenda seu alio beneficio ecclesiae cathedralis.

Non datur amplius indultum de percipiendis fructibus in absentia, etiam residentis in altero beneficio seu in Romana curia, nisi causa studii, quae est in iure expressa [2], et residendo in studio universali et nunquam de quotidianis distributionibus.

Indultum de non faciendo in provisionibus mentionem de defectu natalium raro datur, et tunc semper exceptis cathedralibus.

Non datur indultum alicui episcopo titulario [c] exercendi pontificalia in aliena diocesi, nec promovendi quoscumque ad eum se conferentes.

Clerici non eximuntur a suo ordinario, etiam praetextu litis inter eos, nisi iuncta saevitia, quod est iuris [3], nec fit amplius gratiose, sed committitur iudici, ut eximat, constito sibi de saevitia ex causa litis. Prothonotariatus et accolitatus, ex quibus sequebatur exemptio, amplius non conceduntur, et si aliquando est concessum, fuit cum clausula *et citra exemptionem ab ordinario.*

In gratiis ad vacatura nunquam derogatur mensibus ordinariis collatoribus concessis. Non fiunt reservationes mentales. |

Non dantur regressus seu accessus aut coadiutoriae nisi de consensu et, nisi ipse 97v petens coadiutorem illo (vel quia senio confectus vel quia valetudinarius) indigeat, etcoadiutor sit in omnibus habilis.

Non derogatur regulae de idiomate [4] in curatis.

[a] *del.* fuerint [b] *corr. a Pont. ex* de regularibus [c] *sic!*

[1] C. 28 *De multa* X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[2] C. 5 *Super specula* X de mag. V 5, *Friedberg* II 770 sq.

[3] Cfr. *Ferraris* s. v. exemptio.

[4] C. 14 *Quoniam* X de off. iud. I 31, *Friedberg* II 19 sq. Regulae cancellariae Iulii III (Romae 1550) hanc continent regulam: *Si contingat ipsum alicui personae de parochiali ecclesia providere..., nisi dicta persona intelligat et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi huiusmodi ecclesia consistit, provisio... nullius sit roboris vel momenti.*

Non datur facultas promoveri se faciendi a quocunque.

In absolutionibus clericorum delinquentium in partibus non datur cassatio processuum.

Non conceduntur commutationes voluntatum testatorum, nisi relicta fuerint incertis locis aut personis, et tunc in alios similes pios usus.

Ultra [a] praedicta in qualibet signatura coram papa, prout materiae proponuntur, reformat aliqua et prohibet proponi vel concedi.

Si quis quaereret [1], quae sint ea, quae conceduntur, sciat se quaerere rem infinitam, quia nullae sunt in orbe christiano materiae, quae interdum non veniant ad ⟨signaturam papae⟩ [b], et quotidie accedunt novi casus, in quibus cura est referendariis et praepositis signaturae ac praesertim S[tis] S., ut non laedatur ius divinum neque ius tertii, neque fiant gratiae, quae possint generare scandalum. Propterea visum est opportunum, ut haec pauca annotarentur, quae non conceduntur, licet multa alia sint, quae non sunt scripta in libro hoc.

46.

[De expeditionibus signaturae] [2].

[Mense Novembri 1552].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 90r-92v, cop. coaeva cum additamentis alterius manus, quae adnotamus.

I. Casus, qui signaturae papae reservantur. II. Casus, qui in signatura ordinaria expediuntur.

I.

Conc. 78 f. 90r Quae in signatura papae frequentius proponuntur, sunt istae [c]:

Uniones perpetuae; dissolutiones unionum; dismembrationes fructuum; erectiones etc.; suppressiones etc. Istae quinque materiae non nisi ex causis rationabilibus, quae in signatura plene examinantur, et raro fiunt.

Coadiutoria cum successione non datur nisi senio confecto vel cum expressione grandis aetatis vel aliis ex causis, per quas verisimiliter appareat, quod petens coadiutore illo necessario indigeat; ⟨videtur tamen, quod plus sit in consideratione successio quam coadiutoria; est tamen satis colorata gratia⟩ [d].

Reservatio nominis et residentiae pro resignante. Ista gratia est valde frequens in dignitatibus et canonicatibus et ubique bene recipitur. Datur tamen, quod alter alterius loco residere possit accedente consensu capituli, quo fit, ut chorus sit semper plenus.

Regressus et accessus. Haec est materia antiqua et nota.

Reservatio omnium fructuum etc. Similiter, et nihilominus resignans tenetur ad omnia onera, et ita ponitur decretum in expeditione litterarum.

Dispensationes matrimoniales. In quarto et tertio [gradu] dantur passim tam de contracto quam de contrahendo [matrimonio]; in aliis vero inferioribus gradibus, prout in secundo, haec [dispensatio] est specialiter reservata papae, qui secundum locorum ac personarum ac intercedentium qualitates, prout expedire videt, facit; et raro fit de contrahendo [matrimonio]. In primo autem et secundo [gradu] in linea inaequali nunquam vel raro facit. |

90v Dissolutio matrimonii non consummati. Vix potest induci papa ad faciendum, etiam ex causa valde colorata et de consensu, et nunquam aut raro fit.

Legitimationes. Conceditur absque praeiudicio venientium ab intestato.

[a] *Hinc manus Massarelli* [b] *In autographo Pontificis del.* manus datarii [c] *Supple* expeditiones [d] *add. manu altera*

[1] Haec ultima pars manu Pontificis exarata etiam *Conc. 78* f. 373r extat.

[2] Cfr. supra n. 34 ad diem 12. Nov. 1552. De signaturae apostolicae historia vide *B. Katterbach*, Referendarii utriusque signaturae a Martino V ad Clementem IX et praelati signaturae supplicationum a Martino V ad Leonem XIII (Città del Vaticano 1931) p. XI-XVI; *W. v. Hofmann*, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden I (Rom 1914) 67-79. Auctorem de signaturae usibus optime imbutum esse tractatus ipse demonstrat. Quare vel inter ipsius signaturae officiales quaerendus videtur vel forsan idem est cum card. signatario I. A. de Medicis (cfr. *Katterbach* l. c. 104).

Commutationes ultimarum voluntatum. In hoc signatura est valde difficilis, et nunquam fit, quando agitur de praeiudicio alicuius personae vel loci, ⟨et providendum esset, ne alii concederent⟩ [a] [1].

Indultum utendi pontificalibus. Hoc datur praelatis honestis prout sunt abbates et dignitates in collegiatis [ecclesiis] obtinentibus principales.

Indultum resignandi et permutandi. Hoc est valde scandalosum propter plura, et praesertim propter suspicionem simoniae et derogationem de infirmis resignantibus, et similia indulta deberent revocari.

Facultas transferendi pensionem. Datur personis gratis et de consensu et, dummodo non transferatur plus quam medietas fructuum, et bonum esset revocare facultates sine consensu.

Licentia testandi. Pro clericis saecularibus datur passim petentibus, denegari tamen solet regularibus.

Indultum deferendi habitum subtus. Cum difficultate datur per signaturam [2].

Absolutiones ab homicidio et aliis delictis. A multo tempore citra vix aut raro pro homicida datur ad altaris ministerium, et denegatur cassatio processuum seu poenae per ordinarium impositae.

Commutationes poenarum. Rare conceduntur nisi in levioribus.

Dispensatio retinendi vel assequendi pensiones pro milite. Conceduntur ex gratia papae.

Indultum de non residendo et percipiendis fructibus in absentia. Hoc non datur. |

Licentia visitandi per procuratorem. Consuevit dari, tamen advertendum 91r
est ad clausulas.

Exemptio. Exemptio non datur hodie, nisi lite pendente ordinarius saeviat, et a certo tempore citra consuevit committi iudici, qui sibi constito de saevitia [pro] arbitrio suo concedat exemptionem.

Conservatoria. Multae sunt expeditae extraordinariae et extra formam; quae essent reducendae vel ad terminos iuris vel ad formam quinterni aut, ut dicitur alias fecisse Alexander VI, ad certam aequalem formam [3].

Comitatus cum suis facultatibus. Limitentur facultates praesertim doctorandi et creandi vicecomites cum eius facultatibus [4].

Prothonotariatus, accolitatus. Providendum est circa eorum exemptionem, vel reformetur dispositio novissimi Lateranensis concilii [5] saltem circa qualitatem delictorum.

Indultum deserviendi per capellanum ad nutum. Non esset inconveniens, quod ex legitima causa posset concedi capellanus [b], tamen approbaretur per ordinarium.

[Facultas] audiendi confessiones quorumcumque. Non est concedenda haec facultas, quia hac via confunditur ordo ecclesiasticus.

[Facultas] absolvendi in casibus episcopalibus. Simili modo.

[Facultas] arrendendi fructus etc. anticipata solutione. Hoc remittitur gratiae papae, et solet concedi pro curialibus et personis gratis et ex causa et ad biennium tantum.

Accessus per retrocessionem litteris non confectis. ⟨Turpe videtur, quod approbetur pactum [c] partium in eo, quod quis resignat ad hoc, ut in continenti resignatarius litteris non confectis retrocedat reservato sibi accessu, quia videtur turpis circuitus; quod tamen, si ex intervallo fieret sine pactione ex pecunia partium alia superveniente causa, esset tollerabile, et melius esset dare accessum de consensu simpliciter quam per viam istius turpis circuitus⟩ [d]. |

[a] *add. altera manu* [b] *del. vicarius* [c] *Cod. factum* [d] *Manu altera scriptum*

[1] ex. gr. poenitentiaria. Vide taxam tempore Clementis VII adhibitam apud *Göller* II 2, 158.

[2] In poenitentiaria haec licentia ad 12 Tur. taxata erat, *Göller* II 2, 162; de qua cfr. etiam decreta card. Puccii *ibid.* 50. 62 sq.

[3] De reformatione officiorum Romanae curiae in genere et signaturae in specie, quam Alexander VI attentavit, cfr. Quellen u. Forschungen II (1899) 38 sqq. (Constitutio pro referendariis 1497); *L. Célier,* Alexander VI et la réforme de l'église: Mélanges d'archéologie et d'histoire 27 (1907) 65-124. *W. v. Hofmann*, Forschungen etc. II (Rom 1914) 48 sqq. 232 sqq.

[4] De comitibus Palatinis cfr. *Moroni*, Dizionario XVII 56 sqq.

[5] Sess. X (5. Maii 1515), in constitutione *Regimini universalis ecclesiae*, *Mansi* XXXII 909.

II.

91v Quae in signatura ordinaria frequentius expediuntur, sunt infrascripta:

Provisiones beneficiorum vacantium per obitum. Signatura deberet providere etiam curialibus et aliis mittentibus ad curiam, ne inde propter continuam denegationem oriantur inobedientiae.

Per resignationem etc. Pensiones pro resignantibus. Item pro aliis ex causa resignationis. Sunt materiae ordinariae.

Certo modo. Haec extra Franciam solet restringi ad devolutionem tantum, et hoc fit propter negligentiam inferiorum.

Per privationem etc. Quia multi et praesertim simoniaci resignant in fraudem privationis, satis opportunum esset, quod signatura concederet, quod non possent resignare lite pendente, et dummodo in causa infra certum tempus pronuntiaretur in favorem impetrantis, quia hac via multi abstinerent.

⟨Commendae regularium. Uniones incompatibilium ad vitam non conceduntur, nisi sint solita commendari⟩ [a].

Novae provisiones. Si neutri. Si nulli etc. Perinde et etiam valere. Istae sunt honestae gratiae.

Confirmationes concordiae. Deberent bene legi et concedi honesta pro exoneratione conscientiae petentium.

Si in evidentem. Est materia ordinaria et commissaria.

[Facultas] de promovendo. Datum in 23. [anno] saecularibus et in 22. anno regularibus, de licentia tamen superiorum et ex quadam mala consuetudine a quocunque quatenus ordinarius non resideat vel non habeat suffraganeum, quae limitatio videtur satis inepta, cum ex iuris aperta dispositione in illius absentia spectat ad officialem dare litteras dimissorias. |

92r [Licentia] ad primam tonsuram et quatuor minores [ordines]. Forsan esset bonum abstinere a commissionibus vel providere, quod ordinarii tenerentur inquirere, si hoc faciant animo ascendendi ad superiores ordines, quod etiam tenerentur iurare, quia multi dolose clericantur propter forum.

[Facultas] de promovendo ad sacros [ordines]. Abstinendum esset pro non beneficiatis, quia multi pauperes ordinantur cum ficto titulo patrimonii, qui in opprobrium clericalis caracteris mendicare coguntur, et hoc frequenter contigit in promotis in curia, qui cum falsis testibus saepe conantur probare se habere patrimonium vel beneficia.

[Facultas] de non suscipiendo munus consecrationis. Hoc per signaturam papae datur ad tres menses, et ulterius vix prorogatur et ex maxima causa.

[Facultas] de suscipiendo munus consecrationis. Hoc non deberet concedi neque per signaturam neque per cameram apostolicam neque per poenitentiariam, quia hoc cum litteris provisionis ecclesiae expediri consuevit, alias multi consecrantur et moriuntur episcopi sine aliquibus litteris apostolicis provisionis ecclesiarum. Suscipiunt etiam hoc munus quandoque de mandato papae vivae vocis oraculo, cui non est imponenda lex, tamen utile esset abstinere.

[Facultas] de non promovendo. Non datur nisi ad annum et rarissimesecunda prorogatio et ad modicum tempus. Advertendum est tamen, quia multi petunt novas provisiones occasione promotionis etiam multorum annorum, et de novo datur ad annum, quod deberet aliqualiter limitari. Aliqui vero resignant et sibi resignari faciunt etiam pluries, et sic obtinent novas provisiones. |

92v Absolutiones pro male promotis. Absolutio vix potest denegari, sed malum procedit potius a promotore indiscreto vel avaro.

Pro promotis indultum celebrandi ubique. Procedit hoc ex mendicitate et non deberet concedi.

Dispensationes pro illegitimis ad beneficia. Non est delictum personae propriae; satis esset, quod insignitie et sic principium clericaturae committeretur, videl. dummodo laudabilis conversationis et vitae esset et paternae incontinentiae non imitator, prout antiquitus fieri consuevit.

[Dispensationes] ad duo sub eodem tecto. Datur ad duo dissimilia vel simplicia similia, et dummodo duo canonicatus et duae praebendae aut totidem dignitates etc. non sint.

[a] add. altera manu

[Dispensatio] ad duo incompatibilia saecularia. Datur tantum pro nobilibus et graduatis.

Provisiones incompatibilium pro dispensatis. Datur pro implemento dispensationum.

[Dispensatio] super aetate in 23. [anno] ad parochialem [ecclesiam]. Est gratia papae, ex quo in illa aetate datur dispensatio ad presbyteratum et est dilatio modici temporis.

Derogatio regulae de idiomate. Optima ratione posset denegari.

Recitandi officium novum [1]. Deberet iam a tanto tempore libere saecularibus concedi, ut relevarentur ab impensa, vel si est de genere malorum, omnibus denegari.

Expectativae. Si concederentur tantum expectativae, posset tollerari [a], quia per illas providetur pauperibus clericis et aliis, qui per ordinarios aut alias provideri non valent; sed cum mandatis de providendo etc. oritur magna confusio in ecclesia Dei et ex illis scandalizantur omnes clerici et laici.

47.

De reformatione signaturae.

[Mense Novembri 1552] [2].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 88r-89v, cop. coaeva.

Abusus, qui in signatura committuntur I. in dispensationibus quoad ordines conferendos vel recipiendos, II. in concessionibus exemptionis pro capitulis et personis privatis, III. in collatione beneficiorum.

Quattuor vel quinque sunt, quae egent reformatione in signatura: *Conc. 78* f. 88r

[I.] Dispensationes, quae conceduntur circa ordines conferendos, maxime sacros.

[II.] Exemptiones tam capitulis quam aliis personis privatis ab ordinariis suis.

[III.] Abusus circa collationes beneficiorum, maxime curatorum.

[IV.] Dispensationes ad contrahendum in gradibus prohibitis.

[V.] Facilitas in concedendis indulgentiis, maxime plenariis tam verbo quam in scriptis.

I. Circa ordines sunt multi abusus. Indistincte conceditur licentia omnibus petentibus, ut possint recipere primam tonsuram, et ex hoc generatur maximum scandalum. Et non accipiunt primam tonsuram nisi ad effectum, ut non possint conveniri coram iudicibus saecularibus in criminalibus, et multotiens iudices saeculares se intromittunt et puniunt illos.

Multotiens reassumitur corona, ex quo sequuntur mille inconvenientia et scandala.

⟨Cum bigamo non dispensetur nisi ex maxima et urgentissima causa⟩ [b].

Non datur facultas alicui *de promovendo a quocumque*; remittantur autem suis ordinariis, et si ordinarius fuerit suspectus, remittatur ordinario viciniori vel metropolitano.

Non dispensetur cum aliquo, ut possit recipere ordines, circa aetatem, nisi sit aliqua iusta causa.

Non detur licentia alicui, ut possit recipere ordines in tribus diebus extra tempora.

Ut nullus alterius diocesis promoveatur in curia sine litteris dimissoriis sui ordinarii vel saltem, quod sit legitime examinatus. |

Pro ordinibus nihil omnino recipiatur nec ab episcopis nec ab aliis examinatoribus, notario autem... [c]. 88v

[II.] De exemptionibus. Exemptiones non concedantur aliquibus personis privatis nec capitulis ecclesiarum cathedralium nec collegiatarum, quia sub praetextu istarum dispensationum oriuntur mille lites inter episcopos et eorum capitula, et scandala multa oriuntur, et crimina remanent inpunita.

[a] *del.* Sed ex illis et mandatis de providendo [b] *add. intra lineas* [c] *Cod. hic amplius non prosequitur*

[1] Breviarium novum i. e. S. Crucis, a card. Quiñonez anno 1535 editum, *S. Baeumer*, Geschichte des Breviers (Freiburg 1895) 392 sqq.

[2] Cfr. supra n. 34 ad diem 12. Nov. 1552. Hic tractatus sicut sequentes usque ad n. 49 videntur esse vota vel extractus votorum quorundam deputatorum

Tollantur exemptiones, quae emanaverunt a curia ratione istarum confraternitatum: hospitalis Sancti Spiritus [1] et Sancti Ioannis [a] in Latherano [2].

Capitula ecclesiarum cathedralium aliquando movent lites contra episcopum suum ad effectum se eximendi durante lite, et nunquam lites finiunt, et sic per indire[c]tum remanent exempti.

Conservatoriae non essent concedendae, maxime personis privatis, nisi in casibus notoriis et iuxta iuris formam.

[III.] Circa collationem beneficiorum multa sunt attendenda, maxime in collatione beneficiorum curatorum. In aetate non dispensetur, maxime in curatis, nisi cum causae cognitione et expressa causa in dispensatione.

Non dispensetur super fructibus in absentia sine causa expressa in dispensatione.

Neque datur dispensatio de non promovendo sine causae cognitione et expressa in litteris
89r dispensationis. | Accessus omnino tollantur.

Regressus non concedantur in beneficiis curatis, etiam de consensu, in aliis autem beneficiis et dignitatibus non concedantur sine causa et de consensu.

Non admittatur resignatio in favorem certae personae, etiam in manibus papae, in beneficiis curatis, nisi exprimatur causa, quae ipsum movet ad resignandum, et verificetur et ponatur qualitas illius, in cuius favorem renuntiatur.

Permutatio in curatis non admittatur, nisi constet, an sit habilis ille, qui vult habere beneficium curatum ex permutatione.

Coadiutoriae non dentur cum futura successione in curatis.

Pensiones in beneficiis curatis non imponantur, sed si fuerit aliqua iusta causa, et fructus talis beneficii excedunt summam centum ducatorum, non possit excedere tertiam partem fructuum. In aliis autem beneficiis et dignitatibus existente iusta causa possit imponi pensio, dummodo non excedat medietatem fructuum.

Super distributionibus quotidianis non imponatur pensio ad minus, quae transeat ad successores. Pensio cum clausula transferendi maxime in curatis non detur, maxime pro tertio.

Filius clerici nullo modo possit habere praebendam nec dignitatem in ecclesia, in qua pater fuerit beneficiatus.

Non dispensetur cum laico, maxime coniugato, ut possit retinere beneficia simplicia et praestimonia, etiam si portet habitum Iacobi vel alterius ordinis.

Non concedatur regressus alicui laico, maxime coniugato, ad aliquod beneficium nec [ad] dignitatem. |

89v Quando aliquis renuntiat canonicatum vel dignitatem in aliqua ecclesia cathedrali vel collegiata, non dispensetur, ut possit sibi reservare stalum in choro et locum in capitulo, etiam de consensu capituli.

Quando dispensatur cum aliquo nobili vel literato, ut possit habere duo incompatibilia, exprimat qualitatem suae nobilitatis et, ubi fuerit graduatus.

Tollantur omnino omnes gratiae praeventivae.

Expectativae non nisi clericis pauperibus concedantur.

Regressus non expediantur post mortem illius, qui consentit.

Datae, quae dicuntur piculae [3], non dentur. Multotiens fuit factum, quod, quando papa est infirmus vel proximus morti, dat facultatem alicui cardinali vel alteri personae conferendi omnia beneficia, quae vacant tunc temporis in orbe; ex quo generatur maximum scandalum.

Item beneficia, quae vacant sede vacante, promittuntur conclavistis, et postea dividunt illa et committuntur multa mala, maxime in beneficiis curatis [4].

[a] Cod. Ioannes

[1] De confraternitate S. Spiritus breviter agit *K. H. Schäfer*, Die deutschen Mitglieder der Heiliggeistbruderschaft zu Rom am Ausgang des Mittelalters (Paderborn 1913) 1-6

[2] Videtur cogitasse auctor de confraternitate S. Salvatoris, quae hospitalis Lateranensis curam gerebat. Cfr. relationem Panvinii apud *P. Lauer*, Le Palais de Latran (Paris 1911) 490.

[3] Datae « piculae » vel parvae secundum *Petrum Rebuffum* (Praxis beneficiorum [Venetiis 1554] 97 sq.) sunt illae, in quibus datarius subscribit: « Datum... vel alio die ». Cfr. etiam *Göller* II 2, 45 sq.

[4] Cfr. *Conc. Trid.* II 39, 1 sqq.

48.

De signatura iustitiae [1].

[Mense Novembri 1552].

Romae Arch. Vat. *Conc.* *78* f 95, cop. coaeva.

De referendariis signaturae iustitiae eorumque competentiis.

Quia ultra iudices ordinarios curiae plures sunt iudices commissarii, qui in infinitum creverunt propter numerum r e f e r e n d a r i o r u m [2] et aliorum, bonum esset statuere certum numerum sex vel octo referendariorum antiquorum, quibus causae delegarentur, et qui ordinariis [iudicibus] in adiunctos darentur. *Conc.* *78* f. 95ʳ

Similiter abusus videtur, quod in p a r t i b u s passim committantur causae iudicibus a partibus affectatis et electis. Ideo bonum esset, quod Rev^mus praesidens signaturae iustitiae haberet informationem de personis qualificatis in quibuslibet civitatibus praesertim Hispaniae et aliis insignioribus, quibus duntaxat causae ad ipsiusmet praesidentis electionem committerentur.

Statuendum videtur, quod c a u s a e c a r d i n a l i u m vel consanguineorum suorum [!] usque ad tertium gradum aut familiarium vel in quibus habent interesse expresse vel tacite, cardinalibus non committantur. Idem videtur de auditoribus rotae, ut eorum causae extra rotam committantur.

Quia saepe multiplicantur c o m m i s s i o n e s in e a d e m c a u s a propter ignorantiam aliarum commissionum signaturae cum magno dispendio partium, videretur statuendum, quod supplicantes tenerentur enuntiare omnes commissiones obtentas, ut sic referendarius, si expediens iudicaret, illas videre posset, vel quod nulla commissio signari posset nisi parte citata.

Servanda esset regula cancellariae [3], quod non committantur a p p e l l a t i o n e s a g r a v a m i n e r e p a r a b i l i pro diffinitiva, cum passim fiat contrarium cum magno dispendio partium. Ideo non esset committenda appellatio nisi expresso gravamine tali, quod esset irreparabile a diffinitiva. |

C a u s a e t e r r a r u m e c c l e s i a e, etiam graves, non essent committendae in curia in 95ᵛ prima instantia, ut possint commodius instrui in partibus et unicuique ius suum servetur.

C a u s a e c r i m i n a l e s et m a t r i m o n i a l e s de partibus semper essent committendae ordinariis vel, si illi sint suspecti, metropolitanis aut ordinariis vicinioribus.

49.

De reformatione signaturae [4].

[Mense Novembri 1552].

Romae Arch. Vat. *Conc.* *78* f. 83ʳ-87ʳ, cop. coaeva cum notis Massarelli [= A]; f. 281ʳ-284ʳ, cop. coaeva cum additamentis Maffei [= B].

Quis ordo servandus sit in expeditionibus signaturae de ordinibus et de collatione beneficiorum necnon in ceteris dispensationibus.

Propter multitudinem sacerdotum et eorum fragilitatem non videtur dispensandum, ut quis ad ordines sacros praesertim presbyteratus promoveri valeat ante a e t a t e m l e g i t i m a m, nisi quis forte ratione beneficii curati sibi dispensatione in minori aetate iam concessi, aut alias ad se promovendum arctatus vel religiosus fuerit, quibus unus annus de tempore a iure praefixo relaxari valeat et non ultra. *Conc.* *78* f. 281ʳ

[1] De tempore huius tr. vide supra n. 47.

[2] *Katterbach* l. c. 104 sqq. sub pontificatu Iulii III, in utraque tamen signatura, 54 referendarios enumerat.

[3] Regulae Martini V n. 130 (*E. v. Ottenthal,* Regulae cancellariae apostol. [Innsbruck 1888] 221) prohibet appellationes ante definitivam sententiam, *nisi ab interlocutoria que vim habeat diffinitive sententie vel a gravamine concernente negotium principale, quod non posset per appellationem a diffinitiva interpositam reparari.*

[4] Articuli excerpti ex scripturis Maffei esse videntur, in quantum ad signaturam pertinebant; ex parte similes sunt illis de ordinibus, qui sub dato 27. Nov. 1552 *Conc.* *78* f. 72ʳ-74ʳ inveniuntur.

Non videtur cum aliquo dispensandum, ut possit obtinere beneficium habens curam animarum vel iurisdictionem ante aetatem legitimam aut saltem, antequam 24. annum attigerit, ut infra annum ad ordines sacros promoveri possit, prout de iure tenetur [1].

Annus huiusmodi a iure praefixus habenti beneficium curatum ad suscipiendum sacros ordines non videtur prorogari ultra sex menses.

Similiter tres menses dati de iure electo ad suscipiendum munus consecrationis non deberent prorogari ultra alios tres.

Non videtur dispensandum cum bigamis, etiam interpretative, ad ordines et ad beneficia ecclesiastica, cum multi doctores dicant id fieri non posse sine peccato.

Ad titulum patrimonii non videtur dispensandum nisi cum aliqua notabili et gravi persona, et sic cum causae cognitione, quae committatur ordinario.

Non esset igitur promovendus ad presbyteratum nisi obtinens beneficium pacifice possessum saltem per annum valoris 24 ducatorum ad minus, causa cognita saltem per iuramentum, quod beneficium huiusmodi pleno iure ad eum spectet nec sit commodatum aut in confidentiam datum ad effectum promotionis, ut saepe fit in fraudem legis, et visis litteris provisionis beneficii eiusdem.

Non deberet aliquis insigniri clericali caractere, nisi qui verisimiliter esset prosecuturus vitam clericalem, non autem, ut saepe fit, ut gaudeat privilegio fori et canonis, et ideo super hoc adhibenda esset causae cognitio ex qualitate personarum et saltem per iuramentum ipsius, si fuerit maior, alias parentum aut consanguineorum eum offerentium.

Cavendum est, ne dentur parrochiales ecclesiae minoribus sub praetextu, quod habeant perpetuos vicarios, qui curam animarum gerunt, nisi dicatur hoc fuisse consuetum ab antiquo tempore, quia multi ad effugiendum defectum aetatis et incompatibilitatem
281v curant | creari huiusmodi vicarios perpetuos ab ordinariis, antequam sibi provideatur, in fraudem canonis. Multi etiam, ne promoveantur ad sacros ordines, postquam amplius prorogationes habere nequeunt, resignant in favorem amicorum, qui statim retrocedunt, ut tanquam ex novo titulo iterum currat annus a iure praefixus, et aliae prorogationes impetrari valeant, et ideo huic abusui est providendum.

Abroganda videtur decretalis [c. 22] *Statutum* de elect. libro VI [16][2], quae declarat parrochiales collegiatas non vacare ipso iure post annum ob non promotionem, sed requiri monitionem iuxta antiqua iura, quia videtur maior ratio in istis, quae ultra curam animarum habent etiam iurisdictionem, quam in simplicibus parrochialibus, et notoria est ordinariorum negligentia in huiusmodi monitionibus faciendis.

Postquam concilium Tridentinum decrevit[3], commendas perpetuas habere vim tituli quoad incompatibilitatem et alia, videretur etiam statuendum, quod huiusmodi commendatarii monasteriorum et aliorum beneficiorum curam animarum habentium tenerentur promoveri ad sacros ordines, ne perpetuo vivant ut simplices clerici et plerumque in habitu saeculari, ut quotidie videmus.

Dicti commendatarii monasteriorum, praesertim Italiae, essent cogendi per ordinarios ad constituendam portionem fructuum pro sustentatione prioris claustralis et aliquorum monachorum sui vel alterius ordinis iuxta vires monasterii et pro sacristia et cultu divino, arbitrio ordinarii.

Possint etiam ordinarii eosdem commendatarios cogere ad reparationem ecclesiarum et aedificiorum dictorum monasteriorum, non obstantibus quibuscumque exemptionibus et privilegiis.

Cum abbatibus et abbatissis non videretur aliquo pactu dispensandum super aetate, sed ius commune servari deberet, non obstante novissimo concilio Lateranensi[4].

Dispensatio ad plura curata non detur nisi nobilibus vel graduatis in publica universitate aut alias valde litteratis viris, nunquam tamen dispensetur ad duo conventualia vel claustralia.

Beneficia saecularia non dentur regularibus, nisi sint curata, et illi sint professores |
282r sacrae theologiae aut alias doctissimi viri favore praedicationis et curae [animarum], et tunc habita licentia a suo superiore.

Licentiae deserviendi beneficiis curatis loco rectorum aut aliis locis piis nullo pacto videntur concedendae regularibus et minus apostatis, etiam cum licentia sui superioris, nisi forte

[1] C. 14 *Licet canon* de elect. I 6 in VI (*Friedberg* II 953 sq.) a recipiente ecclesiam parochialem 25. annum postulat. Cfr. *Hinschius*, Kirchenrecht II 482.

[2] *Friedberg* II 961.

[3] Sess. VII de ref. cap. 4, *Conc. Trid.* V 997, 34 sqq.

[4] Concilium Lateranense V de aetate abbatum vel abbatissarum nihil constituit.

ex magna causa ad regimen alicuius hospitalis ad supplicationem principis alicuius vel civitatis.

Beneficia regularia, nisi ab antiquo tempore commendari solita fuerint saecularibus [a], minime commendentur [b] etiam ad modicum tempus, cum deceat eos prius emittere professionem, quam beneficiis huiusmodi praeficiantur.

Indulta de percipiendis fructibus in absentia rectoribus parrochialium ecclesiarum non dentur ratione residentiae in Romana curia, nisi forte aliquibus officialibus necessariis iuxta regulas cancellariae [1], aliis vero minime dentur, saltem ultra annum a iure praefixum ad sacros ordines suscipiendos, studentibus tamen in studiis generalibus dari possint iuxta formam iuris [2], dummodo saltem intra [c] annum vel ad summum biennium promoveantur ad subdiaconatum.

Item residentibus in altero beneficiorum curatorum pro dispensatis ad duo.

Regulae de idiomate in parrochialibus ecclesiis vel aliis residentiam requirentibus nullatenus derogandum videtur.

Similiter non videtur derogandum regulae de non obtinentibus [d] canonicatibus cathedralium nisi in 14. et collegiatarum nisi in 10., nisi forte pro uno anno tantum [3].

Non videtur etiam derogandum regulae de surrogando collitigantes etiam in vacantibus apud sedem, quando est veralis, cum sit favorabilis ad lites extinguendas.

Item nunquam esset dispensandum adversus constitutionem Clementis VII de filiis presbyterorum [4], sed potius esset extendenda illa constitutio, ut filius non sit beneficiatus in eadem ecclesia, in qua pater dum vivit, etiam si beneficia sint diversi generis, ad evitandum scandala [e].

Fundationibus [f] beneficiorum certos sacros ordines requirentium, licet non curatorum, non esset passim derogandum, ut quotidie fit, cum ex hoc laici retrahantur a fundandis beneficiis; idem dicendum de praebendis theologalibus sive doctoralibus. |

Iuripatronatus laycorum ex fundatione et dotatione etiam in vacantibus per 282v
obitum apud sedem derogandum non videtur.

Deinceps non dentur accessus ad beneficia non possessa, regressus vero in favorem possessorum saltem annalium tollerari posse videntur, cum beneficia revertantur ad personas semel approbatas et de regimine ecclesiae institutas, ⟨et propterea cedant in utilitatem ecclesiarum⟩ [g]

Beneficia curata non excedentia summam 24 ducatorum nullatenus pensione gravari possint, supra vero illam summam ita gravari valeant, ut rectori dicta summa 24 [ducatorum] ad minus semper remaneat.

Facultates transferendi pensiones non essent dandae nisi aliquibus privilegiatis personis, et tunc semper de consensu solvere debentium.

Indulta militum Sancti Petri [5] et aliorum similium de pensionibus transferendis revocanda videntur illis, qui deinceps officia huiusmodi acquirant.

Cassationes pensionum anticipata solutione non essent concedendae nisi pro pensionibus antiquis saltem triennalibus ad obviandum simoniacae fraudi.

Reservationes nominis et denominationis ac stalli in choro et vocis in capitulo cum alternativa residentia non dentur, cum sit monstrum constituere duo capita in eodem corpore beneficii.

Coadiutoriae non dentur nisi personis idoneis et habilibus ad regimen beneficiorum et pro indigentibus ⟨coadiutore vere ut non ficte⟩ [h] et assignata congrua pensione fructuum coadiutori, qui promoveri teneatur infra annum ad ordines beneficio annexos ⟨et continue residere⟩ [i], et tollatur clausula solita, quod non possit coadiuvare invito beneficiato, et simi-

[a] *B manu Maffei add.* [b] *A add. a Massarello; B* minime commendentur aliquibus [c] *A falso* in [d] *sic Codd.; videtur legendum* obtinendis [e] *B* scandalum. *In marg. Cod. B hic canon et sequentes signo* + *signati sunt* [f] *A* fundatoribus [g] *B add. manu Maffei* [h] *A* coadiutoriae verae et non fictae [i] *B add. a Maffeo; A add. in marg. manu Massarelli* et ad continue residendum

[1] Regulae cancellariae Iulii III (Romae 1550) omnibus *in Romana curia vel in studio* residentibus hoc indultum concedi posse affirmant, pro protonotariis, litterarum ap. scriptoribus et abbreviatoribus *sua officia in Rom. curia pro tempore exercentibus* etiam vicecancellarius indulgendi potestatem habuit.

[2] C. 5 *Super specula* X de mag. V 5, *Friedberg* II 770 sq.

[3] Haec regula sicut et sequens revera inter regulas canc. Iulii III (cfr. supra adn. 1) invenitur.

[4] *Bull. Rom.* VI 143 sqq.

[5] De collegio militum S. Petri a Leone X a. 1520 erecto cfr. *Hofmann*, Forschungen etc. II 65 et passim.

liter tollatur alia etiam [clausula] *si tempore obitus non inceperit officium coadiutoris exercere*, cum istis iustificationibus non videtur magnum praeiuditium, etiam si darentur cum futura successione ⟨pro utilitate ecclesiae in favorem⟩ [a] illius, qui forsan diu in beneficii regimine laborabit et de eo informatus erit.

Non videntur aliquo pacto concedenda indulta de percipiendis distributionibus pro canonicis non existentibus in ordine praebendae, etiam ad modicum tempus. |

283[r] Parrochiales ecclesiae et alia beneficia residentiam requirentia nullo pacto aliis piis locis, etiam hospitalibus, perpetuo uniri deberent, si tamen fructus fuerint nimium abundantes, posset aliqua competens portio illorum separari et applicari hospitali aut alteri pio loco ex causa, cuius cognitio ordinario committenda esset.

Alia beneficia non curata non essent similiter perpetuo unienda nisi raro et ex magna causa, cuius cognitio similiter ordinario committatur.

Commutationes ultimarum voluntatum ad pias causas non essent facienda nisi ex causa evidenti ignota defuncto, et quae verisimiliter eum moveret, si viveret, ad huiusmodi commutationem faciendam, et ideo omnes essent committendae ordinariis cum clausula « vocatis omnibus illis, quorum interest ».

Similiter abstinendum esset ab erectionibus relictorum ad pias causas in titulum beneficii, quia generant scandalum.

Absolutiones in utroque foro ab homicidiis et aliis excessibus atrocioribus pro inquisitis vel citatis a suo ordinario non essent dandae ante sententiam, post illam vero poena inflicta, si gravior videretur, mitigari posset.

Absolutiones ab apostasia non videntur concedendae nisi revertentibus ad claustrum sui ordinis vel transeuntibus ad aliam religionem arctiorem sive parem, ut ibidem perpetuo remaneant, nec beneficia obtinere aut illis deservire valeant.

Similiter licentiae standi extra pro religiosis pro servitio parentum vel consanguineorum aut pupillorum dandae non essent, cum illi religiosi a saeculo iam recesserint et experientia doceat fieri fraudem, ut vagari liceat. Ex causa vero infirmitatis non esset concedendum indultum standi extra monasterium, nisi de licentia sui superioris obtenta et ea durante, ita ut in aliqua honesta domo morentur et minime vagari liceat.

Facultates pro mulieribus de ingrediendo monasteria non essent concedendae
283[v] nisi | perraro et magnis nobilibus honestisque matronis [b] dummodo ibi non pernoctent, at semper de licentia superioris.

Dispensationes matrimoniales semper committantur ordinariis, ne fiant subreptitiae ex ignorantia et malitia supplicantium, et supra tertium gradum non concedantur, nisi ex maxima et evidenti causa ⟨scandali notorii vitandi vel pro bono pacis conciliandae inter consanguineos, quia tunc cessat causa prohibitionis matrimonii a iure positivo inductae ad charitatem dilatandam⟩ [c] et esset facienda constitutio, prout alias fecit Clemens [1], quod Sanctitas Sua de cetero non intendit dispensare supra dictum tertium gradum, ne aliqui sub spe futurae dispensationis contrahant.

Ordinariis locorum residentibus videretur concedi posse facultatem dispensandi gratis [d] super publica honestate et cognatione spirituali praeterquam inter levantem et levatum, ac super affinitate occasione copulae fornicariae contracta.

Rescripta in forma, si in evidentem, quae per constitutionem Pauli II debent committi duobus coniunctim [2], dirigenda essent ordinario et alteri, quia fiunt multae fraudes, cum committantur [e] iudicibus affectatis, et si agatur de interesse ordinarii, committantur metropolitano vel alteri ordinario viciniori.

Reservationes speciales aliaeque gratiae praeventivae ad beneficia, per quas onerantur ordinarii et votum captandae mortis inducitur et saepe ius quaesitum alteri tollitur, non videntur concedendae. Gratiae vero expectativae sive mandata de providendo iuxta formam constitutionis Gregorii IX [3] pro pauperibus clericis in propriis regnis sive provinciis, unde oriundi sunt, ad unum beneficium, ex quo honeste vivere possint, concedi possunt.

[a] *B add. a Maffeo pro verbis deletis* in solatium [b] *A falso* matronibus [c] *B add. eadem manu* [d] *B add. manu Maffei* [e] *A* committuntur

[1] Iuxta *Göller* II 2, 150 revera sub Clemente VII etiam in secundo et primo affinitatis gradibus poenitentiaria dispensabat.

[2] C. *Ambitiosae* Extr. com de rebus eccl. non alien. III 4, *Friedberg* II 1269

[3] Cfr. supra p. 176 adn. 2

Indulgentiae, praesertim plenariae, perraro concedendae essent, et semel vel bis in anno tantum in qualibet civitate vel oppido insigni, et constituendae in cathedralibus ecclesiis | vel alias maioribus dictorum locorum. 284r

Circa ordinationes clericorum ad sacros ordines praeficiendi ⟨erunt huic muneri⟩ [a] in Urbe duo vel tres praelati, viri probi et docti, sine quorum approbatione et subscriptione coniunctim aliquis promoveri non possit. Extra curiam vero servetur forma concilii Tridentini [1].

50.

Pro signatura papae [b] [2].

[Anno 1552 exeunte vel 1553 ineunte].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 93r-94r, cop. coaeva.

Canones ex reformatione generali, quae signaturam spectent, enumerantur.

Tempus a iure praefixum electis in episcopos ad suscipiendum munus consecrationis non prorogetur ultra sex menses. *Conc. 78* f. 93r

Non dispensetur, ut quis possit suscipere sacros ordines ante aetatem legitimam, de qua in constitutione Clementis V, quae incipit *Generalem* [Clem.] de aeta. et qual. [I 6] [3].

Tempus praefixum a sacris canonibus ad suscipiendos sacros ordines non prorogetur ultra annum praeterquam in casibus a iure expressis, ⟨vel nisi ex causa per summum pontificem in scriptis manu propria similiter approbanda⟩ [c].

Cum vere bigamis nullo modo dispensetur ad sacros ordines et beneficia obtinenda; cum bigamis vero interpretative nonnisi ex aliqua magna et rationabili causa publicam utilitatem concernente.

Regulae de idiomate nunquam derogetur.

Non dispensetur ad plura curata vel alias incompatibilia nisi cum vere nobilibus vel graduatis in publica universitate vel collegio approbato aut alias doctis et literatis seu evidenter benemeritis viris, nunquam tamen dispensetur ad duo conventualia vel claustralia.

Non dispensetur, ut quis ante decimum sextum annum obtinere possit dignitates in cathedralibus vel principales in collegiatis, etiamsi curam et iurisdictionem non habeant; ⟨idem servetur in dignitatibus regularibus commendari solitis⟩ [d].

Praebendae theologales sive doctorales nonnisi theologis aut doctoribus concedantur neque ipsarum praebendarum fundationi derogetur.

Regularia beneficia in titulum obtineri solita per obitum aut resignationem | vacantia conferantur religiosis illius ordinis vel volentibus habitum suscipere et professionem 93v emittere, et nullatenus saecularibus clericis commendentur, saecularia vero beneficia eadem ratione solis saecularibus conferantur.

Beneficia curata nonnisi personis idoneis et habilibus, et quae in loco residere et per seipsos curam exercere valeant, et ante aetatem legitimam non conferantur, et qualitates huiusmodi in litteris exprimantur.

Hospitalia actu hospitalitatem servantia non solita commendari nullatenus commendentur.

Beneficia curata, sive per obitum sive per resignationem vacent, pensionibus non graventur ultra... [e].

Beneficia etiam simplicia valorem 24 ducatorum non excedentia aliqua pensione non graventur.

Pensiones super distributionibus quotidianis, quae interessentibus horis nocturnis et diurnis distribui solent, nequaquam assignentur.

[a] *A* essent huic minori [b] *Titulus manu Maffei* [c] *add. in marg. a Maffeo* [d] *add. alia manu* [e] *Lacuna in Cod.*

[1] Sess. VII de ref. c. 11, *Conc. Trid.* V 998, 36 sqq.

[2] Haec collectio canonum, qui ad signaturam papae pertinebant, licet minus ubera, perfectior tamen quoad formam est praecedente. Manus Maffei in titulo et margine indicat eam ante aestatem a. 1553 factam esse.

[3] *Friedberg* II 1140. In qua constitutione pro suscipiendo subdiaconatu aetas 18 annorum, pro diaconatu 20, pro presbyteratu 25 annorum statuitur.

Facultas transferendi pensiones de cetero nemini concedatur.

Reservatio nominis et denominationis ac stalli in choro et loci in capitulo nulli concedatur ⟨sine consensu capituli⟩ [a].

Accessus ex causa retrocessionis beneficiorum ecclesiasticorum ⟨litteris non confectis et possessione non habita⟩ [b] deinceps non concedantur.

Non derogetur constitutioni Clementis VII de filiis presbyterorum [1], et
94r insuper | non concedatur, ut filii spurii presbyterorum possint superstitibus parentibus habere praebendas nec dignitates in ecclesiis, in quibus parentes sunt beneficiati, etiamsi beneficia sint dissimilia.

Beneficia unius diocesis nunquam perpetuo uniantur beneficiis alterius diocesis, etiam si monasteria vel collegia aut loca pia existant.

Iuripatronatus mere laycorum ex fundatione vel dotatione [provenienti] minime derogetur.

Translationes [c] regressuum et accessuum ad beneficia ecclesiastica quaecumque nulli prorsus concedantur.

Beneficia ecclesiastica nemini [d] dentur in confidentiam.

51.

Quae desiderantur circa reformationem signaturae papae et cardinalis signatarii sub Iulio pp. III [e] [2].

1554 mense Ianuario.

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 277r-280v; cop. coaeva.

I. De numero et qualitatibus referendariorum. II. De collatione beneficiorum. III. De signatura iustitiae.

Conc. 78 f. 278r Revme ac Illme Domine. Ut mandatis Revmae P. V. obtemperem, pauca admodum congessi ex signatura Smi D. N., quae meo quidem tenui iudicio tamquam a iure nimium exorbitantia correctione indigerent. Plura scio posse colligi, sed ut et aliis eorum pars relinquatur, his paucis contentus fui.

I.

Primus quidem abusus in signatura perspicitur, Revme Domine, infinitus prope refferendariorum numerus; sunt enim ultra quadraginta utriusque signaturae refferendarii, cum Iustinianus imperator in autent[ica] de reff. [II 5] conqueratur [3], quod ad numerum 14 excrevissent. Omittamus (ut ipse dicit), quod multitudo numerosa nihil habeat honestum, et licet multi existant, per paucos tamen hominum substantiae salvantur.

Quamplurima ex ista multitudine inconvenientia oriuntur:

Primum nihil est tam exorbitans, nihil tam inhonestum, quod ab aliquo ex refferendariis non approbetur. Omnis supplicatio signatur [4], omne quod petitur impetratur, quod unus denegat, alius concedit. Nulli dubium est, quod refferendariorum munus [f] maximum est in principis aula; pro illorum voto princeps gratias impartitur, iustitiam ministrat et causas delegat, quo fit, ut referendarii doctissimi, iustissimi et prudentissimi et undequaque consumatissimi visi desiderentur. Si tales essent, pauci quidem essent, et merito princeps nihil illis occultum haberet, omnia cum illis communicaret, nihil secreto in camera signaret.

Accedit, quod miseri litigatores omnes instruere nequeunt, nisi duplices habeant advocatos et duplices patrocinatores, et ita duplici affliguntur impensa. Quinimo adeo vilescit haec dignitas, ut summi advocati ad refferendariorum domos accedere fere dedignentur, quare |
278v causae in signatura recte discuti nequeunt, et si pauci instructi votum pro iustitia profe-

[a] *add. manu Massarelli* [b] *add. manu Massarelli* [c] *Haec et sequentia, ut scripturae caracter indicat, postea add* [d] *del.* etiam cardinalibus [e] *Titulus manu Massarelli* [f] *add. in marg.*; *del.* numerus

[1] Cfr. supra p. 241 adn. 4.

[2] Ut initium indicat, tractatus cardinale quodam — forsan Cervino — instigante ab ignoto auctore compositus est.

[3] Nunc Nov. X, *Schoell-Kroll* 92 sq.

[4] De praxi signaturae, quae dicitur «communis», cfr. *Hofmann*, Forschungen I 78 sq.; *Katterbach*, Referendarii utriusque signaturae p. XIII sq.

runt suum, ceteri causarum meritorum ignari contrarium sentiunt, et ita iustitia periclitatur, cum vota pro numero colligantur.

Arbitror igitur pernecessarium, quod collegium refferendariorum ad certum reducatur numerum, nec aliqui in futurum creari possint, nisi praescripto numero defecerint.

Duae sunt refferendariorum classes; nam nonnulli sunt gratiae et iustitiae refferendarii et ideo utriusque signaturae dicuntur, alii iustitiae tantum. Ad signaturam gratiae, quae coram S^mo fit, neminem assumi vellem, nisi saltem per biennium in signatura iustitiae de se periculum fecisset, et ab ea tanquam ab equo Troiano refferendarios gratiae deligendos censerem. Si ita fieret, non viderentur tirones in eminentissima gratiae signatura balbutientes coram principum principe libellos referre et causarum inexpertes ex improviso de iure respondere. Octo voluit imperator suos refferendarios tantummodo esse. Sint nunc decem pro qualibet signatura, sint, quot [a] necessarios duxerint prudentissimi reformatores, dummodo certus praescribatur numerus. Nolo tamen, ut dignitas iam concessa alicui auferatur, nec idem Iustinianus imperatoris maiestati convenire censuit, ut impetrato beneficio quis privaretur.

II.

Firmato signaturae fundamento consulendum esse beneficiorum fundamentis iudico. 279r
Itaque cum plurima beneficia | a piarum voluntatum fundatoribus partim sacerdotalia, partim diaconalia et aliqua subdiaconalia sint iustituta, indecens videtur, quod, dum conferuntur, passim eorum fundationibus derogetur et de illis minoribus annis [b] provideatur. Ea enim ratione, qua beneficia curata conferri non debent nisi constitutis in aetate legitima, ut munus suum exercere possint, ita et haec conferri non deberent nisi constitutis in tali aetate, in qua ordines ex fundatione requisitos assumere possent.

Hoc idem firmandum esset in beneficiis theologalibus, quae sine difficultate aliis conferuntur.

Circa dispensationes, quaefiunt ad duo similia sub eodem tecto, videl. duas capellanias vel duo alia simplicia beneficia, cum saepenumero contingat utraque beneficia ex illorum fundatione similia onera habere, utputa missas quotidianas seu in aliis similibus diebus celebrandas, ne cultus ecclesiae impediretur, adderem in huiuscemodi dispensationibus « dummodo officium unius alterius officium non impediat ».

Item licet iure caveatur [1], quod monachis et ceteris regularibus possunt conferri beneficia curata, etiam saecularia, imo etiam canonicatus saecularium ecclesiarum, si illis cura immineat animarum, huiuscemodi tamen beneficia regularibus omnino denegarem, nisi a parochianis propter illorum mores et vitae frugalitatem postularentur, et tunc adderem etiam ea « de licentia sui superioris », cum hoc etiam iure caveatur. Impetrationes ergo et resignationes simplices huiuscemodi negarem, | nec curarem, quod similis religiosus illa obtinens 279v
resignaret, quod tamen hodie nulli negatur ex ea iustificatione, quod «de regulari in regularem». Imo tunc ego magis negarem, quia per talem longaevum statum natura beneficii immutari posset, ut ex saeculari regulare fiat.

Eadem ratione iudicarem officia claustralia ac etiam dignitates in ecclesiis regularibus non debere commendari clericis saecularibus. Tamen hodie, quando veniunt de comenda in comendam, absque difficultate expediuntur, nec tunc obstare creditur constitutio ultimi concilii Tridentini [2], in qua habetur, quod regularia regularibus et saecularia saecularibus conferantur; si enim de comenda in comendam transeant, passim conceduntur. Hoc tamen non intelligo in beneficiis non conventualibus, quia, ubi cessat conventus, cessat etiam ratio diversi habitus; nam inconveniens videtur, quod sacrista utpote conventus regularis sacristiam obtineat in comendam, et sic inter monachos saecularis permaneat.

Circa pensiones indecens videtur, quod assignentur super distributionibus quotidianis, quod tamen fit, etiam si omnes fructus absorbeant; nam cum sint destinatae residentibus dumtaxat, absurdum est, quod alteri dentur saltim in totum; nec sufficit, quod solvens pensionem resideat, cum ipse alios fructus non habeat nec se propterea decenter sustentare valeat, et dicat Apostolus [3]: *Non debet obturari os bovis triturantis, sed qui altari servit, de altari*

[a] *Cod.* quod [b] *sic Cod.*

[1] C. 5 *Quam de beneficio* de praeb. III 4 in Sexto, *Friedberg* II 1022.

[2] Sess. XIV de ref. c. 10.

[3] *I Cor.* 9, 9.

vivere debet. Non dentur ergo illa verba in provisionibus et reservationibus pensionum |
280r *etiamsi totos fructus absorbeat ac etiam super distributionibus quotidianis*, sed addatur: « dummodo medietatem fructuum vel duas partes », si persona fuerit talis, quae gratificanda sit, « pensio ipsa non excedat ». Minus videtur honestum assignare pensiones tertiis personis solvendas post obitum resignantis, cui integri fructus sunt pro tempore reservati, quia et beneficium remanet quasi perpetuo gravatum, et apertissime inducitur votum captandae mortis.

Resignationes etiam cum reservatione regressus nullatenus negarem, dummodo in personas habiles fierent, quia, si regressus denegabuntur, pauci admodum resignabunt, et sublata spe resignandi beneficia parvo temporis lapsu depauperabuntur, aedificia corruent, bona in propinquos et amicos alienabuntur, nulla fient melioramenta, ita quod universalis ecclesiae status mirum in modum patietur. Reservationem tamen omnium fructuum non concederem, quia licet reservans fructus ad omnium onerum supportationem teneatur, nihilominus titulum habens tenetur ad susceptionem ordinum ab ipso beneficio requisitorum, sique regulare fuerit, ad emittendam professionem, atque ita astrictus erit propter beneficium, ex quo tamen se sustentare non valebit. Assignetur igitur et ipsi congrua fructuum portio, utputa quarta vel etiam dimidia pro fructuum quantitate. Pensiones hodie, quae succedunt loco beneficii, non video, quare coniugatis vel ex privilegio vel ex dispensatione concedi debeant super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum; sunt tamen plurima officia in Romana curia, in quorum privilegiis cavetur, quod etiam uxorati pensiones usque ad certam
280v summam habere possint. | Dispensatur etiam cum militibus S. Iacobi et Iesu Christi [1] ac aliis, ut similes pensiones super fructibus suorum beneficiorum obtinere possent uxorati. Concederem tantum, quia, si beneficia sui ordinis retinere possunt, multo magis et pensiones super eorum fructibus, ceteris autem omnino denegarem.

III.

In signatura iustitiae, quia terminos iuris haec sequitur, nihil aliud desiderarem, nisi quod commissiones, quae fiunt per breve et personis in dignitate ecclesiastica constitutis, committuntur dispositioni c. [11] *Statutum* Bonifatii VIII [I 3] [2]; adderem, quod tales personae sacrorum canonum professores essent vel sibi assessores partibus non diffidentes iuris peritos assumerent.

52.

Ea, quae modificantur summo poenitentiario ac aliis officialibus Romanae curiae [3].

[ca. mensem **Aprilis 1553**].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78*, f. 117r-119r, cop. coaeva.

Quae deinceps observanda sunt in poenitentiaria quoad licentias praesertim regularibus dandas.

Conc. 78 f. 117r Omnes et singulae declaratoriae et licentiae pro personis religiosis, quae hactenus sub clausula *si ita est*, vel *si etiam extraiudicialiter et sola facti veritate inspecta ita esse repereris*, committi consueverunt, deinceps loci ordinario et cum clausula « vocato provinciali seu priore vel guardiano aut alio superiore domus seu monasterii, in quo is, cui declaratoria seu licentia conceditur, professus fuerit », ad hoc ut contra supplicata excipere et opponere valeat, alias summarie simpliciter et de plano et sine tela iudiciaria, et si quidem narrentur causae nullitatem professionis concernentes utputa vis et metus, tunc in loco, ubi professus fuerit, si vero causae narratae huiusmodi supplicantis statum, utputa infirmitatem vel alia impedimenta respexerint, ordinario loci, in quo supplicans residere consueverit, et nullatenus

[1] Supremum magisterium ordinis S. Iacobi de spata cuius ramus principalis in Hispaniis floruit, a Iulio II anno 1507 coronae regni Lusitaniae unita erat. *L. Cappelletti,* Storia degli ordini cavallereschi (Livorno 1904) 173; cfr. 157 sq. Idem fecit Iulius III anno 1551 cum supremo magisterio ordinis I. Chr. *Cappelletti* l. c. 169.

[2] *Friedberg* II 941 sq.

[3] Prima collectio articulorum de poenitentiaria videtur fuisse illa, quae sine inscriptione inter alias scripturas ad reformationem poenitentiariae pertinentes *Conc. 78* f. 121r-122r conservata incipit *Commutationes ultimarum voluntatum.* Cuius pars prima usque ad articulum de rescriptis in forma *si in evidentem* congruit cum illis articulis, quos de reformatione signaturae agentes supra n. 49 exhibuimus; omnes fere

in Romana curia, etiam si in ea probationes paratas esse asseratur, committantur, inhibeaturque superioribus, ne supplicantes pro impetratione et prosecutione gratiarum huiusmodi molestare audeant, dummodo, monasterium ipsum non exeant, et si exierint, careant impetratis. Et super singulis declaratoriis et licentiis huiusmodi processus omnino, ex quo de veritate narratorum apparere possit, fieri debeat.

In licentiis transeundi ad alium ordinem apponatur clausula « dummodo ibi perpetuo maneat ».

Licentia standi extra de licentia superioris hactenus concedi solitae de cetero non concedantur, nisi supplicans ordinem se | ipsum expresse professum et non ad illum 117v
translatum esse, aut saltem se in ordine huiusmodi per plures annos permansisse narret.

Absolutiones et translationes apostatis non concedantur nisi revertentibus ad claustrum sui ordinis vel transeuntibus ad aliam religionem arctiorem sive parem, ut ibidem perpetuo maneant, nec ipsis apostatis concedatur, ut beneficia obtinere aut illis deservire valeant, nec etiam in altari ministrare, donec in apostasia perseveraverint.

Licentiae praedicandi cum clausula *si sis idoneus* in forma gratiosa alicui non concedantur, sed semper ordinariis locorum, in quibus pro tempore eum praedicare velle contigerit, et non aliis, cum clausula « si idoneus repertus fuerit » committantur.

Licentia suscipiendi gradus pro religiosis invito eorum superiore generali nullatenus concedantur, nisi iudices, quibus licentiae huiusmodi pro tempore committuntur, qui etiam sint ipsius loci ordinarii, vocato superiore praedicto, cum contra susceptionem graduum huiusmodi causam rationabilem allegare non invenerint. Quo casu supplicantem, si idoneus repertus fuerit, ad gradus ipsos promoveri facere valeant.

Non indulgeatur monacis seu aliis religiosis extra eorum domus seu monasteria vel alia regularia loca aut eorum provincias de mandato superiorum aut alias ex obedientia commorantibus, ut in domibus seu monasteriis vel locis aut | provinciis praedictis contra 118r
voluntatem suorum superiorum remanere possint, et quae generales ordinum ad certum tempus interdum concedunt, perpetuo non confirmentur.

Licentia ducendi vitam heremiticam ob melioris vitae frugem in forma gratiosa nemini concedatur, nisi cognita singularitate vitae illius et negotio nobiscum aut cum Romano pontifice pro tempore existente ad partem communicato. Si vero petatur in forma commissaria, tunc ordinario loci, qui sit episcopus et non vicario eius, et constito de singularitate vitae huiusmodi committatur, nec cuiquam aliter detur.

In singulis licentiis seu facultatibus vel indultis, quae religiosis pro tempore concedi contigerit, semper addatur clausula, quod licentiam seu facultatem huiusmodi infra quattuor, si citra, si vero ultra montes fuerint, infra octo menses superioribus suis ostendere seu illa notificare et illis uti, ac infra quattuor alios menses immediate subsequentes processum super licentia seu facultate vel indulto huiusmodi prosequi et finire teneantur, alias litterarum ipsarum commodo priventur illaeque eis ulterius non suffragentur ac nullae ac invalidae sint et esse censeantur.

articuli simillimi sunt eundemque ordinem sequuntur ac scripturae Maffei supra n. 33, III; adiecti sunt tres articuli de dispensationibus matrimonialibus: *Nullo modo dispensetur, ut dirimatur matrimonium* [contractum per verba] *de praesenti, licet non sit copula consumata, nisi ex maxima et urgentissima causa, et cum causae cognitione. Nullo modo dispensetur, ut aliquis contrahat cum duabus sororibus sine maxima et urgentissima causa et cum causae cognitione. In secundo gradu non dispensetur sine maxima causa.*

Primam illam esse collectionem censemus, et quia Maffei scripturis similis est, et quia nondum formam canonum vel decreti habet, sed quaedam facienda proponit, ex. gr. *Commutationes ultimarum voluntatum... non essent faciendae; abstinendum esset*, etc.

Nos aliam i. e. posteriorem collectionem exhibemus, quae, ut supra in signatura factum iam invenimus et infra in constitutione *Etsi ex debito* inveniemus, ea, quae in poenitentiaria ipsa immutantur, distinguit a casibus reservatis summo pontifici. Cum omnes fere articuli vitam regularium concernunt, de reformatione autem regularium anno 1553 deliberatum fuisse constat (infra n. 56), anno 1553 ineunti eos attribuimus, quocum bene congruit, quae Cervinus n. 34 ad 5. Aprilis 1553 adnotavit.

De forma, quae *Conc. 78* f. 115r-116r invenitur, verbis magis quam rebus differente, similiore tamen bullae parti VI (infra n. 57), cfr. *Göller* l. c. II 1, 121 adn. 2, qui in eodem opere II 2, 161 sqq. omnes fere licentias et facultates suprascriptas sub Clemente VII datas fuisse documentis demonstrat.

Adnecti hic liceat breve apostolicum summo poenitentiario (cfr. *Göller* l. c. II 1, 12) Rainutio card. Farnesio directum, quod reformationem poenitentiariae iam anno 1551 ineunte motam esse demonstrat:

Dilecto filio nostro Raynutio card. S. Angeli presbytero cardinali salutem. Iam tempus est, ut ad nos et ad Tuum poenitentiariae, de cuius reformatione agendum est, officium redeas. Quare mandamus Tibi [del. in virtute sanctae obedientiae], *ut receptis presentibus ad iter Te pares et cum Tuo commodo ad nos venire non differas. Dat. Romae, 27. Febr. 1551 anno 2. Gal*[*eazzo Florimonte*]. Arch. Vat. *Arm. 41 t. 59* n. 97, min.

Aliud breve, per quod Rainutius Farnesius Romam revocatur, die 6. Sept. 1553 datum, vide *ibid. tom. 69* n. 594, min.

Protectores generales ordinum, qui semper cardinales esse consueverunt, fratres et monacos et alios religiosos ordinum sub eorum protectione existentium extra monasteria 118v degentes ad exhibendum coram ipsis eorum licentias et processus inde | habitos, et si licentiae et processus minus legitimae reperti fuerint, ad redeundum ad eorum religionem opportunis iuris remediis compellere valeant.

Relaxatio iuramenti non detur gratiose, sed in forma commissaria, et parte, de cuius interesse [a] pro tempore contigerit, omnino vocata.

Licentiae standi extra religiosis professis pro servitio parentum aut pupillorum vel consanguineorum non dentur, nisi causa cognita, cum experientia doceat, fieri fraudem, ut vagari liceat. Item causa infirmitatis non detur indultum standi extra monasterium, nisi de licentia superioris obtenta et durante infirmitate, ita ut in aliqua honesta domo morentur nec vagari liceat.

Facultates de ingrediendo monasteria monialium pro mulieribus non concedantur, etiam pro matre vel sorore alicuius monialis, nisi cum clausula « ut ingrediatur cum vestibus simplicibus sine aliquo ornatu », ita ut devotionis causa et non tentandi venisse videatur, et semper de licentia superioris et deputatorum curae monasterii, si qui fuerint.

Rescripta si in evidentem dirigantur ordinario et non alteri ad evitandum fraudes, cum committantur iudicibus affectatis, et si agatur de praeiudicio ordinarii, committantur metropolitano vel ordinario viciniori [b].

Dispensationes matrimoniales committantur ordinariis, ne fiant subreptitiae 119r ex ignorantia aut malitia supplicantium, | ac semper cum expressione alicuius honestae causae.

Confessores apostolici nullo modo deputentur.

Facultates de promovendo a quocumque non concedantur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam, et tunc non concedatur, quod ordinari possint ab alio quam ab episcopo in sua diocesi residente aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine; legitima autem causa minime censeatur absentia vel infirmitas proprii episcopi vel alia similis causa, cum his casibus ab eius vicario licentia ipsa de promovendo a quocumque obtineri possit.

53.

Casus reservati signaturae summi pontificis [1].

[Anno 1553].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 119v-120r, cop. coaeva.

Enumerantur causae maiores, quae summo pontifici determinandae reservantur.

Conc. 78 f. 119v Quoniam decet res et causas maiores et graviores per solum Romanum pontificem cognosci et expediri, eas ipsas maiores et graviores res nobis et summo pontifici pro tempore existenti reservamus neque super eis per quempiam vel cancellariae vel poenitentiariae (etiam sede vacante) seu quorumcumque aliorum officialium litterae expediri valeant, nisi supplicationes desuper manu nostra vel successorum nostrorum signatae fuerint. Graviores autem et maiores res et causae decernimus atque declaramus esse suprascriptas:

Absolutionem ab haeresi et a crimine laesae maiestatis ac aliis casibus in bulla in die coenae Domini legi solita contentis [2].

Absolutionem ab homicidio, ubi petitur dispensatio ad altaris ministerium aut ad beneficia curata obtinenda.

Absolutionem a labe simoniae scienter contractae, quando petitur dispensatio pro ipso simoniaco ad obtinendum beneficium, super quo simoniam contraxit.

Absolutionem ab omni crimine, per quod ipso iure inducitur privatio beneficii, ubi petitur rehabilitatio seu dispensatio ad beneficium huiusmodi retinendum seu obtinendum.

[a] *del.* agitur [b] *Cod.* vicario

[1] Quoad tempus vide n. 52

[2] De formis bullae *In Coena Domini* cfr. *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie I 1, 242-277; II 1, 190-208; *K. Pfaff*, Beiträge zur Geschichte der Abendmahlsbulle vom 16. bis 18. Jahrhundert: Römische Quartalschrift 38 (1930) 23-76.

Absolutionem ab omnibus criminibus, in quorum cognitione ordinarius praevenerit.

Commutationes ultimarum voluntatum.

Erectiones beneficiorum ecclesiasticorum ac earum necnon unionum perpetuarum per ordinarios extra formam iuris communis factarum confirmationes. |

Reservationes iurispatronatus in aliis quam in iure expressis casibus. 119^{r}

Indulgentias reales, quae personis ratione visitationis certi loci conceduntur.

Exhibitionem habitus seu crucis dimidiatae per fratres hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani deferri soliti, aut S. Iacobi de spata [1] seu hospitalis S. Spiritus in Saxia [2] vel cuiusvis alterius militiae seu hospitalis

Facultates exercendi pontificalia in aliena diocesi ac promovendi alienos diocesanos.

Dispensationes in primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu mixtim vel separatim.

Praemissae autem absolutiones ita demum signaturae Romani pontificis (ut praefertur) reservatae censeantur, quando petuntur etiam in foro fori. Si vero petantur in foro poli et conscientiae dumtaxat, tunc expediri possint absque dicta signatura per officiales, ad quos spectat, ut hactenus servatum fuit.

54.

[Bulla Iulii pp. III de reformatione poenitentiariae] [3].

[Anno 1553 ineunte ?].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 155^{r}-159^{r}, cop. coaeva, excusa apud *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V, vol. II p. 2 (Rom 1911) 9-15.

Iulius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Rainutio tituli Sancti Angeli presbytero cardinali maiori poenitentiario nostro salutem etc. Etsi ex debito [4] pastoralis officii, *Conc. 78* f. 155^{r} cui disponente Domino, meritis licet imparibus praesidemus, ad singula Romanae ecclesiae officia pro illorum salubri directione ac matura negotiorum, quae ad Romanam curiam velut commune omnium refugium pro tempore deferuntur, expeditione intendere teneamur, ad poenitentiariae tamen nostrae officium eo propensius nos advertere debere arbitramur, quo plura et graviora negotia utpote animarum salutem pro maiori parte concernentia in ea tractantur et expediuntur, ut officium ipsum prudenter et discrete exerceatur, nec ex illius gestis aliqua possit perturbatio exoriri. Nos igitur, qui semper ab ipso nostri pontificatus initio proposuimus omnia ipsius curiae officia, quatenus reformatione indigerent, reformare ac omnes eorum abusus, corruptelas et pravas consuetudines, si quae essent, tollere, nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, summae virtutis, doctrinae et auctoritatis viris, ut negotio reformationis huiusmodi diligenter intenderent et, quae in dictis officiis et specialiter in dicto poenitentiariae officio tanquam maioris ponderis et periculi reformanda cognoscerent, reformarent et ad debitam formam reducerent, commisimus et mandavimus. Cum autem praefati cardinales negotio huiusmodi inter eos pluries discusso habitaque desuper longa et matura consideratione et auditis iis, qui vel de praemissis informati esse vel in eis interesse praetendere poterant, etsi ob varietatem et multitudinem negotiorum, quae per officium huiusmodi expediri | consueverunt, omnia complecti nequiverint, non- 155^{v}

[1] Cfr. supra p. 246 adn. 1.

[2] Cfr. supra p. 238 adn. 1.

[3] Bulla *Etsi ex debito*, quando composita et an unquam edita sit, explorare non mihi contigit. *Göller* (l. c. p. 9) eam forsan a. 1554 ineunti attribuendam esse censuit. Si hoc verum esset, quaerendum statim esset, cur bulla reformationis generalis, quae tunc perfecta fere erat, p. V et VI aliam reformationis poenitentiariae formam contineat? Si unquam sub Iulio edita est, cur Massarellus, cum Marcellus II Aprili 1555 iterum eiusdem officii reformationem aggrederetur, non hanc uberem formam, sed aliam nonnullis locis ab hac et ab illa quoque generali reformatione differentem protulit ad distribuendum inter deputatos (*Conc. Trid.* II 260, 14-20, cfr. *Conc. 79* f. 135^{r}-137^{r})? Mallem ergo nil affirmare quam incerta pro certis statuere. De singulis formis conferas, quae ad n. 52 disseruimus, necnon *Göller* l. c. II 1, 121 adn. 2.

[4] In prooemio breviori *Etsi summi pontificis vigilantia* (*Conc. 78* f. 136^{r}) statim post verba *tractantur atque expediuntur* (l. 25) sequitur constitutio de referendariis. Quibus bulla de cardinalibus deputatis utitur, eadem fere verba vel similia etiam in prooemio bullae pro reformatione generali *Varietas temporum* extant (infra n. 57).

nulla tamen, quae eis pro reformatione huiusmodi utilia et opportuna visa fuerunt, Nobis retulerunt. Nos attendentes magis convenire aliquam corporis partem curare, quam ipsum corpus, si totum curari nequit, infectum et inreformatum diutius relinquere, expediens esse censuimus interim, dum per eosdem cardinales perfecta omnium cognitio haberi possit eorum, quae ad huiusmodi reformationem iam per eos cognita et perspecta fuerunt, promulgationem ulterius non differre, habita super his cum eis et aliis venerabilibus fratribus Nostris dictae ecclesiae cardinalibus matura deliberatione, et eorum consilio et assensu apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus minores poenitentiarii nostri in basilica principis apostolorum de Urbe pro tempore deputati pro quibusvis absolutionibus, etiam quae eis in dies committuntur, nihil capere possint, sed loco emolumentorum, quae eis ex absolutionibus huiusmodi proveniebant et alias, pro eorum sustentatione (cum ipsi totam pondus poenitentiariae eiusdem in spiritualibus sustineant) menstruali provisione sex scutorum auri pro quolibet ipsorum per Te et pro tempore existentem maiorem poenitentiarium ex emolumentis praefatis eis solvendorum contenti sint, nec ultra dictam provisionem ex eisdem absolutionibus aliquid exigere aut etiam sponte oblatum accipere valeant. Et ⟨cum integrum iudicium sit, quod plurimorum sententiis confirmatur, quod ad instar nostrarum tam gratiae quam iustitiae signaturarum nonnulli (ut ab aliquibus annis servatum fuit) deputentur referendarii [1], quorum aliqui in iure canonico vel ex referendariis nostris, alii vero in theologia, ut ex eisdem poenitentiariis minoribus | 156r periti existant. Quos necnon ipsius poenitentiariae regentem, et qui utriusque iuris doctor esse et inter referendarios poenitentiariae huiusmodi adnumerari ac omnes supplicationes, postquam signatae fuerint, revidere cuique [a] solitum salarium menstruale assignari debeat, eius[demque] poenitentiariae auditorem Tu et pro tempore existens poenitentiarius maior certa die cuiuslibet hebdomadae ad Te vocari et in Tua atque regentis et auditoris necnon referendariorum praesentia omnes dubias et minus ordinarias materias per ipsius poenitentiariae procuratores proponi facere et deinde, remotis praedictis procuratoribus ac omnibus aliis poenitentiariae huiusmodi officialibus, qui ex concessione gratiarum aliquod commodum seu lucrum consequi possint, materias propositas huiusmodi de eorumdem regentis et auditoris ac referendariorum seu maioris partis eorum voto et consilio concedere vel reiicere ac supplicationes, quae in eadem signatura concedendae visae fuerint, per Te ipsum (nisi legitimo impedimento detentus fueris) signare debeas. Aliae autem ordinariae materiae, postquam eis per auditorem huiusmodi manus apposita fuerit, per dictum regentem signari possint. Quodque ad instar cameralis litterarum apostolicarum expeditionis, quae coram Nobis fieri consuevit, Tu et pro tempore existens maior poenitentiarius cum regente et auditore ac referendariis poenitentiariae huiusmodi singulo quoque mense ad Nos et Romanum pontificem pro tempore existentem accedere et coram Nobis res et causas maiores et graviores [2] proponi facere, et prout ibi notatum et conclusum fuerit, expedire et reiicere debeatis, ne res et causae maiores alibi quam coram summo pontifice expediantur. Eas autem quoad hoc pro nunc infrascriptas esse censemus videlicet: Absolutiones ab homicidio voluntario, ubi petitur dispensatio ad altaris ministerium aut ad beneficia curata obtinenda, et a crimine laesae 156v maiestatis in primo capite, et a labe simoniae reatus scienter | contractae, ubi petitur dispensatio ad obtinendum beneficium, super quo sit contracta simonia, et ab omni crimine, per quod quis ipso iure ecclesiastico beneficio privatus existit, cum petitur rehabilitatio seu dispensatio, ut cum dicto beneficio remanere possit, necnon a casibus in bulla in die Coenae Domini legi consueta pro tempore contentis et ab haeresi ac omnibus, in quibus ordinarius pro tempore praevenerit, nisi sint quaedam leviora, ut iniectio manuum, mala promotio et similia, nec non commutationes ultimarum voluntatum et erectiones beneficiorum ecclesiasticorum ac earum et unionum alias quam per ordinarium ex causa iuridica factarum confirmationes nec non reservationes iuris patronatus in aliis quam in iure expressis casibus, et indulgentiae reales, videlicet quae personis ratione visitationis certi loci conceduntur, nec non exhibitionem habitus seu crucis dimidiatae per fratres hospitalis S. Iohannis Ierosolimitani deferri soliti absque

[a] *Cod.* eiusque

[1] Quae de referendariis et de signatura singulis hebdomadibus per maiorem poenitentiarium facienda (cfr. *Göller* II 1, 76 sqq.) constituuntur, breviori, sed eiusdem tenoris forma *Conc. 78* f. 137r (min.), f. 134r (mundum) prostant. Observes autem, verba *ut ab aliquibus annis servatum fuit* in priori illa forma deesse.

[2] Huius partis formam praeparatoriam sub titulo *Casus reservati signaturae summi pontificis* videas n. 53; cfr. etiam *Conc. 78* f. 135r et infra bullam reformationis generalem p. V.

limitatione, videlicet *sed si, antequam a superiore hospitalis acceptati fuerint, deliquerint, ab ordinario puniri possint*, aut habitus per fratres S. Iacobi de Spata sub regula S. Augustini vel cuiusvis etiam alterius militiae seu hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe ordinis S. Augustini gestari soliti cum indulto, quod gaudeant privilegiis religionis absque consensu praeceptoris S. Spiritus aut S. Ioannis hospitalium vel alterius militiae huiusmodi magistri et absque limitatione praefata necnon facultate exercendi pontificalia in aliena diocesi et promovendi quoscunque active et dispensationes in primo et secundo gradu, quae omnia coram Nobis proponi mandamus, ut praefertur, ubi agitur in foro fori; ubi vero agatur in foro poli et conscientiae, praemissae absolutiones etiam absque eo, quod coram Nobis aut Romano pontifice pro tempore existente proponantur, expediri possint. Volumus insuper et apostolica auctoritate decernimus [1], quod de cetero omnes et singulae | declaratoriae et licentiae per- [157r] sonarum religiosarum, quae hactenus sub clausula *si ita est* aut *si etiam extraiudicialiter et sola facti veritate inspecta ita esse repereris* committi consueverunt, semper loci ordinario et cum clausula *vocato provinciali seu priore vel guardiano aut alio superiore domus seu monasterii, in qua seu quo is, pro quo declaratoria seu licentia conceditur, professus fuerit*, ad [a] hoc, ut contra supplicata excipere et opponere poterit, alias summarie, simpliciter et de plano ac sine tela iudiciaria, etiam si narrentur causae nullitatem professionis concernentes, ut puta vis et metus in loco, ubi professus fuerit; si vero causae narratae huiusmodi tunc supplicantis statum, ut puta infirmitatem vel alia impedimenta, respexerint, ordinario loci, ubi residere consueverit, et nullatenus in Romana curia, etiam si supplicans se in ea probationes paratas habere asserat, committantur, ac super [b] singulis declaratoriis et licentiis huiusmodi processus, ex quo de veritate narratorum apparere possit, fieri debeat; possint tamen supplicantes obtentis litteris poenitentiariae huiusmodi pro earum praesentatione domum seu monasterium libere exire et pro processu desuper, ut praefertur, faciendi instructione ⟨ac illo pendente extra domum seu monasterium huiusmodi sub iurisdictione⟩ [c] et correctione dicti loci ordinarii [d], cui litterae ipsae directae erunt, degere, nec interim super inde ab eorum superioribus molestari valeant. Quodque de cetero in licentiis transeundi ad alium ordinem clausula *dummodo ibi perpetuo maneant* omnino apponatur. Et licentia standi extra de licentia superioris nullatenus concedatur, nisi supplicans se ordinem ipsum expresse professum et non ad illum translatum esse aut saltem se in ordine huiusmodi per plures annos permansisse narret. Ac translationes apostatarum [e] de uno ad alium non parem nec arctiorem ordinem non dentur, nisi prius superiores apostatarum huiusmodi eos ad ordinem, cuius | habitum dimiserint, revocare et in suam potestatem vendicare neglexerint. Necnon [157v] licentiae praedicandi cum clausula *si sis idoneus* in forma gratiosa alicui non concedantur, sed semper cum clausula *si idoneus repertus fueris* [f], ac ordinariis locorum, in quibus pro tempore eum praedicare vel le contigerit, et non aliis committantur. ⟨Et licentia testandi in praeiudicium monasteriorum aut aliorum regularium locorum alias quam in forma quinterni cancellariae apostolicae⟩ [g], aut licentia suscipiendi gradus invito eorum superiore generali, nisi iudices, quibus licentiae huiusmodi pro tempore committuntur, qui etiam sint ipsius loci ordinarii, vocato superiore praedicto, cum contra susceptionem graduum huiusmodi causam rationabilem allegare non invenerint, quo casu supplicantem, si idoneus repertus fuerit, ad gradus ipsos promoveri facere possint, nullatenus concedantur. Nec monachis seu aliis religiosis extra eorum domos seu monasteria vel alia regularia loca aut eorum provincias ex mandato superiorum aut alias ex obedientia commorantibus indulgeatur, quod in domibus seu monasteriis vel locis aut provinciis praedictis contra voluntatem superiorum suorum aut eis invitis remanere possint, et quae generales ordinum ad certum tempus conce-

[a] *Cod.* ab [b] *Pro verbis* ac super — molestari valeant *forma II ea ponit, quae supra p. 247 l. 1 sqq. exhibuimus. Forma I canonem expresse ad declaratorias de nullitate professionis restringit, similiter, aliis tamen verbis, forma III, quam exempli causa hic adnectimus:* Declaratoriae nullitatis professionis tamquam per vim et metum aut alias minus rite et recte factae deinceps ordinario loci, in quo professio emissa fuerit, cum clausula «vocato superiore domus seu monasterii, in quo professio huiusmodi emissa fuerit, alias summarie etc.» et nullatenus in Romana curia, etiam si in ea probationes paratas esse asseratur, committantur, inhibeaturque *etc. ut in forma II.* [c] *add. a Mass. in marg.* [d] *Cod.* ordinariis [e] *De apostatis forma II alium habet canonem, cfr. supra p. 247 l. 11 sqq.* [f] *Cod.* fuerit [g] *Haec constitutio in forma II et ceteris omnibus om.*

[1] Hinc incipit pars ea, quae in bulla reform. generalis p. VI sub titulo *Ea quae in expeditionibus... modificantur*, mutata tamen extat. Ex aliis eiusdem partis formis (*Conc. 78* f. 115r-116r, apud *Göller* = I; *ibid.* f. 117r-119r, apud *Göller* = II; *Conc. 79* f. 135r-137r, *Conc. 78* f. 128r-130v f. 131r-133v apud *Göller* = III) secunda, a nobis supra n. 52 exhibita, cum hac hulla ex parte congruit, cfr. p. 246 l. 29, — p. 248 l. 5 cum p. 251 l. 10, — p. 252 l. 17; quibus differt, pro commoditate lectoris adnotavimus.

dunt, perpetuo non confirmentur. Nec ob melioris vitae frugem alicui concedatur licentia ducendi vitam heremiticam in forma gratiosa, nisi cognita singularitate vitae illius et negotio Nobiscum aut cum Romano pontifice pro tempore existente in huiusmodi expeditione poenitentiariae communicato; si vero petatur in forma commissaria, tunc ordinario loci, qui sit episcopus et non vicarius eius, et constito de singularitate vitae huiusmodi, committantur, nec cuiquam aliter detur. Teneantur quoque ii, quibus aliquas licentias seu fa-
158r cultates vel indulta [a] per officium poenitentiariae huiusmodi pro tempore concedi | contigerit, licentias, facultates et indulta huiusmodi infra quattuor, si citra, si vero ultra montes fuerint, infra octo menses superioribus suis ostendere seu alias notificare et illis uti ac infra sex [b] alios menses immediate subsequentes processum super licentia, facultate seu indulto huiusmodi prosequi et finire, alias earum vel eorum commodo privetur illaque et illae alterius non suffragentur ac nullae et invalidae nullaque et invalida sint et esse censeantur. Possint etiam protectores generales ordinum, qui semper cardinales esse consueverunt, fratres et monachos ac alios religiosos ordinum, quorum ipsi protectores fuerint, extra ordines suos degentes ad exhibendum coram eisdem protectoribus eorum licentias et processus superinde habitos et, si licentiae et processus minus legitimi reperti fuerint, ad redeundum ad eorum religionem opportunis iuris remediis cogere et compellere. Quodque de cetero in quibusvis licentiis seu dispensationibus clericos saeculares ad ordines sacros promovendi [c], si petatur *a quocunque catholico antistite*, addatur *in propria diocesi residente aut indultum pontificalia in certa diocesi exercendi a sede apostolica habente aut per loci ordinarium in sua diocesi pro collatione ordinum specialiter cum sedis apostolicae auctoritate deputato*, et tunc in ea diocesi, in qua indultum huiusmodi habuerit, ac eisdem examine et approbatione praecedentibus, quibus inibi ordinaria auctoritate promotiones huiusmodi fieri consueverint, et non alibi nec aliter; sed si *de licentia sui ordinarii* petatur, omnibus passim et sine additione huiusmodi concedantur, et ne promovendi huiusmodi aliquo forsan crimine seu defectu notati timentesque ab eorum dioecesanis ob crimen seu defectum huiusmodi repelli, curent licentiam seu facultatem huiusmodi obtinere et illius vigore dictos ordines suscipere. Possint etiam
158v diocesani [d] sic, ut praefertur, promotos, quos propterea [e] ordinum | huiusmodi minus capaces repererint, ab eorundem ordinum exercitio seu executione ad tempus seu perpetuo iuxta illorum demerita suspendere. Quodque in absolutionibus ab homicidio seu quovis alio delicto, quas de cetero concedi contigerit, clausulae *dummodo ordinarius legitime non praevenerit* simpliciter et absque verbis *citatione legitime executa et in propria persona* apponi solitis ac sine aliqua alia limitatione poni debeant. Et quod relaxatio iuramenti non detur gratiose, sed in forma commissaria et parte, de cuius interesse pro tempore agi contigerit, vocata, ⟨nisi ex serie facti, quod narrari contigerit, expresse apparuerit enormissima supplicantis laesio, ex qua de iure absolutio ad effectum agendi denegari non possit⟩ [f]. Et dispensationes matrimoniales ordinariis ⟨committantur, similiter rescripta *si in evidentem*, et si de ordinarii⟩ [g] interesse agatur, tunc ordinario viciniori vel metropolitano committantur [h]. Et si ex aliqua causa quicquam in praemissis ampliandum aut limitandum fore Tibi et pro tempore existenti maiori poenitentiario, regenti, auditori et referendariis praedictis visum fuerit, id in expeditione poenitentiariae coram Nobis aut Romano pontifice pro tempore existente, ut praefertur, facienda fieri debeat nec alibi fieri possit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac officii poenitentiariae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus nec non privilegiis et indultis et literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis etiam per modum statuti principum ac cum quibusvis efficacissimis, etiam insolitis, etiam derogato-
159r riarum derogatoriis clausulis irritantibusque et aliis etiam vim contractus | inducentibus decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine aut simili consilio et quavis consideratione et ex quibusvis causis per quoscunque Romanos pontifices praedecessores Nostros ac forsan Nos et sedem eandem quomodolibet concessis, appro-

[a] *Cod.* indulto [b] *Forma II et ceteri omnes* quattuor [c] *Quae hic de licentia promovendi ad ordines et de absolutionibus ab homicidio constituuntur, forma II ceteraeque omnes om.; eius loco in fine formae II habetur can.* [23] *bullae ref. gen.* Facultates de promovendo a quocumque, *ut supra p. 248.* [d] *Supple* episcopi [e] *sic Cod; videtur legendum* postea [f] *Forma II om.; add. can.* Licentiae standi extra *similem can.* [89] *bullae ref. gen. et can.* Facultates de ingrediendo monasteria, *ut supra p. 248 l. 8 sqq. Exempli causa hic forma III eiusdem canonis exhibeatur:* Relaxatio iuramenti etiam ad effectum agendi aut alia de causa committatur iudici competenti cum clausula, ut causa cognita et parte, de cuius interesse agitur, omnino vocata, prout iustum fuerit, concedatur. *Similia fere verba habent forma I et bulla ref. generalis, ut infra.* [g] *add. a Mass. in marg.* [h] *Forma II add.* Confessores apostolici nullo modo deputentur *et postea can.* [23], *ut supra sub* c) *notatum est; forma III autem 7 canones de susceptiones sacrorum ordinum addit.*

batis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si illis nullatenus aut non nisi cum certis solemnitatibus et expressionibus ac modo et forma in illis contentis derogari vel illorum effectus impediri possit, illorum omnium tenores, formas, datas et decreta in illis apposita et causas, propter quas concessa sunt, ac si de verbo ad verbum nihil penitus commisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque etc. Nulli etc.

55.

De materia indulgentiarum brevis enarratio pro reformatione, de qua agitur in ecclesia catholica.

Revmo D. card. S. Crucis [dedicata] [1].

[Mense Novembri 1552].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 80r-81r, or; in f. 81v eadem manu: Revmo D.D. Cardinali Sanctae Crucis.

Ex bonis principiis multa mala suboriri non modo sacri canones, verum etiam sacrum evangelium testatur de inimico, qui in bono semine *superseminavit zizania* [2]. Si unquam laxandae essent habenae pro remissione delictorum, nunc certe tempus id postulat, cum totum in maligno positum sit [3], nostris sic exigentibus demeritis. Verumtamen ut a phisicis capiamus exemplum, corpora impura quanto magis nutrias, tanto magis laedas; ideo bonum videtur pro aliquo tempore, donec perfecta erit reformatio, videl. non verbis tantum, sed opere suscepta, ut a b o m n i b u s h u i u s c e m o d i i n d u l g e n t i i s a b s t i n e a t u r. Formarevocationis habeatur ab exemplo praeteritorum pontificum necnon Smi D. N., quae exhibetur [4]. Si quis autem scire desiderat, cur haec totiens conceduntur et totiens revocantur, inspiciat radicem, unde haec proveniant. *Conc. 78 f. 80r*

R a d i x c o n c e d e n d i est pia causa, preces non spernendae, subsidium pauperum, redemptio captivorum, instructio religionum, acquisitio animarum, aedificatio ecclesiarum et ceterarum rerum similium [5]. R a d i x autem ea r e v o c a n d i est infinitus numerus perfidorum hominum, qui maxime quaestores nominantur, ex Cerete [6], ex Montefalco, ex Spoleto, ex ⟨Triponcio [7], ex⟩[a] Paterno, ex valle Prolecia et multis similibus locis necnon ex tota Italia, ubi quis ad malum declinare intendit; hi imprimis fautores habent commendatarios religionum S. Spiritus, S. Antonii, S. Sebastiani, S. Iohannis Lateranensis, Annuntiationis et Incurabilium Neapolitanorum, Redemptionis captivorum Avenionensis, S. Bernardi et eiuscemodi, qui propriis consulentes ⟨commodis et utilitatibus⟩ [b] indulgentias licitant et nihil penitus curant de scandalis inter pauperculas Christi oves quotidie obvenientibus. |

Qualia autem sunt ipsa s c a n d a l a, nemo est qui nesciat, cum multa a iure prohibita praeter eorum auctoritatem in sedis apostolicae vilipendium et animarum deceptionem, etiam si sint revocata, passim publicent praesertimque, quod hi fere omnes sunt coniugati et nihilominus gerunt se pro presbyteris, sacramenta ministrant, et praecipue confessiones audiunt atque ex earum revelatione arbitres se constituunt inter viros et uxores, inter affines, inter amicos et vicinos omnes, praesertim villarum campestrium, ex quibus, quicquid desiderant, percipiunt. Accedit assensus vicariorum, quoniam perrari pontifices in suis resident ecclesiis necnon plebani quarumcumque villarum, qui statim ab ipsis alliciuntur ad lucri participationem, ex quo illud prophanum nimis verificatur [8]: *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames.* 80v

Alterum est genus mendicantium [c] sub nomine Iudaeorum noviter ad fidem nostram conversorum et redemptionis quorumdam captivorum — neque enim nunc sugillandum puto

[a] *in marg* [b] *in marg.* [c] Cod. mandicantiam

[1] Mensi Novembri anni 1552 ascribere velim hunc quoque tractatulum, quia Cervino cardinali dedicatum est, tunc temporis sine dubio deputatorum reformatorum spiritui rectori.

[2] *Matth.* 13, 25.

[3] Cfr. *1 Io*, 5, 19.

[4] Deest.

[5] De variis operibus bonis et utilibus, pro quibus indulgentiae concedebantur, cfr. *N. Paulus*, Der Ablass im Mittelalter als Kulturfaktor (Köln 1920).

[6] Videtur esse Ceretum prope Antium; sequentes quoque villae in agro Romano sitae sunt.

[7] Tripontium prope Terracinam.

[8] *Virgilius*, Aeneis III 56 sq. (*Ladewig* 88).

novum collegium Neapoli erectum pro universis redimendis [captivis][1] — sed animadversio habenda est de particularibus, quorum indulgentias nulla habita discussione signatura etiam Smi D. N. admittit, quae omnia tandem evadunt in merces venales, quas denique memorati quaestores semper redimunt, nulla habita ratione limitationis solitae *ne per quaestores deferantur*; ipsi enim se tales fingunt, quales litterae testantur, et vix certum nomen ipsorum depre[he]ndi unquam poterit. Nam neque Proteus in tot se formas antiquitus verti diceba-
81r tur, in quot se ipsos quotidie transformant, et quod | peius est, bullas imprimi faciunt, et in transumptis multa enormia falso addunt. Unde certissimum est, eosdem in omne facinus debaccari, nisi quantum comissarii fabricae principis apostolorum aliqua in parte quottidie obsistunt.

Haec in facto sic se habent; factum enim etiam prudentissimos latere potest. Remedium vero in manu erit Smi D. N. et Revmorum DD. deputatorum, prout eis magis placuerit.

56.

Reformatio regularium [a]

[cum votis generalium Minorum conventualium et Praedicatorum].

[Ante 16. Iulii 1553] [2].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 195r-196v [= A] cum correctionibus card. Maffei, quae in forma B *ibid.* f. 197r-198r receptae sunt in textum, denuo a card. Cervino emendatum.

1. De vestiendis pueris et puellis. 2. De professione. 3. et 4. De abdicatione proprietatis. 5. De visitatione. 6. De ingressu monasteriorum monialium. 7. et 8. De administratione sacramenti poenitentiae in domibus regularium 9. De eligendis superioribus.

Conc. 78 f. 197r 1. Quoniam regulares utriusque sexus ab aliquo tempore citra inceperunt contra formam regularum suarum vestire pueros et puellas in grave et publicum scandalum religionis christianae, eapropter constituendum videtur, ne quis eorum, cuiuscunque ordinis aut sexus fuerit, vestiat in posterum aut recipiat monachos aut moniales, fratres aut sorores non excedentes, si masculi fuerint, XVI. annum, si vero feminae, XIV., sub poena privationis officiorum et dignitatum. De qua re etiam [b] generales ordinum teneantur pro omnibus suis inferioribus reddere rationem.

2. Similiter quoniam ex praepropera professionis emissione multa scandala oriuntur, quorum illud iam ferri amplius non potest, quod plurimi suos ordines professi et professae causentur post multos etiam annos per vim et metum religionem intrasse professionemque ipsam ⟨nimis tenera adhuc⟩ [c] aetate [d] emisisse, et ita exeunt cum animarum suarum detrimento et scandalo plurimorum. Iccirco ad occurrendum fraudibus et ad scandalum tollendum statuendum videtur, ne quis in posterum, si masculus fuerit, ante XVIII. ⟨annum completum⟩ [e], si femina, ante XVI. ⟨similiter completum⟩ [e] professionem emittat, et tunc quatenus ad feminas spectat, cum diligenti etiam inquisitione [f] ab ordinariis locorum [g] sive a superioribus suis coram notario et testibus ⟨in ecclesia ipsius monasterii remotis monialibus et consanguineis⟩ [h] facienda, utrum sponte et libere, an per vim et metum ipsam professionem emittant, ⟨et aliter facta professio [i] nullius sit roboris vel momenti. Teneantur autem superiores tam monialium quam religiosorum librum penes se habere, in quo huiusmodi solemnitatum instrumenta registrentur⟩ [k].

3. Et quoniam abdicatio proprietatis ita statui regularium annexa esse debet sicut custodia castitatis, statuendum videretur, ut monaci et fratres, etiam [l] conventuales omnes, cuiuscunque ordinis et professionis extiterint, nullam inter se proprietatem habeant,
197v sed sint eis omnia communia, etiam elemosinae et cetera | cuncta, undecunque et quacunque de causa, etiam ex privata cuiusquam industria et labore provenientia, et tam in ecclesia quam in refectorio ac dormitorio iuxta eorum regularem ordinem vivant.

[a] *B add.* correcta [b] *A add. a Maffeo* [c] *A add. a Maff.; del.* iuvenes adhuc [d] *B add. a Cervino.* [e] *A add. a Maff.* [f] *A del.* in Italia [g] *A del.* ultra montes ab ordinariis locorum [h] *A add. a Maff.* [i] *B add. a Cerv* [k] *A om.* [l] *A add. a Maff.*

[1] Cfr. *Ripoll-Brémond,* Bull. ord. Praed. V 86 sqq.
[2] Quia a Maffeo correcta, forma A ante diem 16. Iulii 1553, quo optimus ille cardinalis mortuus est, composita esse debet.

4. Quod ut commodius statui et exequi possit, innovanda et amplianda videretur constitutio Bonifacii VIII in c. [*Periculoso*] de statu reg. § *Sane* lib. VI [III 16], [1] ne religiosi ⟨utriusque sexus non mendicantes, videlicet qui vel ex regula vel ex privilegio bona in communi habere possunt⟩ [a], maiorem familiam accipiant, quam possint alere, ut victum et vestitum a conventu, cui serviunt, habere valeant, et non cogantur privata lucra propter necessitatem sectari contra formam regulae. Curent autem eorum superiores cum omni charitate, ne victus aut vestitus aut libri et cetera necessaria cuiquam omnino desint, sed ex communi omnibus sufficienter provideatur.

5. Et cum videamus ⟨regulares, praesertim conventuales⟩ [b] reformatione [c] indigere, statuendum videretur, ut eorum generales cum uno alio per sedem apostolicam deputando monasteria sibi subiecta visitare non differrent corrigendo et reformando, quae correctionis et reformationis officio viderint indigere, antiquas regulae constitutiones diuturna ac mala desuetudine non observatas innovando [2].

6. Statuendum quoque videretur, ut nemo, etiam ⟨ordinarius vel⟩ [d] generalis et visitatores ordinum monasteria monialium quovis quaesito colore, etiam visitationis causa, ingredi audeant, cum aeque bene et citra scandalum visitationis munus in publicis parlatoriis [e] exequi possint. Confessor tamen intelligatur exceptus, ⟨qui cum uno socio maturae aetatis et probatae vitae⟩ [f] ex aliqua urgenti necessitate, veluti causa ministrandi sacramenta infirmis gravi infirmitate in lecto detentis ⟨monasterium ipsum ingredi valeat. Qui quidem confessor⟩ [g] eligi debeat a suis superioribus laudabilis vitae et consuetudinis ⟨ac maturae aetatis⟩ [g].

7. ⟨Admonendi viderentur generales et alii superiores ordinum, ne pro audiendis| populi confessionibus eligerent nisi viros maturae aetatis⟩ [h] bonae conversationis et famae, 198r
doctos et bene scientes casus conscientiae et diligentes in confessionibus audiendis et penitentiis iniungendis, scituri, ⟨quod, si aliter fecerint, reddituri sunt rationem⟩ [i] ⟨non solum Deo, sed etiam apostolicae sedi, quae ab eis de ea re exiget rationem⟩ [k].

8. Providendum quoque videtur, ut sacramentum confessionis ⟨fieri possit integre⟩ [l], pure et cum tranquillitate conscientiae tam a religiosis quam a monialibus. Et quoniam non sine summo animi dolore ad aures nostras pervenit, quod saepius tam religiosi quam moniales praetermittunt peccata sua confiteri propter metum, ne confessiones revelentur

[a] *A add. a Maff.* [b] *A add. a Maff.; del.* conventuales omnes [c] *A del.* valde [d] *A add. a Maff.* [e] *A del.* sive in ecclesiis [f] *A add. a Maff.* [g] *B add. a Cerv.* [h] *In A a Maff. corr. ex* Prohibendum videretur generalibus et maioribus ordinum, ne confessores eligerent minores 30 annorum, religiosos [i] *In A corr. a Maff. ex* dicti generales et superiores, quod si in aliquo loco constitutio huiusmodi non servabitur; non solum peccantibus, sed etiam ipsis eorum superioribus imputabitur. Et sicubi forsan aliqua urgente necessitate admittendi essent minores 30 annorum, hoc non fiat nisi de licentia ordinariorum, qui etiam non possint in dictis necessitatibus admittere minores annorum 25. [k] *B add. a Cerv.* [l] *B add. a Cerv.; del.* fiat

[1] *Friedberg* II 1053 sq.

[2] In forma A f. 195r deletum est alius canon similis tenoris:

Et quoniam iidem regulares potenti etiam indigent reformatione, statuendum esset, ut protectores ordinum, quando eis necessarium videretur, visitatoribus, qui ab unaquaque religione in singulis capitulis eliguntur, addere possent unum aut plures alios visitatores illius ordinis, qui visitationi faciendae interessent, et omnia ad ipsos protectores, a quibus missi fuerint, fideliter referrent.

Praeter hunc canonem in A f. 195v-196r deletus est alius de non reformatis canon:

Et ne aliqui forsan conqueri possint, asserentes non esse compellendos ad districtiorem vitam et ad duriorem observantiam, quam sint per eorum professionem aut longam consuetudinem obligati, ad omnium ora claudendum et paci universali consulendum dicti generales et visitatores per sedem apostolicam ut supra deputandi invitatis omnibus, ut magis certam eorum vocationem facere et secundum ordinis sui regulam vitam agere velint, si quos invenerint huiusmodi persuasionibus non moveri et a suo antiquo proposito recedere nolle, eos a ceteris dividendo curent, ut seorsum maneant et seorsum vivant in aliquibus monasteriis eis ad eorum vitam per provincias ad beneplacitum generalis assignandis. In quibus monasteriis ipsi soli manere et nullum novitium inter eos aliquo pacto in futurum amplius admittere valeant aut recipere quenquam ex eis, qui, postquam cum reformatis aliquo tempore vixerint, ad priorem et laxiorem vitam redire vellent. Quae quidem ne faciant, per eorum superiores adhiberi cura oportebit. Post eorum vero mortem monasteria illis assignata in potestatem dominiumque reformatorum revertantur, ita tamen, ut interim, sicuti ipsi assidue ad minorem numerum redigentur, sic pauciora monasteria proportionabiliter eis relinquantur usque ad eorum extinctionem. In monasteriis vero monialium, quae reformatione indiguerint, quoniam suprascriptus modus forsan commode servari non posset, ita videretur agendum, ut prohibita pariter non reformatis admissione et receptione novitiarum et aliarum vitam reformatam deserentium assignaretur ipsis non reformatis aliqua pars monasterii per novos parietes ita dividenda, ut reformati a non reformatis seorsum viverent et nulla penitus inter se neque in ecclesia neque in refectorio aut dormitorio communionem aut commercium haberent, prout superioribus annis Venetiis factum fuit.

suo superiori, consulendi sunt generales, ut via aliqua et modus reperiatur, quo subditorum conscientiis consulatur, ut libere et sine aliquo scrupulo confiteri possint [a] [1].

9. Et quoniam generales ordinum, visitatoresaliique s u p e r io r e s necnon in monasteriis monialium abbatissae fiunt saepe [b] per ambitum et ⟨per superiorum dimittentium officium auctoritatem⟩ [c] ita ut ab iis successores sibi eligantur, considerandum [d] videtur, ut antiqua libertas religionibus et monasteriis restituatur, ⟨an de cetero non⟩ [e] per voces et palam, sed per secreta suffragia tam generales ordinum et visitatores quam abbatissae ⟨eligi deberent et an⟩ [f] in huiusmodi electionibus ⟨melius esset, ne⟩ [g] per Rev^mos^ protectores aut [h] per generales aut alios quoscunque absentium vota suppleantur, sed ⟨ius eligendi penes vocales praesentes tantum remaneat⟩ [i] [2].

Responsio R. P. generalis Minorum conventualium ad ea, quae Rev^mi^ reformatores de reformandis regularium ordinibus scripsere. [3]

[Aestate anni 1553].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 182r-187r, cop. saec. XVI.

Conc. 78 f. 182r

[Ad cap. 1:] De recipiendis pueris ad ordinem nostrum.

Hactenus neque nos neque maiores nostri pueros aut recepimus aut vestivimus contra formam regulae nostrae, quia regula non definit recipiendorum aut vestiendorum puerorum certum tempus, imo vivente adhuc patre nostro Sancto Francisco et recipiebantur et vestiebantur; antiquae autem nostrae constitutiones a sede apostolica probatae et confirmatae non solum id non vetant facere, sed etiam, ut faciamus, exhortantur. [4]

Nisi reciperemus et vestiremus pueros, multa et maxima quidem incommoda sequerentur. Nam si qui pueri sexdecim annos iam nati bonae indolis imbuti essent litteris, cum vel reclamantibus quidem parentibus vel propria eorum voluntate aut quam paucissimi aut certe nulli ad regularem vitam essent propensi, religiones abolerentur quamprimum, aut solos rudes atque ad scientiam et litteras compescendas ineptos recipere atque alere cogeremur. Unde non sine catholicorum populorum sanctae universalis ecclesiae damno et iactura sacrae theologiae studia et sanctarum scripturarum de medio propediem tollerentur, ex quo numerus eorum, qui populos edocerent, vehementer imminueretur, et bona laicorum animorum affectio et devotio refrigesceret, nec essent, qui valerent sana doctrina impios et haereticos homines |

[a] *A om. totum can., in marg. a Maff.* De mutatione confessorum consulendi [sunt] generales et superiores ordinum. [b] *B corr. a Cerv. ex* ut plurimum [c] *B corr. a Cerv. ex* imperio... officium [d] *B corr. a Cerv. ex* providendum [e] *B corr. a Cerv. ex* ne [f] *B corr. a Cerv. ex* de caetero eligantur. Et quod [g] *B corr. a Cerv. ex* neque [h] *B corr. a Cerv. ex* neque [i] *B corr. a Cerv. ex* electio libera sit et valida penes praesentes tantum. — *A om. totum can.; Maff. in marg. adnotavit* De electione generalium et abbatissarum per secreta suffragia et quod vota absentium non suppleantur, sed electio sit penes praesentes.

[1] In forma A f. 196v deleti sunt 4 canones cultum divinum concernentes, quos adiungere liceat:

Cum in sacramento eucharistiae misterium nostrae salutis totum comprehendatur, statuendum esset, ut cum maiori devotione et reverentia missae celebrarentur, et interponendum esset aliquod temporis spacium inter unam et aliam missam. Videmus enim ex indevotione et concursu missarum in eadem ecclesia multas offensiones saepe evenire.

Horae canonicae dicendae essent in ecclesiis suis horis et magis devote quam nunc fiat, ordinandumque ad minus videretur, ut vespere ante prandium non dicerentur exceptis Quadragesimae diebus.

Similiter statuendum esset, ut in Quadragesima et adventu et aliis diebus, quibus secundum ecclesiasticam regulam et patrum instituta horae canonicae dicendae sunt de feria, brevitatis causa non mutarentur, ut passim fere fit; Spiritus enim Sanctus, ut ait B. Bernardus, illas horas gratas non recepit, quando aliud quam debes neglecto eo, quod debes, obtuleris.

De concionatoribus examinandis et probandis et de formula eis perscribenda [!], *videatur minuta bullae biennio iam concepta, et sicubi correctione indiget, corrigatur.* De hac bulla cfr. infra n. 57 p. X.

[2] Totus canon 9, sine tamen correctionibus Cervini, cardinalis Maffei manu scriptus extat *Conc. 78* f. 177r.

[3] Auctorem, sc. Iulium Magnanum de Placentia, ad reformationem regularium suprascriptam respondere ex contextu apparet. Qua de causa tractatum anno 1553 compositum esse duximus. De Magnano, magistro generali 1553-1559, postea ep. Calvensi (1560-1566) *Sbaralea* II 158 sq.

[4] Definitiones iam Narbonenses a. 1260 (Arch. Franc. Hist. 3 [1910] 503), item Lugdunenses a. 1274 et Argentinae a. 1282 (Archiv. für Literatur-u. Kirchengeschichte des Mittelalters 6 [1892] 43. 52) de pueris loquuntur; Constitutiones generales Narbonenses novitios non ante XV. annum recipiendos puerosque saeculares a domibus fratrum arcendos esse decernunt, *ibid.* 88. 105.

oppugnare. His et aliis compluribus de causis ii regulares etiam, qui pueros minime solebant 182v recipere, ante aliquos annos recipere ac vestire illos inceperunt.

Pueri, quos ante quartumdecimum annum recipimus, non appellantur novitii, sed oblati, nec regulae nec ipsarum constitutionum observandis praeceptis astringuntur, at sui arbitrii sunt iurisque, ut queant pro voluntate sua domum redire, habitu rcligionis derelicto. Pro emendandis autem puerorum abusibus generale capitulum proximis diebus Genuae celebratum [1] excogitavit remedium salutare, quod posterius ascribemus. [2]

De recipiendis puellis: Summopere laudamus consilium de puellis ante annum quartum decimum non recipiendis, nec tantus enim nec tam inutilis fuerit numerus monacharum, nec tot invitae a parentibus detruderentur in monasterium [3].

[Ad cap. 2:] De professione a masculis et feminis emittenda.

Quod etiam consulitur de votis emittendis ac de facienda professione ab adolescentibus cum feminis tum masculis, id nobis etiam atque etiam probandum videtur atque omni studio efficiendum.

[Ad cap. 3:] De proprietatis abdicatione.

Nemo est in Franciscana religione proprietarius, hoc enim a | regulariis [a] differimus, 183r quod alii, quamvis privatim nullius rei dominium teneant, id tamen in universum habent, nos vero nec privatim nec in universum tenemus ullius rei dominium, sed illud penes maximum pontificem est, qui propterea nobis dat syndicos, ut ipsius nomine transigant illi omnia, cum nostro consilio tamen et consensu.

Ad victum pertinentia omnia sunt nobis communia, et communis est omnium mensa in refectorio mane et vesperi, a qua nulli eximuntur, praeter admodum senes, infirmos, actu praelegentes et praedicantes. Ceterum, quia nostri fere omnes conventus pauperrimi sunt, idcirco visum est patribus nostris, authoritate quidem summorum pontificum, quae ipsorum fuit erga nos benevolentia, impetratis privilegiis, ut pro vestitu parando ac pro emendis libris fratres omnium haberent usum, quae aut ex praelectionibus aut ex contionibus [b], aut quovis modo ab amicis et benefactoribus suis consequerentur, quibus decedentibus ad conventum, cuius filii essent aut patres, omnia devolverentur.

[Ad cap. 4:] De non accipienda maiore familia, quam possit ali. |

Si iuxta Bonifacii constitutionem tantam dumtaxat familiam in conventibus nostris 183v haberemus, quantam possemus alere, multas in celeberrimis civitatibus maximas quidem et frequentissimas ecclesias, ad quas multus et quotidianus hominum est concursus, derelinquere vacuas cogeremur cum gravissima cultus divini iactura et populorum damno spirituali maximo. Haudquaquam enim sunt eiusmodi conventus [apti pro] alenda tertia vel etiam quinta parte illorum, qui sint in talibus ecclesiis satis pro congruo et debito cultu Optimo Maximo Deo exhibendo.

[a] sic! [b] Cod. conditionibus

[1] Documenta cap. generalis Genuae in Pentecoste anni 1553 celebrati, in quo Magnanus generalis electus est, affert *L. Wadding*, Annales minorum XVIII 517 sqq.

[2] Decretum capituli generalis Genuensis «De recipiendis, erudiendis et custodiendi pueris» (*Conc. 78* f. 186r):

Pueri iuxta laudabilem morem et antiquam nostri ordinis consuetudinem, cuiusvis aetatis fuerint, queant recipi ad religionem nostram. Sed in quacunque tamen provinciarum custodia unus omnino sit ad minus novitiatus, quo totius custodiae novitii mittantur et sub probi patris et magistri disciplina contineantur usque ad aetatis illorum quintumdecimum annum; qui cantu firmo et sanctis moribus eos quam diligentissime poterit imbuat. Habeant quoque magistrum, a quo grammaticam edoceantur, Deinde quintodecimo aetatis anno peracto ab ordinariis quidem publico assistente notario ad professionem recipiantur, si profecto eis visum fuerit et constituerit animo in religione nostra vitam reliquam agere. Tum in loco iuvenibus atque adolescentibus professis designato maneant sub professorum magistro usque ad vigesimum quidem aetatis suae annum.

[3] Pro illustrando hoc canone, addere liceat, quae Ambrosius Catharinus in tractatu de clandestinis matrimoniis (*Schweizer*, Ambr. Catharinus 301) f. 262 scribit:

Est vero in feminis inter christianos multo maior et intolerabilior abusus et vere dignus animadversione quoniam frequentissimus et insigniter detestandus. Accidit enim saepenumero et passim, ut parentes vel fratres, qui domi habeant filiam aut sororem nubilem et iam grandem, quam locare nolint, ne multum pecuniae pro dote insumatur, cum de more patriae dotes in immensum excreverint, illam cogant invitam ingredi monasterium et id verbis profiteri coram Deo, quod nunquam animo placuit, unde nascuntur innumera scandala et horribilia sacrilegia. Proponit deinde Catharinus 1) morem dotum essa abolendam; 2) *cum ad monasterium offeruntur, debet explorare episcopus diligenter earum voluntatem et libertatem eis exhibere absque timore exprimendi, et parentes admonere et interminari, ne illi vim faciant aut ullum metum incutiant.*

[Ad cap. 5:] De socio per sedem apostolicam dando generalibus.

Si deputaretur unus per sedem apostolicam, qui simul cum generali corrigeret ac reformaret, quae correctionis et reformationis officio indigerent, ilico ab ipsius generalis oboedientia fratres averterentur; deserto nam generali et floccipenso ad socium illum confugerent omnes miraque omnium rerum esset confusio et deformatio.

[Ad cap. 6:] Ut generales et superiores alii ordinis non ingrediantur monasteria monacharum.

Laudabile omnino est, ut generalis et alii superiores ordinis non ingrediantur monasteria
184^{r} monacharum, sed quaecumque ad crates et locutoria | peragi queunt, fiant. Certi casus tamen occurrunt saepenumero, in quibus necesse est, ut superiores ingrediantur monasteria, ut cum speculari oportet, quae loca sint in monasterio periculosa, quae demoliri, quae aedificare conveniat, cum aliquam monacham flagris caedere aut in carcerem sit necessarie coniicere. In iis atque huiusmodi aliis casibus, si non quirent superiores in monasteria introire, multae sine dubio arrigerent cristas et fierent incorrigibiles.

[Ad cap. 7:] De confessariis patribus.

Re vera omnino necesse est, ut ad populi audiendas confessiones admittantur ii soli, qui sint idonei. Ut vero multos habeamus idoneos, curabit R. P. generalis, ut in conventibus omnibus lectores casuum conscientiae habeantur, qui assidue praelegant doceantque ad universum hoc negotium pertinentia.

[Ad cap. 8:] De peccatorum facienda confessione cum animi tranquillitate.

Superiores nostri ordinis, cum visitant fratres suos, liberam dant facultatem omnibus eligendi sibi iuxta propriae conscientiae satisfactionem patrem confessarium, a quo quidem
184^{v} in casibus omnibus | etiam superioribus ordinis reservatis absolvantur. Ita subditorum conscientiis probe consulunt, ut libere et sine aliquo scrupulo confiteantur. Monachas etiam donant hac eadem potestate, si quando necessitatem id postulare viderint.

[Ad cap. 9:] De superiorum ordinis electione.

Noster generalis et provincialis et abbatissae apud nos per secreta suffragia eliguntur, ita sane, ut unusquisque votum suum apud scribam et deputatos iuratosque duos exquisitores clam et secreto deponat, ac nemo sane aliorum scire atque intelligere potest; datis porro votis a vocalibus et facto diligenti scrutinio et examine ab exquisitoribus cum omnium, qui adsunt, consensu, vota intelligibili voce a scriba ipso leguntur et publicantur, nullaque ista ratione potest oriri dissensio inter fratres. Verum si hoc modo secreta essent suffragia, ut suffragantes personae ignorarentur, maxima inde mala provenirent in religionem nostram, quae non optimatum, sed popularis res publica est, idque in primis, quod incauta multitudo, quae ut Horatius inquit [1], *bellua est multorum capitum*, bonos qui sunt multo pauciores, semper vinceret.

De non supplendis vocibus: In comitiis nostris absentium vota nec per Rev^{mos} protectores nec per generales nec per alios quoscumque praefectos aliquando supplentur nisi authoritate S^{mi} D. N. Itaque si potestatem fecerit nemini eius ipsius Sanctitas, nemo supplebit unquam eiusmodi absentium vota.

Haec pauca respondimus Ill^{mis} et R^{mis} dominis ecclesiaę reformatoribus, quorum iudicio et censurae omnia subiicimus, quemadmodum nos perpetuo subditi esse volumus pedibus sanctae Romanae ecclesiae. Quamquam generale capitulum habitum Genuae superioribus diebus constitutionculas quasdam edidit et Alexandrinarum veterum constitutionum [2] usum renovavit, quae malis omnibus queunt mederi ac de medio tollere omnes abusus, eas quoque, ut si opus fuerit, corrigantur, libet subiicere [3].

[1] Epist. I 1 v. 76 (*Mueller* 187).
[2] Scil. ab Alexandro VI a. 1501 approbatarum, cfr. *Holzapfel*, Handbuch 142 sq.
[3] In codice sequuntur f. 185^{v}-187^{r} constitutiones capituli generalis Genuensis.

[Responsio R. P. generalis Praedicatorum [1] Cervino cardinali transmissa].

[Post 21. Ian. 1554]

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 188, or

Illmo Monsignore! Alli capitoli della santa riforma mi occorre prima rememorare quello, che dissi a quella che al capitolo che ordina alli monaci non ricevano più frati di quelli, che possono nutrir delle entrate, si aggionga per li mendicanti che omnino si misurino in tal modo che possino tra entrate et elemosine dar la necessità del vitto e del vestir in communi a suoi fratti, aggravando li generali strettamente, perchè non è cosa impossibile et causa de infinito bene e remotione de infiniti mali. *Conc. 78* f. 188^r

Mi par etiam de ricordar a V. S. R^{ma} quello dissi, che in quello loco, dove si presupone si possano ricevere gioveni impuberi, si agionga qualche parolla limitativa « dove è la consuetudine e non derogando alli canoni », acio quelle congregationi, quali sino hanno servato di ricevere post annos pubertatis, non pigliassero ansa di ricevere putti.

Mi occorre di novo ricordar che, dove santamente si ordina di concedere la confessione libera tre volte l'anno [2], si stringesse alli frati del medemo ordine, e se pur S. S^{tà} inclinasse al contrario, se vedessi da ridurla al manco per le monache, aggravando li prelati che [se] non siano in quel convento persone, che satisfaciano, le chiamino daltrove, perchè non po causar se non male che le suore piglieno pratiche d'altri religiosi, maxime la gioventù.

Saria bene a mio iuditio metter freno a tante concessioni, e apostoliche e de prelati, che si possino entrare donne nelli monasterii, è dato che si dica nelli confessionali *de licentia praesidentium*, communemente | li presidenti di poveri conventi non ardiscono negar il consenso alle gentildonne, e di qui nasce gran relaxation nelli monasterii. 188^v

Perche alle volte li frati puniti o cittati nanti li superiori per casi gravi, per fugir le man loro, si sfratano, et etiam alcuni, quali hanno da dar conto de administracione di cose temporali, saria cosa iusta che contra tali li prelati havessino autorità non obstante qualunque bolla de poenitentiaria [3] sino a tanto che habbino satisfatto alla penitentia o al debito, acio la iustitia non fusse così da tali offesa e delusa.

Iudicheria opportuno che in quelli ordini, quali hanno privilegio de promover li frati a ricever il sacerdotio nel XXIII. anno, si limitasse la podesta alli soli generali, perche dalli altri è male usata, e non aspettano il XXIII. e fano altr'errori.

Quanto a quel ricordo [4] che viddi essere stato dato a V. S. Illma che li sacerdoti non fussino costretti a celebrare da suoi prelati, crederia fusse bene passarla cum silentio, perche

[1] Generalis praedicatorum 1553-1557 Magister Stephanus Ususmaris Genuensis erat. *P. Mortier*, Histoire des Maîtres generaux de l'ordre des frères prêcheurs V (Paris 1911) 452 sqq.

[2] Ex his auctorem non eandem canonum formam ut conventualium generalem prae oculis habuisse apparet. Moniales enim ter in anno liberam eligendi sibi confessorem habere potestatem nonnisi in tertia forma constitutum est, de qua scil. 21. Ian. 1554 contexta vide, quae infra ad n. 57 part. VII adnotabimus.

[3] Huiusmodi sunt: licentiae standi extra monasterium, etiam *occasione reformationum per eum insupportabilium* vel transgrediendi ad alium ordinem vel *deferendi habitum subtus*, quae inveniuntur in taxa Clementis VII, *Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie II 2, 161 sqq.

[4] Auctor sine dubio brevem illam memoriam incerti auctoris, sed sine dubio religiosi in animo habet, quae *Conc. 78* f. 176^r conservatur, quamque hic adiiciendam esse duximus:

Che frati non possano ottenere licenza di testare per li molti danni che ne vengano a' monasterii. Ma chi vuole lasciar qualche cosa per elemosina, habbi licentia dal suo generale.

Chi vuole uscire dal ordine, sia tenuto rendere la causa al suo generale, il quale facci fede per lettera che la causa sia legittima.

Chi otterrà breve da S. S. di uscire dal ordine, esca immediate ottenuto, per molti che'l nascondano e doventano insolenti. Che cotal breve sia di nessun valore a quelli che'l contrafaranno.

Che niuno che vadi fuora dell'ordine porti l'abito di quell'ordine, per le molte vergogne che li fanno.

Che predicatori non movino questioni nelle cose della fede, ma dichino la semplice verità.

Che li sacerdoti non siano tenuti a celebrare ogni giorno per più sicurezza della coscienza.

Che superiori delle religioni non comandino per ogni minima cosa sotto pena di escomunicatione.

Che non se riservino casi a loro soli nelle confessioni, perchè molti per la paura de' superiori non si confessano di quello che si riservano.

dato che occorra sopra cio qualche disordine, credo sia maggior il numero di quelli, quali per pura indevotione non frequentano il santissimo sacramento e piglieriano ansa da questa ordinatione, tal che omnibus consideratis la reputaria nociva. E se pure si havesse a fare, che la si facesse con parolle molto considerate.

Saria bene avertire li superiori e stringerli, quanto si po, che non violentasseno le electioni di prelati, ma lassassero li subditi liberi ad elegere, sicome loro voleno essere liberi in confermare. Questo mi occorre ricordare sempre sotto la censura del prudente iuditio di V. S R^{ma}, alla quale humilmente basso le mani.

Dalla Minerva etc.

Di V. S. Illma e R^{ma}

vero servitore
Il generale del ordine di praedicatori

C. Bulla reformationis universalis per Iulium III praeparata, sed non edita.

57.

Reformatio, quae edenda erat per Iulium III pont. max. 1555 [1], sed non conclusa. [Forma A].

[Anno 1554 ineunte].

Romae Arch. Vat. *Conc. 78* f. 382r-407r, or. manu Massarelli scriptum cum emendationibus, quas sub signo A1 adnotamus; prooemium sumptum ex codice *Conc. 78* f. 314, or., cuius exempla *ibid.* f. 311r-313r et Bibl. Vat. *Vat. lat. 12127* f. 175. Minutas et formas praeparatorias suis locis adnotabimus. Canones, qui ex decretis conc. Trid. sub Paulo III celebrati desumpti sunt, non iterum attulimus, reiicientes lectorem ad huius collectionis voll. IV et V.

Prooemium: Qua intentione reformatio edenda sit. I (c. 1-20): De summo pontifice, de cardinalibus, de episcopis et provisionibus ecclesiarum cathedralium. II (c. 21-41): De ordinatione clericorum. III (c. 42-74): De beneficiis ecclesiasticis et eorum collatione. IV (c. 75-85): De auctoritate episcoporum in suos clericos. V (c. 86-87): Absolutiones et gratiae, quae summo pontifici reservantur. VI (c. 88-102): Ea, quae in expeditionibus a summo poenitentiario et aliis Romanae curiae officialibus faciendis modificantur. VII (c. 103-114): De regularibus. VIII (c. 115-125): De interpretatione, usu et lectione sacrae scripturae. IX (c. 126-132): De praedicatione verbi Dei. X (c. 133-145): Ea quae praedicatores verbi Dei potissimum observare debent; c. 146 De indulgentiis. XI (c. 147-149): Bulla Smi D. N. Iulii III contra turbantes, impedientes, violantes ac usurpantes iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam necnon ecclesiasticas personas et eorum bona vexantes ac molestantes; c. 150: De executione reformationis.

Prooemium [2].

Varietas temporum et humanae naturae, quae magis ad malum, quam ad bonum prona est, imbecillitas exigit, ut si quae sanctissimae ac saluberrimae leges per desuetudinem obsoluerunt, per regentium providentiam restituantur, si quae vero malo usu depravatae sunt, purgentur. Quod sane remedium cum a nobis publica necessitas poscere videretur nostrique officii sollicitudo nos admoneret, non esse diutius differendum [a], nonnullis primum S. R. E. cardinalibus fide, religione, integritate, doctrina et innocentia vitae praestantibus iniunximus, ut omni studio inquirerent et perscrutarentur, qui mores, quaeve consuetudines [b] correctione *Conc. 78* f. 314r

[a] *In min. del.* ut Dei Opt. Max. voluntati et piarum mentium exspectationi et nostro simul ingenti benegerendae publicae rei desiderio, nisi plene, aliqua saltem ex parte satisfieri posset [b] *In min. del.* a recta ecclesiasticorum disciplina

[1] Ex iis, quae de codicibus supra diximus et ad n. 58 dicemus, insuper ex iis, quae ad singulas bullae partes infra adnotabimus, apparet formam A a nobis sub n. 57 exhibitam — praeter emendationes in apparatu critico signo A1 significatas, quae iam ad formam B transigunt — minime anno 1555 a Massarello descriptam esse, sed anno 1554 ineunte. Revera bulla anno 1555 edenda erat, non autem forma A, sed forma B, anno 1554 exeunte partim iam emendata, partim vero deinceps emendanda. Nam non integra et in omnibus suis partibus perfecta et conclusa cardinalibus tunc temporis distributa est, ut vota sua darent, sed partes I-III tantum, quas cardinales prae oculis habebant, cum vota sua composuerunt a nobis sub n. 58 addita. Nos ergo, ut historia bullae clarius elucesceret, duas formas distinximus et etiam in typis separavimus, primam (A), iam quasi conclusam et a Massarello descriptam, integram praemittentes, in secunda (B) autem tantum canones additos et emendatos producentes et pro ceteris ad primam reiicientes. Canonum numeros adiecimus, quia Massarellus in suis errores commisit.

[2] Minutam vide *Conc. 78* f. 296r-297r cum data 15. Febr. 1554. Formae cuiusdam amplioris, quae *Conc. 78* f. 309r-310r invenitur, partem illam, quae concilium universale spectat, afferre hic liceat:

Atque huius ipsius rei perficiendae, ut scilicet his nostris perturbatis confusisque temporibus ecclesiae Dei et doctrinae sanitas et emendatio morum et principum pax animorumque christianorum omnium concordia inter se atque unitas restitueretur, nobis non voluntatem unquam defuisse, sed nostrae promptissimae voluntati temporum occasionem et eorum, quos oportebat, consensum non affuisse, conscius quidem nobiscum est ipse Deus, sed et nostrae perpetuae actiones, hortationes, consilia laboresque pro ea re a nobis suscepti, non solum posteaquam ad apostolatus | apicem divina clementia vocati fuimus, sed multo etiam ante, dum S. R. E. cardinalis et

indigerent, deinde ceterorum venerabilium fratrum nostrorum ⟨operaetdiligentia usi sumus⟩ [a]. Cum quibus omnibus matura discussione facta, quaedam, quae emendanda potissimum visa sunt, ⟨de eorum consilio et unanimi assensu⟩ [b] collegimus et emendavimus et in canones redegimus, ac canonibus in sacro Tridentino concilio super reformatione promulgatis adiungi et cum illis simul edi et vulgari praecepimus, quos a cunctis inviolabiliter observari, ⟨salva semper sedis apostolicae auctoritate⟩ [c] statuimus et iubemus. Atque [1] haec omnia non tanquam reformationem omnibus numeris absolutam (quod immensum foret ac prope infinitum) [d] recipi volumus, sed qualem ⟨censuimus huius saeculi, quo non solum merita, sed etiam corpora defecerunt, infirmitatem ferre posse⟩ [e] ea ratione a nobis editam et vulgatam, ut Dei Optimi Maximi voluntati et piarum mentium expectationi nostroque simul desiderio, si non plene, aliqua saltim ex parte morem gereremus, ⟨nihil propterea de suscepto a nobis studio laboreque remissuri, ut non modo veteribus malis, sed etiam novis, quae hominum fragilitas quotidie parit, opportuna (quantum per Dei benignitatem licebit) remedia parentur⟩ [f]. In toto vero eiusmodi opere intentionis nostrae summa haec fuit, ut ad ecclesiasticas dignitates atque honores digni assumantur, ecclesiastica beneficia idoneis, qui illis inserviant, conferantur, animarum cura minime negligatur, clericorum coetui nemo, ⟨nisi prius a suo superiore
314v venia impetrata, adscribatur⟩ [g], sana et catholica doctrina | ⟨a legitimis concionatoribus⟩ [h] praedicetur ac doceatur, episcopi in suis ecclesiis resideant et gregis sibi commissi salutem procurent, impedimenta tum a Romana curia, tum a saecularibus potestatibus provenientia et episcoporum iurisdictionem perturbantia removeantur, ⟨regularium utriusque sexus professiones liberae sint, et congruo tempore recipiantur, qui⟩ [i] regularibus institutis vivant ac debitum honorem episcopis exhibeant, absolutiones a delictis et excessibus rite et recte concedantur, ecclesiastica denique disciplina ab omnibus tam maioribus quam minoribus clericis colatur. Ab ea autem parte, Deo iuvante, auspicandum censuimus, quae maximi ad cetera momenti esse videbatur, ut scilicet in summo pontifice, Christi Domini nostri in terris vicario et beati Petri successore, eligendo rectus, sincerus canonicusque modus et ordo prorsus observetur [k]. Quare ad Dei laudem eiusque sanctae et salutaris fidei incrementum et ad catholicae ecclesiae aedificationem, nostram autem et omnium bonorum consolationem, quam nuper super ⟨ipsius Romani pontificis electione⟩ [l] edidimus constitutionem [2], eam primo loco ponendam duximus.

[a] *In min.* operam et diligentiam adhibuimus [b] *In min. add. supra lin.; del.* adnotavimus [c] *In min. add. in marg.* [d] *Supple* opus. *Parenthesis in min. omittitur.* [e] *Min.* difficilium atque perturbatorum temporum nostrorum conditio proferre ac producere potuit [f] *In min. om.; octo formas inter se verbis tantum differentes, quarum unam manu Pontificis scriptam, videas Conc. 78* f. 297r (15. Febr. 1554); f. 298r (17. Febr. 1554). [g] *In min. supra lineam; del.* adscribatur sine sui superioris assensu [h] *In min. add. in marg.* [i] *In min. add. in marg.; del.* Regulares [k] *In min. del.* Sperantes ex hoc perpurgato beneque affecto omnia, quae per nos sananda sunt, veluti capite facilius rectum ordinem quasi salubritatem in reliqua membra atque articulos derivatum iri. [l] *In marg.; del.* hoc.

ad sacrum Tridentinum concilium legati munere fungeremur, aperte possunt testificari. Ille autem haec agendi et publicis incommodis providendi videbatur esse ordo rectissimus, si non nostra tantummodo suprema auctoritate, sed cum universali ecclesia consiliorum communicatione omnia pertractantes ac deliberantes et principum ipsorum discordias, quae tantam secum omnium rerum labem ac perniciem trahunt et dissensiones ac schismata, quae in fide catholica essent exorta, ad sanctam et salutarem concordiam redigeremus, ut iis aliquando Dei benignitate impedimentis sublatis, quae in tanta armorum odiorumque licentia vocem salutarium legum exaudiri non sinunt, ad corrigendos demum corruptos mores atque emendandos eodem Deo nobis adiutore deveniremus. Sed cum ista, quae ab universa nobiscum simul cooperante ecclesia expectabantur, remedia videantur tardius procedere, quam publica postulet necessitas, nosque pastoralis nostra solicitudo et cura et creditae nobis dispensationis officium non sinat diutius quaedam, quae nostrae unius propriae sunt potestatis, remedia differre, per quae ad depravatas in sacerdotum ordine consuetudines emendandas et Dei Opt. Max. voluntati et piarum mentium expectationi et nostro simul ingenti bene gerendae publicae rei desiderio non minima ex parte satisfieri possit, idcirco nos prius hac cura nonnullis S. R. E. cardinalibus... mandata etc. ut p. 261 l. 7 sqq. *quaedam, quae nobis egere emendatione visa sunt, annotavimus et decretis in sacro Tridentino concilio promulgatis adiuncta ad Dei honorem et publicam utilitatem simul cum illis statui, edi vulgarique curavimus, sperantes videlicet oblatis Deo per nos his veluti initiis nostrae illi subiectae atque obtemperantis voluntatis, cetera, quae aliorum nobiscum consensum cooperationemque requirunt, ut aliquando perfici atque ad optatum exitum perduci possint, eidem summo atque optimo Deo, qui bonis semper mentibus occurrere solet, fore curam.* Editum est prooemium, mendis tamen scatens, ex codice Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 1593* a *G. M. Monti*, Ricerche su papa Paolo IV Carafa (Benevento 1925) 103 sq. sub titulo: »Paoli papae IIII. pro ordinatione clericorum et etiam praelatorum«.

[1] Huic parti prooemii Pontifex ipse 12. Febr. 1554 hanc formam dederat: *Haec autem omnia non tamquam reformationis partem recipi volumus. Nam cum prima quaeque perficiendo augeri potius opus quam minui videretur, operae pretii facturos nos putavimus, si, dum perfectionis ipsius operis incumbimus, interim partis explicitae, qualiscumque illa esset, fructu bonas ac pias mentes minime defraudaremus efficeremusque, sicut Deo bene iuvante facturi sumus, ut, quae supersunt, explicentur et in manus hominum* etc.

[2] Vide supra n. 43.

[I. De summo pontifice, de cardinalibus, de episcopis et provisionibus ecclesiarum cathedralium][1].

[1] Quae summus pontifex canonice electus praecipue curare debet. 382^{v}

Pontifici maximo canonice electo curae potissimum esse debet, ut bona temporalia (sine quorum auxiliis vix spiritualia subsistere possunt) conservet. Proptereaque ab alienatione non solum civitatum, terrarum et locorum status temporalis, sed ⟨aliorum quorumcumque⟩[a] bonorum immobilium, praesertim[b] pretiosorum, ad apostolicam[c] ecclesiam pertinentium abstineat. Quod etiam[d] quoad bona ceterarum omnium ecclesiarum[e] ab inferioribus observari convenit, quibuscunque legibus et constitutionibus de rebus ecclesiae non alienandis hactenus promulgatis cum poenis ac decretis irritantibus in ipsis legibus et constitutionibus contentis in suo robore permansuris.

[2] De qualitate cardinalium creandorum[2].

In sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalium (qui pontificis maximi fratres sunt et eidem in executione sacerdotalis[f] officii coadiutores assistunt, et quorum consilio universalis regitur ecclesia) clarum ac spectatum collegium nonnisi viros graves, doctos, modestos, quique in disciplina ecclesiastica cum laude versati fuerint, cooptari, neque eorundem numerum nisi ex rationabili causa, quae rectum possit pontificis maximi movere iudicium, augeri decet, ne tam excellens et praecipuus honor sui numerositate vilescat. Si quando eos vero cooptari contigerit, id praecipue praecavendum erit, ut canones quoad aetatem uniuscuiusque ordinis observentur[3].

[3] De qualitate promovendorum ad ecclesias cathedrales.

Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus et aetate matura, gravitate morum literarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri III, quae incipit *Cum in cunctis*, in concilio Lateranensi promulgatam[4] praeditus assumatur[g].

⟨[4] Nullus promoveatur ad episcopatum, qui saltem in subdiaconatus ordine non sit.

Nullus ad episcopatum promoveatur, qui saltem in subdiaconatus ordine constitutus non fuerit⟩[h].

[5] De dispensatione super qualitatibus promovendorum ad ecclesias cathedrales.

Super aetate aut ceteris qualitatibus[i] a iure requisitis non dispensetur, nisi cum causae cogni|tione[k] discussae et probatae in consistorio. 382^{v}

[a] *A1* etiam [b] *A1 del.* [c] *A1* Romanam [d] *A1* quidem [e] *A1 add.* etiam [f] *A1* pontificalis [g] *A1 in marg.* Inseratur hic canon consistorialis de duobus fratribus et « Si qui cardinales » etc. [h] *A1 add.* et laudabiliter in vita clericali versatus; *postea totus can. del.* [i] *A1 add.* ad obtinendas quovismodo ecclesias cathedrales seu metropolitanas [k] *A1 add.* in sacro consistorio *et del. in fine* in consistorio

[1] Omnes fere primae partis canones etiam *Conc. 78* f. 233 inveniuntur, ubi primus et secundus canon a Massarello in extenso descripti sunt sub titulo: *26. Dec. 1553 a S^{mo} D. N. Iulio III eomet dictante*, ceterorum sub die 27. Dec. 1553 initia tantum exhibentur. Quam formam alia praecessisse videtur, cuius partem tantum, i. e. canones 13-22 codex *Conc. 78* f. 199 conservat. Quae in forma secunda emendata erant, in tertiam transcripta sunt (*Conc. 78* f. 77^{r}-79^{r}), quae 22 canones continet, ultimus enim canon f. 199^{v} et 233^{v} descriptus, scil.: *Graviores res non expediantur statim neque in eodem consistorio, quo proponantur, sed sumatur spatium cogitandi saltem usque ad consistorium alterum*, praetermissus est.

Quam nos prelo damus, quarta est forma, paucis tantum locis a tertia differens, mense Ianuario vel potius Februario 1554 composita. Correctiones in apparatu sub littera A1 adnotatae posteriores sunt et in consultationibus mensibus Novembri et Decembri 1554 habitis decretae videntur.

[2] Eadem forma invenitur *Conc. 78* f. 77^{r}.

[3] Vide infra p. 267 adn. 3.

[4] X de elect. I 6, *Friedberg* II 51 sq. Can. 3 sumptus est ex conc. Trid. sess. VII de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 997, 17 sqq.

[6] De forma servanda in provisionibus ecclesiarum ⟨et monasteriorum⟩ [a].

Antequam ecclesiarum monasteriorumque [b] in sacro consistorio relatio fiat, cardinalis, cui referendi onus commissum fuerit, commissionem sibi datam tribus antiquioribus cardinalibus praesentibus, uni videlicet ex quolibet ordine, notam faciat ac de toto negotio ipsemet cognoscat, et si qui contradicere voluerint, eos audiat et nihilominus idoneos gravesque ac fide dignos testes, etiam ex officio, si expediens opusve esse iudicaverit, examinet processusque [c] una cum depositionibus testium ad eosdem cardinales mittat. Et postquam ipsis visum fuerit, quod huiusmodi provisio proponatur, relator processum ea die, qua relatio facienda est, secum ad consistorium deferat, dumtamen nullo modo referat, si praesens in curia promovendus maiorem cardinalium partem antea non adiverit, ut ea, quae mox in relatione cardinales sunt audituri, prius oculata fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint, nisi tamen promovendorum qualitates ita sint summo pontifici et cardinalibus notae, ut hac diligentia uti minime necessarium esse censuerint. Cedula vero relationis sive provisionis non mittatur ad vicecancellarium, nisi fuerit subscripta manu relatoris atque ipsorum trium antiquorum cardinalium, neque aliter litterae expediri valeant.

[7] Promotus existens in Urbe omnes cardinales visitare debeat.

Promotus omnes cardinales, qui praesentes in curia fuerint, de antiquo more consuetudineque laudabili quam primum visitare teneatur [1].

[8] De dispensatione super retentione beneficiorum cum promoto ad ecclesiam cathedralem [2].

Cum promoto etiam iuxta [d] cap. *De multa* [3] qualificato, si ex aliqua rationabili causa super retentione beneficiorum prius obtentorum dispensandum fuerit, nequaquam dispensetur, ut retinere possit, tam in titulum quam in commendam, ultra unum beneficium curatum sive [beneficium] alias incompatibile cum ecclesia.

[9] Pluralitas ecclesiarum cathedralium prohibetur.

383r [*Congruit cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 2, Conc. Trid. V 997, 20-27*].

[10] Episcopi titulares non fiant.

Episcopi titulares non fiant nisi perraro et cum causae cognitione [e].

[11] De pensionibus ecclesiis cathedralibus imponendis [f].

Ecclesiae cathedrales, quarum fructus quadringentorum aureorum valorem annuum non excedunt, non graventur pensionibus, etiam ex causa resignationis [g].

[12] De resignationibus ecclesiarum cathedralium.

Resignationes cathedralium aut maiorum ecclesiarum [h] non admittantur, neque episcopi ab una ecclesia ad aliam transferantur, nisi ex causa in consistorio examinata et probata [4].

[a] *A1 del.* [b] *A1 del.* [c] *Conc. 78 f. 77r add. et del.* et iura relationis [d] *A1 hic inserit* dispositionem [e] *Conc. 78 f. 77v add. et del.* in consistorio examinatae et probatae; *A1 in marg. alium can. ponit partim manu Massarelli, partim alia manu scriptum. Vide formam B.* [f] *A1* Pensiones, quando et quibus ecclesiis cathedralibus imponi possint [g] *A1 add.* Quae vero excedunt, nunquam ultra medietatem fructuum neque etiam adeo gravari possint, ut 400 scuta integra praelato non remaneant [h] *Conc. 78 f. 77v add. et del.* aut monasteriorum

[1] In forma III *Conc. 78* f. 77v deletus est tertius de forma provisionum canon sequentis tenoris:

Promovendi in Italia existentes personaliter se ad curiam conferant, ut de eis diligentior inquisitio certiusque iudicium fieri possit. Existentes vero extra Italiam etiam nominati aut praesentati a regibus non admittantur nisi habito prius testimonio decem vel saltem octo testium fidedignorum super requisitis in cap. Cum in cunctis.

[2] In elencho *Conc. 78* f. 233v hic canon alio loco insertus est.

[3] X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[4] In forma III *Conc. 78* f. 77v hoc loco alius canon insertus et postea deletus est:

In ecclesiarum cathedralium quarumcumque resignationibus neque reservetur pro cedente administratio in spiritualibus neque beneficiorum collatio neque fructus ultra medietatem. Quae constitutio comprehendat etiam S. R. E. cardinales.

[13] Ecclesiae cathedrales seu monasteria[a] non dentur in confidentiam.

Nulli prorsus, etiam S. R. E. cardinales, ecclesias, monasteria aut beneficia ecclesiastica in confidentiam aliquo modo accipiant. Si secus fiat[1], ecclesiae, monasteria et beneficia ipsa vacent ipso iure.

[14] Tempus, infra quod promotus teneatur accedere ad suam ecclesiam.

Promotus infra sex menses a die promotionis accedere teneatur ad ecclesiam suam, si in Italia fuerit, aut si extra Italiam, infra annum [b]. Et nulli concedatur prorogatio.

[15] De residentia episcoporum et aliorum praelatorum.

[*Concordat cum conc. Trid. sess. VI de ref. c. 1, Conc. Trid. V 803, 15-27*]. 383v

[16] ⟨Quae causae absentiae episcoporum legitimae haberi et per quos poenae ob absentiam incurrendae executioni demandari debeant⟩[e].

Quia parvus admodum fructus ex praecedenti decreto, sive propter multorum praelatorum errorem, qui forsan seipsos decipientes, falso existimant se legitimum impedimentum iustasque et rationabiles non residendi causas habere, sive propter defectum executorum in fructuum amissorum apprehensione et applicatione, sive propter negligentiam metropolitanorum et aliorum episcoporum in ipsis contumacibus sedi apostolicae denunciandis, hactenus provenit, ne tam sanctum et salubre decretum suo fraudetur effectu, sciat quilibet episcopus, ⟨qui (ut praefertur) abfuerit⟩[d], se praetextu cuiusvis impedimenti sive causae (nisi impedimentum ipsum seu causam sedes apostolica[e] approbaverit) nequaquam ⟨excusatum iri, ita ut poenas supradicti praecedentis decreti per generales huius reformationis executores executioni demandandas omnino incurrat⟩[f 2]. |

[17] De coadiutoriis ad ecclesias cathedrales ⟨et pactis in resignatione ipsarum ecclesiarum seu monasteriorum adiiciendis⟩[g]. 384r

Coadiutoriae ad ecclesias cathedrales cum futura successione nullatenus concedantur. [h] Pacta a partibus inita et concordiae quaecunque ecclesiarum sive monasteriorum resignationes concernentes proponantur distincte et particulatim in consistorio et extra consistorium non confirmentur.

[18] De commendis monasteriorum.

⟨Monasteria non solita commendari nullo modo commendentur⟩[i].

[19] De concordatis cum principibus et nationibus.

Concordata cum principibus et nationibus serventur [k] nec adversus ea dispensetur nisi ex ⟨causa in⟩[l] consistorio approbanda[3].

[a] *A1 add.* et beneficia [b] *A1 add. in marg.* alioqui huiusmodi tempore elapso non faciat fructus suos [c] *A1* Praecedentis decreti executio [d] *A1 del.* [e] *In minuta f. 287r del.* specifice et in scriptis [f] *A1 corr.* excusandum esse et poenas... demandandas se omnino esse incursurum [g] *A1 del., add.* non concedendis [h] *A1 in marg. novum titulum add.* Pacta a partibus inita super resignationibus non confirmentur extra consistorium. [i] *A1* Commendae monasteriorum quam sint execrabiles quamque regularibus institutis adversentur, nemo prorsus ignorat. Propterea monasteria non solita commendari etiam regum et magnorum principum intercessione accedente nullo modo commendentur. [k] *A1 del.; add.* ad unguem observentur [l] *A1 del.; add.* iusta et rationabili causa in sacro

[1] In forma III *Conc. 78* f. 78r deleta sunt post *secus fiat* verba: *ultra poenam extravagantis Cum detestabile.* Decretum Pauli II *Cum detestabile* vide in Extr. com. de sim. V 1, *Friedberg* II 1289 sq.

[2] In forma III (*Conc. 78* f. 78) etiam initium cap. 1 decreti de residentia (*Conc. Trid.* V 802, 33—803, 14) insertum erat; in fine adiuncta erant haec verba: *Et nihilominus praelati, qui ultra praemissa tempora sine legitimo impedimento seu iusta et rationabili causa* (*ut praefertur*) *approbata a suis ecclesiis absentes fuerint et earum fructus, quos vigore huius decreti amissuri sunt, susceperint, illos etiam in foro conscientiae nullatenus suos faciant, sed ad eorum restitutionem fabricis ecclesiarum suarum et pauperibus in utroque foro teneantur.* *Conc. 78* f. 79r. Brevius in minutis f. 286r (cum data 9. Febr. 1554) et f. 287r.

[3] Revera Iulius III die 14. Sept. 1554 concordata quae dicuntur Germaniae confirmavit. *Raynaldus* a. 1554 n. 19. De concordatis cum Gallis sub Iulio III initis cfr. *R. Ancel*, Nonciatures de France I, LVI.

[20] Causae episcoporum, quomodo et a quibus cognosci debent.

Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex officio aut per inquisitionem seu denunciationem vel accusationem sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur [1].

Causae episcoporum, si quando pro criminis obiecti qualitate comparere debebunt, coram pontifice maximo referantur ac per ipsum terminentur [2].

Testes in causa criminali ad informationem vel indicia seu alias in causa principali contra episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis et famae fuerint, non recipiantur et, si odio, temeritate aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus poenis mulctentur [3].

[II.] De ordinatione clericorum ⟨et collatione ordinum⟩ [a] [4].

[21] ⟨Qui clericali caractere insigniri debent⟩ [b] [5].

Neminem decet clericali caractere insigniri, qui verisimiliter vitam clericalem prosecuturus non sit. Propterea tam licentiam concedens quam ordinans eam ad hoc diligentiam [c] omnino adhibeant, quam pro conscientiae exoneratione necessariam esse censebunt.

[22] De promovendis in curia Romana.

Promovendi ad sacros ordines, qui in curia fuerint, diligenter examinentur ab Urbis vicario, sacrista apostolico ac magistro sacri palatii. Nec ordinetur quisquam, nisi ab eis coniunctim fuerit approbatus. |

384v [23] De promovendis extra curiam et de facultatibus de promovendo etc. [6].

Extra curiam vero, facultates de promovendo a quocunque non [d] suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam. Et tunc non ordinentur nisi ab episcopo in sua diocesi residente aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine. Legitima autem causa minime censeatur absentia vel infirmitas proprii episcopi vel alia similis causa, cum his casibus ab eius vicario licentia ipsa obtineri possit.

[24] Episcopus in aliena diocesi [e] pontificalia exercere prohibetur [7].

Nulli episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu [f] pontificalia ⟨in alterius diocesi⟩ [g] exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi.

[a] *A1 del.* [b] *A1 del.* [c] *A1 add. in marg.* non solum cum ordinandis, sed etiam cum eorum parentibus vel propinquis vel vicinis [d] *A1 add.* concedantur nec [e] *A1 add.* ordines conferre et [f] *A1 add.* in aliena diocesi ordines conferre neque alia [g] *A1 del.*

1 Hic canon sumptus est ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 6.

2 Verba sumpta ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 8.

3 Ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 7.

4 Canones partis II de ordinum collatione, postquam a cardinalibus deputatis primum mense Nov. 1552 discussi die 26. eiusdem mensis et anni scriptis traditi sunt (17 canones ab amanuensi scriptos vide *Conc. 78* f. 72r-74r), denuo deliberabantur 1. et 3. Ian. 1554 (*ibid.* f. 248. 250. 126v-127r); die 2. Ianuarii 1554 additi sunt canones de beneficiis (*ibid.* f. 249). Qui omnes diebus sequentibus i. e. 4. et 8. Ian. 1554 locupletati et a Massarello in 39 canones divisi (*ibid.* f. 105r-108v) iterumque die 21. et 29. Ian. ac 8. et 13. Febr. 1554 aucti (*ibid.* f. 266r; canon de bene distribuendis bonis eccl. f. 277r. 285r [min.]. 109r; canon de turbatione iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae f. 352r, postea omissus, quia bulla de hac re praeparata) a Massarello aestate anni 1554 transcripti esse videntur.

Ultimam formam in consultationibus diebus 8. et 11. Dec. 1554 habitis aptatam (*ibid.* f. 341r-344v) vide n. 58.

5 Minutas vide *Conc. 78* f. 248r (cum data 1. Ian. 1554); f. 250r (cum data 3. Ian. 1554) et denique f. 105r.

6 Cfr. *Conc. Trid.* V 998, 36-39 (sess. VII de ref. c. 11).

7 Canon ad verbum fere sumptus est ex conc. Trid. sess. VI de ref. c. 5, *Conc. Trid.* V 804, 8-12.

[25] Interdictus a proprio episcopo, ne promoveatur, a nemine rehabilitari aut promoveri absque ipsius episcopi licentia potest[1].

Ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur [a].

[26] Episcopi titulares, etiam quorumcunque privilegiorum praetextu, alterius subditum ordinare non possint.

Et quoniam nonnulli episcopi ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt clero carentes et populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam sinodum se pontificalia officia in alterius diocesi, nisi de loci ordinarii expressa licentia et in personas eidem ordinario subiectas tantum exercere prohibitos vident, in legis fraudem et contemptum, quasi episcopalem cathedram in loco nullius diocesis sua temeritate eligunt et quoscunque ad se venientes, etiam si suorum episcoporum aut praelatorum litteras commendatitias non habeant, clericali caractere insignire et ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promovere | praesumunt; quo plerumque fit, ut minus idonei et rudes ac ignari, et qui a suo 385r
episcopo tanquam inhabiles et indigni reiecti fuerunt, ordinati nec divina officia peragere nec ecclesiastica sacramenta recte valeant ministrare: Nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius diocesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promoti ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

[27] Promoti absque licentia episcopi suspendi possunt[2].

Episcopus quoscunque suos clericos, praesertim in sacris constitutos absque praecedenti examine et commendatitiis litteris quacunque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere et illis, ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit [b].

[28] Capitula cathedralium, quo tempore litteras dimissorias concedere possint.

[*Concordat cum conc. Trid. sess. VII de ref. c. 10, Conc. Trid. V 998, 28-35*].

[29] Nihil pro collatione ordinum recipiatur.

Pro ordinibus conferendis nihil omnino recipiatur [c]. Qui secus fecerit tanquam simoniacus puniatur. |

[30] De aetate promovendorum ad sacros ordines. 385v

In sacris ordinibus conferendis servetur quoad aetatem constitutio Clementis V in concilio Viennensi edita, quae incipit *Generalem* [3] [d].

[a] *A1 add.* Quod etiam in Romana curia locum habeat. [b] *A1* Quod etiam locum habeat quoad ordinatos in Romana curia. [c] *In min. f. 105r del.* etiam sponte oblatum neque ab examinatoribus neque episcopis neque notariis [d] *F. 105v in marg.; del.* Nemo secularis vel cuiusvis ordinis regularis etiam praetextu privilegiorum eius religioni concessorum ante legitimam aetatem ad sacros et presbyteratus ordines promoveatur

[1] Hic canon et sequens sumpti ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 1 et 2.

[2] Praeter verba in fine addita ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 3.

[3] Clem. de aet. et qual. I 6, *Friedberg* II 1140.

[31] ⟨De tempore ad suscipiendos sacros ordines non prorogando⟩[a].

Tempus ad suscipiendos sacros ordines quibusvis a iure praefixum non prorogetur. ⟨Et si ex aliqua causa dispensandum videbitur, non prorogetur ultra sex menses, ultra annum vero nullo modo, quaecunque tamen causa allegetur⟩[b].

[32] Facultates de non promovendo, quanto suffragentur.

[*Congruit cum conc. Trid. sess. VII de ref. c. 12, Conc. Trid. V 998, 40 sq.*].

[33] De tempore consecrationis episcoporum.

[*Congruit cum conc. Trid. sess. VII de ref. c. 9, Conc. Trid. V 998, 26 sq.*].

[34] De bigamis[c].

Cum vere bigamis nullo modo dispensetur, ut ordines sacros suscipere et beneficia ecclesiastica obtinere possint, cum bigamis vero interpretative non nisi ex aliqua magna et rationabili causa publicam utilitatem concernente.

[35] De homicidis et modo dispensandi cum eis ad sacros ordines[d].

Cum etiam[e], qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat, [et] qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidio non ex proposito, sed ⟨casu vel⟩[f] vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et
386r altaris ministerium et beneficia quaecunque | ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario aut ex causa metropolitano seu viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

[36] Qui ad presbyteratus ordinem promoveri debent.

Nemo saecularis clericus ad presbyteratus ordinem promoveatur, qui beneficium ecclesiasticum pacifice a se possessum non habeat[g], et nisi causa cognita, quod beneficium pleno iure ad eum spectet[h].

Ad titulum patrimonii non videtur promovendus nisi ille, quem cum causae cognitione constiterit habere patrimonium verum et sufficiens ad presbyteratus gradum honeste sustinendum.

[37] De habitu clericorum et beneficia ecclesiastica obtinentium[1].

Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcunque exemptae, quae aut in sacris fuerint aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si posteaquam ab episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini ac dignitati congruentem et iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum necnon, si semel correcti denuo in hoc deliquerint, etiam per

[a] *A1* Tempus ad suscipendos sacros ordines non prorogetur. [b] *A1 del.; in marg.* nisi ex causa per summum pontificem in scriptis manu propria specialiter approbanda [c] *A1 corr. in* Cum bigamis non dispensetur ad ordines sacros. [d] *A1 corr. in* Cum homicidis voluntariis non dispensetur. [e] *A1 corr. in* is [f] *A1 del.* [g] *Conc. 78 f. 106r del.* valoris annui saltem 24 ducatorum [h] *Conc. 78 f. 106r del* nec sit commodatum aut in confidentiam ad effectum promotionis.

[1] Can. 37 praeter initium concordat cum conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 6. In minuta *Conc. 78* f. 105r initium usque ad verba *alterum in carnalibus Propterea* demptum est.

privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coherceri possint et debeant, constitutionem Clementis V in concilio Viennensi editam, quae incipit *Quoniam* [1], innovando et ampliando.

[38] Clerici primae tonsurae ⟨ac etiam coniugati⟩ [a] habitum deferre teneantur.

Clerici primae tonsurae seu in minoribus ordinibus constituti, etiam si beneficia non obtineant, etiam si sint coniugati, ⟨nisi habitum clericalem et tonsuram, vel⟩ [b] saltem biretum a saecularibus distinctum et per sacerdotes sive clericos suae regionis deferri solitum deferant, non gaudeant aliquo privilegio clericali [c].

[39] De vita et honestate clericorum servanda [2].

Quae a summis pontificibus et a sacris conciliis sive generalibus sive provincialibus ab ecclesia receptis de cohabitatione clericorum cum mulieribus fugienda, de aleis, lusibus, venationibus [d] saecularibusque negotiis | minime exercendis, de vita demum, honestate, cultu, 386v ac moribus eorundem sancita sunt, episcopi ea omnia exacte observari curent, ne subditorum culpas incorrectas cum populorum scandalo deserentes animadversionis divinae vindictam in seipsos excipiant.

[40] Commendatarii perpetui eisdem legibus et poenis subiaceant, quibus subiiciuntur titulares.

Cum in concilio Tridentino decretum sit, commendas habere vim tituli [3], consequens est, ut perpetui commendatarii monasteriorum et aliorum beneficiorum curam animarum habentium quoad sacros ordines suscipiendos ac vitam et honestatem servandam eisdem legibus et eisdem poenis sint subiecti, quibus subiiciuntur ceteri, qui beneficia in titulum obtinent [4].

[41] De vita et honestate episcoporum et eorum familiarium.

[*Congruit cum decretis conc. Trid. sess. II, Conc. Trid. IV 555, 12-19*].

[III.] De beneficiis ecclesiasticis et eorum collatione [5].

[42] Beneficia ecclesiastica, praesertim curata, quibus conferri debeant [e].

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 3, Conc. Trid. V 997, 28-34*].

[43] Alternativa concessa episcopis in collatione beneficiorum [6].

Ad tollendum litium occasiones, quae inter provisos a sede apostolica et ab ordinariis ob concursum ⟨oriri possent⟩ [f] ⟨parrochiales ecclesiae et alia⟩ [g] beneficia ecclesiastica saecularia alternis mensibus per summum pontificem et episcopos in suis ecclesiis actu residentes conferantur. ⟨Et quoad ipsas parochiales⟩ [h] nulla reservatio | praeterquam vacationis apud 387r

[a] *A1 del.* [b] *Conc. 78 f. 105r add. supra lin.* [c] *A1 add.* et, si deliquerint, per saecularem potestatem puniri possint. [d] *A1 del.* [e] *A1 in marg. add.* Praedictarum autem Gregorii X et Alexandri III constitutionum tenorem pro evidentiori omnium admonitione inferius inseri non ab re visum est. [f] *A1 corr. in* saepe oriuntur [g] *A1 del.* [h] *A1 del.*

[1] Clem. de vita et hon. cler. III 1, *Friedberg* II 1157 sq.

[2] Minutam vide *Conc. 78* f. 295r cum data *13. Febr. 1554 mane.*

[3] Sess. VII de ref. c. 4, *Conc. Trid.* V 997, 34 sqq.

[4] Post hunc de commendis canonem *Conc. 78* f. 106r alius insertus est huius tenoris:

Constitutio Bonifatii VIII, quae incipit Statutum [c. 22 de elect. I 6 in Sexto], *non suffragetur alicui adversus dispositionem constitutionis Gregorii X, quae incipit Licet canon sub tit. de elect.* [I 6 in Sexto].

[5] De origine canonum huius tertiae partis conferas, quae supra p. 266 adn. 4 adnotavimus. Formas praeparatorias, praesertim ultimam *Conc. 78* f. 106r-108v conservatam, ubi opus esse videbatur, adhibuimus.

[6] Minutam cum data 17. Febr. 1554 vide *Conc. 78* f. 299r. Ampliorem eiusdem canonis formam die 2. Ian. 1554 compositam habes *Conc. 78* f. 249r (min.) et f. 106v (ubi postea deleta eiusque loco a Massarello alia posita est suprascriptae simillima); quam hic annectimus:

Parrochiales ecclesiae, in quibus conferendis propter animarum curam annexam omnis adhibenda est diligentia, alternis mensibus per summum pontificem et episcopos in suis ecclesiis actu residentes personis idoneis

sedem ⟨et familiaritatis summi pontificis pro tempore existentis et cardinalium viventium)⟩ [a] liberam ipsorum episcoporum residentium in alternis mensibus (ut praefertur) collationem impedire queat. ⟨Et si secus factum fuerit etiam per ipsum summum pontificem, sit irritum et inane⟩ [b].

[44] Pluralitas beneficiorum curatorum prohibetur.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 4, Conc. Trid. V 997, 34-38*].

[45] Dispensationes ad plura beneficia curata ⟨quibus concedendae sint⟩ [c].

Dispensationes [d] ad plura curata aut alias incompatibilia beneficia non dentur nisi [e] nobilibus vel graduatis in publica universitate vel collegio approbato ⟨aut alias litteratis viris iuxta formam concilii Lateranensis ac Tridentini⟩ [f] [1]. Neque unquam tamen dispensetur ad duo conventualia vel claustralia.

[46] Obtinentes plura beneficia curata cogi possunt ab ordinario ad ostendendum suas dispensationes.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 5, Conc. Trid. V 997, 39-998, 3*].

[47] ⟨Coadiutoriae non dentur in beneficiis curatis.

Coadiutoriae in beneficiis curatis cum futura successione, per quas aperte constat, non quaeri coadiutores, sed successores, minime concedantur⟩ [g].

[48] ⟨Beneficia curata non graventur ultra tertiam partem fructuum.

Beneficia curata etiam per obitum vel alias quomodolibet vacantia, etiam ex causa resignationis, ultra tertiam partem fructuum non graventur, ita ut semper rectori remaneat, unde se et ecclesiam suam sustentare valeat⟩ [h]. |

387v [49] Pensiones non imponantur super beneficiis non excedentibus valorem 24 ducatorum.

Beneficia simplicia, quae computatis distributionibus quotidianis 24 ducatus non excedunt, non graventur aliqua pensione.

[50] Pensiones non imponantur super distributionibus quotidianis.

Pensiones super distributionibus quotidianis, quae interessentibus singulis horis nocturnis et diurnis distribuuntur, nequaquam assignentur.

[a] *A1 del.* [b] *A1 del.; add.* Episcopi vero non residentes huius decreti beneficio minime gaudeant. [c] *A1 corr. in* non concedantur [d] *A1 add.* autem [e] *A1 add.* vere [f] *A1 del.; in marg. add.* aut doctis et litteratis seu alias evidenter benemeritis viris [g] *A1 del.* [h] *A1 del. et in marg. alium canonem ponit huius tenoris:* Beneficia curata nullis pensionibus onerentur. Ut animarum cura diligentius ac commodius exerceri queat omnisque simoniacae atque illicitae pactionis et occasio et suspicio tollatur, beneficia, quibus ipsa cura imminet animarum, tam per obitum quam ex causa resignationis et alias quomodolibet vacantia nullis prorsus pensionibus in posterum onerentur.

videl. in legitima aetate constitutis ac morum gravitate et litterarum scientia ornatis conferantur. Quae quidem qualitates in supplicationibus et litteris provisionis, etiam si ex resignatione aut ex causa permutationis provisio fiat, exprimi debeant. Et si litterae aliter expeditae fuerint aut qualitates huiusmodi provisorum personis desint, ad sedem apostolicam recurratur, cuius erit declarare, quem modum suae provisionis esse velit. Quod si episcopi et quicumque alii beneficia conferendi potestatem habentes parrochiales ipsas [del. *beneficia curam animarum habentia*] *indignis, quibus nec morum honestas nec literarum scientia suffragetur (carnis desiderium, non iudicium rationis sequentes) contulerint, a conferendi privilegio noverint se esse suspendendos nec huiusmodi suspensionis sententiam ab alio quam a summo pontifice relaxandam. Nulla autem reservatio praeterquam vacationis apud sanctam sedem ac familiaritatis summi pontificis et cardinalium viventium liberam ipsorum episcoporum (ut praefertur) residentium in alternis mensibus parrochialium ecclesiarum collationem impedire queat.*

[1] C. 28 *De multa* X de praeb. III 5 (*Friedberg* II 477 sq.) decernit: *Circa sublimes tamen et literatas personas, quae maioribus sunt beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.* Quod caput in sess. VII de ref. c. 4 (*Conc. Trid.* V 997, 30 sq.) adhibetur.

[51] Potestas transferendi pensiones non concedatur et hactenus concessa, quomodo intelligatur.

Potestas sive facultas transferendi pensiones super fructibus ecclesiarum cathedralium et aliorum beneficiorum quorumcunque de cetero nemini concedatur. Et quaecunque facultates transferendi iam concessae ita subsistant et intelligantur, ut pensiones ipsae nullo modo transferri possint in mortis articulo. Et privilegia quaecunque collegiis officialium desuper concessa nemini deinceps suffragentur.

[52] ⟨Regulae de idiomate non derogetur.

Regulae de idiomate minime derogetur⟩ [a] [1].

[53] Aetas ad obtinendas dignitates in cathedralibus et primas in collegiatis.

Dignitates in cathedralibus vel principales in collegiatis, etiam si iurisdictionem non habeant, nulli ante 14. annum conferantur [b].

[54] Regularia beneficia regularibus conferantur [2].

Regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum aut resignationem aut alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis, ne vestem lino lanaque contestam induant [3], conferantur.

[55] Saecularia beneficia saecularibus conferantur.

Saecularia beneficia saecularibus tantum conferantur. Nec ulla beneficia dentur in commendam nisi solita commendari.

[56] Hospitalia, quae commendari non debeant.

Hospitalia actu hospitalitatem servantia non commendentur. In commmendatis autem episcopi cogere possint commendatarios ad eam, ad quam tenentur, hospitalitatem servandam.

[57] Hospitalia, etiam exempta, per episcopos visitentur.

[*Concordat cum conc. Trid. sess. VII de ref. c. 15, Conc. Trid. V 999, 8-12*]. 388r

[58] Doctorales et theologales praebendae doctoribus et theologis conferantur.

Praebendae theologales sive doctorales non nisi theologis sive doctoribus concedantur, neque ipsarum praebendarum fundationi seu erectioni derogetur.

[59] Spurius beneficia patris vel in ecclesia, in qua pater est beneficiatus, non habeat.

Constitutioni Clementis VII de filiis presbiterorum [4] non derogetur. Et insuper filii spurii clericorum nullo modo possint (superstitibus parentibus) habere praebendas nec dignitates in ecclesiis, in quibus parentes sunt beneficiati, etiam si beneficia sint dissimilia.

[60] Cum simoniaco non dispensetur, ut beneficium retinere possit.

Cum eo, qui scienter beneficium ecclesiasticum obtinuit per simoniam, nunquam dispensetur, ut illud retinere possit.

[a] *A1 del. et alium post* [53] *inserit:* Beneficia, quibus animarum cura est annexa, provincialibus (quos in aliquibus partibus naturales vocant), non autem forensibus conferantur, et regulae de idiomate minime derogetur. [b] *A1 in marg.* Ponatur aliquid de dignitatibus regularibus, quae solitae sunt commendari, et non sunt monasteria, utputa praepositurae etc.

[1] Post hunc de idiomate canonem in codice *Conc. 78* f. 107r antea sequebantur duo canones postea omissi: *Parochiales ecclesiae in perpetuum nullo modo commendentur.* *Beneficia ecclesiastica in confidentiam nulli omnino, etiam S. R. E. cardinalibus, committantur aut dentur. Si secus fiat, ultra poenam extravagantis Cum detestabile beneficia huiusmodi iure ipso vacare censeantur.*

[2] Canon sumptus ex decreto conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 10.

[3] Cfr. *Deut.* 22, 11.

[4] Cfr. supra p. 175 adn. 1.

[61] Cum constituto in sacris non dispensetur, ut matrimonium contrahat.

Non dispensetur nisi ex magna causa, ut in sacro ordine constitutus contrahat matrimonium.

[62] De residentia eorum, qui obtinent beneficia residentiam personalem quomodocunque exigentia.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VI de ref. c. 2, Conc. Trid. V 803, 29-39*].

388v [63] Reservatio denominationis, stalli in choro ac vocis [vel] alternativa residentia non concedatur nisi de capituli consensu.

Dispensationes, ut aliquis resignans canonicatum vel dignitatem in aliqua ecclesia cathedrali vel collegiata possit sibi reservare denominationem, stallum in choro et locum in capitulo, nulli concedatur, nec etiam alternativa residentia nisi de capituli consensu.

[64] Uniones perpetuae, quomodo sunt faciendae et factae examinandae[a].

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 6, Conc. Trid. V 998, 4-10*].

[65] Beneficia unius diocesis non uniantur alterius diocesis beneficio[1].

Et quia iure optimo distinctae fuerunt dioceses et parochiae ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo diocesum fiat non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, beneficia unius diocesis, etiam si parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia seu praesti-
389r monia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam | ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa alterius diocesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur, decretum huius synodi[2] super huiusmodi unionibus in hoc declarando.

[66] Beneficia quomodocumque unita ab ordinariis visitentur.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 7, Conc. Trid. V 998, 11-19*].

[67] Beneficia quomodolibet exempta ab ordinariis visitentur.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 8, Conc. Trid. V 998, 20-25*].

[68] Capitula ecclesiarum quomodolibet exempta ab ordinariis visitari, corrigi et emendari valeant.

[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VI de ref. c. 4, Conc. Trid. V 804, 1-56*].

389v [69] Declaratio et intellectus praecedentis canonis[3].

⟨Ad providam Romani pontificis solertiam rectumque iudicium pertinet, constitutiones eas, quae servum ex libero quempiam iniuste faciunt et ius suum cuique auferunt, declarare, moderari et ad iustitiam atque aequitatis formam reducere⟩[b].

[a] *A1 corr. in* De unionibus perpetuis beneficiorum minime concedendis. [b] *In min. in marg. del.* Nihil est hominum generi gravius quam ex libero quempiam fieri servum; indignum quoque et intolerabile est auferri cuiquam ius suum; sed indignius et intolerabilius, si auferatur collegio aut universitati.

[1] Sumptus est canon ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 9.

[2] Sess. VII de ref. c. 6, *Conc. Trid.* V 998, 4 sqq.

[3] Minutam a Massarello scriptam multisque locis correctam sub data 12. Febr. 1554 videas *Conc. 78* f. 226r. Originem canonis 69 optime illustrat breve 27. Febr. 1554 ad Leonardum de Marinis in Hispania nuntium datum, quam annectimus: *Leonardo episcopo Laodicensi in Hispaniarum regnis Nostro et sedis apostolicae nuntio. Venerabilis frater salutem etc. Ex Tuae Fraternitatis litteris et ex multorum praeterea sermonibus ac rumore denique ipso intelleximus magnas in istis regnis subortas esse controversias inter insignium Hispaniae ecclesiarum praelatos et capitula super intelligentia ac sensu quorundam decretorum concilii Tridentini, cum hi suas immunitates atque exemptiones tum ex iustis, ut asserunt, causis, etiam a prima earundem ecclesiarum erectione introductas tum longo usu et temporis diuturnitate confirmatas ipsis in iure suo non auditis a prelatis infringi atque tolli conquerantur, praelati vero ex praedictorum decretorum sensu iure sè id facere posse existiment. Ex quibus controversiis cum ea quae magna*

Proinde leges seu canones [a] omnes disponentes, ut nullae exemptiones, consuetudines, sententiae, iuramenta, concordiae suffragentur capitulis cathedralium et aliarum maiorum ecclesiarum et eorum personis, quominus a suis episcopis et praelatis, toties quoties opus fuerit, visitari corrigi et emendari queant, ita intelligantur et ita locum habeant, quatenus exemptiones non ex fundatione ac erectione, sed ex privilegio tantum apostolico emanaverint, et consuetudines non sint antiquo et immemorabili tempore praescriptae, sententiaeque, iuramenta et concordiae de iure auctores solum obligent, non autem successores. ⟨Si quid vero, etiam alicuius canonis conciliaris aut pragmaticae sanctionis praetextu, in contrarium a quopiam contigerit attentari, sit omnino irritum atque inane et attentans suspensionis poenam, a nemine prorsus praeterquam ab ipso summo pontifice relaxandam, eo ipso incurrat⟩ [b].

[70] Praesentati ad beneficia ecclesiastica, quomodo sint admittendi.
[*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 13, Conc. Trid. V 998, 42-48*].

[71] Iuspatronatus, quomodo acquiri seu obtineri possit [1]. 390r

Nemo etiam cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut cappellam de novo fundaverit seu iam erectam (quae tamen sine sufficienti dote fuerit) de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, iuspatronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio episcopo et non alteri inferiori reservetur.

[72] Iurispatronatus patroni, cui praesentare debeant [2].

Non liceat praeterea patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui iurispatronatus nisi episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo praesentare, alias praesentatio ac institutio forsan sequutae nullae sint et esse intelligantur.

[73] Iuripatronatus laicorum non derogandum.

⟨Indecens est, ut⟩ [c] iuripatronatus laicorum ex fundatione et dotatione, ⟨etiam si beneficia vacent apud sedem⟩ [d], derogetur.

[74] Bona ecclesiastica, quomodo sint distribuenda.

Sicut omni rationi congruit ut alligari non debeat os bovi trituranti [3], et qui altari serviunt, de altari pascantur [4], et qui ecclesiarum sive maiorum sive minorum onera substinent, earundem fructibus se nutriant atque sustentent, ita est omni rationi contrarium, ut postquam suis et ecclesiae servientium necessariis usibus prospexerint, pauperum alimoniam et ecclesiarum reparationem negligant. Scientes igitur ⟨rerum ecclesiasticarum⟩ [e] dispensationem

[a] *In min. del* seu constitutiones [b] *In min. in marg.; del.* Sed si aliqui ipsorum capitulorum tamquam singuli non autem tamquam universi deliquerint, possint ab ordinariis (veluti super hoc a sede apostolica delegatis) secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi, iuris tamen communis forma servata. [c] *A1 del.* [d] *A1 del. et add.* minime [e] *A1 corr.* reddituum ecclesiasticorum

oriri possent scandala iustam illustri praesertim insignique provincia providentia nostra providere cupiamus, Fraternitati Tuae per presentes litteras committimus atque mandamus, ut vocatis ad Te uno vel altero ex predictorum capitulorum canonicis sive eorum procuratoribus eisque coram Te simul congregatis eorum iura et rationes audias et, in quibus se gravari arbitrentur, diligenter intelligas, itemque ab altera parte venerabilibus fratribus istorum regnorum praelatis singulatim significes, ut si quas rationes pro ipsorum causae corroboratione contra afferendas esse putent, Te de illis curent edoceri. Quae omnia sic per Te explorata volumus ad nos quam primum mitti, ut demum nos in hac universali quam nunc maxime in manibus habemus et quam Deo iuvante propediem edituri sumus reformatione opportune scandalis occurrere et Deo ac iustitiae debito et nostro simul officio iuxta dispensationem nobis creditam satisfacere possimus. Datum Romae apud S. Petrum etc. die 27. Febr. 1554 anno 5°. Pau[lus Sadoletus]. M[arcellus] card[lis] S. Crucis. Io[annes] B[aptista] card[lis] S. Clementis. Deinde manu propria Cervini *Referatur tamen S. S[ti], quod super editione reformationis consideravimus.* Contentiones autem inter capitula ex una, episcopos et potestates saeculares ex altera parte finem non habuerunt, immo capitulorum procuratores, qui mandata apostolica inhibitionesque Rotae pro illorum libertate facientes praesentaverunt, a iudicibus saecularibus in carceres coniecti sunt. Quare Pontifex 30. Aug. 1554 Hispaniae praelatis illis iudicibusque saecularibus sub severissimis poenis mandavit, ut infra sex dies praedictos carceratos dimittant, unaque Catholici regis consiliarios a censuris, quas incurrissent, absolvit *sperans, quod ipsi desistent ab observantia provisionum* sc. contra capitula *et quod relaxabunt incarceratos*, alias *subiaceant eisdem censuris, a quibus non possent absolvi ab alio quam S. S.* Arch. Vat. *Arm. 41 t. 71* n. 508 et 509, min.

[1] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 12.

[2] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 13.

[3] Cfr. *1 Cor.* 9, 9.

[4] Cfr. *1 Cor.* 9, 13.

tantum sibi esse creditam, sic se in ipsa dispensatione gerant, ut pauperes et ecclesiae sua portione non defraudentur et ipsi fideles dispensatores a Domino inveniantur [1], si superiorum correctionem in hoc saeculo et iustum Dei iudicium atque ultionem in futuro cupiunt evitare.

[IV. De auctoritate episcoporum in suos clericos [2]].

[75] Episcopus quoscumque suos clericos saeculares vel regulares extra monasterium degentes, etiam exemptos, punire valeat.

390^v [*Concordat cum decreto conc. Trid. sess. VI de ref. c. 3, Conc. Trid. V 803, 40-45*].

[76] Episcopus residens saeculares suos clericos quomodolibet exemptos corrigere et punire valeat [a] [3].

Omnes ecclesiarum praelati, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, et a quibus nullus clericus per huius sanctae synodi statuta cuiusvis privilegii praetextu tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit, si in ecclesiis suis resederint, quoscunque saeculares clericos qualitercumque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem tamquam ad hoc apostolicae sedis delegati corrigendi et castigandi facultatem habeant, quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae suos tantum obligent auctores, ipsis clericis ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus et aliis quibuslibet ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus.

[77] Nemo alienos clericos nisi cum proprii episcopi interventu ⟨quocumque privilegio punire possit⟩ [b] [4].

Praeterea, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quaerunt et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant: quicumque, etiam episcopali praeditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi non subiectos, praesertim in sacris constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprio ipsorum clericorum episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso episcopo deputandae interventu nequaquam procedere debeat, alias processus et inde secuta quaecumque viribus omnino careant.

391^r [78] Exemptorum causae, quomodo cognosci debeant.

[*Congruit cum decreto conc. Trid. sess. VII de ref. c. 14, Conc. Trid. V 998, 49–999, 7*].

[79] Conservatoriae litterae, quomodo et quibus debeant suffragari [5].

Insuper, cum nonnulli, qui sub praetextu, quod super bonis et rebus ac iuribus suis diversae eis iniuriae ac molestiae inferantur, certos iudices per litteras conservatorias deputari obtinent, qui illos a molestiis et iniuriis huiusmodi tueantur ac defendant et in possessione seu quasi bonorum, rerum ac iurium suorum manu teneant et conservent, neque super illis eos molestari permittant, eiusmodi litteras in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant: Idcirco nemini omnino, cuiuscumque dignitatis et conditionis sit, etiam si capitulum fuerit, conservatoriae litterae cum quibuscumque clausulis aut decretis et quorumcumque iudicum deputatione, quocumque etiam alio praetextu aut colore concessae, suffragentur ad hoc, ut coram suo episcopo sive alio superiore ordinario in criminalibus et mixtis causis accusari et conveniri ac contra eum inquiri et procedi non possit, aut quominus,

[a] *A1 corr. in* Episcopi residentes suos clericos, etiam exemptos, corrigere et punire valeant. [b] *A1 corr. in* cuiusvis ~~privilegii praetextu pun~~ire possit

[1] Cfr. *1 Cor.* 4, 2.

[2] Canones quartae partis praeter unum (scil. can. 83) omnes ex decretis concilii Tridentini sub Iulio III sumpti sunt.

[3] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 4.

[4] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 8.

[5] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 5.

si qua iura ei ex concessione competierint, super illis libere valeat apud iudicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minime liceat. Quod si in his causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator | ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter 391v
ipsos iudices, conservatorem et ordinarium controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus vero eius, qui huiusmodi litteris conservatoriis tueri se solent, nihil illae prosint, praeterquam duobus dumtaxat, si tamen illi propriis eius sumptibus vixerint. Nemo etiam similium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque conservatoribus iudicibus ullum habere tribunal erectum. In causis vero mercedum aut miserabilium personarum huius sanctae synodi super hoc decretum in suo robore permaneat.[1] Universitates autem generales ac collegia doctorum seu scholarium et regularia loca necnon hospitalia actu hospitalitatem servantia ac universitatum studiorum, locorum et hospitalium huiusmodi personae in praesenti canone minime comprehensa, sed exempta omnino sint et esse intelligantur.

[80] In causis visitationis, correctionis etc. ac etiam criminalibus ab episcopo ante diffinitivam sententiam non appelletur[2].

In causis visitationis et correctionis sive habilitatis et inhabilitatis necnon criminalibus ab episcopo seu illius in spiritualibus vicario generali ante diffinitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur, neque episcopus seu vicarius appellationi huiusmodi tamquam frivolae deferre teneatur, sed ea ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata necnon omni stilo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante ad ulteriora valeant procedere, nisi gravamen huiusmodi per diffinitivam sententiam reparari vel ab ipsa diffinitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant. |

[81] Appellatio a sententia episcopi in criminalibus, quibus committi debeat in partibus. 392r

A sententia episcopi vel ipsius in spiritualibus vicarii generalis in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano seu illius etiam vicario in spiritualibus generali aut, si ille aliqua de causa suspectus foret vel ultra duas legales dietas distet seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus episcopis seu illorum vicariis, non autem inferioribus iudicibus committatur.

[82] Appellans a sententia episcopi in criminalibus acta primae instantiae coram iudice appellationis producere teneatur.

Reus ab episcopo aut eius vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans coram iudice, ad quem appellaverit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

[83] Episcopus in cognitione causarum tam civilium quam criminalium in prima instantia a nemine, etiam legatis seu vicelegatis apostolicis, impediatur.

Ecclesiasticus ordo confunditur, nisi unicuique sua iurisdictio illaesa servetur. Propterea licet legati sedis apostolicae ordinariam iurisdictionem in provinciis sibi commissis habeant et in cognitione causarum ecclesiasticarum tam civilium quam criminalium cum locorum ordinariis de iure concurrant, aequum tamen est, ut ipsi ordinarii in cognitione causarum earundem in prima instantia minime impediantur nec a legatis aut vicelegatis desuper turbentur aut molestentur, nisi forte ipsi ordinarii in corrigendis clericorum sibi subditorum excessibus negligentes vel saeviores sint, aut atrocitas criminis maiorem auctoritatem et |
potestatem exigat. Cum vero a sententia ordinarii vel gravamine appellari contigerit, liberum 392v
sit parti appellanti ad metropolitanum aut legatum seu etiam ad sedem apostolicam, omissis mediis, iuxta iuris dispositionem provocare.

[1] Sess. VII de ref. c. 14, *Conc. Trid.* V 999 l. 1 sqq.

[2] Canones 80-82 sumpti ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 1-3, dempto initio c. 1.

[84] Episcopus residens de subreptione absolutionis a crimine, de quo ipse inquirere coeperat, vel remissione poenae per eum inflictae cognoscat[1].

Episcopus apud ecclesiam suam residens de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per seipsum tanquam sedis apostolicae delegatus etiam summarie cognoscat ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.

[85] Episcopus per se etiam ad actualem degradationem constituti in sacris, etiam presbyteratus ordine, procedere valeat, adhibitis etc.[2].

Episcopo per se seu illius vicarium in spiritualibus generalem contra clericum in sacris, etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem necnon verbalem depositionem, et per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem abbatibus usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut diocesi reperiri et commode interesse possint, alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac iuris scientia commendabiles existant. |

[V. Absolutiones et gratiae, quae summo pontifici reservantur][3].

393r [86] Absolutiones in foro fori, quae reservantur soli summo pontifici, rescripto eius dumtaxat manu signando.

A criminibus et delictis, pro quibus secundum leges saeculi imponenda[a] esset poena corporalis vel deportatio vel omnium bonorum amissio, et ab illis, etiam si leviora sint, in quibus ordinarii quomodocunque, etiam per solam citationem seu monitionem praevenerint, absolutiones in foro fori non nisi per solum summum pontificem, rescripto eius dumtaxat manu signato, concedantur. Absolutiones vero a praemissis delictis aliter et a quocunque alio, etiam vivae vocis oraculo ac de speciali et expresso mandato ipsius summi pontificis concessae, irritae sint nullisque tam clericis quam laicis quoad ipsum forum fori suffragentur; non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quacunque forma ac verborum tenore concessis.

[87] Concessiones seu gratiae, quae nonnisi per supplicationes manu propria summi pontificis signatas expediri debent.

Quotiescunque pias defunctorum voluntates in aliud opus, quam ipsi statuerint, commutari, nova beneficia ecclesiastica institui seu earum institutiones aut perpetuas uniones ordinaria auctoritate aliter, quam sacri canones permittant, factas confirmari, iuspatronatus praeter causas in iure expressas condonari, indulgentias visitantibus aliquas ecclesias impartiri, habitum seu dimidium crucem militiae Hierosolymitanae aut S. Iacobi a spata vel hospitalis Sancti Spiritus in Saxia alicui tradi, facultatem episcopo cuipiam, ut aliorum subditos militiae clericali ascribere aut ad sacros ordines promovere seu pontificale officium in alterius diocesi explere valeat, concedi; itemque, si in primo vel secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu dispensari a sede apostolica petitum fuerit: Ea omnia a sacrae poenitentiariae vel quibusvis aliis officialibus non antea expediri liceat, quam super iis supplices libelli propria summi pontificis manu subscripti fuerint. Si vero supplicationes aliter ipsae expeditae fuerint, nullae atque irritae sint et nemini suffragentur. |

[a] *in marg. pro* incurrenda

[1] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 5, dempto initio.

[2] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIII de ref. c. 4, dempto initio.

[3] Cfr. supra n. 53.

[VI.] Ea, quae in expeditionibus a summo poenitentiario et aliis Romanae curiae officialibus faciendis modificantur [1].

[88] Licentia exeundi monasterium ex causa professionis emissae per vim et metum. 393v

Si religiosus per vim et metum aut alias minus rite et recte professionem emisisse contendat, causa huiusmodi, quae hactenus affectatis iudicibus cum clausula *si ita est* vel *si etiam extraiudicialiter et sola facti veritate inspecta ita esse repereris* committi consuevit, deinceps ordinario loci, in quo professio emissa fuerit, et nullatenus in Romana curia committatur . Qui quidem ordinarius, vocato ad causae huiusmodi defensionem monasterii superiore et processu iudiciali absque solennitatibus confecto, rem pro veritate decidere debeat, et interim dicto superiori inhibeat, ne religiosum ob rescripti impetrationem vel litis prosecutionem male tractet aut molestiis afficiat, dummodo religiosus ipse monasterium interim non exeat, et si exire ausus fuerit, commodo rescripti omnino careat.

[89] Licentia degendi extra praetextu sustentationis parentum vel infirmitatis etc.

Licentiae degendi extra monasterium pro obsequio parentibus aut pupillis vel aliis consanguineis praestando seu praetextu infirmitatis vel alterius impedimenti religiosis simpliciter non concedantur, sed causa cognita per ordinarium, superiore monasterii omnino vocato, et semper ea lege expressa, ut cessante causa ad monasterium redire teneantur et cogi possint; et infirmi in aliqua honesta domo morentur, nec illis vagari liceat.

[90] Licentia degendi extra de consensu superiorum.

Licentiae degendi extra monasterium, quae religiosis de consensu superiorum interdum concedi consueverunt, deinceps illis tantum concedantur, qui se ordinem monasterii huiusmodi primo loco professos, non autem ad illum translatos esse expresse affirment, nisi translatio antiqua sit et in monasterio, a quo exire cupiunt, pluribus annis vixisse asseverent. |

[91] De apostatis. 394r

Apostatis venia non concedatur, nisi ea conditione expressa, ut ad claustrum proprii ordinis redeant vel ad alium ordinem transeant aequalis vel arctioris observantiae, ut ibi perpetuam vitam agant; sed nec illis indulgeatur, ut durante apostasia beneficia ecclesiastica obtinere vel illis uti mercennarii deservire valeant.

[92] Facultas transeundi ad alium ordinem.

Si religioso cuipiam facultas transeundi ad alium ordinem ex aliqua iusta causa concedenda sit, ea expressa lege concedatur, ut sciat apud secundum ordinem se perpetuo mansurum.

[93] De vita heremitica ducenda.

Quia nonnulli vitam heremiticam ob melioris vitae frugem ducere velle interdum non sine dolo et fraude proponunt, illud simpliciter alicui non concedatur, cuius perspecta virtus et vitae singularitas summo pontifici super ea re consulendo nota non fuerit, sed ad loci episcopum vel alium viciniorem residentem reiiciatur, qui re mature intellecta pro sua conscientia gratiam concedat vel deneget.

[94] Licentia doctorandi.

Si religiosus ad magisterium vel alios gradus iis, qui legitime certaverint [2], debitos, promoveri cupiat et in ea re superiorem suum suspectum et sine causa adversum habere asseverat [a], negotium huiusmodi ordinario loci committatur, qui, si vocato dicto superiore rationabilem causam contra religiosi desiderium adduci non viderit, hominem (rigoroso praecedente examine) idoneum repertum debito virtuti praemio diutius frustrari non patiatur.

[a] Cod. asseverant

[1] Cfr. supra n. 52 et quae ad n. 54 adnotata sunt. [2] Cfr. 2 *Tim.* 2, 5.

[95] Facultas praedicandi.

Nulli verbum Dei praedicandi facultas concedatur nisi e a lege, ut a d singulos ordinarios
394v locorum, in quibus pro tempore praedicare velit, se in primis conferre teneatur, ut ab | illis examinetur et, si idoneus repertus fuerit, probetur.

[96] De non mutandis superiorum ordinis decretis.

Si superior monasterii vel ordinis religiosum quempiam extra monasterium aut provinciam aliqua de causa relegaverit seu in certo loco stare iusserit, nihil omnino rescribatur, per quod obedientiae votum violetur. Item, si superior aliquid religioso ad certum tempus indulserit, illud nullo pacto in perpetuum aut in longiora tempora invito superiore protrahatur.

[97] De licentiis et indultis religiosis concedendis.

In licentiis et indultis, quae religiosis quavis de causa pro tempore conceduntur, expresse caveatur, ut Itali infra quatuor, ultramontani vero infra octo menses litteras desuper confectas superioribus suis insinuare ac usui demandare et, si pro rei qualitate processum desuper fieri oportuerit, illum infra quatuor alios menses immediate sequentes inchoare et, quantum in eis erit, perficere teneantur, alias litterarum commodo privati illaeque nullae et invalidae eo ipso censeantur.

[98] Facultas ingrediendi monasteria monialium.

Facultates ingrediendi monasteria monialium, etiam earum matribus et sororibus, nonnisi nobilibus et honestis matronis ac perraro concedantur, et ea lege adiecta, ut vestibus simplicibus indutae ac sine aliquo ornatu accedant semperque ad id superioris monasterii accedat assensus.

[99] De alienatione bonorum ecclesiasticorum in evidentem utilitatem ecclesiae [1].

Alienationes et bonorum ecclesiasticorum permutationes ac illarum confirmationes in forma *si in evidentem* hactenus affectatis iudicibus cum magno saepe ecclesiarum detrimento committi solitae deinceps ordinario loci et, si de eius praeiudicio agatur, metropolitano vel |
395r alteri viciniori ordinario committantur.

[100] Relaxatio iuramenti.

Relaxatio iuramenti, etiam ad effectum agendi aut alia de causa, iudici competenti committatur, ea lege, ut causa cognita et parte (de cuius interesse agitur) ad eam rem omnino vocata et aliter non concedatur.

[101] Dispensationes matrimoniales.

Dispensationes matrimoniales non concedantur in forma gratiosa, ne ob malitiam aut ignorantiam supplicantium subreptitiae reddantur, sed ordinariis locorum et semper cum alicuius honestae causae expressione committantur.

[102] De auctoritate protectorum ordinum in eos, qui extra monasterium quocunque praetextu permanent.

Cardinales ordinum protectores religiosos per Romanam curiam interdum vagantes ad exhibendum coram eis licentias exeundi a monasterio ac earum processus, et minus legitime claustrum egressos ad illud repetendum opportunis iuris remediis compellere valeant.

[1] Minutam manu Maffei scriptam vide *Conc.* 78 f. 239r.

[VII.] De regularibus[1].

[103] De tempore et modo professionis tam per mares quam per feminas emittendae.

Quoniam experientia docente compertum est, magna saepe in ecclesia Dei scandala ex nimis propera et immatura regularis professionis emissione provenire, cum plures tam mares quam feminae his depravatis corruptisque temporibus asserentes vi et metu sive levitate et imprudentia ac consilii imbecillitate potius quamfirma et | constante voluntate se professionem emisisse, ex monasteriis exire praesumant: Ut occasiones scandalorum huiusmodi tollantur, et ne, unde spiritualis profectus quaeritur, salutis dispendium subsequatur, nullus posthac, etiam quorumvis antiquorum iurium vel regularium institutorum seu consuetudinum praetextu, quibus in hac parte plene derogatum sit et esse censeatur, ante 18., neque ulla femina ante 16. suae aetatis annum, et nisi completo anno probationis, in quovis ordine regularem professionem facere tacite vel expresse valeat. Quod si forte contra hanc prohibitionem quempiam profiteri contigerit, sit talis professio prorsus irrita ac receptum nullatenus ordini, in quo profitetur, alliget, recipiens vero a receptione quorumlibet ad professionem eiusdem ordinis sit ipso facto suspensus [a]. ⟨Caveant autem profitentium superiores, si Dei ultionem ac sedis apostolicae indignationem cupiunt evitare, ne quempiam sive marem sive feminam tacite vel expresse profiteri permittant, nisi prius coram notario et testibus, qui de toto ipsius professionis actu rogentur, semotis arbitris, praesertim consanguineis, profiteri volentes diligenter atque amanter de professionis vinculo admoneant certique fiant, quod non levitate vel imprudentia, neque vi aut metu aut alia improbabili causa, sed ex eorundem libera ac spontanea voluntate constantique deliberatione ad profitendum adducantur⟩ [b] [2].

395^v

[a] *Conc. 78 f. 258^r del.* et insuper poenae subiiciatur, quae fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit [b] *Pontifex ipse hanc formam proposuerat et manu sua propria scripserat f. 263^r*: Caveant autem locorum superiores (si Dei ultionem ac sedis apostolicae indignationem cupiunt evitare), ne quempiam sive marem sive feminam tacite vel expresse profiteri permittant, nisi prius coram notario et testibus semotis consanguineis atque etiam fratribus et monialibus profiteri volentes de eorundem libera voluntate diligenter atque amanter interrogent certique fiant eos vel eas neque vi neque metu ad profitendum adduci.

[1] Cfr. supra n. 56, quae «reformatio» est forma I. Consultationibus de reformatione regularium reassumptis 10. Ian. 1554 (*Conc. 78* f. 253^r, min. manu Massarelli scripta) Massarellus *Conc. 78* f. 173^r-174^r *Capita ponenda in bulla reformationis regularium* adnotavit [= forma II], videl. 9 illa capita Reformationis regularium supradictae, in quibus tamen aliqua mutata sunt: In 1. cap. addita sunt verba de novitiatibus instituendis, in 5. (demptis illis de sociis generalibus ordinum a sede apostolica adiungendis) quaedam de visitationibus annuis ab ordinum protectoribus instituendis, in 8. solis monialibus permittitur, ut bis in anno *cuicumque voluerint, libere confiteri possint*; quibus 9 capitibus addidit Massarellus alia ab episcopo Veronensi proposita, quorum parti alterae iam antea vel alibi provisum erat, alterae providendum non videbatur, ex. gr.: *Religiosi habentes oratoria seu ecclesias infra limites ecclesiarum parochialium nec festa populo nuncient nec oblationes in diebus solemnibus accipiant nec officia pro mortuis indicant. Religiosi, quibus cura gubernandi moniales incumbit, nullo modo apud eas pernoctent. Et cum in earum monasteriis ingrediuntur, nulla nisi facie velata coram eis compareant.*

Postquam in congregatione cardinalium reformatorum 13. Ian. 1554 (ab hora 24. usque ad 4. horam noctis) habita ex concilio Bononiensi quaedam ad reformationem regularium praesertim ad audiendas confessiones pertinentia selecta sunt (*Conc. 78* f. 255; confer infra canones 109-111), diebus 14., 15. et 17. Ian. 1554 omne opus in canonibus 103 et 105 de professione et novitiatu (*Conc. 78* f. 256^r-258^r et 263^r) consumebatur; deinde 18. et 19. Ian. canonibus 106, 107 et 113 (*Conc. 78* f. 259^r-262^r) et denique 20. et 21. Ian. illis de confessionibus audiendis, i. e. 108-112 manus imposita est (*Conc. 78* f. 264^r-265^r). Canones omnes tum compositi a Massarello scripti *Conc. 78* f. 189^r-191^r [= forma III] et, denuo correcti et in novum ordinem redacti, *ibid.* f. 192^r-194^v [= forma IV] extant, ita ut in codice a nobis adhibito nihil nisi tituli adiuncti paucissimaque verba mutata videantur. Quae ex formis III et IV ad rem pertinere videbantur, adnotavimus.

[2] Can. 103, priusquam die 17. Ian. 1554 in formam suprascriptam redactus est (*Conc. 78* f. 258^r), 14. Ian. 1554 aliam acceperat formam: *Licet per Bonifacium VIII et Alexandrum IV praedecessores nostros statutum fuerit tempus 14 annorum ad ordinis professionem emittendam* [c. 2 Non solum et c. 3 Constitutionem, de reg. III 14 in Sexto, Friedberg II 1051 sq.], *quia tamen (experientia docente) ea aetas non satis idonea visa est, ut quis ad tantum oneris ac vitae arctum vinculum se astringat, cum potissimum nostro tempore omnes fere per vim et metum se professos esse contendant, decernimus neminem de cetero ad professionem alicuius ordinis admitti debere ante annum 18. Quod quidem tempus eo congruentius atque decentius huiusmodi oneri suscipiendo videtur, quo ad sacris ordinibus initiandis, sit a sanctis canonibus praefinitum. Moniales autem nonnisi in 14. anno et coram episcopo loci vel superioribus suis (a quibus interrogatae, se libere et sponte professionem emittere velle respondeant) professionem emittant. Aliter vero facta professio nulla sit et invalida.* *Conc. 78* f. 256^r et denuo f. 180^r.

[104] Nemo ad habitum et professionem alicuius ordinis transferatur, nisi in eo perpetuo maneat[1].

Nemo cuiuscunque ordinis praelatus vel superior vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transferetur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiam si canonicorum regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax existat. |

396r [105] De modo recipiendi novitios et de novitiatibus instituendis ac aetate promovendi eos ad presbyteratus ordinem.

Ad effugiendas calunniae occasiones et murmurationes laicorum, et ut regularis vitae puritas omnibus appareat, curent diligenter generales et provinciales ordinum, ut novitiatus in cuiuslibet provinciae monasteriis, in quibus commode institui possunt, omnino instituantur, ⟨deputatis ibidem fidelibus et catholicis in divinis officiis quam in observantia regulari novitiorum instructoribus⟩ [a], utque nullus in monasteriis recipiatur, nisi prius habitum per novitios deferri solitum susceperit. Nec quisquam post susceptum habitum in monasterio, in quo novitiatus non sit [b], retineatur, sed statim infra decem dies ad monasterium, in quo sit novitiatus, mittatur. ⟨Et quo ad aetatem novitiorum recipiendorum et vestiendorum serventur constitutiones ordinis, ita tamen, ut nemo ad presbyteratum, etiam quorumcunque privilegiorum praetextu, ante 23. annum completum promoveri possit⟩ [c] [2].

[106] In quolibet monasterio tot recipiantur, quot sustentari possunt.

Ad evitandum pericula et detrimenta, quae victus et alimentorum inopia generare solet, superioribus ordinum [d] curae praecipue esse debet, ut in suis monasteriis tam virorum quam mulierum tot fratres ac tot sorores, quot poterunt sustentari, et non ultra recipiantur.

[107] De prohibita rerum proprietate et de non exercendis saecularibus negotiis.

Cum non sine magno piarum mentium dolore et scandalo intelligatur, complures religiosos ⟨spreto paupertatis voto, quod sponte emiserunt, ita interdum⟩[e] ab ipsorum professione declinare, ut eorum aliqui agros, vineas, domos, praedia aliaque bona immobilia et ad eorum monasteria pertinentia sub emptionis, conductionis, pignoris, census, usus, ususfructus seu aliis titulis ⟨possidere ac detinere et aliqui mercaturam quoque exercere non vereantur⟩ [f], praecipitur abbatibus, prioribus generalibus, provincialibus et aliis quibuscunque ipsorum religiosorum superioribus, ut quisque ipsorum pro sui officii debito omni diligentia curet,
396v ne | transgressiones et praevaricationes huiusmodi, etiam cuiusvis licentiae, permissionis seu indulgentiae praetextu, a suis monachis sive fratribus committantur, et hactenus commissae iuxta eorum regularia instituta emendentur et corrigantur, ita ut abbates, generales necnon alii superiores praedicti de officio eis iniuncto dignam Deo et apostolicae sedi possint reddere rationem, scientes, si in praemissis contemptores seu negligentes aut remissiores fuerint, ab officio se esse deponendos, sacris nihilominus legibus et constitutionibus tam a summis pontificibus quam ab ordinum fundatoribus de omnimoda proprietatis abdicatione, quae ita regularitati est annexa, ut sine ipsa abdicatione regularitas nullo modo stare possit, promulgatis quoad cetera in suo robore permansuris [3].

[a] *Conc. 78 f. 189v add. in marg.* [b] *Conc. 78 f. 192v del.* neque in novitiatu suae patriae neque etiam in monasterio, in quo sumpsit habitum [c] *Conc. 78 f. 192v add. in fine; del.* Et monasterium, in quo novitius sive (ut aliqui dicunt) oblatus susceperit habitum, contribuat arbitrio provincialis in expensis necessariis ad ipsum novitium sive oblatum alendum. [d] *Conc. 78 f. 192v del.* non mendicantium [e] *In minuta Conc. 78 f. 259r add. manu Pontificis* [f] *In min. Conc. 78 f. 259r add. manu Pontificis; del.* possidere ac detinere non ad commune (?) et publicum monasterii, sed ad privatum commodum, aliquos etiam peculium sive peculii administrationem, supra quam eis ad alendum necessarium sit, habere non vereantur

[1] Canon sumptus ex conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 11, dempto eius initio.

[2] In canone de novitiatibus, qui primum in forma II occurrit, cautum erat, ne novitii in novitiatu suae patriae vel, ubi habitum sumpserint, retinerentur. Sed cum Cervinus adnotavisset, hoc *difficile factu* futurum esse (*Conc. 78* f. 176v, manu propria Cervini), verba in forma IV deleta sunt. Similiter impellente Cervino can. 106 etiam ad mendicantes extendebatur; adnotaverat enim cardinalis (*ibid.*): *Addatur aliquid etiam pro mendicantibus, verbi gratia, ut provideant de victu et vestitu in communi sub pena.*

[3] Minutam die 18. Ian. 1554 compositam manuque Pontificis correctam vide *Conc. 78* f. 259r; aliam priorem *ibid.* f. 262r, in qua rerum immobilium proprietas vel usus sub quovis titulo omnino prohibita erat; quoad *mobilia* dictum erat: *Rerum vero mobilium ac etiam cellularum ipsorum monasteriorum usum nisi de licentia et ad nutum superioris quovis modo habere seu retinere ne audeant vel praesumant.*

[108] De idoneis ad confessiones audiendas deputandis.

Ad ⟨saluberrimum poenitentiae sacramentum administrandum per quod⟩ [a] homines ab errore ad veritatem, a peccato ad correctionem, ab iniquitate ad iustitiam, a reatu ad gratiam, ab interitu denique ad vitam revocantur, spectatae vitae, religionis et scientiae maturaeque aetatis ac bonae conversationis et famae sacerdotes, qui in circumstantiis peccatorum examinandis instruendisque et docendis ac pro uniuscuiusque qualitate corroborandis confitentibus, iniungendis denique poenitentiis diligentes, prudentes et cauti sint, eligi oportet. Propterea omnes, quibus eligendi confessores onus incumbit, quam exactissima utantur diligentia, ⟨ut idoneos eligant ad tantum ponderis sustinendum⟩ [b], scituri, quod si secus fecerint, sanguis ipsorum confitentium de suis manibus requiretur in die iudicii [1], et nihilominus gravissimas in hoc quoque saeculo, ⟨etiam suspensionis et depositionis ab officio, poenas incurrent⟩ [c].

[109] De licentia pro audiendis confessionibus habenda.

Nemo cuiuscunque ordinis, dignitatis vel gradus, etiam cuiusvis privilegii vel consuetudinis praetextu, in ecclesiis episcopo subiectis sine ipsius episcopi, in monasteriis vero et locis regularium | sine superiorum suorum expresso consensu et licentia in audiendis confessio- 397r
nibus se ingerat. Quicunque tamen in ipsis monasteriis sive ecclesiis regularium ad confessiones audiendas electus fuerit, priusquam confitentes audire incipiat, se coram episcopo, si in ⟨eo loco, in quo monasterium sit, praesens aderit⟩ [d], praesentare et ab eo benedictionem petere teneatur.

[110] Quaestores et girovagi confessiones non audiant.

Quaestores elemosinarum, quos quaestuarios vocant, qualicunque sint illi privilegio suffulti, ac presbyteri girovagi et ignoti nullo modo ad audiendas confessiones admittantur.

[111] De casibus reservatis et de prohibitione, ne in ipsa confessione aliquid quoquomodo petatur.

Caveat quicunque ad audiendas confessiones ⟨deputatus, ne⟩ [e], ⟨etiam praetextu alicuius generalis privilegii⟩ [f] in casibus sedi apostolicae vel episcopis reservatis, nisi in mortis articulo vel licentia et potestate prius habita, se intromittat, ⟨neque in ipsa confessione directe vel indirecte, etiam loco elemosinae, a confitentibus aliquid petat, neque pro satisfactione poenitentiali poenam aliquam pecuniariam sibi ipsi [g] persolvendam imponat⟩ [h]. Qui contra hoc facere praesumpserit [i], ab audiendis confessionibus atque etiam ab officio et beneficio arbitrio superioris suspendatur.

[112] Regulares tam mares quam feminae ter in anno confessorem pro libito sibi eligere valeant.

Ut sanctissimum [k] poenitentiae sacramentum pure, integre et cum animi ac conscientiae tranquillitate tam a regularibus quam a saecularibus recipi queat, ⟨et ne regulares ipsi ob metum et reverentiam superiorum suorum aliqua peccata confiteri praetermittant, quod interdum evenisse dicitur⟩ [l], habeant monachi, fratres et moniales omnes cuiuscunque ordinis, ter in anno, videlicet a prima die adventus usque ad ultimum diem octavae Nativitatis | Do- 397v
mini nostri Iesu Christi, et a primo die Quadragesimae usque ad ultimum diem octavae Pascatis, ⟨et a kalendis Augusti usque ad ultimum diem octavae gloriosissimae assumptionis Immaculatae Virginis⟩ [m] eligendi ⟨una vice in quolibet praedictorum temporum⟩ [n] presbyterum saecularem seu regularem, quem maluerint, cui peccata sua confiteantur, et a quo bene-

[a] *Conc. 78 f. 193v in marg.; del.* audiendas populi confessiones, quae [b] *In min. Conc. 78 f. 264r add. manu Pontificis pro* in eligendis iis, qui ad tantum ponderis sustinendum idonei sint [c] *In min. Conc. 78 f. 264r add. manu Pontificis; del.* poenas incurrent; libere enim permittitur tam laicis quam clericis denunciandi eos, qui minus idonei sint, episcopis et aliis superioribus ac etiam sedi apostolicae potestas [d] *Conc. 78 f. 190r add. in marg.; del.* sua ecclesia resederit [e] *Conc. 78 f. 190r corr. pro* deputatus fuerit, ut non nisi subiectos audiat neque [f] *Conc. 78 f. 193v add. in marg.* [g] *Conc. 78 f. 190r del.* confessario vel eius ecclesiae vel monasterio [h] *In minuta Conc. 78 f. 264r add. in marg.* [i] *In minuta Conc. 78 f. 264r del.* annis tribus [k] *Conc. 78 f. 197r corr. ex* saluberrimum [l] *In min. Conc. 78 f. 265r in marg. del.* quoniam ad aures nonnullorum pervenisse dicitur, quod ipsi religiosi et moniales praetermittunt saepius aliqua peccata sua confiteri propter metum et reverentiam superiorum [m] *In min. Conc. 78 f. 265r add. in marg.* [n] *Conc. 78 f. 194r add. in marg.*

[1] Cfr. *Gen.* 9, 5.

ficium absolutionis, etiam in casibus eorum superioribus reservatis, obtinere valeant, quovis instituto seu consuetudine, quacunque ordinatione, etiam sedis apostolicae auctoritate roborata, non obstante, amplam et liberam facultatem et potestatem.

[113] Monasteria monialium, quomodo visitari deceat.

Praelatorum vitam, quae norma, speculum et exemplum subditis esse debet, omni non solum criminis macula, sed suspicione carere oportet. ⟨Idcirco tam ordinarii locorum quam generales ordinum et alii quicunque visitatores, si monasteria monialium sibi subiectarum non nisi aliquibus probis viris, gravibus, provectae aetatis bonaeque famae ac vitae sibi adiunctis visitaverint, omnem prorsus calumniam et suspicionem, quantumlibet vanam, evitabunt⟩ [a].

[114] Protectores ordinum monasteria sibi subiecta visitari curent.

Protectores ordinum, in quorum integritate, pietate, solertia plurimum sedes apostolica merito confidit, omni studio curare debent, ut monasteria et loca eorum protectioni subiecta quolibet anno vel saltem biennio per aliquos probos et graves viros a se eligendos visitentur et, quae reformanda fuerint, reformentur. Et si qua invenerint, super quibus sit sedes ipsa consulenda, consulatur, ut opportuna ac morbis congruentia remedia, Deo suggerente et iuvante, adhiberi possint. |

[VIII. De interpretatione, usu et lectione sacrae scripturae].

398r [115] De interpretatione sacrae scripturae.

[Congruit cum decreto de editione et usu sacrorum librorum, conc. Trid. sess. IV, Conc. Trid. V 92, 4-10].

398v [116] De impressione sacrae scripturae et librorum de rebus sacris.

[Congruit cum eodem decreto conc. Trid. sess. IV, Conc. Trid. V 92, 11-27].

[117] Ne verba sacrae scripturae usurpentur ad prophana [b].

[Congruit cum eodem decreto conc. Trid. sess. IV, Conc. Trid. V 92, 28-34].

399r [118] Qui ad lectionem sacrae scripturae compelli debeant [1].

[Canones 118-131 congruunt cum decretis conc. Trid. sess. V de ref. c. 1 et 2, Conc. Trid. V 241, 15 sqq].

[119] Lectio sacrae scripturae, quibus in locis sit instituenda, et de ipsius institutionis ratione.

[Cfr. Conc. Trid. V 241, 25-38].

[120] Lectio grammatices (ubi scriptura haberi non potest) instituatur.

[Cfr. Conc. Trid. V 241, 39 – 242, 3].

399v [121] Lectio sacrae scripturae in monasteriis monachorum.

[Cfr. Conc. Trid. V 242, 4-6].

[122] Lectio sacrae scripturae in conventibus regularium.

[Cfr. Conc. Trid. V 242, 7-9].

[a] *Conc. 78 f. 190v in marg.; del.* Generalibus ordinum consilium datur, ut ad evitandam omnem prorsus calumniam atque suspicionem (quantumlibet vanam) monasteria monialium per viros probos, graves, provectae aetatis bonaeque famae ac vitae, non autem per seipsos (nisi necessitate urgente) visitent. [b] *Ar* Verba sacrae scripturae non usurpentur ad prophana.

[1] In codice ante can. 118 nova inscriptio inserta est: *De lectione et lectoribus sacrae* ~~scripturae, quam~~ ut in titulo partis VIII iam comprehensam omittimus.

[123] Lectio sacrae scripturae in gymnasiis publicis.
[Cfr. Conc. Trid. V 242, 10-14]. |

[124] Qui ad legendam sacram scripturam sint admittendi. 400r
[Cfr. Conc. Trid. V 242, 15-18].

[125] Privilegia docentium et studentium publice scripturae sacrae.
[Cfr. Conc. Trid. V 242, 19-21].

[IX.] De praedicatione verbi Dei.

[126] Episcopi praedicare tenentur. 400v
[Cfr. Conc. Trid. V 242, 22-30].

[127] Obtinentes beneficia curata quomodo et quando praedicare debent.
[Cfr. Conc. Trid. V, 242, 31-243, 5]. 401r

[128] Regulares ordinum, nisi probati et examinati ac licentia habita, praedicare non possint.
[Cfr. Conc. Trid. V 243, 6-12].

[129] ⟨Praedicantes errores, scandala aut haereses quomodo puniri debeant⟩[a].
[Cfr. Conc. Trid. V 243, 13-19].

[130] Regulares extra monasteria degentes et presbyteri saeculares quorumvis privilegiorum praetextu absque episcopi licentia non praedicent.
[Cfr. Conc. Trid. V 243, 20-25].

[131] Quaestores elemosinarum praedicare prohibentur. 401v
[Cfr. Conc. Trid. V 243, 26-29].

[132] Nemo praedicare audeat, nisi mittatur[b][1].

Et quoniam, ut inquit Apostolus[2], verbum Dei non nisi a misso praedicari debet, nullus ad huiusmodi praedicationis officium admittatur, qui prius de sua legitima missione non docuerit. Legitime autem missus ille dumtaxat intelligatur, qui, si clericus saecularis fuerit, a suo episcopo, si vero regularis, a suo generali vel eius vicario vel saltem a provincialibus seu etiam vicariis congregationum missus, deputatus et approbatus fuerit[c]. Ii autem, quibus potestas mittendi incumhit, omni diligentia curare debent, ut eos tantum mittant, qui aetate maturi, moribus graves[d], catholica denique doctrina ita praecellentes sint, ut ad tantum oneris obeundum digni atque idonei habeantur[e].

[a] *A1* Praedicantes errores, scandala aut haereses, quomodo puniri debeant. [b] *In min. supra lin. etiam* legitime missus fuerit [c] *Min. hic inserit* Qui autem, sive seculares sive regulares sint, sub obedientia suorum superiorum non vivunt, nisi licentia[m] a sede apostolica in scriptis manu summi pontificis dumtaxat signata[m] habuerint, quam nihilominus, priusquam praedicare incipiant, episcopis exhibuerint atque ostenderint, nullo modo praedicare valeant [d] *del.* animi et corporis dotibus ornati [e] *In min. del.* Quibus tamen praedicandi norma inferius descripta ab eis inviolabiliter observanda proponatur. Qui contra fecerint, et conscientiae suae et sedis apostolicae ultionem non effugient.

[1] Minutam vide *Conc. 78* f. 166r; breviorem formam nonnullis locis mutatam *ibid.* f. 167r. Cfr. etiam initium bullae de praedicatoribus p. 284 adn. 1.

[2] Cfr. *Rom.* 10, 15.

[X.] Ea, quae praedicatores verbi Dei potissimum [a] observare debent [1].

[133] Nihil contra sacram scripturam aut ea, quae ab ecclesia et conciliis recepta sunt, seu etiam contra catholicae ecclesiae consensum praedicetur.

Principio, cum ⟨praedicatores verbi Dei⟩ [b] iuxta apostolicam doctrinam illaesum servare debeant fidei fundamentum, quod positum est, quod est Christus Iesus, intelligant hoc tunc minime servari, cum adversus ea, quae in sacra scriptura habentur, aut adversus ea, quae ab ecclesia ⟨et universalibus⟩ [c] legitimis receptisque conciliis definita sunt [d] aut perpetuo catholicae ecclesiae consensu et concordibus sacrorum doctorum sententiis roborata, quicquam protulerint aut asseruerint. |

402r [134] Haereses non praedicentur.

Caveant igitur summopere primum, ne in ullam damnatam haeresim incidant aut varias et peregrinas doctrinas invehant in ecclesiam Christi.

[a] *F corr. ex* fere [b] *C F* ecclesiastici praedicatores [c] *F* per traditionem ab apostolis ipsis accepta aut ab universalibus [d] *F verbum* sunt *post* roborata *poni*.

[1] Iam die 4. Ian. 1548 Bononiae in congr. generali praesidens card. de Monte proposuit *praebere aliquam formam concionatoribus verbi Dei in praedicando* et legit *quandam* [formam] *conceptam Tridenti pro quinta sessione, sed non publicatam. Conc. Trid.* I 731, 40 sqq. 732, 8 sq. Nescio an sit illa « *forma* » eadem cum *Forma, quae data est praedicatoribus verbi Dei de iis, quae ab eis silentio praeteriri non debent*, quae conservatur *Conc. 78* f. 168r-172r; minutas vide *ibid.* f. 224r.

Tribus annis post, 16. Febr. 1551, quondam card. de Monte, nunc ut pont. max. Iulius III, secundum Massarellum *vacavit... cum card. Crescentio super conficienda bulla super praedicatione et confessione* (*Conc. Trid.* II 215, 19 sqq.), et die 19. Febr. 1551 *fuit congregatio Rev*morum *deputatorum in causa fidei coram S. S*te*, qui examinaverunt et concluserunt bullam, qua ponitur forma praedicatoribus et confessoribus. Conc. Trid.* II 216, 10 sqq. Haec bulla conservatur inter scripturas Cervini, qui erat unus ex deputatis in causa fidei i. e. inquisitoribus, Florentiae in Arch. Status *Carte Cerv. Filza 29* f. 90r-94v cum notulis ipsius cardinalis; cfr. *P. Tacchi-Venturi*, Storia della compagnia di Gesù in Italia I 1 (Roma 1931) 300 adn. 1.

Bulla, etsi « conclusa », nunquam edita esse videtur, formam autem praedicatoribus mandatam eisque praeceptam esse ex eo apparet, quod Minorum conventualium vicarius generalis eam anno 1552 omnibus ordinis sui praedicatoribus observandam transmisit, *Sbaralea*, Supplementum II 158 sq.

Nos « formam » sub littera F in apparatu adhibemus, bullam autem Cervinianam sub littera C; cuius tamen initium ut nimis prolixum hic adnecti liceat:

Quanta ecclesiae Dei inferatur labes ab iis, qui falsa fidei dogmata populo christiano pro veris praedicant, utinam sola ratione colligere, non etiam ipsa facti experientia persentire nobis daretur. Quis enim nesciat nihil esse tam naturae consonum quam, quo quidque vinculo colligatum fuerit, eodem (converso tamen modo) dissolvi? Ac propterea non esse mirandum, si, quemadmodum vera et sincera fidei praedicatio per apostolos et apostolicos viros fundavit, propagavit ac conservavit ecclesiam, ita contra praedicatio falsa ac pestilens illam labefactet, atterat et, si fieri posset, etiam destruat. Quod cum nostra hac tempestate evenire plus quam par est, non sine dolore et gemitu cordis perspiciamus et pro officio Nobis iniuncto (qui in B. Petri cathedra divina dispensatione sedemus) huic pernicioso malo ac tam late vaganti providere, quantum cum Deo possumus, teneamur, idcirco universis christiani orbis ecclesiarum praelatis sive rectoribus aut eorum in spiritualibus vicariis generalibus praecipimus et mandamus, ne aliquem ad praedicandum verbum Dei prorsus admittant, de cuius legitima [*Rom.* 10, 15] *missione rite ipsis non constet, cum scriptum sit: Quomodo praedicabunt,* | *nisi mittantur? Declaramus autem neminem, sive saecularis, sive regularis ordinis fuerit, legitime missum censendum esse nisi eum, qui iuxta huius nostrae sanctionis tenorem de se factam electionem fuisse ostenderit. Quo vero in electionibus faciendis maior cura diligentiaque adhibeatur, eorum quidem, qui sub regulari obedientia vivunt, illos dumtaxat censeri volumus legitime missos, qui a generali magistro sui ordinis aut ab eius vicario aut saltem a provincialibus seu vicariis congregationum missi fuerint, norma tamen infrascripta in praedicando semper servata. Saeculares vero aut etiam regulares, qui extra sui ordinis obedientiam degunt, sive habitum suae professionis gesserint sive non, absque expressa licentia manu Nostra propria dumtaxat aut successorum Nostrorum in scriptis habita et non aliter nec alio modo, ad huiusmodi praedicationis munus incapaces esse et haberi decernimus et declaramus, revocantes iam nunc omnes et singulas licentias antehac quomodolibet impetratas, quae manu Nostra propria aut praedecessorum Nostrorum subscriptae non fuerint. Eis vero, qui praedicatores mittendi potestatem habuerint, onerantes ipsorum conscientias praecipimus, ut nonnisi illos mittant, qui et moribus et doctrina praecellant, et qui ad tantum* | *munus obeundum idonei reperti fuerint, cum per aetatem, tum etiam per ceteras, quae ad id requiruntur, animi atque corporis dotes (quatenus humana ferat conditio) absque ulla personarum acceptione, eis nihilominus districte inhibentes, ut ne sic quidem ullum quovis modo mittere audeant, nisi prius praedicandi normam inferius descriptam eidem legerint aut legi mandaverint, ita ut, qui mittantur, audiant et probent seque illam observaturos prompto et constanti animo profiteantur. Quod si praetermissum fuerit aut aliqua ex parte minus servatum, intelligant et inobedientiam inprimis mittentium Nos nequaquam laturos et, quidquid ab ipsis praedicatoribus peccatum fuerit, id non tam illis quam mittentibus imputaturos. Ea vero, quae praedicatores docere omnino et nullo modo silentio praeterire debebunt, sunt fere infrascripta. Principio, cum ecclesiastici praedicatores* etc. similiter ut supra can. 133. *Carte Cerv. 29* f. 90r-91v.

[135] Ab inanibus quaestionibus et disputationibus praedicatores abstineant.

Caveant deinde, ne suam volentes ostentare doctrinam seipsos potius quam Christum Iesum praedicare videantur. Quamobrem ab inanibus quaestionibus et a ventosis disputationibus abstineant et, salutem dumtaxat animarum sibi proponentes, quae sunt populo christiano credenda, quae facienda et quae oranda, praedicent et explanent.

[136] Opiniones haereticorum, quando et quomodo in concionibus sint recitandae.

Caveant quoque praedicatores verbi Dei quantum possunt, ne opiniones haereticorum recitent populo, qui eas nesciat, ne diabolus inde sumat occasionem eos tentandi. Si vero in eo populo sermones habeant, ubi aliquos esse de haeresi suspectos intellexerint, illorum opiniones prudenter redarguent, non disputando, sed catholicam veritatem asserendo illamque ecclesiae sanctae, conciliorum et consuetudinis vetustatem approbatae necnon sanctorum doctorum ab ecclesia probatorum auctoritate confirmando; testimonia tamen scripturae sacrae ab haereticis adduci solita fideliter et conformiter aliis locis eiusdem scripturae et doctoribus sacris interpretentur. Neque vero sic ambiguo ac versuto sermone loquantur, ut ex auditoribus aliud unus, aliud alter intelligat, sed ita clare, dilucide et sine ulla aequivocatione aut amphibologia eorum sententias explicent, ut omnes omnino auditores unum et eundem sensum iure possint accipere. Neque adeo concise et obscure rem tractent, ut eius rei in privato colloquio et in cubiculo non somniculoso auditori tacite interpretationem promittant, nec tandem ita subdole ac frigide, ut facile se praevaricatores et ⟨causae veritatis fidei proditores ostendant⟩ [a].

[137] Articuli fidei in primis docendi sunt in concionibus ac etiam fidei fundamenta.

⟨Particulariter autem⟩ [b] in primis adversus omnes haereticos docendae sunt plebes articulos fidei, ⟨in quibus illud praecipue insinuetur, quod voluerit Deus in Christo omnem plenitudinem divinitatis | inhabitare [1] et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per 402v sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Praeterea⟩ [c] unam esse catholicam ecclesiam, columnam et firmamentum veritatis [2], et unum eiusdem ecclesiae ⟨sub summo capite Christo supremum caput, ipsius Domini nostri Iesu Christi verbo constitutum in terris⟩ [d], cum dixit Petro et in eius persona omnibus successoribus eius [3]: *Pasce agnos meos; pasce oves meas.* Et iccirco ipsam Romanam ecclesiam, quam Beatus ille apostolus cum Beato apostolo Paulo suo sanguine consecravit, et cui ⟨deinceps eiusdem Petri successor ac⟩ [e] Christi vicarius peculiariter praesidet, esse ⟨particularium omnium reliquarum ecclesiarum⟩ [f] matrem ac magistram et ab illa fidei confessionem omnes accipere ac tenere eiusque mandata reverenter suscipere ac servare debere.

[138] De peccato originali et iustificatione, quomodo sit praedicandum, ac etiam de libero arbitrio.

Et quoniam de peccato originali et libero arbitrio et de iustificatione contingit habere sermonem, sic eius peccati malignitas praedicanda est, ut non solum Manicheorum ac Lutheranorum, sed etiam Pelagianorum vitentur errores. Quod certe fiet, si nec liberum hominis negetur arbitrium, nec tantum eius viribus arrogetur, ut absque fide ac divino auxilio et gratia quicquam valere ad aeternam salutem dicatur, nec e converso sic deprimatur, ut negetur, divino assistente auxilio et gratia non cooperari ad recuperandam Dei dilectionem et ad meritum aeternae vitae. ⟨De ipso vero peccato originali⟩ [g] et de iustificatione eam praedicent et sequantur doctrinam, quae in Tridentino concilio declarata fuit [4].

[a] *Sic C F; Cod. noster falso* causam veritatis fidei prodere ostendent. [b] *C F* Verum ut ad particularia descendamus [c] *C add. in marg.; F* praeterea doceant [d] *C add. in marg.* [e] *C add. in marg* [f] *C* reliquarum omnium particularium ecclesiarum; *F* particularium ecclesiarum omnium reliquarum [g] *C* De peccato vero originali; *F* Et in summa de libero arbitrio, de peccato originali

[1] Cfr. *Col.* 1, 19 sq.
[2] Cfr. *1 Tim.* 3, 15
[3] *Io.* 21, 16 sq
[4] Sess. V et VI, *Conc. Trid.* V 238 sqq. 791 sqq.

[139] Quomodo sit praedicandum de virtutibus theologicis.

Item quia de virtutibus, praesertim quas theologicas appellant, tractare ecclesiasticum concionatorem oportet: Primum de fide christianis populis, non quasi infidelibus, tanquam
403r necesse sit eos denuo | renasci in Christo, sicut haeretici faciunt, sed quasi fidelibus loquantur, utpote iis, qui iam Christum induerunt, et oporteat eos iam fide et sacramento iustificatos etiam per observantiam mandatorum amplius iustificari et operari vitam aeternam. ⟨Est enim ab evangelii praedicatoribus illud divinum donum egregie commendandum, quod Deus ipse per Christum Iesum non modo peccata, quae contra legem commisimus, nobis condonaverit, sed etiam, quod divinum pariter donum charitatis copiose liberaliterque largitus fuerit, quo legem deinde implere possemus. Consequens autem est, ut, qui haec annunciat, de praeceptis quoque Christi, quae una charitatis lege continentur omnia et ad christianae vitae institutionem faciunt, explicet, ut non modo sciamus, quae remissa sunt nobis, sed quae agenda, quae devitanda; quibus divinorum munerum in omnes vitae partes rectum usum addiscimus⟩ [a]. Praedicent ergo aperte fidem sine charitate otiosam esse, et fiduciam quamlibet seu spem vanam omnino ad coelestis regni consecutionem [b], si bonis operibus non innitatur. Nec tamen sic bona opera extollant, quasi *condignae sint passiones huius temporis ad futuram gloriam* [1], nec sic extenuent, ut derogent divinae gratiae, qua fit, ut vitam mereantur aeternam, quia in Deo sunt facta. Hortandi ergo sunt auditores ad aemulandum illud nunquam satis laudatum charitatis donum, per quod fides vivit et operatur. Quod donum qui cum fide et spe habeant, ⟨potissimum praesidium⟩ [c] habeant ad salutem. Quo qui careant, si ceteras cunctas virtutes habeant, nihil habeant. Nec praetermittant praedicatores viam consiliorum et statum perfectionis in votis paupertatis, castitatis et obedientiae docere [d].

[140] De praedestinatione, quid praedicandum sit.

De praedestinatione vero, ⟨de qua Beatus Augustinus ait [2], facile, imo utile esse, ut |
403v taceatur aliquando verum propter incapaces, iuxta illud Domini [3]: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*⟩ [e], ut nemini suo sermone auferant spem salutis, sed iuxta scripturarum testimonia manifeste, clare ac diserte pronuncient, paratam cunctis esse Dei gratiam, qui illam oblatam non respuerint vel propriis sceleribus non demeruerint, quia sanguis Christi, quod attinet ad divinam largitatem, pro omnibus prorsus effusus est. Usurpet ergo sibi simpliciter et syncere apostolicam illam B. Pauli et dignam omni acceptione sententiam, obsecrantis [f] [4], *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, cum omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [g].

[141] De sacramentis et sacrificio missae, quomodo praedicari debeat.

De sacramentis autem tractantes meminerint apostolicae sententiae, qua definitum est, eos haeretica pravitate censeri pollutos, quicunque de sacramentis aliter sentiant aut doceant, quam Romana ecclesia observet et tradat. Illud vero [h] gravi et efficaci sermone ostendant, in eucharistiae sacramento verum esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, ⟨pane videlicet in corpus et vino in sanguinem Dei virtute transubstantiatis, ut nec plus sub utraque nec minus sub altera elementi specie miro modo sumatur. Quare et de
404r sacrificio missae efficaciter praedicent, in Novo | Testamento esse verum sacrificium veri corporis et sanguinis Christi incruentum, habens cruenti memoriam, quod et vivis et defunctis prodesse potest ad expianda peccata⟩ [i], et quod hanc fidem atque doctrinam, perpetuo ecclesiae usu roboratam, cuncti sancti patres, qui laudem aliquam in ecclesia consecuti sunt, suis traditionibus et commentariis et homiliis atque sermonibus manifestissime professi sunt

[a] *C om.* [b] *F add.* futuram [c] *C add. in marg.* [d] *C add.* atque ab apostatarum argumentis defendere, opponendo scripturas et pontificum canones sanctorumque sententias atque exempla, quibus facile adversantes obrui possunt. [e] *C om.* [f] *F* dicentis [g] *C hic add. et postea del.* Quare et de sacrificio missae *usque* ad expianda peccata. *Vide supra in textu.* [h] *C om.* [i] *C om.*

[1] *Rom.* 8, 18.
[2] De dono persev. c. 15 n. 40, *Migne* 45, 1017.
[3] *Io.* 16, 12.
[4] *1 Tim.* 2, 1-6 (non exacte iuxta Vulg.).

et diversis verbis contestati. Exhortentur autem valido sermone peccatores ad poenitentiam per contritionem, confessionem et satisfactionem — his enim partibus hoc sacramentum perficitur et recte secunda tabula post naufragium appellatur [1] — et eius moram periculosam et minime securam ostendant, memorantes apostolicum illud verbum [2]: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius.* Itaque esse quidem Deum in misericordia uberem valde, at nihilominus severum in iustitia, quum eius benignitas et patientia contemnitur. ⟨Ac denique ea de sacramentis praedicent, quae in sacro etiam Tridentino concilio explicata et declarata sunt⟩ [a] [3].

[142] De purgatorio et suffragiis pro defunctis.

Clare item et diserte declarent esse purgatorium post hanc vitam, quod et de scripturis sanctis elicitur et patrum traditione conciliorumque diffinitionibus comprobatur. Ibi animae defunctorum, quae cum Dei gratia ex hoc mundo migrarunt nec in vita pro admissis satisfecerunt, pro modo delictorum torquentur, segregatae interim a gloria Dei, donec vel omnino purgentur suppliciis vel per suffragia viventium adiutae in misericordia Dei releventur vel evadant. |

[143] De invocatione et imaginibus sanctorum, quomodo sit praedicandum. 404v

⟨De gloria quoque⟩ [b] sanctorum et eorum invocatione ac veneratione et cultu, ac similiter de adoratione et cultu imaginum et reliquiarum sanctorum corporum ea praedicent et praedicando confirment, quae ab ipsa antiqua et diuturna in cunctis catholicis ecclesiis consuetudine et a sacris conciliis comprobata sunt et confirmata.

[144] De indulgentiis, quae praedicari debeant.

⟨De indulgentiis denique⟩ [c] tractantes doceant, esse vere inexhaustum thesaurum meritorum Christi et Sanctissimae eius Matris ac ceterorum sanctorum, et huius dispensandi thesauri per indulgentias summum pontificem tanquam Christi vicarium plenariam habere potestatem, reliquos iuxta sibi ab eo taxatum modum. Per illas vero indulgentias vices debitarum satisfactionum impleri, ut poenarum debitum ⟨minuatur vel⟩ [d] extinguatur, iuxta modum in ipsis earum legitimis concessionibus praescriptum.

[145] Suprascripta forma praedicandi omnibus concionatoribus proponenda est ab eis inviolabiliter observanda.

Haec sunt potissimum, quae christiano populo ⟨non sunt celanda, sed praedicanda⟩ [e] et tradenda, quae ⟨cunctis praedicatoribus, tam saecularibus, quam cuiusvis ordinis regularibus, a suis praelatis exhiberi et proponi praecipitur⟩ [f] [4].

[146] De indulgentiis plenariis concedendis.

Indulgentias plenarias, praeter eas, quas summus pontifex in maioribus festivitatibus anni elargiri de antiqua consuetudine solet, non nisi raro et ex magna causa concedi tantumque thesauri erogari decet. |

[a] *C F om.* [b] *C F* Denique de gloria; *C et F hanc sectionem post illam de indulgentiis ponunt* [c] *C F* De indulgentiis quoque [d] *C om.* [e] *C* sunt praedicanda [f] *C* mandamus cunctis praedicatoribus tam saecularibus quam cuiusvis ordinis regularibus a suis praelatis exhiberi, ut iuxta illa sermones suos aptent et contexant, ea in suis contionibus non reticeant. *F* mandamus *etc. ut in C usque* exhiberi, ut ea in suis concionibus non reticeant nec silentio praetereant, cum ad salutem animarum sint necessaria.

[1] *Hieronymus*, Ep. 84 (*Migne* 22, 748), apud Gratianum c. 72 D. 1 de poen., *Friedberg* I 1179.

[2] *Rom.* 2, 4 sqq.

[3] Sess. VII, *Conc. Trid.* V 994 sqq. (sacr. in gen.; baptismus, confirmatio); sess. XIII (eucharistia) et XIV (poenitentia).

[4] Hic expliciunt codd. C. et F. De indulgentiis cfr. supra n. 33 et n. 55.

[XI.] ⟨Bulla S^{mi} D. N. Iulii III contra turbantes, impedientes, violantes ac usurpantes iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam necnon ecclesiasticas personas et eorum bona vexantes ac molestantes⟩ [a] [1].

405^r [147] Iulius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. ⟨Episcoporum omnium aliorumque inferiorum, quibus animarum est cura iniuncta, quieti et securitati, quantum cum Deo possumus, prospicere cupientes, ut in suis ipsis ecclesiis ac beneficiis residere⟩ [b] et ovium sibi commissarum, sublatis offensionibus atque iniuriis, quae interdum eorundem personis, iurisdictionibus rebusque et bonis, non sine magna episcopalis aut sacerdotalis dignitatis atque honoris laesione, in Dei et ecclesiasticae potestatis contemptum a diversis inferuntur, saluti incumbere valeant, piae memoriae praedecessorum nostrorum constitutiones:

[148] Constitutiones antiquae, quae innovantur [2].

Unam videlicet Clementis V [3], per quam ille eos, qui quemcunqueepiscopum iniuriose vel temere percusserint, aut ceperint seu banniverint, vel haec mandaverint fieri aut facta ab aliis rata habuerint, vel socii in his fuerint facientis, aut consilium in his dederint aut favorem, seu scienter defensaverint eundem, anathemati mucrone percussos esse declaravit aliasque gravissimas poenas adiecit; et aliam Innocentii II [4], qua in clericos, vel monachos violentas manus iniicientes anathematis vinculo voluit subiacere; et aliam Innocentii III [5], qua rectorum civitatum et aliorum, qui ecclesias et ecclesiasticos viros collectis et exactionibus
405^v gravare nituntur, praesumptionem sub anathematis districtione prohibuit; | et aliam Bonifatii VIII [6], per quam statuit, districtius inhibendo, ne quis impetratores literarum apostolicarum vel alios in foro ecclesiastico delegato seu ordinario litigantes seu litigare volentes [c] super causis ecclesiasticis, aut quae ad forum ecclesiasticum ratione personarum, negociorum vel rerum de iure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, per se vel per alium ⟨quoquo

[a] *A1 corr. in* Sequitur constitutio S^{mi} D. N. Iulii pp. III pro securitate residentium contra impedientes iurisdictionem et libertatem ecclesiasticam et personas ecclesiasticas offendentes sub plumbo expedita.
[b] *In min. f. 272ʳ* Quoniam et in hac ipsa reformationis parte, quam nunc promulgandum duximus, et in reliquis partibus, quas deinceps (Deo annuente) promulgaturi sumus, illud praecipue in mente habuerimus habiturique simus, ut episcopi ac ceteri, quibus animarum est cura iniuncta, in suis ecclesiis resideant
[c] *In forma II ª del.* sive ambae partes hoc voluerint sive una

[1] De bulla *Contra impedientes libertatem ecclesiasticam et turbantes iurisdictionem spiritualem* Iulius III iam primo pontificatus sui anno cogitabat (*Conc. Trid.* II 207, 21 sqq., 30. Dec. 1550), Venetorum forsan intuitu, qui inquisitoribus in causa haeresis iudices laicos adiunxerant (*G. Buschbell,* Reformation u. Inquisition in Italien [Paderborn 1910] 22 sqq.; cfr. etiam litteras Massarelli Beccadello scripta: 29. Nov. et 6. Dec. 1550, *Conc 146* f. 22^v-23^v, et *Conc. Trid.* II 220, 19 sq). Iterum simili de re locutus est in consistorio 28. Sept. 1552: *S^{mus} fecit verbum de publicatione bullae factae per S. S^{tem} contra impedientes executionem iustitiae* (cfr. n. 32, XVI). Quae bulla *facta a S. S^{te}* forsan ea est, quae *Conc. 78* f. 350^r-351^v traditur.

Cardinales pro reformatione deputati, cum mense Ian. 1554 reformationis bullam conficientes de tuenda ecclesiastica libertate cogitarent, canonem tantum *de insolentiis laicorum et turbatione iurisdictionis ecclesiasticae* condere in animo habebant (*Conc. 78* f. 266^r sub data 21. Ian. 1554); cfr. etiam *ibid.* f. 200^r inter ea, *quae remanent*, notulam: *De turbatione iurisdictionis et libertatis ecclesiasticae per laicos et principes saeculares. Moneantur ipsi principes saeculares, ut immunitates ecclesiarum observent et ab eorum ministris observari faciant.*

Sed paulis post diebus, i. e. 26. Ian., — utrum ipso Pontifice instigante, nescimus — iam de bulla deliberabatur, cuius minuta *Conc. 78* f. 272^r-273^r, exemplum a Massarello nitide descriptum *ibid.* f. 275^r-276^r invenitur, a nobis sub siglo forma II adhibita. Quae manu Pontificis propria correcta (*Conc. 78* f. 271 = forma II ª) die sequenti, i. e. 27. Ian. 1554, aucta est (*ibid.* f. 274^r = forma II ᵇ; cfr. etiam f. 352^v).

Codex noster tertiam sequitur formam (in apparatu = forma III), quae a Massarello descripta *Conc. 78* f. 164^r-165^v conservatur; cuius exemplum anno 1560, cum de petitionibus episcoporum ageretur (cfr. *Conc. Trid.* VIII 9 sqq.), Farnesio, Ferrariensi et Sabello cardinalibus *per manus* tradendum vide in Arch. Vat. *Carte Farnes. 5* f. 132^v-134^r. De violata libertate ecclesiastica Iulius III queritur etiam in instructione pro nuntio in Angliam mittendo Antonio Augustino, data 31. Ian. 1555, *H. Lämmer*, Mantissa 171.

[2] Titulos singularium constitutionum, a Massarello adiunctos, quia nexum disturbantes, praetermisimus.

[3] C. 1 *Si quis suadente* Clem. de poenis V 8, *Friedberg* II 1187 sq.

[4] C. 29 *Si quis suadente diabolo* C. 17 q. 4, *Friedberg* I 822.

[5] C. 4 *Non minus* X de immun. eccl. III 48 (*Friedberg* II 654 sq.) Alexandri III in concilio Lateranensi III, renovatum ab Innocentio III in c. 7 *Adversus* ibid. (*Friedberg* II 656).

[6] C. 4 *Quoniam* de imm. eccl. III 23 in Sexto, *Friedberg* II 1063 sq.

modo impedire praesumat⟩ [a], vel in foro saeculari de quaestionibus huiusmodi ⟨litigare compellat⟩ [b], nec ad praedicta facienda det auxilium, consilium vel favorem, et quemcunque contra haec praesumentem excomunicationi ipso facto subiacere decrevit; et aliam Honorii III [1], per quam statuta edita et consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem abrogari praecepit, ac statuentes ipsos et statutorum ipsorum scriptores et rectores locorum, ubi statuta edita fuerint vel consuetudines servatae, necnon et illos, qui secundum ea iudicare vel in publicam formam scribere iudicata praesumpserint, excomunicavit; itemque omnes et quascunque alias quorumcunque praedecessorum nostrorum summorum pontificum constitutiones [2] ⟨cum censuris ecclesiasticis et poenis in eisdem appositis⟩ [c] adversus oppressores ecclesiasticae libertatis ac offendentes ecclesiasticos homines eorumque iurisdictionem usurpantes vel impedientes seu bona ecclesiarum diripientes, ecclesiasticarum denique rerum sive personarum spoliatores, invasores, aggressores eisque vim ac violentiam et iniuriam inferentes editas et promulgatas, licet illae in sua maneant firmitate ac nulla prorsus nova corroboratione indigeant, quia tamen ex hominum praesentis saeculi memoria excidisse videntur et plerique eas se scire dissimulant, ut nemo | posthac ignorantiae praetextu se excusare queat [d], harum 406r serie approbamus, confirmamus et innovamus, atque ad notitiam omnium [e] solemniter deducimus.

[149] Nova constitutio Smi D. N. Iulii III contra saeculares potestates, ne in cognitione causarum ecclesiasticarum beneficialium, matrimonialium et spiritualium intromittentes, necnon statuta seu pragmaticas contra libertatem et iurisditionem ecclesiasticam promulgantes ac etiam illas procurantes et illis utentes.

Et [f] insuper, quia, sicut ex multorum querelis summo [g] animi Nostri dolore accepimus, in diversis mundi partibus apud saeculares potestates usque adeo crevit et processit audacia atque temeritas [h], ut nonnulli, spretis praedictis praedecessorum Nostrorum constitutionibus, in animarum suarum perniciem atque interitum non solum ecclesiasticas beneficiales et alias ad forum ecclesiasticum, ut praefertur, pertinentes, verum etiam matrimoniales ac spirituales causas per se ipsos audire et terminare seu aliis audiendas et terminandas delegare, ⟨litterarum apostolicarum tam gratiam quam iustitiam continentium executionem prohibere, citationes monitionesque virtute commissionum apostolicarum decretas impedire⟩ [i], partes collitigantes sive eorum alteram a prosecutione litis et causae suique iuris coram iudicibus ecclesiasticis delegatis seu ordinariis desistere, litibus et causis, etiam in Romana curia, legitime introductis et illarum reiudicatae et executioni et quandoque etiam iuri suo cedere, executoriales super litibus, etiam in sacri palatii Nostri auditorio obtentas, coram iudicibus saecularibus exhibere et praesentare et illis interea non uti, a censuris et poenis in litteris executorialibus [k] contentis et incursis absolutioni consentire seu propriis expensis eius ipsius, qui executoriales obtinuit, absolutionem impetrare, ⟨iudicum ecclesiasticorum⟩ [l] censuras per se aut alios latas revocare et eisdem inobedientes absolvere diversarum poenarum temporalium, etiam contra propinquos et affines, inflictione vel interminatione [m] cogant | et compellant; ⟨et quod 406v gravius est⟩ [m], super his ac diversis aliis abusibus diversas leges, ordinationes sive provisiones,

[a] *In forma IIa supra lin. manu Pontificis; del.* ad desistendum [b] *In forma IIa corr. a Pontifice; del.* litigandum per eorundem iudicum ecclesiasticorum vel impetrantium aut litigantium seu volentium litigare aut propinquorum ipsorum seu rerum illorum aut ecclesiarum suarum etiam captionem modisve aliis quibuscumque compellat seu compelli faciat vel procuret, nec per se aliosve impediat, quominus coram iudicibus ecclesiasticis delegatis seu ordinariis querelantes de causis, quae, ut praemissum est, ad cognitionem pertinent eorundem, possint libere iustitiam obtinere. [c] *In forma II add. in marg.* [d] *In forma II del.* de omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate ac nostra confisi in throno iustitiae sedentes ac ipsius Dei iustum et infallibile iudicium obtestantes [e] *In forma II del.* per praesentes, quas etiam vim canonicae monitionis obtinere decernimus [f] *Omnia usque ad verba* statuimus, decernimus ac declaramus *die 27. Ian. 1554 i. e. in forma IIb add.; del. in forma II* necnon eos, qui illis contravenerint (quacunque contravenientes ipsi dignitate, praeeminentia seu praerogativa praefulgeant) censuras et poenas in illis contentas incurrere volumus ac declaramus. [g] *In forma III corr. ex* non sine magno [h] *In forma III corr. ex* et ecclesiasticae disciplinae contemptus [i] *In forma III add. in marg.* [k] *In forma IIb add. manu Pontificis pro* ipsis [l] *Cod. falso* iudices ecclesiasticos, *dum in min. legitur* ecclesiasticorum [m] *In forma IIb add. manu Pontificis*

[1] In die coronationis Friderici II imperatoris (22. Nov. 1220) Honorius III leges eius pro immunitate, libertate et iurisdictione ecclesiastica confirmavit. *Bull. Rom.* III 375 sqq.; *Potthast*, Regesta pontificum Romanorum n. 6408.

[2] Praesertim in bulla *Supernae dispositionis arbitrio*, in sess. IX (5. Maii 1514) concilii Lateranensis V promulgata.

quarum aliquas vulgo pragmaticas vocant, contra iurisdictionem seu libertatem ecclesiasticam condere et promulgare non erubescant neque vereantur:

Nos honorem apostolicae sedis et ecclesiae iustitiam negligere nolentes ⟨considerantesque, quod violentos laicos cohercere, non contra legem est agere, sed legi facere subsidium⟩ [a], omnes et singulos ubilibet existentes ⟨provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum et locorum quorumcunque dominos⟩ [b], potestates, capitaneos, officiales, rectores, ⟨consiliarios et alios quoscunque⟩ [c] cuiusvis dignitatis, praeeminentiae, conditionis et status, qui tales iniquos actus perpetraverint vel perpetrari mandaverint vel scientes et prudentes in praedictis consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte dederint, ⟨ac nominatim et expresse eos, qui pragmaticas sanctiones praedictas promulgari quovis praetextu vel colore procurant et illis uti sive illis se confovere praesumunt⟩ [d], excommunicationis latae sententiae poenam de omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate ac Nostra confisi, in throno iustitiae sedentes ac ipsius Dei iustum et infallibile iudicium obtestantes, eo ipso incurrere per praesentes, quae etiam vim canonicae obtineant monitionis, statuimus, decernimus ac declaramus. Et si communitates vel universitates vel plurium simul convenientium magistratus in praemissis deliquerint, ultra censuras et poenas praedictas, quas eorum singuli incurrent, civitates et loca eorundem ecclesiastico interdicto ab omnibus strictissime observando subiicimus, decernentes eos, qui in
407r censuras et poenas huiusmodi quomodolibet inciderint | (praeterquam in mortis articulo constitutos) absolvi, et interdicta, sicut praefertur, apposita relaxari, nisi a Nobis aut successoribus Nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus, et praevia satisfactione requisita, etiam praetextu quarumcunque facultatum et concessionum ac indulgentiarum, etiam iubilei, etiam pro Cruciata sancta ac fabrica principis apostolorum de Urbe seu aliarum gratiarum apostolicarum, etiam confessionalium nuncupatarum a Nobis et a praedecessoribus ac successoribus Nostris [e] hactenus concessarum et imposterum concedendarum, ⟨minime posse, quibusvis privilegiis sub quocunque tenore, forma seu modo aut verborum conceptione concessis, quae contra praemissa nolumus alicui suffragari, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque⟩ [f].

[150] Executores generales huius reformationis et potestas, etiam in modo procedendi, eis concessa[1].

Parum est leges condere, nisi sint, qui eas observari curent. Nullis autem commodius consultiusve onus eiusmodi demandari posse censetur quam illis cardinalibus, qui pro tempore extirpandis haeresibus et sanctae inquisitionis negotio praefecti erunt. Habeant igitur cardinales ipsi [g] liberam plenamque pro eorum libito, nullo iudiciorum ordine servato omnique prorsus appellatione remota, ac tam ex officio quam ad [h] quorumcunque denunciationem vel querelam, per censuras ecclesiasticas et eorum arbitrii poenas his legibus et aliis, quas in posterum in reformationis causa promulgari contigerit, subiectos [i] ac praesertim eos, qui in suis ecclesiis et beneficiis residere tenentur, cum aperte constet, haereses ipsas tantopere invaluisse atque invalescere quotidie magis ob solam pastorum a suis gregibus absentiam, ad eas
407v observandum cogendi et compellendi, itemque appellationum, recla|mationum sive recursus aut alias quascunque causas coram quibusvis iudicibus desuper introductas ac forte etiam per ipsummet summum pontificem commissas seu committendas tanquam per dolum impetrantium atque obreptionem et subreptionem extortas, ad se advocandi, necnon tam partibus quam iudicibus quibuscunque sub censuris et poenis inhibendi, citandi denique et monendi, toties quoties opus fuerit, facultatem, auctoritatem et potestatem.

[a] *In forma III add. in marg.* [b] *In forma II[b] add. manu Pont.; del.* principes, duces, comites, barones [c] *In minuta II[b] add. manu Pont.; del.* civitatum, castrorum et quorumcumque locorum [d] *In forma III add. in marg.* [e] *In forma II del. hic* et a dicta sede sub quacunque forma et quocunque verborum tenore [f] *In forma II add. a Massarello alio ductu.* [g] *Conc. 78 f. 219r del.* virtute praesentis decreti [h] *Conc. 78 f. 218r del.* populorum sive capitulorum sive aliorum [i] *Conc. 78 f. 219r del.* ad eas observandum cogendi et compellendi auctoritatem et potestatem

[1] Canon 150 a Massarello descriptus, sed diversis locis emendatus, *Conc 78* f. 219r et sub titulo *In fine omnium capitum ibid.* f. 218r extat.

58.

[Reformatio, quae edenda erat per Iulium III pont. max. Forma B cum votis cardinalium].

[Mensibus Novembri et Decembri 1554].[1]

Romae Arch. Vat. *Arm. II tom. 40* f. 29^r-49^v, cop. coaeva, totam formam B continens; *AA I-XVIII n. 1593* (antea Arm. V caps. II n. 18) f. 1^r-17^r, copia facta sub Paulo IV pro *Rev^{mis} DD. Ostiensi, Portuensi, Tusculano, Albanensi. Mittatur per manus* (f. 6^v-18^v), continet can. 1-51; *Conc. 103* f. 121^r-130^r, cop. coaeva ex proprietate, ut videtur, cuiusdam cardinalis, continet can. 1-85. Nos secuti sumus usque ad can. 59 non suprascriptos codices licet uberiores, derivatos tamen, sed originalia ipsa vel exempla, quae inter scripturas ipsius Massarelli inveniuntur, videl. pro can. 1-5: *Conc. 79* f. 154^r-155^r, cop. sub Marcello II confecta; pro can. 6-18: *Conc. 79* f. 132^r-134^r, cop. sub Marcello II confecta; pro can. 19-30: *Conc. 79* f. 141^r-143^r, similiter sub Marcello II confecta; pro can. 31-51: *Conc. 78* f. 343^r-345^r, or. cum data 12. Dec. 1554; pro can. 52-59: *Conc. 78* f. 100^r-102^r, or; inde usque ad finem *Arm. II tom. 40*, adhibentes elenchum canonum, qui in Bibl. Vat. *Vat. lat. 11901* f. 1^r-6^r conservatur. Minutas aliasque formas praeparatorias suis locis adhibuimus.

Eiusdem ordinem sequitur forma B quem forma A, cuius partes supra enumeravimus.

[I.] De summo pontifice, de cardinalibus, de provisionibus ecclesiarum.

Can. 1: Quae summus pontifex praecipue curare debet[a 2].

Pontifici maximo canonice electo curae potissimum esse debet, ut ecclesiae unitatem conservet, *Conc. 79 f. 154^r* in extirpandis haeresibus invigilet, ecclesiasticam libertatem tueatur, pacem inter christianos componat, depravatos tam cleri quam populi christiani mores emendet, disciplinam ecclesiasticam restituat, dignos atque idoneos ad ecclesiasticas dignitates promoveat, subditorum tam in spiritualibus quam temporalibus salutem, quietem et securitatem procuret, iustitiam omnibus aequa lance ministret, bona temporalia etc. [*ut supra in forma A can. 1*].

Can. 2: De qualitate cardinalium creandorum.

[*Vide supra forma A can. 2*].

Can. 3: Duo fratres germani eodem tempore cardinales non fiant[3].

Pro bono regimine S. R. E. ac pro felici sacri collegii cardinalium directione, ne quod de quibusdam pro necessitate factum est, trahatur a posteris in exemplum, | praesenti 154^v decreto perpetuo valituro statuitur et ordinatur, ut nullus assumatur in S. R. E. cardinalem, qui sit frater germanus alterius cardinalis viventis, ita quod eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint, decernendo ac declarando fratres cardinalium viventium ad cardinalatus dignitatem penitus incapaces et inhabiles haberi et reputari, et ex nulla quantumvis urgentissima causa adversus hanc constitutionem dispensare licere.

Can. 4: Quae deceat a cardinalibus observari[4].

Oportet eos, qui cardinalatus honore funguntur, assidue meditari, quam vitam, quos mores postulet tantae dignitatis celsitudo, meminisseque sibi non minus oneris quam honoris esse impositum et omnium oculos in se esse coniectos, ac propterea summo studio eniti, ut tan-

[a] *Cod. hic add.* Canon primus. *Similiter apud canones 2-5.*

[1] Quoad tempus huius formae B vide, quae ad formam A supra n. 57 adnotavimus.

De prooemio in Massarelli scripturis nihil. Unde nescimus, utrum ex forma A transsumptum fuerit, ut in cod. *Arm. II t. 40* f. 8 legimus, an forma uberior ad n. 57 adnotata cardinalibus prae oculis fuerit, ut votum Saraceni demonstrare videtur.

[2] Minutam formae huius cum data 20. Nov. 1554 videas *Conc. 78* f. 337^r.

[3] Cfr. constitutionem in congregatione consistoriali 26. Ian. 1554 factam supra n. 32, XIX; cuius minutam habes *Conc. 78* f. 270^r et, quibusdam locis differentem, f. 269^r.

[4] Priorem huius canonis partem Iulius III pontifex ipse manu propria in hunc modum composuit 21. Nov. 1554 (*Conc. 78* f. 416^r):

Opportet ad cardinalatus dignitatem assumptos assidue meditari, quanta sit ipsius celsitudo dignitatis, [*non*] *minus oneris quam honoris sibi esse impositum et omnium oculos in se esse coniectos, ac propterea summo studio eniti, ut ecclesiam tanquam lucernae ardentes illustrent, bonum de se exemplum ac testimonium cunctis*

quam lucernae ardentes [1] ecclesiam illustrent, bonum de se exemplum cunctis hominibus praebeant, domum suam ac familiam bene disponant ac regant, pauperes ament et foveant, oppressos sublevent atque defendant, pontificem maximum, cuius membra sunt, in administratione pontificalis officii prudenter atque amanter coadiuvent eique libera cum amore et fide, omni saecularis potestatis metu temporalique favore seposito, consilia dent, aulas principum saeculi, nisi alicuius piae vel honestae causae necessitas urgeat, evitent, titulorum suorum ecclesias frequenter visitent et, quae noverint reparatione indigere, quantum in eis erit, tam in spiritualibus quam temporalibus resarciri et instaurari curent, alias ecclesias eorum administrationi commissas per idoneos saltem vicarios ac suffraganeos, qui ipsorum vices, dum illi absunt, plene supplere valeant, regi et gubernari faciant, ecclesiastica beneficia ad eorum collationem spectantia et praesertim ea, quibus cura est animarum adiuncta, benemeritis conferant, privilegiis sibi concessis minime abutantur, putantes fortasse ea, quae prohiben-
155r tur aliis, sibi permitti, | ita denique et domi et foris et in omnibus actibus suis se gerant, ut iure ac merito orbis christiani cardines appellari queant et in eorum operibus coelestis pater glorificari possit.

Can. 5: Cardinales plures ecclesias non habeant et absentes privilegiis non gaudeant et aliquo tempore anni ecclesias sibi commissas visitent.

Si qui cardinales plures ecclesias in titulum vel commendam seu administrationem aut alias quomodocumque obtineant, unam tantum ceteris dimissis retinere neque in posterum ultra unam habere valeant, sex episcopis cardinalibus, videlicet Ostiensi, Portuensi, Praenestino, Sabinensi, Tusculano et Albanensi, quibus permittitur, ut simul cum ea, ad quam quisque ipsorum intitulatus extiterit, alteram in commendam vel administrationem habere possint, dumtaxat exceptis. Et cum ad ipsos cardinales praecipue spectet summo pontifici in regimine universalis ecclesiae assistere, nisi apud ipsum summum pontificem aut de eius licentia apud ecclesias eis commissas resederint aut ex aliqua alia rationabili causa per ipsum summum pontificem in scriptis approbata abfuerint, nullis privilegiis cardinalium durante eorum absentia gaudeant. Et decretum piae me. Pauli III super hoc in sacro consistorio die 18. Febr. 1547 promulgatum [2] inviolabiliter observetur. Et quia sacer cardinalium senatus ex tam amplo numero constare dignoscitur, ut aliqua pars eorum sine universalis ecclesiae regiminis detrimento a summi pontificis latere et assistentia quandoque abesse queat, provida ipsius pontificis solertia curare poterit, ut aliquo tempore anni cardinales ipsi ecclesias sibi commissas per vices visitent et in eis resideant, ita ut eorum ministerium neque universali neque particularibus ecclesiis desit.

Conc. 79 f. 132r Can. 6: De qualitate promovendorum ad ecclesias cathedrales.

[*Vide supra A can. 3*].

Can. 7: Non dispensetur sine causae cognitione super qualitatibus promovendorum ad ecclesias cathedrales.

[*Vide supra A can. 5*].

Can. 8: De forma servanda in provisionibus ecclesiarum [a].

Antequam ecclesiarum cathedralium in sacro consistorio relatio fiat, cardinalis relator diligentem inquisitionem de vita et moribus promovendi ac ceteris requisitis cum testium fidedignorum, etiam ex officio, si opus esse putaverit, examinandorum [b] depositione faciat totum-

[a] *Totus can. in marg.* [b] *supra lin.; del.* recipiendorum

hominibus prebeant, domum suam ac familiam bene disponant, pauperes ament ac oppressos sublevent atque defendant, aulas principum saeculi, nisi alicuius pie cause necessitas urgeat, evitent...

Cetera magna ex parte sumpta sunt ex scheda, quae manu propria card. Cervini scripta erat:

Cardinales assumpti cogitent, ad qualem dignitatem et munus vocati sint, et quod tamquam lucernae in ecclesia omnibus bono exemplo esse debent, hospitali[tat]is, pauperum amatores et defensores. Summo pontifici sint subiecti et libera consilia sine aliquo respectu dent. Titulos et alias ecclesias sibi commissas frequenter visitent, et si qua reparatione indigent, resarciant et restaurent. Domi familiam modestam habere studeant. Beneficia benemeritis conferant et praesertim curata, nec ob id, quod cardinales sint, putent eis magis transgredi leges licere. Cod. *Vat. lat. 11901* f. 104v, cop. saec. XVII; cfr. *Raynaldum* a. 1554 n. 23.

Minutam integram Massarelli manu exaratam sub data *21. Nov. 1554 in sero* vide *Conc. 78* f. 338r.

[1] Cfr. *Io.* 5, 35.

[2] *Conc. Trid.* I 621 adn.; V 981 sq.

que processum tribus cardinalibus antiquioribus praesentibus, uni videlicet ex quolibet ordine, mittat et relationis die secum ad consistorium deferat, et | una cum ipsis tribus cardinalibus, 132^v
antequam proponere incipiat, summum pontificem de contentis in processu summatim informet. Nec ullo modo proponat, si promovendus, cum in curia praesens fuerit, maiorem cardinalium partem prius non adiverit [a], nisi tamen promovendorum qualitates ita sint summo pontifici et cardinalibus notae, ut hac diligentia uti minime necessarium esse censuerint. Cedula vero relationis seu provisionis non mittatur ad vicecancellarium, nisi fuerit subscripta manu relatoris et ipsorum trium antiquiorum cardinalium, neque aliter litterae expediri valeant.

Can. 9: Pluralitas ecclesiarum cathedralium prohibita.

[*Vide supra A can.* 9].

Can. 10: De dispensatione super retentione beneficiorum cum pro- 133^r
moto ad ecclesiam cathedralem.

[*Vide supra A can.* 8].

Can. 11: De episcopis titularibus non promovendis[1].

Episcopi titulares, qui aliorum episcoporum iurisdictionem non sine scandalo frequenter perturbant, posthac minime fiant, nisi suffraganei ecclesiarum seu personarum privilegiatarum, pensione ducentorum aureorum super fructibus ipsarum ecclesiarum eis ad eorum vitam realiter assignata, futuri sint; et qui in assignatione pensionis dolum commiserint, sint ab executione episcopalis officii ad sedis apostolicae beneplacitum ipso iure suspensi, et ipsi suffraganei neque extra ecclesiam et diocesim, cuius suffraganei sint, neque cum non subditis pontificalia exercere ullo unquam tempore valeant.

Can. 12: Pensiones cathedralibus tenuioribus non imponantur[2].

Ecclesiae cathedrales, quarum valor annuus quadrigentorum scutorum summam non excedit, pensionibus, etiam ex causa resignationis, minime graventur. Quae vero excedunt, nunquam ultra medietatem fructuum, neque etiam adeo gravari possint, ut 400 scuta integra praelato non remaneant. |

Can. 13: Accessus ad ecclesias cathedrales et ad monasteria consi- 133^v
storialia ac alia beneficia non concedantur[3].

Accessus tam ad ecclesias cathedrales ac monasteria consistorialia quam ad alia beneficia ecclesiastica quaecunque, qui non possidentibus concedi interdum consueverunt, nemini posthac, etiam cardinalatus honore fungenti, concedantur, et hactenus concessi ad ecclesias cathedrales ac monasteria consistorialia nulli, irriti ac revocati sint et esse censeantur.

Can. 14: Coadiutoriae ad ecclesias cathedrales non concedantur.

Coadiutoriae ad ecclesias cathedrales cum futura successione (certum enim est nihil aliud per eum, qui talem petit coadiutorem, quaeri, quam ut sibi in sua ecclesia successorem instituat) nullatenus concedantur.

Can. 15: Translationes regressuum, accessuum et coadiutoriarum ad ecclesias cathedrales et alia beneficia non concedantur[4].

Translationes regressuum, accessuum et coadiutoriarum tam ad ecclesias cathedrales ac monasteria consistorialia quam ad quaecunque alia beneficia ecclesiastica nulli prorsus, quavis etiam dignitate fulgenti, imposterum concedantur, et hactenus concessae nullae, irritae ac revocatae sint et esse censeantur.

[a] *In min. del.* ut ea, quae mox in relatione cardinalis de qualitatibus promovendi sunt audituri

[1] Minutam sub data 17. Nov. 1554, postea emendatam, vide *Conc. 78* f. 334^r:
Episcopi titulares, qui dignitati episcopali dedecori sunt et aliorum episcoporum iurisdictionem frequenter perturbant, nullo modo fiant, nisi suffragari ecclesiarum seu personarum privilegiatarum futuri sint, pensione ducentorum aureorum eis assignata vel nisi alias tantundem in redditibus habeant; et qui in assignatione pensionis seu reddituum expressione dolum commiserint, sint ab executione episcopalis officii ad summi pontificis beneplacitum suspensi.

[2] Minutam sub data 16. Nov. 1554 vide *Conc. 78* f. 333^r.

[3] Canon 13 die 19. Nov. 1554 compositus est; minutas vide *Conc. 78* f. 335^r-336^r.

[4] Minutam habes *Conc. 78* f. 337^r.

Can. 16: Ecclesiae cathedrales non resignentur sine causa.

[*Vide supra A can. 12*].

Can. 17: Reservationes prohibitae in resignationibus cathedralium[1].

134^r In resignationibus sive cessionibus ecclesiarum cathedralium ac | monasteriorum consistorialium neque pensio sive pars fructuum super medietatem neque administratio tam in spiritualibus quam in temporalibus reservetur resignanti sive cedenti, etiam si ipse cedens aut resignans cardinalatus honore praefulgeat.

Can. 18: Resignationes ecclesiarum concernentia non confirmentur extra consistorium.

Quaecunque ecclesiarum sive monasteriorum resignationes concernentia proponantur distincte et particulatim in consistorio et extra consistorium non confirmentur.

Can. 19: Neque cathedrales neque alia quaevis beneficia dentur in confidentiam.

[*Vide supra A can. 13*][2].

Conc. 79 f. 141^r Can. 20: Tempus, infra quod episcopi consecrari debeant.

Ad maiores ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a iure statutum suscipiant, et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur.

Can. 21: Promotus accedat ad ecclesiam suam.

[*Vide supra A can. 14*].

Can. 22-24: Causae episcoporum, quomodo et a quibus cognosci debeant.

[*Vide supra A can. 20*].

Can. 25: De residentia episcoporum et aliorum praelatorum.

[*Vide supra A can. 15*].

141^v Can. 26: Praecedentis decreti executio.

[*Vide supra A can. 16*].

142^r Can. 27: Episcopi residentes suos clericos etiam exemptos corrigere et punire valeant.

[*Vide supra A can. 76*].

142^v Can. 28: Nemo alienos clericos nisi cum proprii episcopi interventu cuiusvis privilegii praetextu punire possit.

[*Vide supra A can. 77*].

Can. 29: Episcopus residens de subreptione absolutionis a crimine, de quo ipse inquirere coeperat, vel remissionis poenae per eum inflictae cognoscat.

[*Vide supra A can. 84*][3].

Can. 30: De vita et honestate episcoporum et eorum familiarium.

[*Vide supra A can. 41*].

[1] *Conc. 78* f. 77^v invenitur forma prior, postea deleta: *In ecclesiarum cathedralium quarumcunque resignationibus neque reservetur pro cedente administratio in spiritualibus neque beneficiorum collatio neque fructus ultra medietatem. Quae comprehendat etiam S. R. E. cardinales.* Minuta formae posterioris supra exhibitae, composita die 19. Nov. 1554, invenitur *Conc. 78* f. 335^r-336^r.

[2] *Conc. 79* f. 134^r hoc loco alium canonem inserit: *Indulta conferendi beneficia ad alterius collationem spectantia nulli concedantur.* Qui tamen canon a nobis praetermittitur, cum nec cardinalibus, qui vota dederunt, prae oculis fuisse videtur, nec in elencho canonum, qui in codice *Vat. lat. 11901* f. 1^v invenitur, legitur.

[3] Hic inserenda erat constitutio de libertate ecclesiastica pro episcopis residentibus, quae in forma A can. 147-149 continetur; cfr. *Arm. II tom. 40* f. 19^v, *Conc. 79* f. 124^r et elenchum codicis *Vat. lat. 11901* f. 1^v (sub numero 28).

II. De ordinatione clericorum.

Can. 31: De ordinatione clericorum[1]. *Conc. 78* f. 343^r

Neminem clericali militiae ascribi decet, qui verisimiliter vitam clericalem [a] prosecuturus non sit. Cum tamen multi [b] hac tempestate ea solum ratione ordinari procurent, ut clericalibus [c] privilegiis gaudeant [d], ordinarii locorum, ⟨priusquam ad hoc alicui licentiam concedant⟩ [e], per diligentem indagationem vitae [f], intentionis ac morum ipsius ordinandi, etiam cum parentum vel consanguineorum ⟨si videbitur testimonio⟩ [g], talem in ea re sub onere propriae conscientiae curam adhibeant, ut illi duntaxat (quocunque, etiam apostolico rescripto desuper impetrato non obstante) clericali caractere honestentur [h], quos probabiliter ⟨crediderint militiam ipsam clericalem nullo unquam tempore deserturos esse⟩ [i].

Can. 32: De ordinandis in Romana curia[2].

Nemo posthac in Romana curia, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii seu licentiae praetextu, etiam statutis temporibus, ad aliquem ex sacris ordinibus a quoquam promoveatur, nisi prius ab Urbis vicario, sacrista apostolico ac magistro s. palatii examinatus et in scriptis ⟨sine ulla tamen impensa⟩ [k], approbatus fuerit. Nec ullus forensis, qui in Urbe domicilium non habeat, sine sui superioris licentia ordinetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum et ordinatus ab illorum executione sint tamdiu suspensi, donec ⟨ab ipsomet summo pontifice⟩ [l] beneficium absolutionis obtinuerint [m].

Can. 33: De ordinandis extra curiam et de facultatibus promovendi a quocumque non concedendis.

Extra curiam vero facultates, ut quis a quocumque catholico antistite promoveri valeat, non suffragentur nisi habentibus legitimam causam in litteris exprimendam, | ob quam a propriis episcopis ordinari nequeant. [*Reliqua ut supra A can. 22*]. 343^v

Can. 34: Episcopus in aliena diocesi ordines non conferat et pontificalia non exerceat.

[*Ut supra A can. 24*].

Can. 35: Episcopi titulares, etiam quorumvis privilegiorum praetextu, alienos clericos ordinare non valeant.

[*Ut supra A can. 26*].

Can. 36: Prohibitus [n] a proprio episcopo absque ipsius licentia ⟨a nullo⟩ [o] promoveri possit.

[*Ut supra A can. 25*].

Can. 37: Promoti absque licentia proprii episcopi suspendi possunt.

[*Ut supra A can. 27*].

Can. 38: Capitula cathedralium a ⟨sede vacante⟩ [p] litteras dimissorias ⟨infra annum non concedant⟩ [q].

[*Ut supra A can. 28*].

[a] *del.* ecclesiasticam perpetuo [b] *del.* plerique [c] *supra lin.* [d] *del.* non sine multorum et maxime principum saecularium querela et scandalo. Quapropter [e] *in marg.* [f] *del.* et professionis [g] *del.* suorum iuramento [h] *del.* insigniantur [i] *del.* credendum sit, ad superiores ordines et nullatenus ad vitam saecularem aspirare. [k] *in marg.* [l] *supra lin.* [m] *Conc. 79* obtinuerit [n] *supra lin.* [o] *supra lin.* [p] *supra lin.* [q] *supra lin.*

[1] Adnotavimus supra, quae in minuta *Conc. 78* f. 340^r sub data 8. Dec. 1554 emendata sunt. Canones 31 et 32 inveniuntur etiam inter eos canones, qui sub Marcello II separatim descripti sunt *Pro vicario Urbis* et *Pro sacrista apostolico*, *Conc. 79* f. 147^r-150^r, videl. ut ab illis examinarentur.

[2] Minutam sub data 7. Dec. 1554 vide *Conc. 78* f. 339^v.

Can. 39: Nihil omnino pro collatione ordinum accipiatur[1].

Quam sit detestabile pretio vendi vel comparari Spiritus Sancti donum, cum utriusque testamenti pagina tum sanctorum patrum sanctiones abunde testantur. Propterea caveant
344r episcopi, ne pro collatione ordinum aliquid omnino, etiam sponte oblatum, accipiant, | neque etiam de mercede notariorum, quae pro litteris testimonialibus solvi consuevit, quoquomodo participent. Qui secus fecerint, tam dantes quam recipientes ⟨simoniae poenas eo ipso incurrant et ultra divinam ultionem a superioribus⟩ [a] tamquam simoniaci severissime puniantur.

Can. 40: De aetate promovendorum ad sacros ordines.

In sacris ordinibus conferendis quoad aetatem servetur sequens constitutio Clementis V, ⟨etiam cum regularibus cuiusvis ordinis, eorum privilegiis sub quacumque forma seu verborum conceptione concessis (quibus in hac parte latissime derogatum sit) non obstantibus quibuscumque⟩ [b].

Constitutio Clementis V edita in concilio Viennensi[c 2]: *Generalem ecclesiae observantiam volentes antiquis iuribus in hac parte praeferri decernimus, ut (alio non obstante impedimento canonico) possit quis libere in 18. ad subdiaconatus, in 20. ad diaconatus et in 25. aetatis suae anno ad presbyteratus ordines promoveri.*

Can. 41: Facultates de non promovendo post annum non suffragentur.

[*Ut supra A can. 32*].

Can. 42: Tempus ad suscipiendos sacros ordines non prorogetur.

[*Ut supra A can. 31*].

Can. 43: Cum bigamis non dispensetur.

Cum vere bigamis nullo modo dispensetur, ut ordines sacros suscipere et beneficia ecclesiastica obtinere possint. Cum bigamis vero interpretative non ⟨dispensetur nisi ex⟩ [d] aliqua magna et rationabili causa publicam utilitatem concernente. |

344v Can. 44: Cum homicidis voluntariis non dispensetur.

[*Ut supra A can. 35*].

Can. 45: Non promoveatur ad ⟨sacros ordines⟩ [e], qui beneficium ecclesiasticum non habet.

Nemo saecularis clericus ad sacros ordines promoveatur, qui beneficium ecclesiasticum pacifice a se possessum non habeat, et nisi causa cognita, quod beneficium pleno iure ad eum spectet, ⟨ne cum ordinis dedecore mendicare ac divina ministeria sordide exercere cogatur⟩ [f].

Can. 46: Ad titulum patrimonii nullus ordinetur sine causae cognitione.

Ad titulum patrimonii non ordinetur [g] ille, quem cum causae cognitione non constiterit habere patrimonium verum et sufficiens ad ⟨sacros ordines⟩ [h] honeste sustinendos ac devotionis zelo collationem ipsorum [i] ordinum appetere.

Can. 47: Sacerdotes peregrini non recipiantur.

Sacerdotes peregrini atque incogniti nullibi, etiam in alma Urbe, admittantur ad divina peragenda ac praesertim ad missarum celebrationem, nisi ostenderint litteras testimoniales suorum superiorum et ab ordinariis locorum, ⟨in qualibus celebrare voluerint⟩ [k] examinati fuerint atque idonei reperti et per licentiam in scriptis, quae gratis concedatur, approbati.

[a] *add. in marg. In minuta del.* sint ipso facto... suspensi ab officio et beneficio... [b] *add. intra lineas, del. verbis ut supra A can. 30.* [c] *Inscriptio in marg.* [d] *supra lin.* [e] *supra lin.* [f] *add. intra lineas.* [g] *supra lin.* [h] *supra lin.* [i] *del.* sacrorum. [k] *add. in marg.; om. f. 386r, ubi totus canon in marg.*

[1] Minutam vide *Conc. 78* f. 339v.

[2] Cfr. supra A can. 30. Minutam aliae formae manu Massarelli exaratam habes *Conc. 78* f. 339r (7. Dec. 1554). Quae post primam phrasim ita prosequitur: *Nec adversus hanc constitutionem a quoquam quorumcumque indultorum, facultatum aut privilegiorum ex quacumque causa, etiam fidei, quibuscumque collegiis vel personis, etiam cardinalatus honore et legationis munere fulgentibus, concessorum pretextu dispensari possit.*

Can. 48: De habitu clericorum et beneficia ecclesiastica obtinentium.

[*Ut supra A can. 37*].

Can. 49: Clerici primae tonsurae, etiam non beneficiati vel coniugati, habitum deferant.

[*Ut supra A can. 38, add. in fine*: si deliquerint, etiam per saecularem potestatem etc.].

Can. 50: De vita et honestate clericorum servanda. 142r

Cum a summis pontificibus et a sacris conciliis tam generalibus quam provincialibus ab ecclesia receptis de cohabitatione cum mulieribus fugienda, de aleis, lusibus, saecularibusque negotiis minime exercendis, de vita demum, honestate, cultu ac moribus eorundem ⟨multa copiose ac salubriter⟩ [a] sancita sint, episcopi ea, ⟨quae in desuetudinem abiisse compererint, in usum revocari et⟩ [b] exacte observari curent, ne subditorum culpas incorrectas cum populorum scandalo deserentes animadversionis divinae vindictam in seipsos excipiant.

Can. 51: Commendatarii perpetui eisdem legibus et poenis subiaceant, quibus subiiciuntur titulares.

[*Ut supra A can. 40*].

III. De beneficiis.

Can. 52: Beneficia alternis mensibus per summum pontificem et episcopos conferantur[1]. *Conc. 78* f. 100r

Quoniam, sicut episcopi, qui ecclesias suas deserunt, nullam omnino [c] gratiam promereri videntur, ita, qui in suis ecclesiis resident ⟨ovium sibi creditarum curam gerentes⟩ [d], omni favore digni censendi sunt, et [e] ad tollendum litium occasiones, quae inter provisos a sede apostolica et ab ordinariis ob concursum oriri possent, ⟨parrochiales ecclesiae et alia⟩ [f] beneficia ecclesiastica saecularia alternis mensibus per summum pontificem et episcopos in suis ecclesiis actu residentes ⟨dignis et idoneis⟩ [g] conferantur. ⟨Et quoad ipsas parrochiales nulla generalis vel specialis reservatio, praeterquam vacationis apud [sanctam] sedem, liberam ipsorum episcoporum residentium in alternis mensibus (ut praefertur) collationem impedire queat⟩ [h]. Episcopi vero non residentes huius decreti privilegio minime gaudeant.

Can. 53: Indulta conferendi beneficia ad alterius collationem spectantia nulli concedantur et hucusque concessa revocentur[1][2]. 103r

Cum ecclesiastica beneficia nonnisi iis, quorum vita et honestas perspecta sit et cognita, conferri debeant, ac iure laetari possit, cui contingit, ut oves sibi creditas in viam pacis et salutis dirigere valeat, absque eo, quod pabulum alienarum ovium perturbet minimeque deceat quempiam in alienam messem falcem immittere, indulta conferendi beneficia ad alterius cuiuscunque, etiam inferioris collationem spectantia [k] nulli prorsus quantalibet dignitate, etiam cardinalatus, fulgenti, ⟨etiam si is, ad quem collatio spectat, consentiat⟩ [l], in futurum concedantur, et hactenus concessa ⟨praeterquam ex causa resignationis sive cessionis huius decreti virtute perpetuo et inviolabiliter duraturi⟩ [m] nulla, irrita et revocata nulliusque roboris vel momenti sint et esse censeantur.

Can. 54: Beneficia praesertim curata, quibus conferri debeant. 100r

[*Ut supra A can. 42, adiunctis Alexandri III et Gregorii X constitutionibus*].

[a] *add. in marg.* [b] *in marg.; del.* omnia [c] *B* prorsus [d] *B* et ovium... gerunt [e] *B corr. in* ac etiam [f] *B om.* [g] *add. in marg.* [h] *B* Et nullae reservationes (praeterquam vacationis apud sedem) nullaque indulta legatis ac nunciis apostolicis concessa vel concedenda liberam ipsorum episcoporum residentium in alternis (ut praefertur) mensibus parrochialium ecclesiarum collationem impedire queant. [i] *del.* sint irrita [k] *del.* ubicunque illa sita existant [l] *add. in marg.* [m] *add. in marg.*

[1] Alia forma *Conc. 78* f. 292r, in notis sub littera B.

[2] Canon 53 etiam *Conc. 79* f. 134r, sine emendationibus tamen.

101r Can. 55: ⟨Qualitates provisorum exprimantur in litteris⟩[a].

Ne saluberrima praecedentium constitutionum observatio impetrantium dolis eludatur, qualitates praedictae, videlicet morum, aetatis et scientiae, in litteris provisionis beneficiorum curam animarum habentium, etiam si ex causa resignationis aut permutationis provisio fiat, exprimi debeant. Et si litterae aliter expeditae fuerint vel qualitates ⟨morum et scientiae⟩[b] provisorum personis desint, ⟨provisi minime impediantur, sed⟩[c] ad sedem apostolicam recurratur, cuius erit provisionis suae modum statuere, indignos removere et eorundem loco subrogare idoneos. Quod si episcopi et quicunque alii collatores carnis affectum, non iudicium rationis sequentes, beneficia ⟨ipsa curam animarum habentia⟩[d] indignis, quibus[e] nec morum honestas nec scientia litterarum suffragetur, conferre praesumpserint, provisiones eorum irritentur, et ipsi a conferendi munere ad ipsius sedis beneplacitum suspendantur. ⟨Quoad aetatem vero praecedentes Lateranensis et Lugdunensis[1] conciliorum constitutiones observentur. Nec huic decreto per quavis clausulas generales, etiam amplissimas et latissime extendi concessas, unquam derogatum censeatur⟩[f].

103r Can. 56: Gratiae sub falsa expressione obtentae non revalidentur.

Impetrationes quaruncumque gratiarum sub falsa expressione aetatis sive alterius impedimenti per novas provisiones sive supplicationes[g] minime revalidentur, nisi supplicationes ipsae fuerunt manu propria ac motu proprio summi pontificis signatae[2].

101r Can. 57: Obtinentes beneficia curata cogantur ab episcopis ad residendum.

103r [*Ut supra A can. 62, additis in fine ab ipso summo pontifice Iulio III his verbis*: Atque huius decreti excutionem nulla, etiam ad sedem apostolicam appellatio retardare queat, donec de causis appellationis et gravaminibus cognitum ac determinatum fuerit].

Can. 58: ⟨Vicarii parrochialium ecclesiarum ab ordinariis approbentur⟩[h].

Quamvis[i] parrochiales ecclesiae per proprios rectores ⟨regi debeant⟩[k], si tamen[l] contingat earum regimen vicariis committi, nulli committatur, etiam in casibus a iure permissis, nisi ille prius ab ordinario loci diligenti informatione praecedente idoneus repertus et approbatus fuerit. Alioquin commissio huiusmodi nullius sit roboris vel momenti, liceatque ordinario de alio idoneo vicario eius arbitrio providere eique pro eius sustentatione congruam portionem fructuum ipsius parrochialis assignare. Nec huius decreti executionem aliquod privilegium vel exemptio seu appellatio retardare possit. |

102r Can. 59: Beneficia curata nonnisi linguam loci callentibus conferantur[m].

Praeconis officium beato Gregorio teste[3] suscipit, quisquis ad animarum curam exercendam assumitur[n], ⟨et rursus iuxta Apostoli doctrinam[4] in aera loquitur, qui per linguam certum sermonem non dederit⟩[o]. Propterea beneficia, quibus animarum cura est adiuncta, illis tantum conferantur, qui linguam illius loci, in quo ecclesia ipsa consistit, calleant. Et regulae de idiomate super hoc editae nunquam derogetur.

Arm. II tom. 40 f. 29r Can. 60: Nemo plura beneficia curata obtineat.

[*Ut supra A can. 44*].

[a] *del.* Praecedentium canonum executio [b] *add. in marg. pro* ipsae *del.* [c] *add. in marg.* [d] *add. supra lineam* [e] *del.* nec aetas [f] *add. in fine et in marg.* [g] *del.* in forma, quae perinde valere dicitur, vel alia quavis forma [h] *del. primo* Parrochiales ecclesiae per proprios rectores regantur neque vicariis nisi prius ab ordinario loci approbatis committantur; *deinde add. et rursus del.* Parrochialium ecclesiarum regimen non committatur [i] *add. in marg.* [k] *corr. ex* regantur et [l] *add. supra lineam* [m] *del.* et regulae de idiomate non derogetur. [n] *Gregorius* quisquis ad sacerdotium accedit [o] *in marg.; del.* et frustra clamat vel quasi tuba exaltat vocem suam ille, cuius praedicationis sensus ab audientibus propter linguarum varietatem percipi nequit.

[1] Vide can. 54.

[2] Massarellus post can. 56 haec adnotavit: *Omnes supradicti canones, qui quoquo modo episcopis iurisdictionem vel autoritatem aliquam tribuunt, intelligantur et locum habeant quoad episcopos tantum, qui actu in suis ecclesiis resederint, et quamdiu resederint. Conc. 78* f. 103r. Vide infra can. 158.

[3] Regula pastoralis p. II c. 4, *Migne* 77, 31.

[4] Cfr. *1 Cor.* 14, 9.

Can. 61: Dispensationes ad plura beneficia curata non concedantur.

[*Ut supra A can. 45*].

Can. 62: Obtinentes plura beneficia curata cogi possint ab ordinariis ad ostendendum suas dispensationes.

[*Ut supra A can. 46*].

Can. 63: De aetate ad obtinendas dignitates in cathedralibus.

Dignitates in cathedralibus vel principales in collegiatis necnon et regulares solitae commendari, etiamsi iurisdictionem non habeant, nulli ante 16. annum conferantur.

Can. 64: Doctorales et theologales praebendae nonnisi doctoribus et theologis conferantur.

[*Ut supra A can. 58*].

Can. 65: Regularia beneficia regularibus et saecularia saecularibus conferantur. 29v

[*Ut supra A can. 54, addito in fine a summo pontifice Iulio III, ut codex adnotat*: Saecularia vero beneficia eadem ratione saecularibus conferantur].

Can. 66. Hospitalia actu hospitalitatem servantia non commendentur.

Hospitalia actu hospitalitatem servantia, quae commendari non consueverunt, nullatenus commendentur. In commendatis autem ordinarii locorum commendatarios ad eam, ad quam tenentur, hospitalitatem servandam per censuras ecclesiasticas et eorum arbitrii poenas compellant, quacumque exemptione non obstante.

Can. 67: Beneficia regularia non commendentur.

[*Ut supra A can. 18 forma sub nota i) adnotata*].

Can. 68: Beneficia nullis pensionibus graventur.

Ut animarum cura diligentius ac commodius exerceri queat omnisque simoniae atque illicitae pactionis et occasio et suspitio tollatur, beneficia, quibus ipsa cura imminet animarum, tam per obitum quam ex causa resignationis aut alias quomodolibet vacantia nullis prorsus pensionibus in posterum onerentur.

Can. 69: Pensiones non imponantur super beneficiis non excedentibus valorem 24 ducatorum. |

[*Ut supra A can. 49*]. 30r

Can. 70: Pensiones non imponantur super distributionibus cotidianis.

[*Ut supra A can. 50*].

Can. 71: Faculta[te]s transferendi pensiones non concedantur.

Facultas transferendi pensiones etc. [*ut supra A can. 51*].

Can. 72: Reservatio denominationis, stalli in choro etc. nemini concedatur.

Facultas, ut aliquis resignans canonicatum vel dignitatem in aliqua ecclesia cathedrali collegiata possit sibi reservare denominationem, stallum in choro et locum in capitulo, nulli concedatur sine consensu capituli.

Can. 73: Regressus ex causa retrocessionis non concedatur[1].

Retrocessiones beneficiorum ecclesiasticorum cum reservatione regressus sive accessus pro eo, qui retrocedit, nequaquam admittantur.

[1] Aliam formam can. 73 vide *Conc. 78* f. 103r: *Resignationes sive cessiones beneficiorum ecclesiasticorum, quae iccirco fiunt, ut beneficia ipsa retrocedantur et retrocedenti regressus reservetur, nequaquam admittantur. Et si contingat eas admitti, nullum ius acquiratur cessionario et cedens quodcumque ius habet amittat, ita ut beneficium ipsum sit cessum tanquam certo modo vacans ac devolutum impetrari valeat.*

Can. 74: Cum simoniaco non dispensetur ad beneficia retinenda.

[*Ut supra A can. 60*].

Can. 75: Spurius beneficia patris vel in ecclesia, in qua pater est beneficiatus, non obtineat.

[*Ut supra A can. 59*].

30ᵛ Can. 76: Uniones perpetuae beneficiorum non fiant.

[*Ut supra A can. 64*].

Can. 77: Beneficia unius dioecesis non uniantur beneficiis alterius dioecesis.

[*Ut supra A can. 65*].

Can. 78: Beneficia quomodocumque unita visitentur ab ordinariis.

[*Ut supra A can. 66*].

31ʳ Can. 79: Beneficia quomodolibet exempta ab ordinariis visitentur.

[*Ut supra A can. 67*].

Can. 80: Hospitalia quaecumque, etiam exempta, ab ordinariis visitentur.

[*Ex conc. Trid. sess. VII de ref. c. 15, Conc. Trid. V 999, 8-12*].

Can. 81: Iuspatronatus quomodo acquiri seu obtineri possit.

[*Ut supra A can. 71*].

31ᵛ Can. 82: Patroni, cui praesentare debeant.

[*Ut supra A can. 72*].

Can. 83: Iuripatronatus laicorum non derogetur.

Iuripatronatus mere laicorum ex fundatione vel dotatione minime derogetur.

Can. 84: Praesentati ad beneficia ecclesiastica non admittantur, nisi fuerint prius examinati.

[*Ut supra A can. 70*].

Can. 85: Reddituum beneficiorum ecclesiasticorum distributio.

[*Ut supra A can. 74*].

[*In parte IV de auctoritate episcoporum in suos clericos canones 86-95 cum illis, quos upra in forma A exhibuimus, congruunt hoc ordine*

B 86 = A 75	*B 91 = A 85*
B 87 = A 68	*B 92 = A 83*
B 88 = A 69	*B 93 = A 80*
B 89 = A 78	*B 94 = A 81*
B 90 = A 79	*B 95 = A 82.*

In partibus V-X formae A, quae nunc canones 96-156 contineretur, adhuc nihil mutatum est. Pars XI, ut supra p. 294 adn. 3 adnotavimus, post can. 29 inserenda erat.

In fine canones sequentes ponendi erant:]

Can. 157: Concordata cum principibus et nationibus observentur.

[*Ut in forma A 1 supra ad can. 19 adnotata*].

Can. 158: Milites cuiusvis militiae privilegiis non fruantur, nisi actu inserviant[1].

Sicut omni rationi congruit, ut, qui pro ecclesia Dei labores quoquomodo sustinent, praemia condigna reportent, ita ab omni ratione alienum videtur, ut otiosi eorum, qui in vinea Domini laborant, honores atque commoda sibi usurpent. Propterea milites a spada vel Hierosolymitani seu cuiusvis alterius ordinis seu militiae privilegiis ipsius militiae, cui adscripti sunt, nisi in ea actu inserviant, minime fruantur vel potiantur.

Can. 159: Episcopi actu residentes tantum privilegiis ipsis in hac reformatione concessis potiantur.

Quia etiam ii dumtaxat episcopi, qui in ecclesiis suis resident et ovium sibi creditarum curam per seipsos et non per mercennarios exercent, specialibus gratiis atque favoribus digni censendi sunt. Iccirco omnes suprascriptos canones tam a concilio quam a nobis editos, qui quovis modo episcopis ipsis et aliis praelatis iurisdictionem, privilegium seu auctoritatem aliquam tribuunt, quoad eos tantum, qui in ecclesiis suis personaliter resederint, et quamdiu resederint, intelligi debere et locum habere volumus, decernimus ac declaramus.

Can. 160: Per clausulas generales non possit derogari huic reformationi. |

Ut autem omnia et singula in praesenti reformatione contenta vere et cum effectu ab 49v
omnibus observentur, a nemine sub quovis praetextu infringi queant, statuimus ac praesentis canonis vigore decernimus atque declaramus, per clausulas generales in supplicationibus vel litteris seu aliis in locis apponi solitis vel apponendis nunquam cuiquam ex capitibus in hac ipsa reformatione contentis derogari posse seu derogatum censeri.

Can. 161: Executores generalis huius reformationis.

[*Ut supra A can. 150*].

Vota cardinalium super tribus partibus reformationis ad eos per Iulium III pont. Opt. Max. transmissis 1554.

A. Card. Armagnac[2]:

Notulae eorum, quae addi minuive posse videntur decretis reformationis.

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 353r-355v, or.

[I. Notulae in primam partem reformationis].

In cap. 1: *Quae summus pontifex praecipue curare debet.* Addi potest, summi pontificis esse oecumenicum concilium tot annos iam coeptum ad optatum finem perducere et in eo decreta et sancita authoritate sua apostolica approbare nec ab eis recedere. Item, quod pontifex abstinere debet non solum ab alienatione, verum infeudatione rerum ecclesiasticarum, etiam si eae consuetae sint infeudari et cardinales omnes consentiant, secundum capitula iurata in conclavi[3]. *Conc. 78 f. 353r*

In cap. 2: *De qualitate cardinalium creandorum.* Addi potest, cooptationes cardinalium fieri non debere nisi in consistorio et de fratrum consensu, et creandos statim publicari nec in pectore aut alio secreto modo reservari debere, ex iisdem capitulis conclavis[4].

[1] Minutas canonum 158-160 Massarelli manu scriptas vide *Conc. 78* f. 163r.

[2] Georgius de Armaignaco, cardinalis creatus 19. Dec. 1544, antea orator Christianissimi regis in curia Romana; † 1585. *Van Gulik-Eubel* III 31; Dict. d'hist. et de géogr. eccl. IV 263 sqq.

[3] Cfr. *Conc. Trid.* II 35, 4 sqq.; conventionis illius articulus 12 dicit: *Item, quod nihil de bonis aut iuribus ecclesiae Romanae quocumque titulo vel quacumque de causa alienare possit, tametsi bona ac iura huiusmodi alienari vel infeudari consueverint, etiamsi omnes cardinales consenserint. Le Plat* IV 157 sq.

[4] Conventio etc., cap. 5 (*Le Plat* IV 156): *Item, quod in creatione novorum cardinalium tam quoad numerum quam quoad qualitates pertinebit nullo modo sacrorum et probatorum conciliorum ac Romanorum pontificum constitutionibus decretisque derogabit ipsosque cardinales creandos statim publicabit nec quemquam umquam eorum in pectore reservabit aut ullo alio modo secretum tenebit.*

In cap. 4: *Quae deceat a cardinalibus observari.* Expungi potest tota illa clausula: *Aulas principum* etc., quod nulla alia causa in obedientia sanctae huius sedis melius retinentur [principes] quam cardinalium praesentia et consilio. Quibus et ecclesiastica dignitas ornatur et, quam sit augustus et sacrosanctus hic senatus, demonstratur.

In cap. 8: *De forma servanda in provisione ecclesiarum.* Addi potest exceptio, quod haec constitutio non extendatur ad nominatos et praesentatos per principes laicos, qui ius nominandi habent, cum sit verisimile, non nisi qualitatum requisitorum eos praesentare voluisse.

In cap. 10: *De dispensatione super retentione beneficiorum cum promoto ad ecclesiam cathedralem.* Haec constitutio non debet extendi ad episcopos titulares tantum, cum eorum episcopatus nullam habeant animarum curam. |

353v In cap. 11: *De episcopis titularibus.* Addi potest huiusmodi episcopos non exercere pontificalia extra ecclesiam et dioecesim, cuius suffraganei sunt, nisi de consensu episcopi legitime absentis vel ita graviter aegrotantis, ut ea pontificalia ipse exercere non possit. Item ibidem *cum non subditis* addi debet: « Nisi illi non subditi litteras dimissorias a proprio episcopo habeant, non autem per signaturas, ut quotidie fit, aut per poenitentiariam ».

In cap. 14: *Coadiutoriae ad cathedrales ecclesias non concedantur.* Addi posse videtur « nisi quatenus a iure permittuntur », puta morbi perpetui et incurabilis aut senectutis decrepitae ratione etc.

In cap. 25: *De residentia episcoporum et aliorum praelatorum.* Addi potest « et quo episcopi ad residentiam facilius invitentur et exercendis piis operibus, charitati, hospitalitati, ecclesiarum instaurationi et aliis proniores fiant, sanciatur, ne residentium ecclesiae decimis, collectis, tributis aut aliis oneribus a quoquam gravari possint ». Item, quod beneficia curata, quibus imminet animarum cura, dispositioni episcopi residentis relinquantur nec virtute cuiusvis expectativae, reservationis, accessus vel mandati conferri possint.

In cap. 27: *Episcopi residentes suos clericos, etiam exemptos, corrigere et punire valeant.* Quia nulla fit mentio de clericis regularibus, monachis et religiosis cuiusvis ordinis, et tamen appellatione clericorum veniunt [?], videtur expungi debere illam vocem *saeculares*, ut hoc
354r decretum de omnibus intelligatur, aut saltem addi | debere, quod episcopi residentes in iurisdictione exercenda contra monachos cuiuscunque status vel conditionis cum ordinariis et propriis iudicibus concurrant, ut, qui prius cognoverit, iudicium integrum absolvat.

In cap. ultimo et 31 [1]: *De vita et honestate episcoporum et eorum familiarium.* Explicatius declarari potest hoc decretum circa vestitum, ut iniungatur clericis beneficia curata possidentibus aut etiam alia maiora, puta monasteria, prioratus conventuales, praeposituras et maiores dignitates cathedralium et collegiatarum, non nisi cum veste talari et clericali habitu incedere posse, quod etiam extendi potest ad quoscunque clericos ubicunque locorum habitantes sub aliqua poena per S. Stem declaranda.

[II.] Notulae in secundam partem reformationis.

355r In can. 33: *De ordinandis extra curiam* etc. Declarari posset verbum *facultatum*, ut intelligatur de facultatibus a quocunque, etiam impetratis per signaturas et poenitentiariam, alioqui erit nullus impetrationum finis.

In can. 40: *De aetate promovendorum.* Quo strictior esset constitutio, addi posset in fine constitutionis Clementina [2], neminem posse ante praefinitam aetatem dispensari, etiam a sede [apostolica], nisi causa cognita.

In can. 45: *Non promoveatur ad sacros ordines qui beneficium ecclesiasticum non habet.* Addi posset in rubrica « vel qui patrimonium ita amplum non possideat, ut ex illo honeste vivere possit », alioquin erit prohibitio generalis sine exceptione. Ibidem in textu declarari posset, cuius valoris esse debeat beneficium ecclesiasticum, quo promovendus provisus esse debeat. Nam si minoris valoris annui sit quam 24 ducatorum annuorum aut alterius pro qualitate loci et provinciae, ut inde victum sibi comparet, fiet, ut promotus cum magno ordinis dedecore mendicare cogatur.

[III. Notulae] in tertiam partem reformationis.

In can. 52: *Beneficia alternis mensibus* etc. Declarari posset, quod canon non intelligatur de episcopatibus, in quibus summus pontifex per regulas cancellariae iure ordinario et

[1] Card. Armagnac constitutionem pro securitate episcoporum residentium, quae hic inserenda erat, ut cap. 30 numeravit.

[2] Ergo in exemplis bullae, quae cardinalibus transmissa erant, Clementina non continebatur sicut supra in codice a nobis adhibito.

non solum per praeventionem providere | solet. Alioquin episcopi Franciae privabuntur 355v collationibus ordinariis per sex menses anni, quae ipsis iure communi competunt. Denique posset addi, quod in parrochialium ecclesiarum vacantium per obitum extra curiam provisionibus episcopi actu residentes non possint praeveniri apud sedem [apostolicam] nisi post mensem a die vacationis.

In can. 56: *Gratiae sub falsa expressione obtentae non revalidentur.* Exceptio posita in fine tolli posset et loco *nisi* poni « etiam si » *supplicationes manu propria aut motu proprio summi pontificis signatae sint.*

In can. 61: *Dispensationes ad plura beneficia curata non concedantur.* Addi potest in fine exceptio posita in Extravaganti *Execrabilis*[1]: « nisi sint illustres personae et sublimes, quibuscum ius dispensandum censet, ut honoratius vivant ».

In can. 64: *Doctorales et theologales praebendae* etc. Posset lucidius declarari, de quibus doctoribus loquatur canon, ne appellatione generali doctorum veniant medici et legistae, qui minus idonei sunt ad praedictas doctorales praebendas.

Post can. 71 in materia pensionum interseri unus canon posset de non redimendis pecunia pensionibus nec extinguendis nisi beneficio eiusdem aut maioris valoris, idque ad evitandum simoniae labem, quae passim grassatur.

B. [Card.] Perusinus [Fulvius Corneus][2].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 356r-357v, or.

Beatissime Pater! Esset proculdubio temerarium, non potius optime constitutum arbitrari, quicquid est B^nis^ V^rae^ et tantorum patrum iudicio confirmatum, quam aliud addendo vel minuendo velle quasi reformationem ipsam reformare. Sed iussus S^tis^ V^rae^ non solum omnes ab hac temeritatis nota vindicat, verum etiam, quod quisque sentit, ut libere exponat, quodammodo compellit. Cui ut ego quoque ea qua decet reverentia obtemperem, pauca haec circa exhibitos canones non tam dissentiendo quam dubitando annotanda duxi. *Conc. 78* f. 356r

Et primo circa can. 8[a]: *De forma servanda* etc. Dum dicitur *nisi tamen promovendi qualitates ita sint summo pontifici et cardinalibus nota* etc., videtur illa exceptio omittenda, et statuendum, quod constitutio generaliter omnes comprehendere debeat absque ulla exceptione, ne aperiatur via fraudandae legis, cum non imponatur promovendis tale onus, quod non possit ab omnibus facile sustineri, nec quisquam summo pontifici et DD. cardinalibus probatus assertam inquisitionem formidare debeat.

Super can. 15: *Translationes regressuum et accessuum et coadiutoriarum ad ecclesias cathedrales non dentur.* Primo videtur supervacanea mentio accessuum, cum per can. 13[b] penitus abrogentur. Secundo videretur forsan decentius, quod aut dicti translati regressus revertantur ad translatores, aut, si minus commode id fieri potest, quod dicta dispositio [effectum] obtinere debeat solum in futurum, tum ne inferatur praeiudicium illis, qui bona fide et auctoritate sedis apostolicae in huiusmodi expeditionibus sumptus fecerunt, tum etiam, ne deterioris conditionis sint | translatores, quia transferendo munificentiam exercuerunt, 356v quam illi, qui non transtulerunt, sed sibi retinuerunt.

Super can. 17: *Reservationes prohibitae in resignationibus ecclesiarum et monasteriorum.* Videretur forte illa dispositio temperanda respectu cardinalium, qui ob residentiam in curia et ad decorem dignitatis servandam gravia et proculdubio insupportabilia onera ferre coguntur, cum praesertim non sit credendum, quod cardinales resignent ecclesias vel monasteria viris benemeritis et sibi gratis, nisi eisdem vitae necessaria subministrent et aliquo modo provideant. Unde satis condecens videri posset, si statuatur, quod praedicti cardinales non possint in resignationibus reservare pensiones in favorem aliorum, quae excedant medietatem fructuum beneficiorum resignatorum, ne superveniente morte cardinalis resignantis resignatarius remaneat cum nudo titulo et oneribus ecclesiae et fructus ab extraneis pensionariis percipiantur; sed quod in persona propria etiam ultra medietatem fructuum cardinales

[a] *In marg. corr. ex* IX; *similiter in sequentibus* [b] *Cod.* XIIII.

[1] C. un. de praeb., *Friedberg* II 1207 sq.
[2] Fulvius (vel Iulius) Corneus (della Corgna), filius Iacopae, sororis Iulii III, episc. Perusinus, creatus cardinalis 20. Nov. 1551, † 1583. Van Gulik-*Eubel* III 35.

possent sibi pensiones reservare, non videtur absurdum ex supradictis rationibus, praesertim cum novum non sit nec inusitatum, ut quaedam specialia et praecipua in personis cardinalium statuantur.

Super can. 18: *Resignationes ecclesiarum concernentia non confirmentur extra consistorium.* Verbum *quacunque* videtur nimis latum, cum verisimile sit posse accidere aliquid circa huiusmodi resignationes, quod tamen non sit necesse aut in consistorio proponi aut consistoriali confirmatione muniri.

357r Super can. 21: *Promotus accedat ad ecclesiam suam* etc. Bona esset provisio, | si omnes promoti morarentur in curia, sed cum exempli gratia in Gallia consistens ad ecclesiam Gallicanam promoveri possit, non videtur, quod sibi debeat prolixius tempus concedi quam trahenti moram in Italia et promoto ad ecclesiam ultramontanam. Unde forte melius esset statuere, quod haberetur ratio temporis concedendi respectu distantiae, quae fuerit inter promotum et ecclesiam, ad quem quis promotus fuerit.

Super can. 22: *Causae episcoporum, quomodo et a quibus cognosci debeant.* Videtur imponenda aliqua poena tum iudici monenti episcopum aliter quam per canonem liceat, tum etiam moneri procuranti, alioquin constitutio facile negligetur.

Super can. 25: *De residentia episcoporum.* Videtur desiderari dilucida expressio superioris, per quem debeat fieri executio in fructibus amissis ratione non residentiae.

Super can. 28: *Nemo alienos clericos* etc. Esset exprimendum specialiter de legato de latere. Verendum est enim, ne nolint sub generali appellatione et dispositione comprehendi, et tamen expediret etiam illos hac lege teneri. Quod pariter videtur exprimendum in can. 36: *Prohibitus a proprio episcopo.*

Super can. 34: *Episcopus in aliena dioecesi ordines non conferat.* Dum statuitur, quod episcopus in aliena dioecesi permittente ordinario loci solum possit ordinare eidem ordinario subiectos, idem videretur ex causa permittendum de subiectis ipsius ordinantis in aliena dioecesi. Nam saepe accidit, quod episcopus sive metu principum saecularium sive peste
357v sive alia urgentiore causa ad proprium dioecesim | accedere minime valeat, quibus casibus non videtur probibendum, quin possit, praesertim permittente ordinario loci, proprias oves curare in aliena dioecesi, cum non possit in sua, quod ex tenore huius canonis etiam cum adiectione poenae videtur interdictum.

Super can. 49: *De habitu clericorum et beneficia ecclesiastica obtinentium.* Licet dicta dispositio videatur intelligenda, quamdiu quis in sua dioecesi versatur, tamen videretur hoc clarius exprimendum aut, si minus id dicatur, ita dicta dispositio temperanda.

[a] Stis Vrae humillimus servus et creatura
Fulvius cardinalis Perusinus.

C. Cardinalis de Carpo.

Arch. Vat. *Conc.* *78* f. 358r, or. autogr.

Conc. 78 f. 358r Ad cap. 3: *Duo fratres germani eodem tempore cardinales non fiant.* Ratio, quae contra fratres militat, videtur non minus contra fratris et sororis filios respectu patruorum et avunculorum militare.

Ad cap. 8: *De forma servanda in provisionibus ecclesiarum.* Valde probarem, ut in praecedenti consistorio notum fieret omnibus cardinalibus, qui essent promovendi ad ecclesias in futuro.

Ad cap. 20: *De tempore infra quod episcopi consecrari debeant.* Crederem opportunum esse penam aliquam iniungere contra decretum facientibus.

R[odulphus] cardlis de Carpo.

[a] *Hic incipit manus propria cardinalis*

D. Card. Compostellanus [Ioh. Alvarez de Toledo].

Arch. Vat. *Conc.* *78* f. 359r, or.

Beatissime Pater! Quae mihi addenda videntur in primo quaternione reformationis, haec sunt: In cap. 2: *De qualitate cardinalium creandorum*, quod incipit *In Sacrosanctae R. E. cardinalium* etc. Cum a iure non caveatur, cuius aetatis cardinales creandi debeant esse nisi solum in regula generali aetatis diaconorum et presbyterorum aliorum, qui non sunt cardinales, videtur mihi, quod, cum cardinales omnes tam diaconi quam presbyteri in electione summi pontificis habeant vocem, diaconis debere praefigi [a] terminum vigintiquinque annorum ad minus et presbyteris triginta, cum in tanta re, sicut est electio summi pontificis, nonnisi personae graves etiam aetate admitterentur. *Conc. 78 f. 359r*

Item in cap. 4, cuius titulus est: *Quae deceat a cardinalibus observari*, etiam addi debere, quod cardinales non sint in curia pontificis procuratores regum neque officium oratoris eorum agant, sed tantum protectoris, alia autem officia dimittant oratoribus regum, qui ea faciant, cum cardinales in suffragiis dandis debent liberi esse.

In cap. 27, cuius titulus est: *Episcopi residentes suos clericos, etiam exemptos, corrigere et punire valeant*, deberet etiam addi, quod vicarii seu officiales cardinalium, qui habent ecclesias commendatas, qui hic Romae resident vel in alio loco de mandato summi pontificis, possint corrigere et punire clericos etiam exemptos eodem modo sicut episcopi residentes.

S^tis^ V^rae^ humillimus servus
I[oannes] card. Compostellanus.

E. Card. Poggius [1].

Arch. Vat. *Conc.* *78* f. 360r-361r, or.

[I.] Circa primam partem reformationis.

Circa can. 4, in quo constituitur, ut cardinales in victu et moribus honestatem servent: Esset operae pretium commonere, ut reliqua omnia, quae continentur sub rubrica de vita et honestate clericorum observanda, praeciperentur, praesertim quae de vestibus et indumentis sancita sunt. Nullis sacerdotibus liceret, nedum cardinalibus, alienis vestibus quam pro vitae instituto decoris indui nec per vias laicis vestibus aut assumpta histrionica persona vagari. Quod si id non videatur dignum, ut in canones reformationis referatur, prospiciat saltem pontifex, ut ab omnibus observetur. *Conc. 78 f. 360r*

Circa [can.] 7, an sit dispensandum super aetate aut ceteris qualitatibus ad obtinendas ecclesias cathedrales aut metropolitanas a iure requisitis cum causae cognitione etc.: Nihil additur antiquis constitutionibus et nunquam deerit causa ad dispensandum. Videretur satius consultum, si exprimerentur in ipso canone causae, ob quas possent huiusmodi dispensationes concedi.

Circa can. 8. Ageretur tutius, si processus aut examen promovendorum ad ecclesias nec secretariis nec alicui alteri praeterquam cardinali relatori committeretur, qui examinaret testes et iis auditis praesens iuberet formare processum.

Circa [can.] 16, ubi dicitur: *Resignationes cathedralium ecclesiarum ne admittantur, nisi causa in consistorio examinata et approbata*, placeret magis, ut diceretur « ex causa iure approbata ».

Circa [can.] 18, quod *quaecunque ecclesiarum sive monasteriorum resignationes* etc. Oporteret etiam, ne concederentur nisi consistorialiter, si vacarent per obitum aut alias, ut vitaretur compositio. |

[II.] Circa secundam partem reformationis.

Omnia, quae in secunda parte reformationis constituta sunt, videntur sanctissima. Verum est perspiciendum, ne detur ansa saecularibus iudicibus et ecclesiasticis ordinariis litteras apostolicas interpretandi, nam cederet in vilipendium auctoritatis sanctae sedis, et propterea in aliquibus esset satius non providere, quam provisiones aliorum censurae subiacere. *361r*

[a] *Cod.* praefixi

[1] Io. Poggius ab a. 1527 collector et nuntius in regnis Hispaniarum et apud Caesarem (cfr. *R. de Hinojosa*, Los despachos de la diplomacia pontificia en España I [Madrid 1896] 70 sqq.; *K. Pieper*, Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen [Freiburg 1894] 81 sqq. 94 sqq.; *Nuntiaturberichte* I Abt. V-VII passim) creatus est cardinalis 20. Nov 1551, † 1556. *Van Gulik-Eubel* III 36.

F. Ioh. Andreas Mercurius card. Messanensis [1].

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 370^r, or.

Conc. 78 f. 370^r Super cap. 8: *De forma servanda in provisione ecclesiarum.* Ubi dicit, quod cedula consistorialis debeat etiam a tribus cardinalibus subscribi, putarem posse addi aliqua verba, per quae expensae ordinariae propterea non augeantur.

[Cap. 11]: *De episcopis titularibus non promovendis.* Cum nonnunquam contingat episcopum abesse aut ob aliquod impedimentum pontificalia exercere non posse, inconveniens (mihi videtur) non esset, si suffraganei de proprii episcopi seu eius vicarii licentia possent in aliena diocesi pontificalia exercere.

In cap. [15]: *Translationes regressuum.* Quia maximum praeiudicium infertur his, qui habent similes gratias et pro eis solutionem compositionis et aliarum notabilium expensarum onus subierunt, putarem sufficere, quod canon ille concerneret futura.

[Cap.] 27: *Episcopi residentes.* Cum cardinales in eorum ecclesiis residere non possint, ab re non esset, quod ipsi per suos vicarios visitarent et corrigerent exemptos, ne illis delinquendi occasio praebeatur.

Super cap. 28: *Nemo.* Putarem posse etiam addi, quod delinquentes et puniendi cum interventu sui episcopi etc. non extraherentur extra suam diocesim. Provideretur, quod episcopi non gravarentur expensis et incommoditatibus, aut quod delinquentes non defraudarentur tam salubri decreto.

[Cap.] 29: *Episcopus residens.* Videtur mihi esse nimis latum et amplum praecipere ob illa verba *aut veri taciturnitatem.* Igitur bene advertatur, ne pauperes subditi propter odium aut alias indebite graventur.

[Cap.] 34: *Episcopi in aliena diocesi.* Quia in multis diocesibus sunt etiam plures episcopo non subiecti, cum sint nullius diocesis, posset provideri, quod canon iste concerneret etiam istos exemptos.

[Cap.] 48: *Habitum clericorum.* Possent etiam in eo comprehendi regulares extra monasteria residentes, cuiuscunque ordinis et militiae fuerint.

Humillimus servitor
Io[annes] An[dreas] card^{lis} Messanensis.

G. Iohannes card. Moronus.

Arch. Vat. *Conc. 6* f. 432^r-433^r, cop. coaeva; Bibl. Vat. *Vat. lat. 11901* f. 128, cop. saec. XVII.

Conc. 6 f. 432^r In prooemio, ubi dicitur *si non plene, aliqua saltem exparte moremgereremus*, possent addi huiusmodi verba vel sensus: « Utiliora et priscae disciplinae viciniora decreturi Deo dante, quando horum, quae nunc decernimus, observatio invaluerit, et nihil propterea etc. ».

De summo pontifice [can.] 1. Ubi agitur de rebus sedis apostolicae non alienandis, viderentur addenda decreta irritantia etc.

De qualitate cardinalium [can.] 2. In hoc capite, quoniam dicitur non debere cooptari in collegium *nisi viros graves, doctos, modestos quique in disciplina ecclesiastica cum laude versati fuerint*, videtur adesse aliqua contradictio, ubi dicit, quod canones quoad aetatem uniuscuiusque ordinis observentur; nam qualitates in non agentibus ultra vigesimum vix reperiri poterunt.

[Can.] 3. Item videretur addendum, ne pontifices deinceps plus uno aut duobus ad summum ex consanguineis et affinibus suis possent cooptare in collegium, et hoc posset addi in capitulo, cui titulus est *Duo fratres germani.* Item, quod non possent eligi duo ex eadem familia, saltem usque ad tertium gradum inclusive. |

432^v *Cardinales plures ecclesias non habeant* [can.] 5. Addendum esset « cathedrales » et infra idem in eodem capite. Item decretum Pauli III [de] die 18. Februarii 1547 esset inserendum, quia non est omnibus notum. Item, ubi dicitur *solertia pontificis curare poterit, ut aliquo anni tempore resideant*, videretur dicendum « ut altero quoque anno vel tertio quoque anno tenerentur residere saltem ad sex menses, nisi ob causam rationabilem aliter a pontifice fuerit ordinatum ».

[1] I. A. Mercurius, antea secretarius Iulii III, creatus cardinalis 20. Nov. 1551, † 2. Febr. 1561. *Van Gulik Eubel* III 35; *Conc. Trid.* I 312 adn. 5; 843 adn. 5; II 350.

[Can.] 6: *De qualitate promovendorum ad ecclesias cathedrales*. Videretur ad tollendam generalitatem declaranda qualitas scientiae, ut scil. sit doctus in iure canonico vel in theologia, nam quandoque etiam profitentes astrologiae scientiam tantum facti sunt episcopi [1], et de huiusmodi scientia deberet fieri diligens examinatio tam in consecratione quam in promotione.

[Can.] 11: *De episcopis titularibus non promovendis*. In fine capitis, ubi dicitur *neque cum non subditis pontificalia exercere ullo unquam tempore valeant*, videretur addendum « nisi de licentia ordinariorum ».

[Can.] 18: *Resignationes ecclesiarum concernentia.* | Viderentur addenda decreta irri- 433r
tantia.

[Can.] 25: *De residentia episcoporum.* Hic excipiendi videntur nominatim cardinales, ne sit contrarietas cum capite 5, et spatium sex mensium videtur nimis longum.

[Can.] 28: *Nemo alienos clericos*. Videretur hoc caput limitandum «nisi habeant domicilium vel beneficia in ea diocesi, vel in eadem diocesi delicta, propter quae corrigi debeant, perpetraverint ».

[Can.] 32: *De ordinandis in Romana curia*. Ubi dicitur *nisi prius ab Urbisvicario, sacrista apostolico, magistro s. palatii*, addendum videretur « vel eorum altero », nam difficile erit unumquemque eorum adire.

[Can.] 51: *Commendatarii perpetui*. Ubi dicitur *quoad sacros ordines suscipiendos*, videretur addendum « ubi pervenerint ad aetatem idoneam ad suscipiendos ordines », plures enim sunt commendatarii pueri, qui nunc dispensationem habent a sede apostolica.

H. Ioh. Michael card. Saracenus.

Arch. Vat. *Conc. 78* f. 362r-369r, or.

Sme ac Bme Pater [2]!

Prohemium mihi summopere placet nec in eo aliquid tum materiae tum formae addendum censeo. Illud enim breviter accomodatis propriisque ac verum significatum habentibus verbis omnia complectitur, quae in toto reformationis opere decernenda erunt clausulamque illam praeservativam *salva semper sedis apostolicae* etc. necessario apponendam existimo, imitando Viennense post Nicenum concilia, licet Licinius papa in c. [1] *Urbes* 80. Dist. [3], et Innocentius III in c. *Cum a nobis* de test. [4] addiderint in clausula illa signum universale *in omnibus*, forsan ut apertius sedi apostolicae auctoritatem generaliter praeservarent ad removendas doctorum disputationes asserentium non semper indefinitum sermonem aequipollere universali, quod verbum *omnibus* si addendum erit, prudentissimo iudicio Stis Vrae remittendum iudico. | Conc. 78 f. 362r

Ut praeceptum et mandatum nobis iniunctum exequar, laborem meum in tres partes 362v
dividendum esse putavi:

Prima est considerare canones conciliorum in praesenti reformatione insertorum; secunda est considerare ea, quae sunt addita a Ste V. iam dictis canonibus; tertia vero parserit considerare, quae pro reformatione morum nunc statuenda erunt, cum non sit inconveniens (ut in concilio generali), quod iura humana secundum temporum ac morum varietatem mutentur.

Et circa primam partem nihil mutandum neque corrigendum censeo; fuerunt enim canones ipsi tot laboribus et assiduis cogitationibus orationibusque tot Smorum patrum cum invocatione ac Spiritus Sancti inspiratione elaborati ac promulgati, qui pro veritate omni perpetuoque aevo iusti et sancti haberi debent. Nunc nephas esset et absurdum, aliquid contra a me dici neque cogitari.

Idem etiam sentio in secunda parte circa ea, quae sunt addita canonibus a Ste V., cui soli data est a Domino potestas divina, nec non cuius proprium praecipuumque est, conciliorum canones corrigere, interpretari atque illis addere, praesertim cum considerem ipsas additiones iuri comuni esse conformes.

Sola tertia pars mihi remanet consideranda pro mandato et praecepto adimplendo, ad quam brevibus quam potero, quod sentio, divino auxilio mihi opitulante, dicam.

[1] Ex. gr. Lucas Gauricus, insignis astrologus a. 1545 ep. Civitatensis nominatus est. *Van Gulik-Eubel* III 183.

[2] Praetermisimus initium voti in generalibus tantum occupatum prorsusque lectori inutile.

[3] *Friedberg* I 279.

[4] C. 28 *Cum a nobis* X de test. II 20, *Friedberg* II 324 sq.

Quoad capita primum secundumque circa insinuanda ea, quae sunt a summo pontifice peragenda, propter verbum *debet*, quod de sui natura importat necessitatem, et ver- 363r bum *decet* in secundo capite positum, quod etiam in principe necessitatem | inducit, considerans apostolorum concilium, cui praesidens Petrus solum dixit [1]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, nec non omnia concilia praeterita, in quibus de reformatione tractatum fuerit, nihil tale invenio scriptum neque insinuatum, credo forsan patres sanctitatem in papa considerantes illumque pro libito suae voluntatis moderatorem omnium, etiam quod in tam sancto principe potestatis plenitudinem habente sola voluntas, praesertim in positivis, habetur pro causa. Nec me vidisse recolo in reformatione sub Alexandro III nec sub Innocentio III in generali concilio per 74 canones, qui fuerunt reformationis certe speculum [2], nec in concilio Constantiae celebrato, ubi etiam de reformatione aliquid tractatum fuit [3], in quibus nec verbum quidem de his, quae a summo pontifice agenda actaque fuere. Fortasse hanc insinuationem non fecerunt hoc forsan respectu; nam praeterita facta revocari non poterant, cum facta pro infectis haberi non possunt, et pro futuris videbant futurum summum pontificem alligari non posse, cum par in parem non habet imperium, praesertim in papa, in quo est divina potestas non arctanda nec limitanda. Solum illud Basiliense voluit os ponere in coelum, unde tot mala provenere, non animadvertens, quod Dominus rogavit et interpellavit pro summo pontifice, Petri successore, ne cadat [4], et si cadit, quia homo, peculiariter supponit manum, ne collidatur.[a] Posset esse, quod ex talibus verbis imposterum occasio detur malignantibus et correctionem effugientibus, sequendo, prout aliquando aliqui prosequuti sunt, errorem illum de papa scandalizante ecclesiam [5]. Relinquenda sunt arbitrio S^{tis} summorum pontificum, qui Domino redituri sunt villicationis rationem [6], et rogandus Deus semper a Christi fidelibus est, ut eos dirigat in viam salutis, et quae recta iustaque sunt, peragant [7]. |

363v Circa cap. 4: *De cardinalibus*, ibi: *omni saecularis potestatis metu temporalique favore seposito consilia dent.* O utinam hoc, quod scriptum est, observaretur in sede apostolica, et quam esset honorificum et utile animae et corpori! Etiam in ipsa reformatione dignum ac munus proprium erit S^{tis} Suae invenire modum atque remedium, ut consiliarii a B^{ne} Sua asciti ad hoc officium favoribus saecularium principum non innitantur nec sperent, nec ab alio dependeant quam a sede apostolica. Quod quidem remedium modumque facile erit, ut spero, a S^{mo} Domino inveniri. Non honorificum censeo, ecclesiarum inferiorum etiam minima capitula proprios reditus ad canonicorum et clericorum suorum propriam et honestam substentationem habere, Romanae ecclesiae vero siquidem cardinales, pars corporis sanctissimi sedisque apostolicae consiliarii, sacrum collegium, senatum ac Romanum pro toto orbe capitulum secundum gradus dignitatem a principibus saecularibus victum vestitumque honestum quaerere ac mendicare.

In cap. 5 ibi: *in eis resideant.* Haec verba possunt, ut iudico, si videbitur, expungi, nam sufficiunt verba praecedentia, quod cardinales per vices visitent, ea ratione: Nam cum cardinales sint obnoxii residere in Romana curia in suis titulis propriis, cum verbum residere sapiat perpetuam obligationem ac mansionem, impossibile videtur, quod possint de persona residere in curia in titulis propriis nec non in ecclesiis, quarum administratio eis commendata fuerit.

In [cap.] 8 in fine ibi: *nisi fuerit subscripta manu relatoris atque ipsorum trium antiquorum cardinalium.* Certe et quoad praesens caput et quoad cetera inferiora capita, in quibus tra- 364r ctatur de re tangente R^{mos} cardinales, non | dico morum reformationem ipsorum — absit, quod mores cardinalium sint reformandi, super quibus vertitur hostium, quod est potestas divina, Levitici enim ipsi sunt — sed, si reformanda sunt privilegia, indulta, facultates et gratiae eis ac unicuique ipsorum a Ste V. et ab aliis praedecessoribus S^{mis} ab immemorabili tempore concessae, cum ipsi sint in tam superiori gradu et pars corporis S^{mi}, non invenio quid praeteritorum conciliorum nec reformationum praeteritarum de cardinalibus facientium mentionem exemplum nisi Basiliense, quod infirmum fuit et iam laborat laborabitque semper

[a] Cod. collidetur

[1] *Act.* 15, 28.

[2] Revera concilium Lateranense IV nonnisi 70 canones condidit.

[3] Praesertim a sess. XL usque ad finem concilii, *Mansi* XXVII 1163 sqq.; tractatus de reformatione vide Acta concilii Constant. ed. *H. Finke* IV (Münster 1928) 539-936.

[4] Cfr. *Luc.* 22, 32.

[5] De quaestione, an papa ecclesiam haeresi, simonia vel schismate scandalizans accusari et deponi possit, uberrime agit adhibitis multis auctoritatibus *Dom. Iacobatius*, De concilio (Romae 1538) 510 sqq.

[6] Cfr. *Luc.* 16, 2.

[7] Cfr. orationem pro summo pontifice in appendice ad litaniam omnium sanctorum, in Rituali Romano tit. V, cap. 3.

suo morbo, a quo nec exemplum quidem sumendum arbitror. Si quae enim de cardinalibus reformanda seu in totum tollenda sunt, illa per decretum (ut fieri assolet) consistoriale agantur et reformentur cupio. Nec me movet aliquid reformatio facta in concilio Lateranensi ultimo [1], quia fuit facta tanquam non duratura, sed ut visum foret de facili illi derogatum iri, quod inconveniens censeo in tanta ecclesiae necessitate sub Iulio III pontifice maximo, non minoris prudentiae, doctrinae, potestatis ac sanctitatis quam ille magnus Innocentius III, cuius divina gesta adhuc apparent et florent in libro decretalium. Unde praedicta verba ultimo posita in dicto octavo canone dubito iudicari ad arguendum cardinalium praeteritorum delicta atque mendacia. Absit quod hoc in mentem hominis veniat, ut sedens in tam sancto et ampliori loco de Dei filio, qui veritas est, ad diabolum se transferat, qui mendax est et pater mendacii, mendacium et falsitatem committens aliter referat quam proposuerit. Cumque hoc cardinalis privilegium sit ab immemorabili tempore observatum, ut credatur illorum cedulis propria sua manu subscriptis nec non de hiis, quae illi de secreto mandato vivae vocis oraculo committuntur, non videtur de dignitate, ut de re tam manifeste coram S^mo et toto sacro collegio proposita assertioni et cedulae illius sine subscriptione aliorum cardinalium non credatur. | 364v

Similiter in cap. 13 ibi: *etiam cardinalatus honore fungentes et ultima.* Nollem in constitutione perpetua dignitas cardinalatus aliis inferioribus aequiparetur. Effugiendum erit illius conclusionis scopulum, quando plures casus sunt aequiparati in lege, quod postea statuitur in uno, ad aliud aequiparatum extenditur.

Idem dico in can. 17, in quo etiam considerandum censeo id, quod cardinales, qui titulati sunt in propriis eorum titulis Romae existentibus, residere dicuntur, at omnes alias ecclesias et beneficia, quae habent, illa habent tantum in administrationem et commendam. Et cum commenda non mutet statum beneficii, commendatarius tenetur conservare beneficium in statu, in quo fuit tempore commendae, et fructus non potest de iure facere suos nisi superfluos, retento statu beneficii. Si non poterit in cessionibus per eos faciendis reservare sibi neque administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus neque pensionem neque fructus super medietate, cardinales abstinebunt se a resignationibus et cessionibus faciendis, ut ne de pauperibus fiant ex eorum facto pauperiores, cum omnis ordinata charitas incipiat a se ipso, et erit contra charitatem Dei et proximi: Dei, quia in beneficiis eis commendatis ob eorum absentiam, si alii idonei non possunt loco ipsorum cardinalium in perpetuum subrogari, cultum divinum beneficiorumque reparationem negligi fiet necesse; proximi vero, nam cardinales ad evitandam paupertatem praesentem ac maiorem futuram dubitantes abstinebunt se a resignationibus, et sic abstinentes nobiles, literatos gravesque et probitate et doctrina praeditos viros de ecclesiis et beneficiis, quae habent, non erunt honestati [a].

Can. 18 loquens de confidentiis mihi summopere placet, et gratias ago Deo Optimo Maximo, qui illuminavit mentem S^tis V. ad hoc statuendum. | 365r Confidentiae enim ipsae sunt a iure reprobatae et in fraudem canonum introductae fuere insuperque simulatae sunt. Simulatio enim est contra veritatem, quae Deus est, nam unum agitur in corde et aliud in ore, quod contra praeceptum Dei est; ait enim *Matth.* 5, [37]: *Sit vester sermo simplex est, est; non, non.* Nam christiani proprium esse debet, quod os loquitur et pollicetur, et cor affirmet, et quod os negat, et cor neget [b] nihilque simulate agat neque loquatur. Et [sunt] in periculum animarum illorum, qui accipiunt fructus beneficiorum absque titulo. Nec a tali periculo est etiam cardinalis liber, qui accipit confidentiam; nam fructus beneficiorum non sunt simpliciter sui, sed sibi assignati, ut se suosque alat pro dignitate officii, reliqui vero debent distribui et debiti sunt pauperibus, quibus de iure debentur, et credo, quod non immunis erit a restitutione illorum, a qua, si liberaretur propter certam et expressam absolutionem et dispensationem papae, [excusabitur]; propter incertam vero ac dubiam, ut est papae tollerantia, iudico confidentem et illum [c], cui confiditur, sine dispensatione et expressa absolutione non excusari, praesertim cum non remittatur regulariter peccatum, nisi fiat restitutio ablatorum et male acquisitorum, seu ab habente potestatem cum eo dispensatum [sit].

Quoad constitutionem, quae continetur in cap. 30: Mea quidem sententia optima est et pulchra ac admodum considerata et necessaria pro ecclesiastica libertate tuenda, utque digne ac salubriter possint praelati curas sibi commissas exercere. Vereor tamen, quod cum ministris regiis censurae in ea appositae non sufficiant; vidimus enim constitutiones, etiam in

[a] *Sic cod.*   [b] *Cod.* negat   [c] *Cod.* illae

[1] Sess. IX (die 4. Maii 1514 celebrata), *Mansi* XXXII 877 sqq.; cfr. *Hefele-Hergenröther* VIII 605 sqq.

365v bulla Coenae Domini a felic. record. Clemente VII promulgatas [1], parum | profecisse, nam tam in Gallia (ut Rebuffus refert) [2] quam in Hispania, ut nunc in causa est [3], — et etiam tractatur in regno Neapolitano et ceteris provinciis — ipsi regii ministri pro tuenda et amplianda regia administratione, ut aiunt, vilipendentes [a] censuras, etiam ipso iure incurrendas, etiam cum comminatione, quod non possint absolvi ab earum incursu nisi a summo pontifice, non solum contra praelatos, sed contra hanc s^mam^ sedem conantur libertatem ecclesiasticam omnibus modis supprimere. Non permittunt etiam in causis mere ecclesiasticis laicos ad forum ecclesiasticum evocari, nec litteras apostolicas absque eorum *Placet* exequi, immopeius. Nam brachium saeculare impartitum post tres sententias conformes in auditorio Rotae latas et discussas a principio volunt, an fuerint recte riteque latae, discutere ac examinare. Unde, credo, bonum esset remedium, si S^tas^ Sua faceret, prout in regno Neapolitano fecit Honorius IV cum Carolo I et II [4], quod imperator augustus, Christianissimus rex ceterique Ser^mi^ christiani reges et principes per eorum publicam constitutionem perpetuo duraturam sub poena editam cum effectu mandarent regiis eorum ministris, ut non se intromitterent in causis ecclesiasticis, nec impedirent praelatos uti eorum iurisdictione, nec clericos gravarent hospitiis, gabellis, collectis ac aliis impositionibus, insuperque mandarent in regnis eorum, quod omnes laici solverent decimas curatis de iure divino debitas, ut clerici honestam vitam ducere divinoque cultui deservire possent, et si non omnem decimam, prout de iure statutum est, saltim aliquam partem loco decimae debitae. Quod si fieret, etiam lucrifacerent animas eorum decimam non solventium, quod certe, considerata necessitate clericorum ecclesiis deservientium, non sunt liberi a peccato. |

366r In cap. 39 ibi: *etiam sponte oblatum accipiant*. Cum accipere a sponte dante de iure non prohibeatur, sed tantum petere et exigere, desiderarem, ut reformatio ipsa, prout sonat vocabulum ipsum, conformaretur iuri communi, nec non negotium ad primaevam formam et candorem reduceretur. Vitanda sunt petitionis et exactionis signa, non autem acceptio a sponte dante. Supplex oro Deum omnipotentem, ut hoc annuat; effugiendum iudico illud, ne videamus humeris subditorum ea onera importabilia [im]ponere, quae patres nostri minime portarunt [5]. Facit ad hoc illud dictum, quod multa sunt, quae non debemus petere, oblata tamen possumus recipere, ne videamus contemnendo respuere.

In [cap.] 45 ibi: *quod beneficium pleno iure ad eum spectet*. Auferrem illam particulam *pleno iure*; sufficit enim dicere, quod superius fuit dictum, quod habeat beneficium a se possessum; poterit addi *pacifice*, cum incertum sit, quod beneficium pleno iure ad aliquem spectaret.

In cap. 51 desiderarem, ut etiam imponeretur aliqua poena, etiam privationis, commendatariis non servantibus commendas acceptas in statu, in quo sunt, quando illas accipiunt, cum, ut superius dixi, commenda non mutet statum, et commendatarii aliqui in praeiudicium animarum eorum in commendis regularium beneficiorum avaritiae causa expellunt proprios illius monasterii seu prioratus regulares, et loco illorum propria auctoritate ponunt clericos saeculares seu alterius ordinis regulares et forsan apostatas, ut ipsi et sui usque ad summum de fructibus commendarum utantur [b], unde et monasteria et regularia beneficia ipsa in collapsum et ruinam vadunt, et amplius regulares proprii ad talia beneficia nunquam revertuntur, cum postea beneficia illa commendata vadunt de commenda in commendam semper in statu mutato contra iuris dispositionem. |

366v Circa cap. 53 idem dicendum censeo, quod annotatum fuit in cap. 13 et 17 circa irritationem praeteritorum indultorum cardinalibus concessorum. Remittitur S^tti^ Suae prudentiae considerandum, si revocanda sint indulta et privilegia concessa vel ne.

In cap. 58 ibi: *et approbatus fuerit*. Censeo, bonum foret, si adderetur verbum « ab ordinarii superiore approbatus fuerit », nam provideretur, ut ordinarius immediatus examinaret, et si idoneum inveniret, admitteret et superior ordinarii approbaret, ut cautius et

[a] *Cod.* pilipendentes. [b] *Cod.* utentur

[1] Censurae contra violatores et perturbatores libertatis ecclesiae iam a Leone X bullae *In coena Domini* insertae erant, cfr. *Göller*, Die päpstl. Pönitentiarie II 1, 199.

[2] Cfr. *P. Rebuffus*, Bulla Coenae Domini S. D. N. Pape Pauli III etc. cum elucidationibus D. P. Rebuffi de Montepessulano (Parisiis 1537) passim. De auctore Petro Rebuffo, iurisconsulto Montispessulano, cfr. *F. v. Schulte*, Geschichte der Quellen u. Literatur des kanon. Rechts III 554 sq.

[3] Cfr. « Informatione del progresso fatto in Spagna sopra l'osservanza del concilio di Trento 1554 » *Conc.* 6 f. 37r-41r. De concertatione inter sedem apostolicam et coronam Hispaniarum tunc exorta alio loco fusius tractabimus.

[4] Honorius IV confirmavit constitutionem Caroli II regis Neapolitani de rebus ecclesiasticis a. 1285. *Raccolta di concordati* 86-88; *ibid.* 62 sqq. vide condiciones, quae Clemens IV investiturae Caroli I a. 1265 adiecit.

[5] Cfr. *Act.* 15, 10.

melius provideatur curae animarum ac occasio ordinariis indebitae recusationis seu admissionis vicariorum [seu] dilationis omnino removeatur.

In cap. 61 ibi: *nisi vere nobilibus*. Non alterandam iudico constitutionem Innocentii III in concilio generali c. [28] *De multa* [de praeb. III 5] [1], in qua deest illud verbum *vere*, et hoc faciendum censeo ad removendum lites ac provisionum et dispensationum nullitates. Nam data diversitate in iure a doctoribus nobilitatum; est enim nobilitas ex genere, scilicet ex genere et linea directa patris ascendente, proveniens etiam a quattuor lateribus, scilicet matre avia materna et paterna, nec non nobilitas ex genere non sic qualificata, ex literis, ex militia, ex principe, ex virtutibus aliis etiamque ex divitiis acquisitis secundum aliquos, et ex utroque, scilicet ex genere et virtutibus, quae communiter tenentur pro perfectiore, ita quod dubium sit, quis vere nobilis; et si ad ultimam referatur, scilicet ex genere et virtutibus, rari et pauci, quos Deus amavit, erunt. Optimum esset illud verbum *vere* derelinqui et loco illius ponere « literatis viris », quorum opera permaxime indiget ecclesia, ut in concilio generali dictum fuit [2].

In cap. 68: *De pensionibus non imponendis beneficiis curam animarum habentibus*. Animadvertendum censeo, quod, cum cura animarum in iure accipiatur stricte et large — cura stricte accipitur pro cura fori poenitentialis, quae consistit in potestate | remittendi vel reti- 367r
nendi peccata; cura large intelligitur de cura fori contentiosi, scilicet visitandi, corrigendi, multandi, puniendi, excomunicandi et absolvendi; est et [a] etiam alia cura iurisdictionalis fori contentiosi temporalis, quam etiam habere multa beneficia, licet non omnia, scio — bonum esset exprimere specialiter, de qua cura canon ipse loquatur; nam sic simpliciter loquens induceretur ambiguitas, quae in condenda lege exorbitans iudicatur. Nec non censeo declarandam esse quantitatem seu valorem redditum beneficiorum curatorum, quibus pensio non sit imponenda. Ac etiam considerandum erit, si illa verba *ex causa resignationis* sint expungenda seu delenda, cum videatur nescio quid, quod, qui resignat, cum sit clericus ac sacerdos et forsan senex infirmus vel alias non valens cura deservire, non possit pro suis alimentis aliquid sibi reservare.

Insuper considerandum erit: Nam licet pensiones secundum aliquorum opinionem habeant plus temporalitatis quam spiritualitatis, quia respiciunt fructus tantum, qui temporales fuerunt et sunt, examen ratione annexionis spiritualitati et consideratis beneficio, super quo debetur pensio, et persona, quae deservit beneficio, a qua debetur pensio, quae spiritualia omnia sunt, credo bonum esset ponere metam etiam principibus et potestatibus, ut pensiones, quae imponuntur ecclesiis, monasteriis et ceteris beneficiis ad eorundem nominationem, non assignentur militibus, qui eisdem servierunt in terrestri militia et forsan viris sanguinum ac irregularibus.

In can. 71: *De facultate transferendi pensiones*. Circa futura bonum est providere, ut aliquando beneficia ipsa exonerentur, nec non pro evitanda etiam dispositione beneficiatorum ad instar successionis, quae exosa est in beneficiis ipsis; sed auferre ab habentibus facultatem transferendi in articulo mortis iam concessam absque culpa facultatem habentium considerandum melius censeo, et aptius esse statuere aliquod tempus habentibus talem potestatem transferendi in articulo mortis, ut transferant in vita, alias talis facultas extingueretur; nam ipsi non privarentur tali privilegio iam concesso forsan propter merita, nisi ex propria eorum contumacia, si in vita non transferrent. Deusque S^tem^ V. servet semper incolumem.

S^tis^ [b] Vestrae humillimus servulus
Io. Mi[chael] card. Saracenus.

[Postscriptum].

Insuper puto esse praestandum aliquod remedium ad removendos tot abusus sepultura- 368r
rum tum respectu cadaverum, quae quotidie intra ecclesias contra iuris antiqui dispositionem [3] reconduntur, tum etiam respectu parrochorum et aliorum paciscentium et quasi vendentium sepulturas.

Et circa primum sancti patres ac maiores nostri nullo modo permittebant corpora mortuorum in ecclesiis sepelliri, et ad opus corporum incinerantium cymiteria sola constituerunt, in quibus etiam sancti summi pontifices et martires sepelliebantur. Permiserunt enim [c] postea, ex dispensatione tamen, aliquos episcopos, abbates aut presbiteros sanctos et

[a] *sic!* [b] *Hic incipit manus propria cardinalis* [c] *sic!*

[1] *Friedberg* II 477 sq.

[2] Videtur cogitasse auctor de decreto sess. V emisso, *Conc. Trid.* V 241 sqq.

[3] Cfr. c. 15 et 18 C. 13 q. 2, *Friedberg* I 726 sq.

paucos laycos fideles tantum intra ecclesias sepelliri. Sed tunc absonum iudicabant, et erat, ut quod omnes episcopi, abbates, presbiteri seu fideles catholici intra ecclesias sepellirentur. Nunc vero non tantum indifferenter omnes intra ecclesias sepelliri permittuntur, sed nemo in cymeteriis, quae iam consecrata sunt, nisi aliqui pauperes, qui sepulturam solvere nequeunt, sepelliuntur, et non tantum aliqui intra ecclesias sepelliri volunt, sed prope altare de facto et contra iuris dispositionem favoribus et pecuniis in divini cultus dedecus sepelliri audent et permittuntur, ubi reliquiae sanctorum et, quod maius est, ubi corpus Christi Dei et redemptoris nostri quotidie consecratur, qui magister, Deus et redemptor noster est, Dominus et creator sanctorum et omnium rerum, cuius reverentia et intuitu sancti patres in generalibus conciliis statuerunt atque decreverunt, ut cadavera fidelium prope altare minime sepellirentur. Nam layci etiam viventes secus altare, dum divina cantantur aut corpus Christi consecratur, stare non debent, quanto magis cadavera foetida et putrida prope sanctum sacramentum collocari impium iudicari decet. Immo quod peius et pessimum est, o monstrum abhominabile et horrendum visu, ex ambitione et superbia aliqui permittentibus praelatis, saltim conniventibus oculis etiam in hac alma Urbe tumulari audent et cadavera in sublimi loco ecclesiae ac altiori quam ipsum altare collocari. Altare enim illud sanctorum reliquiis honoratum repraesentat nobis Christum viventem, Deum ac Dominum nostrum necnon Dominum dominantium. Quae quidem inventio inimici diaboli est. Ausus alias fuit homines tentare in dedecus divini
368v nominis atque cultus, illam ut ponerent abominandam | Adriani statuam in templo in locoque arce adorandam, quae foetida non erat [1]. Nunc non pictura, non idolum marmoreum aut alias lapideum, sed corpora foetida et putrida in sublimi ecclesiae loco vanitatibus, pompis, signis ac vexillis, cum quibus Deum offenderunt, honorata, miranda et quasi adoranda collocantur, qui abusus serpens per totum orbem diffusus est, quod abominabilissimum certe est.

Idcirco providendum censeo, ne pro talibus praesumptionibus Dominus iratus plagas imponat populo suo, ut alias fecit, et qui non peccaverunt, periere. Prohibitum enim est saecularibus sacrarium, ubi vasa sacra et reliquiae sanctorum sunt, intrare. Si periculosa est praesumptio pro populo, ut saeculares vasa sacra tangant aut intrent sacrarium, quanto magis non dubitandum, quod indignatur Deus, quando non tantum prope, sed supra seu in superiori loco quam ipsum altare, quam ipsum corpus Domini sacratum collocatum est, cadavera sepelliuntur putrida. Talia enim et similia a praelatis, quibus a Domino et ab hac sancta sede commissa est sacrorum cura atque sacramentorum, non possunt permitti neque certe tergiversari sine laesione conscientiae dedecoreque ac scandalo bonis fidelibusque dato ab hac etiam sanctissima sede, quae cum aliarum sedium magistra sit, et potest prohibere et non prohibet. Et hoc, quod praesumptiones laycorum [attinet].

Quo vero ad presbiteros, parrochos seu curatos etiam providendum est, ne ipsi paciscantur neque vendant, prout communiter fit, terram pro sepelliendis mortuis, cum iam in conciliis Turonensi [2] et Lateranensi sub Alexandro III [3] et aliis summis pontificibus statutum fuerit, nihil pro sepulturis et sepelliendis mortuis, etiam praetextu cuiuslibet consuetudinis, exigi vel peti [a] debere. Condemnant enim illud et symoniacum esse decernunt omne id, quod pro sepultura exigitur et petitur. Idemque statuendum circa benedictiones regularium ac nubentium et aliorum, quae in ecclesiis fiunt, censeo, cum non sine labe symoniae atque peccati peraguntur. Ideo ab hac sanctissima sede, cuius proprium munus est abusus tollere, aliquod remedium inveniri convenit. Prospicio enim, quod hi abusus omnino remo-
369r verentur, si decimas de iure | eis debitas curati haberent, quibus tantum contenti esse debent, et non solutionibus ac exactionibus sepulturarum. Quae decimae, licet theologi dicant respectu quotae possint praescribi, stante cum quota secundum eos potius ex constitutione ecclesiae, quae de iure divino statuta sit, — tamen secundum communem canonistarum opinionem, quibus in his standum indubitanter est, et respectu totius, scil. quod decimae debeantur, et quotae, scil. quantae debeantur, de iure divino sint et statuta fuerunt. Quod cum hoc sit verum, non possunt praescribi, immo sine detrimento animarum, ubi ecclesiarum ministrorumque necessitas imminet, remitti ac negligi non posse iudico.

Submittens me nunc et semper atque omnia prudentissimo iudicio Stis Suae, cuius sanctissimos pedes humilissime deosculor. Vale.

Eiusdem [b] Stis Suae servulus obnoxius
idem cardinalis Saracenus.

[a] *Videtur corr. ex percipi* [b] *Hic denuo incipit manus cardinalis*

[1] Cfr. *Hieronymus*, Com. in Is. 2, 9, *Migne* 24, 49

[2] Concilii Turonensis a. 1060 celebrati c. 8, *Mansi* XIX 928.

[3] Sc. c. 9 et 23, *Mansi* XXII 230 sq..

V.

Documenta quaedam de reformatione ecclesiae sub Marcello II et Paulo IV.

V

Documenta quaedam de reformatione ecclesiae sub Marcello II et Paulo IV

59.

[Hieronymus Seripandus:] [1] Ricordi richiesti da Marcello II di santa memoria.

[Mense Aprili 1555].

Neapoli Bibl. Nat. *Cod. San Martino 425* (antea 293) f. 303ʳ-304ʳ, cop. coaeva; ed. *G. M. Monti*, Ricerche su papa Paolo IV Carafa (Benevento 1925) 325-328.

Rogatus a pontifice, quae ei de reformatione ecclesiae in genere et in specie videntur necessaria auctor exponit.

Non bisogna ch'io mi scusi dell'ardir qual'uso in scrivere questi capi et mandarli in altre mani che le mie, perchè oltre che mi sono condotto a questo per ubedire, assai sarò scusato non scrivendo concetti miei proprii, ma cose udite da persone di molta pietà, dottrina et autorità, et per la maggior parte da quella persona, alla quale si mandano. Ergo sit mihi fas audita loqui. *Cod. San Martino 425 f. 303ʳ*

Il concilio non sta ben così, perchè pare che non habbi havuto null'effetto, nè quant'alle cose della fede, le quali non so, [se] si sono ancor finite di decretare, et non essendo, ch'io sappi, confirmate dalla sede apostolica, non hanno quel vigore che bisognarebbe, nè quant'alle cose della riforma, della quale non è seguito effetto alcuno.

Per conto delle cose della fede non par bisogno di rinovar concilio, perchè li decreti fatti la prima volta a Trento con quelle cose, che forno discusse et concluse a Bologna [2] contengono sufficientemente il tutto. Forse che bastarebbe publicar ogni cosa insieme con la confirmatione della sede apostolica, perchè rinovando il concilio non sarebbe altro che perder tempo, conciosia che non vi converrebbeno se non o quelli istessi prelati, che vi forno già, o loro simili, dalli quali non si potrebbe concluder altro nelle cose della fede di quel ch'è già concluso, cioè la verità.

La riforma ha bisogno più d'essecutione che de canoni, et però ha più bisogno del braccio del principe essecutivo, che della consulta del concilio, et massime nelle cose, che sono apertamente male et per commune giuditio vituperate. Et intorno a questo pensiero io stupisco dell'admiranda providenza di Dio, che essendosi già 20 anni parlato caldamente di questa riforma con aperta confessione che n'habbiamo bisogno, non ne sia seguito fatto alcuno per riservar la cosa integra a questi tempi, ne' quali non venendosi a fatti, puramente

[1] Seripandum (cfr. supra nn. 12 et 17) esse huius tractatuli auctorem, non Theatinum quendam, ut *Monti* l. c. 323 opinatus est, haec suadent argumenta:

1) Certo scimus Seripandum a Marcello II esse monitum, ut, quae ei de ecclesia gubernanda reformandaque viderentur, scriptis daret; haec enim verba fecit pontifex ad Coccianum protonotarium, ut hic ipse die 11. Apr. 1555 refert (Neap. Bibl. Nat. *Cod. XIII AA 54* f. 33ᵛ): *Salutate l'arcivescovo* [*di Salerno*] *da parte Nostra et ditegli che Ci sara caro ogni raccordo che Ci dara circa il modo del governo, che ci ha posto addosso il Signor Dio, et pregatelo da parte Nostra che la prudenza che Dio gli ha data et la dottrina voglia che siano in aiuto Nostro. Et perche molto importa il far buon principio, Ci sara caro che quanto più tosto Ci dica tutto quello che gli occorre in questa materia.* Iterum Coccianus die 13. Aprilis 1555 Seripandum litteris admonuit, ut «memoriam» suam statim, et quidem sigillatam mitteret (*ibid.* f. 35ʳ).

2) Seripandus concilio Tridentino sub Paulo III et Bononiensi, non autem Tridentino sub Iulio III interfuit ibique strictissime cum card. Cervino conversatus est, ut iure dicere posset Cervini esse ea, quae de reformatione nunc proderet.

3) Quae in tractatu ipso de concilio et de ecclesia reformanda narrantur, optime conveniunt cum iis, quae Seripandus vel scriptis suis vel litteris vel oretenus in congregationibus exposuerat, ex. gr. dictum illud saepius adhibitum de ultimis pontificibus usque ad Marcellum II, *Conc. Trid.* II 449, 2 sqq., praesertim quae de Hadriano VI in continuatione Historiae viginti saeculorum Aegidii Viterbiensis dixit: *Marcellum Gazellam vocavit et Theatinum, Höfler* in: Abhandlungen der Kgl. bayrischen Akademie der Wissenschaften, historische Klasse IV 3 (München 1846) 52; praeterea litterae gratulatoriae ad Marcellum II (Arch. Vat. *Misc. II 60* f. 340ᵛ), ubi de praedecessoribus pontificis illis Christi verbis utitur: *Dicunt et non faciunt.*

[2] Bononiae omnia fere, quae de sacramentis, de sacrificio missae, de indulgentiis sub Iulio III et Pio IV decisa sunt, deliberata erant.

sarebbe manifesto segno d'haver confessato il peccato senza pentimento. Bisogna dunque che appara, che Dio benedetto ha tolerato gl'impedimenti di questa santa riforma, accio che a questo tempo comparisse tanto migliore, quanto et è maggior cagione d'aspettarla tale, quale conviene a chi la farà, perchè nei tempi passati ogni cosa picciola sarebbe parsa grande, la onde a questo tempo non è per satisfare, se non sarà di tutta perfettione.

L'impedimento principal della riforma, quant'io ho potuto osservare, è questo, che, quando si viene alle discussioni particulari delle cose mal fatte, non si considerano le cose secondo che sono in fatto et in prattica, ma per via di theorica et in abstratto [1]. Per la qual via et consideratione pur assai cose illecite si difendono come lecite, anzi come buone, et così si concedeno vestite di circonstanze honeste. Poi da gl'huomini, quando si metteno in prattica, si spogliano di quelle circonstanze et si vesteno il più delle volte de vesti contrarie. Ond'a voler torre l'usura non basta dire: « Il tal contratto fatto con tal conditione è lecito », ma bisogna veder, se 'l si fa con quella conditione, overo si fatta la legge, si truova la malitia. Però credo che simil cose in se et con certe conditioni lecite, quando si truovano ch'in fatto et in prattica lungo tempo sono state malamente usate, si deveno riformare per totale prohibi-
303v tione, perchè non basta a dire: « Ho | scritto una buona legge », ma bisogna vedere, se si usa così bene, com'è scritta, la qual'avvertenza è quasi impossibile a tanta malitia, quanta regna nel mondo. Però è lodato Licurgo, il quale vedendo gl'huomini dediti all'ebrietà et in essa quasi habituati, non commandò ch'il vino s'inacquasse, ma commandò che si tagliassero tutte le viti. Ma che bisogno havemo di Licurgo? Christo benedetto nella sua santa legge non disse: « Se l'occhio ti scandalezza, a un certo tempo serralo, et a un altro aprilo », ma disse « cavatelo », volendo mostrare che le cose buone et lecite dovemo torle via, quando si usano male [2].

Con questo impedimento tre volte si è combattuto contra la riforma, et sempre è stato potentissimo, perchè è rimasto vittorioso et ha ributtato la riforma a dietro. La prima volta fo a tempo della buona memoria d'Adriano VI, quando fo chiamato il Rmo cardinal di Napoli, all'hora vescovo Theatino, et Messer Marcello Gazella di Gaeta, huomo di santa vita, pura dottrina et retta intentione, contra i quali si fe' resistenza con canoni non applicati all'uso et essercitio presente delle cose et con la forza della consuetudine [3]. La seconda volta fo a tempo della santa memoria di Paolo III, il quale sul principio del suo pontificato chiamò molti da varii luoghi, et dopo molta discussione col medesimo impedimento la riforma fo ributtata [4]. La terza volta è stata nel concilio, ove il più delle volte nelle discussioni saltavamo ab eo, quod expedit, ad id, quod licet, et non ci accorgevamo, come quel che in se è lecito et sotto alcune circonstanze, quando viene in prattica, si spoglia de tutte le buone circonstanze et resta illecito. Nel fatto della riforma considerandum est quod expedit, idque physice et in materia, non metaphysice et nuda cogitatione, s'io non m'inganno.

Non è dubio che la potestà del papa è principale nella chiesa, superiore a'concilii, canoni etc. La qual potestà consiste in due cose: in osservare et fare osservare le sante leggi de' concilii et li santi canoni etc., et in dispensare particularmente, dove la salute dell'anima il richiede. Gran cosa è che ogn'hora si spediscono lettere apostoliche con derogatione, per non dire destruttione, de' sacri canoni et ottimi statuti, et mai compara lettera alcuna da molti anni in qua per tutela et osservanza loro. Et molto maggior cosa è, che vi siano tanti tribunali, offitii et magistrati, che possono « inscio pontifice » derogare et dispensare [5], et non vi sia pur un offitio o magistrato a difensione loro et con autorità di resistere all'illecite dispensationi et inconvenienti derogationi. Nè basta a dire che in quell'istesso tribunale o magistrato vi sono più persone, quali discuteno quel che si deve concedere o no, perchè vi è un gran contrapeso: che concedendosi vi si guadagna, negandosi non vi è guadagno. Et io ho sentito dire da persona grande che, dove è guadagno, con gran difficultà può essere dritto giuditio. Dio per sua misericordia facci oprar bene a tutti coloro, che hanno parlato et parlano bene.

Le cose particulari non si possono comprendere, et io non le so. Pure ne toccarò solo tre o quattro.

Credo [che] forse sarebbe a proposito fare com'un direttorio de tutte le cose pertinenti al culto divino et all'amministratione de' sacramenti [6] con strett'ordine che

[1] Cfr. *Conc. Trid.* V 486, 40 sq.
[2] Cfr. *Matth.* 5, 29; 18, 9.
[3] Cfr. *C. Bromato*, Storia di Paolo IV, I (Ravenna 1748) 86 sqq., praesertim 88 et 91 sqq.; *Pastor* IV 2, 78 sqq.
[4] Quibuscum cfr., quae Seripandus ipse in commentariis suis *Conc. Trid.* II 405, 12 sqq. et in diario *ibid.* 449, 2 sqq. de Paulo III iudicat.
[5] Ex. gr. poenitentiaria.
[6] Quod « directorium » igitur omnia ea continere debuisset, quae hodie in rubricis Missalis, Breviarii et Ritualis Rom. habentur.

nissuno vi giugnesse nè mancasse; perchè oltre che le cose si ridurrebbeno a uniformità, si torrebbeno infiniti abusi senza far mentione di loro, li quali sono varii in varii luoghi, nè si possono tutti sapere senza gran tempo et gran fatica. |

Non ho mai potuto ben intendere, come li benefitii possano impetrarsi, non essendo 304^{r} lecito divino iure nè cercarli nè disiderarli. Molto meno posso intendere, come sia permesso che si faccino de loro tante liti, quante appena si fanno de' beni temporali, nelle quali liti non si ha rispetto alcuno a chi più merita, ma a chi prima have impetrato, che vuol dire, a chi meno merita. Onde nasce il pigliar delle possessioni armata manu et altre cose abominevoli. In summa: Tutta questa parte d'ottener benefitii ha bisogno di gran manifattura per ripezzarla.

Sarebbeno forse da essaminare tutti li privilegii, tutte l'essentioni, et vedere, si sono le medesime cause, per le quali forno concesse, et li medesimi meriti delle persone, et, se si usano bene, confirmarle gratis, quando si truovi il contrario, disporne altrimente. Et forse sarebbe bene far similmente dell'indulgentie perpetue et delle reliquie, delle quali variamente si ragiona.

Quando sia vero quel che si dice delli commissarii apostolici, delle gravezze, che fanno alle povere persone, le quali non ponno haver ricorso a Roma nè in partibus hanno giudice, sarebbe da intenderlo et rimediarlo.

Et de simili particulari io non posso parlar molto, ma quando si cercheranno, se non saranno scoverti dagl'huomini, li scoprirà Dio benedetto, il qual'ancor darà virtù et forza di ben fare a chi ha dato buoni pensieri et dritta intentione [1].

60.

[Excerpta ex actis consistorialibus] [2].

Romae Arch. Vat. *Arch. Cons. Acta vicecanc. 7, 8 et 9*, or., adhibitis, ubi visum est, *Actis camerarii* 9 et excerptis, quae continentur in codice Bibl. Vat. *Barb. lat. 2873* f. 137^{r}-139^{v}, cop. saec. XVII. Edita sunt a *Raynaldo* ad annos 1555, 1556 et 1557 nn. I, II, III, VII, XIV et XV; nonnulla excerpta etiam a *van Gulik-Eubel* III 37 adn. 8; ceterae editiones suis locis adnotabuntur.

I. Romae apud S. Petrum die mercurii 29. Maii 1555 fuit primum consistorium, in quo S^{mus} D. N. Paulus pp. IV habuit orationem, qua egit gratias Rev^{mis} DD. de eius electione et deputavit nonnullos Rev^{mos}, qui antea a fe. re. Marcello pp. II ad id deputati fuerant [3], super reformatione facienda, et successive fuit factum verbum de pace procuranda inter christianos principes.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 239^{r}.

II. Romae apud S. Marcum die mercurii 5. mensis Iunii 1555 [4]. S^{mus} D. N. D. Paulus... de salute animarum sollicitus, ut personae ecclesiasticae absque alicuius symoniae aut ambitionis suspitione ad ecclesiarum et monasteriorum regimina promoveri et personae ipsae illis puro corde et sincera conscientia praesidere valeant, de fratrum consilio statuit et ordinavit, quod de cetero perpetuis futuris temporibus patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis ac monasteriis pro tempore vacantibus, de quibus consistorialiter disponi contigerit,

[1] Eodem tempore, scil. 24. Aprilis 1555, I. B. Viola S. I. Genuae moram faciens Marcellum II admonuit, 1. ut reformationem a se ipso inciperet, 2. praelatos a pluralitate beneficiorum se abdicare et residentiam tenere constringeret (*Questo già molte volte è stato ordinato, ma puoco posto in executione; però hormai tempo sarebbe che si facesse*), 3. quos electurus esset ministros legatosque, idonei integerrimique essent, 4. pacem inter Carolum imperatorem Henricumque regem instigaret, 5. nuntiis errantes a catholica fide populos ad ecclesiam reducere satageret, 6. ne consanguineis et cognatis nimis faveret. Mon. hist. Soc. Iesu: *Epp. mixtae* IV 593-609.

[2] Multa de activitate reformatoria Pauli IV congessit *R. Ancel* in duobus suis commentationibus: Paul IV et le concile: Revue d'histoire ecclésiastique 8 (1907) 716-741; L'activité réformatrice de Paul IV: Revue des questions historiques 86 (1909) 67-103; quae auxit *Pastor* VI 444-494. Quod ad Pauli IV pro reformatione labores ante pontificatum susceptos attinet, cfr. *Pastor* IV 2, 594 sqq.; V 356 sqq. 710 sqq.; *Conc. Trid.* XII 67-77; *G. M. Monti*, Ricerche su papa Paolo IV Carafa (Benevento 1925).

[3] Massarellus in diario VII ad diem 25. Aprilis 1555 adnotat: [*Pontifex*] *iniunxit, ut cardd. Puteum et S. Clementis* [*Cicada*] *adirem eiusque S^{tis} nomine referrem: mentem suam esse, ut hoc tempore, quo ei per egritudinem reformationi ecclesiae vacare non licebit, ipsi id onus suscipere vellent* et bullam sub Iulio praeparatam examinarent, *Conc. Trid.* II 259, 12 sqq.

[4] Ed. *Pastor* VI 655 (n. 39).

non ad personarum promovendarum huiusmodi requisitionem, supplicationem aut instantiam, sed eis, quae de iurepatronatus fuerint, aut ad quas seu quae idonearum personarum praesentatio seu nominatio ad imperatorem, reges aut alios principes pertinuerit, ad praesentationem seu nominationem imperatoris, regum seu aliorum principum iuspatronatus seu facultatem praesentandi aut nominandi huiusmodi negotium in consistorio proponentis, aliis vero ecclesiis seu monasteriis ad solius cardinalis proponentis relationem dumtaxat provideri debeat.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 243v-244r.

III. Romae apud S. Marcum die mercurii 17. mensis Iulii 1555[1]: S^mus D. N. indemnitati patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum providere cupiens de fratrum consilio statuit atque decrevit, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in provisione seu alia dispositione ecclesiarum earundem non dispensetur cum aliquibus super defectu aetatis nisi iuxta decreta concilii Lateranensis novissime celebrati[2] et concordata Galliae desuper cum sede apostolica inita[3], quae super hoc inviolabiliter observari voluit et expresse mandavit[4].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 250v.

IV. Romae apud S. Marcum die veneris 23. mensis Augusti 1555: Idem S^mus fecit verbum de deputandis aliquibus ex Rev^mis circa modum capiendi informationes de personis promovendis ad ecclesiarum regimina.

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 256r.

V. Romae apud S. Petrum die mercurii 4. mensis Decembris 1555: [*Decretum super revocatione regressuum, cuius tenor haec est:*] Omnes et singulos regressus et accessus acregrediendi et accedendi facultates ad quasvis patriarchales et metropolitanas acalias cathedrales ecclesias, et nisi de eis tam circa provisionem aut commendam quam facultatem regrediendi per signaturam unico contextu dispositum fuerit, monasteria consistorialia quaecunque in quosvis eventus per quoscunque Romanos pontifices praedecessores suos ac etiam S^tem Suam quibusvis personis, etiam cardinalibus praedictis, sub quibusvis verborum formis et expressionibus ac cum quibusvis clausulis et decretis ex quacumque causa, etiam de consensu alias quam per consistorium, ac in uno eodemque consistorio, in quo de ipsis ecclesiis et monasteriis dispositum fuerit, ac eodem contextu, quo dispositiones ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi factae fuerint, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine hactenus quomodolibet concessos et nondum effectum sortitos ac imposterum concedendos specialiter et expresse revocavit nulliusque roboris et momenti esse et fore ac irritum etc. decrevit et declaravit[5].

Cons. Acta vicecanc. 7 f. 271v-272r.

VI. Romae apud S. Petrum die lune 16. mensis Decembris 1555: [*Decretum de monasteriis commendatis, cuius tenor est:*] [S^mus] statuit et ordinavit, ut decetero cardinalis, cui commendae monasterii antea commendati relatio committetur, seu qui talem relationem facere habuerit, antequam in sacro consistorio, ut moris est, referat de illius prioris commenda huiusmodi, videl. an dictum monasterium sit solitum commendari, seu posterior commenda ex alia seu aliis similibus commendis antea tamen ex titulo factis, seu ab eo, qui dictum monasterium aliter quam in commendam propter qualitatem personae suae vel alias obtinere non potuit, aut aliunde provenerit, se diligenter informet ad hoc, ut relatione facta monasteria ipsa, quorum commenda huiusmodi de titulo provenerit, et quae commendari non consueverint, ulterius non commendentur, sed illis de personis idoneis eisdem monasteriis profuturis provideatur; quae vero commendari consueverint, eisdem cardinalibus ac aliis personis qualificatis et benemeritis dumtaxat iuxta

[1] Ed. *Pastor* VI 655 (n. 40).

[2] In saepius citata bulla *Supernaedispositionisarbitrio* concilium Lateranense V sess. IX ordinavit, ne in provisione ecclesiarum cathedralium infra 27, annum dispensetur. *Mansi* XXXII 875; *Bull. Rom.* V 605.

[3] In concordatis Leonis X cum rege Christianissimo decretum estnominatum a rege pro ecclesiacathedrali in vicesimo septimo sue etatis *anno ad minus constitutum* esse debere. *Raccolta di Concordati* 236.

[4] In consistorio die 14. Iunii 1557 habito *Alexander Duranti I.U.D. fuit datus coadiutor card. Duranti in ecclesia Brixiensi..., et quia erat tantum in vigesimo quinto anno, papa decrevit, ut intra sex menses fieret sacerdos, dispensando cum illo tam super aetate quam etiam super consecratione, quam tamen voluit teneretur facere in anno vigesimo septimo saltem completo dispensando ad id. Cons. Acta vicecanc. 8* f. 73r.

[5] Cfr. infra nn. IX, XII, XIII, XIX.

constitutionem Lateranensis concilii novissime celebrati[1] commendari possint, alioquin commendae de illis secus pro tempore factae nullius sint roboris vel momenti.
Cons. Acta vicecanc. 7 f. 277^{v}-278^{r}.

VII. Romae apud S. Petrum die veneris 10. mensis Ian. 1556: Postea S^{mus} longo sermone dixit se velle procedere ad reformationem, quam multi pontifices se facturos promiserant, et tamen nil hactenus factum fuerat, et ad id deputare intendebat personas idoneas.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 1^{r}.

VIII. Romae apud S. Petrum die lunae 20. mensis Ianuarii 1556: Fuit congregatio propter reformationem, in qua S^{tas} S. magnam habuit propositionem[2] super rebus datariatus et expeditionibus in eo factis, an in eis committeretur symonia, qua satis longa habita et tandem nihil concluso commisit singulis assistentibus, ut super dicta symonia diligenter studerent et in proxima congregatione vota sua redderent.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 2^{r}.

IX. Romae apud S. Petrum die lunae 4. mensis Maii 1556: Fuit decretum, quod ab hodierna die non concedentur regressus seu accessus nisi Rev^{mis} cardinalibus, quibus ad omnia et quaecumque etc. concedentur. Et quod nemini de cetero reservabitur collatio beneficiorum etc., etiam ex causa resignationis seu cessionis, nisi ipsis Rev^{mis} cardinalibus.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 19^{v}.

X. Romae apud S. Petrum die veneris 12. mensis Iunii 1556: Et data occasione S^{mus} tunc in eodem consistorio revocavit omnes gratias datas cardinalibus absentibus ab Urbe Romana, etiam de licentia S. S^{tis} et etiam ex causa recreationis quoad hoc, ut sic absentes non possint optare titulos vacantes vel dimissos nec participare de proventibus pilei, et quod non intendit in futurum quoad praemissa facere gratiam praeterquam quoad legatos de latere ex causa rei publicae absentes ab Urbe, non obstantibus quibusvis constitutionibus in contrarium facientibus.

⟨Decretum, quod cardinales absentes non participent de distributionibus pilei cum revocatione gratiarum.⟩[a] [3] S^{mus} D. N. attendens non aequum esse, quod S. R. E. cardinales ab Urbe, etiam de licentia S^{tis} S., absentes cum aliis cardinalibus in dicta Urbe praesentibus et S^{ti} Suae in regimine universalis ecclesiae continue assistentibus in optione ecclesiarum iisdem cardinalibus pro titulis seu denominationibus cardinalatuum suorum assignari solitarum concurrant, aut eis participando de distributionibus ratione pilei in aliquo praeiudicent, volens desuper opportune providere: Statuit et ordinavit cardinales ab eadem Urbe absentes non valentes consistoriis ac generalibus seu particularibus congregationibus per S^{tem} S. celebrandis aut divinis officiis in capella S^{tis} Suae recitandis interesse, seu qui ita absentes actualiter non interfuerint, etiamsi ratione alicuius legationis eis specialiter iniunctae aut alias causa reipublicae absentes, etiamsi recedendi licentiam a Ste Sua obtinuerint, eorum absentia durante ecclesias praedictas optare aut de distributionibus ratione pilei debitis participare seu earum occasione aliquid a pro tempore existente camerario et depositario collegii eorundem cardinalium petere non posse, et ipsos camerarium et depositarium ad eis aliquid ratione distributionum huiusmodi pro tempore eorum absentiae persolvendum minime teneri, revocans ad effectum huiusmodi omnia et singula indulta eisdem cardinalibus praeter et contra statutum et ordinationem huiusmodi, etiam per S^{tem} Suam et sedem apostolicam, etiam vigore constitutionum inter ipsos cardinales observari solitarum, etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessa, volens eorum omnium tenores pro expressis haberi et ea, quae imposterum quovis modo concedentur, nemini suffragari, ac decernens praesens decretum a data ipsius effectum de cetero quoad praemissa sortiri debere et sic iudicari debere, ac irritum etc.[4].

Istud decretum ita adaptatum fuit ostensum die lunae 27. mensis Iulii, qua die fuit consistorium apud S. Petrum, Rev^{mis} DD. meis Bellayo decano, Morono, Pacieco camerario colle-

[a] *in margine.*

[1] Ita ad verbum constitutio *Supernae dispositionis arbitrio*, *Mansi* XXXII 876; *Bull. Rom.* V 606.

[2] De oratione pontificis vide etiam infra n. 61 acta Massarelli.

[3] Decretum ipsum editum est in *Bull. Rom.* VI 513 sq.

[4] Adnotentur hic, quae de historia huius decreti in ipsis actis consistorialibus *Acta vicecanc.* 8 f. 25 leguntur:
Fuit praeceptum, ut infradicta, prout iacent, hic amoverentur:
Et quia fuit dictum, quod Rev^{mus} Puteus, qui pro me tunc absente scribebat, formaret et extenderet verba

gii cardinalium, Mignanello, et non potuit ostendi Rev^mo^ de Caesis, quia non interfuit consistorio, et placuit, ad quos negotium erat remissum, et ideo decretum habebitur pro absoluto a die datae ipsius, prout S^tas^ S. mandavit. Et ita iuxta formam decreti fuit mandata fieri divisio [1].
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 25.

XI. Romae apud S. Petrum die lunae 6. mensis Iulii 1556: Decrevit [S^mus^ D. N.], quod presbyteri cardinales infra tres menses consecrari teneantur.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 32^v^.

XII. Romae apud S. Petrum die veneris 21. mensis Augusti 1556 [2]: S^tas^ S. mandavit legi per Caesarem Glorieri S^tis^ S. secretarium [3] decretum quoddam revocationis omnium accessuum concessorum cardinalibus et aliis quibusvis personis ad ecclesias, etiam metropolitanas, et ad omnia beneficia inferiora, et quod iidem cardinales teneantur per cedulam eorum manu subscriptam et sigillo sigillatam, praesentes videlicet infra quindecim [dies], absentes et in Italia existentes infra unum, ceteri vero intra tres menses datario suo significare et intimare omnes regressus, quos ad similes ecclesias et alia beneficia inferiora habent; alias lapsis dictis temporibus regressus non intimati sint nulli cum decreto irritanti, prout latius continetur in dicto decreto, cuius tenor sequitur et est talis:

« Sanctissimus in Christo pater et Dominus noster Dominus Paulus divina providentia papa quartus, qui superioribus diebus omnes et singulos accessus et regressus ad cathedrales ecclesias extra consistorium concessos sub certis tunc expressis modo et forma revocavit, volens libertati ipsarum ecclesiarum et quorumcunque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quoad ipsos tantum accessus uberius consulere, omnes et singulos accessus ad quascunque cathedrales etiam metropolitanas et patriarchales ecclesias ac omnia et singula monasteria et beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis ordinum regularia, quibuscunque personis cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali vel patriarchali dignitate aut cardinalatus honore pollentibus, per quoscunque Romanos pontifices praedecessores suos ac S^tem^ Suam et sedem apostolicam etiam consistorialiter et de S. R. E. cardinalium consilio et assensu quomodolibet concessos revocavit.

Praeterea statuit et ordinavit, quod omnes S. R. E. cardinales in curia praesentes infra quindecim dies, alii vero ab ea absentes et in Italia existentes infra unum, ceteri vero omnes infra tres menses ab hac die computandos omnes et singulos regressus eis ad quasvis similes ecclesias necnon monasteria et beneficia tam consistorialiter quam extra consistorium et per suam et dictorum praedecessorum signaturam quomodolibet concessos datario suo per eorum cedulam propria eorum manu subscriptam et sigillo suo roboratam intimare teneantur et debeant; volens, quod dictis terminis respective elapsis etiam regressus eisdem cardinalibus etiam consistorialiter et de consensu concessi, qui, ut praefertur, intimati non fuerint, nulli sint nullumque effectum ulterius sortiri possint, decernentes irritum etc. ».
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 43^r^.

XIII. Romae apud S. Petrum die veneris 4. mensis Septembris 1556: S^tas^ S. extendit terminum quindecim dierum datum cardinalibus ad intimandum regressus ad alios quindecim dies [4].
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 44^r^.

decreti, ut in sequenti consistorio tenor totius decreti legeretur et re bene perspecta a Ste Sua et Rev^mis^ DD. probaretur. Quo decreto per Rev^mum^ Puteum formato et lecto tenore ipsius in tertio consistorio, quod tentum fuit sexta mensis Iulii 1556, et quia in eo dicebatur, quod cardinales absentes ex causa legationis possent optare et participare de fructibus, item quia derogabatur constitutionibus collegii et non dicebatur de absentia cardinalium a curia per quot dietas, sed simpliciter, fuit facta oppositio per aliquos cardinales et super hiis nata contentio et altercatio, S^mo^ intelligente nec determinante. Cum longo tempore durasset consistorium et ex longa mora omnes essent fatigati, re infecta fuit discessum nec decretum fuit pro absoluto habitum ita, ut nisi aliter de mente S^tis^ Suae constet, decretum huiusmodi pro infecto habebitur.

[1] Die 16. Iulii 1556 quindecim cardinales absentes per brevia Romam revocati sunt, *Pastor* VI 459 adn. 6.

[2] Relationem Massarelli vide *Conc. Trid.* II 295, 5 sqq.

[3] Caesar Glorierius, unus ex quattuor secretariis brevium, de quibus cfr. *R. Ancel*, La secrétairerie pontificale sous Paul IV: Revue des quest. hist. 79 (1906) 453 sqq.; praesertim 456.

[4] Cfr. relationem Navagerii 5. Sept. 1556 datam Calendar of State papers: Venice *ed. R. Brown* VI 1 n. 600. Ex elenchis manibus cardinalium propriis subscriptis et sigillatis, quae in Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 6545* (antea Arm. VIII ord. II n. 6), f. 3^r^-82^r^ conservantur, excerpsimus quot quisque cardinalis regressus habuerit:

Farnesius ad 10 cathedrales, 26 monasteria, 3 praeceptorias, 133 beneficia inferiora (i. e. archidiaconatus, canonicatus, parochias, capellanias) nominata, praeterea ad plura beneficia dioec. Legionensis

XIV. Romae apud S. Petrum die sabbati 23. mensis Ianuarii 1557: S^{mus} D.N. multis verbis proposuit et ordinavit, quod singulis mensibus daretur audientia in aula regum, in qua quilibet posset conqueri de iniustitia sibi facta et iniuria quorumcumque officialium, astantibus sibi cardinalibus, praelatis et officialibus, de quibus in proclamate, et hoc sive publice et palam sive secrete porrigendo quaerelam et libellos supplices, promittens singulis iustitiae complementum, prout potest videri in Suae S^{tis} ordinatis...

[*Sequitur primo decretum, in quo conventibus regularium capitulisque collegiatis Urbis mandatur, ut proxima die dominica post missarum solemnia super hoc processiones faciant; secundo elenchus deputatorum, quem infra adn. 1 damus*] [1].

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 56^r.

et regni Lusitaniae non singillatim nominata *et de aliis multis, quos habere credimus, offerimus nos daturos pleniorem notitiam, data cum competenti dilatione commoditate recensendi scripturas nostras, quae sunt in Urbe* (f. 8^r, 14. Sept. 1556);

Rain. Farnesius ad 2 monasteria, 1 commendam (f. 11^r, 3. Sept. 1556);

Messanensis ad 6 beneficia inferiora, quae non excedunt valorem 200duc. (f. 13^r, 29. Sept. 1556);

Crispus ad 1 cath., 3 ben. inf. (f. 15^r, 19. Sept. 1556);

Cornarus ad 1 cath., 1 baiulivam maiorem, 4 ben. inf. (f. 17^r);

Sabellus ad 2 cath., 1 prioratum, 3 canonicatus, 1 ben. simplex (f. 19^r, 1. Sept. 1556);

Dandinus ad 1 cath., 2 prior., 6 ben. minora (f. 21^r);

De Carpo ad 1 cath., 6 monasteria, 15 ben. inferiora, in quibus 11 parochiales eccl. (f. 23^r);

Ferrariensis ad 1 cath., 2 monasteria, 2 praepósituras, 3 eccl. paroch. (f. 25^r);

Doria ad 2 cath., 1 monast., 1 commendam, 7 ben. inf. (f. 27^r, 6. Sept. 1556);

De Capiteferreo ad 1 cath., 3 monast., 2 commendas, 8 ben. inf. (f. 29, 6. Iulii 1555 [!]);

Cicada ad 1 cath., 2 monast., 1 prior, 8 ben. inf. (f. 31^r, 11. Sept. 1556);

Pisanus ad 4 cath., 5 monasteria, 1 prior., 10 ben. inf. (f. 33^r);

Saracenus ad 1 cath., 2 monast., 2 prioratus, 3 ben. infer. (f. 34^r-35^v, 28. Aug. 1556);

Gonzaga ad 1 cath., 5 monast., 1 praeposituram (f. 36^r, 19. Sept. 1556);

Capisuccus ad 1 archipresbyteratum (f. 38^r);

Reumanus ad 1 prioratum (f. 40^r; 3. Sept. 1556);

De Durantibus ad 1 prior., 13 ben. infer., in quibus 8 parochiales (f. 41^r, 10. Sept. 1556);

Puteus ad 6 ben. infer. (f. 43^r, 27. Aug. 1556);

De S. Flora ad 5 cath., 12 monasteria, 19 ben. infer., in quibus 10 paroch. (f. 45^r-46^r);

Alvarez de Toledo ad 7 ben. infer. (f. 47^r);

Mignanellus ad 1 cath., 5 monasteria, 2 ben. inf. (f. 49^r);

Ricius ad 1 paroch. (f. 51^r);

Sermoneta ad 2 cath., 1 monast., 1 paroch. (f. 52^r, 1. Sept. 1556);

De Nobilibus ad 1 commendam, 3 ben. infer. (f. 54^r, 29. Aug. 1556);

De Ruvere ad 2 cath. (f. 56^r, 6. Sept. 1556);

Guisius ad 2 cath., 1 monast., 1 prior., 1 ben. infer. (f. 58^r, 8. Oct. 1556);

De Monte ad 5 monast., 6 ben. infer. (f. 60^v-61^r, 1. Sept. 1556);

Corneus ad 1 cath., 1 monast., 2 canonicatus (f. 62^r);

De Armaignaco ad 1 cath. (f. 64^r, 3. Sept. 1556);

De Turnone ad 1 cath., 1 monast. (f. 66, 31. Aug. 1556);

De Meudon ad 1 monast., 2 ben. inf. (f. 68^r, 2. Oct. 1556);

De Medicis ad 1 commendam, 1 ben. inf. (f. 70^r, 31. Aug. 1556);

Moronus ad 1 cath, 3 monast., 2 praeposituras, 1 commendam (f. 72^r. 74^r);

Pacecus ad 10 ben. infer. (f. 77^r);

De Castilione ad 1 cath., 2 monast. (f. 79^r, 27. Sept. 1556);

De Borbonio ad 1 cath. (f. 80^r, 14. Oct. 1556);

De Vendôme ad 1 cath. (f. 81^r, 30. Sept. 1556);

De Giory ad 1 cath. (f. 82^r, 2. Oct. 1556).

Decretum Pauli IV plenum non habuisse effectum demonstrat « Nota omnium regressuum regni Portugalliae pro Illmo et Revmo card. de Farnesio » (Parmae Arch. status *Cart. Farnes. Roma 24*), facta anno 1560, in qua 32 regressus, inter quos 18 ad ecclesias parochiales enumerantur. Quam moleste ipse cardinalis Farnesius decretum tulerit, litteris suis ad Ardinghellum verisimiliter a. 1558 datis exposuit. *Annibale Caro*, Lettere III (Padova 1765) 235.

[1] *Nomina deputatorum in audientia publica:*

Cardinales: Decanus [*Bellayus*], *Carpensis, Compostellanus, Moronus primus presbyterorum card., de Caesis summista, Paceccus camerarius sacri collegii, Sancti Angeli summus poenitentiarius, de Medicis utriusque signaturae, Saracenus utriusque signaturae, Puteus utriusque signaturae, Mignanellus utriusque signaturae, Tranensis* [*Scottus*], *de Pisis* [*Rebiba*], *Reomanus, de Capisucchis, Farnesius vicecancellarius primus diaconorum cardinalium, de Sancta Flora camerarius,* [*Carolus*] *Carafa;* quibus 30. Martii septem novi cardinales addebantur, hoc est: de Gaddis, Rosarius, Ghisilerius, Dolera, Alphonsus Caraffa, Vitellius, Consiliarius. *Vat. lat. 12127* f. 3^r.

Officiales: Dux Palliani et capitaneus generalis, marchio Montisbelli [*Antonius Caraffa*] *et gubernator Burgi, Marchio Montis Herculis* [*Ferdinandus Caraffa*] *custodiae S^{mi} D. N., Bartolomeus Camerarius consiliarius S^{mi} D. N. et commissarius generalis, Annibal* [*Bozzutus archiepiscopus*] *Avenionensis superintendens, gubernator almae Urbis* [*Caesar Brancatius*] *cum suis auditoribus, vicarius S^{mi} D. N.* [*Virgilius Rosarius*] *cum suis auditoribus, datarius* [*Io. Bapt. Osius*], *episcopus Nepesinus* [*Mich. Ghislerius*] *praepositus domui inquisitionis, sacrista* [*Io. Iac. Barba*], *thesaurarius generalis* [*Hieronymus Foscarus*], *senator almae Urbis cum suis collateralibus et capitaneo appellationum, conservatores, decanus et auditores Rotae, decanus, clerici et praesidentes camerae apostolicae, auditor camerae seu eius locumtenens et sui iudices in civilibus et criminalibus, praefecti signaturae gratiae et iustitiae, reformatores s. poenitentiariae, auditor contradictarum, secretarii S^{mi} D. N., advocati consistoriales, commissarius generalis camerae apostolicae, visitatores carcerum, advocatus et procuratores pauperum et fisci, rector studii, iudices turris Nonae, curiae de Sabellis, camerarius et iudices Ripae, Ripettae et Burgi, singuli barisélli Urbis et senatoris ac Burgi* (*Acta vicecanc. 8* f. 56^v-57^r), quibus codex *Vat. lat. 12127* f. 3^r-4^r

XV. Romae apud S. Petrum die lunae 15. mensis Martii 1557: [S^{mus} D. N.] creavit et assumpsit in S. R. E. presbyteros et diaconos cardinales infrascriptos ordine, quo sequitur videl.: [*Sequuntur nomina, quae videas apud van Gulik-Eubel III 35 sq., et formulae, in quarum fine:*] et cum derogatione constitutionis in conclavi editae, quod patruus et nepos insimul cardinales esse non possint[1] ac aliis derogationibus et clausulis necessariis opportunis.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 59.

XVI. Romae apud S. Petrum die veneris 9. mensis Aprilis 1557[2]: [S^{mus} D. N.] decrevit non debere in futurum transire cardinales per saltum de ordine in ordinem, veluti de diaconali ad presbyteralem seu episcopalem, vel etiam de presbyterali ad episcopalem sine licentia S^{tis} Suae, nec optare posse ad finem istius saltus, posse tamen in suo ordine quemque optare, cum vacatio contigerit, sed neminem de ordine ad ordinem transire, etiam per viam optionis, nisi de speciali consensu et gratia S^{tis} Suae.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 66^r.

XVII. Romae apud S. Petrum die lunae 21. mensis Iunii 1557[3]: Audita petitione [card. Saraceni pro pallio archiepiscopi Acheruntini] S^{mus} incepit graviter improbare et detestari abusum, qui diu invaluerat et fuerat tolleratus, ut pro susceptione sive expostulatione pallii daretur et exigeretur pretium contra tot decreta sanctorum patrum, quae magno cum ornatu deduxit et approbavit. Inde vota singulorum exquisivit pro novo decreto et statuto faciendo, quod omnibus sanctum et probabile visum est. Sic decrevit S^{mus}, statuit et ordinavit sub poenis gravissimis et privationis officiorum et beneficiorum, quae sibi reservabat, ne de cetero pro postulatione sive susceptione pallii aliquid daretur, acciperetur vel exigi posset, dictique decreti executionem commisit Rev^{mo} D. camerario[4] fieri in traditione ipsius pallii petiti gratis, et ita praeciperet omnibus officiariis [!] curiae.
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 78^v.

addit Diomedem Caraffam, praefectum arcis S. Angeli, praelatum charitatis, praelatum carcerum ex eadem charitate.

In eodem codice *Vat. lat. 12127* f. 4^r-28^r continentur manu Massarelli conscripta acta in audientiis publicis 27. Ian.; 23. Febr.; 30. Martii; 28. Apr.; 29. Maii; 25. Iunii; 27. Iulii; 24. Aug.; 28. Sept.; 29. Oct.; 26. Nov. 1557, quae tamen demonstrant causarum querelarumque ecclesiasticorum his in audientiis raro mentionem factam esse, immo omnes fere petentes temporalia quaesisse. Causam, cur acta post mensem Nov. 1557 scripta non fuerint, Massarellus ipse fol. 28^r indicat dicens: *Hae audientiae publicae datae sunt a S^{mo} D. N. Paulo pp. IV singulis mensibus usque ad Augustum 1559 inclusive, quo mense die 18. obiit. At in hoc libello non describuntur nisi 11 suprascriptae, nam ego Angelus Massarellus, qui eas uti secretarius Suae S^{tis} adnotabam, creatus fui a B^{ne} S. episcopus Thelesius, die sc. 15. mensis Decembris subsequentis et ita decreta ipsa in dictis audientiis publicis non adnotavi. Reliqua autem videri possunt apud D. Caesarem Glorierium, qui ea perpetuo descripsit.* Praeterea Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 6544* f. 100^r-101^r conservat sub titulo « Audientiae publicae modus 1556 » tractatulum cardinali cuidam dedicatum, cuius partem priorem annecti hic liceat:

Havendomi V. S. Rev^{ma} dato carico di pensar al modo dell'audienza publica, quale disegna far N. S^{re} rispondendole dico, che tal audienza bisogna che sia divisa in quattro parti: nel giudice, che sara S. Sta, nel suo consiglio, ne' magistrati, che rendono ragione in Roma, et in quelli che dimandano ricorso a S. B^{ne}.

S. Sta adunque nel solio della S. M^{ta} come giudice supremo di tutta christianità si stava nell'habito, nel quale risiede in consistorio.

Il consilio suo mi par che si convenga essere de' cardinali della segnatura et di quelli referendarii che sono immuni dal giudicare, i quali sendo persone di lettere, representaranno consiglio di S. Sta, la qual potra ancora valersi del consiglio | degl'altri ch'assisteranno, quando non si trattera di querela loro o di lor magistrato.

La terza parte di quelli ch'hanno a render ragione di se, a me pare che dovessi esser prima il vicecancelliere et camarlengo, dipoi il governatore di Roma con i suoi luogotenenti dietro, appresso al quale gl'auditori di Ruota tutti, perche se nascesse querela d'un di loro particolarmente, non si potria haverne informatione da un'altro; l'auditor della camera con i suoi luogotenenti dietro; i chierici di camera co'suoi auditori dietro; vicario del papa co' suoi luogotenenti dietro, senatore co' suoi collaterali dietro; conservatori con il loro assessore dietro; maestri di strada. Questi tutti, mi pare, che debbino sedere in conspectu di S. Sta, appresso a quali in un grado più basso gl'avvocati consistoriali, di poi li procuratori del collegio, doppo loro in piede tutti gl'altri avvocati et procuratori.

Nella quarta parte saranno quelli, che domanderanno giustitia dal papa, nella quale | bisogna haverci persone diligenti et costumati, che ammettino prima le donne et tra le donne prima le vedove, secondo tra gl'huomini ammettino prima i puppilli, orfani et miserabili, di poi gl'altri. Chi parlera senza digressioni, convitii o calunnie esponga solo la pura verità del fatto. Ricercherassi un protonotario o doi, che tenghino un libro particolare di tutti i decreti, che fara S. Sta in questa audienza.

Alteram tractatus partem, quae continet modum sedendi, praetermittimus. Narrationem quarundam audientiarum vide apud *Brown* l. c. VI 2, 799. 807. Quoad officia curialia supra enumerata cfr. rotulum familiae Pauli IV apud *Moroni*, Dizionario 23, 66-73.

[1] Propter Alphonsum Caraffam, nepotem Caroli, tum cardinalem creatum. Constitutionem allegatam vide in *Bull. Rom.* VI 475 sq.

[2] Relationem Massarelli vide *Conc. Trid.* II 306, 14 sqq.

[3] Relatio Massarelli habetur *Conc. Trid.* II 311, 23 seqq.

[4] Videl. Guidoni Ascanio Sfortiae.

XVIII. Romae apud S. Petrum die veneris prima mensis Octobris 1557: S^mus^ D. N. indemnitati monasteriorum salubrius consulere cupiens decrevit, ut de cetero quaevis monasteria de titulo in commendam cuicunque, etiam S. R. E. cardinali, nullo pacto dentur, prohibuitque, ut in consistorio non proponantur[1].
Cons. Acta vicecanc. 8 f. 89r.

XIX. Romae apud S. Petrum die veneris 3. mensis Decembris 1557[2]: Fuit introductus Barengus secretarius[3], et de mandato S^tis^ S. legit duo decreta, quorum primum continebat, ut R^mi^ cardinales, qui pluralitatem regressuum habebant ad ecclesias, praesentes in curia intra quindecim dies eligerent unum regressum ad unam ecclesiam, existentes vero in Italia intra unum mensem, extra Italiam intra duos menses, annullans omnes alios regressus et accessus ad dictas ecclesias, prout latius continetur in decreto, cuius tenor talis est:

« S^mus^ D. N. attendens nonnullos ex S. R. E. cardinalibus, qui ex decreto felicis recordationis Pauli papae III[4] S^tis^ S. praedecessoris ultra ecclesiam tituli seu denominationis suae uni tantum ecclesiae cathedrali praeesse aut eam in administrationem obtinere permittuntur, ad plures cathedrales, etiam metropolitanas et patriarchales ecclesias regressum seu accessum in diversos eventus sibi apostolica auctoritate concedi obtinuisse et indies obtinere: ad hoc, ut regressu seu accessu huiusmodi effectum sortiente regimini et administrationi ipsarum ecclesiarum seu earum regiminis et administrationis possessione seu quasi non habita, iuri et facultati regrediendi seu accedendi huiusmodi in favorem personarum eis gratarum et acceptarum ad eorum libitum cedere possint, in ordinis ecclesiastici confusionem et dicti decreti enervationem atque ecclesiarum, quae interdum personam magis utilem et idoneam requirunt, laesionem ac christifidelium scandalum non modicum. Et propterea volens, quantum cum Deo potest, praemissis salubriter occurrere, statuit, decrevit et ordinavit, quod decetero perpetuis futuris temporibus alicui cardinali non nisi unus regressus seu accessus ad patriarchalem seu metropolitanam vel aliam cathedralem ecclesiam concedi possit, et qui ex eisdem cardinalibus ad praesens regressum seu accessum ad plures cathedrales ecclesias habent, si praesentes in curia existunt, infra quindecim dies, si vero extra eam in Italia degunt, infra unum, reliqui vero in Gallia, Germania aut Hispania commorantes infra duos menses proxime futuros unam ecclesiam cathedralem, ad quam vigore regressus seu accessus sibi ad illam concessi in illius eventum regredi seu accedere malint, eligere et nominare, electionemque et nominationem huiusmodi manu propria subscriptam et sigillo suo munitam senescallo seu custodi cancellariae apostolicae[5] per eum in quinterno ipsius cancellariae de verbo ad verbum describendam transmittere, ac postquam regressui seu accessui praedicto locus fuerit, infra unum mensem extunc computandum, si alteri ecclesiae cathedrali praefuerint aut aliam ecclesiam cathedralem in administrationem obtinuerint, eam vel aliam, ad quam regressum seu accessum habuerint, in manibus Romani pontificis pro tempore existentis absque ulteriori sibi desuper concedendo regressu vel accessu, ne hereditariam possessionem ipsius ecclesiae usurpare velle videantur, realiter et cum effectu dimittere omnino debeant. Quod si non dimiserint, ambae ecclesiae eo ipso vacent, et utrique earum de praesule idoneo per ipsum Romanum pontificem provideri possit. Revocans, cassans et annullans exnunc omnes et singulos regressus et accessus ipsis cardinalibus ad quamcunque praeterquam per eos, ut praefertur, eligendam et nominandam cathedralem ecclesiam, sub quibuscunque tenoribus et formis ac quibusvis efficacissimis, etiam motusproprii et certae scientiae ac plenitudinis potestatis irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, ac decernens etiam ex nunc irritum et inane, quicquid illorum praetextu contra praemissa scienter vel ignoranter contigerit attemptari».

Alterum autem decretum continebat, quod ecclesiae, de quarum expeditione agitur, in uno consistorio proponantur et in alio expediantur, prout latius in eodem decreto, cuius tenor sequitur, [et] est talis:

[1] Praeterea secundum relationem Bernardi Navagerii die 2. Oct. 1557 datam pontifex se sex cardinales pro reformatione facienda deligere velle affirmavit. Calendar of state papers: Venice ed. *R. Brown* VI 2, 1336 sq.

[2] Relatio Massarelli habetur *Conc. Trid.* II 318, 32 sqq.; decretum de provisionibus ecclesiarum *Bull. Rom.* VI 530 sq. Card. Dandinus card. S. Georgii die 4. Dec. scribit: *S. Sta nel primo ingresso con una grandissima esaggeratione et detestatione revocò tutti li regressi alle chiese cathedrali, reservandone un solo per cardinale a elettione di esso cardinale, da dechiararsi infra certo tempo, quale andrà in stampa in modo che ognuno lo potrà vedere.* Arch. Vat. *Princ. 147A* f. 363v.

[3] Io. Barengus, ep. Larinensis 1551-1555, primus inter secretarios pro litteris latinis erat. *R. Ancel,* La secrétairerie pontificale etc.: Revue des quest. hist. 79 (1906) 454 sq.

[4] Decretum die 18. Febr. 1547 datum legitur *Conc. Trid.* V 981 sq.

[5] Custos seu senescallus, olim inferioris condicionis, a saeculo XV negotiis cancellariae agendis intendebat. *W. v. Hofmann,* Forschungen I 48 sqq.

« S^{mus}, attendens auctoritati suffragiorum in consistorio suo decreto coram S. S^{te} pro tempore latorum plurimum detrahi, si in continenti ferantur, non intercedente aliquo temporis intervallo, quo de negotio informari et opportune deliberari possit, et propterea cupiens, S R. E cardinalibus in ferendis suffragiis huiusmodi, praesertim in provisionibus ecclesiarum cathedralium, quae in dicto consistorio fiunt, congruum tempus ad se de negotio plene informandum et mature deliberandum praestetur, nec vota ipsa violenta videantur, statuit, decrevit et ordinavit, quod de cetero perpetuis et futuris temporibus non provideatur ecclesiis praedictis pro tempore quovismodo vacantibus eo consistorio, quo illae propositae fuerint, sed illarum provisio semper differatur ad aliud consistorium, et interim cardinales ipsi de rebus ad negotium facientibus se plene informent et mature super voto per eos ferendo deliberent ».

Insuper S^{tas} S. commisit R^{mis} Dominis deputatis ad congregationem inquisitionis negotium reformationis, et quoad ea, quae exiguntur ab ordinariis pro conferendis ordinibus et alia sacramenta [1].

Praeterea deputavit R^{mos} Dominos cardinales Pacechum, Medicis, Saracenum, Puteum, Reomanum, Capizucum et Vicarium [2] ad audiendos eos, qui non potuerunt audiri in publica audientia [3].

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 97^r-98^v.

XX. Romae apud S. Petrum die martis 14. mensis Decembris 1557: S^{tas} S. praecepit et mandavit sub poena excommunicationis latae sententiae, privationis cardinalatus et aliorum beneficiorum et officiorum, ne ullus cardinalis audeat revelare aliquid, quod fit in consistorio, quod tendat in odium aut praeiudicium aut scandalum alicuius, iuxta formam concilii Lateranensis [4].

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 103^r.

XXI. Romae apud S. Petrum die mercurii 23. mensis Martii 1558: Decrevit S^{tas} S., quod de cetero exprimatur in consistorio certitudinaliter et nominatim prioratus seu monasterium, quem seu quod quis voluerit retinere.

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 119^r.

XXII. Romae apud S. Petrum die lunae 8. mensis Augusti 1558: S^{mus} D.N. primo loco multa commemoravit, quae sunt necessaria, ut fiat reformatio universalis ecclesiae... [5].

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 127^r.

XXIII. Romae apud S. Petrum die lunae 28. mensis Novembris 1558: S^{tas} S. ad instantiam alicuius cardinalis dixit et statuit infrascripta, videl.:

Ut conformemus nos constitutionibus sanctorum patrum, quibus statutum est, ut pro pallio nihil recipiatur [6], ideo S^{tas} Sua confirmavit decretum eorum et etiam de novo statuit,

[1] Dandinus loco ubi supra (p. 323 adn. 2) f. 364^r narrat: *Un terzo decreto fece etiam S. Sta. Solemnissimamente commise al sacro offitio della Inquisitione tutto quello che potesse appartenere alla simoniaca heresia — che cosi la chiama sempre — dando in ciò al detto officio amplissima autorità di procedere et eseguire etc.*

[2] Scil. Virgilium Rosarium, cardinalem creatum die 15. Martii 1557.

[3] Dandinus l. c. prosequitur: *Et finalmente deputò tutti i cardinali della professione di legge iudici delli memoriali che restavano indrieto per diffetto di tempo alla audientia publica che S. B^{ne} da una volta il mese, volendo che detti cardinali si congreghino a questo effetto una volta la settimana.*

[4] Concilium Lateranense V sess. IX (5. Maii 1514) in bulla *Supernae dispositionis arbitrio* statuit, *ne quis cardinalium vota in consistorio data et quaecumque ibi gesta aut dicta, quae in odium aut praeiudicium aut scandalum alicuius redundare possint, scripto aut verbo vel quovis alio modo revelet. Mansi* XXXII 881.

[5] Card. Dandinus die 13. Aug. 1558 card. S. Georgii scribit: *Lunedi passato alli 8 havemmo un concistoro assai breve. nel quale pensavamo che si havesse a dare la croce al card. di Pisa, ma S. Sta disse che prima voleva mandare inanzi li nuntii parendole che cosi convenisse alla dignità* etc. Vestanum aulam Ferdinandi I versus iam esse profectum credit. Deinde festum S. Dominici ad 4. Aug. esse translatum (cfr. *Bull. Rom.* VI 543 sqq.). *Oltre di ciò S. Sta dechiarò di voler attendere ad ogni modo a qualche reformatione et voleva che li cardinali fussero i primi, come è dovere, et a caso entrandosi a parlare dell'offitio nuovo lo detestò grandemente et ci exhortò tutti a dire il vecchio et ci concesse di poterlo dire come lo dice S. Sta che è senza l'offitio della Madonna, in modo che si è messa la carestia nelli breviarii vecchi... Princ. 147A* f. 463.

De consistorio die 24. Aug. habito Dandinus inter alia haec refert: *S. Sta mostrò ben haver tuttavia animo di attendere alle cose della reformatione, come rinfrescava, et cominciare dal mandare i vescovi alle lor chiese etc.; et per essere quel giorno vigilia di San Bartholomeo, come S. Sta era digiuna, il concistoro fu breve. Ibid.* f. 466^r.

[6] *Gregorius Magnus*, Epp. l. V ep. 57 (*Migne* 77, 791), apud Gratianum D. 100 c. 3 *Novit sanctitas*, *Friedberg* I 352 sq.

ut pro pallio nihil recipiatur sub poena in contrafacientes excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrariis poenis, etiam privationis officiorum vel beneficiorum [1].

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 135^{v}.

XXIV. Romae apud S. Petrum die veneris 16. mensis Decembris 1558: Fuit introductus D. Barengus et legit quandam bullam contra ambientes papatum vivente papa [2] sub poena maioris excommunicationis latae sententiae et privationis beneficiorum et officiorum, etiam cardinalatus et aliis, de quibus in ipsis litteris, quae remanserunt penes dictum Barengum. Et postea S^{tas} S. interrogavit DD. cardinales, an bulla placeret, et omnes respondendo dixerunt, quod bulla placebat.

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 137^{r}.

XXV. Romae apud S. Petrum die veneris 27. mensis Ianuarii 1559: In dicto consistorio fuerunt enunciatae certae revocationes et decreta privationum, quae papa tribus secretariis videl. D. Bergomensi [3], Barengo et Lavellino [4] iussit et commisit annotari et ad se deinde adferri. Itaque de his nihil scribere potui neque iudicio meo debui, ad quos tamen et eorum acta habeatur relatio.

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 145^{v}.

XXVI. Romae apud S. Petrum die lunae 6. mensis Martii 1559 [5]: S^{mus} D. N. pollicitus est edere bullam super residentia episcoporum in suis episcopatibus, statuens ex hac die terminum unius mensis episcopis, archiepiscopis et patriarchis, prout in decreto, quod D. Barengus secretarius legit et apud se retinuit.

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 148^{r}; *Acta cam. 9* f. 2^{r} *hanc habent versionem:* In ipso consistorio fuit lecta et publicata bulla super residentia praelatorum, ante cuius lectionem papa coram pluribus praelatis, qui forte aderant, plura verba super ea re fecit.

[1] Uberiorem relationem exhibet card. Dandinus Alexandro Farnesio in litteris 29. Nov. 1558 datis (Arch. Vat. *Princ. 147A* f. 491^{r}-492^{r}):

... N. S^{re} mostrando di fare questo concistoro a posta per questo disse che havendo S. Sta havuto sempre animo d'attendere al santo et necessario negotio della reformatione, nel quale se non fusse stato impedito dal demonio che v'interpose quella guerra, si sarebbe a quest'hora tanto inanzi che poco ci potrebbe rimaner che fare, haveva S. B^{ne} pensato et pensava che era necessario reformare et levare molti abusi, che sono in tutti li offitii di questa corte, et massime ne principali, come è la penitentiaria, cancellaria et camarlengato, et che come prima vidde mandata da Dio la vacantia dell'offitio dell'auditorato della camera, tribunale ordinario non solo di questa corte et stato, ma di tutto il mondo, che è in mano de christiani, subito dissegnò di cominciar da quello, parendoli di poter far in esso ciò che li fusse parso bene senza querela di chi potesse dire d'haverlo havuto titulo oneroso, et per questo non ostante che in quel tempo il fuoco della guerra ardeva, havesse penuria grande de denari, non lo volesse vendere, ancora che le fusse fatta offerta di somma non contentibile, et che essendo stato sempre in questa opinione, et havendo etiam considerato che a provedere che questo offitio non fusse più venale per l'avenire, si levava una occasione grande di simonia non solo dalla parte del computore, il quale subito pensava per quel mezzo arrivare al cardinalato, ma anche dalla parte di quelli, a che apparteneva dare tali dignità spirituali etc.

Finalmente si era risoluta che tal offitio si aggiungesse alli altri, che sono fatti cardinalitii, non essendo molto tempo che erano in prelati inferiori, nominando li medesimi tre offitii sopradetti. Et che, se bene ci erano nel collegio molti cardinali degni di tal offitio, nondimeno per il fine che S. Sta haveva di volerlo reformare et in capite et in membris, era stata inspirata di ponerlo in persona di Mons. Rev^{mo} et Illmo card. di Napoli suo pronepote et allevo, della fede, integrità et virtù del quale disse amplamente come quello, che in causa scientiae lo poteva dire, et cosi accennando a Mons. Rev^{mo} de Carpi, quale era capo di banca in absentia del decano, S. S. Rev^{ma} laudò pienamente questo santo proposito di S. Sta, approbò la elettione della persona et egit ingentes gratias, et cosi di mano in mano fu fatto da tutti gli altri con molto plauso et con molta contentezza di S. B^{ne}, come si vidde assai chiaramente. La quale inoltre soggiunse che 'l medesimo haveva pensato di fare dell'offitio del vicariato del papa, cioè che da qui innanzi fusse in persona di un cardinale seguitando in cio l'opinione della santa memoria di papa Paolo terzo suo padre et predecessore, il quale volse dare a lui, mentre era cardinale, detto vicariato, et cosi auctoritate omnipotentis Dei etc. dichiarò ordinò, statuì et commandò che l'offitio sudetto dell'auditorato della camera fusse per l'avenire posto sempre in persona de cardinali et si chiamasse non più auditore, ma reggente della camera, con quelle reformationi, additioni et diminutioni et assignationi di stipendio, che a S. Sta fusse parso convenire, et al presente lo dava et conferiva in persona del sudetto card. de Napoli confidato nella virtù et fede sua etc. Et il medesimo disse del vicariato dandolo al presente al cardinale de Spoleti, l'uno et l'altro de quali ne baccio i piedi a S. Sta et ringraziò i cardinali et per terzo Mons. Illmo Carafa fece il medesimo mostrando haver più caro quell'offitio in persona del nepote che se fusse in persona propria.

[2] Est bulla *Cum secundum Apostolum* die 16. Decembris 1558 data, in *Bull. Rom.* VI 545 sqq.

[3] Videl. Aloisio Lippomano; qui post Silvestrum Aldobrandinum a. 1557 secretarius qui dicitur domesticus nominatus erat. Cfr. *Ancel* l. c. 428 sqq.

[4] Ep. Lavellinus erat 1558-1561 Antonius Florebellus, de quo praeter *Ancel* l. c. 456 cfr. *Tiraboschi*, Storia della letteratura italiana III 428.

[5] Cfr. relationem Massarelli *Conc. Trid.* II 330, 21 sqq. De qua bulla Polancus die 5. Martii 1559 scripsit (Mon. Hist. Soc. Iesu: *Epp. Salmeronis* I 276): *Al primo consistorio, che dicono sera domani, sia spetta mandara fuora la bolla della residentia delli vescovi, et che mandara fuora quelli che qui stanno a governar le sue pecorelle.*

XXVII. Romae apud S. Petrum die mercurii 15. mensis Martii 1559: Decrevit, quod deinceps concordata dudum inter sedem apostolicam et regem Franciae[1] super nominatione personarum ecclesiasticarum certis modo et forma in eis expressis qualificatarum ad ecclesias et monasteria regni Franciae pro tempore vacantia promovendarum per eundem regem facienda omnino servarentur.

Cons. Acta vicecanc. 8 f. 152^r^.

[*In eodem consistorio:*]

Referente S^mo^ D. N. fuit provisum ecclesiae Brixiensi tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona D. Dominici Bolani laici nobilis Veneti, in qua provisione S^tas^ S. fecit mentionem de accessibus iam revocatis, quorum dixit etiam nomen velle deleri, et de plenitudine potestatis revocavit et annullavit omnem provisionem in alterius favorem factam. Dixit etiam, quod cum alias proposuisset praedictam Brixiensem et Bergomensem ecclesias, reservavit super utraque pensionem, quae medietatem fructuum non excederet, sed quia reperit hanc multum gravatam pensionibus antiquis, nihil ad praesens declarabat, sed videbit, quid facere possit[2].

Cons. Acta cam. 9 f. 2^r^.

XXVIII. Die mercurii 2. Augusti [1559]: In eo consistorio S^mus^ D. N. multis et gravibus verbis tunc hortando tunc admonendo mandavit omnibus Rev^mis^, quibus aliquae causae commissae fuissent aut committerentur, ne auderent alicui partium favere, cum omnibus quidem iudicibus, maxime vero ipsis cardinalibus conveniret, non declinare ad dexteram aut ad sinistram, sed via recta incedere et omni carere suspitione.

Cons. Acta cam. 9 f. 5^v^.

[1] Cfr. supra p. 117 adn. 1.

[2] In codice *Vat. lat. 12282*: «Diario di diverse cose notabili soccesse nel mondo l'ultimo anno del pontificato di papa Paolo IV Carafa» f. 34^r^ narratur de hoc consistorio, omnes exspectasse, papam in Bellaium, Carpensem et Cesium cardinales invectum iri, quia ad consistorium a pontifice vocati non venissent; sed nihil hac de re dixit. Elogium tantum Io. Gropperi paulo ante mortui habuit, de quo cfr. *W. van Gulik*, Ioh. Gropper 174 sq.

Paucis post diebus, i. e. 21. Martii, pontifex in congregatione praelatorum ad hoc vocatorum de residentia orationem habuit, quam adnectimur ex eodem diario:

N. S. fece congregazione generale de' prelati nella sala di Costantino, che fu intimata per cursori et cominciò a 22 hore et meza, dove S. Sta fece un sermone | che durò un'hora e meza parlando latino sempre indefessamente con tanta vehemenza, prontezza et facondia, che fece meravigliare ognuno, che l'udiva. La sostanza del qual ragionamento fù, ch'erano più mesi, ch'egli era stato in grandissima espettatione che dovesse seguire concordia et pace tra prencipi christiani, la quale seguita che fusse, egli haveva havuto in animo sempre di convocare un concilio a Roma, dove haveria sperato, che tutti li prencipi vi sariano concorsi volentieri, e che tirato da questa speranza, egli s'era lasciato portare tant'oltre a non provedere che li prelati andassero alle loro | chiese, sicome era precetto di Dio, pensando di doversene valere qui. Ma perche vedeva che le speranze della pace erano tante volte state fraudate, dubitando che le cose non dovessero andare in lungo et non potendo senza carico suo et molto danno della chiesa universale lasciare il gregge senza i suoi pastori, ch'egli percio s'era mosso a fare questo decreto della residenza de' prelati, il quale decreto però era decreto divino; e qui si stesse a provarlo con molte allegationi di S. Paolo ad Timotheum, di San Gregorio e d'altri pontefici, et aggiunse, che poiche haveva visto, che i prelati non ostante che conoscessero, qual era il debito loro, non | dimeno stavano tuttavia otiosi cosi e tepido nell'andare alla cura del loro gregge, percio era stato sforzato a fare quel decreto per ridurli alla vera via, imponendovi quelle pene gravi, che in esso si contengono, percio che tutto conosceva essere a beneficio e salute loro, i quali dovrebbono far conoscere, di quanto danno fusse alle città et al gregge il mancare della cura et custodire del suo pastore. Et quivi fece un bello et lungo discorso degl'inconvenienti, che seguivano tanto in danno dell'anime delle quali si deve haver si gran cura, quanto delli prelati istessi per l'assentia loro, allegando | in ciò molte autorità di molti santi, et mostrò all'incontro il frutto che partoriva la presentia di prelati, et a questo proposito disse, che quando egli fu fatto vescovo, subito andò al vescovato, et concludendo esortò tutti li prelati a volere andare alle cure loro, attendendo con ogni solertia et diligenza a guardare le sue pecorelle, et che per la difensione della libertà ecclesiastica e delle cose di Dio dovessero procedere non solo contro i chierici, ma contro ogn'huomo indifferentemente, etiam contra reges et principes, allegando l'essempio di Sant'Ambrogio, aggiungendo ch'egli l'aggiuntaria sempre et favoreria con quelle gratie spirituali che sapessero desiderare, e ch'egli terria | sempre memoria di quelli che facessero il debito loro. Altrimente minatus est acerbe di privare i disubedienti, et qui si stese assai essortando, ammonendo et commandando a ciascuno a dovere prontamente obedire al decreto, soggiungendo che a fine che non paresse che questo decreto fosse fatto contra presentes tantum, tornava a repetere, che omnes episcopi post tres dies Paschae deberent se accingere itineri, e che se vi saria alcuno ch'egli giudicasse habile a poter servir alla chiesa universale et aiutarlo a sostenere questo peso, il quale non è bastante a portare solo per l'età, e per molt'altre cause, faceva intendere che questi tali servendo | ex mandato alla chiesa universale che potevano quietare in conscientia, perche servirebbono ancora alla particolare, et questo mostrò S. B^ne^, che non era alieno da sacri canoni dandone l'esempio de molti pontefici santi. E cosi havendoli data una benedittione, si finì la congregatione senza ch'alcuno dicesse parola a S. B^ne^, la quale però al fine del ragionamento disse, che se vi fosse stato alcuno, che particolarmente havesse havuto bisogno di parlare, ch'egli l'havrebbe udito volentieri. Furono a questa congregatione li cardinali di palazzo e da circa 50 vescovi. Bibl. Vat. *Vat. lat. 12282* f. 35^v^-38^v^, cop. saec. XVII; ed. ab *H. Lämmer*, Mantissa 210 sqq.

61.

Acta super reformatione ecclesiae sub Paulo IV pont. maximo [1].

Anno 1556.

Romae Arch. Vat. *Conc.* 79 f. 32^{r} – 54^{v}, or. Massarelli manu scriptum. Acta primae congregationis edita sunt a *Pastor* VI 664-666; fragmenta actorum 29. Ian. et 2. Febr. *ibid.* 667 sq.

Prima congregatio: Pontifex exponit promptitudinem animi et desiderii sui circa universalem ecclesiae reformationem proponitque caput, a quo sit initium auspicandum.

[20. Ian. 1556].

Cum S^{mus} in Christo pater et Dominus noster Dominus Paulus divina providentia papa IV iam inde ab initio assumptionis suae animum adiecisset ad ea facienda, quae honori Dei et fidei suae catholicae exaltationi conducere viderentur, nihil sibi antiquius fuit, quam ut generali ipsius ecclesiae reformationi omne studium et operam enavaret. Quam quidem intentionem etsi perpetuo ab ipso pontificatus initio retinuerit, eam tamen ob diversa impedimenta et publicas occupationes, quae hoc medio tempore acciderunt, executioni hactenus non sine animi sui ingenti dolore demandare non potuit. Verum ne hoc tam sanctum et salutare B^{nis} Suae propositum diutius in ipsius ecclesiae detrimentum et animarum dispendium differretur, ipsi reformationi absque ulteriori mora initium, Deo favente, dare constituit. Et licet pontifex Spiritu Sancto duce ac potestate sibi a Deo tradita per se solum hanc provinciam absolvere potuisset, tamen quia, ubi est multitudo sapientium, ibi est salus et verum consilium [2], decrevit rem ipsam cum venerabilibus fratribus suis S. R. E. cardinalibus primo, deinde cum aliquibus episcopis et praelatis ac etiam omnis ordinis, etiam inferioris, sacrae theologiae professoribus necnon canonum et legum peritis conferre atque examinare, ut tandem Deo ipso iuvante reformatio ipsa communi omnium voto et consilio in ecclesia Dei decerneretur. Quare hodie die lunae 20. mensis Ianuarii, anno a nativitate Domini 1556 hora 20 vocatis ad se cardinalibus, praelatis, theologis et aliis infrascriptis ad ipsius omnipotentis Dei gloriam et religionis christianae incrementum congregationem primam super ipso negotio reformationis in palatio apostolico, in aula magna | superiori, quae Constantini nuncupatur, habuit. Quibus dominis et praelatis sic congregatis, S^{tas} Sua primum significavit eius pium desiderium et animum reformandi abusus in ecclesia Dei hominum et temporum iniuria subortos, retulitque labores, quos hactenus superiores eius summi pontifices, etiam congregatione concilii consumpserunt. Et quod, licet res ipsa frustra hucusque tentata fuerit [3], sperare se tamen in bonitate Dei eam aliquando praestari posse. Qua quidem in re omnem operam, omnem diligentiam et curam esse adhibituram, et pro qua nihil laboris, nihil incommodi, nihilve alterius cuiusvis oneris, etiam cum propriae vitae periculo haud subituram esse. Cum autem caput et radicem totius reformationis esse haeresim simoniacam ostendisset, in primis et ante omnia ad eam eradicandam et penitus evellendam omni conatu vacandum esse comprobavit. Et iure quidem ac merito S^{tas} Sua ab ipsius simoniae extirpatione initium sumit. Nam nihil profecto est, quod magis ecclesiae Dei officiat et ministerium sacerdotale commaculet atque perturbet nihilque magis animas illaqueet et ad interitum ducat quam simonia. Quam certe eo magis pontifex evellere debet, cum non sequutae hucusque ipsius ecclesiae reformationis praecipuam et solam fere causam detractores et haeretici omnes in pontifices maximos retulerunt: eos scilicet reformationem hanc et noluisse et distulisse propter lucri nescio cuius, qui in datariatu fit, amissionem. At summus et vere Sanctissimus noster pontifex lucra, divitias et mundana omnia parvipendens, solum Deum et animarum salutem prae oculis habens eam ipsam reformationem, nullius sui incommodi, nullius damni (sed neque

Conc. 79 f. 32^{r}

32^{v}

[1] De his pro reformatione congregationibus cfr. *Conc. Trid.* II 286 sqq. et relationes Navagerii, oratoris Venetiani, ibi adnotatas; *Pastor* VI 452 sqq. et Prolegomena nostra.

[2] Cfr. *Prov.* 24. 6.

[3] Bene est animadvertendum, Paulum IV hic ut et alicubi omnia, quae sub praedecessoribus pontificibus pro ecclesia reformanda deliberata decretaque erant, effectum non habuisse aperte admodum innuere.

33r damnum existimat amitti, quod iniuste quaeritur) | neque carnalis affectus habita ratione, omnino constituere et ab ipsius simoniae, ut dictum est, eradicatione initium sumere decrevit. In qua sane eradicatione facienda eorum patrum, qui aderant, iudicium et consilium libenter se audire velle et cupere declaravit, eosque propterea monuit et hortatus est, eis nihilominus in virtute sanctae obedientiae praecipiens, ut ipsi materiae explicandae et declarandae studium et diligentiam adhiberent, ita ut suo tempore revocati possent super ea re sententias dicere, comminatusque est eis, ut id in ipsis sententiis dicerent, quod secundum Deum et conscientiam sentirent: fugerentque in omnibus vitium adulationis atque assentationis, constanter eis asseverans, ut qui aliter facerent, praeter id, quod a Deo dignam poenam reciperent, S^{tis} etiam Suae indignationem non effugerent; qui vero veritatem pure et syncere iuxta eorum captum et capacitatem dicerent, et a Deo ipso praemium et a Ste Sua laudem essent reportaturi. Exposuitque caput principale, super quo eorum studiis invigilare, quodque discutere et examinare deberent:

An videlicet usus potestatis datae a Christo Domino nostro Petro, ecclesiae suae capiti, possit cadere sub pretio.

Admonens iterum patres, ut lubenti animo id laboris studendi et veritatis perquirendae susciperent et, quod deinde invenissent, id verbo suo tempore dicere et in scriptis etiam ponere procurarent. Quibus dictis, rogavit R^{morum} DD. cardinalium sententias, an videlicet super iis, quae S^{tas} Sua dixerat, aliquid ipsis patribus ulterius explicandum iudicarent. Cum omnes proposita a Ste Sua collaudassent, dimittitur congregatio, et patres omnes recesserunt hora circiter 23. |

33v Nomina eorum, qui interfuerunt suprascriptae congregationi: S. R. E. Cardinales episcopi: [1].

Rev^{mus} D. Ioannes Bellaius, ep. Ostiensis, s. collegii decanus, dictus Bellaius	Gallus
Rev^{mus} D. Franciscus de Turnone, ep. Sabinensis, dictus Turnonius	Gallus
Rev^{mus} D. Rodulphus Pius, ep. Portuensis, dictus Carpensis	de Carpo
Rev^{mus} D. Ioannes de Toleto O. Pr., ep. Tusculanus, dictus Compostellanus	Hispanus

Presbyteri:

Rev^{mus} D. Michael Sylvius, tit. S. Mariae trans Tiberim, dictus Viseus	Lusitanus
Rev^{mus} D. Ioannes Moronus, tit. S. Laurentii in Lucina, dictus Moronus	Mediolanensis
Rev^{mus} D. Georgius de Armeniaco, tit. SS. Ioannis et Pauli, dictus de Arminiaco [!]	Gallus
Rev^{mus} D. Otto Truchses, tit. S. Sabinae, dictus Augustensis	Germanus
Rev^{mus} D. Federicus Caesius, tit. SS. Aquilae et Priscae, dictus de Caesis	Romanus
Rev^{mus} Petrus Patciecus, tit. S. Balbinae, dictus Patciecus	Hispanus
Rev^{mus} D. Rainucius Farnesius, tit. S. Angeli, maior poenitentiarius, dictus S. Angeli	Romanus
Rev^{mus} D. Michael Sarracenus tit. S. Mariae in Ara coeli dictus Sarracenus	Neapolitanus
Rev^{mus} D. Iacobus Puteus, tit. S. Mariae in via, dictus Puteus	Niciensis
Rev^{mus} D. Petrus Bertanus O. Pr., tit. SS. Petri et Marcellini	Mutinensis
Rev^{mus} D. Fabius Mignanellus, tit. S. Silvestri in Campo, dictus Mignanellus	Senensis
Rev^{mus} D. Bernardinus Scottus, tit. S. Matthei, dictus Tranensis	Sabinus
Rev^{mus} D. Scipio Rebiba, tit. S. Potentianae, dictus Motulanus	Siculus
Rev^{mus} D. Ioannes Reomanus, tit. S. Ioannis ante portam Latinam, dictus Mirapicensis	Gallus
Rev^{mus} Ioannes Antonius Capisuccus, tit. S. Pancratii, dictus Capisuccus	Romanus

Diaconus:

Rev^{mus} D. Carolus Carafa, S. Viti in macello, dictus de Caraffa	Neapolitanus |

34r Praelati et officiales curiae:

Caesar Brancacius, prot. apost., almae Urbis gubernator	Neapolitanus
Bernardinus Medices utr. iuris doctor, senator Urbis	Lucensis

[1] Alter nominum eorundem elenchus, sed brevior, exstat *Conc.* 79 f. 83r et f. 92r.

Ioannes Iacobus Barba, ep. Interamnensis, sacrista apostolicus	Neapolitanus
Virgilius Rosarius, ep. Isclanus, vicarius papae	Spoletanus
Galeatius Florimontius, ep. Suessanus	Suessanus
Albertus Dulmius, ep. Vegliensis	Dalmatus
Vitellotius Vitellotius, ep. Civitatis Castelli, clericus camerae apostolicae	Typhernas

Referendarii gratiae:

Christophorus de Spiritibus, ep. Cesenatensis, patriarcha Hierosolymitanus	Viterbiensis
Thaddeus Gaddus, archiep. Cusentinus	Florentinus
Annibal Buzutus, archiep. Avenionensis	Neapolitanus
Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
Antonius Tri[v]ultius, ep. Tolonensis	Mediolanensis
Nicolaus Venceyus, ep. Balneoregiensis	Lothoringus
Ioannes Franciscus Barengus, ep. Larinensis	Mediolanensis
Ludovicus Simonetta, ep. Pisauriensis	Mediolanensis
Fabius Acorambonus, auditor Rotae	Eugubinus
Paulus Draco, prot. apostol.	Romanus
Benedictus Lomellinus, prot. apost.	Genuensis
Franciscus de Theodoricis, auditor camerae	Recanatensis

Auditores Rotae:

Fabius Acorambonus, prot. apost., decanus	Eugubinus [1]
Paulus Emilius Verallus, archiep. Rossanensis	Romanus
Prosper de S. Cruce, ep. Chissamensis	Romanus |
Fridericus Fantucius, prot. apost.	Bononiensis 34r
Antonius de Augustinis, prot. apost.	Hispanus

[Magister s. palatii:]

Petrus Paulus Iannarinus O. Pr., magister s. palatii	Aretinus

Generales ordinum:

Stephanus Ususmaris, gen. ord. Praedicatorum	Genuensis
Clemens de Monilia, gen. ord. Min. de observantia	Genuensis
Iulius Magnanus, gen. ord. Min. conventualium	Placentinus

Officiales:

Franciscus Bacodius, prodatarius	Sabaudiensis
Paulus Odescalcus, corrector cancellariae	Mediolanensis
Marcus Antonius Burghesius, decanus advocatorum consistorialium	Senensis
Sylvester Aldobrandinus, advocatus consist.	Florentinus
Franciscus Aragonia, decanus abbreviatorum	Romanus
Basiliis de Ferrariis, rescribendarius cancellariae [2]	Mediolanensis
Paulus Draco, regens poenitentiariae	Romanus
Antonius Massa, procurator	de Gallesio
Paulus Pla, procurator	Hispanus

Theologi:

Michael Alexandrinus O. Pr., commissarius sanctae inquisitionis	Alexandrinus
Iacobus Laynez congregationis Iesu	Hispanus
Hieronymus Arze, presb. saecularis	Hispanus
Franciscus Torres, presb. saecularis	Hispanus
Ioannes Bapt. Caldarinus ord. Servorum[a] |	

[a] *Conc. 79 f. 83r et f. 92r I. B. Calderarium, qui erat poenitentiarius* in basilica S. Petri *ante Fr. Torrem ponunt.*

[1] Acorambonus iam inter referendarios numeratus hic iterum adducitur; similiter infra inter officiales Paulus Draco.

[2] « Rescribendarius » appellabatur caput scriptorum cancellariae. De cuius officio cf. *Hofmann,* Forschungen I 117 sqq.

Congregatio secunda: Pontifex iterum declarat firmissimam eius intentionem circa ecclesiae reformationem proponitque modum procedendi.

35r Die mercurii 29 eiusdem mensis Januarii, hora 20 habita est secunda congregatio, in qua vocati sunt tam illi patres et theologi, qui superius in alia congregatione nominantur, quam alii praelati omnes, qui in Urbe praesentes fuerunt, ac etiam generales omnes ordinum et alii theologi quamplures, necnon Urbis magistratus et curiae officiales, ut scilicet, quo maiori numero erunt consultores, eo sanius et fidelius habeatur consilium [1]. Quibus S^tas^ Sua exposuit summatim ea, quae in praecedenti congregatione proposuerat, de constanti videlicet eius animo in tollendis abusibus et ecclesiae reformationi, quam omnino, licet frustra toties ab eius praedecessoribus tentatam, perficere Deo dante cupiebat, in primisque, ut alias dixerat, extirpandam esse ab ipsa ecclesia haeresim simoniae, quae uti fuit prima haeresis, quae post Christi mortem in ecclesia orta est, ita omnium maxime ecclesiam ipsam perturbat et animarum saluti officit. Super qua re principaliter ipsorum patrum sententias audire cupiebat:

A n v i d e l i c e t u s u s p o t e s t a t i s d a t a e a C h r i s t o P e t r o e i u s v i c a r i o p o s s i t c a d e r e s u b p r e t i o, i t a u t a l i q u o p r a e t e x t u c o n t r a c t a r i p e c u n i a p o s s i t.

Ac propterea patres omnes praepararent se ad dicendum suo tempore, quicquid libere, pure et syncere pro veritate et conscientia, iuxta ecclesiae catholicae doctrinam sentirent, idque etiam in scriptis ponere non gravarentur. Et quoniam, inquiens, materia ipsa, de qua agitur, omnium gravissima est requiritque exactissimam curam, diligentiam ac studium, etsi S^tas^ Sua sit parata non solum bis, ter aut quater, sed decies, vigecies et toties, quoties opus fuerit, eos congregare et, quousque quisquam loqui aliquid voluerit ad cuiusque libitum et voluntatem atque animi expletionem eos patienter audire, ut tamen in ipsa veritate inquirenda et materia pertractanda diligentius ac maturius procedatur, dixit sibi videri servandum esse morem, qui hactenus in conciliis generalibus observatus fuit [2], procedendi scilicet per
35v classes. Quae consti|tuentur ex certis deputatis cardinalibus, quibus adiicientur aliqui praelati et aliqui viri docti, tam ex ordine theologorum quam iuristarum et canonistarum. In quibus classibus materiae distinctae proponentur et examinabuntur, deinde id, quod in unaquaque earum tractatum fuerit, coram Sua S^te^ in plena congregatione referetur, postremo cum consilio fratrum suorum S. R. E. cardinalium deliberatio capietur et decretum firmabitur. His dictis rogavit ipse pontifex patrum sententias super ipso modo procedendi, an videlicet aptus et rei, de qua agitur, conveniens videretur. Primusque omnium cardinalis B e l l a i u s sacri collegii decanus laudavit modum propositum a Ste Sua. Deinde cum cardinalis T u r n o n i u s petiisset a Ste Sua declarari, de qua simonia ipsa Beatitudo Sua intelligeret, an videlicet de ea, quae iure divino prohibita est, an vero [ea], quae iure positivo uti simonia etiam prohibetur, pontifex ipse multis verbis ac rationibus improbavit ac detestatus est eam distinctionem, quam canonistae et alii doctores faciunt, duplicem videlicet esse simoniam, alteram iure divino prohibitam, quae prohibita est, quia simonia, alteram prohibitam iure positivo, quae ideo simonia censetur, quia prohibita ut simonia, declarans in primis, simoniacam labem non posse neque ab angelis neque ab ulla mundana potestate constitui, sed tantum ab ipso Deo, ac propterea nullam aliam esse simoniam nisi unam, et eam iure divino prohibitam; id autem, quod iure positivo prohibetur, esse quidem malum, quia prohibitum, verum quod sit simoniacum, per prohibitionem non posse fieri; quod enim annexum est rei spirituali, id etiam sapere simoniam et quidem iure divino prohibitam, quousque ipsi rei spirituali annexum est, etiam quod sit aliquod mere temporale, ut praedium, domus et similia, sicuti etiam declaratur in c. [7] *Si quis obiecerit* [C.] prima q. 3 [3]. Si autem res ipsa temporalis a spirituali sepa-
36r retur, quod iure positivo fieri potest, desinet cadere sub simonia. Commonuitque | iterum patres, ut similes distinctiones et aniles, ut aiebat, fabulas in dicendis sententiis devitarent, idque solum dicerent, quod ad rem propositam conduceret. Deinde interrogavit

[1] Cfr. *Prov.* 11, 14; 24, 6.

[2] Revera modus dividendi patres in « classes » praeterquam inter initia concilii Tridentini (*Conc. Trid.* IV 572; I 24 sq.) nunquam in conciliis observabatur, nam « deputationes » concilii Basiliensis sicut et Lateranensis V — ut priora omittamus — non, ut « classes » omnes de iisdem materiis disputabant, sed de diversis. Cfr. *P. Lazarus*, Das Basler Konzil (Berlin 1912) 100 sqq.; *Hefele-Hergenröther* VIII 566 sqq. De deputationibus concilii Lateranensis V et his nostris classibus in Prolegomenis egimus.

[3] *Friedberg* I 413.

dominos et patres, an aliqui eorum vellent super modo procedendi iam proposito aliquid dicere, vel qui magis voluissent, cedulam in scriptis mitterent. Cumque ab omnibus uno ore modus a Ste Sua propositus probaretur, dimittitur congregatio hora circiter 23. Nomina autem eorum, qui huic congregationi interfuerunt, inferius suo loco describentur.

Congregatio secretae deputationis: Agitur de modo ordinandi classes, et qui ad eas constituendas vocandi sint.

Die ovis 30. dicti mensis Januarii hora 21 habetur congregatio secretae deputationis cardinalium coram Ste Sua super eodem negotio reformationis.

Qui quidem cardinales fuerunt R^{di} DD. Armeniacus, Sarracenus, Puteus, Tranensis, Motulanensis et Mira[pi]censis. Actum est de modo ordinandi classes. Unaquaeque enim constituetur ex certis cardinalibus et praelatis, quibus addentur aliqui theologi et canonistae ac iuristae. In ipsis autem classibus materiae distinctae proponentur et examinabuntur. Et quod in qualibet earum discussum fuerit, id per conclusiones in plena congregatione referetur. Unicuique verum classi cardinalis, qui erit primus in ordine, praeficietur. Ad eas autem classes constituendas in primis deputati sunt 24 cardinales, qui dividendi sunt in tres partes iuxta ordinem suarum promotionum; ita ut quaelibet classis habeat 8 cardinales. Ipsi autem 24 cardinales deputati sunt, qui sequuntur: |

[*Sequuntur nomina cardinalium ut supra, additis in ordine diaconorum Alexandro Far-* 36^{v}
nesio, Guidone Ascanio Sfortia et Iacobo Sabello cardinalibus].

Quo vero ad eligendos praelatos et alios, qui suprascriptis cardinalibus addendi erunt, 37^{r}
decretum fuit vocari debere infrascriptos ad proximam diem dominicam 2. Februarii data cursoribus cedula, quae subsequitur:

Vocentur omnes praelati coram S^{mo} D. N. in camera papagalli pro die dominica proxima 2. Febr. ante ingressum Suae S^{tis} in cappellam ad audiendam mentem S^{tis} Suae.

Vocentur item infrascripti, videl. [1] gubernator Urbis, senator, referendarii omnes, sacrista apostolicus, vicarius papae, generales et procuratores ordinum, et si qui alii nomine religionum in curia resident, auditor camerae, auditores Rotae omnes, magister s. palatii, decanus clericorum camerae cum uno alio clerico, Franciscus Bacodus prodatarius, decanus poenitentiariorum S. Petri, corrector cancellariae, decanus advocatorum consistorialium, | decanus 37^{v}
abbreviatorum cum uno alio abbreviatore, rescribendarius cancellariae cum duobus scriptoribus, regens poenitentiariae cum duobus aliis officialibus, theologi: Michael Alexandrinus O. Pr. commissarius sanctae inquisitionis, Iacobus Laynez societatis Iesu, Hispanus, Hieronymus Arze presb. saecularis, Hispanus, Franciscus Torres presb. saecularis, Hispanus, Ioannes Bapt. Caldarinus ord. Servorum, poenitentiarius in basilica B. Petri, Antonius Massa de Gallesio iuris utr. doctor, procurator [a].

Congregatio generalis: Iniungitur praelatis, ut ipsi ex eis 24 eligant pro classibus super reformatione constituendis.

Die dominica 2. Februarii dicti anni 1556 in festo Purificationis B. Mariae, hora circiter 16 in aula, quae Pappagalli vulgo dicitur, antequam pontifex iret ad audienda sacra, convenere coram Ste Sua omnes praelati et alii, qui in superiori cedula nominantur. Quibus praelatus pontifex significavit mentem suam esse, ut ipsi 24 ex eis eligerent ac deputarent, qui una cum aliis a Ste Sua deputandis per 3 classes distincti curam particularem suscepturi essent negotii reformationis, ac propterea eo ipso mane post celebrationem missae congregarentur in eodem sacello et ipsam electionem facerent. Admonuitque eos, ut omni carnali affectu seposito solumque Deum et conscientiam prae oculis habentes eos dumtaxat eligerent, qui ad tantum onus suscipiendum idonei et digni fuissent. His dictis itum est in sacellum Sixti, ubi candelae benedictae distributaeque sunt, sacraque ipsa celebrante R^{mo} D. cardinali Messanensi peracta fuerunt. |

[a] *Conc. 79 f. 93r add.* Angelus Massarellus secretarius.

[1] Iidem elenchi exstant *Conc. 79* f. 84^{r}. 93^{r}. 99^{r}.

Congregatio generalis praelatorum: Deputantur 24 praelati super reformatione.

[2. Febr. 1556].

38r Eadem igitur die dominica, absolutis sacris recedentibusque e sacello pontifice, cardinalibus et ceteris aliis omnibus, remanserunt solummodo praelati, quibus S[tas] Sua adiunxit tres R[mos] D D. cardinales, videlicet Bellayum primum episcopum, Moronum primum presbyterum, impedito adversa valitudine R[mo] D. Viseo, et Farnesium primum diaconum, ut ipsis praelatis assisterent ac praesiderent. Praelatis autem sic congregatis cardinales praefati denuo exposuerunt mentem S[tis] Suae esse scilicet, ut ipsi inter eos per vota secreta 24 eligerent, qui una cum aliis a S[te] Sua deputandis praecipuam ipsius reformationis curam susciperent. Deinde quilibet eorum, qui 63 numero erant, scrutinio positus est, et tandem 24, qui plura vota habuerunt, electi et deputati sunt, quorum nomina sunt quae sequuntur[1]:

24 praelati deputati super reformatione in congregatione generali ipsorum praelatorum.

Patriarchae:

R. D. Christophorus de Spiritibus, ep. Cesenatensis, patriarcha Hierosolymitanus	Viterbiensis
R. D. Ioannes Grimanus, patriarcha Aquilegiensis	Venetus

Archiepiscopi:

R. D. Ioannes Bandineus, archiep. Senensis	Senensis
R. P. Taddeus Gaddus, archiep. Cusentinus	Florentinus
R. D. Paulus Emilius Verallus, archiep. Rossanensis	Romanus
R. D. Ioannes Bapt. Ursinus, archiep. S. Severinae	Romanus

Episcopi:

R. P. Marcus Vigerius, ep. Senogalliensis	Savonensis |
38v R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Hieronymus Foscharus, ep. Torcellanus	Venetus
R. D. Antonius Tri[v]ultius, ep. Tolonensis	Mediolanensis
R. D. Petrus Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis	Hypporegiensis
R. D. Ludovicus Simonetta, ep. Pisauriensis	Mediolanensis
R. D. Scipio Bongallus, ep. Civitatis Castellanae	Romanus
R. D. Galeatius Floremontius, ep. Suessanus	Suessanus
R. D. Ioannes Iacobus Barba, ep. Interamnensis, sacrista apostolicus	Neapolitanus
R. D. Michael a Turre, ep. Cenetensis	Utinensis
R. D. Ioannes Bapt. Caracciolus, ep. Venafranus	Neapolitanus
R. D. Bernardinus de Salviatis, ep. S. Papuli	Florentinus
R. D. Fabius Cupellatus, ep. Laquedonensis	Placentinus
R. D. Hadrianus Fusconius, ep. Aquinatensis	Nurcinus
R. D. Virgilius Rosarius, ep. Isclanus, vicarius papae	Spoletanus
R. D. Marianus de Sabellis, ep. Neocastrensis	Romanus
R. D. Urbanus Vigerius, ep. Megarensis	Savonensis
R. D. Ioannes Franciscus Commendonus, ep. Zacynthensis et Cephalonensis	Venetus

39r-40r Praelati, qui interfuerunt congregationi generali, in qua deputati sunt 24 praelati suprascripti[2].

Ultra 24 suprascriptos archiepiscopi Spalatrensis, Amalfitanus[a 3], Corcirensis, Brundusinus et Oritanus, Florentinus, Taurinensis; episcopi Gaddicensis, Troianus, Iserniensis,

[a] *Conc. 79 f. 85v* Anconitanus vel Amalfitanus

[1] Scrutinium originale extat *Conc. 79* f. 96r-97r. Ex quo adnotetur sacristam 62, Pisauriensem et Senogalliensem 59, Feltrensem, Tolonensem et Rossanum 58, Hierosolymitanum et Suessanum 56 voces habuisse.

[2] Brevitatis causa nomina et cognomina praetermittimus. Alia elenchi forma *Conc. 79* f. 85v et iterum f. 90r exstat. Ordo, quo singuli praelati promoti fuerint, habetur *ibid.* f. 58r et 59.

[3] Hieronymus de Glanderonibus, 1519-1530 archiep. Amalfitanus, 1538-1550 administrator episcopatus Anconitani fuerat. *Van Gulik-Eubel* III 118. 120.

Millopotamensis[a], Theanensis, Emoniensis, Tarvisinus, Minerbinensis, Vulturariensis[b] antiquior, Castellanetensis[c], Melfiensis, Ariensis[d 1], Cerviensis, Saonensis, Forosempronienis, Sulmonensis, Chissamensis, Adiacensis, Sarnensis, Calinensis, Boianus, Ariensis-Calamonensis, Montispilosii, Foroliviensis, Sagonensis, Vulturariensis iunior[e 2] Grossetanus, Melfetensis, Montisalcini, Casertanus iunior, Alexanensis et Leucadensis, Fundanus iunior, Montisflasconis.

Praelati, qui ultra suprascriptos eo tempore erant praesentes in Urbe[3]. 40^r-41^v

Patriarcha Alexandrinus; archiepiscopi Tarentinus, Beneventanus, Upsalensis, Genuensis, Aquensis, Avenionensis, Iadrensis; episcopi Thelesinus senior, Placentinus, Foroiuliensis, Tiburtinus senior, Militensis, Anagninus, Angolismensis, Gravinensis, Asisinatensis senior, Triventinus, Britonoriensis, Lavellensis, Bellicastrensis[4], Castrensis, Polignanensis, Balneoregiensis, Terracinensis, Alatrinus, Hieropolensis, Polensis, Thelesinus iunior, Melfiensis iunior, Anglonensis, Comensis, Bobiensis, Bisignanensis, Curzolanus, Veglensis, Montis Regalis, Baionensis, Trecensis, Bellicastrensis iunior, Casertanus senior, Scalensis, Perusinus, Lucerinus, Tiburtinus iunior, Chironensis, Civitatis Castelli, Asisinatensis iunior, Clusinus, Ravellensis.

Deputantur a pontifice 21 praelati, ex quibus (additis aliis 24 a praelatis deputatis) tres classes constituantur.

Die lunae **24.** supradicti mensis **Februarii** hora 21 pontifex vocatis ad se cardinalibus prioribus trium classium ex 24 superius nominatis iam constitutarum habitaque cum eis qualitatum eorum praelatorum, qui nunc in Urbe praesentes sunt, discussione delegit atque nominavit ex eis 21, qui una cum aliis 24 in congregatione praelatorum electis, cardinalibus etiam deputatis additi per tres classes distinguantur. In qua distinctione facienda servandus sit ordo promotionis eorum. Deputati autem a S. S[te] sunt infrascripti:

21 praelati deputati a S[mo] D. N. super reformatione.

Archiepiscopi:

R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus	
R. D. Antonius de Altovitis, archiep. Florentinus	Florentinus	42^r
R. D. Annibal Buzutus, archiep. Avenionensis	Neapolitanus	
R. D. Mutius Calinus, archiep. Iadrensis	Brixiensis	

Episcopi:

R. D. Philibertus Babu, ep. Angolismensis	Gallus
R. D. Ioannes Petrus Ferrettus, ep. Lavellensis	Ravennatensis
R. D. Iacobus de Iacomellis, ep. Bellicastrensis	Romanus
R. D. Bartholomaeus de Sirigo, ep. Castellanatensis	Cretensis
R. D. Franciscus Frias, ep. Ariensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Venceyus, ep. Balneoregiensis	Lothoringus
R. D. Ioannes Beroaldus, ep. Thelesinus	Panormitanus
R. D. Prosper de S. Cruce, ep. Chissamensis	Romanus

[a] *Conc. 79 f. 85v postea add.* alias il Grechetto [b] *Conc. 79 f. 85v* Vulturara [c] *Conc. 79 f. 85v postea add.* Graecus [d] *Conc. 79 f. 85v* suffraganeus Toletanus [e] *Conc. 79 f. 85v add.* Iulius Gentilis

[1] Franciscus Frias, 1544-1550 ep. Ariensis, suffraganeus Toletanus fuisse videtur; non confundendus est cum successore Timotheo Iustiniano, qui 1551-1564 etiam ep. Calamonensis fuit. *Van Gulik-Eubel* III 131. 161.

[2] Iulius Gentilis, ep. Vulturariensis 1552-1572, distinguendus a supranominato ep. Vult. antiquiore (1542-1550), Hieronymo Vechiano. *Van Gulik-Eubel* III 358.

[3] Hic quoque brevitatis causa nomina et cognomina in codice adducta omittimus. In alio elencho *Conc. 79* f. 86^r desunt episcopi Placentinus, Terracinensis et Anglonensis, quorum loco adducuntur Vicensis, Tricaricensis senior (forsan Franciscus de Ursinis, 1539-1554) et iunior (Antonius de Capriolis; cfr. *van Gulik-Eubel* III 338), Salaminensis et Barengus [secretarius].

[4] *Conc. 79* f. 86 supplet *senior*, distinguens Iacobum Iacomellum (cfr. *Conc. Trid.* I 3 adn. 2; XII 703) a Caesare Iacomello eius successore.

R. D. Albertus Duymius, ep. Veglensis	Dalmata
R. D. Timotheus Iustinianus, ep. Ariensis-Calamonensis	Chiensis
R. D. Antonius Caracciolus, ep. Trecensis	Neapolitanus
R. D. Hieronymus de Federicis, ep. Sagonensis	Mediolanus
R. D. Constantinus de Monte, ep. Scalensis	de Monte S. Sabinae
R. D. Iulius Gentilis, ep. Vulturariensis	Tortonensis
R. D. Petrus de Petris, ep. Lucerinus	de Monte S. Sabinae
R. D. Nicolaus Maioranus, ep. Melfetensis	Salentinus
R. D. Vitellotius de Vitellis, ep. Civitatis Castelli	Typhernas |

Deputantur theologi, canonistae et officiales curiae et classes tres ordinantur.

42r Die lunae 2. mensis **Martii** eiusdem anni 1556 tres Rev[mi] cardinales priores cuiusque classis convenere coram Sua S[te]. Egerunt de classibus ordinandis deputatique sunt theologi [1] et canonistae ac officiales curiae, qui etiam in tres classes distincti cardinalibus et praelatis additi fuerunt. Ex iis autem excepti sunt auditores Rotae; eos enim voluit pontifex iuxta morem antiquum eius lateri assistere et eorum opera ac studio in materiis discutiendis particulariter uti. Ex omnibus vero deputatis tres classes infrascriptae constitutae sunt ordine, qui sequitur:

Classis prima [2].

S. R. E. cardinales episcopi:

Rev[mus] D. Ioannes Bellaius, ep. Ostiensis, sacri collegii decanus, dictus Bellaius	Gallus
Rev[mus] D. Franciscus Turnonius, ep. Sabinensis, dictus Turnonius	Gallus
Rev[mus] D. Rodulphus Pius, ep. Portuensis, dictus de Carpo	Carpensis
Rev[mus] D. Ioannes de Toleto, ep. Tusculanus, dictus Compostellanus	Hispanus

Presbyteri:

Rev[mus] D. Michael Sylvius, tit. S. Mariae Transtyberim, dictus Viseus	Lusitanus
Rev[mus] D. Ioannes Moronus, tit. S. Laurentii in Lucina, dictus Moronus	Mediolanus
Rev[mus] D. Georgius de Arminiaco, tit. S. Ioannis et Pauli, dictus de Arminiaco	Gallus
Rev[mus] D. Otto Truchses, tit. S. Sabinae, dictus Augustensis	Germanus

Patriarchae:

R. D. Christophorus de Spiritibus, ep. Cesenatensis, patr. Hierosolymitanus	Viterbiensis |

43r Archiepiscopi:

R. D. Franciscus Bandineus, archiep. Senensis	Senensis
R. D. Taddeus de Gaddis, archiep. Cusentinus	Florentinus
R. D. Olaus Magnus, archiep. Upsalensis	Gothus

Episcopi:

R. D. Marcus Vigerius, ep. Senogalliensis	Saonensis
R. D. Thomas Campegius, ep. Feltrensis	Bononiensis
R. D. Hieronymus Foscharus, ep. Torcellanus	Venetus
R. D. Philibertus Babu, ep. Angolismensis	Gallus

[1] Elenchi originales theologorum, qui in domibus religiosis Urbis tum moram faciebant necnon poenitentiariorum basilicarum S. Petri, S. Iohannis in Laterano et B. Mariae Maioris inveniuntur *Conc. 79* f. 100r-122r.

[2] Alios trium classium elenchos vide *Conc. 79* f. 71r-74r, 77r-80r; *Conc. 13* f. 62r-67v.

R. D. Antonius Tri[v]ultius, ep. Tolonensis	Mediolanus
R. D. Petrus Franciscus Ferrerius, ep. Vercellensis	Hypporegiensis
R. D. Ludovicus Simonetta, ep. Pisauriensis	Mediolanus
R. D. Scipio Bongallus, ep. Civitatis Castellanae	Romanus
R. D. Ioannes Petrus Ferrettus, ep. Lavellensis	Ravennatensis
R. D. Iacobus de Iacomellis ep. Bellicastrensis	Romanus
R. D. Galeatius Florimontius, ep. Suessanus	Suessanus

Generales ordinum:

R. P. Stephanus Ususmaris, gen. ord. Praedicatorum	Genuensis
R. P. Clemens de Monilia, gen. ord. Minorum de observantia	Genuensis

Procuratores ordinum:

R. Andreas de Asula, procurator congr. Cassinensis	
R. Felix de Cremona, procurator canonicorum regularium	Cremonensis
R. Salvator de Placentia, procurator congr.	Placentinus |
R. Thomas Manrique, procurator ord. Praedicatorum	Hispanus 43ʳ
R. Angelus Aversanus, procurator ord. Minorum de observantia	

Theologi:

R. Ioannes Danielis, poenitentiarius in basilica B. Petri	Gallus
R. Christophorus de Floriano, poenitentiarius in ecclesia Lateranensi	
R. Iacobus Laynez, Soc. Iesu	Hispanus
R. Hieronymus Arze, presbyter saecularis	Hispanus
R. Andreas Quarnerii	Gallus
R. Angelus Bettinus, ord. Praedicatorum	
R. Emanuel Lusitanus, ord. Min. de observ.	Lusitanus
R. Felix de Montealto, ord. Min. conv.	
R. Franciscus Politianus, ord. S. Mariae Servorum	

Canonistae:

D. Marcus Antonius Burghesius, advocatus consistorialis	Senensis
D. Franciscus de Aragonia, abbreviator	Romanus
D. Alfonsus de Vellasco	Portugallensis
D. Ioannes Bapt. Pontanus	Romanus
D. Antonius Massa de Gallesio	Sabinus

Officiales curiae:

R. D. Ioannes Franciscus Barengus, secretarius et prot. apost.	Mediolanus
R. D. Paulus Odescalcus, corrector cancellariae	Mediolanus
R. D. Paulus Draco, regens poenitentiariae	Romanus
R. D. Benedictus Lomellinus, referendarius |	

Classis secunda.

S.R.E. cardinales presbyteri:

Rev^mus D. Federicus Caesius, tit. SS. Aquilae et Priscae, dictus de Cesis	Romanus 44ʳ
Rev^mus D. Petrus Paceccus, tit. S. Balbinae, dictus Paceccus	Hispanus
Rev^mus D. Raynuccius Farnesius, tit. S. Angeli, dictus S. Angeli, maior poenitentiarius	Romanus
Rev^mus D. Ioannes Michael Sarracenus, tit. S. Mariae in Aracoeli, dictus Sarracenus	Neapolitanus
Rev^mus D. Iacobus Puteus, tit. S. Mariae in Via, dictus Puteus	Niciensis
Rev^mus D. Petrus Bertanus, tit. SS. Petri et Marcellini, dictus Fanensis	Mutinensis
Rev^mus D. Fabius Mignanellus, tit. S. Silvestri, dictus Mignanellus	Senensis
Rev^mus D. Ioannes Bapt. Cicada, tit. S. Clementis, dictus S. Clementis	Genuensis

Patriarchae:

R. D. Ioannes Grimanus, patr. Aquilegiensis	Venetus

Archiepiscopi:

R. D. Antonius de Altovitis, archiep. Florentinus, clericus camerae	Florentinus
R. D. Paulus Emilius Verallus, archiep. Rossanensis, auditor Rotae	Romanus

Episcopi:

R. D. Bartholomaeus de Sirigo, ep. Castellanatensis	Cretensis
R. D. Franciscus Frias, ep. Ariensis	Hispanus
R. D. Nicolaus Venceyus, ep. Balneoregiensis	Lothoringus
R. D. Ioannes Iacobus Barba, ep. Interamnensis, sacrista apostolicus	Neapolitanus
R. D. Michael Turrianus, ep. Cenetensis	Utinensis |
44v R. D. Ioannes Beroaldus, ep. Thelesinus	Panormitanus
R. D. Ioannes Bapt. Caracciolus, ep. Venafranus	Neapolitanus
R. D. Prosper de S. Cruce, ep. Chissamensis, auditor Rotae	Romanus
R. D. Bernardinus de Salviatis, ep. S. Papuli	Florentinus
R. D. Albertus Duymius, ep. Veglensis	Dalmata
R. D. Timotheus Iustinianus, ep. Ariensis-Calamonensis	Chiensis
R. D. Fabius Cupellatus, ep. Laquedonensis	Placentinus

Generales ordinum:

R. P. Iulius Magnanus, gen. ord. Minorum conventualium	Placentinus
R. P. Christophorus Patavinus, gen. ord. Heremitarum S. Augustini	Patavinus

Magister s. palatii:

R. P. Petrus Paulus Iannarinus, O. Pr., mag. s. palatii	Aretinus

Procuratores ordinum:

R. Gaspar de Mediolano, procurator congr. Montis Oliveti	Mediolanus
R. Ioannes Antonius Cervia, procurator ord. Min. conventualium	
R. Fabianus de Genua, procurator ord. Heremitarum S. Augustini	Genuensis
R. Basilius de Urbino, procurator ord. ...	Urbinatensis
R. Martyr de Brixia, procurator ord. ..	Brixiensis |

Theologi:

45r R. Ioannes Bapt. Caldarinus, ord. S. Mariae Servorum, poenitentiarius in ecclesia S. Petri	
R. Bonifacius, decanus poenitentiariorum in ecclesia S Mariae maioris	
R. Martinus Olaveus, Soc. Iesu	Hispanus
R. Martinus Alphonsus del Pozo	Hispanus
R..... Benedicti, ord. Praedic.	Gallus
R. Michael de Genua, ord. Praedic.	Genuensis
R. Ioannes de Bergomo, ord. Min. conventualium	Bergomensis
R. Dionysius de Sigillo, ord. Heremitarum S. Augustini	Umber
R. Guilhelmus Serletus, custos bibliothecae Vaticanae	

Canonistae:

D. Alexander Ferreus, advocatus consistorialis	Romanus
D. Hugo Boncompagnus, abbreviator	Bononiensis
D. Pyrrhus Tarrus	Romanus
D. Quintilianus Mandosius	Amerinus
D. Hercules Severolus	Faventinus

Officiales curiae:

Regens cancellariae
Rescribendarius cancellariae |

Classis tertia.

S. R. E. Cardinales presbyteri:

R^{mus} D. Bernardinus Scottus, tit. S. Matthei, dictus Tranensis	Sabinus	45r
Rev^{mus} D. Scipio Rebiba, tit. S. Potentianae, dictus Motulanus	Siculus	
Rev^{mus} D. Ioannes Reomanus, tit. S. Ioannis ante portam Latinam, dictus Mirapicensis	Gallus	
Rev^{mus} D. Ioannes Antonius Capisuccus, tit. S. Pancratii, dictus Capisuccus	Romanus	

Diaconi:

Rev^{mus} D. Alexander Farnesius, S. Laurentii in Damaso, S. R. E. vicecancellarius, dictus de Farnesio	Romanus
Rev^{mus} D. Guido Ascanius Sfortia, S. Mariae in via lata, S. R. E. camerarius, dictus de S. Flora	Romanus
Rev^{mus} D. Iacobus Sabellus, S. Nicolai in carcere Tulliano, dictus Sabellus	Romanus
Rev^{mus} D. Carolus Carafa, S. Viti in macello, dictus Carafa	Neapolitanus

Archiepiscopi:

R. D. Annibal Buzutus, archiep. Avenionensis	Neapolitanus
R. D. Ioannes Bapt. Ursinus, archiep. S^{tae} Severinae	Romanus
R. D. Mutius Callinus, archiep. Iadrensis	Brixiensis

Episcopi:

R. D. Antonius Caracciolus, ep. Trecensis	Neapolitanus	
R. D. Hieronymus de Federicis, ep. Sagonensis	Mediolaneus	
R. D. Constantinus de Monte, ep. Scalensis	de Monte S. Sabinae	
R. D. Iulius Gentilis, ep. Vulturariensis	Tortonensis	
R. D. Hadrianus Fusconius, ep. Aquinatensis	Nurcinus	
R. D. Petrus de Petris, ep. Lucerinus	de Monte S. Sabinae |	
R. D. Nicolaus Maioranus, ep. Melfitensis	Salentinus	46r
R. D. Vitellotius de Vitellis, ep. Civitatis Castelli, clericus camerae	Typhernas	
R. D. Virgilius Rosarius, ep. Isclanus, vicarius papae	Spoletanus	
R. D. Marianus Sabellus, ep. Neocastrensis, nunc Eugubinus	Romanus	
R. D. Urbanus Vigerius, ep. Megarensis	Saonensis	
R. D. Ioannes Franciscus Commendonus, ep. Zacynthensis et Cephalonensis	Venetus	

Generales ordinum:

R. P. Nicolaus Audetus, gen. ord. Carmelitarum	Cyprius
R. P. Laurentius Mazochius, gen. ord. S. Mariae Servorum	Veronensis

Procuratores ordinum:

R. Thomas Diodonus, procurator ord. Carmelitarum	Siculus
R. Ioannes Vitriarius, procurator ord. S. Mariae Servorum	
R. Gregorius Pannonius, procurator ord. [a]	Hungarus
R. Maturinus Auben, procurator ord. [a]	
R. Franciscus Soletus, procurator ord. Scappucinorum	

Theologi:

R. Michael Alexandrinus, commissarius s^{mae} inquisitionis, ord. Praedicatorum	Alexandrinus
R. Gabriel Gusmanus, poenitentiarius in basilica B. Petri	Hispanus
R. Andreas Frusius, Soc. Iesu	Gallus
R. Franciscus Torres, presbyter saecularis	Hispanus |

[a] *Lacuna in Cod.*

46v R. Andreas Navarra, presbyter saecularis	Hispanus
R. Thomas Neri, ord. Praedicatorum	
R. Antonius de Augusta, ord. Min. conventualium	Augustensis
R. Franciscus Vita, ord. Carmelitarum	Apulus
R. Marianus Faventius, ord. S. Mariae Servorum	

Canonistae:

D. Sylvester Aldobrandinus, advocatus consistorialis	Florentinus
D. Ludovicus Lebrettonus, abbreviator	Gallus
D. Ioannes Antonius Fachinettus	Bononiensis
D. Iulianus Pergolella	Romanus
D. Paulus Pla	

Officiales curiae:

R. D. Franciscus Bacodus, prodatarius	Sabaudus
R. D. Augustus Coccianus, protonotarius apostolicus	Brixiensis
R. D. Paulus Pallavicinus, protonotarius apostolicus	
R. D. Ioannes Bapt. Doria, notarius cancellariae	Genuensis |

Pontifex concedit iubilaeum seu indulgentiam plenariam orantibus pro unione et pace principum christianorum.

[8. Martii 1556].

47r Non intermisit pontifex hoc eodem tempore, quo reformationi operam enavat, etiam de pace principum christianorum cogitare, ut eo facilius et commodius non solum ipsi reformationi vacari, sed id, quod postea Deo dante in ea decretum fuerit, executioni demandari valeat. Qua in pace consequenda etsi S^{tas} Sua non praetermiserit omne studium atque diligentiam adhibere, considerans tamen nihil absque Dei speciali beneficio in humana prudentia fidendum esse, ad Deum ipsum omnipotentem omne cogitatum ipsa B^{do} Sua prius convertit, deinde, ut ad id omnes etiam christifideles spiritualibus praemiis invitaret, plenariam omnium peccatorum remissionem et indulgentiam concessit deprecantibus Deum pro ipsa pace et unione concludenda inter principes christianos.

[*Sequitur Bulla indulgentiae plenariae, data 8. Martii 1556, quam ut minus ad rem pertinentem omittimus*].

Congregatio generalis trium classium: Concipitur et proponitur examinandus articulus in materia simoniae.

48v Die mercurii 11. eiusdem mensis Martii hora 20 in palatio apostolico et aula consueta habe-
49r tur congregatio coram S^{mo} D. N., in qua convenere cardinales, | praelati, doctores et officiales in tribus classibus superius nominati. In primis autem S^{tas} Sua vocatis ad se in aulam, quae Constantinianae proxima est, solis cardinalibus eis particulariter exposuit, quae a praeterita congregatione generali usque ad hanc diem in dirigendo negotio reformationis acta fuerunt, deputatos videlicet fuisse 45 praelatos, 24 in congregatione praelatorum et 21 a Ste Sua. Quibus additos esse nonnullos doctos et probos viros, theologos et canonistas ac curiae officiales, et ex iis omnibus una cum ipsis 24 cardinalibus tres classes constitutas esse, ex quibus tamen auditores Rotae non praelatos (praelati enim tanquam deputati conveniunt) exceptos fuisse, cum ipsi auditores iuxta morem antiquum ad latus pontificis assistere consueverint et S^{tas} Sua eorum opera particulariter et familiariter in hac re uti proposuerit. Hodie autem praesentem congregationem vocasse, ut tandem ad Dei laudem et honorem ac fidei catholicae exaltationem discussioni materiae, de qua primum agendum est, videlicet de extirpatione simoniae, initium daretur. Quae materia, ut melius et commodius discutiatur, videri oportunum, ut super ea aliquis articulus patribus et doctoribus exhiberetur, super quo eorum studiis invigilare et sententias suo tempore dicere possent. Ad quem quidem articulum concipiendum, ipsorum R^{morum} cardinalium sententias rogavit, cumque omnes reponerent id in iudicio Suae S^{tis}, quaedam verba a Ste Sua concepta sunt, quae pro articulo in ipsa materia simoniae examinanda proponerentur. Qui articulus, cum

alta voce a me legeretur, ab omnibus probatus est. Deinde, ut etiam praelatorum, qui in maiori aula morabantur, aliqua particularis ratio haberetur, iussit Pontifex eos omnes praelatos in ipsam semotam aulam ingredi. Quibus breviter ea, quae cardinalibus exposuerat et cum eis egerat, enarravit, | hortans atque etiam rogans eos, ut id oneris studendi et veritatis perquirendae 49v
lubenti animo susciperent, eos enim vocatos esse in partem sollicitudinis et propterea gravari non debent, si in re communi, quae Dei honorem et animarum salutem tangit, laborem aliquem suscepturi essent. Responsum fuit a R^{mo} D. patriarcha Hierosolymitano omnium nomine eos libentissime iussa S^{tis} Suae executuros esse, neque ob id laborem aliquem seu aliud quodvis incommodum esse recusaturos. Postea vero, ne ceteri quoque, qui in congregationem vocati fuerant, sperni omnino viderentur, S^{tas} Sua una cum ipsis cardinalibus et praelatis aulam magnam Constantinianam ingressus est, ubi omnibus suo loco residentibus, item S^{tas} S. exposuit ea, quae cardinalibus et praelatis retulerat, de firma videlicet eius intentione vacandi reformationi ecclesiae, quae etsi multoties ab eius praedecessoribus tentata fuerit, pro qua etiam concilia generalia congregaverant, tamen ob dissensiones principum christianorum et diversa alia impedimenta (nostris peccatis id exigentibus) et ob mortes etiam ipsorum praedecessorum suorum frustra omnes conatus hactenus successerunt. Nunc autem sperare se bonitate Dei posse tandem rem ipsam perfici, hoc praesertim tempore, quo ipsius Dei clementia induciis inter ipsos christianorum principes (Carolum scilicet V imperatorem, Henricum II Gallorum et Philippum I Angliae reges) factis in magnam spem respublica ipsa christiana et boni omnes iure erigi debent, posse aliquando, pace etiam constituta, feliciora tempora a Dei omnipotentis benignitate concedi. Verum cum in ipsa reformatione facienda initium, ut alias S^{tas} S. dixerat, tanquam a radice et fonte malorum omnium auspicandum sit ab extirpatione simoniacae haeresis, selectos fuisse quosdam cardinales, praelatos, theologos, canonistas nonnullosque alios viros pios et eruditos, qui per 3 classes distincti materiam | ipsam examinent atque discutiant eo modo, 50r
quo fit in concilio generali (nam eum ordinem, qui servandus erit, speciem concilii generalis habere declaravit), quod etiam congregatum libenter videret, ut eo plurium eruditorum virorum iudicium ex diversis mundi partibus haberetur. Quae discussio et examinatio ut ordine suo procedat, formatum esse articulum unum, qui ipsis patribus et doctoribus super ipsa simoniae materia discutienda proponetur, admonuitque eos, ut in ipsis sententiis dicendis nihil aliud quam Deum, conscientiam et veritatem prae oculis habentes adulandi assentandique crimen effugerent, neque etiam in alteram partem declinarent, sed media via incedentes, veritati ipsi (quod solum quaeritur) indagandae pure [a] et simpliciter incumberent; si rem Deo inprimis et S^{ti} Suae gratam facere exoptarent. His dictis, cum iam nox rueret, dimittitur congregatio.

Articulus propositus examinandus in materia simoniae:

An praelatus ecclesiae pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, possit absque vitio simoniae a sponte dantibus sive ab invitis, per expressam petitionem seu per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae vel de aliis bonis undecunque provenientibus temporale aliquid accipere vel exigere?

Eius autem articuli exemplum datur omnibus cardinalibus, praelatis et doctoribus in Urbe praesentibus diebus sabbati, dominico et lunae, 14., 15. et 16. ipsius mensis Martii.

Modus et ordo celebrandi classes [1].

In primis R^{mi} cardinalis, qui est caput praesidentiae suae classis, munus erit vocandi eos, qui in eius classe descripti fuerint, ad eam diem, qua classis ipsa congreganda erit. Dies autem indicetur arbitrio S^{mi} D. N. |

Locus classis parari debet in maiori aula hospitii ipsius primi praesidentis, in qua aula 50v
locus pro cardinalibus distinctus ab aliis et paulo ornatior erit. Deinde post eos erit paratus locus pro praelatis. Postea sequentur doctores, theologi, canonistae et officiales iuxta ordinem suum. Debet etiam in aliquo loco commodiori ipsius aulae parari scannum, in quo secretarius sententias patrum et ea, quae agenda occurrent, adnotare possit.

Ipse primus praesidens venientes cardinales benigne atque honorifice excipere et eis obviam de more ire debet. Qui cardinales interim, quo tota classis conveniet, permanere debent in aliqua particulari aula, ibi plenam classem expectantes. Adveniente autem hora praescripta,

[a] *Cod.* purae

[1] Alia exemplaria vide *Conc. 79* f. 87r-88r; *Conc. 13* f. 60r-61v; *Vat. lat. 3944* f. 256r-257r.

etsi omnes vocati non convenissent, erit tamen iudicio et arbitrio primi praesidentis initium classi dare vel maiorem frequentiam expectare. Omnibus autem congregatis et suis in locis residentibus cardinales silere debent neque super re proposita sententias dicere. Eorum enim est tantum assistere ac praesidere et seipsos in ipsa materia instruere, ita ut, cum suo tempore de eadem re particulariter cum Sua S^{te} colloquuturi erunt, sint et ipsi parati de ea, quae in ipsis erit sententia, rationem reddere.

Omnibus igitur congregatis p r i m u s p r a e s i d e n s exponet brevibus causam, ob quam ipsi patres vocati fuerint, ut scilicet quisque eorum super articulo in materia simoniae eis exhibito sententiam dicat, revocans ad eorum memoriam ea, quae quisque eorum ex ore Suae S^{tis} non
51r semel audivit, ut videlicet | in articulo ipso examinando solum Deum et conscientiam prae oculis habentes, ea pure, libere et syncere dicant, quae pro veritate ipsa inquirenda iuxta catholicae ecclesiae doctrinam sentiunt, et alia huiusmodi, quae prudentiae ipsius primi praesidentis occurrent. Quae verba prima tantum vice referenda sunt, aliis enim vicibus unusquisque prosequetur disputationem loco suo. Nec tunc aliud erit officium primi praesidentis, quam eis annuere, ut qui sequitur post eum, qui postremo loco in praeterita congregatione loquutus est, sententiam ferat.

Liberum est unicuique i n d i c e n d a s e n t e n t i a sermonem suum, quantum voluerit, protrahere. Neque unquam debet alicui disserenti dicendi finis imponi. Verum si aliquis minus honeste ac reverenter in sententia sua ferenda loqueretur, vel ea, quae ad rem propositam nullo modo facerent, afferret, licet praesidentiae capiti eum admonere eumque non resipiscentem reprehendere et ei denique silentium imponere. Nemini enim licet in sententia dicenda uti inhonestis verbis et, quae in iniuriam certae personae tendant. Nam nullo modo certam personam nominare licet. In dicendis sententiis servandus est is ordo, qui in classibus descriptus habetur. |

51v Postquam vero quis dixerit ore sententiam suam, debet eandem in s c r i p t i s secretario exhibere, sicuti de hoc alias in plena congregatione a S^{mo} D. N. omnes admoniti fuerunt. Dicent autem una die tot, quot per tempus licebit, dummodo ei, qui postremo loco dicere incipiet, tempus ad sententiam suam perficiendam suppetere videatur. Id vero erit iudicio primi praesidentis.

Erit (inquam) iudicio et arbitrio primi praesidentis, quandocumque ei visum fuerit, congregationem t e r m i n a r e et patres dimittere.

Antequam autem dimittantur, ad praesidentiae caput pertinet, duobus verbis admonere eos, quo ordine in dicendo succedent, ut praeparent se ad ferendas sententias in proxima tunc futura congregatione; eius vero futurae congregationis dies intimabitur Suae S^{tis} arbitrio.

Postquam autem tribus, quatuor aut pluribus diebus omnes tam praelati quam doctores loquuti fuerint, et ita examinatio ipsius articuli erit absoluta, debet primus praesidens unam cum aliis eius collegis cardinalibus vel omnibus vel, si magis commodum videretur, duobus aut tribus ex eis per ipsosmet deputatis sententias ipsorum patrum et doctorum, quae in scriptis allatae fuerint, considerare et ex eis summarium aliquod vel conclusiones elicere et eas S^{mo} D. N. offerre, ut tandem in plena congregatione (sicuti S^{tas} Sua alias dixit) referantur. |

Examinatio articuli propositi a S^{mo} D. N. disputandi in materia simoniae. Congregatio primae classis [a] [1].

53r In nomine D. N. Iesu Christi amen. Hodie, die iovis 26. mensis Martii 1556, hora 20 in domo Rev^{mi} D. Ioannis episcopi Ostiensis sacri collegii decani, S. R. E. cardinalis Bellaii vulgariter nuncupati, classis primae super reformatione constitutae primi praesidentis, habita est prima congregatio ipsius primae classis, in qua ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et ecclesiae suae sanctae exaltationem incepta est examinatio articuli propositi a S^{mo} D. N. disputandi et discutiendi in materia simoniae. In primis autem Rev^{mus} ipse primus praesidens retulit patribus id, quod S^{mus} D. N. alias dixit in plena congregatione, videl. ut in articulo ipso proposito examinando solum Deum et conscientiam prae oculis habeant et, ut pure, libere et syncere unusquisque pro se suam sententiam dicat, quam pro veritate inquirenda iuxta catholicae ecclesiae doctrinam

[a] *Hic incipiunt minutae originales Massarelli, postea ab ipso revisae et emendatae.*

[1] In codice *Conc.* 79 f. 52^r Massarellus minutam actorum originalem, quae f. 53^r-54^v sequitur, denuo et quidem nitide describere coepit; sed quia ultra introductionem non est prosecutus, iam a principio illam minutam originalem sequimur. Ceterarum classium acta ad nos non pervenerunt.

sentit, admonens eos, ut honeste et brevibus dicant, et quae dixerint ore, in scripto dent, et hodie dicent, quot per tempus licebit, alii dicent alia die, quae dies intimabitur arbitrio et mandato S. S^tis. Deinde rogavit sententias patrum.

R. D. patriarcha Hierosolymitanus dixit materiam esse iam conciliis valde discussam, ut Constantiensi et Bononiensi [1], ⟨propterea brevibus est agendum⟩ [a]. Quoad articulum distinguendum duxit, ut animus attendatur, necessitas, consuetudo laudabilis, ut Ioannes Gersonus in titulo de annatis [2] et Ioannes Carafa in tractatu de simonia [3] referunt. Neque videtur ei, ut in scripto dentur sententiae, ne propalentur ante decretum in ipsa materia faciendum, sed materiam remittendam esse summo pontifici et cardinalibus, et ut Martinus V extravagantem fecit [4] idemque Eugenius IV [5] in eadem materia, idem facere potest S. S^tas, ut scil. praescribat, quid tenendum in hac materia, et omnes id observabunt.

R. D. archiepiscopus Senensis retulit eius impedimenta, quae occurrerunt ei de praelatura [?] Senensi [6], ut studiis vacare non potuerit, et ideo brevibus agetur. Et primo quoad definitionem simoniae probat dicta per B. Thomam q. 100 art. 2 [7]; quaedam enim sunt spiritualia, quaedam annexa spiritualibus, et quaedam separari possunt, quaedam non; respondet verba articuli esse simoniaca, ut quoties [?] quid temporale vel ab invitis vel a sponte dantibus pro usu rei spiritualis acciperetur. Si autem praelatus gratis dat gratiam, tunc a sponte dantibus accipere potest; *dignus est enim operarius mercede sua* [8], praesertim in casu necessitatis, quo casu ab invitis etiam exigere potest.

R. [D.] archiepiscopus Cosentinus: Quoad primam partem articuli, si praelatus habet necessaria aliunde, iuxta notata per Gregorium in Math. cap. 10 [9] nihil debet accipere; si fructus non suppetunt, potest accipere ad se sustentandum aliquid iuxta verba evangelii ⟨*Lucae* 10, [7]: *Dignus est mercennarius mercede sua*⟩[b] et Pauli *prima Cor.* 9, [11]: *Non est mirum, si spiritualia seminamus, ut carnalia metamus;* ⟨Thomas q. 100 art. 2 II-II [10] et § *Quia ergo* [C.] 13. q. prima [11] et c. [2] *Quam pio* [C.] prima q. 2 [12] et c. [7] *Cavendum* [C.] 10 q. 3 [13]⟩[b], si tamen pro necessitate et levia quaedam accipiat, non autem, ut sacramenta vendat; et in c. [18 *Et*]*si quaestiones* [X] de simonia [V 3] [14] et ib[idem] Innocentius [15] et Felinus [16] ⟨et c. [101] *Quicquid invisibilis* [C.] prima q. prima ibi *nisi voluntarie oblata*⟩[b] [17]; intentio autem semper attendenda est. Pro piis autem usibus et operibus potest quis accipere, ut ad eos usus distribuatur, ut c. 4, [34 sqq.] *Act. ap.*, ⟨Thomas q. 100 art. 4⟩[c] [18]. Ad illam partem *ab invitis etc.* petere quis non posse [d], neque etiam praetextu alicuius consuetudinis C. [7] *Si quis obiecerit* [19] et c. finalis [C.] prima q. 3 [20] ⟨Basilius Ep. 76 [21] etc. [11] *Qui studet* et c. [22] *Placuit* [C.] prima q. p[rima]⟩[b] [22]. Quando autem aliquid relictum est, potest peti, sed

[a] *in marg.* [b] *add. postea in marg.* [c] *add. supra lin.* [d] *lectio incerta*

[1] Cfr. Acta concilii Constantiensis II ed. *Finke-Hollnsteiner* 602 sqq. 627 sqq.; quoad concilium Bononiense cfr. *Conc. Trid.* I 711, 26 sqq.; 713, 1 sqq. (tria dubia de sacramentis in genere).

[2] Io. Gersonius in tractatu de simonia (Opp. ed. *Dupin* II 645-651), qui principaliter de annatis agit, hanc ponit conclusionem:

Simoniaca labes contra ius divinum vel de simoniaca specie suspectum est in conferente beneficium ecclesiasticum (etiam si sit papa) exigere vel extorquere beneficiando promptam pecuniam sub titulo primorum fructuum ac impedire possessionem et officiationem suam, quousque solverit illam pecuniam.

[3] *Ioannes Caraffa*, Tractatus de simonia (Roma 1556), p. 5 simoniam sic definit: *Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

[4] Martinus V in concilio Constantiensi sess. XLIII quaedam de simonia constituit, *Mansi* XXVI 1175.

[5] Constitutionem *Cum detestabile scelus* die 18. Maii 1434 editam vide *Bull. Rom.* V 16 sq.

[6] Refert se archiepiscopus sine dubio ad bellum Senense tum nondum extinctum, cfr. *R. Ancel*, La question de Sienne et la politique du cardinal Carlo Carafa: Revue Bénédictine 22 (1905) 15-49; Nonciatures de Paul IV, I (Paris 1909) LXXXI sqq.

[7] *Thomas*, S. th. II-II q. 100 a. 2 hanc habet definitionem: *Accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia est crimen simoniae, quod nulla consuetudine potest excusari.*

[8] *Luc.* 10, 7.

[9] Simile quid Gregorius in hom. 17 super *Luc.* 10, 7, dicit. *Migne* 76, 1141 sq.

[10] Cfr. supra adn. 7.

[11] *Friedberg* I 718.

[12] *Friedberg* I 408.

[13] *Friedberg* I 624 sq.

[14] *Friedberg* II 754 sq.

[15] Sine dubio loquitur de *Innocentii IV* « Apparatu » in decretales, cfr. *F. v. Schulte*, Geschichte der Quellen u. Literatur des kan. Rechts II 92 sq.

[16] *Felinus Sandeus* († 1503), In decretalium libros quinque III (Basileae 1567) 976: *Consecratio, ordinatio vel pallii traditio non est simoniaca, licet etiam prius consecratori, ordinatori, traditori tradenti pallium aliquid donatum fuerit non ex pacto.*

[17] *Friedberg* I 398 sq.

[18] L. c. ad 3 Thomas dicit: *Si episcopus, antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam alicui ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi et in pios usus expendendum, non est illicitum.*

[19] *Friedberg* I 413.

[20] *Friedberg* I 418 (c. 15 *Si quis praebendas*).

[21] Nunc ep. 53, *Migne gr.* 32, 395 sqq.

[22] *Friedberg* I 360. 366.

non venundari sacramentum iuxta c. *Ad apostolicam* [1], ⟨doctores in c. finalem [C.] p. q. 3⟩[a]. Quaenam a iure et consuetudine approbantur, ut pro sepultura, pro procurationibus [?] et similibus iuxta c. [16] *Conquerente* [X] de off. ordinarii [I 31] [2], ⟨c. p[rimum] [X] de sepulturis [III 28] [3], c. [7] *De iis* [C.] 10 q. p[rima]⟩[b] [4] ea peti possunt. Potest etiam elemosyna imponi pro poenitentia et pecunia pro delicto ⟨c.[76] *Medicina* de poenitentia D. prima [5] et D. Thomas 100 q. art. 2 in responsione ad 3[m] II-II [6], Abbas in c. [24] *Ad aures* n. 6 de simonia⟩[c] [7]. Quoad subtractionem spiritualium: Neque id etiam potest ⟨c. *Ad apost.* de sepulturis [8]; licere autem intelligo⟩[d], dummodo ea intentione id faciamus, ut non ut pretium et mercedem accipiamus.

R. D. episcopus Senogalliensis censet [?] praelatum pro usu rei spiritualis aliquid, undecunque proveniat, a quocunque accipere non posse, neque in id, quod est ordinis, neque in id, quod est iurisdictionis, absque incursu simoniae iuxta verba Christi [9]: *Gratis accepistis*. Ea enim, quae sunt ordinis, non possunt aestimari, et iurisdictionis non debe[n]t, cum praelatus habeat aliunde vivat. Vigore tamen statuti aut consuetudinis accipere posset, ut cum datur in honorem sacramenti vel in praelati sustentationem et in sacramento ordinis vel missis celebrandis ⟨ad cultum et actum splendidiorem reddendum⟩[e]. Si extra id tempus autem [?] offeruntur, non debe[n]t accipi, nisi ut pauperibus erogetur, si praelatus non indiget. Debet autem fugi suspitio, ut fecit concilium Eliberitanum [10], ne in concham baptismi quid imponatur, ut fecit etiam concilium Bracarense [11] de tribus obolis, quae a presbyteris solvebantur episcopis. Praelatus autem ante collationem beneficii aliquid subtrahere ex fructibus potest, si iustam causam habuerit, ⟨utputa, si respicit beneficium conferendum et praelatus indigeret⟩[f], sed
53ᵛ melius est, ne aliquid accipiat, ne suspitio simoniae admisceatur | iuxta Paulum [12] ab escis abstinendum, ne fratres scandalizentur et: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*.

R. D. episcopus Feltrensis [13]: Obligans ex debito ministerium spiritualium non potest aliquid exigere etiamsi stipendii nomine, liberaliter tamen oblata et dari consueta recipi possunt sine labe simoniae, conc. Toletanum XI in c. [101] *Quicquid* [C.] prima q. p[rima] [14] et Carthaginense[g] in c. [103] *Placuit* eadem Causa [15], et idem Bonifacii pp. primi in c. [2] *Quam pio* [C.] prima q. prima [16] et Prosperi sententia est et habetur in c. [9] *Sacerdos* [C.] prima q. 2 [17] et rationem reddit B. Gregorius c. [3] *Nullus* [C.] prima q. 2 [18] et [C.] prima q. p[rima] c. *Proposuit* [19], et Thomas II-II q. 100 art. 2 idem comprobat, ⟨ut temporalia exigere quasi quaedam stipendia possint, si intentio recta fuit⟩[h]. Ab invitis etiam potest exigi non auctoritate propria, sed superioris, ut concilium Lateranense c. *Ad Apostolicum* [X] de simonia [V 3] [20] statuit et Ostiensis [21] et alii declarant idem in dicto capite et Thomas art. 3 dictae q. 100, qui verbo *exigi* utitur [22]. Ad id *quod gratis accepistis etc.* respondet ex c. [9] *Cum [in] ecclesiae* [X] de

[a] *add. supra lin.* [b] *add. supra lin.* [c] *add. in marg.* [d] *add. supra lin.* [e] *add in marg* [f] *add in marg.* [g] *del.* Tolet.; *in marg. del.* et Carthag. 4 c. Placuit. [h] *add. in marg*

[1] C. 42 X de simonia V 3, *Friedberg* II 766.
[2] *Friedberg* II 192 sq.
[3] *Friedberg* II 548 sq.
[4] *Friedberg* I 614.
[5] *Friedberg* I 1180.
[6] Cfr. supra p. 341 adn. 7.
[7] *Panormitanus* in commentariis l. c. (Tom. VII [Venetiis 1591] f. 93[r]) n. 5 tenet, pecuniarias poenas imponi posse, sed *secundum quosdam prius absolvatur et postea cogatur satisfacere*.
[8] Immo c. 13 *Abolendae* X de sepult. III 28, *Friedberg* II 553 sq.
[9] *Matth.* 10, 8.
[10] C. 48, apud Gratianum c. 104 *Emendari* C. 1 q. 1, *Friedberg* I 399.
[11] Videtur cogitasse auctor de c. 2 concilii Braearensis III a. 572 celebrati, *Mansi* IX 839 (apud *Gratianum* c. *Placuit* C. 10 q. 3, *Friedberg* I 622), ubi prohibetur, ne episcopus, cum per dioeceses suas ambulat, *praeter honorem cathedrae suae, i. e. duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat*.
[12] *1 Cor.* 6, 12.
[13] Nescio, an eiusdem Thomae Campegii (de quo supra p. 30 adn. 1) tractatus: « An papa labem simoniae incurrere possit » (Tractatus univ. iuris XV 2, 531[v]–533[v]) eodem anno 1556 ineunte compositus sit, ut ille Pauli Draconis de eodem argumento (infra n. 65). In quo opinionem sequitur etiam papam simoniam committere posse, non autem de facto committere, si annatas recipiat.
[14] *Friedberg* I 398 sq.
[15] *Friedberg* I 399. Est c. 7 concilii Bracarensis II.
[16] Immo q. 2, *Friedberg* I 408.
[17] *Friedberg* I 410 sq.; sumptus est prima canonis pars ex *Iuliani Pomerii* de vita contemplativa c. 11, (*Migne* 59, 455), quod opus falso Prospero attribuebatur.
[18] *Friedberg* I 408 sq. Est Urbani II, non Gregorii.
[19] Non continet C. 1 canonem incipientem *Proposuit*
[20] *Friedberg* II 766.
[21] *Henricus de Segusio card. Hostiensis*, In V. lib. Decretalium (Venetiis 1581) f. 26[r] ad verba *Sed per episcopum* haec habet: *Sacerdos non erit iudex in repro-*[illegible] *recipiendum est ad di*[illegible].
[22] Thomas l. c. haec habet verba: *Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis licite possunt statutae et consuetae oblationes et quicumque alii proventus exigi a nolentibus et valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente*.

simoniaco [V 3] [1], id licere ob laudabilem consuetudinem, non autem ob corruptelam, et c. [8] *Non satis* [X] eo[dem] titulo [2]. Et c. *Ad apostolicam* loquitur de permutatione spiritualis cum temporali, et ea consuetudo est improbanda. Item consuetudo, quando consuetudo habet initium a violenta extorsione, non est laudabilis, sed cum procedit a spontanea oblatione, est laudabilis. Quod dicitur in concilio Eliberitano et Braccarensi [3], factum fuit ob abusum recipiendi ante sacramentum oblatum, quod improbatum est, non autem, si acciperetur postea. Ab invitis autem potest aliquid exigi autoritate superioris, sed non potest per subtractionem sacramentorum id exigi, ut B. Thomas dicit dicto artic. 3 q. 100, et quia quis sibi ipsi ius diceret, si alias fecerit. Neque etiam ratione scandali id facere potest, nisi de bono quis scandalizaretur, quod tunc non esset attendendum, etsi scandalizaretur quis ex laudabili consuetudine. Glossa autem de consecr. D. prima c. [69] *Omnis christianus* non est recepta [4]. Si autem officium quis possideret tenue, quod non sufficit ei ad necessaria, non excusat, ut simoniace accipiatur, ut [docet] c. [3] *Clericus victum* 95. D. [5]; propriis enim manibus tunc sibi quaerat necessaria. Si vero nullum redditum haberet ⟨et ex officio non teneretur⟩ [a], conferens [b] gratiam tunc posset accipere, non debet enim quis militare suis stipendiis. Possunt igitur etiam pacisci et operam suam locare, dummodo pro subventione et vitae necessaria id intendat accipere. Hieronymus in c. [67] *Apostolicis* [C.] 16. q. p[rima] [6] id dicere videtur, et idem concilium Agathense in c. [10] *Clerici* [C.] prima q. 2 [7]. Habens igitur redditum ex liberalitate, non habens ad necessitatem potest accipere, si intendat gratis conferre gratiam et ad necessitatem recipiat. Celebrans, ⟨qui non celebraret, et canonicus, qui non iret ad ecclesiam, nisi recepturi essent pecunias, iuste⟩ [c] recipit [d], si animus ut supra adsit et intendat actum suum ad honorem Dei facere et recipere ad sustentationem.

R. D. episcopus Tolonensis: Praelatus pro usu spiritualis potestatis, ad quem tenetur ex officio, non potest accipere etiam sponte oblatum; multo minus ab invitis exigere ⟨non potest⟩ [e]. Si mens autem prava non intercessit, absque aliqua pactione, sed ex consuetudine laudabili et pia oblatione percipere potest, dummodo non fiat per spiritualium subtractionem. Ad iuste autem accipiendum requiritur, ut post collationem accipiat, mens bona adsit et consuetudo bona interveniat, alias non liceret. De quibusvis autem bonis, cum accipi[un]tur iniuste, iniuste accipi[un]tur, quia ecclesiarum praemia non est [f] praelati, ut c. p. [8] et c. *Ad apostolicam*, et ibi canonistae de simonia et Thomas II-II q. 100 art. 2 et 3.

R. D. episcopus Vercellensis: Duplex est potestas spiritualis, ordinis, ut ministratio sacramentorum, iurisdictionis, ut executio, ⟨quae pertinet ad bonum regimen, ut Durandus 4. Sent. dist. 24 q. 5 [9] et Caietanus l. primo c. 92 in summa de ecclesia⟩ [g] [10]. Pro usu ordinis nihil potest praelatus accipere neque petere neque exigere, *Matth.* 10, [8] et *prima Petri* [4, 10]: *Sicut accepistis* [h], et Thomas q. 100. Pro usu iurisdictionis licet, ut in primo ordinis scilicet. Sponte oblatum bona intentione accipi potest, tum ex necessitate [recipientis], cum ex devotione dantis.

R. D. episcopus Bellicastrensis: Si praelatus habet, unde commode vivere potest, nihil accipere potest, ut B. Thomas II-II q. 100 art. 2. Si aliqua autem dono dentur, non debent prohiberi. Concilium Eliberitanum [11] prohibuit non laudabilem consuetudinem, sed abusum. Si praelatus non habet unde vivat, non propterea vendere debet spiritualia. Debet eo casu recurrere ad superiorem vel ad populum pro sustentationis necessaria, ut B. Thomas [12] dicit de eo, qui nollet baptizari ab simoniaco, quod non deberet potius quam pecuniam dare. | 54r

R. D. episcopus Pisauriensis [i]: Si a sponte dantibus non debet quid accipi usu spiritualis potestatis, multo minus non debet ab invitis exigi.

[a] *add. in marg.* [b] *sic!* [c] *add. in marg.; del.* et canonicus [d] *del.* quod inter recipiendum iustus [e] *add. supra lin.* [f] *sic!* [g] *add. in marg.* [h] *Vulg.* accepit [i] *del.* Feltrensis

[1] *Friedberg* II 751.
[2] *Friedberg* II 750 sq.
[3] Cfr. supra 342 adn. 10 et 11.
[4] Glossa ad verbum *vacuas* haec dicit: *Credo, quod, si sacerdos pauper est, potest eis divina officia subtrahere, nisi dent ei oblationes* [*sc. parochiani*].
[5] *Friedberg* I 316 (est D. 91).
[6] *Friedberg* I 784, ex com. in Tit. c. 3, *Migne* 26, 599
[7] *Friedberg* I 411. Est c. 36 concilii Agathensis a. 506 habiti, *Mansi* VIII 331
[8] Massarellus initium canonis non bene audivisse videtur propterea que omisit.
[9] Locus in editione Veneta a. 1571 f. 362v invenitur; distinguit ibi Durandus de S. Porciano inter potestatem iurisdictionis *ad regendum populum* et potestatem consecrationis *ad consecrationem et administrationem sacramentorum.*
[10] Nec in commentariis Caietani ad S. th. I q. 92 nec in « Summula » (Lugduni 1550) locus allegatus invenitur.
[11] Cfr. supra p. 342 adn. 10.
[12] *Thomas* S. th. II-II q. 100 a. 2 ad 1 opinionem defendit, etiamsi sacerdos puerum morientem sine pretio baptizare nollet, pretium non esse solvendum, sed quemlibet alium puerum baptizare debere.

R. D. episcopus Civitatis Castellanae: Quoad articulum censet ex *Matth.* 10, [8] aliquid neque accipi neque exigi posse pro usu spiritualis potestatis, neque aliqua necessitas excusat ab illicitis quempiam. Praelatus si non indiget, sit contentus suo stipendio; si indiget, recurrat ad populum, qui ei subvenire debet. Et gratia debet gratis ministrari tum etiam ob scandalum et offendiculum, ut Paulus multis in locis ostendit.

R. D. episcopus Suessanus: Usus clavium est gratis datus, gratis igitur debet ministrari. In omnibus autem prohibetur et exactio et spontanea oblatio pro usu collationis gratiae. Basilius[a] [1] arguit etiam eos, qui post collatam gratiam accipi[un]t. Gratis autem datum hactenus acceptum fuit causa multorum malorum, quia in causa fuit, ut eo praetextu sacramenta vendantur, quia quis non absolvit, nisi eo animo, ut accipiat aliquid mercedis. Non debet igitur neque pro neque in collatione sacramentorum aliquid accipi neque exigi neque sponte oblatum neque extortum.

R. P. generalis Praedicatorum: Si verba *pro usu spirituali* formaliter accepta sint, respondetur ad articulum ad omnia negative, ut ex diffinitione simoniae; sunt enim dispensatores, non venditores ministri, et quia sunt inappretiabilia dona Spiritus Sancti. Non debet igitur tamquam pretium quid accipi, B. Thomas in loco allegato; [C.] prima q. p[rima] per totum, praesertim, cum quis ad id ex officio tenetur. Neque etiam pro sigillo notarius quid accipi potest. In mitiori autem significato accipere pro usu, ut Thomas dicto loco accipit, ut scilicet in usu rei spiritualis, tunc licet praelato ecclesiae aliquid accipere, dummodo non ut pretium, sed ad sustentationem, ut Christus ait [2]: *Dignus est operarius mercede sua*, et Paulus inquit [3]: Ex evangelio licet vivere, nunquam tamen per subtractionem spiritualium [b], gratis igitur sit lata gratia. [c] Exigere praelatus [d] etiam potest; ex Veteri enim Testamento euntes ad prophetam aliquid offerebant, c. [23] *Duces Iudices*, c. [24] *Nunquam* [C.] prima q. prima [4]. Quod licet etiam hodie accipere. Si etiam praelatus habet unde vivat [e], potest a sponte offerenti accipere, ut Thomas 4. Sent. dist. [f] 25 [5], praesertim ab indigente, ⟨c. [6] *Cum apostolus* [X] de an. [III 39] [6] et c. [10] *Cum sit* [X] de simonia [V 3]⟩ [g] [7] et nullatenus praelatus potest peccatorem in pecunia loco poenae [punire], ⟨D. Thomas q. 100 II-II⟩ [g], licet et in collatione [beneficii] potest aliquid ex beneficio subtrahere et spirituali et pio loco tribuere. Hodie autem ob scandalum, quod accipitur a populo, iuxta Paulum providendum est ita, ne scandala oriantur.

R. P. generalis Minorum de observantia probavit dicta per generalem Praedicatorum. In collatione spiritualium 4 intuitus considerari possunt:

Primo tamquam ad pretium rei spiritualis, quasi fiat adaequatio. Hic est simoniacus et, aliter dicatur, est haeresis, ut Gregorius asserit [8]; si autem non adsit error in intellectu, est simoniacus, non autem haereticus, *Io.* 2, [16]: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiatorum*, quos Christus funiculo eiecit ex templo, et Ieroboam, qui vendebat sacerdotia, subvertit [h] [9]. Secundo, si intuitus est ad commodum temporale. Hoc casu etiam intuitus *ipse* est simoniacus. Thomas Quodlib. 10 q. 8. id damnat [10]. [Tertio]: Si autem intuitus est ad commodum temporale uti ad causam scilicet moventem ad aliquid dandum, tunc licet sublato scandalo. [Quarto]: Si intuitus dirigitur ad commodum temporale uti ad rem divino iure debitam, tunc etiam licet, ut mercennarius accipiat mercedem suam, quod iure divino licet.

Procurator congregationis [i] canonicorum regularium de la Pace [11]: Si praelatus habet, unde vivat, nihil exigere [vel] accipere potest; a sponte autem dantibus accipere potest, et etiam ex laudabili consuetudine, ut commodius vivat et habeat, unde tribuat necessitatem indigenti. Si praelatus non habet, unde vivat, potest accipere pro

[a] *Cod. add. hic quoque* etiam [b] *Supple* exigi debet [c] *del.* tunc etiam [d] *add. supra lin.* [e] *Cod.* habent unde vivant [f] *del.* q[uaestione] [g] *add. in marg* [h] *Supple* Deus [i] *del.* Cassinensis

[1] Ep. 53 secundum versionem latinam dicit Basilius: *Putant se ideo non peccare, quod non ante accipiant; sed post ordinationem accipiant. Accipere autem est quandocumque accipere. Migne gr.* 32, 398.

[2] *Luc.* 10, 7.

[3] Cfr. *1 Cor.* 9, 14.

[4] *Friedberg* I 367 sq.

[5] Licet Thomas l. c. q. 3 saepius dicit pecuniam ad sustentationem vitae a sacerdotibus accipi posse, tamen non loquitur proprie de sponte dantibus.

[6] *Friedberg* II 623.

[7] *Friedberg* II 751.

[8] Epp. l. V n. 58, *Migne* 77, 794, apud Gratianum c. 107 C. 1 q. 1, *Friedberg* I 404.

[9] Cfr. *3 Reg.* 13, 33 sq.

[10] *Thomas* non in Quodl. X q. 8, sed in Quodlib. V q. 11 a. 23 dicit: *Si praelatus intendit obligare eum cui dat beneficium ecclesiasticum, ad aliquam recompensationem faciendam sibi vel suis consanguineis, intentio simoniaca est.*

[11] Procurator canonicorum regularium S. Augustini S. Mariae pacis in Urbe tunc erat D. Felix Cremonensis, *Conc.* 79 f. 105[r].

collatione gratiae — *dignus est enim operarius mercede sua*—, si aliunde tamen victum sibi quaerere non potest, alias accipere non posset via perfectionis non obligationis. *An non habemus potestatem*, ait Paulus [1] etc., sed non usus potestate, qua tamen uti potuisset. Igitur ad id non tenebatur Paulus *ad Corinthios* II [2]: Melius est mihi mori quam gloriari etc. Si autem populus esset pauper, praelatus teneretur gratis ad ministrandum c. 20 *Act. ap.* [v. 34]: *Subministrarunt manus istae*, quod mihi indigens erat. Si autem populus est dives, etiam per subtractionem spiritualium praelatus indigens [a] accipere et exigere potest. |

R. procurator ordinis Praedicatorum [3]: Ex doctrina diffinitionis simoniae 54v
respondet ista, ut scil. in mere spiritualibus et ut in adiunctis [b] dare temporale vel accipere pro usu potestatis spiritualis est simoniacum, quomodocumque id accipiatur; quod etiam iure naturae prohibitum est. Nullo modo igitur res spiritualis vendi pretio potest, a quocumque id accipiatur, damnavitque distinctionem canonistarum, quod sit aliquid simoniacum iure positivo, quia est una vera simonia. Pontifex autem potest etiam facere simoniacum, si ⟨rem aliquam⟩ [c] spiritualem [d] facit, et vendere postea etiam illam uti annexam spirituali est simoniacum, et papa simoniam committere etiam potest. Quo autem ad sustentationem quis accipere potest, ut B. Thomas q. 100 [a. 2] dixit. Est tamen advertendum, ut attendatur status ecclesiasticus quoad indigentiam, non mundanus, ut si pontifex acciperet [?] pro sustentatione, debet respicere ad statum ecclesiasticum, non saecularem. Ad parentes autem et ministros sustentandos et ditandos accipere nemo potest, sicuti non potest episcopus de bonis ecclesiae ea ⟨facere⟩ [e]. Secundo notandum est, quod praelati debent sustentari iure divino et naturali a populo, et pontifex, cum accipit in collatione beneficiorum, ⟨non debet accipere⟩ [f] ita, ut, qui collationem accipit, non ⟨remaneat ei⟩ [g], unde vivere iure naturae debet. Et sicuti rex debet ad sustentationem accipere aequaliter a suo populo, ita, si pontifex indiget, a privato in collatione beneficii non debet immorale accipere, sed debent onera partiri in ⟨toto populo⟩ [h], ut unus non gravetur magis quam alius. Pontifex igitur subest simoniae, accipere potest ad sustentationem, sed aequali distributione et ad status ecclesiastici condecentiam.

R. Christophorus de Floriano, poenitentiarius Lateranensis [4]: Praelatus ecclesiae non potest a spiritualibus aliquid accipere, si res spiritualis comparatur temporali; si autem post collationem gratiae datur aliquid libere pro devotione, id accipi potest.

Et cum hora esset iam 24, dimittitur congregatio.

62.

[Vota de simonia] [5].

[Die 26. Martii 1556].

Romae Bibl. Vat. *Ottob. lat. 2416* I f. 16r-29v, cop. coaeva, continet A-E; *Barb. lat. 2530* f. 17r-43r, cop saeculi XVII, item continet A-E; *Vat. lat. 3944* f. 258r-262r, cop. coaeva, continet D, F et G; Mediolani Bibl Ambros. *Cod. D 181 inf.* f. 92r, cop. saec. XVI, continet H.

A.

An praelatus ecclesiae pro usu spiritualis etc. Antequam absolvamus dubium, declarandi sunt duo termini, videl. quid sit potestas spiritualis et quid simonia; maxime principia enim cognoscimus, cum terminos cognoscimus, a quibus pendet solutio dubii. Ottob. lat. 2416 I f. 16r

Potestas enim spiritualis sive ecclesiastica est facultas quaedam ⟨proprii generis secundum⟩ [1] doctores, quae a Christo supranaturaliter et specialiter collata est suis apostolis

[a] *add. supra lin.* [b] *Supple* rebus [c] *add. supra lin.* [d] *del.* eam [e] *add. postea in fine* [f] *del.* non accipit [g] *del.* habeat [h] *add. supra lin.* [1] *OB* propinqua super

[1] *1 Cor.* 9, 4.

[2] Cfr. *1 Cor.* 9, 15.

[3] Ut ex elencho *Conc.* 79 f. 100r apparet, Fr. Thomas Manrique, Hispanus.

[4] Christophorus de Floriano ord. Pr. erat decanus poenitentiariorum basilicae Lateranensis, *Conc.* 79 f. 118r.

[5] Quae sequuntur octo vota de simonia ad quaestionem pontificis respondentia in classibus die 26. Martii habitis data esse videntur. — Votum Iacobi Lainii generalis Soc. Iesu, quia a *H. Grisar*, Iacobi Laynez disputationes Tridentinae (Oeniponte 1886) II 322-382 iam editum est, praetermisimus, addentes pro commoditate lectoris conclusionem (*Grisar* l. c. 380): *Constat licere quidem commodum temporale accipere pro usu potestatis spiritualis, id est, ut sustentatus minister possit potestate gratis uti, quod in prima huius quaestionis parte probavimus, minime autem licere id accipere quasi pretium usus potestatis, ut deduximus in parte secunda; sicut nec licet pro illo usu taxatum quid (ut Romae fit) accipere, ut in tertia parte conclusimus.*

et discipulis ac eorum legitimis successoribus usque in finem saeculi ad aedificationem ecclesiae militantis secundum leges evangelicas pro consecutione felicitatis aeternae.

Dicta autem potestas est duplex secundum theologos: Una ordinis sive sacramentalis, quod idem est secundum S. Thomam II-II q. 39 art. 3 [1]; altera iurisdictionis. Hoc ponitur, ut cognoscatur, ad quae se extendat usus praedictae spiritualis potestatis. Hae duae potestates secundum doctores, videl. ordinis et iurisdictionis, distinguuntur per hoc, quia prima confertur per collationem alicuius ordinis ecclesiastici supra corpus Christi verum. Potestas vero iurisdictionis est, quae super [a] alios datur per commissionem alicuius, quando videl. papa vel episcopus dat tibi [b] curam animarum. Et licet potestas ordinis sit praestantior potestate iurisdictionis, quia illa est supra corpus Christi verum, ista supra mysticum, illa fundata est super [c] caratherem sacerdotalem, qui est indelebilis, quemadmodum est ordo, et a summo Deo propter suam dignitatem detur, ista autem cum a voluntate hominum pendeat, ut dictum est, saepe perditur. Cum hoc tamen stat, quod si comparentur ambae ad populum [d], propter quem [e] institutae sunt, maior cognoscetur esse potestas iurisdictionis quam ordinis, cum per illam pluribus de causis magis provideatur populo quam per aliam, magis doceatur populus in ⟨fide et moribus, conservetur pax in illo, iustitia⟩ [f] retineatur, suum cuique ius detur, vitia coerceantur, mali mores corrigantur, quicquid denique boni in ecclesiastica republica est, sine hac iurisdictionis potestate facile laberetur; nihil enim horum ad ordinis potestatem spectat, quae dicitur ordinis, quia nemo potest illam habere, nisi sit in certo gradu et ordine constitutus, [sed] ordinatur tantum ad collationem et ordinationem sacramentorum. Per pote-
16v statem vero iurisdictionis | magis prodesse potest, qui illam habet, reipublicae, si sit bonus, et magis obesse, si sit malus.

Secundus terminus declarandus est simonia, quae secundum Alexandrum nostrum de Ales [g] [2], S. Thomam [3], Ricardum [4], Bielem [5], et fere omnes theologos est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale vel spirituali annexum. « Voluntas » non sumitur pro rationali [h] potentia ⟨volente, quae est verbum pro essentia [i] et ad opposita contrarie et contradictorie⟩ [k], sed pro actu volendi [l] eo modo, quo sumitur a Beato [m] Augustino primo Retract. c. 22 [6], ubi dicit: *Nihil est tam in potestate* voluntatis *quam ipsa voluntas*, ut exponit Scotus 7. dist. secundi [n] [Sent.] [7] et 16. et 18. quaestione Quolibet[ali] [8]. Et ratio est, quia omne peccatum actuale actu voluntatis committitur.

Dicitur « studiosa », id est deliberativa. Nam sola voluntate praevia deliberatione committi potest simonia, licet ab ecclesia, si non procedat in opus extra [o], non puniatur.

Nomine emptionis et venditionis ⟨secundum B. Thomam⟩ [p] II-II q. 10 [9] intelligitur omnis contractus non mere gratuitus, cum omnis talis, quo commutatur vel datur spirituale pro temporali, possit esse sedes simoniae, cum non gratis detur. Dicitur ⟨emendi vel vendendi⟩ [q]; Simon enim Maghus [r] emere voluit gratiam conferendi per impositionem manuum Spiritum Sanctum, ut per operationes suas vendere posset aliis *Act.* 8, [18 sq.], et ita voluntatem emendi et vendendi habuit. Giezi vero famulus Helisaei a Naaman Syro recepit munera pro sanitate ei collata ad preces Domini sui *4 Reg.* 5, [20 sqq.]. Unde sicut dici possunt a Simone emente et vendente Simoniaci, ita et a Giezi vendente Giezitae.

Dicitur «spirituale» non physicum, quod est individuale, sed theologicum, et hoc sumitur primo per essentiam, ut virtutes infusae, dona Spiritus Sancti et carather sacramentalis; secundo per efficientiam, ut sacramenta causantia gratiam ex opere operato — id enim efficiunt, quod significant, ut dicit decretum conciliare — et sacramentalia causantia gratiam saltem dispositive ex opere operantis, [ut] iurisdictio ecclesiastica, potestas spiritualis et ad haec
17r antecedentia, comitantia et consequentia; | tertio per actualitatem, ut effectus procedentes a potestate spirituali vel ordinis sive iurisdictionis ecclesiae [s] aut actus, qui fluunt

[a] *B* supra [b] *B* sibi [c] *B* supra [d] *B* principalem [e] *B* quam [f] *B* fide, et moribus conservetur; pariter in illo iustitia [g] *O* alis [h] *B* rationabili [i] *O* per essentia (!) [k] *B* Volente, qui est verba per essentia et ad opposita contrariae et contradictoriae [l] *B* volenti [m] *B* divo [n] *B om.* [o] *B* executio [p] *B* B. Thomas *et nihilominus prosequitur postea* intelligitur [q] *B* vendendi vel unendi [r] *O* magnus [s] *OB* iurisdictione ecclesiastica

[1] *Thomas* l. c.: *Duplex est spiritualis potestas: Una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis.*

[2] *Alexander Halesius*, Summa theol. l. II p. II inqu. III tr. 8 sect. 1 q. 3 tit. 2 cap. 2 art. 1 (ed. *Quaracchi* III 789).

[3] *Thomas*, S. th. II-II q. 100 a. 1: *Utrum simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

[4] *Richardus de Mediavilla*, Super IV. Sent dist. 25 art. 2 q. 1 eandem quam Thomas quaestionem movet.

[5] *Gabriel Biel*, In IV. Sent., suppl. dist. 25 q. 2.

[6] *Migne* 32, 620.

[7] Opp. VI 2 (Lugduni 1639) 557 sqq.

[8] Opp. XII (Lugduni 1639) 445 sqq. 475 sqq.

[9] *Thomas*, S. th. II-II q. 100 a. 1 ad 5.

non modo a Spiritu increato, sed et [a] a creato, ut scientia, virtutes acquisitae et similia. Alexander de Ales [b] in secunda parte q. 187 art. 3 [1] inquit, quod Spiritus Sanctus non solum habeatur ut calor inflammans affectum per virtutes infusas et sacramenta ecclesiae, sed etiam ut lux illuminans intellectum per scientiam.

Dicitur ultimo « annexum spirituali », ut [c] ius recipiendi decimas, quod annectitur ordini clericali scilicet, et iuspatronatus, quod est annexum spirituali, scilicet beneficio ecclesiastico et praesentationi ad idem secundum Alexandrum uti supra, et similia, de quibus diffuse a Biele 28. lectione super canonem missae et 25. dist. supplimenti supra quaestionem [2]. Unde dicitur annexum spirituali, quia in spirituali fundatur et non potest de iure competere, nisi spirituali aut clericali statui, ut patet ex Ricardo [3].

Cum enim dicitur spiritualia dari pro temporalibus seu intuitu commodi temporalis, secundum Bielem in canone missae lectione 28 [4] de mente Petri de Aliaco cardinalis Cameracensis et Gersoni in tractatu de simonia q. 10 potest esse intuitus ad commodum temporale in datione vel administratione spiritualium.

Primus potest intuitus ferri ad commodum temporale tamquam ad pretium rei spiritualis, quasi sit adaequatio in valore unius ad alterum, sicut est in emptione et venditione in civilibus; ubi datur pecunia pro mercede ut rationabile eius pretium, et sic talis intuitus est vere simoniacus humano et divino iure prohibitus, et si concurrat error in intellectu, ita quod credatur hoc licite posse fieri, incurritur haeresis proprie dicta, si adsit pertinacia. De qua B. Gregorius [in] registro [5]: *Altare, decimas, Spiritum Sanctum emere vel vendere simoniacam heresim esse nullus fidelium ignorat.* Si vero quis ex cupiditate commutare vellet spirituale pro temporali, non tamen credens hoc licite posse fieri, hic esset simoniacus, non haereticus, cum in [d] intellectu circa | credibilia non erraret. Contra talem per se ipsum loquitur Salvator 17v
noster *Io.* 2, [16] dicens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Vocat secundum expositores domum Patris sui ecclesiam, quae per simoniam fit domus negotiationis, dum spiritualia, quae traduntur in ea, venduntur et emuntur. Certe si prophetarum, si totius sacrae scripturae repetuntur annalia, nullum reperiemus hominum genus, quod Deus vehementius arguat, severius comminetur et crudelius puniat quam simoniacos. Fecit enim flagellum de funiculis et eiecit vendentes et ementes de templo, quod nullibi legitur sic fecisse. Evertit quoque Dominus domum Hieroboam et delevit de superficie terrae, quia vendebat sacerdotium; qui enim implebat manum plus dando vel offerendo, ut dicit Lyra [6], habebat sacerdotium.

Secundo potest ferri intuitus ad commodum temporale tamquam ad motivum principale dandi vel ministrandi spiritualia, vel tamquam ad finem moventem ad opus, sine quo omnino non fieret opus, in quo etiam sistat intuitus spiritualia conferentis vel recipientis. Sic simonia est. Unde S. Thomas Quolibeto [e] 8 q. 11 [7] quaerit de ituro propter distributiones temporales ad ecclesiam et concludit, quod, si finis principalis ingressus in ecclesiam sint distributiones, simonia est; si vero sint finis sub fine, et principalis ratio ingressus sit Deus ipse, cui, ut commodius et sincerius servire possit, substentationem recipit necessariam, simonia non est.

Tertio modo potest ferri intuitus ad commodum temporale tamquam ad motivum minus principale vel tamquam ad finem subordinatum sub ultimo fine sive tamquam ad causam allicientem aut trahentem ad donandum aliquid libere intuitu beneficii suscepti vel suscipiendi sive ante sive post. Hoc modo, | sublato scandalo pusillorum, a quo per Paulum absti- 18r
nendum est [8], et ipse mala insumi possit simoniaca [f], simonia non est.

[a] *B om.* [b] *O* alis [c] *OB* in [d] *B om.* [e] *B* cont° lib° [f] *Textus ut videtur, corruptus*

[1] *Alexander Halesius* l. c. (supra 346 adn. 2) art. 3 probl. 2 (ed. *Quaracchi* III 807); in editione Coloniensi a. 1622 est q. 167, non q. 187, quem errorem auctor ex commentariis Gabrielis Biel l. c. hausit. Alexander hoc loco probare nititur magistros artium non debere « vendere scientiam », licet *pro labore suo possunt pecuniam accipere.*

[2] Omnia fere praecedentia de definitione simoniae ad verbum fere ex commentariis Gabrielis Biel desumpta sunt l. c. supra 346 adn. 5.

[3] L. c. supra 346 adn. 4 art. 3 q. 3.

[4] Quae sequuntur usque ad conclusionem ad verbum fere conveniunt cum iis, quae *Gabriel Biel,* S. Canonis missae expositio lect. 28 (De simonia in hoc sacrificio) exponit. Biel l. c. de loco Gersonis rectius dicit *in fine tractatus de simonia;* invenitur enim Opp. ed. *Dupin* II 653.

[5] Locum auctor ex Gratiano c. 3. *Presbyter* C. 1 q. 1 (*Friedberg* I 358) desumpsit, ubi ut supra allegatur; non invenitur in litteris Gregorii I.

[6] Glossa Nicolai de Lyra ad *3 Reg.* 13, 33 est: *Qui implebat manum suam dando sibi maius pretium, obtinebat sacerdotium.* Biblia Sacra etc. II (Venetiis 1588) f. 151v.

[7] Locus allegatus invenitur Quodl. VIII q. 6 a. 11.

[8] Cfr. *1 Cor.* 8, 9 sqq.

Quarto et ultimo modo [a] potest ferri intuitus ad commodum temporale tamquam ad rem iure divino debitam pro sustentatione ministri assistentis pro nobis Deo et ministrantis nobis spiritualia; et hoc modo dantur praelatis ecclesiae beneficia, ut officium suum gratis exsolvere possint; *dignus est enim operarius mercede sua, Matth.* 10 [1] et Paulus *prima ad Tim.* 5, [18]. Hoc titulo, qui dicitur iusta ministri sustentatio, secundum Gersonem lectione 4 de vita spirituali animae [b] omnis moderata receptio temporalium pro spiritualibus salvari potest, maxime si aliunde non habeat, unde vivat.

Ex quibus omnibus concludo, quod omnes constitutiones primum ad hoc tendunt, ut spirituale non commutetur cum temporali ut pretium adaequatum sive in ratione principalis motivi, sed tantum ferri debet animus ad temporale tamquam ad aliquid organice subveniens ad sustentationem et stipendii solatium, non autem ad appretiationem spiritualis cum temporali, cum stricta obligatio per conventionem legalem sive per commutationem spiritualis cum temporali secundum Scotum 20. Quolibet [c] sit simoniaca et componentes non debe[n]t se exhibere suspectos exigendo immoderate iura sua, et ultra quam sit eis debitum et necessarium, quia si reciperent ordinarias compositiones, non est verisimile, quod aliquis dare vellet tantum illis in illo actu pro labore corporali. Ubi autem non fit pactio et principalis intentio in collatione seu receptione spiritualium non sit ad temporalia, sed gratis et elemosinaliter detur ad sustentationem naturae vel pro parte salarium officialium aut ad servandam laudabilem et approbatam consuetudinem locorum, licite tunc et sine simonia dari et accipi possunt. |

B.

Fr. Clemens [Dolera] ord. Minorum [de observ.] generalis [2]: Alia responsio, qua ostenditur, quae spiritualia sint venalia et quae non.

18r Iurisperiti et fere tota schola theologorum et praecipue Albertus Magnus dist. 25 quarti [Sent.] [3] distinguunt, quod spirituale est, quattuor: Quoddam enim pro sua spiritualitate nullo modo vendi potest, cum nihil communicet cum corporalibus, et ideo non potest transire in dominium alterius, ut sunt dona Spiritus Sancti, virtutes infusae, beatitudines et id genus.

Quoddam est essentialiter et totum spirituale, est tamen in corporalibus datum, ut gratiae sacramentales, quod, licet ex sui natura et de iure venale non sit, venditur tamen saepe ex parte corporalis operis, quod in potestate ministrorum est; nunquam tamen venditur sine simonia.

Tertium est ementi corporale et non spirituale, [quod] spiritualibus tamen personis attribuitur ad sustentandum eas in spiritualibus exercitiis, ut praebendae et alii proventus ecclesiarum. Ista tamen si vendantur, committitur in eis simonia ratione spiritualitatis, cui attributa sunt.

Ultimo dicunt spiritualia corporalia inanimata, quibus traduntur quaedam spiritualia, ut vasa decoris domus Dei, videlicet calices, thuribula, cruces, libri et similia, et de his solum verum est, quod vendi possunt sine simoniae nota, sed differenter, quia aut ecclesia vendit alteri ecclesiae, et tunc integra vendi possunt, non aucto pretio pro consecratione vasorum, aut venduntur personis laycis, et tunc prius confringi debent a sacris personis et commassari praemissa oratione pro indulgentia fractionis.

Frater Clemens generalis Areceli.

[a] *B* om. [b] *B* ante [c] *B* concl

[1] Immo *Luc.* 10, 7; *Matth.* 10, 10 enim habet in fine *cibo suo*.

[2] Clemens Dolera Monilianus ord. Min. de observ. a. 1541 procurator ordinis (*Wadding*, Ann. XVIII 4), a. 1547 loco Io. Calvi generalis defuncti in concilio Tridentino vicarius generalis electus a pontifice confirmatus (l. c. 220), postquam familiae cismontanae per tres annos praefuit, denique a. 1553 in comitiis Salmanticensibus generalis minister est renuntiatus (l. c. 259). Anno 1557 Paulus IV Clementem cardinalem creavit, *van Gulik-Eubel* III 39. Mortuus est a. 1568. De quo cfr. etiam *Sbaralea*, Suppl. 197; *Lauchert*, Die italien. liter. Gegner Luthers 646-652.

[3] Tota responsio desumpta est ex *Alberto Magno*, In IV. Sent. dist. 25 art. 5 resp.

C.

Fr. Franciscus de Salazar ord. Min. de observantia [1]:

An praelatus ecclesiae pro usu spiritualis potestatis [*etc. ut supra.*] 20r

Pro parte affirmativa probatur, quod ecclesiae praelatus pro tali usu absque simoniae vitio non solum titulo substentationis, verum etiam ratione laboris ac operarum a sponte dantibus sive ab invitis per expressam petitionem ac per spiritualium subtractionem possit aliquid temporale accipere vel exigere.

De primo nulla est difficultas, scil. titulo substentationis, quod possit licite aliquid temporale accipere; liquet enim ex sententia Apostoli *1 ad Cor.* c. 9, [7] asserentis licere administrantibus spiritualia ob eorum substentationem suscipere temporalia; *quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem et de lacte eius* [*non*] *manducat?*

De secundo autem, videl. quod ratione laboris ac operarum pro usu spiritualis potestatis debeatur praemium temporale, ex eodem Apostolo constat in epistula [*1*] *ad Tim.* c. 5, [17] dicente: *Qui bene praesunt ministerio, duplici honore*, hoc est dono sive munere, *digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Et *Luc.* 10, [7], postquam Servator noster misit discipulos ad praedicandum, subiunxit [2]: *Edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua* sive *cibo suo*. Ecce ubi Christus constituit mercedem tamquam debitam labori et operis pro usu administrantis spiritualia. Et *ad Rom.* 15, [26 sq.] idem Apostolus inquit: *Probaverunt enim Macedonia et Achaya collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem; placuit enim eis et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gent*[*ile*]*s, debent in carnalibus ministrare illis.*

Ex quibus verbis aperte constat stipendia carnalia sive temporalia esse debita laboribus et operis administrantis spiritualia, et vicissim illi, quibus ista administrantur, fore debitores temporalium. Quod si ita est, absque vitio simoniae poterit [a] praelatus pro eorum administratione temporale aliquid expresse petere ac etiam exigere. |

Praeterea pro hac parte facit, quia tales labores et operae, quas usus spiritualis potestatis 20v habet, sunt mere res temporales. Igitur licitum est eas sub pretio redigere et earum intuitu aliquid temporale suscipere. Et confirmatur ista ratio ex eo, quod sacerdotes conductitii locant se ad celebrandum per menses et annos ratione laboris et operarum suarum, et hoc ecclesia approbat, ut ex c. [11] *Significatum* [b] [X] de praeb. [III 5] [3] constat, ergo non minus licebit cuique praelato, si operas suas velit locare ac earum intuitu aliquod temporale suscipere.

Sed pro parte negativa arguitur, quod non liceat praelato pro usu potestatis spiritualis, ad quem ex officio tenetur, temporale aliquid expresse petere aut exigere nec a sponte

[a] *B* potest [b] *B* significavi

[1] Franciscus de Salazar ord. Min. de observ., qui concilio Tridentino a. 1546-47 (*Conc. Trid.* I 460, 35; V 573 sqq. 862) et 1551-52 (*Conc. Trid.* II 230, 18 et saep., *Theiner*, Acta I 513 sq.) necnon Bononiensi (*Conc. Trid.* I 656, 44 [sermonem habet in die Pentecostes 1547] et saepius) interfuit, a. 1548 ep. Soltaniensis creatus (*van Gulik-Eubel* III 321) episcopo Maioricensi suffraganeus inserviit. Sed renuntiasse videtur episcopatui titulari, cui a. 1551 provisum est, nec anno 1552, cum Crescentium cardinalem defunctum laudaret, amplius episcopum se appellavit, nec postea, subscribit enim votum suprascriptum simpliciter *Fr. Salazar Hispanus penitentiarius.* De duobus eius orationibus (tertiam non vidi) typis datis cfr. *Sbaralea*, Suppl. 282.

Quamquam in elenchis trium classium nomen autoris non occurrit, scriptum eius votis adscribendum arbitrati sumus, cum facile fieri potuit eum, ut poenitentiarium basilicae cuiusdam Romae praesentem et super hoc rogatum votum suum scriptis dedisse.

In Arch. Vat. *Concilio 10* f. 262 haec inveniuntur theses:

Episcopi Salaminensis die [lacuna in texto] *Ianuarii 1556 super reformatione:*

1. *Potestas ecclesiastica seu usus clavium donum Dei dicitur.*
2. *Quicunque dono Dei isto utitur sive potestate hac pacto aliquo sive pretio aut conventione praecedente, simoniacus est.*
3. *Quicumque dono isto utitur etiam non praecedente pacto, sed ex eo ditari cupit, specie simoniae involvitur.*
4. *Quicunque hoc dono Dei utitur nullo praecedente pretio vel pacto nec ditari cupiens potest licite aliquid temporale percipere.*
5. *De compositionibus, quia nihil reperitur scriptum a doctoribus, potest fieri decretum a summo pontifice.*
6. *In quo advertendum, ne laedatuir consuetudo ecclesiae laudabilis, ne ansa calumniandi pravis detur, ne sacerdotibus necessaria denegentur.*
7. *Summus pontifex loco decimarum pro sui sustentatione possit aliquid accipere ex redditibus omnium beneficiorum.*
8. *Superiores ordinum non cogant sacerdotes suos subditos etiam invitos quottidie celebrare.*

[2] *Luc.* 10, 7; *Matth.* 10, 10.

[3] *Friedberg* II 467 sq.

dantibus accipere, quia, si liceret, maxime esset intuitu laboris et operarum suarum in spiritualia administrando. Sed ex hoc ei non licet. Nam si ratione laboris illud liceret, cum usus et administratio omnium sacramentorum ecclesiasticorum constet ex operis et labore, omnia ecclesiastica sacramenta essent venalia.

Item si ratione laboris pro usu spiritualis potestatis liceret praelato aliquid temporale recipere, non deberetur ei stipendium substentationis ratione officii; esset enim iniquum, quod praelatus duplicem mercedem acciperet, unam videlicet intuitu officii, et alteram laboris intuitu, sicut si sutor vellet pretium pro calceo et postea mercedem alteram pro labore conficiendi calceum.

Sed specialiter probatur de praelato, qui ex officio tenetur spiritualia administrare, quod non liceat illi pro tali usu aliquid temporale suscipere auctoritate B. A u g u s t i n i in tract. 19 de verbis Domini, [1] ubi inquit Augustinus, quod, *quicumque stipendia publice decreta consequitur, si amplius quaerit, tamquam calumniator et concussor Iohannis sententia damnatur*. Cum ergo praelatus consequatur stipendia publice decreta pro usu spiritualis potestatis, sequitur, quod, si amplius pro illo usu quaerat, quod est calumniator et concussor ex Iohannis sententia.

Pro solutione huius quaestionis oportet primitus examinare d u b i u m potissimum, quod in ea est implicitum, videl. an p r o s p i r i t u a l i b u s a c t i b u s l i c e a t a l i q u i d t e m p o r a l e s u s c i p e r e. Quod quidem dubium non solum tangit maiores ecclesiae praelatos, 21r sed omnes | in universum ecclesiae ministros, praesertim potestatem ordinis ac clavium executionem habentes: An pro usu sive [a] pro actu seu actibus talis potestatis spiritualis liceat aliquid temporale expresse petere vel exigere vel a sponte dantibus suscipere. De quo est diversa doctorum sententia [2]. Nam quidam partem a f f i r m a t i v a m tuentur, ut [b] dominus A l t i s s i o d o r e n s i s quaestione paen[ultima] de simonia [3] et S. B o n a v e n t u r a 25. dist. quarti [Sent.] q. 4 [4]. Item R i c c a r d u s eadem dist. [art. 3] q. 2 in responsione ad argumenta de episcopo recipiente procurationem iuxta c. [10] *Cum sit Romana* [X] de sim. [V 3] [5] dicit ipsam procurationem capere tamquam debitam pro suo labore [6]; et in solutione ad octavum item dicit, quod clerici dicentes psalterium pro mortuis, si pecuniam accipiant pro suo labore, non peccant, dummodo ad hoc alias non teneantur; qui tamen [q.] 3 excipit laborem, qui est in administratione sacramentorum [7]. A r m a c h a n u s [c] lib. 10 cap. 10 et sequentibus [8] dicit, quod licitum est administrantibus spiritualia recipere mercedem pro labore. Idem tenent g l o s s a in c. [11] *Significatum* [X] de praeb. [III 5] [9]. Eandem sententiam tenet A d r i a n u s Quolibeto 9 [10] et Io. M a i o r in quartum [Sent.] dist. 25 q. 6 [11], ubi inter modos

[a] B si [b] B et. [c] B Irmachanus

[1] Sermo 19 de verb. Domini a Maurinis in appendicem reiectus ibi sub n. 82 invenitur, *Migne* 39, 1904 sqq.; ubi 1905 verba Ioannis Baptistae *Luc.* 3, 14 exponuntur.

[2] Quae Salazar affert de sententiis doctorum, qui dubio suprascripto solvendo operam dederunt, omnia fere ex Hadriani VI quaestione quodlibetica 9 hausit. Adducit ibi Pontifex primum pro responsione negativa Durandum, Petrum de Palude et Petrum de Alliaco, deinde pro responsione affirmativa Guillelmum Altisiodorensem, S. Bonaventuram, Richardum de Mediavilla, Richardum Armachanum et Hostiensem. *Hadrianus VI pont. max.* Quaestiones duodecim quodlibeticae (Lugduni 1546) f. 181v-182v.

[3] *Guillelmus Altisiodorensis* (Auxerre), Summa aurea lib. III tr. 27 cap. 2 q. 2 ait: *Tribus de causis accipit pecuniam ecclesia: Prima est propter devotionem, secunda est propter sustentationem et stipendium ministrorum ecclesiae; tertia est propter correctionem.*

Dubium, an liceat sacerdoti accipere temporalia pro missa cantata, hoc solvit modo: *Non sunt danda temporalia sacerdotibus etiam post missas cantatas pro ipsis missis, sed quia dignus est operarius mercede sua, ut sit cibus in domo Domini; prohibitum autem est ante accipere et non post propter speciem mali et propter scandalum vitandum.*

[4] Secundum *Bonaventuram* in IV. Sent. dist. 25 a. 1 q. 4 concl. (Opp. ed. *Quaracchi* IV 648) clericus *seminans spiritualia* temporalia accipere potest, *ut se sustentet et spiritualia seminet*, sicut etiam consiliarius pro consilio pretium recipit *propter laborem et sustentationem.*

[5] *Friedberg* II 751.

[6] Fr. Salazar de Richardi sententia non refert exacte; dicit enim ille l. c. ad 3, praelatum pro visitatione procurationem recipere non tamquam pretium, *sed tamquam debitam ad sustentationem ex ordinatione ecclesiae.*

[7] *Richardus*, IV Sent. dist. 25 a. 3 q. 3 ad ultimum: *Labor corporalis annexus spiritualibus vendi potest eo modo, quo superius dictum est, non tamen ille, qui est in ministratione sacramentorum.*

[8] *Richardus Fitzralph*, archiep. Armacanus 1346-1361, in Summa in questionibus Armenorum l. X c. 10 ait: *Attende tu, quod laboranti sive in evangelio sive in baptizando sive in ministrando alia sacramenta ecclesie licet recipere necessaria vite per censum annuum et per oblationes quotidianas et alios modos honestos.*

[9] Glossa in l. c.: *Si nullum habet* [*clericus*] *beneficium ecclesiasticum, ratione cuius ad hoc teneatur, potest locare operas suas ad certum tempus et recipere mercedem pro labore suo nec simoniam committit.*

[10] *Hadrianus*, Quaestiones XII quodlibeticae (Lugduni 1546) f. 182r sententiam eorum, qui aiunt ministrum laborem suum in actibus spiritualibus locare posse, esse verisimiliorem contendit.

[11] *Iohannes Maior*, In IV Sent. dist. 25 q. unica arg. 2, etsi dicat: *Licet danti spiritualia accipere sustentationem*, negat tamen laborem administrantis legitimum esse titulum.

legitimos recipiendi aliquid temporale pro spirituali ponit duos modos, quorum unus est pro sustentatione et alius pro labore administrantis.

Pro istorum doctorum sententia facit quod habetur in concilio A g a t e n s i [C.] 1 q. 2. c. finali [1]. Dicitur: Qui ecclesiae fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum per ordinationem canonum a sacerdotibus consequuntur.

Hanc etiam sententiam tenet T h o m a s de A r g e n t i n a in quarto [Sent.] q. 4 [2], et eandem videtur tenuisse H o s t i e n s i s in Summa [3] post Goffredum [in] quarto eadem dist. 25.

C o n t r a r i a m tamen sententiam tenet D u r a n d u s in quarto [Sent.] dist. 25 q. 1 de sim. [4] et P e t r u s de P a l u d e q. ultima eadem dist. [5] Eandem etiam sententiam tenet P e t r u s d e A l i a c o in tractatu, quem edidit contra cancellarium Parisiensem de simonia [6], ubi dicit, quod nullus ex doctoribus antiquis tenuit contrariam opinionem. Eandem etiam fovet B. T h o m a s II-II q. 100 art. 3 et Quolibeto 3 q. 11 et in quarto [Sent.] dist. 25 art. 29 [7], et S i l v e s t e r in Summa, verbo « simonia» § 8 et 9 [8]. Item Summa P i s a n e l a [9] et denique cardinalis C a i e t a n u s super II-II [10] et in summula verbo « simonia » [11].

Et pro istorum doctorum sententia facit c. fin. [X] de pactis [I 35] [12], ubi habetur, quod pro spiritualibus obtinendis, ubi cessare debet omnis pactio et conventio, nullum locum habet locatio aut conditio, et ⟨sic videtur⟩ [a], quod pro labore et operis in administratione spiritualium | nullum temporale liceat recipere. 21v

P r o s o l u t i o n e h u i u s d u b i i advertendum est, quod duplices operae vel labores inveniuntur in spiritualium administratione sive in usu rerum spiritualium: Quaedam enim sunt operae per se necessariae ad ipsam administrationem, imo sunt ipsamet administratio spiritualium, sicut ordinare ministros ecclesiae, infantes crismate consignare, benedicere ecclesias, vasa sacra, vestimenta sacerdotalia, rem divinam celebrare, dicere horas canonicas, par-

[a] *B falso* si cui detur

[1] *Friedberg* I 411.

[2] *Thomas de Argentina,* In IV. Sent. dist. 25 art. 4 q. 2: *Dicenti missam pro laboribus suis potest dari pecunia vel alia res temporalis sine peccato, quia nemo tenetur propriis stipendiis militare.*

[3] *Henricus de Segusio,* Summa aurea (Lugduni 1568) l. V de simonia n. 4 (f. 343r).

[4] *Durandus de S. Porciano,* In IV. Sent. dist. 25 q. 3 n. 10.

[5] *Petrus de Palude,* In IV. Sent. dist. 25 q. 5 conclusio 2: *Simonia habet locum in actibus spiritualibus a spiritu increato, in quibus nec pro labore aliquid licet recipere, sed solum in sustentationem vitae.*

[6] *Petrus de Aliaco* in altero tractatu suo contra Cancellarium Parisiensem [Iohannem Blanchart] composito a. 1385 ait: *Nunquam invenitur, quod ipse vel alius doctor theologus antiquus dicat, quod sit recipiendum pro labore, et si aliquis novellus hoc dicat, habet pro eodem dicere pro labore sicut pro sustentatione vitae.* Gersonii Opp. ed. *Dupin* I 777. Cfr. *L. Salembier,* Le cardinal Pierre d'Ailly (Tourcoing 1932) 68 sqq.

[7] *Thomas,* In IV. Sent. dist. 25 q. 3 art. 2 quaestiuncula 1 et 2. Recte Salazar ait, S. Thomam f o v e r e sententiam severiorem; nam ex professo de dubio suprascripto non agit. Nec in Quodlibeto III q. 9 nec in Quodlibeto VIII q. 6 a. 11 quid ad rem invenitur.

[8] *Sylvester Prierias* in Summa quae dicitur Silvestrina l. c. (Antverpiae 1569) II 400 sqq. S. Thomae sententiae adhaeret.

[9] *Bartholomaei de Pisis* Summa de casibus conscientiae, vulgo dicta « Summa Pisana » vel « Summa Pisanella » (cfr. *Quétif-Echard* I 623 sqq.) nihil ad rem dicit; sed Supplementum *Nicolai ab Auximo* sub verbo *simonia* secundo habet: *Dare vel accipere temporale pro spirituali simonia est, sive detur pro sacramento sive pro officio sive pro labore huiusmodi officii vel orationis, secundum quod haec praepositio « pro » denotat appretiationem.*

[10] *Thomas Caietanus* in commentariis ad II-II q. 100 a. 3 ad dubium: *Num in spiritualibus actionibus liceat vendere laborem personalem et locare operas suas sub pretii pacto,* nixus regula, *quod non potest esse ratio pretii seu aestimationis,* concludit: *Quare pro celebratione, pro oratione, pro sacramentorum administratione, pro officio divino seu mortuorum, pro praedicatione, pro oleo sancto, pro chrismate, pro benedictione nubentium non est licitum pacisci, quia scilicet principale in istis quaesitum est spirituale.*

[11] *Caietanus* in Summula de peccatis (Lugduni 1550) 528-539 sex notat r e g u l a s d e s i m o n i a:

1. *Nulla res spiritalis, quatenus spiritalis, est licite venalis aut ratio maioris pretii.*

2. *Nulla res composita ex spiritali et corporali sic ut principale illius sit spiritale potest vendi vel emi absolute.* Ex. gr. *non licet praedicatori pro praedicatione, sacerdoti pro celebratione etc. pacisci aut quovis modo haec sub pretio ponere absolute.*

3. *Res quaecumque composita ex spiritali et corporali, sic ut principale in illa sit corporale, potest absque simoniae vitio vendi vel emi absolute, nisi ex positivo iure inhibeatur.*

4. *Stipendium sustentationis exercentium spiritalia licitum est velle et accipere et in articulo necessitatis etiam pacisci.* Ex. gr. *licitum est cogere ad subventiones statutas auctoritate superiorum vel consuetudine exhibendas in consecratione ecclesiarum et virginum, in benedictione nubentium* etc.

5. *Locare operas suas ad exercitia spiritalia, quae principaliter sunt spiritalia, non est licitum nisi per accidens.* Ex. gr., quamvis non est licitum sacerdoti, locare operam suam ad celebrandam missam, *licet tamen eidem locare libertatem suam, contra quam toties debet occupatum se tenere* etc., per certum tempus ad officiandum, celebrandum missas etc.

6. *Locatio operarum in illis exercitiis spiritalibus, quae principaliter sunt corporalia, locum habet absque scrupulo conscientiae, ut patet de officio vicarii, sacristae, iudicis, doctoris etiam in theologia et aliis huiusmodi, de quibus debentur certa stipendia.*

[12] *Friedberg* II 205 sq.

vulos baptizare ac denique reliqua sacramenta ecclesiastica administrare. Ista, inquam, sunt operae, quae per se insunt administrationi spiritualium.

Aliae autem sunt operae et labores, qui accidentaliter adveniunt administrationi rerum spiritualium, ut scil. iter unius diei vel plurium ad administrandum sacramenta vel ad celebrandum vel praedicandum, seu ad residendum tali loco et tali tempore ad divina celebranda etc. De dictis operis et laboribus huius secundi generis non est dubitandum, quin intuitu eorum possit licite aliquid temporale accipi et exigi ac de illo pacisci pro administratione rerum spiritualium, et ex consequenti sacerdos et quilibet alius ecclesiae minister possit licite et absque simoniae vitio tales operas et locare et intuitu illarum stipendium petere ac etiam exigere, dummodo in aestimatione illarum non habeatur respectus ad spiritualia, sed ad operas et labores corporales. Et quod hoc ita sit, patet, quia tales operae et labores sunt mere corporales ac temporales, et per accidens et impertinenter se habent ad administrationem spiritualium. Et ita est sententia domini Imol[ensis] in c. [3] *Quoniam* [X] ne praelati vices suas [V 4] [1], ubi dicit, quod licitum est sacerdoti pacisci, ut pro certa pecunia in aliqua ecclesia moretur, ita tamen, quod non recipiat pecuniam pro celebratione, sed pro labore corporali. An tamen pro operis et laboribus secundi generis liceat aliquid temporale accipere, ipsemet Imo[lensis] videtur nunc unam, nunc alteram sententiam tenuisse. Nam in dicto c. *Quoniam* dixit, quod sacerdos pauper potest locare operas suas spirituales. Postea tamen super eodem capite tenuit, quod, sive pauper sive dives sit, sacerdos non potest locare operas suas spirituales. Pro solutione huius dubii sit prima propositio: |

21r Prima propositio:

Nulli ecclesiae ministro intuitu laboris ac operum, quae per se spiritualibus actibus insunt, pro usu spiritualis potestatis aliquid temporale expresse petere aut exigere [licet].

Probatur propositio: Nam talis labor et operae sunt res spirituales in principio suo, a quo proficiscuntur, sicut sanare infirmos, mundare leprosos etc. Quae, tametsi ex natura sua temporalia sunt, prout tamen procedunt a gratia supernaturali, sunt spiritualia, et ob id non possunt vendi, ut ex *Matth.* 10, [8] liquet, et confirmatur hoc, quia operae illae sive labor in administrando spiritualia nihil aliud est quam administratio ipsa et usus spiritualis potestatis. Sed omnia ista sunt spiritualia, prout capitur spirituale in materia de simonia, eo quod promanat a principio spirituali, puta a dono Dei sive ab officio, quod habet episcopus a Deo.

Secundo probatur propositio, quia, qui intuitu laboris et operarum ex aliqua administratione rerum spiritualium aliquid temporale accipit, non gratis administrat; ergo talis vendit operas et ex consequenti est simoniacus. Patet antecedens: Nam qui intuitu laboris et operarum ex aliqua administratione aliquid temporale accipit, ille locat operas suas, et qui locat operas suas et labores, non gratis dat; ergo illos vendit. [Quod] probo, quia locare species est emptionis et venditionis. Et confirmatur hoc, quia pictor non dicetur gratis dare imaginem, si accipiat pretium operarum et laboris. Et profecto similis videtur illusio dicere, quod quis gratis celebrat missam, sed exigit pretium pro labore missarum, ac si quis artifex dicat se dare gratis aliquod opus, et tamen exigeret pretium operationis sive operarum et laboris.

Tertio principaliter probatur propositio ex eo, quod minister sacramentorum tenetur gratis dare, quantum potest, actus spirituales; sed suscipiens sustentationem pro officio non potest [a] exigere aliud pretium pro labore; ergo, si exigat, non gratis, quantum potest, dat actus spirituales; hoc est enim dare omnino gratis, ut non exigere aliquid, sine quo potest ministrare. Alias enim faceret contra evangelium dicens [2]: Quod *gratis accepistis, gratis date*, et contra institutum Pauli dicentis [3]: Qui evangelio serviunt, de evangelio vivant. Dempto igitur titulo substentationis, nullo alio titulo minister ecclesiae potest aliquid temporale pro spirituali licite accipere. |

21v Et iterum confirmatur eo, quod minister spiritualium est delegatus a Christo; ergo ei non licet alia ratione temporale aliquid accipere, nisi ea, quae ab ipso Christo sibi concessa est; igitur intuitu laboris et operarum nec presbytero nec praelato sive alicui ecclesiae ministro aliquod temporale accipere licet. An tamen pro usu solo ipso spiritualis potestatis, nullo

[a] *OB* potest[atis] non; *in quo casu postea supplendum esset* potest

[1] In *Ioannis ab Imola*, In V decretalium lectura [Venetiis 1541] suprascripta non inveniuntur; Repetitiones eius (cfr. *Schulte* II 297 sq.) non vidi.

[2] *Matth.* 10, 8 (omisso verbo *quod*).

[3] Cfr. *1 Cor.* 9, 14.

habito respectu ad operas et labores spirituales, sed ad usum tantum, ad quem praelatus ex officio tenetur, licitum sit praelato ecclesiae aliquid temporale suscipere: de hoc est praesens difficultas, pro qua sit secunda propositio.

Secunda propositio:

Non potest ecclesiae praelatus absque simoniae vitio pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, substentationis praetextu ante spiritualium exhibitionem temporale aliquid exigere nec expresse petere nec a sponte dantibus accipere.

Probatur propositio authoritatibus plurimorum conciliorum, et primo ex concilio Lateranensi sub Innocentio III anno 1215 celebrato c. 63 suorum decretorum, et habetur X de simonia[a] [V 3] c. [39] *Sicut*[1]: *Sicut pro certo didicimus, in plerisque*[b] *locis et a plurimis personis quasi columbas in templo vendentibus fiunt exactiones et extorsiones turpes et pravae pro consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum et ordinationibus clericorum estque taxatum, quantum*[c] *sit isti vel illi quantumve alteri vel alii persolvendum, et ad cumulum damnationis maioris quidam turpitudinem et pravitatem huiusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore observatam*[d], *quae magis est dicenda corruptela, penitus reprobamus, firmiter statuentes, ut pro iis sive conferendis sive collatis nemo aliquid quocumque praetextu exigere aut extorquere praesumat. Alioquin et qui receperit et qui dederit huiusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi et Simone condemnetur.* Ecce ubi habetur, quod pro spiritualibus conferendis sive collatis quocumque praetextu nihil est exigendum aut extorquendum.

Item in secundo concilio Bracharensi c. 3, et habetur [C.] 1 q. 1 c. [22][2]: *Placuit, ut de ordinatione clericorum episcopi nulla munera accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent, non aliquo pretio gratia Dei [et] impositio manus*[e] | *venum-* 23r
detur. Quare antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti et accipienti. Ecce ubi ponitur anathematis vinculum tam danti quam accipienti.

Praeterea in undecimo concilio Toletano c. 8 et habetur [C.] 1 q. 1 c. [101][3]: *Quicquid invisibilis gratiae collatione tribuitur, nunquam quaestu vel quibuslibet praemiis venumdari penitus debet, dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideo quicunque deinceps in*[f] *consignandis fidelibus aut collatione crismatis aut promotionibus graduum pretium quodlibet vel praemia susceperit*[f], *competenti poena et debita excommunicatione puniendus est.*

Simile habetur in secundo capite concilii illius magni Calcedonensis, et habetur c. [8] *Si quis* [C.] 1. q. 1[4]: *Si quis episcopus per pecuniam ordinationem fecerit et sub pretio redegerit Spiritus Sancti gratiam, quae vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam presbyterum aut archidiaconum vel diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in clero, promoverit per pecuniam, et iam dispensatorem et defensorem vel quemlibet, qui subiectus est regulae, pro turpissimi lucri commodo, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subiacebit.*

Hucusque conciliorum authoritates. Sed rationibus efficacibus probatur etiam propositio. Et primo sic: Quia usus spiritualis potestatis vel est aliquid spirituale vel aliquid annexum spirituali. Sed neutro istorum respectuum potest pro illo usu aliquid temporale absque vitio simoniae accipi. Nam non respectu primi, puta, quando est spirituale, ut de se patet, neque respectu secundi, scilicet quando est annexum spirituali. Nam quando aliquid temporale est annexum alicui spirituali in aliqua re, et principale in illa est spirituale, nullo modo pro illa re potest aliquid accipi absque vitio simoniae eo, quod vendito uno, venditur et reliquum, ut patet ex sententia Pascalis papae, et habetur [C.] 1 q. 1[5]: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum eorum invenditum derelinquit.* Cum ergo principale in usu sacramentorum sit spirituale, sequitur, quod pro illo nihil potest licite accipi. |

Probo tamen manifeste, quod usus ille spiritualis potestatis sit quoddam vere spirituale, 23v
prout in materia de simonia debet capi spirituale. Nam usus spiritualis potestatis non est nisi administratio et exhibitio sacramentorum seu actuum sacramentalium ac actus ipsi, quo spiritualia administrantur. Sed talis administratio ac exhibitio sacramentorum ac actus, quo illa administrantur, est quoddam vere et pure spirituale, prout capitur in materia de simonia, eo quod provenit ex Spiritus Sancti dono et ad illud ordinat et disponit suscipientes.

[a] *B falso* ex decimo [b] *B* plurimisque [c] *O B* quanti [d] *om. codd. nonnulla.* [e] *Sic OB; videtur praeferendum* manuum, *ut in decreto Gratiani.* [f] *om. codd. multa, quae apud Gratianum inveniuntur.*

[1] *Friedberg* II 765.
[2] *Friedberg* I 366.
[3] *Friedberg* I 398 sq.
[4] *Friedberg* I 359 sq.
[5] C. 7 *Si quis obiecerit* C. 1 q. 3, *Friedberg* I 413.

Secundo principaliter probatur propositio: Praelatus ecclesiae ex officio, quod habet, tenetur ad administranda spiritualia; ergo eidem non debetur stipendium intuitu usus sui officii sive actus administrandi spiritualia. Patet antecedens. Nam alias iniuste acciperet stipendium substentationis, si pro illo ad nihil esset obligatus. Et probo consequentiam, quare similis extorsio possit imponi a quocumque ministro iustitiae, qui ex officio tenetur illam administrare; diceret enim praeter, cui ex officio a republica sibi iniuncto incumbit iustitiam administrare, quod unum stipendium esset sibi debitum ratione officii, et aliud ratione usus officii, et ita, nisi utrumque eidem stipendium integre solveretur, nunquam vellet iustitiam administrare.

Item quicumque artifex conductus ad operandum posset exigere unum stipendium ratione [artis], qua praeditus est, et aliud ratione usus artis, quod omnino esset iniquum. Minime ergo licebit praelato ecclesiae aliquid temporale pro usu potestatis, ad quem ex officio tenetur, ante spiritualium exhibitionem absque vitio simoniae, etiam praetextu substentationis, exigere nec expresse petere nec a sponte dantibus accipere.

Et confirmatur tantum hoc[a] ratione, quam B. Thomas format loco citato[1]: *Quare ille, cui committitur spiritualis potestas, pro sua substentatione stipendia habet ex redditibus ecclesiae [ei]*[b] *assignata; ergo, si pro usu spiritualium acciperet aliquid, talis intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiae usum.* Et ista ratio S. Thomae habetur [C.] 23 q. 1 c. [5] *Militare*[2] ex verbis S. Augustini in tr. 19 de verbis Domini[3], ubi inquit Augustinus, quod *quicumque* 24ʳ | *stipendia publice decreta consequitur, si amplius quaerit, tamquam calumniator et concussor Ioannis sententia damnatur.* Haec Augustinus. Beatus etiam Gregorius hom. 13, et habetur [C.] 1 q. 3 c. [10] *Vendentes*[4] post alia subiungit: *In templo vendentes sunt, qui hoc, quod iure ceperint, quibusdam ad praemium largiuntur.*

Secus tamen esset dicendum de praelato indigente sustentatione et ex officio non obligato ad spiritualium administrationem. Nam tunc liceret, et solo substentationis titulo, post spiritualium exhibitionem temporale aliquid accipere et etiam exigere. Quod si omnino eidem negaretur, licite posset spiritualia subtrahere, et propterea dixi in propositione, quod praelatus, qui ex officio tenetur ad usum spiritualis potestatis, pro illo usu ante spiritualium exhibitionem absque vitio simoniae nihil expresse petere aut exigere nec a sponte dantibus potest accipere. Patet hoc ultimum, quia, quotiescumque deesset intentio vendendi accipiendo aliquid a sponte dantibus, haberet tamen quandam speciem venditionis ante spiritualium exhibitionem; et tamen, ut Apostolus inquit[5], ab omni specie mali cavendum est. An tamen post exhibitionem spiritualium liceat praelato, qui ex officio tenetur spiritualia administrare, aliquid temporale expresse petere vel exigere sive a sponte dantibus suscipere, et quo titulo illi liceat, de hoc est dubium, pro quo sit tertia propositio.

Tertia propositio:

Licitum est ecclesiae praelato pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, exhibitis prius gratis spiritualibus iuxta approbatam consuetudinem accipere aliquid temporale, etiam per expressam petitionem; non tamen propter illam consuetudinem eidem licebit ab invitis per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae aut de aliis bonis undecumque provenientibus aliquid temporale accipere vel exigere, sed nolentes et valentes solvere post spiritualium liberam exhibitionem, ut laudabilem consuetudinem servent, compellere debet.

Prima pars huius tertiae propositionis est, quod licitum est ecclesiae praelato pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, exhibitis gratis spiritualibus, iuxta approbatam consuetudinem aliquid temporale accipere etiam per expressam petitionem. Pro qua parte noto secundum Panormitanum in c. [29] *Sua[m]*[c] [X] de simon. [V 3][6], quod 24ᵛ consuetudo accipiendi aliquid | temporale pro spirituali ad substentationem ministrantium spiritualia potest esse duplex: Una, quae fuit introducta ex mera liberalitate et devotione populi; secunda, quae fuit introducta propter aliquam exactionem et extorsionem nolentibus tali consuetudini parere. Prima consuetudo dicitur laudabilis et honesta, et obligat posteros etiam nolentes, potentes tamen solvere, ut habetur ex c. [42] *Ad apostolicam* [X] de simonia

[a] *B* hac [b] *Locus sine dubio corruptus; O habet* già, *B* tam. [c] *B* c. Suademus

[1] S. th. II-II q. 100 a. 3 ad 3. Omittit auctor nonnulla.
[2] *Friedberg* I 893.
[3] Cfr. supra p. 350 adn. 1.
[4] *Friedberg* I 416 sq.; apud Maurinos est hom. 39, n. 5, *Migne* 76, 1297.
[5] Cfr. *1 Thess.* 5, 22.
[6] *Abbatis Panormitani* Commentaria in V ll. decretalium VII (Venetiis 1591) f. 94ᵛ.

[V 3] [1], ubi dicitur compellendos esse nolentes ad laudabilem consuetudinem observandam. Secunda vero consuetudo potius dicitur corruptela quam consuetudo, ut in 63. capite concilii Lateranensis iam citato habetur, nec illa consuetudo obligat posteros nec illius praetextu praelatus conferens spiritualia potest aliquid exigere nec expresse petere aut ullo pacto accipere, ut liquet in c. [9] *Cum in ecclesia* [X] de simonia [V 3] [2]. Prima ergo pars huius propositionis intelligenda est de prima consuetudine, scilicet laudabili et honesta, quod praelatus exhibitis prius spiritualibus iuxta laudabilem consuetudinem potest aliquid temporale accipere. Patet hoc ex illo, quod in 66. capite concilii Lateranensis iam citato, et habetur c. [42] *Ad apostolicam* [X] de simonia [V 3].

Item ratione probatur, quod iuxta talem consuetudinem liceat temporale accipere pro usu temporalis potestatis, quod illud temporale, quod ratione consuetudinis percipitur, est pars substentationis in principio assignatae tali praelato ratione officii; ergo ad illum habet ius ex lege naturali et evangelica sibi concessum. Dixi « exhibitis prius spiritualibus », quia secundum Innocentium [3] et Ioannem de Lignano [4] in dictum c. *Ad apostolicam* consuetudo, qua datur aliquid ante sacramentorum receptionem, est corruptela nec valet, quantumcumque longa [sit]. Et ratio est, quia habuit malum initium, puta, quia ab invitis et per spiritualium subtractionem fuit olim extorta [a].

Secunda pars est, quod propter illam consuetudinem non licet praelato, cui ex officio incumbit spiritualia ministrare, ab invitis per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae etiam aliquid temporale accipere vel exigere. Patet hoc, quia, quamvis illud temporale sit debitum pro sustentatione ratione consuetudinis, non potest tamen praelatus propria auctoritate ab invitis id tollere, praesertim per spiritualium subtractionem. Nam ex hoc daretur grave scandalum illis, qui viderent tam levi occasione subtrahere [!] spiritualia. Praeberetur praeterea illis ansa, ut crederent, quod tamquam pretium spiritualium illud temporale exigeretur. Esset denique aperta cupiditas praelatorum instar pseudoapostolorum in primitiva ecclesia, quos taxat Apostolus propterea, quod illis praecipua causa praedicandi evangelium erat temporale lucrum, *2 ad Cor.* c. 11, [8]. |

Tertia pars est, quod nolentes iuxta illam laudabilem consuetudinem solvere, post 25r
spiritualium liberam collationem per viam iuris dumtaxat debet praelatus compellere. Patet hoc ex 66. capite concilii Lateranensis iam citati [5], in quo inter alia habetur: *Quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam* [b] *introductam ex fermento haereticae pravitatis nituntur infringere sub praetextu canonicae pietatis. Quapropter et pravas exactiones super his fieri prohibemus et pias consuetudines praecipimus observari, statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, et qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare, per episcopum loci veritate comperta compescantur.* Ecce ubi dicitur, quod libere conferantur ecclesiastica sacramenta, et deinde volentes laudabilem consuetudinem immutare compescantur.

Quarta propositio:

Licitum est ecclesiae praelato, cui ex officio incumbit spiritualia administrare, post eorundem collationem in signum benevolentiae ac gratitudinis, et non aliter, a sponte dantibus aliquid temporale benigne accipere.

Probatur propositio primo ex octavo concilio Toletano c. 11 superius citato [6], in quo, postquam praecipitur episcopis, ne pro consignandis fidelibus aut collatione chrismatis [vel] promotionibus graduum [c] pretia quaelibet vel praemia suscipiant [d], subiungitur *nisi voluntate oblata*.

Praeterea ex eodem concilio Toletano c. 5 idem probatur, et habetur [C.] 1 q. 2 c. [1] [7]: *Placuit, ut, quotiesqumque ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi invi-*

[a] *OB* exorta [b] *om. codd.* pia devotione fidelium, *ut in decreto.* [c] *O* gradicum *B* gradiate; *legendum videtur potius clericorum* [d] *B* suscipiat

[1] *Friedberg* II 766.
[2] *Friedberg* II 751.
[3] *Innocentius IV*, In V ll. decretalium commentaria (Venetiis 1578) f. 207v tantum dicit: *Ad illa autem, quae dabantur tempore collationis sacramentorum, nunquam cogantur, quia species mali est, a qua abstinendum est..., quia praesumitur* [*consuetudo*] *simoniace introducta, et facit ad hoc, quia nec ante nec post dare praecipitur.*
[4] *Iohannis de Lignano* († 1383) commentarius in decretales Greg. IX adhuc est ineditus. *F. v. Schulte*, Quellen II 260.
[5] Est cap. *Ad apostolicam*, supra adn. 1.
[6] Revera est conc. Toletanum XI c. 8, cfr. supra p. 353 adn. 3.
[7] Errorem iterum committit auctor; nam c. *Placuit* desumptus est ex conc. Braccarensi II c. 3; cfr. supra p. 353 adn. 2.

tantur, non quasi ex debito a fundatore munus aliquod requirant, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur.

Item B. Gregorius in registro, et habetur ubi superius, scilicet [C.] 1 q. 2 c. 4 *Sicut episcopum*[1], ubi, postquam interdicitur episcopo, ne quid accipiat ab ordinandis, subiungitur: *Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex pacto neque exactus offerre aliquid gratiae tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus.* Et per haec patet utraque responsio ad titulum quaestionis.

Ad argumenta in principio facta ex dictis habetur responsio. Sub sententia[a] et censura sanctae sedis apostolicae.

Franciscus de Salazar Hispanus penitentiarius.

D.

Fr. Stephanus Ususmaris Genuensis, Praedicatorum generalis[g]

Vat. lat. 3944 f. 258r An praelatus ecclesiae pro usu spiritualis potestatis [*etc. ut supra.*] Proposito dubio iuxta S^mi D. N. praeceptum absque rhetorum phaleris et verborum ac allegationum pompa mihi responsuro observandum in primis occurrit, quod, si verba illa quaesiti «pro usu spiritualis potestatis aliquid accipere» ad germanum et, ⟨ut aiunt⟩[b], formalem sensum restringantur, commutationis speciem exprimere videntur; rem enim unam pro alia dare pretium aut commutationem sonare videtur. Quo genuino sensu stante quaesito quoad omnes sui partes negative respondendum[c] erit et dicendum, quod non licet praelato pro usu spiritualium nec a sponte dantibus nec ab invitis aliquid accipere, quod pretium vel aliam commutationis speciem sapiat, absque simoniae labe, quae iuxta vulgatam[d] diffinitionem studiosa est voluntas emendi aliquid spirituale vel ei annexum. Et optime quidem, quia revera, ut docte ponderavit S. Thomas et alii theologi ac canonistae, invendibilia sunt, tum quia praelati ecclesiae, qui rerum spiritualium domini non sunt, sed dispensatores, iuxta illud Pauli monitum[3]: *Sic nos existimet homo* etc., et ministerii sui exactam sunt reddituri rationem, ea vendere non possunt, sed[e] iuxta Domini praeceptum[4], sicut[f] gratis acceperunt, gratis dare debent; tum quia spiritualia ipsa tantae sunt dignitatis, utpote ex dono Spiritus Sancti nobis collata, uti inappretiabilia et invendibilia sint, iuxta illud[5]: *Omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua* etc. Quod et innuit apostolorum princeps in verbis maledicti illius, quo magum Simonem percussit, dum ait[6]: *Existimasti donum Dei pecunia possideri.* Haec est consona theologorum doctrina 25. dist. quarti [Sent.] et C. 1 q. 1 et 2, ⟨et fere per totam [causam]⟩[g].

Suadetur haec eadem negativa responsio ex aliis ipsius quaesiti verbis, dum subditur «ad quae praelatus ex officio tenetur». Nam pro his, ad quae quis[h] ex officio tenetur, si habeat, unde ex officio vivat, non potest aliud accipere.

Si autem a formali sensu verborum paulisper recedendum [sit], et verba illa «pro usu spiritualis potestatis» in laxiori sensu accipienda sint, ut idem sit «pro usu» et «in usu»[i], 258v quod et divo Thomae II-II q. | 100 art. 3 licere visum est pro ampliori tradenda doctrina, dum huic quaesito responderet, quem et divus Antoninus, archiepiscopus[k] Florentinus[7], et[l] alii secuti sunt, secus respondendum erit et dicendum, quod licet praelato pro usu spiritualium, quae confert, multis nominibus aliquid accipere et a sponte offerentibus et ab invitis, nunquam tamen tamquam pretium.

Et primo licet praelato indigenti aliquid accipere ab his, quibus spiritualia ministrat, tamquam stipendium victus et substentationis, quia iuxta Salvatoris sententiam[8] *dignus est operarius mercede sua.* Quam sententiam complexus Apostolus dicebat [*1*] *ad Cor.* [9, 11. 13]: *Si spiritualia seminamus*, debemus vestra temporalia metere, et: *Qui altari serviunt, de altari*

[a] *OB* lima [b] *V om.* [c] *OB add.* facile [d] *OB add.* ipsius [e] *B* sic [f] *OB* si [g] *V om.* [h] *OB om.*
[i] *B* «in usu» et «pro usu» [k] *In O omnia usque ad finem sectionis sublineata.* [l] *OB add.* plerique

[1] *Friedberg* I 409.
[2] Cfr. supra p. 259 adn. 1
[3] *1 Cor.* 4, 1.
[4] Cfr. *Matth.* 10, 8.
[5] *Sap.* 7, 9.
[6] *Act.* 8, 20.
[7] *S. Antoninus*, Summa s. theologiae, iuris pontificii et caesarei p. II tit. 1 cap. 5; distinctio suprascripta invenitur in editione Veneta a. 1571 f. 12r
[8] *Luc.* 10, 7.

vivere debent. Non licet tamen hoc facere per spiritualium subtractionem, quia esset ecclesiam impiam novercam et non matrem facere. Sed spiritualia prius gratiose et facile petentibus exhibenda sunt tam candido animo, ut non etiam ea mente principaliter exhibeantur, quatenus temporalia nobis perea conferantur. Cuius oppositum facientes incurrunt simoniam, quae licet a poenis iuris libera sit, non evadit tamen [a] reatum culpae coram Deo. Spiritualibus ergo gratiose et puro oculo prius exhibitis, licet postea praelato indigenti accipere et ab offerentibus et ab invitis id, quod ad victus iuxta sui status decentiam [b] congruit, imo cogere nolentes dare, ut ea iuxta consuetudinem et debitum praestent. Ex lib. 2 Reg. habemus multa Dei prophetis ab euntibus ad eos pro responsis füisse donata, quae, ut divo Hieronymo placuit, et habetur [C.] 1 q. 1 c. [23] *Iudices* [1], c. [24] *Nunquam*, accipiebant non ut pretium simoniae, sed ut sustentationis stipendium. Paulus etiam audacter dicebat [2], quod ius sibi competebat, ut de eorum bonis viveret. Hoc idem igitur modernis praelatis licet, ut patet ex c. [42] *Ad apostolicam* [X] de simonia [V 3], dummodo tamen non avaro, non cupido animo aut cum scandalo, sed, ut decet ministros Christi, exigantur. Licet etiam praelatis divitibus gratis, ut [c] dictum est, exhibitis spiritualibus ea accipere, maxime ab offerentibus, quae ex antiqua consuetudine praestari solent, ut sunt procurationes visitationum et alia huiusmodi, dummodo moderate hoc faciant, ut [d] statuit concilium Lateranense | sub Innocentio III, et habetur X de cens. [III 39] c. [6] *Cum apostolus* [3]; hoc idem dicitur [e] 259r
de simonia [V 3] [c. 10] *Cum sit* [4]. Licet quoque, ut divo Thomae q. 100 II-II [art. 2 ad 3] placuit, praelato aliquid accipere pro absolutione [f] ab excommunicatione vel alio gravi crimine tamquam poenam ipsius delicti, hac tamen adhibita cautela, ut inquit sanctus doctor IV. [Sent.] dist. 25 [q. 3 art. 2 quaestiuncula 3], quod sine scandalo fiat, quod utique evenit, si ista non in pios usus convertantur, sed ex eis coacerventur praelato divitiae. Nulli dubium etiam est licere praelato in usu spiritualium occupato et spiritualibus mancipato fruges praebendae pro tali usu deputatae percipere, decimas iure divino sibi debitas exigere etiam ab invitis, summo quoque sacerdoti ab inferioribus primitias accipere ac ea, quae loco primitiarum successerunt, quae communiter dicuntur esse annatae, quae ex fructibus vacantis beneficii a sede apostolica exiguntur, quas Viennense [5] et Constantiense concilia canonizasse videntur [6], et earum exactionem licitam esse fere omnes credunt, a quorum sententia ego non discedo, dummodo omnia debite [g] fiant et in veris beneficiorum vacationibus exigantur, et non in monstruosis ac fictis malitia temporum introductis ab his, qui sanctuarium Dei hereditate possidere conantur, de quibus dicitur [7]: *Deus meus, pone illos ut rotam* etc. De his satis, quia alias forte longior erit sermo.

Postremo, tametsi non liceat praelato ab eo [h], cui ecclesiasticum beneficium confert, aliquid quovis quaesito colore accipere, licet tamen ei, antequam beneficium conferat, de fructibus vacantis ecclesiae, ut divo Thomae in [i] citata q. 100 II-II placuit [8], aliquid detrahere et ad aliquem pium usum applicare. Pro causis igitur praemissis licet praelato ecclesiae spiritualia ministranti aliquid accipere et petere, dummodo tamen omnia ordinate et debite fiant, avaritia semota [et] ea modestia servata, quam decet Christi servos imitantes Apostolum, qui, tametsi sciret ius sibi competere, ut de bonis [fidelium] [k] viveret, cognita tamen eorum avaritia laborabat manibus [9], ne [l] quem gravaret, et facto ostenderet, quod verbis aiebat: Requiro fructum, non quaero datum, et vos, non vestra desidero. Praeter autem has causas vel quae ad eas directe et clare et non extorte reducuntur, nihil accipi a praelato pro spiritualibus posse arbitror sine simoniae vitio. ⟨Haec mihi occurrerunt dicenda, sub censura S. S^{tis} et aliorum melius sentientium⟩ [m].

⟨Fr. Stephanus Ususmaris Genuensis, Praedicatorum generalis⟩ [n].

[a] *V om.* [b] *OB add.* et substantiam [c] *OB add.* prius [d] *In O sequentia usque ad verbum* coacerventur *sublineata.* [e] *OB* habetur [f] *OB* solutione [g] *OB add.* et ex ordine [h] *OB* eodem [i] *OB add.* saepe [k] *VOB lacuna in textu.* [l] *B* et [m] *V om.* [n] *OB om.*

[1] Loquitur auctor de c. *Duces* (*Friedberg* I 367), qui in multis exemplaribus et in editione Romana incipit *Iudices*.

[2] Cfr. *I Cor.* 9, 11 sqq.

[3] *Friedberg* II 623.

[4] *Friedberg* II 751.

[5] In concilio Viennensi licet de annatis actum sit (*E. Müller*, Das Konzil v. Vienne [Paderborn 1934] 632 sq.), nihil tamen decretum; quas iam a. 1306 initium sumpsisse *J. Haller*, Papsttum und Kirchenreform (Berlin 1903) 49 sqq. demonstrat.

[6] De annatis licet in concilio Constantiensi disputatum sit (Acta concilii Constanciensis II ed. *Finke-Hollnsteiner* 592 sqq.; cfr. *Hefele* VII 337) in decretis reformationis sess. XLIII editis nihil est statutum, sed reiecta est materia ad concordata. *Raccolta di concordati* 148. 154 sq. 160 sq. Cfr. articulum « Annates » in: Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclesiastiques III 307 sqq., praesertim 313 sq.

[7] *Ps.* 82, 14.

[8] L. c. art. 4 ad 3.

[9] Cfr. *I Cor.* 4, 12.

E.

Ottob. lat. 2416 I f. 28r An praelatus ecclesiae *[etc. ut supra]*.

Pro responso ad quaesitum dicimus, quod obligatus ex officio seu beneficio ecclesiastico spiritualia ministrare non potest aliquod pro his, quibus sic ex officio debito est astrictus, cum pacto vel sine pacto ultra debitum et assignatum sibi super hoc beneficium exigere, etiam in ratione stipendii, absque simoniaca labe; attamen gratis et liberaliter oblatum et dono datum aut ex laudabili consuetudine dari solitum licite et iuste potest, stante recta intentione recipiendi non ut pretium et principale motivum.

Voluntarie enim oblata recipere permisit Toletanum concilium XI [1] et Carthaginense IV [2]. Idem rescripsit Bonifatius papa omnibus Caralitanae ecclesiae coenobiis [3], ⟨c. [101] *Quicquid* [C.] 1 q. 1, c. [22] *Placuit* eadem quaestione, c. [2] *Quam pio* [C.] 1 q. 2, c. [9] *Sacerdos* eadem quaestione⟩ [a] [4].

Hinc dixit S. Prosper libro de vita contemplativa [5]: *Sacerdos, cui dispensationis cura est commissa, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipiat a populo dispensanda* [b], *et inde ipse tamquam pauper voluntarius vivat.* Cuius rationem reddit divus Gregorius in registro [6]: *Quia eius oblatio nullam culpae maculam ingerit, quae non ex ambientis petitione processit.* Quin etiam ex sententia S. Thomae II-II q. 100 art. 2 permissum est temporalia exigere quasi quaedam stipendia per consuetudinem approbata, si intentio fuerit recta.

Ab invitis etiam potest exigere implendo [c] officium episcopi ex decreto Lateranensis concilii c. [42] *Ad apostolicam* [X] de simonia [V 3] his verbis: *Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus et pias consuetudines praecipimus observari, statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica* | 28v *sacramenta, sed per episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem infringere.* His concordat S. Thomas ubi supra art. 3, cum dixit: *Gratis spiritualibus prius exhibitis licite possunt statutae et consuetae oblationes et quicumque alii proventus exigi a nolentibus et valentibus solvere authoritate superioris interveniente.*

Quod si quis obiecerit: Non est consuetudo, sed corruptela, cum consuetudine derogari non possit iuri divino [7]: *Gratis accepistis, gratis date*, et contra decretum Lateranensis concilii [8], quod reprehendit eos, *qui putant licere pro spiritualibus recipere temporalia, quia legem mortis de longa convaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam*, et *quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget*, ⟨c. [8] *Non satis* [X] de simon. [V 3]⟩ [d] [9].

[e] Respondeo concilium loqui de his, qui commutatione quadam dant spiritualia pro temporalibus, quod denotat verbum *pro spiritualibus accipere temporalia;* id autem omnino vetitum est. Vel concilium loquitur de consuetudine, quae initium sumpsit a voluntaria praestatione, quae tanto tempore fieri potuit, ut inducta sit obligatio, ut notant doctores in c. [42] *Ad apostolicam* et c. [29] *Suam* [X] de simonia [V 3] [10], ponentes exemplum de rustico, qui per decem annos donavit par pullorum, et de eo, qui etiam per annos decem ivit ad vicini molendinum.

Quodsi licet ab invitis impleto [f] episcopi officio recipere, eisdem rationibus licebit per expressam petitionem, non tamen licebit per spiritualium subtractionem, quoniam hoc haberet quandam venditionis speciem secundum S. Thomam dicta quaestione 100 art. 3, et quoniam sibi ipsi ius diceret, quod non licet, et exinde scandalum sequeretur.

[a] *O in marg.; B allegationes post verba* Bonifatius papa *ponit.* [b] *om. codd.* *nonnulla, quae in decreto inveniuntur.* [c] *Codd.* implorando [d] *O in marg.; B inserit post verbum* concilii [e] *OB hic add.* quia [f] *Codd.* implorato

[1] Cfr. supra p. 353 adn. 3.

[2] C. 102 *Placuit* C. 1. q. 1 (*Friedberg* I 399), desumptus ex conc. Braccarensi II, in vulgatis ante Romanam editionibus inscribebatur: Ex Carthaginensi IV.

[3] C. 2 *Quam pio* C. 1 q. 2 (*Friedberg* I 408); est apocryphus. Idem canon paulo post iterum allegatur.

[4] *Friedberg* I 398 sq. 366. 408. 410 sq.

[5] C. 9 *Sacerdos* C. 1 q. 2, *Friedberg* I 410. Liber de vita contemplativa Iuliani Pomerii est.

[6] C. 4 *Sicut episcopum* C. 1. q. 2, *Friedberg* I 409.

[7] *Matth.* 10, 8.

[8] Conc. Lateranense III c. 7, *Mansi* XXII 221 sq. in Corpore Iuris c. 9 *Cum in ecclesiae* X de sim. V 3, *Friedberg* II 751.

[9] Cfr. adn. 8.

[10] *Friedberg* II 766. 759.

Nec obstat decretum Anastasii papae, cum dicitur:[1] *Et si oblationes ecclesiae vel decimas, quas populus dare debet, contenderet, communione privetur.* Privato autem | 29r communione subtrahuntur sacramenta, quoniam intelligi non debet ab ipso sacerdote, sed ab episcopo vel superiore, iuxta decretum *Ad apostolicam* [X] de simonia [V 3]. Nec [obstat] glossa in c. [69] *Omnis christianus* de consecr. D. 1[2], cum dixit: *Sed credo, si sacerdos pauper est, potest eis divina officia subtrahere, nisi dent ei oblationes.*

Sin autem proventus beneficii sint adeo tenues, ut desint ei necessarii sumptus: Si potest victum aliunde habere ex opere manuali, non potest aliquid ultra exigere; sed imputet sibi, qui tam exile beneficium acceptavit, et quaerat victum manibus suis, sicut quaesivit divus Paulus[3]. Si vero non potest aliunde acquirere victum, tunc vel episcopus sibi provideat vel populus, cum his, qui publicae utilitati deserviunt, debent a populo necessaria vitae ministrari sicut principibus et militibus, ex sententia Aristotelis[4].

Puto in themate consulto omissum de his, ad quos ex officio non spectat spiritualia ministrare, ut sunt conductitii sacerdotes, an recipere vel exigere possint aliquid temporale, quod de his nulla vel minor sit difficultas. Hi enim carentes subsidio vitae possunt ad tempus locare operas suas interveniente conventione et pactione, non tamen pro commutatione spiritualium cum temporalibus, cum nemo cogatur militare propriis stipendiis, et dignus sit operarius victu suo, obturarique non debeat os bovis triturantis[5].

Hinc dixit divus Hieronymus ⟨c. [67] *Apostolicis* [C.] 16 q. 1⟩[a 6]: *Apostolicis viris et evangelizatoribus Christi in necessariis usibus non tribuere, se ipsum damnare est.* Et concilium Agathense c. *Clerici* [C. 1] q. 2[b 7] decrevit, quod clerici omnes, qui ecclesiae fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, scilicet servitii sui meritum, per ordinationem canonum a sacerdotibus consequantur. |

Colligendo fragmenta, ne pereant, sit haec conclusio: Nedum, qui carent officio et be- 29v neficio, sed etiam habentes posse absque simoniae labe recipere temporalia datis spiritualibus, dummodo non recipiat[ur] tamquam pretium et pro commutatione spiritualium cum temporalibus, et intentio sit recta nec mentiatur iniquitas sibi[8], quod scilicet habeat intuitum ad commodum temporale tamquam motivum minus principale vel tamquam finem subordinatum sub ultimo fine, habens scilicet intuitum ad commodum temporale tamquam ad rem debitam iure divino pro substentatione eius, qui spiritualia ministrat.

Hinc fallit argumentum multorum: Ille vadit ad chorum propter pecunias, aliter non ⟨iturus; ille celebrat propter pecunias, aliter non⟩[c] celebraturus; igitur est simoniacus. ⟨Sed oportet⟩[d] addere: [Si] facit haec principaliter propter pecunias. Hoc autem non facit, qui refert actum suum ad Dei honorem et pecunias ad sui substentationem.

F.

Dicturus sententiam super articulo proposito, ea sinceritate, qua iussi sumus a S[te] V. *Vat. lat. 3944* f. 259v dicere[9], innixus illi Dei ac Domini servatoris auctoritate[10]: *Gratis accepistis* etc., censeo, praelatum pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, quodlibet[e] proculdubio nec a sponte dantibus accipere nec ab invitis quoquo pacto exigere posse usus huiusmodi respectu. Nam aut utitur ea potestate in his, quae sunt ordinis aut iurisdictionis, et in utraque functione nihil quamvis minimum intuitu illius usus recipi potest iuxta sententias doctorum absque incursu simoniae sive punibilis sive mentalis. Ratio praeter gratuitam concessionem ea est, quia, quae sunt ordinis, pretio nequeunt aestimari, quae vero iurisdictionis, non debent,

[a] *O in marg.; B om* [b] *O in marg.; B om.* [c] *B om.* [d] *B* scilicit opus [e] *Cod.* qual

[1] C. 55 *Statuimus* C. 16 q. 1, *Friedberg* I 778 sq., desumptus ex conc. Gangrensi c. 7, qui tamen et in interpretatione Dionysii Exigui et apud Isidorum Mercatorem longe aliter se habet, *Mansi* II 1107. 1111.

[2] In editione Lugdunensi (a. 1543 facta) f. 428v glossam suprascriptam sequitur additio: *Bene dicit « credo » secundum Lau[rentium de Pinu?], cuius fuit ista glossa tota, et idem sentit hic Hu[guccius?], qui dicit, quod non credit, quod oblationes, qui voluntarie vel ex devotione fiunt in festivis diebus, sint debite vel possunt de iure peti, et idem sentit frater Ray[mundus] [et] Archidiaconus.*

[3] Cfr. *1 Cor.* 4, 12.

[4] Cfr. Pol. IV 4, *Bekker* 1290 sqq.

[5] Cfr. *1 Cor.* 9, 9; *1 Tim.* 5, 18.

[6] *Friedberg* I 784.

[7] *Friedberg* I 411.

[8] Cfr. *Ps.* 26, 12.

[9] Quibus ex verbis apparet auctorem sententiam suam non in classe quadam die 26. Martii 1556 habita, sed coram pontifice dixisse; quo tempore quaque occasione, ignoramus.

[10] *Matth.* 10, 8.

tum quia proficiscuntur a spirituali potestate, tum ab eo, qui fruitur bonis ecclesiasticis ad ea onera potissimum subeunda concessis. Hinc est, quod neque pro sigillo quicquam praelatum doctores recipere patiantur absque labis illius incursu. Concedunt tamen aliquid in utraque functione sine precedenti pactione recipi posse congruo tempore vigore statuti seu laudabilis alicuius consuetudinis, respectu tamen alterius finis, non illius functionis intuitu, ut si quid sponte detur in honorem sacramenti administrati seu elemosinae gratia ad sustentationem naturae, quod verum puto de illis rebus, quae consueverunt offerri praelatis inter missarum solemnia, quando ea, quae sunt ordinis, exequitur, ut in collationibus ordinum et consecrationibus ad cultum et actum splendidiorem introductis ac etiam de consuetis procurationibus, de reliquis autem minime. Nam si extra ea offerantur aliqua in honorem sacramenti, decentius est, ut ad illum usum ecclesiae relinquantur, quam ut in commoda praelati convertantur; si elemosinae gratia, ut ecclesiae largiantur egenti seu pauperibus erogentur, cum non desit praelatis, unde vivant, et procurationes inter visitandum parochias, nisi sint titulares quidam errones, qui hanc venerandissimam potestatem turpiter venalem ubique circumferunt sub elemosinarum ementito praetextu, qui cum eorum imitatoribus, si minus incidunt in simoniam punibilem, difficile erit, quin incidant in mentalem non minus gravem apud Deum quam pa-
260r tentem, aut saltem in pernitiosam | ac evidentissimam simoniae suspicionem, quam prorsus removere patres nostri binas non improbatas per longum tempus consuetudines abstulere, unam in concilio [E]liberti no [1], ne scilicet nummus a baptizatis ulterius in concham mitti deberet, ne presbyteri vendere viderentur, quod gratis acceperunt, alteram in concilio Bracarensi secundo [2], scilicet ne ulterius a presbyteris tres oboli solverentur episcopis pro pretio balsami sacro chrismati miscendi, ne viderentur episcopi gratiam Spiritus vendere. Quos imitandos ducerem. Nam graviora fortasse erepserunt, digna, quae antiquentur, ex quibus male audiunt ecclesiastici et scandalo sunt multitudini.

Concedunt praeterea in his, quae sunt iurisdictionis, licere praelato, nulla item ante praecedente pactione, ante collatum beneficium nonnihil de fructibus beneficii subtrahere propter iustam aliquam causam. Quod verissimum esse puto, si iusta illa causa respiciat beneficium conferendum. Nam si alio respiceret, et praelatus dives esset, aequum non esset, [impendere in rem], ad quam alias de proprio teneretur; nam ea ratione alium oneraret, quo seipsum affluentiorem redderet, et ut sibi perpetuo consuleret, in quacunque vocatione iustam aliquam praetendere causam posset, et sic palliatam semper simoniam [committeret], si extra beneficii causam aliquid licitum illi esset subtrahere.

Ad removendas igitur causas eiusmodi et ad obviandum scandalis pusillorum tutum censerem, si praelati in usu spiritualis potestatis abstinerent ab omni munere, quamquam licito, quod suspitionem quovis modo potest inferre simoniae, praesertim in his, quae mere spiritualia sunt aut spiritualibus inseparabiliter annexa, memores illius apostolicae sententiae [3]: *Omnia mihi licent, sed omnia non expediunt*, et [4]: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Si enim hoc fieret, Paulo obtemperaretur praecipienti [5]: *Ab omni specie mali abstine*, et eius vigeret adhuc imitatio, qui, licet posset
260v ex evangelio vivere, sibi tamen e suis | propriis laboribus comparabat, ne venale videretur evangelium circumferre.

G.

Nulli dubium esse puto [6], Rev^me^ praeses et patres amplissimi, simoniae crimine obstrictos esse quoscumque praelatos ecclesiae, si pro usu clavium, quarum potestatem sibi a Deo gratis datam ex officio ministrare tenentur populo sibi commisso et iussu Domini gratis dare debent, quippiam temporale a nolentibus exigant, quacunque ratione id faciant, sive per expressam petitionem sive per spiritualium subtractionem, ad quorum exhibitionem obligati sunt; neque minus dubium, qualemcunque praelatum ecclesiae tunc uti potestate clavium, cum beneficia ecclesiastica confert, cum a criminibus sacramentaliter absolvit, cum a vinculo excommunicationis liberat, cum dat licentiam matrimonia in gradibus prohibitis contrahendi aut in eisdem contra legem contractis remanendi, cum clericos sacris in quocunque ordinis genere initiat et similia spiritualia ministeria exercet. Unde sequitur simoniam committere praelatum,

[1] Concilium Eliberitanum c. 48, *Mansi* II 13 sq., apud Gratianum c. 104 C. 1 q. 1, *Friedberg* I 399.
[2] Revera est Braccarense III c. 4, *Mansi* VIII 839, apud Gratianum c. 102 C. 1 q. 1, *Friedberg* I 399.
[3] 1 *Cor.* 6, 12.
[4] 1 *Cor.* 8, 13.
[5] 1 *Thess.* 5, 22.
[6] Auctor huius voti ignoratur.

qui in quocunque praefatorum actuum exercendo aliquid temporale petat aut quacunque ratione extorqueat. Substentationem autem ministrorum, qualem sibi quandoque praetexit avaritia ad vitam et status decentiam necessariam, cum non habent ad id sufficientes ab eorum ecclesiis redditus, non sigillatim a singulis, sed universim a populo, cui deserviunt, post exhibitum libere spiritualium usum aut quamcunque clavium potestatem ipsi ministri[a] ex officio tenentur, etiam a nolentibus, modo non magna premantur paupertate, peti posse puto, superioris auctoritate interveniente, ut docet divus T h o m a s, qui generatim suprascriptamsententiam explicans ait[1]: *Propter hoc non | licet pro quacunque dispensatione aliquid accipere.* 261r In omnibus autem sacramentis, ordinis dumtaxat [et] poenitentiae exceptis, a sponte dantibus, cum id devotionis causa fieri pateat, aliquid recipi sine peccato recipientium auctoritate Gregorii licere credimus. Sed quoniam videmus Christi ecclesiam scatere monstris ignorantium, cuius abominandi facinoris causam nullam esse aliam manifestum est quam avaritiam multorum episcoporum, eorum praesertim, qui titulo tenus episcopi appellantur, nullumque tam pestifero morbo praesentius sanctiusve remedium occurrit, quam ut pro o r d i n i b u s conferendis aut collatis a praelatis non modo nihil petatur, nihil exigatur, quod sacris canonibus congruit et communi opinioni, sed ut neque a sponte dantibus vel precario offerentibus ordinatis aut ordinandis quicquam accipiatur a praelato. Huius sententiae auctorem habeo B a s i l i u m in epistola ad suos episcopos, qui se putabant liberos esse a simonia propterea, quod non ante exhibitionem ordinum cum ordinandis paciscebantur aut ab eis pecuniam exigebant, sed post ordines collatos ab ordinatis accipiebant, quos magnus ille vir et sanctissimus severissime increpans ait[b][2], illud accipere post collationem ordinum non minus esse, quam id, quod fit ante collationem ordinum, clarissime detestatus omne genus accipiendi in usu sacramenti ordinis tam ante quam post collatos ordines.

Ad id vero, quod G r e g o r i u s[3] ait et divus T h o m a s: *Ab iis, qui ordinati sunt, si post acceptas cartas et pallium offerre aliquid gratiae tantum causa voluerit, accipere non prohibemus*, dicam aliud esse formare conscientiam, aliud reformare corruptos mores et multiplicatos abusus in ecclesia. Sanctissimi enim hi docti ad conscientias fidelium formandas et instruendas inspicientes asseruere, quod ea, quae liberaliter ac devotionis causa sponte dantur, licet accipere sacerdotibus et ecclesiae praelatis post collatos ordines et post administrationem 261v spiritualium libere factam. Beatus vero Basilius ad universalem ecclesiae corruptelam aspiciens, cum vidisset maximam praelatorum partem avaritiae deditam usum ordinum conferendorum ad turpe lucrum conversum, non quod liceret alicui certae personae, sed quod universae ecclesiae statui expediret, sanciendum statuit, quod modo B^mus D. N. facere intendit, et ideo non quod licet, sed quid expedi[a]t discutiendum nobis proposuit, secutus A p o s t o l i sententiam, qui abstinens ab iis, quae sibi licebant, quid ecclesiae[c] expedire videbat, sequebatur. Severissime statuendum esse puto, ut nullus praelatus neque vi neque a sponte neque precario offerente neque ante neque post ordinum collationem quidpiam accipiat temporale ab ordinandis aut ordinatis, quoniam non nisi cupiditate lucri ducti ad id muneris frequentissime descendunt, quod manifeste ostendunt frequentes illae schedulae urbium et vicorum angulis affixae, quicunque vult initiari sacris, accedat ad episcopum talem. Et quoniam, si sufficientes tantum admitterent et idoneos, nihil lucrarentur, omnes passim admittunt, unde tot examina clericorum ignorantiam propagantur assidue. Et videte, patres amplissimi, quo devenerit iniquitas malignantium. Scio ego plures episcopos, qui ab ordinatis ad sacerdotium plus exigunt quam diaconis, et plus ab his quam a subdiaconis, quod manifeste simoniacum est, quia ratio augendi pretii est sacer ordo, cum sit par labor et impensa. Cum igitur licentia devotionis transierit in tirannidem avaritiae, siquidem apparet necessitas huius sanctae constitutionis, ut nihil scilicet exigatur, nihil petatur, nihil a sponte dantibus recipiatur in usu sacramenti ordinis. |

In p a e n i t e n t i a e quoque sacramento non minus severe statuendum esse censeo, ne 262r sacramentum illud tam sanctum et tam necessarium ad salutem institutum propter ministrantium avaritiam in[d] perniciem vergat animarum. Patebit autem avaritia et lucri cupiditas id genus ministrorum, si quis inspiciat regularium quorundam aviditatem ad id muneris perveniendi. Expectant[e] enim ad Quadragesimae tempus non secus ac nundinas mercatores, quin etiam plurimos audivi quicquam solventes praelatis suis, ut eligant ad officium confitendi,

[a] *Cod.* ministro [b] *in marg.* Sic Basilius in ea epistola: Λαβεῖν ἐστι ὅτε δήποτε τὸ λαβεῖν. i. e. accipere semper est accipere [c] *Cod.* ecclesia [d] *Cod.* et [e] *Cod.* exspectans

[1] *Thomas*, S. th. II-II q. 100 a. 3 ad 3.
[2] Ep. 53, *Migne gr.* 32, 38.
[3] *Gregorius I*, Epp. V 57a, Mon. Germ. hist., Epp. I 1, 365; *Migne* 77, 1337 (non verbotenus).

cuius peccati expertes non esse quosdam ex poenitentiariis audio. Inveniet autem, si quis diligenter inquirat, nonnullos istorum pecuniam pacisci cum confitentibus pro absolutione a peccatis quibusdam. Sunt qui non paciscuntur expresse, sed quoniam sciant se nihil habituros ab illis, quos inabsolutos dimiserint, ne se frustra laborasse sentiant, omnes absolvunt. Huic [a] autem tam pestilenti morbo, qui non in unius remaneat conscientia ut in ceteris sacramentis, sed multorum simul illaqueat animas, idem remedium, quod in ordinationibus dixi, necessarium esse puto, scilicet ut in sacramento paenitentiae, qui confitentes audit et absolvit, nihil omnino a confitentibus exigat, nec etiam a sponte dantibus recipiat. Quae tamen omnia submitto prudenti iudicio S[mi] D. N.

H.

Leonardus Cecha [1].

Ambros. D 153 inf. f. 90r

An praelatus etc. [b] In hac quaestione brevibus agendo praemittendum est, quid sit simonia, et quot modis committitur.

Symonia est ⟨studiosa voluntas⟩ [c] emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum, Goffr[edus] in sum[ma] [2], D. Th[omas] in tractatu de symonia q. 100 II-II et [in] quarto Sent[entiarum] dist. 25, can[onistae] in c. [11] *Qui studet* [C.] 1 q. 1 [3], Ab[bas] [4] et sequentes in cap. [d] de sym. [V 3], et est communis canonistarum et theologorum sententia.

Dicuntur autem spiritualia ea, quae ab humano dominio sunt penitus abdicata, prout sunt ecclesiae, ecclesiastica sacramenta, beneficia et similia, quorum nec papa potest dominus appellari, sed dispensator, c. [20] *Non liceat papae* [C.] 12 q. 2 [5] et c. 2 de dona. X [III 24] [6], habent tamen quandoque huiusmodi spiritualia temporale annexum, prout sunt fructus, redditus aliaque bona temporalia spiritualibus annexa ac (ut ita dixerim) concorporata, sicut est videre in iurepatronato et cunctis proventibus ratione alicuius praelaturae, quae simul iunctae alienari non possunt, c. [16] *De iure* [X] de iurep[atronatus III 38] [7] et c. [6] *Quia clerici* [X de iurep. III 38] [8], c. 3 [X] de iudi[ciis II 1] [9] etc. [7] *Si quis obiecerit* [C.] 1 q. 3 [10], idemque iudicatur de annexis spiritualitati, quod et de ipsa spiritualitate, l. [43] *Quae religiosis* ff. de rei vend. [VI 1] [11] et dicto c. 3, [quod] incipit *Quanto* de iud. X [II 1] [12].

Committitur autem symonia vel re ipsa vel mente tantum. Realis contigit symonia primo, si vendantur sacramenta; quae species improbatur Veteri et Novo Testamento, c. [19] *Petrus* et dictum c. [11] *Qui studet* [C.] 1 q. 1 [13], c. [5] *Quotiens* [X] de sym. [V 3] [14], Ab[bas] et scri[ptores] in c. [32] *Per tuas* e[odem] ti[tulo] [15]; secundo, cum venduntur beneficia et ipso iure nihil agitur, dictum c. *Qui studet* cum concord[antiis]. Mentaliter vero fit, quando effectus non est secutus, et tenetur committens dumtaxat ad poenitentiam, Ab[bas] et om[nes] in c. [18] *Etsi* [e] X de sym. [V 3] [16]. Addo alium et quartum modum sive speciem symoniae, quando quis ex post facto consentit actui symoniaco, c. [15] *Si quis praebendas* [C.] 1 q. 3 [17], c. [5] *Ea* [f] [18] et dictum c. [7] *Si quis obiecerit* [C. 1 q. 3].

Quibus sic stantibus stabit conclusio: Praelatum ecclesiae pro usu spiritualis potestatis non posse aliquid temporale a sponte dantibus accipere nec alias sine vitio symoniae

[a] *Cod.* Hinc [b] *in marg.* Come in fine del foglio, et era una cartella stampata. *Revera textus quaestionis integer f. 93r invenitur sub titulo* Art[iculus] p[ropositus?] XI. Martii. [c] *Goffredus* studiosa cupiditas vel voluntas; *Abbas* voluntas studiosa vel cupiditas [d] *sic cod!* [e] *Cod.* et fi [f] *Cod.* eos.

[1] Auctor tractatulum pro Hieronymo Foscaro ep. Torcellano 1526-1563 (*van Gulik-Eubel* III 335) scripsisse videtur, cui primae classi addicto ad quaestionem propositam in congregatione respondendum erat; cuius classis elenchum invenis *ibid.* f. 93 (cum falsa data 2. Febr. 1561 pro 1556). Hieronymus Foscarus paulo ante (28. Dec. 1555) thesaurarius generalis loco Hieronymi Sauli nominatus est. *Moroni*, Dizionario 74, 289.

[2] *Goffredus*, Summa in titulos decretalium (Venetiis 1564) 400.

[3] *Friedberg* I 360 sq.

[4] *Abbas Panormitanus*, Commentaria in IV. et V. decret. libris (Venetiis 1591) f. 85r.

[5] *Friedberg* I 693.

[6] *Friedberg* II 533.

[7] *Friedberg* II 614 sq.

[8] *Friedberg* II 611.

[9] *Friedberg* II 239.

[10] *Friedberg* I 413.

[11] *Mommsen* 93.

[12] Vide supra adn. 9.

[13] *Friedberg* I 364.

[14] *Friedberg* II 750.

[15] *Friedberg* II 761 sq.

[16] Distinctionem inter simoniam mentalem et conventionalem *Abbas* non in commentariis ad dictum c. *Etsi*, sed ad c. 34 *Tua nos* (l. c. f. 100) exponit; similiter *Hostiensis* in dictum cap. *Tua nos*.

[17] *Friedberg* I 418.

[18] *Ibid.* 412.

exigere ab invitis, c. 1 [*In ordinando*], c. [8] *Non satis* cum sequenti, | c. [34] *Tua nos* et 92v c. [19] *Veniens* [X] de sym. [V 3][1]. Ubicumque enim sacramenta conferuntur vel beneficia sive[a] gratia, symoniacum est quid accipere, c. [124] *Nullus episcopus* [C.] 1 q. 1[2], dicente Domino[3]: *Gratis accepistis, gratis date*, c. [13] *Honorantur* [C.] 32[b] q. 2[4], c. [101] *Quidquid* et c. [52] *Si quis episcopus* [C.] 1 q. 1[5], et g[lossa] in c. [9 *Cum*] *in ecclesiae* [X] de sym. [V 3][6], et sicut nulla ecclesia emi vel vendi potest, c. [15] *Querelam* [X] de sym. [V 3][7], ita nec aliquid spirituale vel spirituali annexum pretio vel alia re temporali absque symonia poterit comparari, c. [5] *Cum pridem* et c. [8] finali [X] de pactis [I 35][8], c. [7] *Super eo* [X] de trans. [I 36][9], dictum c. *De iure*[10] et c. [7] *Decimas* [C.] 16 q. 7[11]. Nec virtute pravae consuetudinis vel pacti per subtractionem spiritualem vel aliam iudiciariam exactionem exigi poterit quid vel accipi, dictum c. *Veniens*[12], cum ista potius accusant quam excusent, dictum c. *Non tantum*[13] et doctores in dicto c. *Cum in ecclesiae*[14] et § 1 ut nullus iud. auct.[15], ex quibus infertur, quod omnia beneficia, quae pecunia vel pacto resignantur, symoniam inducunt, c. [10] *Veniens* [X] de test. [II 20][16] et dictum c. *Querelam*[17].

Limitatur ista conclusio, ut non procedat in papa quantum ad ius positivum, qui cum sit vicarius Iesu Christi, c. 1 et 2 [X] de transl. ep. [I 7][18] et fungatur potestate a Deo directa, Paulus *ad Rom.* 13, [1], Spiritus Sancti flamine afflatus, conformis redditur iudicio Dei, c. [unic.] [X] ut eccl. ben. [III 12][19], estque supra ius positivum, c. [4] *Proposuit* [X] de conc. praeb. [III 8][20], et hanc arbitror omnino tenendam, adhaerendo decisioni S. R. E. tenentis praedictas species symoniae provenientes ex iure positivo non cadere in papam dicto c. primo et secundo et Bar[tolus] in l. 1 [Cod.] ad leg. Iul[iam] de amb. [IX 26][21], prout refert et tenet d[ictas] sp[ecies] Carr[afa] in suo tractatu de symonia circa medium[22]. Nec est contra doctrinam divi Thomae in loco praeallegato, nam loquitur in vendicatione sacramentorum prohibita etiam de iure divino [per] dictum c. *Qui studet*. Nam si papa Spiritus Sancti gratiam vel sacramenta (quod absit) venderet, labefactaretur labe symoniaca, quia cum vicem gerat Altissimi, quanto altiori insignitus praecellentia, tanto gravius tantum crimen in eo perpenderetur, ut inquit divus Thomas in loco praeallegato[23] [et] tradunt can[onistae] in c. [26] *Etsi Christus* X de iureiur. [II 24][24] et in c. [10] *Cum ab omni spe* [X] de vita et ho. cleric. [III 1][25] et in c. [30] *Extirpandae* § *Qui vero* [X] de praeb. [III 5][26] et in c. 1 [X] de sim. [V 3][27].

Secundo limitatur in redimentibus vexationem iuris sui, puta per compositionem | authoritate superioris interveniente, c. [28] *Dilectus* [X] l[oco] primo [X] de sym. [V 3][28], quod 93r intelligo in iuribus quaesitis, non autem quaerendis, Innoc[entius][29], item Andreae[30] et omnes in c. [24] *Ad aures* [X] de sym. [V 3]. Item videmus in annua solutione quid licite dari in signum subiectionis antiquae, c. [6] *Constitutus* X de religios. domibus [III 36][31], et in accusato, accusationis ut evitet molestiam, c. [7] *Euphemium* [et c. 8] *Si*[c] [C.] 2 q. 3[32] et g[lossa] in c. [41] *Audivimus* [X] de sim. [V 3][33].

Ultimo limitatur, quando subest aliqua pia consuetudo, puta in procurationibus pro ecclesiarum consecratione, visitationis et huiusmodi, quae accipiuntur non laboris nec sacramentorum compensatione, sed lege ex causis permittente, c. [14] *Sopite* et c. [25] *Cum nuper*

[a] *Cod.* sine [b] *Cod. falso* 22 [c] *Cod.* [illegible]

[1] *Friedberg* II 749 sqq.
[2] *Friedberg* I 405.
[3] *Matth.* 10, 8.
[4] *Friedberg* I 1124.
[5] *Friedberg* I 398. 378.
[6] Glossa in verba *Benedictionibus nubentium: Sicut infra* c. [29] *eod. tit. Suam pro benedictionibus nubentium aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur.*
[7] *Friedberg* II 753.
[8] *Friedberg* II 204 sqq.
[9] *Friedberg* II 208.
[10] Cfr. supra p. 362 adn. 7.
[11] *Friedberg* I 802.
[12] Cfr. supra adn. 19.
[13] Videtur cogitasse auctor de c. 11 *Non solum* C. 1 q. 3, *Friedberg* I 417.
[14] Cfr. supra adn. 24.
[15] Nov. CXXXIV 1, *Schoell-Kroll* 677 sqq.
[16] *Friedberg* II 318 sq.
[17] Cfr. supra adn. 7.
[18] *Friedberg* II 96 sqq.
[19] *Friedberg* II 509 sqq.
[20] *Friedberg* II 488 sq.
[21] *Krueger* 384.
[22] *Io. Caraffa*, Tractatus de simonia (Romae 1556) 9-16.
[23] S. th. II-II q. 100 a. 1 ad 7.
[24] *Friedberg* II 369 sqq.
[25] *Friedberg* II 451.
[26] *Friedberg* II 478 sq.
[27] *Friedberg* II 749.
[28] *Friedberg* II 758 sq.
[29] *Innocentius IV*, In V libros decretalium commentaria (Venetiis 1578) f. 206r.
[30] *Io. Andreae*, In V decretalium librum Novella com. (Venetiis 1581) f. 27r, qui allegat Innocentium.
[31] *Friedberg* II 603 sqq.
[32] *Friedberg* I 452 sq.
[33] Glossa in verbum *persolvantur: Numquid talis dicitur simoniacus, qui sic solvit pecuniam* [scil. ut institutionem in eccl. paroch. ab episcopo accipiat]? *Videtur, quod non, quia redimit ius suum.*

[X] de cens. [III 39] [1] et c. [10] *Cum sit Romana* [X] de sym. [V 3] [2]. Idem videtur in exequiis mortuorum, matrimoniis et consimilibus, ubi, quamvis nulla detur actio ad id petendum, tamen potest cogi populus ad servandam consuetudinem honestam, c. [42] *Ad apostolicam* [X] de sym. [V 3] [3]. Attenditur enim consuetudo pia in accipiendis muneribus circa spiritualia, c. [4] *Quaesitum* [C.] 1. q. 3 [4], c. [21] *Agatho* [a] D. 63 [5], c. [8] *Conquestus* [C.] 9 q. 3 [6] et § Pro consuetudinibus auc. de can. epi. [7], g[lossa] et doc[tores] in c. [29] *Suam nobis* X de sym. [V 3] [8].

Unum tamen pro omnium complemento non obmitto, quod in omnibus praedictis requiritur intentio pura, mens candida et animus omnino sincerus, utque praedicta munera et retributiones dentur pro causa adminiculativa seu charitativa, non autem appretiativa vel compensativa, prout eleganter declarat divus Thomas in locis praeallegatis; si enim illa donatio cuiuscunque generis esset animi inductiva ad aliquid spirituale concedendum, apertam induceret symoniam, Hostiensis et omnes in c. [34] *Tua nos* et in c. [18] *Etsi quaestiones* [X] de sym. [V 3] [9], ex quibus infero, quod in omnibus pensionibus vel concessionibus vel regressu vel aliis cautelis a iure inductis semper committitur symonia, quando in mente concedentium vel renuntiantium non aliter essent concessuri vel renuntiaturi, nisi haberent illam pensionem vel tantam pecuniae quantitatem aliamque quamcumque retributionem, Ab[bas] et can[onistae] in c. *Ex parte* col. pe. et in dictum c. [8] *Non satis* [X] de sym. [V 3] [10], et divus Thomas in locis praeallegatis. Quod intelligo verum in spiritualibus ac spiritualia concernentibus, vel[ut] renuntiare titulo, commendae vel huiusmodi, secus in affictatione fructuum aliorumve proventuum temporalium, Abbas et scribentes in c. [2] *Quoniam* et c. [4] fin. [X] Ne praelati vices sui [V 4] [11], et est textus in c. [2] *Vestra* [X] de locato [III 18] [12], [c.] *Cum sit* etc. [13]. Et ex his spero iuxta vires Rev^{mo} D. meo satisfecisse.

Rev^{mi} D. Hieronymi Foscari ep. Torcellani et S^{mi} D. N. generalis thesaurarii servus humilis

Leonardus Ceccha I. U. D.

63.

Ioannis Antonii Delphini e Casali Maiore conventualis Franciscani Hieronymo Saulio Genuae archiepiscopo de simonia liber unus [14].

[Anno 1555 exeunte vel 1556 ineunte]

Mediolani Bibl. Ambros. *Cod. H 72 inf.* f. 225r-257v, cop. coaeva

Epistola dedicatoria ad Hieronymum Saulium archiep. Genuensem. 1. De simoniae vocabulo et origine. 2. De reprobatione simoniae. 3. De multiplicitate simoniae. 4. Quomodo sit diffinienda simonia. 5. Sitne actus voluntatis absque ullo exteriore actu simonia? 6. Num sit in exteriore actu emendi ac vendendi spiritualia temporalibus simonia? 7. De partibus simoniae. 8. Sitne aliquo modo simonia haeresis aut species haereseos? 9. De materia, circa quam simonia versatur, et primo, quotuplicia et quae sint spiritualia. 10. Simoniam committi emendo vel vendendo quaelibet spiritualia. 11. De iis, quae sunt annexa spiritualibus. 12. De clericatu et de coniunctis cum clericatu aut cum clericis. 13. Possintne clericatui annexa vendi aut emi? 14. Quomodo titulus praebendae sit a iure positivo et a iure divino. 15. An simonia oriatur ex sola voluntate aut ab aliis etiam causis, et a quibus? 16. Liceatne aliquo modo in spiritualibus pacisci? 17. Quae poena simoniae debeatur, et multae, quae oriri possent, dubitationes diluuntur. 18. Liceatne probo viro sede vacante procurare suffragia electionis promissionibus et pactionibus eo animo, ut repurget ecclesiam et corrigat et deleat errores atque abusus? 19. An simoniaci ex dispensatione possint promoveri ad maiora.

Ambros. H 72 inf. f. 225^{r}

Praeter impiam et pravam haeresim nihil potest aliud, optime antistes Hieronyme Sauli, afferre communi bonorum omnium matri ecclesiae damnosiorem et magis exitialem perniciem quam simonia. Quo familiarius enim agit nobiscum, eo nocet laetalius et pestilentius. Haec spiritualis quidem et occulta propemodum lues turpissime inficit membra omnia ecclesiae, atque illa profecto multo foedius, quae sint reliquis praecellentiora, quaeque in gradu

[a] *Cod.* Agathosa

[1] *Friedberg* II 625 sq. 632 sq.
[2] *Friedberg* II 751.
[3] *Friedberg* II 766.
[4] *Friedberg* I 412.
[5] *Friedberg* I 240 sq.
[6] *Friedberg* I 608 sq.
[7] Nov. CXXIII 3 (*Schoell-Kroll* 597), antea Auth. CXXXIV 3, cui titulus erat «de sanctiss. episcopis etc.».
[8] Glossa in verba *pro exequiis: Consuetudo enim attenditur in recipiendis muneribus circa spiritualia.*
[9] *Henricus de Segusio card. Hostiensis,* In V lib. decretalium com. (Venetiis 1581) 18^{v}. Quae Hostiensis in c. 34 adnotat (f. 23^{v}-24^{r}), minus conveniunt.
[10] *Abbas Panormitanus,* Commentaria in IV. et V. decretalium libris (Venetiis 1591) f. 87^{r}.
[11] *Abbas* l. c. f. 106^{r}. 107^{v}.
[12] *Friedberg* II 521.
[13] Cfr. supra adn. 2.
[14] De auctoris vita et scriptis cfr. quae supra p. 72 adn. 3 adnotavimus. Librum de simonia nec a *Sbaralea* 387 sq. nec a *Lauchert* l. c. nominatum Delphinus Hieronymo Saulio ex illustri Ianuensi familia

sublimiori posita lumen suum et splendorem ceteris debuerant communicare. Atque hac ipsa ratione simonia mortiferum venenum suum et virus in ecclesiam universam diffundit ac totam fere polluit. Ego propterea cum aliquot annis in Tridentino concilio et Bononiensi versarer cum integerrimis episcopis et clarissimis concilii patribus et proceribus, studium illud vehementer laudabam, in quod ii toto pectore primum authoritate Pauli III et mox Iulii III incumbebant. Sed in ea tamen sententia perpetuo eram, ut existimarem ecclesiam repurgatum iri et ingenue reformandam esse nunquam, ut convenit, nisi virulenta prius tolleretur de medio simonia, quippe cum bonas omnes catholicorum patrum sanctiones et constitutiones purulenta ea lues corrumpat. Merito igitur immortales gratias ago Deo praepotenti, qui voluerit Paulum IV his difficillimis temporibus vicarium suum | ponere in 225v
universa ecclesia. Is enim, cum semper a iuventute propensus fuerit ad religionem et pietatem, erit cum incredibili quadam piorum laetitia et perpetua consolatione alter Esdras, qui ferme collabentem in praeceps ecclesiam relevabit assiduoque studio et diligenti opera sua illius eiusdem pristinum nitorem et integritatem primaevam reparabit, nullius quidem et potentissimi hominis habita ratione pro Dei honore et ecclesiae utilitate procuranda. Et iam prudentissime ab eradicatione simoniae, ut passim dicitur, toties a praedecessoribus suis tentatam ecclesiae repurgationem et reformationem auspicatur, et ne temere quippiam faciat, doctissimis viris theologis et canonistis mandavit, ut in re tanti momenti sententiam suam proferant. Ego igitur, qui videre hoc tempus mirifice optabam, nolui animo et desiderio meo in tam honesta mihi et ceteris oblata occasione deesse. Quare cum adesse non queam Romae hoc tempore vivaque voce meam sententiam una cum reliquis pronuntiare, animum meum ad scribendum appuli de simonia. Negocium est obscurissimum et difficillimum, tum propter eius amplitudinem propemodumque inexplicabilem confusionem, tum propter varias et contrarias etiam theologorum et canonistarum opiniones. Itaque ad methodum totam hanc rem, quoad eius fieri potuit, redegi. Libellum ad Te, ornatissime Sauli, eo placuit mittere, quia semper animum Tuum a simonia vehementer etiam atque etiam abhorruisse facile cognovi, tum ut hac saltem ratione pro modulo virium mearum Tibi referrem gratias pro Tua erga me incredibili admodum benevolentia. Sed omissa longiore quidem praefatione, methodum hanc de simonia pro viribus nostris diligenter prosequamur. |

[1.] De simoniae vocabulo et origine.

A Simone dicta fuit simonia. Fuit autem Simon vir doctus magiae, qui cum apud 226r
Samaritanos artem suam profiteretur, in ea gente sparsit abominandos et nefarios errores. Hunc Philippus, qui ex septem diaconis principio constitutis unus erat, quemadmodum inquit Eusebius[1], simul cum plurimis aliis Christo Iesu Domino et Deo nostro initiavit. Mox Petrus et Ioannes apostoli cum profecti essent ea de causa in Samariam, confirmaverunt eos, qui baptizati iam antea fuerant in nomine Domini Iesu. Cumque super illos manus imponerent ac Spiritum Sanctum illi iidem ministerio apostolorum acciperent, Simon iam baptizatus videns per manuum impositionem dari Spiritum Sanctum ab apostolis, ut Lucas ait[a 2], *obtulit eis pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Ea tunc pestis nata est primum ex mago et impio Simone atque nomen sibi de parentis sui nomine vendicavit; appellata est enim simonia. Tum paucorum fidelium animos occupavit. Sed porro labentibus annis, quocumque religio christiana extendebatur, haec itidem pestis ubique nationum altius figebat radices et miro quodam artificio passim christianis hominibus imponebat, quousque tandem ipsos etiam patres et maiores quidem proceres ecclesiae irretivit ac pestilentissime afflavit. Sed et vires quidem multo maiores et perniciosiores acquirit in dies ac praesertim | in iis, quorum animos decebat 226v
esse aliis puriores et candidiores

[a] *in marg.* Act. 8. *Similiter in sequentibus auctor loca sacrae scripturae in marg. adnotavit, quae brevitatis causa praetermittimus, reiicientes lectorem ad nostra commentaria*

orto, 1540-1550 archiep. Barensi (*van Gulik-Eubel* III 144), 1550-1559 archiep. Ianuensi (*ibid.* 232) dedicavit, cui iam a. 1554 « Didacticam » suam dedicaverat (*Sbaralea* 387). Nescisse videtur auctor, Saulium, qui a. 1555 a Paulo IV thesaurarius generalis erat nominatus, mense Decembri exeunte officio suo privatum et mense Octobri 1556 in carcerem esse detrusum (cfr. *R. Ancel*, Nonciatures de Paul IV, I [Paris 1909] 122 adn. 1); propterea tractatum anno 1555 exeunte vel mense Ianuario 1556 compositum esse censemus. Cfr., quae Röm. Quartalschirft 43 (1935) 153 sq. disseruimus.

[1] Hist. eccl. l. II c. 1, *Migne gr.* 20, 137 sq.; *Schwartz-Mommsen* I 106 sqq.

[2] *Act.* 8, 18 sq.

[2.] De reprobatione simoniae.

Petrus, qui vicarius erat Iesu Christi quique habebat solus ecclesiasticae potestatis atque authoritatis plenitudinem, quemadmodum eius quoque successores habent, et cui soli data est omnis potestas et iurisdictio immediate a Christo Iesu, ut in secundo libro de ecclesia monstravimus[1], cum memoria teneret sententiam illam Christi[2]: *Gratis accepistis, gratis date*, molestissime ferens, ut debebat, tam pestilentem ac vitiosam prolem edi ab impio et sceleroso patre in communem universalis ecclesiae perniciem, acri dolore iustaque indignatione commotus ad Simonem dixit[3]: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in ratione hac; cor enim tuum non est rectum. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* His gravissimis verbis Petrus non modo fecit, quod pertinere ad se intelligebat, verum etiam docuit successores suos, quales deberent esse, quam terribiles, quam vehementes adversus impii Simonis imitatores omnibus futuris aetatibus. Age vero, paulisper immoremur in exponendis horum verborum clausulis.

227r *Pecunia | tua tecum sit in perditionem:* Cum quis vult spiritualia temporalibus emere, si consentiat is, cuius dispensare interest dona Dei, utrique affert, ementi nimirum et vendenti, perditionem vel pecunia vel quidvis aliud temporale; sin minus consentiat, penes eum manet solum in perditionem, qui volebat emere, inquit enim papa et praelatus ecclesiae ad volentem spiritualia emere: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, hoc est: Pereas tu simul cum tua pecunia, cuius ego nolim particeps fieri, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri ». Exploratum hinc habemus omnino haereticum fuisse magum illum Simonem, quippe qui non solum cupiditate quadam simplici ad Spiritum Sanctum emendum aut dona spiritualia ducebatur, sed etiam errore illo tenebatur, ut existimaret, licere hominibus donum Dei pecunia possidere. *Non est enim tibi pars neque sors in sermone isto:* Nequaquam eiusmodi es, qui partem vel sortem vel omnino haereditatem habeas, quam sermo et praedicatio nostra evangelii annuntiat polliceturque piis et veris credentibus. *Cor enim tuum non est rectum coram Deo:* Quod erigere debueras cor tuum in Opt. Max. Deum, illud etiam atque etiam
227v curvasti pondere maximo haereticae tuae pravitatis. *Poenitentiam itaque age ab | hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui:* Cum praelati simoniacos reprehenderint, excommunicaverint et punierint, illos porro debent etiam exhortari ad poenitentiam, quia, si ex animo resipuerint, Deus eorum miserebitur, peccata eorum sine dubio aeterna oblivione delebit ac eos in adoptionem filiorum suorum denuo recipiet. *In felle enim amaritudinis et in obligatione iniquitatis video te esse:* Fel amarissimum quidem simonia est, ut omnem spiritualium rerum dulcedinem et suavitatem inficiat. Deinde obligatio quaedam est iniquitatis. Simoniaci quidem ita colligati sunt odio et ira Dei, tum excommunicatione atque irregularitate censurisque difficilibus ecclesiae, ut exercere non queant munia ecclesiastica neque bonorum operum, quae passim efficiuntur in catholica et sancta Dei ecclesia, ulla sint ex parte aliquando participes neque ipsi agere quippiam integrum habeant, quod placeat Deo. Quantum vero displiceat Deo simonia, et quam horribiliter eam puniat, exemplis divina scriptura Veteris et Novi Testamenti plane ostendit. Nam Giezi, qui pretium a Naaman postulavit ob sanitatem, quam ei gratis contulerat Heliseus, percussus di-
228r vino iudicio est lepra[4]. Iudas vero su|spendit ideo se ipse laqueo, quod vendendo Christum, ut glossa inquit, simoniam commisit, et eos, qui columbas in templo vendebant emebantque, flagello de templo eiecit Dominus. Columbae quidem Spiritum Sanctum figurabant, quippe cum in specie columbae apparuerit, quemadmodum testantur catholici expositores[5].

[3.] De multiplicitate[a] simoniae.

Qui solet in spiritualibus et temporalibus rebus execrabilis admodum et nefarius contractus plerumque intervenire, triplex est. Aut enim sola emptio est, ut cum spiritualia quis temporalibus vult emere, ac talis denominatur a Simone simonia, quippe cum Simon, ut ante dixi, voluerit donum Dei emere; aut sola venditio est, ut cum aliquis dare vult spiri-

[a] *corr. ex* multiplicatione

[1] *Io. Ant. Delphinus*, De ecclesia (Venetiis 1552) f. 136v. Cfr. *F. Lauchert*, Die italienischen literarischen Gegner Luthers 495 sqq.

[2] *Matth.* 10, 8.

[3] *Act.* 8, 20-23.

[4] Cfr. *4 Reg.* 5, 20 sqq.

[5] Ex. gr. *Augustinus*, In Io. tr. 10 n. 6, *Migne* 35, 1469 sq; *Gregorius I*, Ep. 53, *Migne* 77, 783.

tualia pro temporalibus accipiendis, ac talis proprie Giezia nuncupatur a Giezi, Helisaei famulo[1], qui cum pecuniam recepisset ob sanitatem Naaman leproso gratis et virtute Dei restitutam ab Helisaeo, percussus fuit a Deo immedicabili et perpetua lepra; aut denique simul emptio et venditio est, ac talis quoque appellatur ab illo eodem Simone; quamvis enim scriptura mentionem faciat de sola emptione, | tamen, ut colligunt exponuntque ortho- 228v doxi patres, volebat gratiam Spiritus Sancti propterea emere, ut opera illius venderet. Ceterum vocabulis Gieziae et Giezitarum praetermissis, dictionibus utemur simoniae et simoniacorum, quandoquidem sunt apud omnes longe usitatiora haec nomina.

[4.] Quomodo sit diffinienda simonia.

Actus voluntatis, quo sponte homo deliberat emere solum aut solum vendere aut simul emere ac vendere spiritualia temporalibus, haud dubie simoniacus est proindeque vitiosus et vituperandus et puniendus. Habitus vero, qui generatur in voluntate actibus eiusmodi, vitium est, adeoque simonia ipsa, qua semper homo denominatur ac revera est, etiam cum nihil agit, simoniacus. Quamquam vero actus ille non proprie simonia est, verum dicitur simoniacus, et habitus, qui permanet haeretque in voluntate, proprie simonia est. Nos tamen usum reliquorum sequentes vel habitum vel actum sine ullo discrimine simoniam vocabimus. Nemo autem proprie inimicus Dei est propter ullum acquisitum habitum peccandi. Cum enim peccatores agunt poenitentiam et ex animo resipiscunt, ab Opt. Max. Deo iustificantur in adoptio|nemque filiorum Dei recipiuntur, cum tamen adhuc permaneant in eis 229r habitus illi ex actionibus peccandi aggenerati, quandoquidem ea natura est habituum, ut non sine difficultate a subiecto removeantur, cui inhaerescunt, et quidem paulatim ex actibus iis corrumpuntur, qui sint illis actibus contrarii[a], a quibus antea producti fuerant ipsi habitus. Itaque homines tum peccatores tum Deo inimici eo constituuntur, quoniam actu peccaverunt. Transeunt vero actus peccandi, ob quos denominantur peccatores, et in eis tantum reatus permanet, qui ordinatio illa est divina, qua iuste ordinatur ad poenam. Haec vero de actualibus peccatis intelligi velim, quippe cum originale habitus magis quam actus rationem habeat. Sed nos de his rebus in aliis libris satis multa disseruimus[2]. Itaque redeamus nunc ad simoniam et allatam eius diffinitionem breviter, quoad eius fieri potest, explicemus.

[5.] Sitne actus voluntatis absque ullo exteriore actu simonia?

Quia definivimus[b] simoniam actum, quo tem|poralibus emere ac vendere spiritualia 229v constituit voluntas, ac nullum fecimus in hac diffinitione mentionem de actuum exteriorum executione[c], optimo iure dubitari solet, num simonia consistat in actu illo ipsius voluntatis, ut sit homo vere simoniacus eo actu solo, etiamsi nullus omnino sequatur exterior aut emptionis aut venditionis. Communis, inquam, est catholicorum omnium theologorum sententia peccatum esse in actu, quem elicit ex deliberatione humana voluntas avertendo sese a divina voluntate, quamvis etiam sequatur nullus exterior actus. Ait enim Christus[3]: *Audistis quod dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit[d] mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Itaque vera[e] sine dubio christiana doctrina est a piis omnibus accipienda, simoniam consistere in elicito actu a voluntate humana ex firma deliberatione, si nullus etiam sequatur exterior actus aut emptionis aut venditionis, ac proinde, quicumque talem prolem in animo suo conceperit, omnino apud iudicem | iustissimum, quem nihil eorum, quae sunt in cordibus humanis recondita, potest 230r latere, ut vere simoniacus dabit meritas poenas, quamquam illud fugit oculos hominum. Sed utrum actus exterior ille vendendi ac emendi spiritualia temporalibus habeat peculiarem suam malitiam simoniae ab ea distinctam, quae[f] in actu illo est interiore, ut magis peccet, qui actui elicito superaddit exteriorem actum quam is, qui tantummodo firma sua voluntate constituit emere ac vendere spiritualia temporalibus et minime tamen illud ipsum efficit postea, doctissimi viri theologi vehementer etiam atque etiam litigant certantque, ut ipsam reconditam veritatem aperiant. Minime quidem pertinet ad canonistas obire hoc perdifficile atque arduum munus. Ac tamen, nisi veritatem hanc perceperimus, fieri non poterit, ut

[a] *Cod.* contrariis [b] *corr. ex* definimus [c] *del.* in [d] *Cod.* videderit [e] *Cod. add. et del.* et [f] *Cod.* quaeque

[1] Cfr. supra adn. 7.
[2] *Io. Ant. Delphinus*, De salutari omnium rerum ac praesertim hominum progressu (Camerini 1553) p. 99-134 l. III: De originali peccato. Cfr. *Lauchert* 517.
[3] *Matth.* 5, 27 sq.

simoniae diffinitionem perfecte habeamus atque, ut convenit, exacte[a] intelligamus. Plane quidem ignorabimus, debeatne actus exterior cum interiore coniungi, an solus interior satis futurus sit ad absolute diffiniendam simoniam.

[6.] Num sit in exteriore actu emendi ac vendendi spiritualia temporalibus simonia? |

230v Duae sunt praestantissimorum theologorum opiniones[1]: Alii quidem aiunt unam esse in actu interiore peccati rationem et alteram in exteriore, quippe cum uterque actus libere a voluntate procedat, interior quidem ut elicitus et exterior ut imperatus; ac isto modo proprie sunt duae simoniae: una in actu illo interiore, quo voluntas ex deliberatione vult emere aut vendere spiritualia, deinde altera in exteriore actu. Haec ipsa est multiplex: alia in pactione, alia in executione, ac ista etiam in emptione alia est, in vendicatione alia, et omnino, quot sunt actus eiusmodi tum interiores tum exteriores, totidem sunt simoniae.

Praeterea docent alii simoniae rationem tantummodo haerere in actu interiore, ut, qui superaddit exteriores actus, non magis apud Deum peccet neque magis a divina iustitia puniatur quam is profecto, qui solum interiorem actum elicit, nisi forte actus interior magis intenderetur exteriorum actuum executione. Utra verior sit harum opinionum, difficile dictu est. Nam potest aeque una defendi atque altera. Verum concedit utraque in interiore actu rationem simoniae prius atque independentius consistere, actum porro exteriorem
231r fatetur utraque simo|niacum existere, quatenus pendet ab interiori, ut, si nullus existat interior simoniacus, neque ullus etiam sit exterior simoniacus. At prima quidem opinio aliam in exteriore, aliam in interiore actu ponit rationem simoniae, ita nimirum, ut ab hac illa ipsa dependeat, neque illa sine hac prorsus queat existere. Secunda vero unam et solam rationem simoniae arbitratur existere, qua tum interior tum exterior actus denominetur simoniacus, interior sane propria et plana intrinseca denominatione, sed exterior aliena et extrinseca tantum appellatione. Prima igitur opinio sic plane definiet simoniam, ut eam revera esse dicat in actibus omnibus tum internis tum externis, at secunda ita definiet, ut eam tantummodo esse fateatur in actu interiore ac tamen extrinseca denominatione appellet simoniacos exteriores actus. De interiore actu sine dubio convenit inter catholicos omnes theologos, at de ipsis exterioribus non admodum sunt concordes. Hoc vero ab omnibus firmo et constanti animo et consensu traditur eos, inquam, simoniacos esse atque ut simoniacos a praepotente Deo puniendos, sive illi tandem extrinseca tantum denominatione sive etiam intrinseca denominentur simoniaci. |

[7.] De partibus simoniae.

231v Quia simonia certus quidam et simplex aut habitus existit aut actus, vel potius quaedam est privatio rectitudinis, quae deberet ob praeceptum divinum in actu illo inesse, de quo satis multa paulo ante dixi, propterea nullas prorsus habet partes, ex quibus componatur. Quia tamen est[b] aliquo modo genus, idcirco subiectivas habet partes, quaeque sub ipsa quidem simonia continentur tamquam species sub genere. Qui probant igitur secundam opinionem, hi docent esse has partes simoniae velle spiritualia emere, velle vendere, velle simul emere ac vendere, velle pacisci, velle pactiones aut admittere aut[c] exequi, velle praebendas et ecclesiastica beneficia transigere ac permutare sine authoritate vel consensu partium, aut sine causa utili seu necessaria, velle simoniacis actibus quovis modo consentire. Qui vero sequi malunt primam opinionem, partes, quae recensentur ab altera opinione, omnes haud dubie comprobant, mox alias etiam commemorant, ipsos, inquam, exteriores actus: emere spiritualia,
232r vendere, simul vendere ac emere, pacisci, pactiones ad|mittere aut exequi, praebendas et ecclesiastica beneficia transigere ac permutare, simoniacis quibuslibet actibus quavis ratione assentiri.

[8.] Sitne aliquo modo simonia haeresis aut species haereseos?

Ad probe intelligendam simoniam operae pretium est exploratum habere, utrum sit haeresis necne, aut species haereseos, aut aliquo modo pertineat ad haeresim. Cum enim hoc scierimus, tam[d] facile cognoscemus, num simonia peccatum sit in fide aut in moribus. Igitur, qui simoniace agit, vel spiritualia credit posse quidem pecunia et pretio temporali

[a] *Cod.* ex actu [b] *Cod. add. et del.* in [c] *Cod.* et [d] *corr. ex* tamen

[1] De hac distinctione vide *I. Altenstaig*, Lexicon theologicum (Lugduni 1580) 572

aestimari et possideri, ac simonia hoc modo proculdubio est haeresis et peccatum in fide. Simonis peccatum fuit eiusmodi, quia non tantum voluit spiritualia emere, sed etiam, ut Petrus ait[1], donum Dei existimavit pecunia possideri. Vel porro, qui simoniace agit, minime persuasum habet donum et gratiam Dei et spirituale quodlibet posse aliqua re temporali comparari, ac tamen vult emere aut vendere spiritualia eo ductus et motus avaritia sola et cupidine. Simonia vero ita considerata nec haeresis nec species haereseos ullo pacto est, neque fidei, | [232v] sed bonis moribus proculdubio est contraria. Qui profecto sic operatur, novit malam et vituperandam et puniendam esse operationem suam, quam tamen sciens et volens exequitur, quemadmodum adulter cognoscit peccatum esse adulterium, ac illud tamen committit sponte. Non peccat igitur in fide, sed in moribus, itaque simonia pessima quaedam species est avaritiae. Quod autem simoniaci ab orthodoxis patribus aliquando haeretici et simonia haeresis nuncupentur (ut Gregorius ait in registro[2]: *Altare vel decimas vel Spiritum Sanctum emere vel vendere simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat*), ideo fit, quoniam instar haereticorum simoniaci operantur, aut quia tamquam haeretici a cultu et ministerio Dei Opt. Max. avertuntur et separantur ab ecclesia.

⟨Praeterea sicut religio in externa quadam fidei protestatione aut professione consistit aliquoties, cum nulla tamen interim sit in animo, itidem quoque religioni contraria vitia externis aliquibus signis indicantur, cum nulla tamen in corde sit revera infidelitas. Hac ratione interdum simonia vocari solet haeresis. Quatenus enim vendit quis aut emit donum Spiritus Sancti, prae se fert dominium habere spiritualium donorum, quod haereticum esse nemo dubitat, qui sit verus et sincerus catholicus. Merito in hunc sensum Tharasius Constantinopolitanus episcopus ad Adrianum papam scripsit hoc modo[3]: *Tolerabilior est Macedonii et eorum, qui circa ipsum sunt, Sancti Spiritus impugnatorum haeresis impia; illi enim creaturam et servum Dei Patris et Filii Spiritum Sanctum delirando fatentur; isti vero eundem Spiritum Sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim dominus quod habet, si vult, vendit sive servum sive aliquid aliud eorum, quae possidet. Similiter et qui emit, dominus eius volens esse, quod emerit, per pretium pecuniae illud acquirit.* Haec Tharasius. Tamen si qui ruerent eo dementiae, ut crederent se habere in Spiritum Sanctum adeoque in illius dona ius veri dominii, essent ii proculdubio haeretici, mentibus quidem eorum inesset error fidei vehementer contrarius.⟩ [a]

[9.] De materia, circa quam simonia versatur, et primo, quotuplicia et quae sint spiritualia?

Explicatio materiae, circa quam simonia potest versari, negocium istud hancve ipsam tractationem de simonia, quam nunc habemus in manibus, satis superque aperit. Operae pretium igitur facturus videor, si materiam hanc diligenter | [233r] exprimere, quoad eius fieri potest, in praesentia conabor. Itaque simonia versatur circa spiritualia et circa res etiam temporales, quae cum spiritualibus certo aliquo modo coniunguntur. Spiritualia prius quae sint dicemus, porro quae spiritualibus annexa.

Spiritualia igitur sunt duplicia: vel a spiritu quidem increato vel a creato spiritu, ac duplicia sunt ab increato spiritu: alia per essentiam quidem propriam spiritualia, ut gratia et dona omnia [b] | [233v] Spiritus Sancti, eorum enim essentia tota spiritualis est, alia vero attributione quadam, ut sacramenta, quae propterea spiritualia dicuntur, quia gratiam Dei ex opere, quemadmodum Tridentinum concilium inquit[4], operato legitime suscipientibus ea conferunt et characterem aut ornatum aliquem omnino spiritualem in iis iisdem efficiunt. Sunt vero, qui generatim sacramenta omnia velint ideo per essentiam propriam esse omnino spiritualia, quod spiritualis per essentiam existat in eis virtus ad efficiendum characterem atque ornatum illum spiritualem, et peculiariter doceant sacramentum eucharistiae ob Christum, qui revera est sub accidentibus panis et vini, esse rem spiritualem per essentiam. At | [234r] horum opinionem clarissimi theologi quamplurimi confutant, nullam prorsus in sacramentis virtutem spiritualem inesse plane asserentes docentesque Deum sacramenta novae legis instituisse, quae certa signa essent illius gratiae, quam ipse in anima sacramentum legitime accipientis creat [c]. Deus enim statuit peculiari quodam modo assistere in susceptione sacramentorum

[a] *Pars obsignata ⟨ ⟩ a scriptore, antea per errorem in caput sequens inserta, postea ibi deleta in scheda separata suo loco reposita est* [b] *Hic incipit pars deleta, de qua in nota praec.* [c] *corr. ex* creant

[1] Cfr. *Act.* 8, 20.
[2] C. 3 *Presbyter* C. 1 q. 1, *Friedberg* I 358; apud S. Gregorium verba, ut iacent, non inveniuntur.
[3] *Tharasius*, Ep. 3, *Migne gr.* 98, 1443 sq.; in decreto Gratiani c. 21 *Eos* C. 1 q. 1, *Friedberg* I 364 sq.
[4] Sess. VII de sacr. in gen. can. 8, *Conc. Trid.* V 995

et gratiam suam producere, dummodo a suscipientibus nullus obex, nullum impedimentum apponatur, et ecclesiam suam de re ista magni ponderis fecit aliquando certiorem. Haec vero divina institutio pactum Dei appellatur initum cum ecclesia. Quamvis porro corpus et sanguis Domini sub speciebus panis et vini sint res valde spirituales, tamen quia per sacramentum eucharistiae, quod signum debet esse aliquod sensibile, non ipsum intelligimus corpus neque sanguinem, sed panis et vini accidentia, sub quibus revera est corpus et sanguis Domini et Dei nostri Iesu Christi. Propterea illi iidem praestantissimi theologi asseverant omnia sacramenta novae legis reipsa corporalia esse ac temporalia, sed tantum spiritualia, ut ante dixi, attributione quadam. Praeterea sunt etiam spiritualia quadam
234v attributione, quae tum ex spirituali gratia et quovis dono | spirituali, tum sacro ex officio proveniunt opera, ut baptizare, divinum officium celebrare, miracula facere ac cetera huiusmodi. Deinde spiritualium eorum, quae sunt a creato spiritu, alia per essentiam propriam sunt spiritualia, ut scientia et virtutes omnes proprio labore ac studio acquisitae, intellectuales et morales, alia porro sunt quadam attributione spiritualia, ut docere, consulere, testificari et reliqua huius generis.

[10.] Simoniam committi emendo et vendendo quaelibet spiritualia[a].

Quamquam spiritualia per attributionem possunt omnia reipsa vendi et emi, per essentiam vero aliqua; nam et Simon voluit donum Dei emere et pecunia possidere, et fuerunt nonnulli quoque adeo scelesti ac nefarii homines, qui vendiderunt corpus et sanguinem Domini sub speciebus panis et vini Iudaeis et infidelibus et impiis aliis hominibus, et sunt qui divinis[b] et superstitiosis quotidie sacramenta vendunt nefarie; tamen iure non possunt
235r vendi aut emi a quoquam[c]; in omnibus enim his | venditionibus et emptionibus turpissime inest proculdubio simonia, vel certe sunt omnes actus illi simoniaci. Cum natura enim sit emptionis et venditionis, ut res, quae aut emitur aut venditur, pretio compensetur, necesse est emptiones et venditiones illas etiam atque etiam vituperandas et reprehendendas atque adeo illicitas esse, quippe cum in eis res, quae aut emitur aut venditur, non queat pretio ullo compensari. Nam sit, ut in *Proverbiis* [3, 15] dicitur, sapientia *est pretiosior cunctis opibus et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari*, multo magis id verum est de gratia et spiritualibus ad gratiam pertinentibus. Itaque Petrus in condemnationem Simonis appositissime inquit[1]: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Praeterea, si venditio improbanda est, cum venditor eius rei non est dominus, quae praeter voluntatem domini venditur; *omnis enim dominus*, ut Tharasius inquit scribens contra simoniam[2], *quod habet, si vult, vendit, sive servum sive quid aliud eorum, quae possidet;* certe nullus potest episcopus et praelatus ecclesiae absque infami turpique simonia spiritualia vendere, quandoquidem institutus est a Christo Iesu economus et dispensator, non dominus
235v rerum | spiritualium, ut Paulus ait[3]: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores misteriorum Dei*, et Petrus apostolorum princeps et vicarius Christi ait[4]: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* Gratis autem acceperunt, ut inquit Dominus[5]: *Gratis accepistis, gratis date.* Insuper contractus omnis reiiciendus est ut magnopere illicitus, quandocumque natura ipsa rei pugnat cum natura ipsius contractus. Itaque procul eiicienda est ab ecclesia omnis emptio et venditio rerum spiritualium; in id genus enim contractibus pugnant res, quae venduntur et emuntur, cum emptione simul et venditione. Profecto si principalis ipsius rei naturam sequitur id quod accessorium est, et gratia sit principalis, accessoria vero tum sacramenta ipsa, tum ad gratiam spectantia reliqua omnia spiritualia, consequens omnino est, ut gratiae naturam illa omnia sequantur. Ea vero est gratiae natura, ut gratis detur, alioqui non esset gratia, quemadmodum inquit Paulus[6]. Emptionis autem venditionisque natura illa est,
236r ut plane sint contractus minime gratuiti. Natura | igitur gratiae spiritualiumque omnium ad gratiam attinentium pugnat necessario cum emptione simul et cum venditione; iure igitur emi aut vendi non queunt spiritualia. Ceterum iis, quae nunc asseruimus, contraria minime sunt ea verba Gregorii[7]: *Tantum valet regnum coelorum quantum habes*, neque illa *Dan.* [4, 24]: *Peccata tua eleemosinis redime*; haudquaquam enim de propria emptione aut redem-

[a] *del.* [Spiritualia] per attributionem possunt omnia reipsa et vendi et emi [b] [illegible] [c] *Cod.* quoquoquam

[1] *Act.* 8, 20.
[2] Cfr. supra p. 369 adn. 3
[3] *1 Cor.* 4, 1.
[4] *1 Petr.* 4, 10.
[5] *Matth.* 10, 8.
[6] Cfr. *Rom.* 11, 6.
[7] Hom. 5, *Migne* 76, 1093.

ptione verba illa interpretari debemus, at proprie de merito, quo regnum coelorum possumus tantisper, dum sumus in hac vita, promereri. Quae dixi, accipi velim de spiritualibus per essentiam tum a creato tum ab increato spiritu. Nam ea per attributionem spiritualia, quae a creato spiritu proficiscuntur, quamvis emere aut vendere sit aliquando vitiosum et imputabile ad peccatum, minime tamen simoniacum est. Verum haec magis posterius intelligentur. Nunc de iis transigamus, quae sunt coniuncta cum spiritualibus.

[11.] De iis, quae sunt annexa spiritualibus.

Temporalia cum spiritualibus dupliciter coniunguntur: | Primum ea ratione, ut sint 236v
priora temporalia et spiritualia consequantur, atque ad spiritualia dirigantur et referantur temporalia ob certum aliquod exercitium spirituale. Hoc facile est videre in templo, in altari, in sepultura, in coemeterio, in iurepatronatus, in calice inque aliis vasis cultui divino applicatis et vestibus et libris et quamplurimis eiusmodi rebus dedicatis eidem cultui. In his vero sunt magis coniuncta spiritualia cum temporalibus quam e contrario. Nam temporalibus accedunt tamquam subiectis rebus consecrationes et benedictiones, ut idoneae sint res illae ad spiritualia exercitia obeunda. Itaque in his licitum est vendere atque emere spiritualia, dummodo pluris non vendantur emanturque ob consecrationem et benedictionem, quam sit valor temporalium rerum per se, ut calix et lapis consecratus vendi aut emi potest, quantum valeret sine consecratione, at non pluris ob consecrationem; alioqui simoniaca venditio et emptio esset. Deinde sic temporalia cum | spiritualibus coniunguntur, ut prae- 237r
cedant spiritualia, et temporalia consequantur, utque temporalia oriantur et conserventur ex spiritualibus. Talia sunt ecclesiastica beneficia; ex clericatus enim gradu oriuntur et conservantur, in quo gradu qui existunt, ii ministeriis divinis addicuntur propterea que ob gradum illum ius habent ecclesiastici beneficii aut praebendae, ut gradu illo manente ipsis debeatur naturali et divino iure stipendium et praebenda, quemadmodum Paulus in priore ad Corinthios epistola facile commonstravit. In his minime licitum est vendere aut emere spiritualia propter annexa temporalia. Cum enim temporalia pendeant ex spiritualibus, venditio et emptio cadit proprie super spiritualia, in aliis vero contra cadit super temporalia, quippe cum spiritualia in eis pendeant a temporalibus. Tantisper enim illorum est consecratio, dum integra manent, ac propterea vendituri calicem in primis eum frangunt, nisi forte illum vendant clericis ad faciendae rei sacrae usum. Quod sane cum accidit, non pluris ob consecrationem venditur, quam si minime consecratus haberetur. | Age vero disseramus ali- 237v
quanto peculiarius et cumulatius de coniunctis cum clericatu cumque ipsis clericis.

[12.] De clericatu et de coniunctis cum clericatu aut cum clericis.

Multa de clericis et eorum potestate in libris de ecclesia disserui[1]. Nunc satis fuerit annotare clericatum esse rem spiritualem per attributionem ab increato spiritu, quemadmodum ante dixi de sacramentis omnibus, ac proinde ipsum nec vendi nec emi posse a quoquam sine labe simoniae. Quattuor autem coniuncta sunt cum clericatu, de quibus cum breviter et diligenter pertractaverimus, in propatulo erit, quod maxime reconditum esse in hoc difficillimo negotio solet, quandoquidem spiritualia, circa quae simonia versatur, in manu sunt clericorum. Quattuor, inquam, sunt clericatui annexa: Primum ius ecclesiastici beneficii seu praebendae; tum praebenda ipsa, quae stipendium est clericale aut ecclesiasticum beneficium; praeterea ius talis ac tantae praebendae; talis denique ac tanta praebenda. De his non gravabor sigillatim dicere.

Itaque ius praebendae plane divinum ius est ac spirituale. | Quatenus enim divinis 238r
ministeriis quis addicitur, eo ius habet ab Opt. Max. Deo, propter quod is populus tenetur eum sustentare, pro quo ministrat ac famulatur Deo. Sic enim Paulus ait[2]: *Nescitis, quod qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant*[a]? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Deinde praebenda et ecclesiasticum beneficium res quidem temporalis est, attamen divino et naturali iure sancita et debita. Nam *quis*, ut Paulus ait[3], *unquam suis stipendiis militat?* Ius porro talis ac tantae praebendae, cum a iure ipsius quidem simpliciter praebendae nihil differat, sed prorsus idem sit, ut paulo post confirmabo, divinum existit. Ius autem se habet

[a] *corr. ex* participantur

[1] Cfr. supra cap. 2 et *Caietanus*, Opuscula II (Lugduni 1587) f. 172 sqq.

[2] *1 Cor.* 9, 13.

[3] *1 Cor.* 9, 7

clericale ad praebendam arctius quam ad curam animarum ius sacerdotis. Iure quidem naturali et divino debetur praebenda clericis, ut alantur, cura vero animarum non debetur sacerdotibus.

Postremo quantitas praebendae, nempe mille scutatorum aut quaevis alia, sive ad tempus 238v referatur, ut sit annua vel triennalis vel decennalis, sive ad locum, ut sit | ex fructibus certi ac definiti ruris, omnino pendet ex hominum deliberatione. Cum porro assignata fuerit clerico talis ac tanta praebenda, nequaquam recipit clericus in eam ius novum, sed habet, ut dixi paulo ante, ius illud divinum, quo debetur sibi praebenda, ut iam queat illud ipsum ius in eam certam ac talem et tantam praebendam sibi ex hominum deliberatione assignatam pro arbitratu suo, ut convenit, exercere tamquam in materiam suam. Quod ius prius exercere minime poterat, quandoquidem assignata erat illi nondum materia debita; ius tamen naturale et divinum habebat, quo poterat alimenta petere, ut Paulus ait [1]: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos?* Similiter etiam, cum aliquis initiatus sacerdotio accipit ius curandi animas, cum assignatur porro illi certus numerus animarum aut populus aut paroecia, non 239r communicatur ei novum ius, verum id ius, quod in sacerdotii | collatione recepit, tunc posse merito exercere incipit, quod sane prius ideo exercere non poterat, quia nondum assignata erat illi certa materia.

Cum igitur clericis detur ius cum debito praebendae assignandae tamquam materiae suae, unde alatur, ius autem curandi animas conferatur sine debito curandarum animarum, patet non admodum recte assumi ad clericatum quemquam sine certa praebenda. Nam praeterquam quod iuri divino irrogatur iniuria, multa facere coguntur clerici, quae clericatui sunt proculdubio dedecori. Tamen recte fieri, etiam si curandae animae sacerdotibus non assignentur, quoniam diximus iure divino praebendam clericis deberi. Sed tamen quantitatis ipsius quidem praebendae certam determinationem esse omnino ex hominum deliberatione, ac tum habere clericum in determinatam et assignatam praebendam ius divinum, ostendo, ne quis miretur, Deum indeterminate multa praecepisse, quae cum determinata fuerint ab hominibus, obligant subditos non tantum positivo, at divino etiam iure. Sanctificatio die-239v rum | festorum a praepotente Deo et decimae et huius generis alia indeterminate praecepta olim fuerunt, quae cum determinaverit ecclesia, obligant manente determinatione illa christianos homines divino iure. Non enim praecepta multiplicamus, at ea scimus praecepta divina esse, ut Paulus inquit [2]: *Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat, quae scribo vobis, quod Domini sunt mandata*. Et Paulus quidem scribebat de iis, quae in ecclesia Corinthiaca determinaverat. Itidem in iure dato indeterminate a Deo ac postea determinato ab ecclesia non debet ius multiplicari, sed ius divinum in se ipsum remanet. De annexis clericatui, quantum par erat, diximus. Nunc ad illorum emptionem et venditionem transeamus.

[13.] Possintne clericatui annexa vendi aut emi?

Unusquisque iam per se videre integrum habet nullo propemodum negotio ius praebendae aut ecclesiastici beneficii et praebendam ipsam et ius talis ac tantae praebendae nec 240r vendi posse nec emi sine | letali morbo simoniae, quippe cum unum et solum ius divinum existat proculdubio in his, ut paulo ante dixi. Tales inquam venditiones emptionesque simoniacae fiunt per se. Quare non eo simoniacae sunt, quia prohibitae, sed magis ideo prohibitae fuerunt, quia sunt ipsae omnino et proprie simoniacae. Qua in re multi praestantes et clarissimi viri canonistae [h]allucinantur gravissime; haudquaquam enim studiose, ut conveniebat, perpenderunt, unum esse atque idem ius divinum praebendae ac talis ac tantae praebendae, neque praebendam ipsam deberi clericis iure divino animadverterunt. Quis enim catholicus dicere auderet divinum ius venale, aut quod iure divino clericis debetur, id illis ipsis vendi a quoquam licere? Immo cum eis debeatur iure divino, quomodo potest eis negari vel auferri vel assignari aliis vel dividi ac eis dimidiatum praeberi, ut reliquum in usus alios transferatur? Possuntne ulli homines licite unquam agere contra ius divinum? Hic est autem operae pretium adnotare, quemadmodum esse potest ex hominibus nullum ius 240v divinum, ita non posse | homines efficere suis prohibitionibus, ut actus aliquis proprie sit aliquando simoniacus. Nam qui transgrediuntur mandata et prohibitiones ecclesiae, peccant quidem graviter peccato inobedientiae, non tamen simoniae. Verumtamen potest ecclesia constituere, ut inobedientes illi censuris et poenis aliquando simoniacorum puniantur.

[1] *I Cor.* 9, 11 sq.

[2] *I Cor.* 14, 37.

Quantitas porro stipendii clericalis aut praebendae aut ecclesiastici beneficii, sive ad tempus ea sive ad locum referatur, quae ultimum erat ex iis quattuor, quae coniuncta esse cum clericatu asserebamus, cum sit ex iure positivo ac humana determinatione ac proinde res temporalis, potest iure optimo vendi et emi aliquo modo, quod paulo post declarabo. Probe quidem S. Thomas ait[1]: Cum papa concedit decimas militibus, non concedit eis ius spirituale accipiendi decimas, *sed tantummodo res temporales, quae decimae appellantur.* Praeterea ex his quattuor ea tria priora: ius praebendae, praebenda et ius talis ac tantae praebendae inseparabiliter coniuncta sunt cum clericatu; sed quartum, | ipsa nimirum quan- 241r titas praebendae seu talis ac tanta praebenda, certo alicui et definito clerico applicata est, non clericatui. Quare venale partim est, quippe cum fructus beneficii sui iure queat clericus vendere aut locare; partim non est venale. Haudquaquam enim iure potest vendi clerico illi, cui assignatur, idque duabus de causis: Primum quidem res nulla vendi potest ab eo, qui non sit eius rei dominus; nullus autem praelatus, ne summus quidem pontifex, percipiendorum fructuum dominus est; redditus enim omnium ecclesiarum, quamvis papae sint ut proprii dispensatoris, nequaquam tamen eius sunt ut domini ac legitimi possessoris, quemadmodum recte ait divus Thomas[2]. Deinde papam clerico alicui beneficium conferre et eidem percipiendos fructus conferre[a], nihil est prorsus aliud quam proprii et spiritualis iuris executionem ei vendere; paria quidem sunt vendere ius et illius eiusdem executionem. Qua in re duo gravissima peccata iniustitiae committuntur, tum quia venditur clerico id, quod optimo iure ipsius est, nam | titulum prius habere intelligitur, quem oportet gratis 241v dari, tum quia executio venditur, quae iure illius est, qui iam titulum habet. Insuper committitur simonia, quia sine dubio spiritualis executio venditur. Emens quidem beneficium intendit ius emere talis praebendae. Nam si papa vellet absque iure praebendae fructus ei vendere, aut ille nequaquam emeret, aut profecto multo minus pretium solveret. Cum igitur ius talis praebendae quemadmodum et decimarum sit proculdubio spirituale, rem, quae venditur emiturque, spiritualem esse oportet ac proinde simoniam committi proprie ac per se, non autem ob prohibitionem, ut ante dixi.

Quicumque voluerit haec omnia studiose puraque conscientia perpendere, quae nunc disseruimus, intelliget peccari multipliciter in renuntiationibus, in reservationibus, in pensionibus. Quomodo enim fieri potest sine turpissima labe simoniae, ut unus habeat ius praebendae, alter autem praebendam teneat? Aut unus quidem ius totum praebendae, ac tamen dimidiatam et diminutam praebendam teneat ac possideat? Porro exploratum habemus papam labi et facile quidem posse, quod pertinet ad culpam, in | horribilem simoniam. Quod 242r si forte ab aliquibus id negetur, aut ii sunt adulatores, aut certe simoniam accipiunt non quatenus ad culpam spectat, verum quatenus ad poenam et censuram ecclesiasticam. Cum enim poenae omnes canonicae a iure humano pendeant, quod papae subiicitur, non convenit papam talibus poenis et censuris subesse; cum vero simoniam perpetraverit ille, divino iudicio, qui solum habet iudicem praepotentem Deum, relinquitur.

[14.] Quomodo titulus praebendae sit a iure positivo et a iure divino.

Quamvis et ecclesiasticum beneficium seu titulus praebendae fuerit ecclesiasticis ordinibus a iure positivo annexus, quandoquidem in primitiva ecclesia erant pastores et ordines absque illis praebendis, adeoque Romana ecclesia usque ad Urbanum I fuit sine certis redditibus[3], ac proinde beneficium et praebenda sit res temporalis, ea tamen debetur clericis iure divino, cum primum annexa est clericatui, atque idcirco spiritualis ob annexionem dicitur, ac illa ipsa de causa nequaquam est venalis. Spiritualia enim ut spiritualia, quae pendent ex posi|tivo iure, non queunt esse venalia, ut plane constat de consecratione sacrorum 242v vasorum et vestium et coemeterii et de benedictione nuptiarum et reliquorum huius generis et de iure patronatus, quod villae aut agro aut praedio alicui est annexum. Vendi certe illud non potest neque in feudum cuiquam dari, sed cum venditur villa seu ager et praedium aut donatur, in eum transit ius, cui donatur aut venditur ipsa res, cui est annexum. Ius quidem patronatus tale quoddam spirituale est, quod rem temporalem sequitur. Huiusmodi olim

[a] *Supple* pro commodo temporali quolibet accepto

[1] S. th. II-II q. 100 a. 4 ad 3.

[2] S. th. II-II q. 100 a. 2 ad 7.

[3] Apud Ps.-Isidorum decretum Urbani I extat de bonis ecclesiarum, *e quibus episcopi ut fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent.* Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 144.

erat ius primogeniturae, quando solis primogenitis debebatur sacerdotium. Itaque ius illud, quod profecto erat spirituale, nemini licebat vendere aut emere. Iacob vero ius primogeniturae ab Esau non emit [1]; sciebat enim illud sibi divina electione deberi; tantum ergo suam vexationem redemit, quod licuit ei facere, quemadmodum clericis vexationem suam licet redimere, cum iam consecuti fuerint ius praebendae.

Quo vero istud percipiatur exactius, quod hactenus dixi, annotatione dignum est posse aliquam rem esse dupliciter ex positivo iure: primo secundum naturam et substantiam rei,
243r ut officia temporalia sunt ac cetera huiusmodi, | porro secundum ipsam determinationem tantum. Ac prima, quia pendent omnino ab homine, sunt venalia. Verum altera venalia esse minime queunt; spiritualia enim secundum naturam suam existunt, determinationem vero ab ecclesia tantunmmodo accipiunt. Deinde prima integrum habet ecclesia prorsus abolere, quippe cum sint opera sua omnino; sed altera potest cum permutare tum aliter determinare atque antea fecit. Quare, tametsi habeat in manu ecclesia determinationem praebendae, quam statuit probavitque a iure clericali separare, quamdiu tamen eam tolerat, vendi non potest, quemadmodum ante dixi et allatis in medium rationibus probavi [2]. Itidem quoque habet ecclesia in potestate sua virginum consecrationem abolere; donec tamen eam patitur, nequit vendi aut emi ullo tempore a quoquam.

Ex his, quae nos antea exposuimus, facile constat non licere ullis clericis permutare suas ecclesias ac sua beneficia. Nam si prius datur ius praebendae quam praebenda ipsa,
243v quomodo poterit quis dare alteri suam praebendam aut ab altero | accipere, si non integrum habeat ius cuiquam tradere? In permutationibus ergo faciendis oportet ad eum confugere, penes quem est authoritas conferendi iuris illius. Quo quidem in negotio debebit, quae conveniant, prudentissime animadvertere. Videor mihi satis superque illa exposuisse, circa quae proprie simonia versetur. Deinceps agam de ipsis causis, a quibus oritur simonia.

[15.] An simonia oriatur ex sola voluntate aut ab aliis etiam causis, et a quibus?

Si ex duabus antea recitatis opinionibus [3] primam sequi vellemus, dicere consentaneum esset, non a sola voluntate oriri simoniam, verum ab aliis quoque certis quibusdam causis. Sin magis placeret altera, simoniam diceremus praeter voluntatem a nulla prorsus alia causa pendere, quod spectat ad praepotentem Deum atque ad conscientiam, quamvis a certis quibusdam causis, quod pertinet ad iudicium ecclesiae, proficiscatur. Verum sive causae illae ad
244r conscientiam atque ad forum Dei attineant, sive id minus, quia litem hanc mea non | interest componere, causas illas aperiam; communi enim omnium consensu tenentur simoniacae in iudicio et foro ecclesiae, immo et apud Deum, quamvis eo differant opiniones inter se, quo primi opinantes illas causas denominant simoniacas propria et intrinseca denominatione, alteri autem solummodo extrinseca et aliena, ut ante dixi.

Simonia igitur, quatenus eluitur sola poenitentia in foro Dei, committitur [4] sola voluntate absque ullis prorsus externis operationibus. At simonia, quae poenis constitutis ordinatisque a iure subiicitur, a tribus causis praeter voluntatem, quae prima est causarum omnium, potest oriri et provenire, quemadmodum Urbanus [II] papa olim scripsit ad praepositum quemdam ecclesiae S. Vincentii [5], a manu, inquam, et a lingua et ab obsequio. Consistit enim, ut aperui ante, simonia in venditione et emptione rerum spiritualium. Emptio autem venditioque non solum in danda et accipienda pecunia existit, verum in omnibus iis, quorum potest nomismate pretium mensurari, ut potest quis triticum dato vino aut re quavis alia temporali emere. Quicumque igitur spirituale quippiam
244v cuivis tribuit | pro temporali qualibet re aut pro definito commodo aliquo, simoniam committit. Temporale autem commodum quis ab alio potest accipere tripliciter: aut ex animo, qualis amicitia est ac favor, qui vocatur munus a lingua, consistit enim in precibus, quibus gratia et favor temporalis acquiritur; aut ex corpore, qualia sunt ministeria et servitia, quae potissimum in famulatu exhiberi solent, ac munus appellantur ab obsequio; aut ex bonis aliquibus externis vel iis quidem stabilibus vel mobilibus, atque istud munus a manu passim dicitur. Itaque simonia potest a manu et a lingua et

[1] Cfr. *Gen.* 25, 29 sqq.
[2] Cfr. supra c. 13.
[3] Cfr. supra c. 6.
[4] Auctor ipse in margine lectorem reiecit ad *Extra de simonia circa finem.* Videtur cogitare de c. 34 *Tua nos, Friedberg* II 763.
[5] Desumpsit Delphinus, ut ipse in margine adnotavit, hanc epistolam ex Gratiano, c. 8 *Salvator* C. 1 q. 3, *Friedberg* I 414. Tres illae munerum species iam a Gregorio Magno commemorantur Moral. l. IX c. 34 n. 53, *Migne* 75, 888 sq., scil. munus a corde, ab ore, ex manu.

ab obsequio procedere. Observare autem conveniet, quale sit munus a m a n u. Nam si tale sit ac tantum, ut ad spiritualem rem conferendam posset animum inclinare, simoniacum est; sin exiguum fuerit, ut non inclinet cuiusvis animum ad rem spiritualem dandam, minime fuerit simoniacum, quantum videlicet spectat ad iudicium ecclesiae, quam latent ea, quae sunt in corde. Nam quod pertinet ad Deum et conscientiam, nunquam | simoniacum non 245^r est illud munus, pro quo spiritualia conferuntur, sive magnum sive parvum extiterit. Hinc patefit monachos, qui pro gerendis prioratibus, cum quibus aliquid spirituale coniungitur, ut decimae, ut oblationes, ut debitum celebrandi officia divina, ut denique aliud quodlibet huiusmodi [a], committere apud Deum simoniam. Tamen exigua munuscula, dummodo incorrupta mente sinceraque intentione dentur, minime pertinent ad simoniam, qualia visitatoribus licet accipere [1]. Sed prudenter videant, an illud faciant puro et candido animo, quia simoniaca labes res quaedam subtilissima est facileque subrepit ad inficiendam conscientiam, et ab exiguis paulatim solent homines procedere ad maiora, quin etiam fit, ut assuetudine magna videantur humano iudicio parva, quod levissimis de causis corrumpitur.

Praeterea dicamus, quid sentire conveniat de munere a l i n g u a. Cum pro indigno aliquo precationes fiunt, munus proculdubio a lingua semper est simoniacum. Cur enim precationes huius|modi exaudiuntur, nisi propter eius favorem, qui precatur, aut forte ob 245^v timorem? A precantibus enim interdum, si non exaudiantur, imminere solet periculum, atque idcirco sunt doctissimi viri, qui tales preces denominant armatos. Cum autem fiunt pro digno aliquo precationes, quamvis ecclesia in bonam partem illas interpretetur et accipiat, si tamen aut favor aut metus plus valeat quam dignitas eius, pro quo in causa rei spiritualis rogatur, sine dubio committitur apud Deum simonia, et conscientia tum rogantis tum rogati labefactatur. Ceterum de illo, qui pro se orat, subiicio verba divi T h o m a e [2]: *Si aliquis*, ait, *pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium petere ecclesiasticum sine cura animarum.* Haec divus Thomas.

Munus denique illud, quod ab o b s e q u io denominatur, si propter id quidem beneficium aut praebenda conferatur, simoniacum est, quamlibet honestum quiddam sit ministerium atque servitium. Potest quidem praelatus eos, qui sibi | famulantur et inserviunt, 246^r clericos alio pacto remunerari. Quod si praelatus videat ullum clericum ex iis, qui sibi famulantur, dignum beneficio ecclesiastico, id potest merito illi conferre, non propter quidem ministerium et servitutem, sed propter dignitatem ac illius merita. Dicit enim G r e g o r i u s in registro [3]: *Ecclesiasticis utilitatibus deservientes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere.* Itidem, si quis eo animo serviat, ut acquirat in remunerationem aliquam praebendam, incidit in simoniam. Quod si famuletur in eum finem, ut se dignum ecclesiastico beneficio plane ostendat illudque tandem non in remunerationem, sed in testimonium servitutis consequatur, eo ipso nimirum dignus, nulla profecto simonia est. Verum inservire ac remunerationem servitutis non etiam atque etiam expetere, ut difficile, ita paucorum esse animum meum induco. Quocirca dixit admodum prudenter quidam praelatorum curias probare ad unguem clericos.

De causis, unde oriatur simonia, quantum par fuit diximus. Ex his vero, si diligenter considerare quis ea voluerit, facile intelliget non posse ullum | praelatum cuiquam pro 246^v pecunia conferre simplicem canonicatum aut simplex quodvis beneficium, cum quo etiam non sit animarum cura coniuncta neque sacer ordo; nam simplex beneficium habet annexum debitum celebrandi divina officia et praeterea canonicatui etiam potestas eligendi episcopum adiungitur, quae duo non minus quidem spiritualia existunt quam authoritas praedicandi, cuius nimirum venditionem apud Matthaeum D o m i n u s prohibuit dicens [4]: *Gratis accepistis, gratis date.* Cum ergo venditio haec divino sit iure vetita, simoniaca est per se, non quia positivo iure alicubi sit prohibita, quemadmodum falso quidam existimant. Nunc superest de pactionibus dicere.

[a] *Supple* aliquid solvunt

[1] Glossa in c. 3 *Felicis* de cens. III 20 in Sexto, quam Delphinus in margine allegat, haec est: *Consulte faciens visitans, qui ab omni munere se abstinet...* Credit *tamen Cardinalis, quod, si modicum esculentum vel poculentum recipiatur, quod non sit verisimile, quod aliquem moveat vel donantem pauperiorem faciat, non habet locum pena.*

[2] S. th. II-II q. 100 a. 5 ad 3.

[3] Epp. II 18 (*Migne* 77, 618), nunc III 18 (Mon. Germ. hist., Epp. I 1, 176), apud *Gratianum* c. 67 *Ecclesiasticis* C. 12 q. 2 (*Friedberg* I 708), apud S. *Thomam* S. th. II-II q. 100 a. 5.

[4] *Matth.* 10, 8.

[16.] Liceatne aliquo modo in spiritualibus pacisci?

Multa congerere solent canonistae de pactis et, quia rem hanc pertractant valde confuse atque inordinate, pias conscientias perturbant quammaxime. Nos igitur dilucide breviter- 247r que | negotium istud magni momenti expediamus. Duo sunt diligenter consideranda iura et habenda omnino ante oculos: unum spirituale, quo quis efficitur particeps rerum spiritualium, et alterum temporale, quo recipit [a] quis ea, quae spectant ad corpus. Quando igitur cunque primum ius ab altero seiunctum fuerit, numquam in spiritualibus erunt licitae pactiones, at proculdubio simoniacae. Verum si duo iura illa simul iuncta fuerint, sine periculo simoniae licebit pacisci, non quidem ob primum, sed ob alterum ius, ut in matrimonio licet quidem pacisci de dote, non quia matrimonium ex opere operato non conferat gratiam, sed quia uxor alenda et tractanda est pro statu et conditione, ut convenit. Ut porro cum iis, qui recipiendi sint in monasteria et claustra regularium sive pueri sive puellae, optimo iure licet pacisci, cum egent monasteria eorum, quibus alantur et omnino sustententur, de certa aliqua summa danda monasterio; in hoc enim casu duo illa iura sunt coniuncta. Hae vero 247v pactiones fiunt, non ut qui recipiuntur sint | bonorum spiritualium religionis participes, verum quia debetur eis victus et vestitus. Haec sententia fuit divi Thomae, cuius libet verba recitare [1]: *Pro ingressu*, ait, *monasterii non licet aliquid accipere vel exigere quasi pretium* [b]; *si tamen monasterium sit tenue, non sufficiens ad tot personas nutriendas, licet exhibere ingressum quidem gratis, sed accipere aliquid pro victu personae recipiendae, si ad hoc non sufficiant opes monasterii.* Haec S. Thomas, qui tametsi dicat licere aliquid accipere in IIa IIae, tamen in IV. libro Sent. verbo exigendi utitur [2], cuius verba paulo post recitabo. Verum enim vero [c] simonia committeretur, si receptio aliquorum in religionem, quae promotio est quaedam spiritualis, ab eorum, qui recipiuntur, sustentatione divisa esset, quemadmodum erat olim in heremo; quos enim recipiebant, docebant quidem, sed non tenebantur eos alere aut vestire. Ita Romanus Benedictum recepit et Macharius duos adolescentes [3], quemadmodum etiam 248r nunc ad dignitatem et | gradum canonicatus qui recipiuntur, non aluntur a canonicis. Itaque non licet quippiam a recipiendis accipere.

Nunc verba divi Thomae recito ex IV. libro Sent. Tunc ait [4]: *Potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium, unde possit illi providere. Si autem sine gravamine ecclesiae potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere.* Haec divus Thomas. Ex his patet licere ministrantibus sacramenta, cum duo illa iura sunt coniuncta, quippiam accipere et exigere, non quidem propter sacramenta, quae spiritualia sunt, quemadmodum ante dixi, at propter sustentationem, ut Paulus ait [5]: *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Similiter in celebrantibus missam, in praedicantibus, in docentibus, in orantibus, in consulentibus, in visitantibus et corrigentibus duo illa iura coniungun- 248v tur, | ac proinde in his atque huiusmodi aliis pacisci, accipere et exigere aliquid optimo iure licet non ob primum ius, at propter alterum, non, inquam, propter spiritualia, sed ob necessitatem sustentationis. *Quis militat*, Paulus inquit [6], *suis stipendiis umquam? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?* Et Augustinus in eam Paulinam sententiam: *Qui bene praesunt presbyteri* ait [7]: *Accipiant necessitatem sustentationis a populo, mercedem autem dispensationis a Domino.* Sic prophetis bonis olim in Testamento Veteri [8] munera temporalia dabantur in eorum sustentationem, ut liberius vacarent spiritualibus, quemadmodum inquit Hieronymus in Michaeam [9]. Sed mali tamen prophetae munera illa tum ad prophetiam tum ad laborem suum tamquam debita praemia referebant, quod mali etiam clerici hodie faciunt, ac propterea simonia passim vagatur et regnat plus in ecclesia quam vellemus.

249r Plurimi se arbitrantur | simoniae aditum praecludere, cum in administratione rerum spiritualium dicant se pecuniam et praemium accipere non pro spiritualium administratione, sed pro suo labore, interim non animadvertentes, laborem non ad ius proprie sustentationis

[a] *Cod.* respicit [b] *add. Thomas* licet tamen; *etiam sequentia mutata sunt.* [c] sic!

[1] S. th. II-II q. 100 a. 3 ad 4.
[2] Vide infra adn. 4.
[3] Cfr. *Gregorium Magnum*, Dialog. l. II c. 1 (*Migne* 66, 128) et *Palladium*, Hist. Lausiaca c. 19 (*Migne* 73, 1109).
[4] In IV. Sent. dist. 25 q. 2 ad 7.
[5] *1 Cor.* 9, 13.
[6] *1 Cor.* 9, 7.
[7] Sermo 46 c. 2 n. 5, *Migne* 38, 273, ubi tamen de loco *1 Tim.* 5, 17 non fit mentio.
[8] Cfr. *4 Reg.* 4, 8 sqq.
[9] Haec verba in commentariis in Michaeam l. I c. 3, 9 sqq. (*Migne* 25, 1181 sqq.), ubi S. Hieronymus de simonia agit, ad verbum non inveni, licet multa similia

pertinere, sed magis coniunctum esse cum primo iure, hoc est cum spiritualium administratione. Quo fit, ut simoniam committant, quicumque laborem illum suum vendunt et de pretio seu praemio aliquo paciscuntur. Labor quidem operantis non cadit proprie sub venditionem, sed ipsum opus. Si carpentarius enim aut aedificator aut alius quilibet opera efficere sine ullo prorsus labore quiret, ea non minoris [pretii] venderet quam efficiendo illa eadem cum labore. Quod si tentaret ca propter laborem pluris vendere, nemo tamen emeret, quippe cum ementes non propter laborem, sed propter fructum et utilitatem operis annumerent pecuniam. Labor enim ad fructum sive ad utilitatem per se confert nihil, quia si fructus aut opera aequalia darentur absque | labore, tantumdem solverent pretii ementes. Quare 249v numquam emptores intendunt per se laborem emere, sed tantum opus et commodum ipsum, cui labor est annexus. Itaque si opus clericorum et sacramentorum et spiritualium omnium rerum administratio non cadit licite sub venditione sine labe simoniaca, consequens profecto est, ut neque laborem, qui cum opere illo cum illaque administratione coniungitur, liceat vendere. Qui vero aliter sentiunt et pronuntiant, ii praestant clericis occasionem et praebent velamen simoniae tum exercendae tum contegendae. Si enim quis reprehenderit eos, ita respondebunt: « Non missas, non sacramenta, non indulgentias, non alia denique spiritualia vendimus, at pretium laborum nostrorum postulamus et volumus ».

Nos igitur concludamus clericis tum licere in spiritualibus petere et accipere et exigere certum aliquid, cum ea duo iura simul iuncta fuerint, ut ante dixi. Et memoria teneant clerici Augustinianam illam sententiam, quam paulo ante | recitavi [1]: *Accipiunt*, inquit, *necessitatem sustentationis a populo, mercedem autem dispensationis a Domino*. 250r

[17.] Quae poena simoniae debeatur, et multae, quae oriri possent, dubitationes diluuntur.

Poena, quemadmodum theologi docent, culpam ordinat, quatenus per poenam voluntas peccatrix ad iustitiae divinae ordinem revocatur. Dum enim peccatores eo rediguntur, ut subiiciantur divinae iustitiae ordini, tum per poenam regulantur eorum peccata. Est autem in rationis et mentis participibus creaturis divinae iustitiae ordo ille, ut omnis vel sponte ac propria voluntate subiiciatur divinae iustitiae meritoria obedientia et digna aeterno praemio, vel certe iustitiae punienti subiiciatur invita.

Peccatores igitur, qui se propria voluntate remuneranti iustitiae divinae turpiter exemerunt ac se regulae ab Opt. Max. Deo statutae reddere conformes noluerunt, ii per poenam inviti ad regulam punientis iustitiae reducuntur et subesse divinae iustitiae coguntur. Quando simonia | igitur peccatum est plus quam dici possit nefarium et exitiale, idcirco necesse est, 250v ut per gravissimam poenam ordinetur non solum in futura vita, sed in praesenti etiam. Itaque praeter aeternam poenam quam simoniacis decrevit praeparavitque iustitia, priusquam huius mundi fundamenta iacerentur, alias quasdam temporarias lege positiva constituit ecclesia [2]. Quia ergo licet nemini quippiam retinere in potestate sua, quod acquisierit contra legitimi et veri domini voluntatem, ac verus dominus ecclesiarum, cuius nimirum oeconomi et ministri habentur existuntque revera episcopi et praelati, sancivit, ut gratis darentur spiritualia; inquit enim [3]: *Gratis accepistis, gratis date*. Hinc fit, ut, qui solutione temporalium spiritualia consequantur, ea non queant licite retinere. Ac praeterea simoniaci, praeterquam quod infamiae nota inuruntur, deponuntur etiam et ab ordinum et beneficiorum administratione suspenduntur, ut id exequi non valeant, quod esset alioqui sui iuris, et papali quoque feriuntur excommunicatione. De his atque huiusmodi aliis uberrime | disseruerunt 251r canonistae, quorum est hoc proprium munus.

Ceterum, qui simoniace sacris ordinibus initiatur, characterem ex opere operato sacramenti recipit indelebilem, attamen gratiam et executionem ordinis minime recipit, quoniam furtim et contra veri ac principalis domini voluntatem suscipit characterem. Ipso iure igitur suspensus merito est [4], tum quod pertinet ad se, ut sui ordinis executione privetur, tum quod ad ceteros, ut in ordinis executione communicet ei nemo, sive illius peccatum sit publicum sive occultum, immo quam turpiter dedit pecuniam, eam repetere nequit, tametsi ab eo retineatur iniuste, cui data est. Qui vero simoniacus ideo est, quia simoniace ordinem contulit, aut quia dedit aut recepit simoniace praebendam et ecclesiasticum beneficium, aut quia

[1] Cfr. supra p. 376 adn. 7.

[2] Pro toto hoc capite intelligendo conferendi sunt [illegible] in titulo de simonia [V 3] decisi, *Friedberg* II 749 sqq.

[3] *Matth.* 10, 8.

[4] C. 45 *Si quis ordinaverit* X de sim. V 3, *Friedberg* II 767. De poenis simoniae cfr. *Hinschius*, Kirchenrecht V 703 sqq.

simoniam tamquam mediator procuravit, si peccatum illius et simonia in propatulo est, ipso iure suspensus est, tum quod ad se, tum quod ad reliquos attinet; sin occultum, quod pertinet ad se tantummodo suspensus est ipso iure.

251v Deinde persuasum ex canonicis poenis, quas recensui, habere debemus, | licitum esse nemini ab episcopo recipere sacrum ordinem, quamvis episcopus iubeat et in eos, qui parere nolint, excommunicationem pronuntiet, si modo cognoscat eum episcopum fuisse promotum simoniace; imo si ordinaretur a tali episcopo, executionem ordinis minime acciperet, quamlibet etiam illum simoniacum esse plane ignoraret, sed omnino esset necessaria dispensatio. Metas autem rationis egrediuntur, qui existimant, cum subditus non possit probare suum episcopum et praelatum simoniacum esse, tum debere illum obedire mandato sui episcopi, ordinem sacrum ab eo recipiendo, non tamen exire porro ad executionem debere absque legitima dispensatione. Absurdissima, inquam, est eorum opinio, quippe cum liceat nemini communicare in actu illicito cuiquam. Si tamen occulta simonia esset episcopi vel ex promotione vel ex quavis alia causa, peccaret ille quidem exequendo ius episcoporum, tamen subditis liceret ab eo suscipere ordines. Quodsi postea fieret eis perspicua illius simonia, 252r pergere | ad executionem absque legitima dispensatione deberent nunquam. Aliquibus praeterea visum est non debere illos privari ecclesiastico beneficio, qui simoniace illud quidem assecuti fuerunt ob ignorationem; quod enim quis facit nec sciens nec volens, id longe abest a culpa, neque ipsum igitur puniri convenit, quandoquidem poena debetur soli peccato, quod voluntarium est. Ii vero satis superque decipiuntur ac pariter alios ducunt in errorem; cum enim privatur aliquis eo, quod accepit, non solum privatio talis poena est peccati, verum effectus etiam est plerumque iniustae acquisitionis, ut cum aliquis ab eo quippiam emit, qui nequaquam poterat illud iuste vendere. Atque idcirco, si quis ordinem et ecclesiasticum beneficium resignare cogitur, luit quoque poenam debitam; inuritur enim illi nota infamiae ac 252v restituere omnino tenetur non modo quos percipit fructus, verum illos etiam, | quos verisimile est percipi a diligenti possessore facile potuisse, iis quidem sublatis expensis, quae fuerunt ob fructus, ac pariter iis demptis fructibus, qui fuerunt insumpti pro commodo atque utilitate ipsius ecclesiae. Sin autem praeter scientiam et voluntatem suam, quicumque ille sit tandem, forte fortuna simoniace procurantibus id aliis, ordinem aut beneficium adeptus est, caret quidem ordinis executione et resignare beneficium tenetur simul cum praesentibus fructibus, attamen consumptos fructus reddere non tenetur, quippe cum bona fide beneficium possederit. Quod si praeter eius et scientiam et voluntatem procuratio illa fuerit a certo aliquo ipsius inimico, aut si ipse etiam contradixerit huiusmodi procurationi, minime tenetur beneficium resignare, nisi postea ultro pactioni consenserit, id nimirum solvendo, quod promissum fuerat.

Ceterum hic litigari et disputari vehementer solet a praestantissimis et doctissimis viris, 253r cui facienda sit restitutio. Cum enim ex peccato suo neminem sentire commodum | et utilitatem conveniat, arbitrantur nonnullli faciendam non esse cuiquam restitutionem, [cum] ea quidem in eorum utilitatem plerumque redundaret, qui fuerunt simoniae participes. Fit enim saepenumero, ut praelatus una cum toto collegio in simoniam consentiat. Possessio, inquam, ut verum fatear, vel fructus vel pecunia simoniace a quovis concepta ecclesiae debent restitui proculdubio, in cuius iniuriam exhibita fuerunt, quamvis praelatus cum paucis aliquibus ex collegio consenserit; haudquaquam enim decet, ut eorum peccatum aliis noceat. Danda tamen opera est, quoad eius fieri potest, ut qui peccaverunt, nullum commodum nullamque utilitatem inde percipiant. Quod si praelatus cum toto collegio peccaverit, debet erogari tunc aut pauperibus aut alteri alicui ecclesiae, dummodo cum superioris authoritate illud efficiatur. « Quid vero », aliquis dicat, « sentiendum est de iis, qui recipiuntur ad regu- 253v larem vitam in mona|sterio aliquo simoniace ac in eo profitentur eduntque votum solemne? » Debent, inquam, si et scientes et volentes recepti simoniace fuerunt, ex monasterio suo ea lege quidem expelli, ut nunquam postea recipiantur ac trudi sane in religionem arctiorem. Quod si arctior nulla sit reliqua, in aliud suae religionis monasterium debent relegari, saltem ad certum aliquod tempus.

Dubitant porro quidam, si committatur voluntate sola nefaria simonia, quid agere conveniat? Itaque simonia cum tribus modis potissimum committatur: voluntate, pactione et executione, qui sola voluntate agunt simoniace, ii tantum in secreto foro poenitentiae sunt puniendi; qui vero pactione tantum vel tantum executione vel pactione simul et executione, ii [a] sunt convenientibus poenis ecclesiasticis et canonicis obnoxii.

[a] Cod. iis

[18.] Liceatne probo viro sede vacante procurare suffragia electionis | promissionibus et pactionibus eo animo, ut repurget eccle- [254r] siam et corrigat et deleat errores atque abusus?

Cum expetibilia multa sint in episcopatu, nimirum excellentia gradus et iurisdictio et animarum cura et rerum temporalium ubertas et alia consimilia, ea facile possunt ad duo capita reduci: ad pastoralem, inquam, titulum et ad titulum praebendae seu beneficii. Non licere aliquid temporale dari cuiquam pro ecclesiastico beneficio, satis iam antea plane ostendi. Multo igitur minus dare aut promittere quippiam licebit pro assequendo titulo pastorali; is enim proculdubio spiritualis est, et a Christo illum accepit solus Petrus immediate cum suis canonice intrantibus successoribus; alii porro accipiunt mediate, videlicet per Petrum et successores. Qua de re in libris de ecclesia cumulate disserui [1]. Quoniam ergo mala non sunt facienda, ut bona eveniant [2], propterea nemini licet suffragia electionis procurare aut promissio|nibus aut pactionibus aut largitionibus, quocumque tandem animo illud [254v] efficiatur; semper enim committitur simonia. Tamen probus vir, quando intelligeret eum eligendum, qui ecclesiam deformaret, vitiosos amaret, studiosos non remuneraretur, abusus foveret, erroribus conniveret, tum optimo iure largitionibus et solutione pecuniae impedire huiusmodi electionem valeret, si modo illud minime faceret, ut sibi aut certae alicui personae procuraret ea via electionem.

At dixeris: « An probo viro non licet in proposito casu redimere suam vexationem? » Licet, inquam, nemini propriam vexationem redimere ante iuris acquisitionem tituli pastoralis ac praebendae communi doctorum omnium sententia, quanquam licet post habitum ius redimere vexationem ecclesiae vel etiam ante ius habitum impediendo, ne assumantur indigni, ut dixi. Tamen si redemptio ecclesiae fieret, deinde seorsum peteret absque omni pactione et conventione | pontificatum et protestaretur cum iuramento se nolle impedire electores, quin alium [255r] eligant, si recta quidem conscientia noverint eum esse digniorem se magisque idoneum ad pascendam et regendam ecclesiam aut aeque dignum atque se ipsum ad gerendum pontificatum, ac nolle omnino Spiritui Sancto apponcre [a] obicem aut libertati ecclesiae ad aeque bonum et aptum vel ad meliorem et aptiorem eligendum, propterea non caderet in simoniam. Verum enim vero debent ii, quorum sunt partes episcopum et pontificem eligere, in arduo et difficillimo isto negotio esse valde cauti et prudentissimi, quia sibi ipsi mens plerumque mentitur, quemadmodum ait Gregorius ⟨in pastorali⟩ [b] [3], et fingit sibi ipsi de bono opere amare, quod non amat. Signum autem indubium, quo facile noverint, quid ipsum ad pontificatum aspirantem moveat, illud est, an omnia, quae pro ecclesiae redimenda vexatione largitur, aeque donaret, si alius aeque bonus aut melior ad pontificiam dignitatem assumeretur, atque | si eligeretur ipse aut is, pro quo rogaret, quem proponeret, cui electionem procuraret. [255v]

Quae de petentibus episcopatum et pontificiam dignitatem pronuntiavimus, ea dici quoque similiter conveniet de petentibus alios pastorales gradus et praefecturas ecclesiasticas tum in universa ecclesia, tum in privatis religionibus. Qua in re tot ac tanti abusus execrandi et corrigendi sunt, ut difficile dictu sit, nedum factu.

[19.] An simoniaci possint ex dispensatione promoveri ad maiora?

Ut plane cognoscamus, an iure possit fieri, ut simoniaci ad maiores gradus ex dispensatione promoveantur in ecclesia, et quibus liceat dispensare, et qua ratione id facere conveniat, operae pretium est in primis diffinire et exponere, quid sit proprie dispensare. Illius enim cum probe tenuerimus definitionem, tum nullo propemodum negotio praesentem quaestionem diluemus. Dispensare igitur non est facere, ut manente prae|cepto illud ipsum liceat [256r] cuiquam transgredi, at nihil prorsus est aliud quam praeceptum ipsum revocare aut declarare, quo pacto ipsum intelligi oporteat. Quare dispensatio duplex est [4]: una quidem revocatio iuris et declaratio iuris altera. Cum Iesus Christus veterem legem dando novam abrogavit mutavitque, praesertim quod spectat ad ceremonialia, qua de re disputavi cum haereticis in libro de iustificatione [5], tum fuit revocatio iuris; non enim fecit, ut ceremoniarum manentibus praeceptis ea servari minime deberent, sed fecit, ut manente illo eodem actu nemo

[a] *sic!* [b] *add. in marg.*

[1] Cfr. supra c. 2.
[2] Cfr. *Rom.* 3, 8.
[3] Epp. III 29, *Migne* 77, 626.
[4] Haec distinctio invenitur apud *Bonaventuram*, In IV. Sent. dist. 38 q. 3 concl. (Opp. ed. *Quaracchi* IV 823): *Dispensatio dicitur dupliciter: uno modo iuris relaxatio, alio modo iuris declaratio.*
[5] Cfr. supra c. 4.

ad illum ipsum teneretur. Similiter homines legislatores dispensant, quando praeceptum iuris positivi ab eo actu revocant, ad quem praecepto iuris manente proculdubio tenebantur. Tum porro est iuris declaratio, quando exponitur fuisse legislatoris propositum ac intentionem lege sua in tali casu particulari obligare neminem. Humanae quidem leges, quae generatim feruntur, possunt ac debent aliquam pati exceptionem, cum ratio legis deficit, quando 256^v nimirum, si legislator | ipse adesset vel prudens quivis alius interrogaretur, a generali constitutione casum particularem exciperet. Igitur expositio, qua patescit, in tali casu particulari, qui sub generalibus verbis ipsius legis comprehenditur, legem non obligare, quippe cum ratio legis deficiat.

Dispensatio secundi generis appellatur, hoc est iuris declaratio. Nam dispensatio huius generis commensuratio est quaedam et distributio communis boni, quale bonum est lex ad singulos pro legis intentione, quatenus occurrit postulatque circumstantiarum varietas. Haec autem dispensatio, nisi fideliter ac prudenter efficiatur, potius fuerit dissipatio, quemadmodum inquit divus Bonaventura[1], quam dispensatio. Itaque papa, in manu cuius omnino est ius positivum, et cui praeest, in eo iure integrum habet dispensare utroque modo. Non solum enim in potestate habet ius positivum declarare, verum etiam illud revocare, quamlibet a generali concilio sancitum et constitutum illud ipsum fuerit. Nam ius positivum 257^r et generalis concilii omnis potestas obligativa pendet roburque suum et validitatem | habet a papali quidem potestate ac voluntate, quam rem in secundo libro de ecclesia pertractavi diligenter[2]. In iure autem divino papa ita non valet dispensare, ut revocare ipsum ius queat; divino enim iuri simul cum ceteris christianis hominibus hauddubie subiicitur. Tamen illud idem ius potest ac debet vel per generale concilium vel per doctissimos alios viros declarare. Si oriantur quidem scrupi et dubitationes arduae circa sacramenta, circa intelligentiam sacrae scripturae, denique circa vel fidei articulos vel quidvis religionis christianae, tum ad papam necesse est confugere atque ab illo dispensationem, hoc est iuris declarationem et expositionem accipere in eaque perinde ac in divino quodam oraculo quiescere, persuasum habendo papam et Romanam ecclesiam in iis, quae sunt iuris, impeccabilem esse, quamquam peccabilis est ac peccat saepenumero in iis, quae sunt facti. Verum petenda haec sunt ex secundo libro nostro de ecclesia.

Potest igitur solus papa, ut probe inquit divus Thomas[3], cum eo dispensare, qui sciens 257^v et volens praebendam et | beneficium simoniace consecutus est. *In aliis autem casibus potest etiam episcopus*, cuius authoritas a papali authoritate pendet, *dispensare*, illa tamen lege, *ut simoniacus prius, quae simoniace acquisivit, abrenuntiet* ac tum particeps fiat dispensationis aut quidem parvae, ut ad communionem laicam admittatur, aut magnae, ut post actam poenitentiam in suo remaneat ordine, sed in alia tantum ecclesia, aut maioris etiam, ut in eadem permaneat, sed in minoribus tamen ordinibus, aut denique maximae, ut in illa eadem ecclesia maiores consequi ordines valeat, sine omni tamen ecclesiastica praefectura et praelatione.

Casus particulares circa simoniam infiniti solent accidere, quos molestum esset recitare. Hoc igitur labore supersedebo, quandoquidem facile est eos ex canonistis colligere; ac probe cognita definitione ac natura simoniae, haudquaquam est difficile nodos solvere ac dubitationes diluere, quae possent ex particularibus casibus oriri et illiteratorum piorum animos et conscientias turbare.

64.

Episcopi Suessani oratio [de simonia][4].

[Initio anni 1556]

Romae Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 6542* f. 43^r-46^v; cop. coaeva.

AA I-XVIII n. 6542 f. 43^r

Etsi scio, Pater B^{me}, ad aures S^{tis} Tuae inque hunc amplissimorum patrum et aliorum doctissimorum virorum consessum verba non nisi gravissima et necessaria esse afferenda, tamen abundantia cordis impulsus, Tuaque benignitate fretus dicam, quae animus piae laetitiae reticere non valet, illud in primis a Spiritu Sancto per Salomonem mutuatus, dum

[1] *Bonaventura*, In IV. Sent. dist. 19 q. 2 dub. 6 (Opp. ed. *Quaracchi* IV 513). Recte adnotant editores verba haec ex *Bernardo*, De consideratione l. III c. 4 n. 18 (*Migne* 182, 769) esse desumpta.

[2] L. c. supra c. 2 f. 159^v-172^v, praesertim f. 171 sq. Cfr. etiam *Lauchert* 496 sqq.

[3] S. th. II-II q. 100 a. 6 ad 7.

[4] Hanc orationem ita, ut iacet, in congregatione classis primae (26. Martii 1556) non esse habitam iam ex eo apparet, quod pontifex ipse illae non interfuit; nec scimus, quando revera habita sit. Quia tamen bene convenit cum summario Massarelli, eam exhi-

ait [1]: *Hyems transiit, imber abiit et recessit:* Hyems scilicet illa saevissima praeterit, per quam spiritualis Christi ager imbribus abusuum redundabat avaritiaque et ambitio sacra frugifera semina abruebant. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit:* Vinea enim Domini luxuriantibus pampinis et flagellis pro dulcibus uvis fecerat labruscam. | [43v] Venit igitur putator agricola, qui superflua amputet et inutilia sarmenta recidat. *Ficus* etiam illa, quae propter sterilitatem praevia maledictione exaruerat, subsecuta benedictione revirescit et iam *protulit grossos suos*, dulcissimorum videlicet fructuum indices manifestos. *Vineae florentes dederunt odorem suum:* celeberrimam videlicet famam nominis Tui, quod iam orbem totum christianum suavitate replevit.

Reddit igitur Dominus nobis annos, quos comedit locusta, brucus et rubigo. Atque ut meam hanc laetitiam significantius explicem, dicam propius, quod sentio. Videor videre, Pater B^me^, Simonem illum teterrimum ecclesiae nostrae tirannum, quam non sine plurimarum animarum pernicie occupaverat, iam iam interfectum. Incidit tandem pestifer ille tirannus in suum | [44r] Brutum, fortissimum libertatis assertorem, qui Romanam libertatem iterum a servitute ac pene ab interitu vindicabit. Video iam ensem exertum, video et brachium sublatum. Neque vereor hoc paulo post futurum. Mandabit enim Dominus virtuti Tuae, confirmabit utique Dominus, quod operatus est in Te, ut merito cum eodem propheta dici possit [2]: *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percutiet inimicum.* Ut autem ad rem a Tua Sanctitate nobis propositum veniam: Spiritualia vel spiritualibus annexa vendere et emere simoniacam esse haeresim, divo Gregorio [3] authore, neminem dubitare puto. De aliquibus autem actibus, an simoniae nomine veniant nuncupandi, ab aliquibus dubitari audio. Quos divus Thomas [4] arguit palam, si quis libera mente verba ipsius perspiciat, quae | [44v] scripsit in illa celeberrima quaestione sua, cui merito centesimae nomen obtigit, quasi quod centesimus eidem fructus prae ceteris debeatur, res sacras aut sacris adhaerentes et coniunctas vendi et emi non posse. Unde fit, ut quilibet contractus in eisdem factus venditionis nomine censeatur et emptionis, quia neque pretium, quo compensentur, neque dominum, a quo vendantur, habere possunt in terris, quod optime explicat cap. illud [2] *Quam pio* [C.] 1 q. 2 [5]: *Cesset omnis pactio, cesset omnis conventio.* Unde iure concludit idem doctor, pro quacunque dispensatione aliquid accipere non licere et multo minus iis, quibus commissa est spiritualis potestas. Obligantur enim ex officio ad usum potestatis sibi commissae in spiritualium dispensatione, cum habeant statuta stipendia pro eorum substentatione ex redditibus | [45r] ecclesiae. Quamobrem a vero et solo eorum caelesti Domino gratis acceptas gratis dari iubentur [6]. Ne quis autem praetextu laboris aut ministerii ecclesiae temporalia bona per avaritiam sibi usurpare praesumat, ait idem evangelicus doctor [7], quod *accipere aliqua*, non dicit ad pompam personae ministrantis, neque ad ditandum suos, neque ad vitae luxum, sed *ad substentationem;* nec illorum, inquit, qui vagantur et otiose viventes bonis ecclesiae abutuntur, sed *eorum*, addit, *qui sacramenta Christi ministrantur*, hoc est, qui personaliter altari serviunt, ut inde iure suo vivere queant, nec illud quacunque ratione faciant, sed *secundum ecclesiae ordinationem*. Ne quis vero se scuto iniquae consuetudinis suum otium et licentiam tueri audeat, adiecit: *et secundum consuetudines approbatas*, hoc est | [45v] rationabili causa introductas et eadem perseverante conservatas. Eo namque casu, subiungit, non sumuntur temporalia *tanquam pretium mercedis*, quae omnino debent abesse a spiritualibus, sed *tanquam stipendium necessitatis*, iuxta illud Augustini ab eo citati [8]: *Qui bene praesunt presbiteri, accipiant substentationem necessitatis a populo, mercedem autem dispensationis a Domino.* Secundum quam consuetudinem si qua recipiant quasi quaedam stipendia, simoniam esse non dicit, modo desit intentio emendi et vendendi, et intentio referatur ad solum consuetudinis observantiam. Hinc videntur colligere, de mente Sancti Thomae fuisse, pro rebus spiritualibus temporalia exigi posse sine peccato simoniae. Quod et ego fateor colligi posse, modo serventur conditiones ab illo additae: Primum quod sola approbatae consuetudinis observantia | [46r] moveantur; causa autem legitimae consuetudinis introductae cessante, non amplius consuetudo, sed perniciosus dici potest abusus et corruptela. De intentione vero

bemus, quoad vitam auctoris Galeatii Florimontii, litterarum amantissimi, reiicientes lectorem ad *F. Lauchert*, Die italienischen literarischen Gegner Luthers 685 sq.; *Vinc. Grella*, Galeazzo Florimonte, letterato del Cinquecento (Santa Maria di Capua Vetere 1909); *G. Tommasino* (Maddaloni 1921).

[1] *Cant.* 2, 11 sqq.

[2] *Exod.* 15, 6.

[3] Epp. II 23, *Migne* 77, 559 sq.; V 53, *Migne* 77, 784 et saepius.

[4] Cfr. supra p. 341 adn. 7.

[5] *Friedberg* I 408.

[6] Cfr. *Matth.* 10, 8.

[7] *Thomas*, S. th. II-II q. 100 a. 2.

[8] Serm. 46 (De pastoribus) c. 2 n. 5, *Migne* 38, 273.

exigentis Deus solus iudex erit et testis. Decet autem pium et integerrimum christianum non verba tantum, sed mentem doctoris perscrutari, quam ipsemet in extremis verbis responsionis ad quartum art. 2 quasi veritus et praevidens id, quod futurum erat, adiungit dicens: *In his tamen omnibus sollicite cavendum est, quod habet speciem simoniae vel cupiditatis.*

Hanc ego sententiam, Pater B^me^, vellem sibi ob oculos ponerent ii, qui verba divi Thomae ad avaritiae patrocinium et ambitionis, pace eorum dixerim, convertunt. Et *quia semel coepi, loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis*[1]. Non possum non ad caelum
46v extollere | sanctam illam et generosam indignationem Tuam, quae sordidos hosce inveteratos abusus pati non potest, per quos facti sumus opprobrium non modo vicinis, sed longe disiunctis a nobis, illusio, et subsannatio iis, qui in circuitu, imo iis, qui totius orbis ambitum incolunt[2]. Ita ut apud Indos illos, qui nuper fidem nostram receperunt[3], tritum sit sermone proverbium: Lex christianorum, lex pecuniarum, quoniam, quod liberum illis erat ante acceptam fidem, ea accepta pecunia redimebant.

Plura mihi in hanc sententiam dicenda restant, quae quoniam nisi ex divi Thomae fonte haurienda essent, in quo Tuam S^tem^ natasse scio[4], non longiori taedio Tuas purgatissimas aures afficiam. Si qua alia mihi dicenda occurrant, in aliam congregationem differo. Dixi[5].

65.

Paulus Draco: Simonia non cadit in papam in his, quae sunt simoniaca per constitutionem ecclesiae secundum canonistas[a][6].

[Initio anni 1556].

Romae Arch. Vat. *AA I-XVIII n. 6544* f. 90v, or

AA I-XVIII n. 6544 f. 90v

Beatissime Pater! Dubium in solutionibus, quae fiunt domino datario et aliis officialibus S^tis^ V^rae^, per doctores canonum videtur alias decisum et resolutum. Nam in materia simoniae considerandum est, prout dicit glossa per doc[tores] approbata in cap. [12] *Ex parte* [X] De officio iud. deleg. [I 29][7], videl. quod quaedam sunt prohibita, quia simoniaca, quae in Veteri et Novo Testamento de sui natura simoniaca sunt, ut vendere sacramenta; quaedam vero sunt simoniaca, quia prohibita, et sunt illa, quae per constitutionem ecclesiae facta sunt simoniaca, quae cum sint iuris positivi, non cadunt in papa, et in his non involvitur crimine simoniae, quia *legibus* positivis *solutus est princeps* cum vulgar[i][8]. Et haec est communis

[a] *Titulus alia manu scriptus invenitur f. 91r.*

[1] *Gen.* 18, 27.
[2] Cfr. *Ps.* 43, 13.
[3] De abusibus in missionibus Indiarum cfr. *I. Schmidlin*, Kath. Missionsgeschichte (Steyl 1925) 296 sq. 314 sq.; *Pastor* VI 221 sqq.
[4] Cfr. *C. Bromato*, Storia di Paolo IV (Ravenna 1748) I 35.
[5] Mirum quibusdam videbitur nos Gulielmi Sirleti, illustrissimi illius Bibliothecae Vaticanae custodis et postea cardinalis, opusculum de simonia, quod codice *Vat. lat. 3911* continetur (or. stemmate Pauli IV ornatum, sine foll., proveniens ex haereditate card. Antonii Carafae), praetermittere, praesertim cum notum sit auctorem pontifici pergratum fuisse. Moti sumus eo, quod Sirletus hoc quoque opusculo more suo erudito ex propriis nil fere dedit, sed tantum ex variis auctoribus, quae ad simoniam pertinent collegit, scilicet:

Petri Damiani opusc. 31 (*Migne* 145, 529-542), excerpta tantum;

Basilii Magni ep. 53 (*Migne gr.* 32, 395 sqq.) in translatione, quae differt ab Erasmiana emendata.

Ps.-Basilii In Isaiam c. 8 n. 220 (*Migne gr.* 30, 499 sqq.);

Gennadii patriarchae Constantinopolitani et synodi Constantinopolitani a. 459 celebratae encyclica ad episcopos et Leonem I (*Mansi* VII 911 sqq.) cum 78 episcoporum subscriptionibus (non 81, quas Mansi ex Labecio habet);

Tarasii patriarchae Constantinopolitani et concilii Nicaeni a. 787 celebrati epistola ad Hadrianum, *Mansi* XIII 461 sqq.;

Ioannis Diaconi vita Gregorii Magni l. III c. 5 (*Migne* 75, 132);

Martini Oppaviensis Chronicon de Leone II, Mon. Germ. hist. Script. XXII 424;

Innocentii III epistola abbatissae et conventui Aureliacensi directa, quae incipit « Iustis petentium desideriis ».

In dedicatione Sirletus pontificem sic alloquitur: *Quid igitur reliquum est, nisi ut Tu, Pater Sanctissime, securim a Deo in manus Tibi traditam ad tam pernitiosae stirpis radicem immittas eamque funditus tollas, ut pestiferos fructus amplius ferre non possit. En Romana ecclesia multorum vitio labefactata operam Tuam implorat, ut candori suo pristino per Te restitutam sponsam suam Christus agnoscat eique dicat: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4, 7).
[6] Paulus Draco, regentem poenitentiariae (cfr. *Goeller* l. c. II, 1, 64 adn. 3 et supra n. 54) tractatulum scriptis dedisse videtur post consistorium 20. Ian. 1556 habitum (supra n. 60. VIII), similiter ac Thomas Campegius suum de eadem re tractatum. De quibus omnibus in periodico Röm. Quartalschrift 43 (1935) 146 sqq. fusius egimus.
[7] *Friedberg* II 161. Quae sequuntur, ad verbum fere conveniunt cum glossa ad verbum *dimittere*.
[8] *Ulpianus* in Dig. I, 3, 31 (*Mommsen* 6).

opinio canonistarum, prout refert Felinus in dicto cap. [12] *Ex parte* [X] De off. iud. deleg. [I 29] [1], et maxime hoc habet locum, quando solutiones huiusmodi ex diuturno usu eorum sunt factae de spontaneis necessariae. Quod etiam videtur tenere B. Thomas II-II q. 100 art. 3, dum dicit [2], *quod sacramenta sunt spiritualia, quia spiritualem gratiam conferunt. Ita etiam alia dicuntur spiritualia, quae procedunt ex gratia spirituali, quae tamen per hominum ministerium exhibentur, quos oportet a populo sustentari prima ad Cor.* [9, 7]: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis pascit gregem et de lacte non manducat? Sed accipere vel dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem ecclesiae et consuetudinem approbatam licitum est*, dummodo cesset intentio venditionis. Nam *spiritualibus prius exhibitis licite possunt statutae et consuetae oblationes et quicunque alii proventus exigi a nolentibus et valentibus solvere autoritate superioris interveniente.*

Et licet S. Thomas II-II q. 100 art. 1, dicat, quod papa possitinvolvi crimine simoniae, [quem] sequitur fr. Ioannes de Turricremata in tractatu de potestatepapae [3], intelligitur ad illa, circa quae committitur simonia ex lege divina, secus, si ex lege ecclesiastica, cui papa non subiicitur, et ita respondet fr. Nicolaus de Ausmo in supplimento Summae Pisanae [4], prout refert et sequitur idem Felinus in cap. [11] *Ad audientiam* [X] de rescriptis [I 3] in 2ª col[lectione] [5], Archi[diaconus] in c. [*Non decet*] 12. dist.[6], Dominicus in dictum caput [7].

Accedit sancta intentio tua, ut gesta demonstrant, quae non solum prohibita evitare intendit, sed quae communiter per doctores et antiquam consuetudinem approbata reperiuntur, prout hactenus executa fuerunt, summo fervore et D ei amore repleta exequi titubat seu veretur. Et ideo non video, quomodo existimari possit simonia, quae est studiosa voluntas emendi aut vendendi spirituale vel spirituali annexum.

⟨Humillimus servus P[aulus] D raco protonotarius pro voto⟩ [a] [8].

[a] *manu propria autoris*

[1] *Felinus Sandaeus*, Commentaria in V libros decretalium I (Basileae 1567) 1071 sq.

[2] In sequentibus auctor omittit nonnulla.

[3] *Rocaberti*, Bibliotheca Maxima pontificia XIII 283-472.

[4] *Nicolaus ab Ausmo* (vel Auxumo), Supplementum ad summam Pisanellam (Venetiis 1489) ad verbum *Simonia* sub 1. De auctore, qui socius fuit S. Bernardini Senensis, cfr. *Hurter* II³ 862 sq.

[5] Collectionem florum *Felini Sandaei* (cfr. *Hurter* II³ 1173), quam auctor allegare videtur, adhibere mihi non licuit.

[6] *Guido de Baysio*, Rosarium (Venetiis 1577) f. 15ʳ.

[7] *Dominici de S. Geminiano* Commentarius in decretales (cfr. *Schulte*, Quellen II 295) typis non est datus.

[8] Mentionem hoc loco facere velim duorum tractatuum, qui licet sub Paulo IV compositi non sint, tamen ad rem pertinere videntur:

1) Quaestio «Utrum semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare» (*Vat. lat. 3889* f. 48ʳ-48ᵛ, cop. coaeva inter scripturas anni 1547) distinguens inter *stipendium sustentationis* et *stipendium locatarum operarum* ait: *Stipendium... sustentationis non habet rationem mercedis, sed subventionis necessariae vel commodae ministris, et ex hoc sequitur, quod, qui dat aliquid temporale puta pecuniam ministris ecclesiae pro sustentatione eorum, non dat pecuniam pro pretio operarum aut laboris eorum, sed solum dat, ut se sustentent in victu et vestitu etc., ut sic habentes alimentum et quibus tegantur, vacent ecclesiasticis officiis gratis.*

Hoc sustentationis stipendium *potest sub pacto poni non minus quam reliquorum oportunorum ad divina servitia, provisio scil. puta calicis, sacrarum vestium et huiusmodi* et comprehendit praeter cibum et potum *quicquid est necessarium ad victum et vestitum sui et eorum, quorum sibi cura incumbit.*

Ad obiecta in oppositum dicit, *quod ministeria ecclesiastica poni sub pacto dupliciter potest intelligi: Primo simpliciter et absolute, ut videlicet dicatur: «Ego volo tantam pecuniam pro ministerio vel si debeo ministrare». Et haec pacta sunt prohibita et dicuntur simoniaca in iure et in littera. Alio modo secundum quid seu cum limitatione, verbi gratia: «Si debeo ministrare in spiritualibus, ego volo pro stipendio sustentationis meae tantum, quia aliter non possum ministerio commode incumbere», et sic limitata pacta ab indigentibus ministris facta non sunt simoniaca apud Deum, qui cor rectum videt, nec sunt simoniaca apud ecclesiam, cui constat vel constare potest et de indigentia ministri et de expressa limitatione in pacto apposita videl. pro sustentatione necessaria.*

2) Tractatum anonymi auctoris «Quaeritur, an resignatio alicuius beneficii praecedente pactione et conclusa conventione de solvenda resignanti vel alii per ipsum nominato aliqua pensione ecclesiastica sit prohibita, quia simonia, et contra ius divinum et naturale et propterea sit per summum pontificem indispensabilis» (*Vat. lat. 6786* f. 68ʳ) initio pontificatus Pii V conscriptum esse puto. Constat enim theologos et iurisconsultos (inter quos Magister s. palatii, procurator Societatis Iesu et multi regulares) in congregatione Romae die 3. Iunii 1566 habita vota sua dedisse «Super puncto, an pensionem dare pro beneficio ecclesiastico sit symoniacum. Die 3. Iunii 1566» (Arch. Vat. *Conc.* 9 f. 28ʳ), quibus motus pontifex paulo post resignationes in favorem alterius vetuit, *Pastor* VIII 126 sq.; cfr. etiam *F. Gillmann*, Die Resignation der Benefizien: Archiv f. kath. Kirchenrecht 80 (1900) 687 sqq.; 81 (1901) 433 sqq.

Ad dubium propositum auctor ita respondet (f. 71ʳ): *Dicimus resignationem beneficii ecclesiastici cum pactione et conclusa conventione de solvenda aliqua pensione esse prohibitam, quia est simoniaca: quia pactum circa spiritualia vel connexa spiritualibus semper labem continet simoniae..., et est contra ius divinum et naturale dicta resignatio, cum sit venditio ex parte resignantis et emptio ex parte recipientis beneficium spiritualis rei.*

66.

[Iohannes Franciscus Commendonus:][1] Discorso della riforma.

[Anno 1556 ineunte].

Bergami Bibl. Civica *Cod. Gabin. Sigma 8, 8* p. 323-360, cop. facta 1. Ian. 1745 ab Hieronymo Lagomarsinio « da un volume esistente nell'archivio del monistero di S. Giacomo di Pontida », proveniente ex scripturis A. M. Gratiani, olim secretarii cardinalis Commendoni, signato « Vol. I pag. 365 ». De codice ipso Lagomarsinius p. 361 haec animadvertit: « Essa scrittura servataci tra quelle di monsignor Graziani è lavoro di due mani. La prima è di un diligente anonimo copista, il quale io ho creduto per qualche tempo, che potesse essere il medesimo Graziani: ma ho poi conosciuto coll'attento confronto de' caratteri, e per esame cronologico non lo essere altrimenti: poichè il Graziani non ebbe che fare col Commendone, se non dopo la morte di Paolo IV, nel tempo dal cui pontificato fu fatta la medesima scrittura. La seconda mano è certamente del cardinal Commendone, da me molto ben conosciuta, il quale in molti luoghi vi aggiunse, vi levò, vi traspose ciò che gli parve ». Postea addit quaedam de tempore tractatus deque auctore et concludit: « S'avverta che l'ortografia dell'amanuense, che fece la copia, è in più cose differente da quella del Commendone; e laddove questi scrive *della, alla, delli*, quegli usa *de la, a la, de li*, ecc. ». — De scripturis Commendoni earumque fortunis vide, quae *I. Dengel* in Prolegomenis ad *Nuntiaturberichte* II. Abt. V p. XVI sqq. disseruit.

[illegible]

Cod. Gabin. Sigma 8, 8 p. 323

Questo rumor di riforma, et questa nuova deputazione di prelati, quasi sinodalmente a questo fine eletti in una congregatione generale di tutti i vescovi della corte [2], ha eccitato in molti, et qui in Roma et fuori, un gran desiderio d'intendere quale sia l'officio nostro, quali abusi si riformeranno, che ordine, et che modo hor vi si prenda: et a tutti costoro è facil cosa di rispondere. Ma voi mi domandate di più un breve ragguaglio circa la riforma, et specialmente circa il datariato, et quello che io hora ne creda o speri, poichè tante volte se n'è ragionato invano.

Quanto alla s p e r a n z a: Io tengo per certo, che come il molto sapere, et la perfetta notizia che Nostro Signore ha delle lettere sacre, et de precetti divini, non deverrà lasciar luogo a dispute, nè a consigli nostri, così la esemplare sua bontà et l'ardentissimo zelo, che
324 è stato sempre suo proprio, debba dar la speranza, che sotto di lui | se ne vegga qualche grande et straordinario effetto. Quanto al giudicio circa la riforma in generale, et non considerando per bona la virtù et la volontà di papa Paolo quarto, io per ubbidirvi ragionerò con esso voi ciò, che ne sento, ma piuttosto circa il modo, che circa la cosa in se, perchè è troppo più facile il conoscere et dimostrare ancora agli altri, quanto sia necessaria una buona riforma, et quali abusi si havriano a riformare, che non è il ritrovar la via, come ciò si possa et si debba condurre a buon fine, et risolverai, se con tutte le difficultà che vi sono, si debba trattare una tale impresa, o starsi. P r i m a m e n t e conviene supporre un papa, che vi si metta davvero, perchè questa è impresa delle sue mani, et a lui solo principalmente si spetta, et in sì corrotti tempi è difficile ritrovare persona, che ci abbia pur inclinazione, et ritrovandola, è molto più difficile, che sia eletta da coloro, che acciecati da particolari passioni malvo-
325 lentieri consentono di far | papa un tale, et consentendo di più, ci vuole ch'ei non solo sappia i veri principii et le strade di essa, ma viva assai, acciocchè possa metterla in effetto, et habbia autorità coi principi, in man de' quali è tanta parte de le cose, che si harebbono a riformare, et con tanto loro interesse. Et posto ancora ch'ei viva et sappia assai, et che i principi si spoglino di quello, che oggidì tengono, ci restano nondimeno m o l t e d i f f i c o l tà. Primamente essendo la legge una cosa morta, che per se stessa non opera, la cui anima et la cui vita sono i magistrati, quali doveranno essere coloro, che mandino ad esecutione et

[1] I o. F r a n c. C o m m e n d o n u s, quem auctorem huius tractatus esse ex iis, quae Lagomarsinius de codice a se transcripto refert, satis apparet, secretarius « a litteris italicis » Pauli IV (cfr. Revue des questions hist. 79 [1906] 432 sq.) et ab a. 1555 etiam episcopus Zacynthensis, unus erat ex illis « 24 praelatis deputatis super reformatione in congregatione generali ipsorum praelatorum » (cfr. supra p. 332 l. 39 sq.) tertiaeque classi est addictus (cfr. supra p. 337 l. 31). Cui ex cardinalibus tractatum dedicaverit, nescimus, opinari tantum possumus fuisse unum ex iis, qui eidem classi tertiae cui Commendonus adnumerabantur. — Vitam auctoris postea cardinalis († 1584) scripsit secretarius eius Ant. Maria Gratianus (Parisiis 1669 et saepius); cfr. etiam *I. Dengel* in Prolegomenis supra allegatis p. XXVI sqq.

[2] Cfr. supra n. 61.

mantenghino l'osservanza di queste leggi? Se i prelati, come potranno tutti in un momento farsi buoni? Anzi come sarà possibile, che vogliano ò che si persuadino di volere essere? Quando che il persuadersi una cosa tanto lontana dai costumi di questi tempi è molto difficile, et così commune è difficilissima, et tanto contraria al proprio | comodo è poco manco 326 che impossibile, ma quasi del tutto impossibile, trattandosi non solamente del non procurar quello, che ci pare ben nostro, et del non accettarlo, ma di lasciarlo, quando già si è fatto domestico, et vi ci siamo accomodati. Certamente secondo me ci fa bisogno di molta bontà per poter volere et per poter consentir volentieri o almeno per non ripugnare alla legge, et in ogni caso la risolutione va tarda et fredda, et per lo più senza frutto. *Neque enim mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt*[1]. Se saranno nuovi, et diversi ministri, i quali havranno da osservare et prender cura di queste leggi, in qual parte si ritroverà così gran numero d'huomini degni d'un tanto et tale ufficio? Massimamente nei principii di così fatta mutazione, et posto che se ne trovino, come potrà ciò passare senza alcuna violenza pericolosa, togliendo la | giurisdi- 327 tione et le facoltà ai possessori antichi, i quali in questa republica dal sommo pontefice al più povero capellano di villa sono tutti perpetui?

Se vinti dalla grandezza di questa impresa ci contenteremo di racconciarne una parte, ci conviene primamente distinguere, perciochè questo può farsi in due modi. Il primo è di toccare leggiermente alcuni abusi, et di questi consentire alcuna parte, et accomodarsi ai tempi et alle usanze, il che facendo venghiamo a concedere che non è giusto, et a giustificarlo per sempre, accrescendo difficoltà al rimedio vero et salutare; il secondo modo è di riformar solamente alcuni pochi abusi et non toccar gli altri, et questo similmente è un rimedio senza profitto. *Nemo enim committit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius a vestimento, et peior scissura fit*[2]. Il che ben'intese Basilio Magno, quando disse[3], | che per li nostri peccati la chiesa si riduce a tale, che diventa 328 come una veste vecchia, la quale ha bisogno di essere racconcia; et nondimeno dove si cerca di ricucire, si straccia, et la cucitura non tiene. Et per certo secondo il precetto, che Socrate attribuisce a Xamolpide[4], chi non purga prima tutto il corpo, indarno rimedia ad una parte, anzi molte volte accresce il male, nè questo avviene più nell'infermità et disordini delle leggi, perciocchè et nel'une et nel'altre i rimedi fatti senza una buona purgatione non cacciano, ma destano piutosto gli humori. Non basta dunque opporre, che sia necessario sanar prima il capo, cioè spetialmente questa corte di Roma, perchè essa, benchè sia capo, non di meno è parte de la chiesa universale.

Che doverà dunque fare un pontefice, che desidera et si tiene obbligato di rimediare a tanti mali, et che conosce il poco frutto d'una riforma particolare, | et si vede circondato 329 da tante difficoltà, che porta seco una vera et general riforma? S'asterrà forse del tutto da le medicine, se il tempo et l'altre qualità richieste ad un prudente medico non consentono che hora si faccia una compita purgatione? Et senza, non vorrà fare una flebotomia nel capo, onde s'indebolisca, et dia cagione, che i mali humori degli altri membri l'aggravino maggiormente, poichè secondo lo stato presente la corte ha bisogno di mezzi humani et di ricchezze per sostenere almeno con questa via la dignità? O pur non manchará all'obligo dell'officio suo, dal quale non è mai scusato, se prima non fa tutto quello, che può, confidandosi nella providentia di Dio, da cui proviene la sua autorità? Io per me credo, che non debba in alcun modo restar di servir Dio et la sua vocatione, et far per questo il debito suo, tanto maggiormente che una tal purgatione della corte non dipende da stagione nè da altri | rispetti humani, anzi essa corte non solo è il capo, ma ancora è lo stomaco, il quale 330 è necessario di purgare per ogni infermità; conciosiacosachè secondo la proporzione istessa, con la quale considerando politicamente il reggimento et l'ordine di questo corpo della chiesa universale essa ne è il capo, così considerando medicalmente il nutrimento et la sanità del medesimo corpo, essa ne è lo stomaco, onde et come tale deve esser prima a purgarsi per non andar tuttavia riempiendo il corpo di nuovi mali, et come capo deve volere et con buon'esempio riacquistare l'autorità con le medesime vie, con le quali prima fu guadagnata, et con questa autorità indurre gli altri, così principi, come privati, a spogliarsi di quella autorità, che ingiustamente o indebitamente, se pur'è stata lor conceduta dai pontefici, hanno sopra le cose pertinenti alla chiesa, non dissimulando fratanto nè rifiutando di far quello, | che è in 331 sua mano, cioè circa a se stesso, et insieme mettersi ad una buona et generale riforma di

[1] *Matth.* 9, 17.
[2] *Matth.* 9, 16
[3] Ep. 113, *Migne gr.* 32, 526.
[4] Commendoni pater erat medicus.

tutto il governo spirituale et temporale della republica christiana, risanando questo corpo in tutti i suoi membri, perchè restando degli altri membri infermi, quello, che si facesse nella corte sola, non potrebbe lungamente durare, nè durando intieramente giovare. È ben vero che per far tanto converebbe saper molto, et con molta humiltà, et non solo liberarsi dagli affetti ordinarii, ma da una spirituale tentatione, da una fretta impatiente, da una sottile ambitione di fabbricar sopra terra, et far cosa, che apparisca et risplenda, senza far prima buone et gagliarde fondamenta. Armi sono queste et fraudi del demonio, che, dove non può ritirare adietro o fermare, lo spinge più innanzi del dovere o più quà o più là, o per
332 troppa sensualità o per troppo zelo, o per una cagione o per un'altra, | purchè si guasti l'opera, poco gl'importa. Et però bisogna fuggire non pur quelli rimedii, che sotto pretesto d'utilità portano danno, ma quelli ancora, che con qualche poco di bene portano danno; perciocchè maggiore è il nostro obbligo di non dare occasione a nuovi danni, che di rimediare agli antichi; onde ci conviene principalmente misurare et contrapesare gli comodi et gl'incomodi di qualunque partito, et *esaminar bene i mezzi et le vie di condurre la riforma a buon fine*.

Circachè, secondo me, conviene haver *due considerationi principali*, una circa le leggi, l'altra circa i magistrati. Circa la prima, se si hanno a fare sopra ciò nuove leggi, o ad osservare solamente l'antiche, perchè a molti pare che le nuove leggi, oltre all'essere soverchie, non potendo variare dall'antiche, portino alla corte grave danno et poco beneficio al resto della
333 chiesa, atteso che per la malitia et per gl'interessi di molti, | et per l'odio contro questa santa sede esse sono ubbidite solamente in quella parte, che nuoce alla corte; onde poi è necessario che qui [a] rompano et si mutino ogni giorno con grandissima perdita dell'autorità; conciosiacosachè il fare et il mutare tuttavia le leggi, toglie la forza alle antiche et non la dia alle moderne, non avvenendo nelle leggi quello che nelle arti, nelle quali et le regole et i precetti si mutano et si debbano sempre mutare, perchè nelle cose civili la forza delle leggi dipende tutta dalla riputazione et da la osservanza invecchiata de' lor comandamenti, in modo chè è molto peggior stato, dove le buone leggi non sono obedite, che dove le non compitamente buone sono obbedite. Altri all'incontro potrebbe per avventura a favor delle nuove leggi argomentare il contrario; perciocchè dopo tanta dissolutione il voler fare osservar quelle
334 leggi, che per un tempo non sono state osservate | et con la disusanza hanno perduta la forza et la riputazione appresso i popoli, non pare che sia sufficiente rimedio, senza che queste leggi antiche non fanno un subito movimento negli animi, ma lentamente vanno ripigliando vigore con gli esempi de la esecutione, che seguita di giorno in giorno, dove le nuove leggi rappresentano lo stato della cosa, che s'intende di fare, come se fosse già fatta, et producono buon frutto a guisa di novelle propagini di una vite invecchiata et scaduta, la quale ricolcata ringiovenisce: et questo apunto è quello, che dicono gli huomini prudenti, che dopo alcun tempo bisogna ritornare le cose a gli loro primi principii. Il che spetialmente ne le riforme fecero tutti quei santi, che dopo la corrutione de' costumi volsero ridurre et mantenere la perfetione della vita christiana, et non potendo farlo nell'universale di tutti gli
335 huomini, si restrinsero nei monasteri, | et questi ancora allargandosi di tempo in tempo poi secondo nuovi bisogni sono nate nuove riforme, nuove congregationi, nuovi instituti, nuovi in quanto sono difformi da la vita comune, ma antichi in quanto sono i medesimi o più simili agl'instituti della primitiva chiesa. Una terza opinione è di coloro, che mettendosi di mezzo all'una et all'altra delle suddette, propongono la publicatione d'un solo decreto universale, che comandi di nuovo osservare i canoni antichi, per dar loro o più tosto per restituire la forza con questa nuova legge.

Io per certo sono rimasto fra queste opinioni lungamente in dubio. Non già per cagione di questa terza, perchè essendo i canoni diversificati in varii tempi, et havendo molte cose nell'età nostra bisogno di nuova et special consideratione, non veggo, come o quanto ella
336 potesse giovare. Ma sì bene restavo sospeso per cagione dell'altre | due opinioni contrarie l'una all'altra; et benchè più volte io sia stato di parere che un buono et valoroso pontefice, il quale osservasse i decreti antichi et con gli esempi della vita facesse chiara dimostrazione d'un zelo di far da vero, non potesse essere se non grandemente lodato, et in una tale opinione mi confermassi, considerando che la nuova persona del principe potrebbe fare supplire a quel più di vigore, che hanno le nuove leggi; nondimeno non ho mai giudicato, che del tutto si possa riprender colui, che voglia in ogni modo far nuove leggi, perchè lasciando che esse nuove leggi, secondo che è stato detto, habbiano qualche ragione per loro, non sono

[a] *Videtur legendum* si.

sempre soperchie, anzi spesse volte portano notabile giovamento o con espressione maggiore
o con particolar rimedio contra la sinistra interpretatione et contra le cautele, che dopo le
leggi sono state introdotte da la malvagità degli | huomini, nè sono sempre cagione di male, 337
se non forse di quello, che altri vuol fare senza alcuna lor colpa; più tosto danno occasione
a qualche bene, perchè se più non s'osservano se non effimere, se cominciano e finiscono con
la publicatione, se l'intentione è solamente di vedere modelli e non fabbriche, di far rumore
e non fatti, d'acconciare parole et non costumi: se con tutta l'intenzione buona esse sono
malamente fondate, imprudentemente et fuori di tempo cominciate, senza apparecchio, senza
forza, senza arte di murare non che d'architettura, senza sapere, quanta et quale habbia ad
essere la fabbrica; il fare tante volte non bene, il far tante volte da scherzo potrà essere
facilmente cagione di far una volta da vero et di constringere a ciò coloro, che ne hanno la
cura, vedendo la cosa ricaduta all'estremo et la debolezza d'ogni altro riparo. Dalla qual cosa
ancora | si può comprendere la somma utilità, che seguirebbe d'una intiera riforma, poichè in 338
ogni capo et in qualunque modo ella si faccia, o si cominci a fare, o si conduca a maggiore
necessità di volerla, v'è parte di bene, in quanto aiuta a far'un giorno da vero, perciocchè
dall'estrema corrotione suole naturalmente uscire il principio de la generatione, essendo neces-
sario che all'introdutione d'una forma perfetta preceda la privatione d'ogn'altra forma. È ben
vero che secondo il debole giudicio mio mi sono in fine risoluto, che il congiungere l'uno et
l'altro de' suddetti pareri potesse per avventura essere il più utile et il più sicuro partito, cioè
fermar subito et scemar la piena di tanti abusi con l'astenersi da le cose scandalose et ne
le concessioni et ne' costumi, et procurare che tali fussino li prelati nella chiesa, perciocchè
essi et il pontefice principalmente sono quelle | macchine, quelle travi necessarie in una 339
fabbrica così alta come è questa, che arriva al cielo; perchè non è possibile condur tanto
alto i sassi et gli altri cementi per la lor grandezza, se dal di sopra per una di queste travi
non si tirano; et queste travi hanno prima ad essere esaltate verso il cielo con la propria bontà
loro; et di queste è necessario far gagliarda provisione, et non pur rimediare alle cose perti-
nenti ai dogmi, nei quali la santissima inquisitione s'adopera, ma ancora alla vita di essi
prelati et di tutto l'ordine ecclesiastico, onde sono massimamente proceduti i scandali, che
hanno poi messa tanta heresia nella chiesa; perciocchè i popoli non distinguono così facilmente
fra il vero et il falso, come fra il bono et non bono; anzi da quello che in alcuni laudano circa
i costumi, argomentano la verità dei dogmi; onde il vedere, come hoggidì l'inquisizione sia
tutta volta | contra alcuni, che in apparenza monstraranno di essere assai buoni, et lasci 340
star molt'altri, che sono palesi concubinari et non vanno mai in abito ecclesiastico et non
leggono mai la scrittura et non hanno costumi di cherici, fa che le persone idiote ricevano
scandalo et si diano a credere che ciò sia una persecutione humana et senza zelo di Dio,
riputando che i buoni siano più perseguitati. *Unum facere oportet, et aliud non omittere* [1],
tanto più che hora molti vivendo licentiosamente si vantano di non studiar s. Paolo, et di
non leggere nè parlar mai de la scrittura, le quali parole in un prete io credo che siano segno
d'impietà, non che di heresia, non altrimenti et forse più che un continuato tenore di mala
vita, non volendo pur'una volta pensare a quello, che siamo obbligati a far sempre. Quanti
sono, che godono i benefici et le prelature, et non si consacrano per molti et molti anni, |
et se ne stanno senza dispenza, et se pur la ottengono, allegano cagioni o false o deboli. 341
Utinam ipsi nos iudicaremus, non utique iudicemur [2]. Et per certo: il mezzo principale di far
da vero è riformare i costumi et far sì, che questa corte riluca in ogni banda, et spetialmente
circa i peccati della carne, che troppo disconvengono a' sacerdoti et sono troppo palesi, et
circa la cupidità del guadagno, et principalmente circa il datariato et l'uso della podestà
spirituale; perciocchè con queste vie si recuperarebbe in poco tempo tanta autorità, che con
certa speranza di far profitto, o almeno senza pericolo di far peggio et di perdere affatto
la riputatione et l'autorità, la sede apostolica potrebbe operare liberamente coi principi, che
lasciassero quello, che essi ovvero per privilegii di pontefici posseggono fuori del dovere,
ovvero per usurpatione tengono contra giustizia. Appresso potrebbe sicuramente | pub- 342
blicar nuove leggi, et in quella parte che fosse necessario supplire, dichiarare et mutare ancora
i canoni antichi, et questi poi d'ogni parte stabilire sopra il suo vero et fermo fondamento,
havendo sempre la mira di levare il liscio, et non la semplice et natural bellezza della chiesa,
non il temporale nè le ricchezze o gli honori, ma la maschera de la signoria et de le ric-
chezze in tutto temporali, che partoriscono gli abusi et sono cagione che tanto numero di
persone indegne se ne innamori. Dove facendosi la chiesa vedere ne la sua purità, et dimo-

[1] Cfr. *Matth.* 23. 23.

[2] Cfr. *1 Cor.* 11, 31.

strando le ricchezze et la signoria, che tiene essere inseparabilmente congiunte con l'obbligo
delle fatiche et delle dispensationi et de la charità verso d'ognuno, et spetialmente verso de'
sudditi, non è dubbio che ogni cosa ritornerebbe al suo luogo, et si potrebbe lungamente dif-
343 fendere da le alterationi, perchè non è più certo, nè | più sicuro rimedio contra la corrutione
de le cose che il farle conoscere per tali, che non siano desiderate nè procurate da persona, che
non v'hanno qualità convenienti et proporzionate. Et chi non sà che sino al tempo de' nostri
padri infinite persone rifiutarono di esser preti et non volevano beni di chiese? Et chi è colui,
che dubiti, se i detti beni si distribuissero secondo l'obligo, che i principi si vergognerebbero
pur di toccarli, nonchè di ponere loro tante gravezze, come si vede in effetto, che si astengono
dagli spedali et dagli altri luoghi pii. Per questa via adunque si levarebbe il male et non si
torrerebbe il bene, et si verrebbe a[a] conservare nella chiesa il temporale col spirituale, et l'officio
con la riputatione, et le facultà con la dispensatione, per la quale dispensatione furono le ric-
chezze accettate fin dal tempo degli apostoli, secondo che altrove è stato detto. Anzi un tanto
344 bene tanto più facilmente | si potrà far ne la chiesa, quanto che questa santa sede oltre la pode-
stà ecclesiastica haverà maggior forza di ribattere e di reprimer la troppa malitia et la potentia
di altrui, et di farsi stimare da coloro ancora, che rivolte le spalle a Dio et alla religione,
non stimano altro che il bene loro particolare et l'interesse degli stati, dove in contrario lo
spogliarsi affatto del temporale, sarebbe apunto come il chiuder gli occhi et il turar l'orecchie,
et come un separar l'anima dal corpo, per non haver occasione di peccare. È ben vero che
tornerebbe a grand'utile della chiesa, et a gran servitio di Dio, che i pontefici havessero fisse
nell'animo le parole d'Innocentio terzo nel sermone di s. Silvestro[1], dove dice che come
i papi sogliono portare et mitra et regno, quella per la superiorità spirituale, questo per la
345 signoria temporale, così devono attendere all'una et all'altra, | ma principalmente allo spi-
rituale, secondo che più volte usano di portare la mitra che il regno. Et per certo il princi-
pale officio del pontefice massimo è di dar buon'esempio, et di mostrar la verità de' dogmi,
di attendere con diligenza alla osservanza della religione et de le traditioni antiche, di leggere
le scritture sacre et di queste pascersi, queste convertire in nutrimento dell'anima, di queste
farne sangue et diffonderlo poi per tutto il corpo de la chiesa catholica et nutrirla; conoscere
diligentemente l'autorità di questa santa sede, saper tutto quello che si fa in tutti i regni,
quanto a le cose che appartengono a la religione et la qualità de' prelati ed il loro governo
et le pragmatiche et i concordati et i privilegii de principi et l'uso loro. dopo le quali cose
conviene ancora al medesimo pontefice et sempre gli converrà considerare la quantità et la |
346 qualità dell'entrate, de le spese ordinarie et straordinarie di questa republica, et di ciò
che abondano le sue provincie, et dove lo mandano, et di quello che hanno bisogno, et donde
lo traggono, et le fortezze et li passi et la natura de' vassalli et i loro humori et parzialità,
et far che si tenga bona cura di tutte le scritture et de' fondamenti di questi stati, che essa pos-
siede, et di quelli, sopra i quali ha ragione, et degli oblighi et convenzioni, che con essa
hanno gli altri signori, et esaminare tutta la potentia sua con la potentia et i movimenti di
tutti gli altri signori, et del continovo quanto all'una et all'altra parte, sì dello spirituale come
del temporale, mettersi dinanzi agli occhi lo stato presente et paragonarlo con quello, che
harebbe da essere, et sintanto che s'arrivi alla perfezione, indrizar'a tal segno tutte le leggi et
347 tutti gli ordini in modo, che racconcino et difendano la republica da le | alterazioni, o
almeno vi mettano in mezzo tempo e difficultà di alterarsi.

La seconda consideratione, che è circa i magistrati, ha molta difficultà, secondo
che è stato detto di sopra; tuttavia non sarebbe tolta ad un veramente buono et valoroso
pontefice la via di farsi ubbidire procurando, premiando i buoni, et castigando i non buoni
ministri, sopra tutto cercando di nutrire o di allevare molti, che fossero poi atti ad essere
preti, il che in gran parte fa in più luoghi la nuova Compagnia del Jesù, veramente da Jesù
instituita a questi tempi, et costoro quando fussero aiutati, provveduto a bisogni loro, fatti
molti collegi in diverse parti del mondo, si guadagnerà gran numero di buoni giovani et si
ammaestrariano in costumi et dottrina conforme all'obbligo ecclesiastico. Di più converrebbe
et con honori et con alcune commodità d'invitare con ogni studio molti huomini valorosi a
348 servitio de la | sede apostolica, acciochè ogni ordine posto non cada con la morte d'un
buon principe, ma più tosto fuori di questo numero di buoni dopo un buon principe ne
succedano molti et si venga al desiderato fine, tanto più che in questa republica si può haver
maggior numero d'huomini di buono et grande spirito, che altrove, essendo suoi cittadini

[a] Cod. e

[1] *Migne* 217, 481 sq.

tutti quelli, che essa vuole, dovunque nati, et in qualunque stato si siano; et non pure può havere un gran numero in Roma, ma di vantaggio può farsi in ogni paese parziali tutti i buoni, perchè se le cose si distribuiscono con un poco più di riguardo, come si legge che faceva Martino quinto [1], benchè la podestà sia ristretta et ribellate molte provincie, resta però ancora tanto, che la chiesa harrebbe abbondantemente il modo di sollevare et di rimunerare i virtuosi et di mantenere molto numero al suo servitio. Et fratanto, chi ha qualche autorità, doveria forse, se non coi fatti, | almeno con le parole consolare i buoni et intertenergli che non cadessero nella pericolosa tentazione di dire: *Ergo sine causa iustificavi cor meum* [2]. 349 Finalmente sicome non le mancarebbe la facoltà di premiare, così ancora non mancarebbe ancora la podestà di punire con tutti i disordini sopradetti, quando i papi volessero pigliar prudentemente la via di farlo, perciochè dai prelati stessi nascono le disubidientie, et se contra questi procedesse il papa, se conferendo essi i beneficii, che non devono, o quando non devono, se facendo cosa contra l'unità della chiesa et contra l'ubbidienzia debita alla sede apostolica, gli sospendesse o gli privasse della podestà di conferire, *si eo ipso caderent iure suo*, forse che se ne asterriano più che non fanno. Et se servendosi della autorità secolare contra la ecclesiastica, se concedendo quello, che non conviene, se fornicando *cum principibus terrae* [3], | fossero citati a Roma, se si procedesse contra di loro, se almeno si mostrasse di tenerne conto, 350 et se senza tanti nuovi ordini et leggi, senza tanto negotiar sopra questo coi principi laici, s'indrizzasse il negotio contra di loro, sarebbe forse la sede apostolica più temuta e più riverita. I laici, quando non possano procedere contra un'ecclesiastico, si voltano ai fratelli, ai padri loro, et fanno di modo, che ottengono l'intento loro, et la chiesa, [che] lo potrebbe fare di giustizia contra essi preti, non lo fa, et quel ch'è peggio, non ci pensa, et molte volte premia costoro istessi, che l'hanno sprezzata et offesa; il che sicome per la perfetione de la dottrina christiana noi devemo fare volontieri, per quanto tocca al dispreggio et all'offesa nostra particolare, così per quanto tocca all'autorità del grado, ci disconviene, essendo tenuti di conservare questa autorità per servitio di Dio, il quale si rappresenta. Tutta volta questo risentimento | si ha da fare senza scandalo con destrezza et con prudenza 351 insieme, havendo l'occhio a quello, che disse Basilio Magno et alle parabole a proposito delle riforme sopra allegate [4].

E questo basti circa la riforma in generale. Ora quanto a la particolare dimanda vostra circa il d a t a r i a t o et circa gli articoli proposti da Nostro Signore de Simonia [5], io vi dirò brevemente quel che n'intendo. Il dubio è, se lecitamente si può pigliar dinari per concessioni di gratie spirituali. Et a molti par ragionevole, che gratie tali si dovessero ovvero liberamente donare, quando, come, da chi conviene, o non concederle; et a coloro, che contra questo difendono l'uso de la corte, rispondono, dicendo non essere sufficiente ragione quella, che essi allegano, cioè esser lecito pigliar dinari, perchè si dispensi cosa illecita *de iure positivo*, non restando per questo che la podestà del dispensare non habbia | *de iure divino* la 352 prohibitione della mercede, et non si disputando de la podestà, ma del modo di usarla, cioè o senza pregio e con mercede, aggiungono poi, che quando alcune cose si potessero pur sottilmente iscusare et ricoprire, non si ricopre nè si scusa lo scandalo, che ne segue, essendo che molti non possono intender bene, come quello, che prima non era lecito, per dinari diventi lecito, et come coloro, i quali per ogni via cercano et impetrano beneficii et altre gratie spirituali, aggiungendo questa nuova colpa agli altri loro difetti, sminuiscano il loro peccato, o anzi in luogo di essere puniti, ne siano di vantaggio gratificati et beneficati. Se si diffende sotto nome di pene pecuniarie, si desidera che si distribuissero in uso tale, che ne levassero lo scandalo et la suspitione de l'avaritia. Se si diffende sotto nome di gravezza posta sopra i beni ecclesiastici, ne la distribuzione de' quali il papa ha suprema | autorità, 353 si desidera, che vi si usasse maggior diligenza circa lo esame et l'approbatione delle persone, non tollerando et non admettendo così ciecamente ogn'uno alli gradi et agli officii spirituali, conciosiacosachè i beneficii, cioè i beni temporali dedicati a Dio, siano come un corpo, che habbia lo spirituale per anima, et mentre restano uniti, di necessità il congiunto seguita la natura del principale.

Onde non pare che di ragione meriti luogo quell'altra distinzione, che si pretende, dicendo, che tutto quello, che si paga, dassi per conto del temporale et di beni uniti alla chiesa, se non fosse in caso, che si tratti solamente dei beni, in quanto beni, come ne le de-

[1] Ita *Platina*, in Vita Martini V, Rerum Italicarum SS. III 2, 312.
[2] *Ps.* 72, 13.
[3] Cfr. *Is.* 14, 9.
[4] Vide p. 385 adn. 3 et l. 45 sqq.
[5] Cfr. supra p. 330 l. 17 sqq.

cime et simili gravezze, per le quali, nè con le quali non si concede alcuna grazia spirituale, o come ne le assegnationi delle pensioni; benchè circa queste ancora si deverebbe usare molta |
354 discrezione, non essendo altro che elemosine perpetue; finalmente come in tutte le sorti di contratti fatti di questi beni ecclesiastici, dopo che sono già disuniti et separati dal culto divino, perchè in simil caso non è dubbio, che tornando essi ne la loro natura, come un corpo morto alla terra, si possono vendere, permutare et farne ogni contratto, purchè questa disunione si faccia legittimamente et con volontà di coloro, che ne hanno la podestà, la quale conditione si richiede non pur'in questo, ma in ogni gravezza, che si ponga sopra i beni sagri, ne la medesima maniera, che non pur l'uccidere, ma il castigar persona non conviene se non a colui solo, che ne ha la podestà, anzi altrimenti facendosi ne nasce, come già si è detto, molto disordine et molto scandalo, sì per la natura delle cose, et sì per la prohibitione di
355 Dio et de'sacri canoni. Non dico però io, che l'uso della | corte sia simonia, perchè a me non appartiene di giudicarlo. Dico solamente che almeno la ragione dello scandalo doverebbe essere posta in molta consideratione. *Non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem*, disse l'Apostolo[1]; et senza dubbio questa oppositione di simonia è il maggiore scandalo, che sia nella corte, et il più difficile a torre, per essere congiunto con troppo interesse et di chi solo ci potrebbe rimediare, et di molte altre particolari persone, anzi di tutti gli officiali della corte. Al quale proposito conviene per certo dolersi, che tanto più facilmente un principe non buono sforzi i successori a non poter'essere buoni, che un principe buono possa obbligare i successori al dovere, et che in questo ancora avvenga come nelle vie, che una pioggia basta per disconciar tanto, quanto molti dì sereni appena
356 possono rasciugare. | Sono gli emolumenti, de' quali si parla, stati già molt'anni venduti et distribuiti in varii ufficii, talmente che senza spogliar coloro, che *bona fide* hanno contratto con la sede apostolica, o senza un'infinito tesoro per rimborsarli, non si può intieramente rimediare agli disordini, che ci sono. Et di questo credo che debba essere lo studio principale, acciochè *non faciamus malum, ut eveniat bonum*[2]. Bisogna dunque non solo determinare, che una cosa sia buona o nò, da far'o no, ma come si possa et si debba fare, et come si possano levare le difficoltà, che ci sono, et conoscere quelle, che non ci sono, o almeno che non spettano a noi, et al nostro obligo, qual'è quella de' successori, cioè che essi non distrugano subito tutto quello, che il precessore havesse ben fatto; perchè nessuna persona è tenuta
357 *praestare factum alienum*. Anzi un christiano non deve | perciò restare di fare il debito suo, nè diffidarsi di Jesù Christo, che sempre vive, et sarà con la chiesa *usque ad consummationem saeculi*[3]. Gli conviene però in tutte le cose et inspetie circa quelli emolumenti delle gratie spirituali adoperarsi prudentemente, per difficultare la tristitia di altrui destramente, per non rompere, et giustamente, per non torre quel di altri; et considerando bene quelli, che sono giusti et honesti, poi quelli, i quali, benchè del tutto honesti non siano, non dimeno i compratori hanno *bona fide* sopra di loro contratto per espressa concessione de la sede apostolica; ultimamente quelli, che la malitia et la rapacità degli officiali stessi et l'abuso ha introdotto, perchè questa terza sorte di frutti si potrà giustamente porre, et la prima concedere,
358 et circa la seconda prendere una via di mezzo senza scandalo publico, et senza | danno degl'interessati Il che forse si farebbe, se ogni volta, che vacasse un'officio, s'incorporasse nel collegio degli altri, et quella parte, che toccava a colui, che si morì, si defalcasse a proportione. Come per esempio[4]: Li protonotari apostolici sono sette. Mancandone uno, minuisce la settima della tassa, che spettava alli protonotari, et così la centesima negli scrittori, che cento sono. Ma se pure altri vuole in ogni modo torre in un tratto tutti questi abusi, crederei che fosse bene ritrovare, quanto fruttariano legittimamente gli officii senza concessioni di cose illecite, et fare una bolla, che tutti quelli che vacassero sino ad un tal numero determinato, non si vendessero, ma s'incorporassero nel collegio, et così ne restesse quel numero solo, che potesse poi havere conveniente utile di cose lecite et honeste, et questa provvi-
359 sione forse potrebbe durare anco nelli | pontificati a vanire, perchè gli officiali ex causa *onerosa* haveriano atione contra gli officii vacati, et un papa successore di ragione non potrebbe privarli.

Ma ciò ricercherebbe un particolare discorso. Basti a noi dire in somma che circa il modo di fare è la principale difficultà, et che ci vuole molta prudentia, et che l'humana forza non basta, ma che bisogna ricorrere a Dio, che per sua benignità ci voglia con-

[1] 1 *Cor.* 8, 13.
[2] Cfr. *Rom.* 3, 8.
[3] *Matth.* 28, 20.
[4] Commendonus ipse erat protonotarius. *Denge*. l. c., p. XXVII. De venalitate officiorum in curia Romana cfr. *W. v. Hofmann*, Forschungen I 162 sqq.

cedere una tanta gratia, et massimamente a' tempi di così grande heresia et dire col salmista *Exurge Deus, iudica causam tuam*[1], *tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam*[2], *incenderunt igni sanctuarium tuum, dixerunt, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*[3]: *memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die*[4]: *memor esto congregationis tuae, quam possedisti ab initio*[5]; attendendo tuttavia a riformar noi stessi, | et per quanto 360 potemo, coloro ancora, che ci sono soggetti, *expectando Dominum, et interim viriliter agendo*[6], sì che non mai manchi per nostra colpa, et con quiete di animo sì fattamente, che quando piaccia a sua Divina Maestà di farci un tanto dono, gliene rendiamo humilmente gratie; quando che non, s'acquietamo nella providentia eterna con ferma fede, che ancora non ne sia venuta l'hora determinata, perchè se i difetti non hanno condotta la chiesa nell'infermità presente se non in processo di tempo, tanto meno si può sperare, che essa per diligentia, che si usi, possa in un subito ritornare alla sanità di prima.

67.

Conradus Brunus: Resolutio quaestionis, an Germania ab haeresibus et sectis, quibus hoc tempore misere infestatur ac proscinditur, ratione aliqua et consilio, et quibus, liberari et ad unitatem catholicae ecclesiae reduci possit[7].

[1559]

Monachii Arch. status *Staatsverwaltung 2735* [*antea Religionsakten des Römischen Reichs tom. VII*] f. 66^r-154^r, cop. coaeva. Cfr. *F. Riess*, Der selige Petrus Canisius (Freiburg 1865) 266 sqq.

I. Sex argumenta pro responsione negativa. II. Quae pro affirmativa faciunt argumenta. III. Remedia contra haereses olim adhibita nihil profecisse. IV. Tres esse haeresum causas: 1) abusus et negligentiam ecclesiasticae potestatis: 2) abusus et negligentiam saecularium potestatum; 3) disciplinam ecclesiae labefactatam. V. Remedia, quibus haeresum morbus a corpore ecclesiae repelli potest.

Religionsakten VII f. 67^r

Consideranti mihi, in quantis periculis Germania iam multos annos propter varias in ea grassantes haereses et sectas versata sit et adhuc versetur, in mentem venit, quod a multis hoc tempore dubitatur, an aliqua ratione et consilio fieri possit, ut inclita haec natio a teterrimo hoc haeresum morbo liberari possit? Ac multos quidem in ea sententia esse scio nulla ratione fieri posse, ut huius temporis haereses et sectae in Germania extinguantur, sed quibus argumentis hanc sententiam suam confirment, a nemine hactenus accepi.

[1] *Ps.* 73, 22.
[2] *Ps.* 118, 126.
[3] *Is.* 73, 7 sq.
[4] *Ps.* 73, 22.
[5] *Ps.* 73, 2.
[6] Cfr. *Ps.* 26, 14.
[7] Conradus Brunus iurisconsultus (1491-1563), intrepidus catholicae ecclesiae in Germania defensor; ab a. 1555 ad a. 1559 cancellarius cardinalis Augustani (cfr. *N. Paulus*, D. Conrad Braun. Ein katholischer Rechtsgelehrter des 16. Jahrhunderts: Hist. Jahrbuch 14 [1893] 517-548) hunc librum in dieta Augustana a. 1559 conscriptum anno sequenti Io. Iacobo Fuggero Augustano, fratri Udalrici F., transmisit, una cum litteris ad eundem.

Multa, quae auctor de utraque potestate, ecclesiastica et saeculari, necnon de remediis contra calamitates Germaniae exponit, in aliis libris tum impressis tum manuscriptis antea iam dixerat, ut in sex libris de seditionibus (Moguntiae 1550; etiam in collectione: Tractatus universi iuris XI 1, 98-144), in libro de auctoritate et potestate ecclesiae catholicae (Dilingae 1559), quae pars est maioris illius operis « de politia ecclesiastica », cuius mentionem facit Brunus, denique in sex libris de haereticis (Moguntiae 1549; etiam Tractatus universi iuris XI 2, 271-332), quos saepius ad illustrandum hunc nostrum libellum adhibuimus. Cuius partes IV et V latius agunt de iisdem fere materiis, quas Brunus in tractatu suo « Consultatio reformationis » (Arch. Vat. *Bibl. Pio 194* f. 137^r-172^v) iam antea exposuerat, forsan a. 1548; ait enim f. 156^r: *De reformatione generali i. e. correctione abusuum circa potestatem et disciplinam ecclesiae in capitibus et membris utriusque status ecclesiastici et saecularis in politia nostra Deo dante alias a nobis plenius* t r a c t a b i t u r. Eodem autem anno 1548 (26. Iunii) ad card. Farnesium scripsit librum de politia coeptum quidem, sed non confectum esse (*Paulus* l. c. 537).

Nos, ut librum satis prolixum, proprietatibus tamen quibusdam non carentem collectioni adiungere possimus, in parte IV ea omnia, quae de officiis utriusque potestatis et de disciplina ecclesiastica exposuit, ut ad sententiam Bruni de reformatione ecclesiae illustrandam minime necessaria, praetermisimus, brevitatis causa etiam allegationes praesertim ex iure canonico, quas auctor in margine codicis adiunxit, relicientes lectorem ad commentaria nostra. Quoad ipsas allegationes adnotentur, quae Brunus f. 153^r Fuggero scripsit:

Reperi in relegendo quaedam, in quibus propter brevitatem temporis recurrere ad autores alligatos non licuit, quae quoniam mendose scripta sunt, ex auctoribus ipsis emendanda erunt, ut margine notari curavi, sed et allegationes quaedam in margine omissas notavi, quas tamen adnotatas esse oportet. Postremo nullum huius scripti correctum exemplar habeo, ac provide oro, ut hoc exemplar a me utcunque correctum, postquam transcriptum fuerit, ad me remittatur, denuo per me relegendum et in his quae desunt redintegrandum. Datum ut in literis.

Ego igitur gravem hanc et in primis arduam et difficilem quaestionem maturiore consilio examinandam et discutiendam suscepi, in qua re memor eius, quod alibi iureconsultus dicit: votando et disputando veritas facilius invenitur, scholastico quodam more primum argumenta quaedam formabo, quibus eorum sententia confirmari videtur, qui dicunt haereses huius temporis in Germania extingui non posse; deinde contrariam sententiam defendendam suscipiam ac prioris sententiae argumenta confutabo; tertio remedia inquiram, quibus praesentis temporis haeresum et sectarum morbum a corpore Germaniae depelli posse confido.

I.

[Sex argumenta pro responsione negativa].

Argumenta, quibus pars negativa propositae quaestionis, id est eorum sententia, qui haereses huius temporis in Germania extingui non posse existimant, probari videtur,
67v numero sunt sex. | Inter quae primum a gravitate morbi, qui est haeresis, sumitur. Nam cum duo sint morborum genera, quorum altero animus, altero corpus afficitur, graviores semper sunt animi quam corporis morbi, et tanto quidem graviores, quanto corpore praestantior est anima. Porro inter animae morbos gravissimus est error, quippe quo anima lumine veritatis destituitur et quasi obcaecatur. Rursus inter errores periculosissimus est haeresis, quia per haeresim anima nostra [non] solum verae et catholicae fidei veritatis lumine privatur, sed etiam a corpore Christi, quod est ecclesia, abscinditur, ut iam, qui hoc morbo efficitur, nec membrorum eius sit, nec Spiritum vitae membra ecclesiae vegetantem habere possit, propter quod et haeretici suo ipsorum iudicio damnati vitam aeternam amittunt. Quemadmodum autem inter morbos corporis periculosiores et plerumque etiam insanabiles sunt, qui venis corporis infusi veneno suo totam sanguinis massam corrumpunt, qualis est epidimia, cancer et eiusdem generis alii morbi similes, quorum venenum, ubi in corpore fixum et confirmatum fuerit, haud facile medicinam recipiunt ac tanto etiam minus curari possunt, ita et eadem ratione haeresis periculosissimus animi morbus est, qui et ipse plerumque incurabilis est, quia non secus atque cancer, ubi in tempore occursum non fuerit, totum hominem, quem invaserit, omniaque eius membra ita afficit, ut omnem vitae spiritum amittant nec medicinam
68r aliquam autremedium recipiant. Quod multa olim circumcellio|num et Donatistarum in Africa et nostro tempore Anabaptistarum in Germania exempla demonstrant, qui mortem prius oppetere quam semel conceptum errorem relinquere maluerunt. Addo, quod et propter contagionem morbi tam corporis quam animi incurabiliores redduntur. Ita videmus pestem de corpore in corpus, de domo in domum, de domo in viciniam, de vicinia in civitatem, de una civitate in aliam, de civitatibus in tota regna migrantem, totas universitates ita corrumpere, inficere et consumere, ut non nisi post multam hominum stragem extingui possit.

Simili quoque ratione haeresis propter contagionem cum maxima difficultate extinguitur, etsi multitudinem, communitates, ducatus et tota regna invaserit, non facile ratione aliqua aut consilio extingui poterit, quia, corrupta per haeresim multitudine, aut pauci aut nulli [sani] reperiuntur, tamen multitudo ipsa iam corrupta omnem medicinam respuens a morbo liberari detrectat. Sic Ariana haeresis, postquam per contagionem primum totum orientem occupavit, deinde occidentales etiam ecclesias aliquot invasit, ita per universum fere orbem confirmata fuit, ut non solum ipsa multo tempore et per aliquot saecula extingui non potuerit, sed alias etiam haereses pepererit, quae et ipsae, etsi in conciliis oecumenicis cum autoribus suis damnatae fuerint, tamen multo etiam post tempore extirpari non potuerunt, sed saepe quasi redivivae redierunt. Iam igitur haereses et sectas, quae hoc tempore in Ger-
68v ma|nia grassantur, considerantes, videmus eas non unum hominem, non unam domum, non unam viciniam, non unam civitatem, non unum ducatum, sed universum prope imperium per contagionem occupare, ut iam vel pauci vel nulli in Germania sint, qui tanto malo mederi velint, aut si sint, tam atrocem et tam multos corripientem morbum aggredi et eidem manus adhiberi non audent, et si forte adhibeant, a corrupta multitudine medicinam aspernante repellantur.

Quod argumentum Boëmorum exemplo confirmari videtur. Nam et in Boëmia, Hussitica haeresis ubi totum regnum per contagionem invasit, in regno ipso inventi non sunt, qui morbo multitudinem ipsam occupanti remedium aliquod adhibere voluerint aut potuerint, quin potius multorum caede in regno facta omnes, qui adversari multitudini videbantur, per vim repulsi sunt, sed nec ulla universalis concilii autoritate, decreto et mandatis effici potuit, ut errorem, quem semel conceperant, relinquere vellent; propter quod et regnum Boëmicum

pro magna parte Hussitico errore infectum et corruptum esse cognoscitur [1]. Adeo haeresis illa corrupta per contagionem multitudine non solum extirpari non potuit, sed [a] etiam Luthero et eius assectis hinc et Hussiticam haeresim in Germaniam introducendi et alios insuper novas fingendi et ante multa saecula sopitas haereses resuscitandi occasio data sit.

Alterum argumentum a multitudine sectarum et earum conspiratione, | 69r consensu et potentia sumitur. Nam etsi sectae huius temporis inter se sint discordes, tamen in hoc conspiratione quadam concordant, ut uno consensu omnes et singuli catholicam ecclesiam extinctam esse velint. Huiusmodi igitur sectae cum simul coniunctae fortiores sint, et maioribus viribus et potentia quam pars catholicorum praeditae, nulla ratione fieri posse videtur, ut pars potentior ab infirmiore parte superetur et ad unitatem catholicae ecclesiae reducatur. Consensus earum et adversus catholica [b] concordia omnibus manifesta est. De potentia earum paulo post dicemus.

Tertium argumentum a depravatione divinarum scripturarum et eorum, quae sacra concilia et sancti patres scripserunt et decreverunt, et ecclesiasticarum censurarum et civilium poenarum contemptu et violenta conculcatione earumdem sumitur. Cum enim duo sint media, quibus haeretici ab erroribus suis revocantur, verbum Dei et scripturarum divinarum et sanctorum patrum autoritas, et iustae poenae per ecclesiasticam et saecularem potestatem irrogatio, neutro istorum mediorum convincentur nostri temporis haeretici. Etsi enim religionis et fidei causam per solas divinas scripturas tractandam et diffiniendam esse contendant, tamen, ne per scripturas convicti videantur et autoritate scripturarum errores suos relinquere cogantur, scripturas ipsas divinas partim depravant et corrumpunt, aliis quidem im|missis, quae in scriptura non continentur, aliis vero ex scriptura reiectis, quae in 69v ipsa continentur, partim scripturas, quas et ipsi recipiunt, falso et ad proprium et a veritate alienum sensum interpretantur, ut tum, cum per scripturas convicti sunt, depravatis suis scripturis et verarum scripturarum falsis interpretationibus innitentes, minime tamen se convictos esse fateantur. Sanctorum patrum scripta velut humana commenta vel respuunt vel in sensu falso et a patrum sententia alieno contra catholicos retorquent [2], quin etiam eorundem patrum scripta falsis et calumniosis interpretationibus et de una lingua in aliam translationibus depravant et corrumpunt, ut iam non habeat apud eos locum vera vel scripturarum interpretatio vel ulla sacrorum conciliorum et sanctorum patrum autoritas. Quo factum est, ut haeretici aut numquam aut raro scripturarum et sanctorum patrum autoritate ab erroribus suis ad confessionem catholicae veritatis reduci potuerint. Propter quod et hoc tempore medium per scripturas et sanctorum patrum scripta et decreta convincendi haereticos frustra hactenus tentatum est et deinceps tentatum iri videtur.

Magna quoque apud veteres haereticos ab erroribus suis revocandi et ad unitatem catholicam reducendi ratio fuit, ut, qui per scripturas divinas et sanctorum patrum totiusque adeo | ecclesiae autoritate convinci non possent, ii ecclesiasticarum et civilium poenarum inflictione coercerentur, ad quem sane modum haeretici primum in conciliis ecclesiasticis anathemate percussi et maledicti resipuerunt, deinde multis pecuniariis a potestatibus 70r saecularibus puniti ad unitatem catholicam reversi sunt. Etenim ad hunc modum correptis aliquibus reliqui huiusmodi exemplo perterriti, errores suos reliquerunt, et quod decepti ad agnitionem veritatis pervenissent, Deo laudes dixerunt et gratias egerunt, ut haec de deceptis a Donatistis pulchre alibi narrat et explicat Augustinus [3]. Addo, quod semper ecclesiae et sacrorum conciliorum consuetudo fuit, ut haeretici primum per sententiam ecclesiasticam condemnati poenas quoque et censuras ecclesiasticas subirent, ac deinde non resipiscentes varias etiam civiles poenas et inter has ultimum etiam supplicium sustinerent, id quod variis etiam imperatorum legibus comprobatur [4]. Sed et multa imperatorum edicta publica extant, quibus declaratur ea, quae publicis conciliorum decretis constituta fuerunt, per imperatores contra haereticos executioni fuisse mandata, cuiusmodi fuerunt atque etiam-

[a] *Phrasis constructio postularet* ut [b] *sic! Videtur legendum* catholicos

[1] Quae Bohemiae partes catholicorum, quaeque « utraquistarum » saec. XV exeunte fuerint, exponit *A. Frind*, Kirchengeschichte Böhmens IV 9 sqq.; cfr. etiam 103 sqq.

[2] Scil. ut antiquitatem doctrinarum suarum demonstrent. Cfr. *P. Polman*, L'élément historique dans la controverse religieuse du XVI. siècle (Gembloux 1932) 33 sqq. 72 sqq. 99. 224 sqq.

[3] Serm. 360, *Migne* 39, 1598.

[4] Theod. XVI 5 de haereticis (*Mommsen-Meyer* I 855 sqq.); Cod. I 5 (*Krueger* 50 sqq.); cfr. *Hinschius* Kirchenrecht IV 790 sqq.

nunc hodie Constantini Magni, Iustiniani, Martiani aliorumque catholicorum principum edicta conspiciuntur[1], quibus omnibus olim haereses repressae fuerunt. |

70v Ad hoc nostro tempore, ut aliis quoque praeteritis et retroactis temporibus hoc unum haereticorum studium fuit, ut non solum ecclesiasticas censuras abolerent, sed etiam civiles in haereticos constitutas poenas subverterent et excluderent, ecclesiasticas quidem poenas ut excommunicationem et exclusionem a communione fidelium prorsus abiicientes[2] et civiles poenas in haereticos tamquam impias et crudeles abominantes, ut de his rebus et quid citra multis iam annis acciderit, sacrilega eorum scripta demonstrant[3]. Quo factum est, ut suppressa iam utriusque potestatis haereticos puniendi autoritate unicuique non solum errores suos impune docendi et defendendi, sed etiam novos fingendi et eosdem propagandi potestas concessa sit et permissa. Ex quibus omnibus concludi videtur censurarum ecclesiasticarum et civilium poenarum irrogandarum antea per me propositum medium hoc tempore ad extirpandas haereses in Germania locum non habere.

Quartum argumentum a pluralitate falsorum dogmatum, quae sectae, vel omnes communiter vel singulae singulariter hactenus docuerunt et adhuc docent, sumitur. Epiphanius multas haereses, quasdam quidem apostolorum temporibus natas, quasdam vero
71r postea usque ad sua tempora exortas et singularum singu|las doctrinas falsas commemorat[4], idem facit Philastrius[5], idem et Augustinus[6]. Nicaenum concilium Arii haeretici unum, Constantinopolitanum primum Macedonii unum, Ephesinum Nestorii unum, Calcedonense Eutichetis et sectatoris eius Dioscori unum et alia quaedam concilia singula haereticorum singula falsa dogmata cum autoribus suis condemnarunt. Donatistae in Africa Arianam haeresim defenderunt, et ipsi quoque falsas doctrinas de ecclesia et de sacro baptismate et ita numero etiam multa falsa dogmata docuerunt. Wiclef in Anglia et Iohannes Huss in Boëmia non unum aliquem, sed multos errores tam scriptis quam voce simplici populo tradiderunt, quos sacra Synodus Constantiensis cum autoribus suis singulos condemnavit[7]. Martinus Lutherus in Germania non solum condemnatos Wiclevicos et Hussiticos errores ab Orco revocavit, sed innumeros alios etiam de novo excogitavit et nullam non partem religionis catholicae falsa doctrina sua conspurcavit, quem imitatae plurimae aliae ex falsa sua doctrina natae sectae multos quoque alios, partim cum Lutherana doctrina consentientes, partim eidem contrarios errores excogitaverunt. Lutherus falsam doctrinam de iustificatione hominis introduxit, omnia fidei tribuens et bona opera velut ad salutem inutilia reiiciens, solum |
71v credentem etiam sine operibus iustificari et solam incredulitatem peccatum esse affirmans. Idem Christi et ecclesiae suae sacramenta quaedam ut confirmationem, sacrum ordinem, extremam unctionem et matrimonium sacramenta esse negat, in sacramento poenitentiae parte[m] eius satisfactionem tollit confessionem peccatorum evangelico sacerdoti faciendam reiicit, purgatorium in quibusdam scriptis suis admittit, in quibusdam negat[8], sacerdotis officium omnibus hominibus, clericis et laicis, maribus et feminis commune facit omnesque ex aequo sacerdotes esse docet, nec ullos ordinum maiorum et minorum gradus admittit. Sunt et sectae quaedam huius temporis, quae sacerdotium evangelicum prorsus negant[9]. In sacramento eucharistiae Lutherus transsubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi negat, et post verba consecrationis substantiam panis et vini manere contendit, sub pane corpus Christi sine sanguine, sub vino sanguinem Christi sine corpore esse dicit[10]. Zwingliani

[1] Cfr. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen I 39 sqq.; *Hinschius*, Kirchenrecht III 333 sqq.

[2] Lutherus in sermone « de virtute excommunicationis » a. 1518 habito (*Luthers* Werke I 639): *Excommunicatio ecclesiastica est dumtaxat externae privatio communionis;* anno 1530 ipse in animo habebat excommunicationem quae dicitur minorem redintegrare, qua quis a sacramento arceretur (*Luthers* Werke XLVI 609 sq.). Cfr. *H. Grisar*, Luther III 157.

[3] Ex. gr. in « Assertione omnium articulorum » (1520) Lutherus opinionem defendit: *Haereticos comburi est contra voluntatem spiritus* (*Luthers* Werke VII 139 sq.). Sed animadvertendum est postea eum sententiam mutasse et a magistratibus postulasse, ut « sacramentarios » et catholicos punirent. *N. Paulus*, Protestantismus u. Toleranz (Freiburg 1904) 14 sqq. 25 sqq.; *H. Hoffmann*, Reformation u. Gewissensfreiheit (Giessen 1932) 8. 11 sqq.

[4] In « Panario » (*Migne gr.* 41, 173-42, 832), Epiphanius Salaminensis 80 haereses enumerat refutatque.

[5] Filastrius ep. Brixiensis in « Libro de haeresibus » (*Migne* 12, 1111-1302) 156 haereses enumerat. Cuius editionem principem I. Sichardus a. 1528 curaverat.

[6] Librum de haeresibus ad Quodvultdeum vide *Migne* 42, 21 sqq.

[7] Sess. XV, *Mansi* XXVII 752 sqq.; sess. XXI, *Mansi* XXVII 893 sqq.

[8] In « Resolutionibus » (1518) Lutherus ait: *Mihi certissimum est purgatorium esse* (*Luthers* Werke I 555); anno 1530 autem in libro suo « Widerruf vom Fegfeuer » id prorsus negavit (*ibid.* XXX2, 367 sqq.) Cfr. *H. Grisar*, Luther II 800 sq.

[9] Ex. gr. Thomas Münzer et sequaces eius, Anabaptistae, Schwenckfeldiani.

[10] Revera Lutherus « concomitantiam » quae dicitur corporis cum sanguine Christi sub utraque specie negavit. *H. Grisar*, Luther III 312.

post consecrationis verba panem et vinum manere et sub his verum corpus et sanguinem Christi minime contineri, sed per panem et vinum tamquam signa significari docent. Lutherus sacrificium missae velut abominabile reiicit, communionem sub utraque specie laico permittendam esse docet aliosque errores de sacramentis et in genere et in specie tradit, quos omnes hic non | est recensendi locus; ceremonias et ritus ecclesiae tam circa sacramenta quam alias res 72r sacras ab apostolis et eorum successoribus usque ad haec tempora nostra in sancta catholica ecclesia custoditas simul omnes condemnant; Lutheri sectatores sacras imagines et reliquias sanctorum ex ecclesiis reiiciunt, templa in honorem Dei, beatae virginis matris Mariae aliorumque sanctorum aedificata partim destruunt, partim ex ipsis iumentorum stabula faciunt[1], in hoc Donatistas in Africa imitantes, quos idem fecisse alibi Iustinianus imperator in constitutione sua quadam narrat atque testatur[2]. Memoriam, cultum et venerationem sanctis detrahit Lutherus, intercessionem eorum apud Christum pro hominibus in terra viventibus negat, orationem pro defunctis condemnat, iam et iurisdictionem et iudicia ecclesiae ab episcopis in laicos et magistratus saeculares transfert, causas ecclesiasticas tam civiles quam criminales saecularibus iudicibus iudicandas committit, ecclesiasticas personas ad tribunalia laicorum remittit, bonorum temporalium ecclesiae administrationem episcopis et aliis ecclesiae praelatis adimit et principibus saecularibus ea ipsa dispensanda et administranda concedit atque committit, omnia monastica Deo dedicatarum personarum vota relaxat, iisdem monachis et monachabus contra iura divina et humana matrimonium permittit, | sacerdotum coeliba- 72v tum tollit, omnibus carnalem licentiam sub praetextu libertatis evangelicae aperit, ieiunia ecclesiae tollit, esum carnium interdictis ab ecclesia temporibus permittit, sublato libero arbitrio omnia quasi de necessitate fieri contendit, denique omnem ecclesiae disciplinam confundit, ut haec et innumera alia in scriptis suis docuit Lutherus. Quem et aliae sectae in multis imitantur, in quibusdam etiam condemnant[a], ipsae quoque inter se in dogmatibus suis dissentientes, omnes autem in eo concordes, ut catholicam veritatem et communem ecclesiae consensum in doctrina fidei, sacramentorum, rituum et ceremoniarum ecclesiae subvertant et ecclesiasticorum et saecularium iudiciorum ordinem confundant, et in administratione et dispensatione bonorum ecclesiae sacerdotes et ministros ecclesiarum stipendiis suis et pauperes elemosyna defraudent, omnes Christifidelium pias fundationes aboleant et, quae Deo dedicata sunt, in profanos et saepe etiam in turpissimos usus convertant. Atque ex his iam satis, ut opinor, luculenter intelligimus hoc tempore non de una, sed de innumeris prope haeresibus extirpandis, imo de tota religione et omnibus partibus eius reformandis et ad veram et catholicam doctrinam reducendis tractari, et inter haereses anteactorum temporum et eas ipsas, quae hodie et nostris temporibus Germaniam aliaque | quaedam regna affligunt, 73r eam differentiam esse, ut facilius una aut altera haeresis praeteritorum temporum, unam religionis partem labefactans, religione ipsa in ceteris partibus totoque adeo corpore incolumi manente extingui potuerit, quam hoc nostro tempore tanta errorum multitudo religionem catholicam in omnibus eius partibus vitiantium extirpari possit; neque enim facile fieri potest, ut tot erroribus corrupta et decepta multitudo ad meliorem et saniorem doctrinam, maxime libertati carnis, quam homines semel amplexi aegre relinquunt, repugnantem reducatur.

Quintum argumentum a publicatione falsarum doctrinarum sumitur. Haereses et falsae doctrinae, ut editis haereticorum scriptis brevi tempore latissime sparguntur et in multa etiam regna diffunduntur, ita et conservatis et multiplicatis huiusmodi scriptis errores in eis contenti, quamdiu scripta ipsa illaesa permanent, nulla ratione et consilio extingui possunt. Veteres ad abolenda haereticorum scripta eo consilio utebantur, ut condemnatis a patribus conciliorum haeresibus et earum autoribus simul etiam decerneretur, non solum haereticos iusta et commerita poena plectendos, sed etiam eorum libros comburendos et eorundem usum et commercia interdicenda esse, deinde ut ad hunc modum condemnatis haeresibus et earum autoribus, tum de comburendis libris eorum per concilia factis et interpositis decretis proximum fuit, ut imperatores | catholici huiusmodi conciliorum decreta exse- 73v querentur. Ac tali quidem consilio usi sunt patres in concilio Nicaeno et imperator Constantinus cognomento Magnus. Nam Ariana haeresi et eius autore Ario condemnatis de comburendis eiusdem libris a patribus decretum factum fuit, quod et Constantinus edicto publico

a Cod. condemnant

1 Cfr. *H. Grisar*, Luther III 173 sqq., *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes III 19-20 95. 112. 114.

2 Cod. de officio praef. praetorio Africae I 27 (*Krueger* 77) de Vandalis loquitur.

et re ipsa executioni mandari curavit [1], idem in concilio C a l c e d o n e n s i observatum fuit, cuius decretum de comburendis Eutichetis et Dioscori scriptis M a r t i a n u s imperator executus est [2], et simili modo I u s t i n i a n u s imperator decreto quintae synodi parens, comburendos haereticorum in eadem synodo condemnatorum libros publico edicto mandavit eorundemque usum et commercia interdixit et in praevaricatores mandati, sicut et imperator Constantinus longe ante fecerat, publicas poenas constituit [3].

Et haec executio eo facilius per imperatores fieri potuit, quia eorum temporibus extinctis semel libris periculum non erat, ut, etiam uno aut altero exemplari alicubi conservato, per librarios brevi tempore transcribi et per multa nova exemplaria multiplicari et divulgari possent. Unde factum est, ut combustis Arii libris nulla deinceps neque librorum neque in ipsis contentae doctrinae memoria relicta fuerit, nec quisquam eiusdem haeresis fundamenta aliter quam scriptis patrum eiusdem haeresis fundamenta confutantium scire et intelligere 74r potuerit. | At nostro hoc tempore primum omnibus notum, et quanta multitudo adulterinorum librorum non solum in publicis bibliothecis et privatorum domibus, sed etiam in typographorum et bibliopolarum officinis custodiantur, et in emporiis publicis distrahantur, et passim non solum in Germania, sed etiam in aliis regnis et provinciis diffundantur [4]. Deinde considerandum est, combustis et extinctis omnium haereticorum libris est, uno aut altero uniuscuiusque haeretici scriptorum exemplari alicubi relicto, quam brevi tempore huiusmodi exemplaria per multa milia similia exemplaria per artem chalcographicam multiplicari et diffundi, et numerus combustorum librorum resarciri et restitui possit.

Atque ex his duobus tertio consequi videtur libros ab haereticis hoc tempore scriptos et depravatos nulla ratione extingui posse. Primum enim est tantus hoc tempore ecclesiasticorum decretorum et mandatorum principum et utriusque potestatis constitutarum et comminatarum poenarum contemptus, ut, quicquid de comburendis falsis et adulterinis libris decretum aut mandatum fuerit, pauci futuri sint, qui huiusmodi poenarum metu editionem, divulgationem, usum et commercia falsorum et depravatorum librorum sint vitaturi. Deinde, ut falsae monetae quotidie in toto imperio et in aliis etiam regnis excuduntur, nec earum excussores comminatione cuiuscunque quantumlibet atrocis poenae a perpetratione tanti 74v facinoris deterrentur, ita verendum est, ne | semper futuri sint vel clancularii typographi, qui falsos et depravatos libros etiam decretis publicis combustos ad formam alicubi relictorum et conservatorum exemplarium sint excussuri et per multa milia similia exemplaria multiplicaturi. Quod si fiet, quis non videt consilium, quo veteres in extinguendis falsis et depravatis haereticorum libris usi sunt, his nostris temporibus parum profuturum. Atque hoc sane argumentum omnium maxime urgere videtur, ut existimetur huius temporis haereses et sectas in Germania extingui non posse.

Atque omnia haec s e x t o a r g u m e n t o confirmari videntur, quod a p o t e n t i a s a e c u l a r i u m p r i n c i p u m et ordinum, statuum videlicet imperii, a quibus haereses et sectae in Germania defenduntur, sumitur. Ariana haeresis tunc deficere coepit, quando Constantinum Magnum vindicem habuit, tunc crevit, quando Constantium et Valentem imperatores defensores habuit, quibus utique et eorundem potentiae catholici episcopi verbo quidem et doctrina et magno in religionem catholicam zelo restiterunt, facto autem resistere non potuerunt, quin imperium praedictis imperatoribus gubernantibus omnes prope imperii populi eorum durante imperio in Ariana perfidia permanserint. Donatistae in Africa tamdiu | 75r contra catholicos praevaluerunt, quamdiu reges Vandalorum imperium in Africa obtinuerunt [5], idque non aliam ob causam, quam quod catholici episcopi eorum potentiae resistere non potuerunt, interim per eos in exilium acti et variis suppliciorum generibus afflicti. Sic et nostro isto calamitosissimo tempore verendum est, ne propter potentiam principum et statuum saecularium in Germania haereses et sectae, quarum acerrimi defensores sunt, extingui non possint, quia et eorum potentiae, quantumlibet catholici verbo et doctrina resistunt, tamen aequis viribus resistere non possunt.

Accedit, quod mandata imperatorum et regum catholicorum nec ullas contra haereticos a praedecessoribus suis latas leges hactenus curarunt, sed sine earundem metu, invitis etiam

[1] Locum ex *Socrate*, Hist. eccl. I 9 (= Hist. tripartita II 15) desumptum vide *Mansi* II 919 sq.

[2] Edicta Valentiniani et Marciani imperatorum de observatione decretorum synodi Chalcedonensis vide *Mansi* VII 475 sqq.; praesertim 505 sq.

[3] Non extant Iustiniani imp. litterae, quibus concilii Constantinopolitani II acta confirmet, *Hefele* II 903; in mente habet auctor forsan constitutionem contra Antimum, Severum etc., quam legebat in secundo tomo conciliorum editionis Coloniensis a. 1551 p. 61 sqq.

[4] Cfr. *F. Milkau*, Handbuch der Bibliothekswissenschaft I 424 sqq. 747 sqq.; *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes II 19-20 232 sqq.

[5] De tacito inter Arianos et Donatistas consensu cfr. *H. Leclercq*, L'Afrique chrétienne II (Paris 1904) 155. 190.

imperatoribus, haereses et sectas pro viribus et potentia sua defenderunt, et procul dubio adhuc defendent, hoc tantum violentis actionibus et impressionibus suis praetexentes, quod imperatoriis mandatis et legibus tamquam verbo Dei adversantibus parere neque possint neque debeant, « oportet », inquientes, « Deo magis quam hominibus parere [1] ».

Haec fere sunt argumenta, quibus convinci videtur, haereses et sectas hoc tempore in Germania grassantes extingui non posse.

II.

[Quae pro affirmativa faciunt argumenta].

Verum his omnibus non obstantibus rationem aliquam et consilium iniri posse existimo et confido, quibus haereses et sectae huius temporis | non solum 75v in Germania, sed etiam in aliis regnis extirpari et per haereticos et sectarios decepti ad unitatem catholicae ecclesiae reduci possunt.

Ac primum quidem ex ecclesiasticis historiis, sanctorum patrum scriptis et sacrorum conciliorum actis et decretis constat omnes haereses et sectas apostolorum temporibus ac deinceps usque ad tempora Constantini Magni natas, quas Epiphanius, Philastrius, Augustinus et reliqui sancti patres commemorant et divinarum scripturarum autoritate et ecclesiae catholicae decretis confutarunt, uno quoque tempore fuisse extinctas, et ita quidem extinctas, ut, nisi, quales fuissent et quibus fundamentis innixae, in sanctorum patrum scriptis et ecclesiasticis historiis legerentur, nulla iam earum amplius memoria extaret. Sic et Constantini Magni temporibus et deinceps aliis imperatoribus Romani imperii gubernacula tenentibus natae haereses ita extinctae sunt, ut nec ipsarum aliqua vestigia hodie appareant, nisi quae in scriptis sanctorum patrum et sacrorum conciliorum actis et decretis deprehenduntur.

Ex una et eadem parva Arianae haeresis scintilla tantum incendium ortum fuit, ut eo ipso totus fere orbis conflagraverit, nec aliqua pars in Oriente reliqua fuerit, quae non Arianae haeresis labe infecta et corrupta fuerit, sed et in occidentales etiam ecclesias haec haeresis penetravit; tum longissimo | etiam tempore, a Constantini videlicet Magni (sub 75 Ar quo nata est) temporibus usque ad Iustiniani imperatoris tempora perduravit, et tamen haec haeresis, quantumvis late per orbem perevagata et diuturna fuerit, tamen ad postremum extincta fuit, ut nihil iam eius reliquum sit, nisi quod in sanctorum patrum scriptis aliqua eius memoria retinetur. Atque utinam non nostris etiam temporibus per haereticos et sectas, ut quosdam tentasse atque etiam nunc tentare accepimus, fu[er]it, ut aliae quoque ante multa tempora condemnatae haereses denuo ex veterum patrum scriptorum reliquiis revocentur.

Donatistarum haeresis universam Africam occupavit, et annos centum et quinque omnes Africae provincias et in ea commorantes catholicos miserrime afflixit, et tamen post tantum tempus Iustiniani imperatoris consilio et auxilio, et brevi quidem tempore, quippe intra semestre tempus, armis per Bellisarium recuperata Africa et ditioni Romanae subiecta, extincta fuit, ut imperator Iustinianus et Procopius historicus, qui in eo bello Africano Bellisario scriba et a secretis fuit, testantur [2].

Quod si igitur tantae haereses et tam potentes defensores habentes et tam longo tempore durantes extinctae fuerunt, nihil obstare videtur nostri quoque temporis haereses et sectae, quantumlibet multae et variae et diuturnae et potentes fautores et defensores habentes, extin|gui et radicitus exstirpari possint, idque ut sperare possimus verbo et promissione Christi 75 Av innitentes, nihil prorsus dubitamus. Etenim firmiter ecclesiam suam stabilivit, ut portae inferorum, quas beatus Hieronymus haereses interpretatur [3], hactenus contra eam praevalere non potuerint, nec deinceps ad consummationem usque saeculi praevalebunt, nec fides Petri, super quam ecclesia aedificata est, eodem promittente Domino unquam deficiet [4].

Nec obstant huic sententiae meae argumenta supra pro parte contraria facta. Primum enim ex his, quae de gravitate morbi haeresis eiusque per contagionem in membra ecclesiae diffusione dicta sunt, difficilem quidem huius morbi curationem, non tamen impossibilem esse probatur. Nam etsi Ariana haeresis in Oriente et Donatistarum error in Africa totius fere christiani orbis nationes, regna et provincias occuparunt, et tamen ab his morbis, etiamsi post multa tempora, ecclesia liberata fuit, ut antea demonstratum est [5], quin

[1] Cfr. *Act.* 5, 29.
[2] Cfr *H. Leclercq*, L'Afrique chrétienne II 214 sqq.
[3] Com. in evang. Matth III 16, *Migne* 26, 122.
[4] Cfr. *Luc.* 22, 32.
[5] Cfr. supra l. 21 sqq.

ut corporum morbi saepe incurabiles videntur, qui tamen remediis salutaribus adhibitis peritorum medicorum arte curantur, ita et animorum morbi quantumlibet per incuriam aegrotantium aut negligentiam medicorum late serpserint, tamen nihil prohibet, quin expertorum medicorum cura per convenientia remedia sanari possint. Nec dubium est, quin in hoc nostro casu, si dudum ad expellendum hunc morbum haereseum ex corpore ecclesiae et membris eius in Germania apta et convenientia remedia adhibita fuissent, Germania ab hoc | 76r morbo ante multa tempora liberari, pristinae sanitati restitui et relictis falsis doctrinis ad unitatem catholicae religionis (quemadmodum et olim tota orientalis ecclesia, Africa, Gallia et Hispania) reduci potuisset.

Sed nec, quae secundo loco de multitudine sectarum et earum adversus catholicam ecclesiam conspiratione dicta sunt, evincunt haereses et sectas huius temporis aboleri non posse. Nam et Ariana haeresis, ab initio quidem simplex, processu temporis in multas sectas divisa fuit, et tamen radicitus tandem extincta fuit, ut antea satis demonstratum est [1], atque idem de multis quoque aliis haeresibus simili modo in diversas sectas partitis probare possemus, quae et ipsae inter se divisae, in hoc unitae fuerunt, ut simul coniunctae catholicam ecclesiam expugnarent, de quibus omnibus recte ab Innocentio dictum est [2], capitibus eas esse divisas, cauda autem coniunctas. Est autem hoc proprium sectis, ut inter se divisae ad expugnandam ecclesiam catholicam conspirent, at rursus certum quoque est, quod ecclesiam catholicam expugnare et evertere non possunt, ita Christo promittente ac de ecclesia sua dicente [3]: *Et portae inferorum adversus eam non praevalebunt.* Quod et Hilarius [4] confirmat, dicens haereticos fortiter quidem contra ecclesiam semper insurrexisse, catholicam 76v autem ad postremum semper victricem evasisse. | Addo haereses et sectas, quo plures sunt, eo ipso, quod inter se divisae sunt, eo facilius semper extinctas fuisse et adhuc extingui posse. Nam et in his verum est, quod Christus dicit [5]: *Regnum in se divisum desolabitur.*

Iam et quod tertio loco de depravatione divinarum scripturarum et eorum, quae sacra concilia et sancti patres scripserunt et decreverunt, adducta sunt, non probant haereses et sectas hoc tempore in Germania extingui non posse. Nam et apostolorum temporibus ac deinceps usque ad nostra haec tempora haereticorum ea consuetudo semper fuit, ut quisque errorem suum ex divinis scripturis et earundem falsis interpretationibus et depravationibus probare conaretur, de quibus loquens Augustinus [6]: *Errant,* inquit, *non servantes modum, et cum in unam partem procliviter ire coeperint, non respiciunt divinae auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab alia intentione revocari et in ea, quae ex utrisque temperata est, veritate ac moderatione consistere, quod non curantes in varios errores de trinitate, de coniugio, de virginitate, et infinitis aliis inciderunt.* Idem quoque alio loco [7]: *Multi,* inquit, *haeretici ad suam sententiam, quae est praeter fidem catholicae disciplinae, expositionem divinarum scripturarum trahere conantur.* |

77r Sed et quasdam scripturas corrumpunt haeretici, quasdam falsas immittunt, et quae adversari eorum sententiae videntur, falsatas et immissas calumniantur. Sic Marcion *et, qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes, quasdam autem, ut secundum Lucam Evangelium et epistolas Pauli, decurtantes; haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi minoraverunt,* ut Irenaeus scribit [8], et Augustinus [9], de eadem re scribens: *Neque enim,* inquit, *non omnes haeretici scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt haeretici, nisi quod eas non recte intelligentes suas falsas opiniones potius quam earum veritatem pertinaciter asserunt.* Idem contra Faustum [10] queritur, quod epistolam Pauli aliorum falsitate corruptam dixerit. Simile est quod idem alio loco lib. 2 de morib. Manichaeorum c. 14 scribit [11]: *Stultum est,* inquit, *cum haereticis de scripturis agere, cum eos libros, in quibus est magna religionis auctoritas, falsis capitibus immissis corruptos esse dicunt.* Item illud [12]: *Haeretici,* si quando ad scripturam respondere non possunt, *a corruptoribus immissa esse dicunt.*

[1] Cfr. supra p. 397 l. 21 sqq.

[2] *Innocentius III* clero, consulibus et populo Viterbiensi 1199 VIII. Kal. Aprilis (*Migne* 214, 537; cfr. etiam c. 10 *Vergentis* X de haer. V 7) scribit de haereticis: *species quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas.*

[3] *Matth.* 16, 18.

[4] De Trin. VII 4, *Migne* 10, 202.

[5] *Luc.* 11, 17.

[6] Brunus hic ut in allegationibus plurime in margine locum adnotat; quas adnotationes tamen — interdum falsas vel minus diligentes — praetermisimus, reiicientes ad editiones in his commentariis nostris adnotatas.

[7] *Augustinus*, De Genesi ad litt. imperf. liber c. 1 n. 1, *Migne* 34, 221.

[8] Adv. haer. l. III c. 12 n. 12, *Migne gr.* 7, 906.

[9] De Gen. ad litt. l. VII c. 9 n. 13, *Migne* 34, 360.

[10] Contra Faustum Manichaeum l. XI c. 2, *Migne* 42, 215.

[11] De moribus Manichaeorum l. II c. 14 n. 35, *Migne* 32, 1360 (non verbotenus).

[12] De moribus eccl. cath. l. I c. 9 n. 14, *Migne* 32, 1316.

Item illud: *Privilegium est*, inquit[1], *diabolicum haereticorum, ut quicquid est in evangelio vel in epistolis canonicis, quo adiuvari haeresim suam putent, id esse a Christo et apostolis dictum teneant atque suadeant; quicquid autem in eisdem adversus eos sonuerit, immissum* | *ab infalsatoribus* 77v
impudenti ac sacrilego ore non dubitent dicere. Eiusdem sententiae est, quod Irenaeus de haereticis scribit, dum inquit[2]: *Haeretici, [quando] ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant neque sint ex auctoritate.* Atque his sane rationibus motus Tertullianus nullum catholicis cum haereticis certamen scripturarum ineundum esse putat[3].

His et aliis similibus in depravandis et falso interpretandis divinis scripturis et sanctorum 78v
patrum scriptis et sacrorum conciliorum decretis fraudulentia, dolo et artibus ad confirmandos suos errores usi sunt haeretici, quibus etsi uno quoque tempore multum ad promovendam, augendam et conservandam impietatem profecerint, tamen his ipsis non obstantibus omni sua intentione fraudati cum omni falsa doctrina sua in nihilum redacti evanuerunt. |
Nec tamen ignoro hoc tempore divinas scripturas et sanctorum patrum scripta ita haereti- 79r
corum fraudulentia et militia depravata esse et corrupta, ut non sine gravi consilio et multo negotio per haereticos ipsos, quae depravata et corrupta sunt, restitui possint.

Iam etiam non obstant, quae de multitudine falsarum doctrinarum obiecta sunt. Neque enim, quia corpore intrinsecus infecto multa extrinsecus ulcera et pustulae erumpunt, ideo a morbo interiore corpus liberari et erumpentia vulnera et pustulae sanari non possunt, quin potius, interiore morbo et eius causis sublatis, externa ulcera et pustulae impositis ad rem pertinentibus et convenientibus malagmatibus et emplastris per sese sanabuntur et consolidabuntur. Eodem modo nunc, quia, corpore ecclesiae intrinsecus per varios abusus et neglectam ecclesiae disciplinam praelatorumque negligentiam corrupto, quaedam per occasionem huiusmodi intrinseci morbi haeresum ulcera quantumlibet multa in corpore ecclesiae eruperunt, corpus ipsum ecclesiae ab intrinseco morbo et extrinsecis haeresum ulceribus curari non possunt [!], quin potius interiori morbo et causis eius sublatis, id est correctis abusibus, utriusque ecclesiastica[e] et saecularis potestatis per diligentem administrationem officiorum, resarcita magistratuum ecclesiasticorum et saecularium negligentia et restituta ecclesiastica disciplina, omnium | haeresum ulcera, quibus ecclesiae corpus extrinse- 79v
cus scatet et hiat, impositis iustarum poenarum emplastris his per sese sanabuntur, de qua re fusius aliquanto posthac dicemus.

Sed nec quod quinto loco de publicatione adulterinorum librorum et falsarum doctrinarum per artem typographicam obiectum est, obstat, quin haeretica falsitas, utcumque per typographos divulgata et multiplicata, extingui possit. Nam etsi aptissimum instrumentum divulgandorum librorum sive bonorum sive malorum sit ars typographica, tamen ad multiplicandos libros non ita fecunda est, quin ratione aliqua et consilio fieri possit, ut foetus eius, ne oriantur, impediri, et nati suffocari aut saltem inutiles reddi nequeant. Cuiusmodi autem consiliis hoc fieri possit et debeat, posthac, cum de remediis extinguendarum haeresum agetur, latius explicabimus.

Postremo omnium maxime urgent, quae de potentia principum saecularium et eorundem haereticae falsitatis defensorum apponebantur, sed quae et ipsa necessario non evincunt, Germaniam ab haeresibus et sectis huius temporis liberari non posse. Magna quidem Constantii et Valentis imperatorum potentia fuit, qua Ariana haeresis in universum prope orbem | diffusa regnantibus ipsis conservata fuit, verum non tanta, quin ipsis tandem 80r
e medio sublatis, tota haec haeresis evanuerit et in nihilum redacta fuerit. Magna fuit potentia regum Vandalorum in Africa, Donatistarum errorem defendentium, et tamen post multos tandem annos eorum potentia fracta, tota Africa ope et auxilio Iustiniani imperatoris et brevi quidem tempore unitati catholicae restituta, et episcopi Africani in exilium acti ad suas ecclesias reducti fuerunt. Magna fuit potentia regum Hispaniae Arianae et aliarum quarundam haeresum defensorum, et tamen episcopi in regno Hispaniarum, non obstante regum potentia, catholicam religionem et doctrina catholica et bonae vitae exemplo multis celebratis conciliis ita conservarunt, ut et reges ipsi relinquentes tandem haereticorum perfidiam et falsam doctrinam ad unitatem catholicae fidei et religionis redierint. Ac proinde desperandum mihi minime videtur, quin et in Germania non obstante quorundam saecularium principum et

[1] Contra Faustum Manich. l. XXII c. 15, *Migne* 42, 408.

[2] Cfr. Adv. haer. l III c. 21 n. 3, *Migne gr.* 7, 949.

[3] Allegat Brunus hoc loco de praescript. haereticorum cc. 15-19 (*Migne* 2, 28-31), quae brevitatis causa omittimus.

communitatum potentia, haereses nunc in Germania grassantes extingui possint. Sed alia est, inquit quispiam eorum, qui recitati sunt, imperatorum et regum, et alia principum Germaniae ratio et conditio. Qui Arianam haeresim defendit Constantius imperator, unus fuit, in Africa uno tempore non plures, sed unus tantum rex fuit, similiter in Hispania guber-
80v nacula regni uno tempore unus tantum | rex obtinuit. Ut multo facilius est uno aliquo imperatore imperium et uno rege unam aliquam nationem et regnum gubernante haeresim extingui quam imperium aut regnum multis regibus gubernantibus, si quidem uno extincto spes est, ut succedat alius, qui domino in timore sit serviturus. Qua ratione factum est, ut extinctis Constantio et Valente ac succedentibus catholicis principibus Ariana haeresis extincta fuerit. Sic et profligato per Iustinianum imperatorem ex Africa uno Vandalorum rege atque alio in locum eius surrogato catholico rege[1] tota Africa a perfidia et erroribus Donatistarum liberata fuit; sic in Hispania post multos Arianos reges tandem Deo per preces episcoporum exorato supervenit rex unus catholicus[2], cuius nutu et auxilio totum Hispaniae regnum ab Ariana et Marrhanorum haeresi liberatum fuit. At in Germania non unus rex est potens, sed multi potentissimi principes, quorum potentia multo difficilius et maiore cum negotio quam unius alicuius regis frangi et superari potest, neque unius potentia extincta alterius labore labefactari videri potest, quin potius tanta est sibi succedentium varietas, ut prorsus nulla spes esse possit, omnes in unum aliquem in religione consensum coire posse, ac proinde maior difficultas erit potentiam haereses in Germania foventem et protegentem, quam si unus aliquis summam rerum in Germania teneret, exprimere, ac multo difficilius in totum extinguere. |

81r Addo quod tanta est in Germania carnaliter vivendi licentia et libertas, quam decepti ab haereticis amplexi sunt, ut etiam, qui haereticorum et magistrorum suorum neque doctrinam neque vitam probant, eam vivendi licentiam et libertatem retinere quam relictis erroribus veritatem amplecti malint, et rursus tanta est eorum, qui haereses defendunt, bona ecclesiastica rapiendi cupido, ut agnitam veritatem prius impugnare quam rapta bona ecclesiastica restituere velint, tanta etiam quorumdam tyrannis, ut eorum subditi metu poenarum, quas doctrinam haereticorum spernentibus irrogare solent, ut, [etsi] maxime vellent, tamen ad unitatem ecclesiae redire, veritatem catholicam amplecti non audeant.

Verum haec etiam quantumlibet urgentia tamen non impediunt, quominus haereses huius temporis in Germania extingui possint. Primum etiam, etsi defensores haereticorum potentes et multi sint, tamen non minor est catholicorum principum et ordinum potentia et multitudo, quorum omnium et singulorum potentia et vires, si coniunctae fuerint, atque his ipsis imperatoris quoque aliorumque catholicorum regum potentia accesserit, tum imperator, episcopi, principes et ordines catholici in defendenda religione catholica quisque suum officium fecerit, dubium non est, quin per ipsos adversariorum potentia non solum frangi et superari, sed prorsus etiam extingui possit. Ceterum haec omnia non antea fient, quam si ecclesia Romana tamquam caput et inferiores ecclesiae in Germania tamquam
81v membra in capitibus et membris reformatae fuerint; nisi enim | hoc fiat, decepti ab haereticis occasionem non habebunt errores et haereses abnegandi et relinquendi et ad ecclesias catholicas tot abusibus et male vivendi exemplis corruptas redeundi. De qua re posthac, ubi de reformatione ecclesiae, remediis et mediis extinguendarum haeresum agetur, latius dicemus.

III.

[Remedia contra haereses olim adhibita nihil profecisse].

Priori igitur propositae quaestionis parte negativa confutata et altera affirmativa confirmata, ita ut iam intelligamus, non obstantibus argumentis pro confirmatione negativae partis adductis haereses et sectas, quibus Germania per multos annos infestata fuit et adhuc infestatur, extingui posse, superest iam, ut tertiam partem praesentis argumenti explicemus, et, quod polliciti sumus, remedia inquiramus et de ratione et consilio deliberemus, quibus haeresum morbum a corpore Germaniae et ecclesiarum Germanicarum depelli posse confidimus, quo loco animadvertendum est, in extirpandis haeresibus veteres variis consiliis usos fuisse[3].

[1] Revera Hildericus, Vandalorum rex 523-530, non erat catholicus, sed tantum catholicis favebat.

[2] Scil. Reccared, qui a. 586 catholicus est factus. Cfr. *Z. G. Villada*, Historia eccl. de España II (Madrid 1932) 59 sqq.

[3] Pro sequentibus cfr. *Brunus*, De haereticis l. III: *De remediis, quibus haereses et schismata extra iudicium sedantur et extinguuntur*, et libros eiusdem germanice scriptos, quos *Paulus* in Hist. Jahrbuch 14 (1893) 528 sq. commemorat.

Alii unicuique liberam credendi et de rebus fidei constituendi potestatem dederunt, quod Valens imperator Themistocle philosopho autore et consultore ethnico fecit, ut tripartita historia testatur[1]; alii cum haereticis certis condicionibus pacta pace controversiam | religionis inter catholicos et haereticos conciliandam esse putarunt; alii per 82r
disceptationes et certamen scripturarum et ob id inter partes controvertentes instituta colloquia huiusmodi controversias dirimendas esse existimaverunt, quod in Africa aliquoties factum est, ut Augustinus in breviculo, epistolis, plerisque aliis in locis testatur[2]; alii per poenas tam canonicas quam civiles pecuniarias et corporis afflictivas perfidiam haereticorum coercendam abolendamque esse putaverunt, de qua re multae tam sacrorum conciliorum quam catholicorum principum sanctiones proditae sunt.

His et aliis veterum remediis nostris temporibus Carolus quoque imperator huius nominis quintus adversus haereticos nostri temporis usus est. Nam et eo regnante in comitiis Spirae habitis, anno a salute reparata MDXXVI decretum factum est, ut unicuique liberum esset, quod vellet et, ut de fide sua Deo et Caesari rationem reddere vellet et posset, credendi[3]. Sed et idem imperator Carolus, pacta sub condicionibus quibusdam certis pace, concordiam inter catholicos et haereticos se conciliaturum speravit[4]. Idem inter catholicos et haereticos institutis quibusdam | colloquiis certamen scripturarum admisit, hoc etiam modo sperans 82v
se discordiam in religione sublaturum et inter utramque partem pacem compositurum[5].

His fere consiliis in discordia religionis usi sunt veteres quidam imperatores et nostris temporibus Carolus Caesar, sed quibus haereses non solum non extinctae fuerunt, sed saepe etiam incrementum sumpserunt, et, haeresibus natis ex haeresibus, multiplicatae et quam latissime diffusae et propagatae fuerunt. Primum enim libertas credendi, quod quisque vellet, omnibus a Valente imperatore concessa occasio fuit, ut Ariana haeresis in multa capita divideretur, et ex singulis aliae atque aliae haereses nascerentur. Nostris temporibus publicato comitiorum Spirensium decreto, ut quisque quod vellet credere possit, Lutherana haeresis non solum confirmata fuit, sed ex ea aliae quoque haereses subortae fuerunt; sed et eodem decreto animati prodiere Zwinglius, Ecolampadius aliique sacramentarii et pessimum genus viperarum Anabaptistae, contra quos sese opposuit Lutherus, non ut contra tales errores veritati patrocinaretur, sed ut inter sectarios solus dominari et primatum obtinere videretur.

Sed nec transactiones et pacta in causa religionis inter catholicos et haereticos conveniens remedium esse possunt, quo haereses extinguantur. | Est enim ea natura trans- 83r
actionis, ut inter partes transigentes altera alteri de iure suo aliquid remittat. At in causa religionis catholicae de veritate catholica ne iota quidem remitti debet, ut ad praefectum Valentis imperatoris dicebat Basilius Magnus[6]; alibi a nobis demonstratum est[7] impia esse pacta, quibus haereticis a catholicis principibus pax promittitur, quod, pace haereticis data, interim durante pace haereses incrementum sumant. Propter quod et legibus sancitum est, ut haereticis a catholicis principibus non solum pax non promittatur, sed nulla etiam inter catholicos commorandi facultas concedatur, et proinde, pacta cum haereticis pace, haereses non solum non extinguantur, sed durante pace in dies magis magisque corroborantur, diffunduntur atque propagantur. Quod et priscis temporibus sancti patres experti, imperatoribus haereticis pacem promittentibus omnibus modis contradixerunt, non ignorantes pacem haereticos semper postulare, sed neque fidem Deo neque hominibus pacem servare, de qua re fusius aliquando in libris nostris de haereticis scripsimus[8], et nostris etiam temporibus experti sumus, tum, cum haereticis pacem promisit imperator, non solum pacem haereticos non servasse, sed etiam ipsos de pace catholicorum securos atrocissima bella in Caesarem | et 83v

[1] Lib. VIII c. 12, *Migne* 69, 1118. Philosopho nomen erat Themistius.

[2] De colloquiis cum Donatistis a. 411 et a. 418 habitis refert Augustinus in « Breviculo collationis cum Donatistis » (*Migne* 43, 613-650) et in « Gestis cum Emerito Caesareensi Donatistarum episcopo » (*Migne* 43, 697-706); de colloquio cum Maximino Ariano a. 427 vel 428 habito agit « S. Augustini collatio cum Maximino Arianorum episcopo (*Migne* 42, 709-742). Cfr. *Brunus*, De haereticis l. III c. 12 (p. 185).

[3] Hanc dietae Spirensis conclusionem revera statibus imperii minime « ius reformandi » tribuisse demonstrant *Ianssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes III 19-20 54 sqq.

[4] De concordiis Norimbergae a. 1532 et Francoforti a. 1539 initis cfr. *Ianssen-Pastor* III 19-20 306 sqq. 465 sqq.

[5] De colloquiis Vormatiae a. 1540 et Ratisbonae a. 1541 habitis cfr. *L. Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen während der Regierung Karls V (Freiburg 1879); *L. Cardauns*, Zur Geschichte der kirchl. Union- u. Reformbestrebungen 1538-1542 (Rom 1910) 33 sqq. 141 sqq.; *Nuntiaturberichte* I. Abt. V, p. XCII sqq.; VI 5 sqq.; VII, XV sqq.; *Brunus* ipse De haereticis l. III c. 12 (p. 181) de iisdem agit.

[6] Hist. trip. l. VII c. 36, *Migne* 69, 1095.

[7] De haer. l. III c. 15 (p. 200 sqq.).

[8] De haer. l. III c. 15 (p. 202).

catholicos machinatos fuisse [1]. Addo quod non alio tempore magis in Germania creverunt haereses, quam quo haeretici securi de pace de propagandis semel natis haeresibus et excitandis novis libere deliberare potuerunt. Ante promissam eis a Caesare pacem, dum adhuc in metu essent, ne Caesar iubentibus legibus in eos sumptis armis insurgeret et poenis a legibus in haereticos constitutis eos feriret, ab initio numero pauci erant; at postquam pacem ab imperatoribus impetraverunt, brevi tempore in tantam multitudinem excreverunt, ut eorum erroribus iam tota prope Germania infecta et corrupta conspiciatur.

Disputationes et colloquia inter catholicos et haereticos ad extinguendas haereses neque apud veteres, neque nostris temporibus umquam profuerunt, praesertim quoties multitudo haeresibus corrupta fuit, quod de Africa et inter catholicos et Donatistas habitis colloquiis multis comprobat Augustinus [2], in quibus colloquiis, etsi a catholicis autoritate divinarum scripturarum convicti fuerunt Donatistae, tamen adduci non potuerunt, ut se convictos esse faterentur, et relictis erroribus suis ad unitatem ecclesiae catholicae redirent; quin potius, quo magis de erroribus suis convictos se esse intellexerunt, in eo retinendis 84r huiusmodi erroribus pertinaciores et in persequendis | catholicis crudeliores facti sunt. Sed et nostris temporibus experti sumus haereticos nulla scripturarum autoritate et sanctorum patrum testimoniis moveri potuisse, ut conceptos semel et per eos sparsos errores relinquerent et catholicam veritatem amplecterentur, quin potius finitis colloquiis de ementita per eos victoria quasi publicum triumphum peregerunt [3]. Addo quod disputationes et colloquia cum haereticis catholicis prohibita sunt, praesertim ea, in quibus haeretici scripturarum interpretationem sibi vendicant, cum interpretatio scripturarum non ad haereticos, sed ad ecclesiam et, quibus ea ab ecclesia demandantur, pertineat; sed nec scripturas omnes recipiunt haeretici, et si quas recipiunt, *adiectionibus et detractationibus ad dispositionem instituti sui intervertunt, et si recipiunt, non recipiunt integras, et si aliquatenus integras praestant, nihilominus diversas expositiones commentati convertunt*, ut alibi inquit Tertullianus [4]. Sed et periculosae sunt, quae a catholicis cum haereticis ineuntur disputationes et colloquia. *Nam*, ut idem Tertullianus ait [5], *scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo* 84v *dimittunt*. Et haec et multa alia ad eandem rem pertinentia in haereticis | nostris fusius aliquanto explicavimus [6]. Postremo multas in haereticos tam canonicas quam civiles leges constitutas esse constat, sed quarum et ipsarum irrogatione haereses, quibus multitudo infecta est, aut raro aut numquam extinguuntur.

Inter canonicas poenas [7] prima est excommunicatio et a communione fidelium exclusio. Et hanc poenam, ut et reliquas censuras ecclesiasticas Lutherus mox ab initio divulgate falsae doctrinae suae subvertit [8], ut iam nullus amplius censurarum ecclesiasticarum metus sit, nec executio eius contra haereticos esse possit.

Inter civiles poenas prima est bannum imperiale et a civili societate exclusio, quam ipsam non curant neque formidant haeretici. Publica in imperio constitutione sancitum et sub poena imperialis banni prohibitum est et iure quoque communi cautum, ne quis ecclesiarum bona ad divinos usus deputata per vim invadat, diripiat aut occupet, et tamen iure hoc communi ⟨et constitutionibus imperialibus a Caesare et statibus imperii communi consensu latis non obstantibus haeretici sine metu imperialis banni aliisque de iure communi⟩[a] in haereticos constitutis poenis ecclesiarum bona longo ante tempore invaserunt, diripuerunt, occuparunt et nunc etiam, quae sunt reliqua, adhuc invadunt rapiunt, et occupant.

Poenam banni proxime subsequitur poena publicationis bonorum haereti- 85r corum in fiscum inferendorum, quam adeo | contemnunt haeretici et eorum defensores, ut non solum huiusmodi publicationis poenam eludant et devitent, sed etiam impune, ut dictum est, ecclesiastica bona rapiant et nullum non cuiuscunque generis sacrilegium committant.

Tertium genus civilis poenae est proscriptio et exilium. Est enim civilibus legibus cautum, ut nullus in imperio locus haereticis concedatur, ne ex conversatione eorum et

[a] *Cod. add. in marg*

[1] Scil. a. 1552, cum Mauritius dux Saxoniae Caesarem Oeniponte morantem invasit.

[2] Cfr. supra p. 401 adn. 2.

[3] Ex. gr. post disputationem Vormatiensem a. 1541 (*L. Pastor*, Die kirchlichen Reunionsbestrebungen 216), Bucerus post Ratisbonensem a. 1541 etc.

[4] De praescr. haer. c. 17, *Migne* 2, 35 (non verbotenus).

[5] De praescr. haer. c. 15, *Migne* 2, 32.

[6] De haer. l. III c. 13 (p. 189 sqq.).

[7] De poenis cfr. De haer. l. V (p. 261 sqq.).

[8] Cfr. supra p. 394 adn. 2.

communione elementa quoque inficiantur. At hodie videmus hoc genus poenae adeo ab haereticis non formidari, ut non solum ipsi ubique in imperio secure habitent, vivant et, quae volunt, agant, sed minime etiam vereantur, episcopos, praelatos aliosque inferioris gradus ecclesiasticas personas de sedibus suis et inter illos monachos quoque et moniales de monasteriis suis expellere, carceribus mancipare ac postremo in exilium agere, et interim etiam cavere, ne in eiectorum locum aliae eiusdem professionis personae et homines assumantur.

Quartum genus poenae civilis in haereticos constitutae est ultimum supplicium, quod leges mortem interpretantur. Quam poenam haeretici ita contemnunt, ut leges poenam ultimi supplicii in haereticos statuentes impias et contra verbum Dei latas esse contendant, eoque etiam nomine sacrorum conciliorum | decreta et in haereticos ab ecclesia damnatos 85v potestatum saecularium criminales et mortem imponentes sententias quasi impias et crudeles reiiciunt atque condemnant, ac propterea haereticos per huiusmodi sententias condemnatos et ultimo supplicio affectos inter Christi martyres connumerant, de quibus et libros quosdam scripserunt [1], in quibus inter apostolos et eorum successores sanctissimos episcopos et alios christianos et fortissimos Christi martyres, qui fidem catholicam sanguine suo testati sunt, haereticos praeteritorum et nostrorum temporum quasi martyres et gloriosissimorum Christi martyrum consortes connumerant et intermiscent, in hac re Donatistas in Africa imitantes, qui et ipsi eos, qui ab imperatoribus iustas et commeritas illatas poenas passi essent, Christi martyres esse praedicarunt, quos tamen nemo catholicorum martyres esse agnoscere eo tempore potuit, ut qui supplicia non propter Christi fidem, sed agitati a diabolo propter perfidiam suam sponte se in mortem praecipitassent, persimiles sane porcis illis (de quibus Dominus in evangelio [2]), qui et ipsi a diabolo agitati in mare se praecipitaverunt. Et haec omnia pulchre alibi per Augustinum [3] explicantur, cuius sententia in eo consistit, ut non supplicii similitudo, sed causae diversitas Christi martyrem a mancipio diaboli haeretico simile cum catholico supplicium ferente discernat, ut martyr Christi sit, qui veram et catholicam fidem | per mortem testatur, miserum vero diaboli mancipium, qui propter menda- 86r cium a diabolo sibi suggestum non formidat gladium et ignem ferre et alia supplicia subire. Cuius rei multa huius temporis exempla referre possem, sed quae nunc brevitatis causa praetereo.

Haec fere sunt consilia, quibus et veteres olim, et nostris temporibus Carolus imperator ad concordandam in religione inter catholicos et haereticos discordiam et extinguendas haereses huius temporis usi sunt. Sed quoniam satis, ut opinor, iam demonstratum est, ea ipsa consilia ad extirpandas haereses neque apud veteres neque hoc nostro tempore unquam profuisse et ne deinceps quidem prodesse posse, videndum iam est, num alia sint remedia, quibus Christi corpus sancta et catholica ecclesia a gravissimo hoc praesentis temporis haeresum morbo in Germania aliisque regnis, in quae malum hoc serpsit et per pestilentem contagionem penetravit, liberari possit.

IV.

[Tres esse haeresum causas: Abusus et negligentiam ecclesiasticae potestatis, abusus et negligentiam saecularium potestatum, neglectam ecclesiae disciplinam].

In hac gravissima causa prudentis medici consilium sequendum mihi videtur, qui in curatione morborum corporis primum omnium causam morbi investigat et ea cognita tum demum remedia adhibet, quibus morbum a corpore|depelli posse existimat atque confidit. Ad 86v repellendas igitur a corpore ecclesiae catholicae et eius membris praesentis temporis et natas et nascituras adhuc haereses et sectas, primum omnium necesse est, ut haeresum, quibus iam Germania affligitur, causas investigemus et cognoscamus. Nam his ipsis cognitis facile reperientur remedia, quibus causae removeri et ex his productus effectus, qui est haeresis, extingui possit.

Causae haeresum praesentis temporis [a] in Germania praecipue tres sunt [b], quibus haereses natae, propagatae et adhuc exoriri et propagari posse videntur: Abusus utriusque

[a] *Cod. hic inscriptionem habet* Causae haeresum praesentis temporis [b] *Cod. add. alia manu* prima est

[1] De « martyrologiis » Lutheranorum a Ludovico Rabo Argentorati a. 1554, Calvinistarum a Io. Crispino Genevae a. 1554 editis aliisque huius generis libris cfr. *P. Polman*, L'élément historique dans la controverse religieuse du XVI. siècle (Gembloux 1932) 197 sqq.

[2] *Luc.* 8, 33.

[3] Cfr. Serm. 327, *Migne* 38, 1450 sq.

potestatis, ecclesiasticae et saecularis, in his rebus, quae ad religionem pertinent, n e g l i g e n t i a magistratuum ecclesiasticorum et saecularium et corrupta per gravissimos mores ecclesiastica d i s c i p l i n a[1].

1. A b u s u s [et n e g l i g e n t i a] e c c l e s i a s t i c a e p o t e s t a t i s[a].

93v Ac primum quidem p o t e s t a t e o r d i n i s abutuntur sacerdotes, qui ecclesiae sacramenta non rite populochristiano administrant. I n s a c r a m e n t o e u c h a r i s t i a e abusus est, quod quidam sacerdotes non ea qua oportet devotione, sed magna lenitate sacrificium missae celebrant, multos saepe ex concubitu concubinario adhuc calentes et sordidos, multos ex hesterna crapula madentes et foetentes, multos non sobrios, sed vino repletos ad altare Domini accessisse compertum est. Multi pacta[b] mercede missas legunt in peractionibus mortuorum sacris peractis, multi plerumque ad vomitum usque inebriantur et nullas non insolentias committunt. Ac propter talem abusum ab haereticis nostri temporis in multis Germaniae provinciis et territoriis sacrificium missae, quod ex institutione Christi per universum orbem in ecclesia catholica semper oblatum est et ad consummationem saeculi offerri debet, abrogatum est. |

94r In sacramento p o e n i t e n t i ae abusus est, quod sacerdotes et quidam petulantes monachi in confessione sacramentali curiosis quibusdam interrogatiunculis confitentium muliercularum affectum explorarunt, multi insolitis terriculamentis confitentium conscientias onerarunt, et quos salutari doctrina consolari et ad veram contritionem et poenitentiam inducere debuerunt, eos terroribus ad desperationem perduxerunt. Alii secreta peccatorum, quae in confessione audierunt, cum magno periculo famae et vitae confitentium revelarunt. Alii confitentibus peregrinationes ultramarinas, beneficiorum fundationes et similes quasdam vix praestabiles satisfactiones pro peccatis iniunxerunt. Alii satisfactionem pro peccatis in purgatorio faciendam pecuniis redimendam esse suaserunt, pro certa pecuniarum summa certum numerum animarum a poena purgatorii liberari posse promittentes[2]. Propter hos et similes abusus haeretici confessionem sacramentalem et satisfactionem, duas videlicet poenitentiae partes, aboleverunt et nullum purgatorium esse docuerunt.

94v In sacramento o r d i n i s abusus est, quod sacerdotes et | presbyteri ab episcopis ordinantur homines neque vitae honestate probati neque eorum, quae ad officium sacerdotale pertinent, periti. Propter quem abusum haereticorum alii evangelicum sacerdotium in ecclesia prorsus tollunt, alii omnes christianos homines laycos et clericos, mares et feminas ex aequo sacerdotes esse et sacerdotale officium administrare posse dicunt. Iam et in multis praelati maiores et minores i u r i s d i c t i o n e e c c l e s i a s t i c a tam voluntaria quam contentiosa abutuntur. Est enim abusus iurisdictionis ecclesiasticae, si l e g e s e t s t a t u t a a praelatis iniusta, inutilia et ad fovendam clericorum avaritiam magis quam conservandum dignum ecclesiarum statum fiant, quales fortasse multae extant tam scriptae quam consuetudinariae[3]: de reservationibus mentalibus, pectoralibus, ingressuum, accessuum, regressuum ad beneficia ecclesiastica, et multae aliae eiusdem generis, quas hoc loco generaliter commemorare magis quam in specie enumerare oportet. Similiter abusus est, si iudicia ecclesiastica a personis indoctis et sacrorum canonum imperitis vel sordibus praeco, pretio, odio vel timore corruptis
95r in personas item laicas in casibus de iure canonico non per|missis exerceantur; si laici in prima instantia in causis profanis Romam citantur et in ius vocentur et ordinarii iudices saeculares iurisdictione sua defraudentur; si sub praetextu denegatae iustitiae causa[e] sine praevia causae cognitione ad forum ecclesiasticum avocentur; si in causis profanis praelatis conservatores dentur et sub hoc praetextu aliena iurisdictio usurpetur et causae profanae ⟨ad ecclesiasticum forum trahuntur; si causae profanae⟩[c] ecclesiasticis personis delegentur; si a iurisdictione episcoporum ordinaria praelati tam regulares quam saeculares cum eorum collegiis et monasteriis eximantur; si excommunicatio, quae extrema ecclesiae censura est nec aliter nisi propter peccatum mortale infligi debet, in causis levissimis feratur et iisdem profanis,

a *Cod. in marg* b *corr. ex* parta c *Cod. in marg.*

1 Fol. 87r-93r Brunus de ecclesiastica potestate, scil. eius forma, personis, locis et officiis agens, quomodo pontifex maximus, patriarchae, cardinales, archiepiscopi, episcopi ceterique praelati muneribus suis fungi deberent, ostendit. Quae omnia ut minus ad rem pertinentia omittimus, reiicientes lectorem ad eiusdem Bruni libellum de auctoritate et potestate ecclesiae catholicae (Dilingae 1559), qui pars est operis amplioris typis non excusi de politia ecclesiae cfr. *Paulus* l. c. 539.

2 Cfr. *N. Paulus*, Geschichte des Ablasses III 386 sq.

3 Omnes fere abusus, quos auctor enumerat, inter « Gravamina nationis Germanicae » inveniuntur. *Deutsche Reichstagsakten I. R.* II 670 sqq. (nn. 1, 2, 14, 27, 29, 36, 43); *B. Gebhardt*, Die Gravamina der deutschen Nation (Breslau 1895) 107 sqq.

quales sunt causae civiles debitorum pecuniariorum; si crimina publica non vindicent; si in clericos non, ut dignum est, animadvertant.

Atque hi sane abusus ecclesiasticae contenti[o]sae iurisdictionis haereticis huius temporis et eorum defensoribus occasionem praestiterunt, leges omnes ecclesiasticas, etiam iustissimas et ad conservandam catholicam fidem et universalis ecclesiae statum conservandum latas, abrogandi, iudicia item ecclesiastica subvertendi et ecclesiasticas tam personas quam causas ad tribunalia iudicum saecularium remittendi, imo propria | 95v tribunalia ad cognoscendas iudicandasque causas ad forum ecclesiasticum pertinentes erigendi, censuras ecclesiasticas in summum contemptum abducendi et prorsus abolendi, autoritatem et primatum sanctae et apostolicae Romanae ecclesiae supprimendi et totum ordinem sacerdotalem et clericalem privilegio ecclesiastici fori in causis civilibus et criminalibus privandi.

Est praeterea magnus abusus voluntariae iurisdictionis ecclesiasticae, si praelati maiores et minores episcopatibus et parochiis indignos et curae pastoralis ignaros praeficiant; si praelatorum electiones, nulla de electae personae doctrina, experientia, industria et vitae morumque integri[ta]te habita ratione, confirment, si ad beneficia ecclesiastica eos, quorum neque doctrina agnita neque vita probata est, [si] a patronis praesentantur, admittant eisque investitura concessa in realem quoque eorundem possessionem inducant. Propter hunc abusum haeretici nostri temporis potestatem instituendi ecclesiae ministros episcopis ademerunt et in saeculares principes transtulerunt.

Potestate acquirendi, administrandi et dispensandi bona ecclesiastica abutuntur praelati maiores et minores et omnes omnino clerici, qui, quod de proventibus ecclesiasticis superest, non in | 96r pauperes et pios usus convertunt, sed in consanguineos aut propinquos, scorta aut viles personas effundunt; qui plures episcopatus, praelaturas, dignitates et beneficia ecclesiastica uni et eidem indigno conferunt; qui non residentibus et ecclesiae nihil servientibus clericis pensiones aut fructus beneficiorum concedunt; qui rectoribus ecclesiarum, ecclesiis et monasteriis incorporatarum congruam et competentem portionem non praestant; qui collatione beneficiorum ecclesiasticorum non vitae et doctrinae, sed nobilitatis potius, favoris et gratiae rationem habent, qui beneficia vacatura promittunt et postea conferunt; qui patronos beneficiorum praesentatione et ordinatione sua defraudant; qui beneficia in curia Romana vacantia alias ad collationem ordinariorum pertinentia indignis conferunt et immensis pensionibus gravant; qui provisiones ad certam summam de beneficiis alienis ecclesiae ⟨in pensionibus dandam fieri mandant iis, qui nullam umquam in ecclesiis⟩[a] facturi sunt residentiam nec aliquod ministerium ecclesiasticum completuri, in praeiudicium ordinariorum collatorum et divini cultus diminutionem [b]. |

99r Postremo [c] omnium maximus abusus est pro usu spiritualis potestatis, ad quem praelati maiores et minores ex officio tenentur, sive a sponte dantibus sive ab invitis per expressam petitionem seu per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae vel de aliis bonis undecunque provenientibus aliquid accipere vel exigere [1], et, ut breviter dicam, spiritualia rerum temporalium pretio, obsequiis, lingua, favore, gratia mercari, id est vendere, emere aliisque modis et conventionibus distrahere atque permutare. Qui abusus aut crimen potius simonia dicitur a primo videlicet eius autore Simone Mago sic dicta, qui cum vidisset per impositionem manus apostolorum dari Spiritum Sanctum, pecuniam apostolis obtulit, ut et ipsi ei potestatem darent, ut, cui manus imponeret, acciperet Spiritum Sanctum [2], sicut et Giezi in Veteri Testamento vendidit sanitatem Naaman, quam Heliseus propheta tamquam Dei donum ei per miraculum contulerat [3]. Unde donorum spiritualium emptores a Simone Simoniaci et venditores a Giezi Giezitae appellantur. Est autem simonia, ut quidam diffiniunt [4], *studiosa voluntas emendi vendendive aliquid spirituale vel spirituali annexum.* Hostiensis [5] eam diffinit, ut sit *spiritualium vel spiritualibus annexorum praecedente pacto promissionis, condicionis, modi, servitii, precii vel alicuius temporalitatis receptio vel donatio,* vel, ut Abbas diffinit [6], | 99v *est rei spiritualis vel spiritualibus annexae cum aliquo temporali*

[a] *Cod. in marg.* [b] *Cod. in marg. habet notam* Hic materia clericorum non residentium fusius [?] tractanda est. *Deinde sequuntur foll. 96v-98v vacua.* [c] *Cod. hanc partem inscribit* Simonia

[1] Iisdem utitur verbis auctor, quibus Paulus IV in quaestione supra p. 339 l. 35 sqq. Cfr. etiam *Conc. Trid.* XII 154 l. 4-9.

[2] Cfr. *Act.* 18, 8 sqq.

[3] Cfr. *4 Reg.* 5, 23 sqq.

[4] Auctor in margine ad glossam in rubricam tituli de simonia reiicit, ubi eandem definitionem invenis, additis verbis [*studiosa voluntas*] *vel cupiditas.*

[5] Com. in c. 34 X de sim. V 3, l. c. fol. 13v-24r.

[6] Com. in c. 14 X de sim. V 3, l. c. fol. 89v.

facta commutatio. Alii diffiniunt [1], ut sit *crimen propter quodcunque gestum vel omissum circa spiritualia vel spiritualibus annexa*.

Porro s p i r i t u a l i a multiplicis generis sunt. Nam alia sunt secundum essentiam, ut dona et gratia Spiritus Sancti et horum causa, signa et mysteria, ut sacramenta, baptismus, eucharistia, sacer ordo, poenitentia, manuum impositio, item sacramentalia, chrisma, sacrum oleum, sepulturae, exequiae mortuorum. Quaedam sunt spiritualia propter statum, ut religionis ingressus, monacharum receptio. Quaedam sunt spiritualia ratione potestatis et officii ecclesiastici, ut iura ecclesiastica rerum spiritualium, ut ecclesiae, episcopatus, praeposituræ, archidiaconatus, prioratus, capellae, canonicatus, praebendae, beneficia et dignitates ecclesiasticae, praelatorum institutiones, collationes investiturae beneficiorum, possessiones, electiones praelatorum, electionum confirmationes, collocationes episcoporum, abbatum et quarumcunque personarum ecclesiasticarum in sedes suas, introductio presbyterorum in ecclesia, ministerium ecclesiasticum, consecratio ecclesiarum, benedictiones abbatum et virginum, consecrationes episcoporum, vicariorum assignatio, sententiae et iudicia ecclesiastica, absolutio ab excommunicatione et aliis censuris ecclesiasticis, concessio indulgentiarum, dispensationes in causis beneficiorum ecclesiasticorum, matrimonii, votorum et similium, depositiones testium, ius decimorum, administratio beneficiorum et rerum ecclesiasticarum [2]. |

100r A n n e x a s p i r i t u a l i b u s sunt, quae spiritualibus adhaerent, quaeque ad usum spiritualium sunt deputata, ut ius patronatus, vasa sacra, vestes sacrae, venerandae reliquiae sanctorum. Omnia haec a Deo fidelibus et ab ecclesiarum ministris fidelibus donantur, propter quod et dona Dei dicuntur, de quibus dicitur [3]: *Gratis accepistis, gratis date etc.*

T e m p o r a l i a duplicis generis sunt. Quaedam enim sunt e c c l e s i a s t i c a, quaedam profana et aliunde quam ab ecclesiis provenientia. Ecclesiae bona sunt, quae ad divinum cultum et ministeria ecclesiastica et ministrorum ecclesiae sustentationem deputata sunt. Quorum alia immobilia sunt, ut ius decimarum et oblationum, territoria, praedia urbana et rustica, basilicae, templa, annui redditus, ecclesiarum beneficia etc., mobilia, ut vasa sacra, vestes sacrae, fructus decimarum, oblationum et beneficiorum.

P r o f a n a sunt, quae ad civiles et saeculares usus deputata sunt, et horum similiter alia immobilia sunt, ut regna, ducatus, civitates, castra, villae, theatra, similiter et praedia urbana et rustica, census et redditus annui; alia mobilia, ut pecunia, pecora, fructus praediorum et similia [4]. |

100v Inter temporalia obsequia et opera numerantur item consanguinitas, favor, gratia, homagium, negotiorum gestio [5]; denique, quicquid pecunia aestimari potest, temporale dicitur [6]. Atque haec fere sunt spiritualia et temporalia, quorum inter ipsa commutatio simonia dicitur [7].

Iam et inter haec verba « accipere » et « exigere » ea differentia est, quia accipere est a sponte dantibus recipere, sicut et « dare » verbum liberalitatem, non necessitatem denotat, « exigere » autem ab invitis extorquere [8]. Accipimus munera, quae nobis sponte afferuntur. Est autem munus aliud ab obsequio, aliud a manu, aliud a lingua. Munus ab obsequio est servitus indebite alicui impensa; munus a manu pecuniae appellatione continetur: quicquid homines habent in terra, ut servus, vas, ager, arbor, pecus, iura omniaque alia, quorum domini sunt homines, pecunia vocatur; munus a lingua est favor. Omnes igitur praelati maiores et minores omniumque etiam inferiorum graduum clerici et cuiuscunque alterius conditionis
101r homines, qui spiritualia et spiritualibus annexa supra enumerata pro | rebus temporalibus et muneribus cuiuscumque generis, sive ab obsequio sive a manu sive a lingua emunt, vendunt, a sponte dantibus accipiunt vel ab invitis exigunt, sive id in curia Romana sive in quibuscumque aliis ecclesiis inferioribus fiat, simoniaci sunt et appellantur, et si potestate aliqua ecclesiastica praediti munere aliquo ecclesiastico funguntur, nefarie iisdem abutuntur. Propter hos et alios similes abusus in administratione et dispensatione bonorum ecclesiasti-

[1] Sequens definitio est Floriani de S. Petro, qui ius civile et canonicum in universitate Bononiensi saec. XIV exeunte docebat; cfr. *G. Fantuzzi*, Notizie degli scrittori Bolognesi VII 301-305; quam definitionem sicut antecedentes Hostiensis et Abbatis *Io. de Anania* in commentariis suis ad rubricam X de sim. V 3 exhibet. *Io. de Anania,* Super quinto decretalium (Lugduni 1553) f. 34v.

[2] L. 3 *Nemo* [Cod.] de sacros. eccl. [I 2], *Krueger* 12.

[3] *Matth.* 10, 8.

[4] In c. 12 *Cum essent* X de sim. V 3 (*Friedberg* II 752), quod auctor in marg. allegat, nihil hac de re.

[5] Cfr. cc. 8, 14, 17 X de sim. V 3, *Friedberg* II 750 sqq.

[6] Reiicit auctor ad c. 1 *Exivi* Clem. de verb. sign. V 11, *Friedberg* II 1193 sqq.; et ad c. 6 *Totum* C. 1 q. 3, *Friedberg* I 413.

[7] Brunus ipse reiicit lectorem ad c. 2 *Recepticia* Cod. de const. pecu. IV 18 (*Krueger* 156) et similia iuris civilis loca.

[8] Brunus allegat inter alia gl. in l. [38] *Solvendo* Dig. de neg. gest. III 5 (*Mommsen* 48).

corum haeretici huius temporis potestatem administrandi et dispensandi bona ecclesiastica episcopis et praelatis ademerunt et in principes saeculares transferendam esse docuerunt. Quam doctrinam saeculares principes et communitatum magistratus secuti omnes ecclesias et monasteria et eorum bona ecclesiastica in territoriis suis sita eorundem beneficia et bona ecclesiastica sibi vindicarunt, ut iam videamus passim in territoriis principum, eiectis ex ecclesiis canonicis et [ex] parochiis veris pastoribus et ex monasteriis monachis et Deo dicatis virginibus, omnes ecclesiarum, parrochiarum et monasteriorum proventus, beneficia et bona ab iisdem saecularibus principibus et magistratibus occupari et modica parte eorum in paucos aliquos ministros et, ut ipsi vocant, praedicantes | suos et eosdem a nullo episcopo in pres- 101v
byteros vel diaconos etc. ordinatos, sed pure laicos distributa, [et] quod reliquum est, in suos proprios et profanos usus converti. Etsi canonicis et monachis habitationem in ecclesiis et monasteriis concedant atque vestitum et alimenta ministrari permittant, tamen divinum cultum a catholica ecclesia institutum et in ecclesiis et monasteriis peragendum eisdem interdicunt. Denique in locum decedentium canonicorum et monachorum alios recipiendi facultate adempta, defunctis canonicis et monachis, quos de praesenti alunt, ecclesias et monasteria sublatis personis et ecclesiae ministris, a quibus iuxta catholicae ecclesiae ordinationem et sacrorum canonum dispositionem cultus divinus in ecclesiis et monasteriis hactenus peractus est et deinceps in perpetuum peragi debet, personis et ministris ad eundem cultum ex ordinatione ecclesiae et piis fundationibus deputatis destituta esse volunt, ut sic ecclesias et monasteria personis et cultu destituta cum omnibus suis proventibus et bonis nemine impediente libere et sine contradictione occupare et de his quicquid libet ordinare et disponere possint. Et haec hactenus idipsum suggerente haereticorum doctrina principes et potestates saeculares non solum in his, quae ad administrationem et usum bonorum ecclesiasticorum, ecclesiarum collegiatarum, parrochiarum et monasteriorum pertinent, attentarunt et perfecerunt, sed idem etiam in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus summo studio tentant |
et perficere conantur, idque consilio quodam a Sathana haereticis suggesto, quo nimirum 102r
impetrare a saecularibus monarchis et principibus nituntur, ut non solum saecularibus potestatibus, sed etiam archiepiscopis et episcopis in Germania ab oboedientia catholicae ecclesiae deficiendi et ad religionem quam vocant confessionistarum declinandi libera potestas concedatur, idque ea conditione, ut, quicunque archiepiscopi, episcopi et praelati eorumdem religionem, catholica religione relicta, amplexi fuerint, iidem et totus archiepiscopatus, episcopatus et praelaturas cum omnibus eorundem proventibus et bonis ad eandem religionem et eiusdem assertores, fautores et defensores traducant, quam potestatem a catholica religione ad Confessionem Augustanam deficiendi vulgari et Germanico vocabulo « Freystellung » appellant [1], vafrum sane hoc et callidum et, si ita dicere liceat, diabolicum consilium, quippe quo eventum pro haereticorum sententia et effectum sortiente (quod Deus Opt. Max. verus ecclesiae suae defensor prohibeat) brevi futurum est, ut quod omnium maxime optant, eoque omnes suas actiones dirigunt, ut et multi episcopi et praelati religionem catholicam sint relicturi, ab ecclesia catholica defecturi et ad partem confessionistarum declinaturi. Quod si fiet, facile deinde haeretici et eorum fautores et defensores saeculares principes et magistratus omnem archiepiscopatuum | et praelaturarum iurisdictionem, proventus et bona in 102v
eorundem territoriis sibi vendicabunt.

Post abusus potestatis ecclesiasticae sequitur, ut de negligentia praelatorum [a] maiorum et minorum et haeresibus ex ea vel natis vel conservatis et propagatis dicamus. Est autem negligentia eorum, quae ad ipsorum officia pertinent, praetermissio.

Primum igitur sacerdotes et praelati in his quae ad ordinem pertinent negligentes sunt, qui non ipsi verbo praedicationis vacant, populum non docent aut viros idoneos ad sanctae praedicationis officium *in opere et sermone potentes* [2] assumunt, nec curam habent, ut parrochiis praeficiantur pastores, qui gregem Dominicum divini verbi praedicatione [b] et ecclesiae sacramentis aliisque ad animarum salutem necessariis pascere possint. Propter hanc negligentiam praelati ab haereticis contemptui plebis expositi sunt, ut iam neque praelatorum neque indoctorum per eos parrochiis praefectorum hominum ineptos et saepe etiam ridiculos, sed ipsorum potius haereticorum falsos, sed eosdem tamen

[a] *In cod. inseritur inscriptio* Negligentia praelatorum [b] *Sic legendum esse puto. Cod.* populo Christi

[1] Est Reservatum quod dicitur ecclesiasticum, scil. pars illa pacis Augustanae a. 1555 initae, quae a Lutheranis impugnata, a Ferdinando I tamen sustentata est, *Janssen-Pastor* III^{19-20} 890 sqq.; IV^{17} 80 sqq.

[2] Cfr *Luc.* 24, 19.

persuasibiles sermones audire velint, quae unica et eadem efficacissima semper haeresum vel nascendarum vel conservandarum occasio et ratio fuit.

Altera praelatorum maiorum negligentia est, quod provincias et *dioeceses suas* [103r] *non* certis et stat[ut]is et a sacris canonibus praefinitis | temporibus *visitarunt* et de doctrina et moribus parrochorum et plebium inquisitionem non instituerunt. Ex qua negligentia factum est, ut et ingeniosi quidam et pravi intellectus et ad nullam non proclives malitiam, et imprimis ad novandum omnia studiosi et iidem otiosi monachi, sine ullius canonicae aut civilis poenae metu multas haereses et veteres iam dudum sopitas revocarint et novas antea non auditas excogitarint, quales his nostris temporibus emerserunt Martinus Bucerus, Ioannes Oecolampadius et his ipsis similes quidam alii monachi, qui fractis monasticis votis sanctimoniales ex monasteriis rapuerunt easque uxores duxerunt omnemque operam in hoc collocarunt, ut Viclefitas, Hussiticas, Berengaricas et his ipsis vetustiores etiam haereses revocarent et renovarent, et non existentibus ab initio, qui curiose per eos reductis et excogitatis erroribus resistere possent, brevi tempore catholicam doctrinam in multis Germaniae provinciis et territoriis et quibusdam etiam externis regnis subverterunt.

Tertia negligentia est, quod praelati maiores certis et statutis [et] a sacriscanonibus praefinitis temporibus neque universalia neque nationalia sive localia, neque provincialia neque diocesana *concilia* indixerunt et celebrarunt, quae et ipsa semper haereseum vel nascendarum et propagandarum vel conservandarum causa fuit. Quod patres concilii Constantiensis, [103v] quod ad celebrationem | universalium conciliorum attinet, prudenter considerantes, sacro concilii decreto caverunt et constituerunt, ut universalia concilia de decennio in decennium in ecclesia celebrarentur [1], nimirum praevidentes, nisi intra tale tempus conciliorum universalium celebratio fieret, quod haereses in eodem concilio damnatae resuscitari, tum novae etiam et, ut fieri solet, his ipsis execrabiliores exoriri possent, maxime cum viderent eo ipso tempore universalem ecclesiae statum ita abusibus esse dissolutum et ecclesiae disciplinam corruptam, ut non alia ratione haeresum vel natarum renovatio vel nascendarum productio et exercitatio vitari et ecclesia in suo statu quieta permanere posset, nisi per concilium ipsum statuto et diffinito tempore concilia universalia de decennio in decennium celebrarentur. Quoniam autem synodorum dioecesanarum celebratio provincialium, et rursus provincialium nationalium, et nationalium universalium conciliorum celebratio una alterius quasi praeparatio quaedam est, primum omnium ante celebrationem concilii universalis episcopi quisque in diocesi sua synodum agere, et quae in ea in doctrina fidei, sacramentorum et ceremoniarum et moribus et in politica administratione restituenda, emendanda et reformanda sunt, ad concilium provinciale, et rursus singuli archiepiscopi, quae a suffraganeis suis conclusa et ad eos relata | [104r] sunt, ad provinciale, et quae in singulis provincialibus decreta sunt, ad nationale ex omnibus alicuius regni provinciarum archiepiscopis, episcopis et praelatis collectum, et quae in nationali decernuntur, ad sedem apostolicam et universale concilium referri debent. Nam ita fiet, ut inquisitione super doctrina fidei, sacramentorum, ceremoniarum, administratione item politica et disciplina ecclesiae facta nullae haereses, nullae falsae doctrinae, nulli falsi prophetae latere diutius possint. Rursus autem horum conciliorum indictione et celebratione neglecta fieri non potest, quin in diocesibus, provinciis, nationibus et regnis christianis diabolus et organa et instrumenta eius haeretici, episcopis culturam agri Dominici negligentibus, inter triticum catholicae doctrinae sua quoque zizania et falsas doctrinas intermisceant, et nisi in tempore ab eiusmodi zizaniis ager Domini diligentia episcoporum repurgetur, periculum sit, ne triticum ipsum a zizaniis suffocetur. Qua ratione et nostris temporibus nemo peccaverit, qui dixerit, praelatorum negligentiam in eo, quod neque universalia neque nationalia neque diocesana concilia a sacris conciliis statutis et diffinitis temporibus celebrarunt, praesentium temporum haeresibus non minimam occasionem praestitisse. |

[104v] *Quarta* negligentia praelatorum, propter quam haereses nostri temporis vel revocatae vel natae vel conservatae vel propagatae sunt, est, quod neque episcopi in ecclesiis cathedralibus et collegiatis et civitatibus et dioecesibus neque abbates, praepositi et inferiores praelati *scholas* erexerunt vel erectas reformarunt, neque iisdem magistros et praeceptores ad erudiendam iuventutem in liberalibus disciplinis et aetate et literarum scientia aliquanto profectiores in divinis scripturis et sacris canonibus erudiendos praefecerunt. Etenim in scholis erudiuntur, qui doctrinam in disciplinis liberalibus, in sacra theologia et iuris canonici prudentia adepti archiepiscopatibus, episcopatibus, monasteriis et parrochiis episcopi, prae-

[1] Sess. XXXIX, *Mansi* XXVII 1159.

lati et parrochiarum pastores et rectores praefici possint, qui et doctrina sua non solum greges sibi commissas prudenter pascere et regere, sed etiam falsis prophetis se opponere et subditos suos ab eorum erroribus et falsis doctrinis per sacram divinarum scripturarum doctrinam custodire et in obedientia sanctae matris catholicae ecclesiae conservare et retinere possint. Contra vero neglectis scholis factum est, ut tempore, quo Lutherus et alii quidam haeretici prodierunt et Viclefica et Hussitica dogmata denuo ⟨reproduxerunt et | tam verbo quam 105r scriptis asserendo confirmarunt⟩ [a], inter catholicos pauci admodum essent, qui sese emergentibus iam haeresibus opponere easque divinarum scripturarum autoritate et sanctorum patrum testimoniis et sacrorum conciliorum decretis confutare possent. Unde et praedictae haereses propter penuriam divinarum literarum et sacrorum canonum peritorum brevi tempore in multas alias haereses et sectas excreverunt, quas magno iam negotio multi doctissimi viri, interim in quibusdam catholicis scholis divinarum scripturarum scientiam adepti, vix reprimere et subditos ab haereticis et variis illis sectis ad fidem catholicam et ecclesiae catholicae unitatem reducere possint. Quemadmodum autem doctrina catholica a catholicis sacrorum literarum peritis, ita et falsa haereticorum doctrina a doctis et ad invertendum depravandumque per falsas interpretationes divinas scripturas idoneis defenditur. Quod animadvertentes haeretici nostri temporis magnis sumptibus et ipsi passim in civitatibus Germaniae scholas erexerunt [1] iisdemque magistros et praeceptores doctissimos ad crudiendam iuventutem in artibus impietatis praefecerunt, ex quibus innumeri haereticorum discipuli prodierunt, quos iam in territo|riis principum saecularium et quarundam 105v civitatum deiectis ex parrochiis veris et catholicis pastoribus et monachis ex monasteriis, parrochiis et monasteriis praepositos videmus et quotidie populum praedicatione verbi Dei sub praetextu pietatis per falsas scripturarum interpretationes a catholica veritate avertere audimus. Addo et eosdem haereticorum discipulos in doctrinis non solum magistrorum suorum haereticorum scriptis inniti, sed ipsos etiam suis scriptis novas impietatis doctrinas fabricare. Ac inter alias haereticorum scholas iam inde ab initio Lutheranae haeresis et longo post tempore principatum obtinuit schola Witenbergensis, cui primarii praeceptores praefuerunt haeresiarcha ipse Martinus Lutherus et subadiuva eius Philippus Melanchthon, quibus scholam regentibus et artes impietatis docentibus tota fere Germania non solum falsis eorum libris, sed etiam discipulorum ab eis eruditorum per universam fere Germaniam dispersa doctrina corrupta est [2]. Ex quibus et ipsis veluti per successionem quandam multas alias sectas subortas et multiplicatas fuisse et adhuc ex his alias nasci et multiplicari cognoscitur.

Quinta negligentia praelatorum est, quod delinquentium cleri|corum crimina non vindicant, nec iuris nec legitimis poenis coërcent. 106r Qua negligentia factum est, ut principes et magistratus saeculares, ita suadentibus haereticis et eorum defensoribus, delinquentes presbyteros et clericos non amplius ad ordinarios suos puniendos remittant, sed ipsi, episcopis etiam contradicentibus, in eos animadvertant.

Sexta negligentia praelatorum est, quod temporalia magis curant quam spiritualia, et ecclesias suas *ad destructionem magis quam aedificationem* [3] administrant, greges sibi commissos non pascunt, sed dispergunt. Imo et ex ipsis gregibus se ipsos pascunt, lucrum ex ipsis, non salutem ipsorum quaerentes, et cum potentia ipsis imperantes, quorum negligentiam atque adeo potestatis etiam suae abusum Dominus per Prophetam increpat dicens [4]: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non greges a pastoribus pascuntur. Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis. Quod confractum est, non alligastis, et quod abiectum, non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis, sed cum austeritate imperiebatis eis et cum potentia, et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in | devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt, erraverunt greges mei in cunctis* 106v *montibus, et in universo colle excelso et super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, et*

[a] *Sic legere velim. Cod.* per eos reproducerent et eorum tam verbo quam scriptis asserendo confirmarent

[1] *F. Paulsen*, Geschichte des gelehrten Unterrichts I[3] (Leipzig 1918) 193 sqq.; 276-387.

[2] Cfr. *W. Friedensburg*, Geschichte der Universität Wittenberg (Halle 1917) 180 sqq.; *G. Ellinger*, Philipp Melanchthon (Berlin 1902) 453 sqq.; *Paulsen* l. c. I[3] 218 sqq. Quot undique studentes Vitebergae praesertim ab a. 1518 studii causa convenerint, colligas ex matricula: Album academiae Vitebergensis ed. *C. E. Foerstemann* I (Lipsiae 1841) 72 sqq.; ex. gr. a mense Maio 1559 ad Aprilem 1560 726 studentes inscripti sunt, a 1. Maii 1560 ad Aprilem 1561 635 studentes.

[3] *2 Cor.* 13, 10.

[4] *Ez.* 34, 2-6.

non erat, qui requireret. Quo sane loco Propheta non solum de scribis, pharisaeis et magistris populi Iudaici, quos *pastores Israel* vocat, loquitur, sed etiam negligentiam episcoporum, presbyterorum et praelatorum evangelico populo praepositorum corripit et eiusmodi negligentiam multarum haeresum causam futuram. *Et dispersae sunt*, inquit, *oves meae eo, quod non esse[t] pastor et factae sunt in devorationem omnibus bestiis agri etc.* In quibus verbis B. Hieronymus[1] per bestias agri haereticos intellegit: *Dispersus est*, inquit, *populus Dei vel vitiis vel errore haereticorum eo, quod non esset pastor bonus, qui poneret animam suam pro ovibus, sed omnes mercennarii, qui lucra tantum de gregibus considerant, et cum lupum viderint, fugiunt, quorum negligentia grex Domini devoratur a bestiis agri, de quibus scriptum est: Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae agri, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quaerant a Deo escam sibi, et disperguntur et errant in cunctis montibus, qui elevantur*
107r *contra scientiam Dei, et in universo colle excelso, qui per haereticam superbiam | ecclesiasticam despiciunt simplicitatem. Et super omnem faciem terrae disperguntur, terrena non caelestia requirentes, et non erat, qui requireret, nec qui reduceret, quia delitiis occupati gregis Dominici damna non curant.*

[2.] De regia potestate et eius abusibus et potestatum saecularium negligentia[a].

Expedita ea parte quae ad potestatem ecclesiasticam et eius abusus et praelatorum negligentiam pertinet, deinceps de regia et saeculari potestate et eius abusibus et saecularium magistratuum negligentia, ex quibus et ipsis multarum haeresum vel nascendarum vel conservandarum et propagandarum occasionem datam esse constat, dicendum est. Quo loco principio illud animadvertere oportebit regiam et saecularem potestatem aeque ut sacerdotium a Deo institutam esse; ambae enim potestates dona Dei a Deo procedentia sunt, illa quidem divinis ministrans, haec autem humanis rebus praesidens ac diligentiam exhibens, ab uno eodemque principio procedente, ut inquit Iustinianus imperator[2].

117v Multa quae ad originem utriusque potestatis sacerdotalis et regiae pertinent, alias a nobis dicta sunt[3], sed de quibus non attinet hoc loco dicere. Satis est enim, ut ea [b]tantum, quae ad tuendam adversus ecclesiae hostes catholicam fidem necessaria sunt et oportuna explicemus. Postquam igitur de potestate saeculari in genere dictum est, recto iam ordine de personis, quae potestate saeculari funguntur eorumque officiis, quantum quidem ad causam religionis et fidei catholicae pertinet, dicemus.

Sunt igitur personae, penes quas est regia et saecularis potestas, Romanorum imperator, reges, duces, marchiones, comites, barones, civitatum magistratus saeculares, et quoniam |
118r archiepiscopi, episcopi et praelati in imperio ab imperatore territoria, castra, civitates etc. in feudum tenent, inter personas saeculari potestate fungentes recte et eorum magistratus saeculares connumerabimus. Officia saecularis potestatis quaedam omnibus personis saeculari potestate fungentibus communia sunt, quaedam imperatori et regibus propria.

Primum enim omnium catholicorum principum, regum et magistratuum officium est, ut non solum ipsi in ea religione versentur eamque fidem profiteantur, quam sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam ab ipsis usque apostolorum temporibus firmiter coluisse ipsa etiam catholica ab ipso Petro aliisque apostolis nobis veluti per manus tradita religio decla-

[a] *Cod. in marg* [b] *Cod. add. supra lineam.*

[1] *Migne* 25, 345.

[2] Praefatio in Nov. VI, *Schoell-Kroll* 35 sq. – Fol. 107v – 117v ostendere nititur Brunu primo regnum sacerdotio esse subiectum, 1) *quod ab ea [ecclesiastica scil. potestate] ordinatur et instituitur*, ita ut etiam *electio ipsa imperatoris, tametsi a principibus electoribus fiat, tamen ab ecclesia et illius praesule supremo Romano pontifice, sed mediate tamen proficisci dicitur* (f. 108r); 2) *quod a sacerdotibus reges et principes saeculi iudicantur... et, si admoniti se non emendaverint, a pontificibus excommunicantur et omni prorsus potestate privantur et destituuntur* (f. 108v).

Deinde *ecclesiasticam et saecularem potestates ita inter se coniunctas esse, ut altera sine altera prorsus inutilis sit et inefficax* (f. 109v); *alteram pendere ab altera*, minime autem unam usurpare debere, quae alterius sint. Itaque summi pontifices, *etsi utramque potestatem habeant, tamen non utramque, sed ecclesiasticam tantum exercere debent, non quod temporalem potestatem non habeant, sed ne temporalibus impediti spiritualia praetermittant* (f. 111v). *Nec regia potestas ea, quae ad sacerdotalem dispensationem pertinent, exercere potest* (f. 113v).

Denique infideles sicut et haereticos et schismaticos nullam potestatem sive ecclesiasticam sive temporalem habere posse, quin potius de sedibus et tribunalibus suis expelli debere (f. 117v).

Quae omnia nimis prolixa neque proprie ad rem pertinentia omisimus, reiicientes ad auctoris libros paulo post (adn. seq.) nominandos necnon ea, quae *Paulus* in Hist. Jahrbuch 14 (1893) 537 sqq. docte disseruit.

[3] De seditionibus l. I c. 6 (p. 27-40, praesertim 32 sqq.).

rat, sed subiectos etiam et ditioni suae subditos populos eiusdem fidei unitati coniungant et, ut eandem tota mente amplectantur, inducant, iuxta illud *Psalmi 2*, [10 sq.]: *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram etc.* Quo sane loco Spiritus Sanctus regibus et principibus terrae praecipit, ut primum quidem relicto idolorum cultu non solum ipsi unius et veri Dei cultum amplectantur, sed etiam curent, ut una eademque catholica religio et per universum orbem praedicetur et ab omnibus subditis custodiatur.

D e i n d e regum, principum et magistratuum saecularium officio incumbit, ut eam religionem adversus quoscumque sanctae et catholicae fidei | hostes totis viribus defendant. 118v Ideoque catholicorum principum officium est, ut in haereticos catholicae religionis et fidei omnium crudelissimos hostes totis viribus insurgant et ab eorum insultibus sanctam et catholicam ecclesiam defendant, et quod benignitate fieri non potest, verberibus etiam, ut ad unitatem ecclesiae catholicae revertantur, compellant, ut exemplo Sarae et Agar pulchre declarat A u g u s t i n u s[1]: *Quando*, inquit, *Deus vult concitare potestates adversus haereticos, adversus schismaticos, adversus dissipatores ecclesiae, adversus exsufflatores Christi*[a] *blasphemii non mirentur; quia Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar, cognoscat se Agar, supponat cervicem*[a]. *Mirantur autem, quia commoventur potestates christianae contra dissipatores ecclesiae detestandos. Si non commoverentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo*[a]*?* et paulo post: *Quod pertinet ad reges saeculi christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt.* Idem quoque catholicorum principum constitutionibus sancitum est a potestatibus saecularibus praeceptum[2], ut terras suas ab haeretica pravitate repurgent, statuta etiam poena in eos, qui id facere neglexerint, ut eorum terrae a catholicis exterminatis haeresibus occupentur atque possideantur. |

T e r t i o regum, principum et saecularium magistratuum officium exigit, ut postulanti- 119r bus archiepiscopis, episcopis et clericis adversus haereticos et sacrilegos, qui ecclesias et earum sacerdotes et ministros b o n i s s u i s s p o l i a n t iisdemque ex ecclesiis et monasteriis eiectis alios in eorum locum surrogant, ius reptant et iustitiam administrent et, quod per sententias catholicorum iudicum decretum fuerit, exsequantur.

Q u a r t o, ut haereticos ab ecclesia cum falsis doctrinis suis condemnatos ac ab eadem curiae saeculari traditos i u s t i s et l e g a l i b u s p o e n i s a f f i c i a n t, et eorundem falsos et ab iisdem depravatos libros comburant eorundemque usum et commercia omnibus interdicant, et generaliter, quicquid in conciliis universalibus vel nationalibus contra eos et eorum falsas doctrinas decretum fuerit, latis[b] legibus et interpositis publicis edictis exequantur.

Q u i n t o regum et principum aliorumque saecularium magistratuum officium est, ut libertatem et immunitatem ecclesiarum pro viribus defendant nec potestatem et iurisdictionem ecclesiasticam contra sacros canones et catholicorum principum ab ecclesia receptas constitutiones sibi vendicent et usurpent.

Satis iam de regia et saeculari potestate et personis item et magistratibus, qui potestate saeculari funguntur, | et officiis eorum dictum est. Superest iam, ut de a b u s i b u s p o t e - 119v s t a t i s s a e c u l a r i s et negligentiis regum, principum et magistratuum saecularium dicamus[c 3]. Est igitur p r i m u s a b u s u s, si reges, principes et magistratus saeculares potestatem suam 120r in iis rebus exerceant, quae eorum iurisdictioni non sunt subiecta, veluti si in his, quae ad religionem pertinent, contra sacros canones et catholicorum principum ab ecclesia receptas constitutiones leges ferant et eas pro legibus servandas praecipiunt, item qui sacros canones et catholicorum principum in favorem catholicae religionis et fidei et libertatis ecclesiasticae latas et ab ecclesia receptas[d] suis legibus abrogant. Quo casu, quemadmodum iustae leges ab imperatoribus pro tuenda catholica veritate latae servandae sunt, ita iniustae et pro falsitate latae contemnendae sunt. |

S i m i l i t e r a b u s u s est, si reges, principes et potestates saeculares pactis, rescriptis et 120v legibus caveant, ut haeretici ecclesias et earum superintendentes et ministros habere et instituere, ecclesias reformare et in his, quae ad religionem pertinent, novas et falsae doctrinae suae consonas ordinationes facere, divinas scripturas interpretari et falsa dogmata sua in scholis publice docere, ecclesiarum bona administrare, dispensare et, quae per vim et sacri-

[a] *om. Brunus nonnulla, quae apud Augustinum leguntur.* [b] *Cod.* ialis [c] *Cod. hic novam inscriptionem inserit* Abusus saecularis potestatis [d] *Supple* leges

[1] C. 39 *Quando vult* C. 23 q. 4, *Friedberg* I 919 sq.
[2] Cfr. De haereticis l. III (p. 172 sqq.) et infra p. 412 adn. 1.
[3] Allegat auctor *Augustinus*, Ep. 185 c. 2 n. 8 (*Migne* 33, 795 sq.); ep. 105 c. 2 n. 7 (*ibid.* 398 sq.) et Enarr. in Ps. 124 n. 7 (*Migne* 37, 1654); quae omisimus.

legia rapuerunt, retinere et in quos volunt usus convertere, pias item fundationes catholicorum principum extinguere possint, item qui haereticis et eorum defensoribus et fautoribus permittunt, ut ecclesiasticas causas iudicare et publico iudicandi aliisque muneribus publicis etiam in profanis causis vel negotiis vel soli vel cum catholicis fungi possint. Hi fere 121r abusus omnibus regibus, principibus et potestatibus saecu|laribus communes sunt. De his vero, quae imperatori et regibus proprie sunt, postea, cum de negligentia eorum et remediis contra haereses agetur, dicemus.

Ex his aliisque similibus abusibus potestatis saecularis per multos iam annos certum est haereticis occasionem datam fuisse excitatas et convictas haereses conservandi et tam late propagandi atque alios ex aliis confingendi.

Iam et n e g l i g e n t i a e regum, principum et magistratuum saecularium in his, quae ad supra enumerata officia pertinent, multarum haeresum huius temporis occasio fuerunt. Ac p r i m u m quidem, etsi saecularium principum quidam religionem et fidem catholicam, quam sancta mater Romana et apostolica ecclesia tenet, confessi sint et tenuerint, atque hodie etiam confiteantur et teneant, tamen populos ditioni suae subiectos in eadem fidei unitate retinere, et ut eandem tota mente amplecterentur, inducere neglexerunt, ut iam multos eorum imperio subiectos videamus, qui nullam. etiam quantumlibet gravem poenam metuentes non verentur se in his, quae ad religionem pertinent, cum haereticis coniungere et, spreta catholicae ecclesiae doctrina, falsam ecclesiae malignantium doctrinam amplecti. |

121v A l t e r a n e g l i g e n t i a potestatum saecularium est, quod per multos iam annos haereticos ex imperio et eiusdem territoriis non solum non expulerunt et eorum territoria et bona fisco non vendicarunt, sed etiam, ut retentis omnibus imperii privilegiis unusquisque haereticorum in sedibus et dominiis suis securus manere et habitare posset, libera potestas concessa sit, sed et pactis, transactionibus et pragmaticis sanctionibus eisdem publica pax ita promissa fuit, ut non solum nemo eos neque in personis neque in bonis, etiam quae per sacrilegam vim acquisivissent, offendere posset, sed etiam, qui eos offenderent, poena in fractores publicae pacis statuta plecterentur, nedum poenas a catholicis imperatoribus in eos statutas ab ipsis non sumerent.

T e r t i a n e g l i g e n t i a regum, principum et magistratuum saecularium est, quod archiepiscopis, episcopis et praelatis adversus haereticos de spoliis et sacrilegiis ecclesiis suis illatis conquerentibus et iustitiae administrationem implorantibus non solum ius non reddiderunt, sed etiam latis legibus caverunt, ne agentibus ecclesiarum praelatis in iudicio respondere tenerentur, quin etiam agentibus haereticis excommunicationis ecclesiasticae aliarumque etiam civilium poenarum haereticos ab actione in iudicio excludentium exceptiones denegarentur. |

122r Quibus sane negligentiis et omissionibus, imo vero commissionibus, quis non videt hoc esse effectum, ut haeretici et ecclesiae catholicae hostes et rebelles securi et in tuto collocati nihil non quantumvis crudele audere et perpetrare potuerint et, quod videmus, ad effectum etiam produxerint, imo universum Germaniae statum ita perverterint, ut nullius amplius publicae iustitiae administrationis respectus et certa ratio aliquanto tempore habita fuerit et adhuc habeatur.

Q u a r t a n e g l i g e n t i a regum, principum et magistratuum saecularium est, si ea, quae in sacris canonibus et legibus civilibus contra haereticos constituta sunt [1], non exsequantur, veluti si congregationes et conventus haereticorum non dissipent; si rescripta, leges et pacta per haereticos ab ipsis per fraudem et iniustam et violentam impressionem aut quovis alio modo elicita non cassent et retractent, et quae contra orthodoxam religionem facta sunt, in integrum universa non restituant et ad suum ordinem, quae ante in sacris canonibus et legibus civilibus constituta sunt, revocent; si libros haereticorum comburi non procurent, si eorum usum et commercia non interdicant; si haereticorum sacrilegia in personas et bona Deo dedicata commissa non puniant; si eos, qui sacratissimas virgines etiam iungendi causa 122v matrimonii rapuerint | aut capere attentaverint, capitali poena non afficiant; si eos, qui in ecclesias catholicas irruentes sacerdotibus et ministris in ipso cultu locoque sacro aliquid iniuriae important, non puniant, et iniuriam ipsam sacerdotibus et catholicae ecclesiae ministris, loco item et divino cultui illatam in convictos seu confessos reos capitali sententia non vindicent et multitudinem etiam violentam militari auxilio non coërceant; si in eos, qui templa in honorem Dei aedificata destruunt aut profanant, stabula iumentorum ex ipsis fa-

[1] Adnotat auctor c. 2 *Nullus* Cod. de summa Trin et fide cath. I 1, *Krueger* 5, et paulo post c. 16 *Si quis* Cod. de haer. et Manich. I 5, *Krueger* 55 sq De poenis canonicis cfr. *Hinschius* V 680 sqq.

cientes aut in alios usus profanos convertentes, non animadvertant, et generaliter, si propter alia ab haereticis in catholicos perpetrata crimina iustas et a sacris canonibus et legibus civilibus constitutas poenas ab iisdem non sumant. Nam et haec potestatum negligentia multarum hactenus haeresum, ut vel nascerentur vel propagarentur et non in tempore extinguerentur, occasio fuit.

[3.] Disciplina ecclesiae labefactata.

Tertia causa haeresum est per pravam clericorum vitam corrupta et contempta ecclesiae disciplina [1]. Res publica omnis confusa et perturbata est, in qua subditi magistratuum tam 128r ecclesiasticorum quam saecularium disciplinam respuentes ac praecepta eorum contemnentes turpiter vivunt et, contemptis bonis et ab honoribus et commeritis praemiis exclusis, mali beneficiis et honoribus, quibus boni remunerari deberent, afficiuntur. Quae res in omni re publica, maxime autem in ecclesiastica multorum semper malorum causa fuit. Et his temporibus nostris corrupta et neglecta ecclesiastica disciplina multis haeresibus vel nascendis vel his, quae natae fuerunt, propagandis occasionem praestitit et ecclesiastici ordinis personas apud laicos in summum contemptum adduxit.

Primum enim: Quis non videt haereticos nostri temporis propter incontinentiam sacerdotum et monachorum membra sua turpi et infami concubitu maculantium commotos fuisse, ut vota castitatis et sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, monachis et Deo dicatis virginibus relaxarent, coelibatum et continentiam sacerdotum et monachorum in sancta Dei ecclesia tollerent, sacrilegum eis coniugium permitterent, quin ex monasteriis Deo dicatas virgines contra omnia divina et humana iura raperent et sub praetextu iungendi matrimonii sacrilego concubitu stuprarent et loco coniugum ipsi spurcissimi scortatores et concubinarii tenerent. Sic et propter intemperantiam, crapulam et ebrietatem sacerdotum rubentibus buccis praedicantium | factum est, ut haeretici ieiunia ecclesiae etiam ab aposto- 128v lorum temporibus usque ad haec nostra tempora servata in multis Germaniae provinciis sustulerint et esum carnium interdictis ab ecclesia temporibus et diebus permiserint. Sic propter immodestos, obscenos et leves sacerdotum sermones et scurrilem conversationem inter laicos haeretici sacerdotum dignitati ita detraxerunt, ut iam nullam differentiam ordinis inter sacerdotes, clericos et laicos faciant, quin potius omnes tam laicos quam clericos, mares et feminas ex aequo sacerdotes, nec digniorem sacerdotum et clericorum quam laicorum conditionem esse doceant. Sic propter avaritiam, luxum et simoniam clericorum ecclesiasticas praelaturas et beneficia ementium et vendentium factum est, ut his temporibus, multis catholicorum imperatorum, principum aliorumque christifidelium eversis fundationibus, proventus [a] praelaturarum et ecclesiasticorum beneficiorum, ita docentibus et suadentibus haereticis, a principibus et magistratibus saecularibus [direptae sint], et simplici plebi persuasa fuerunt, quia in conferendis praelaturis et beneficiis ecclesiasticis [b], qui conferendi ius habent, nullam neque doctrinae neque vitae [et] honestatis personarum, quibus collatio fieri debuit, rationem habuerunt, | quin potius in- 129r doctos et idiotas viris doctissimis, et vita turpissima contaminatos et notatos integra vita et fama clarissimis viris praetulerunt.

Atque ex his omnibus aliisque similibus satis iam demonstrasse videor multarum quoque haeresum tam nascendarum quam propagandarum causam fuisse et esse corruptam et neglectam ecclesiae disciplinam ac propter eandem ecclesiasticum ordinem apud laicos in summum contemptum venisse, ut bene dictum sit ab Augustino [2]: *Nemo nocet in ecclesia Dei amplius, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis et sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus praesumit, et in exemplum vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quam episcopus.*

Haec habui, quae de causis haeresum huius temporis brevibus perstringere volui; reliquum est, ut de ratione et consilio, quibus modis, expulsis teterrimis huius morbi causis, morbus ipse ex corpore ecclesiae et membrorum eius depelli possit, deliberetur. Ac pri-

[a] *Cod.* proventibus [b] *Cod. add.* ab his

[1] Fol. 123r-128r Brunus pro termino « disciplina ecclesiastica » definiendo distinguit in ea bene vivendi doctrinam et malae vitae correctionem et utramque coniunctam inter se esse debere ex sacra scriptura, patribus et iure Romano ostendit. Quae omnia ex rationibus saepius adductis praetermisimus.

[2] C. 2 D. 83 (*Friedberg* I 293) revera desumptus est ex *Gregorio Magno*, Lib. reg. past. l. I c. 2, *Migne* 77, 16.

129v mum quidem notum est, quod alibi docet Aristoteles[1], | eadem principia compositionis [esse] et resolutionis, quod et regula iuris confirmatur. *Nihil enim,* inquit Ulpianus iureconsultus[2], *tam naturale est, quam eodem genere dissolvere unumquodque, quo colligatum est.* Et Iohannes Chrysostomus, quod et ipsum in sacris canonibus pro regula ponitur[3]: *Omnis res,* inquit, *per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Inquisitis igitur et cognitis haeresum causis dispiciendum iam est, qua ratione, quo consilio et quibus remediis causae haeresum ex corpore ecclesiae expelli, et his ipsis expulsis, haereses quoque extingui possint.

V.

Remedia, quibus haeresum morbus a corpore ecclesiae repelli potest[4].

Est autem primum remedium ecclesiae in capite et membris reformatio. Quae, quo consilio quibusque mediis fieri debeat, sententiam meam breviter in aliquot considerationes contuli.

Prima consideratio est: Scribit Esaias propheta, peccata populi Israelitici et iniquitatem eius enarrans, ac inter cetera ait[5]: *Omne caput languidum et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata nec curata in medicamine neque fota oleo.* Quo loco propheta totum corpus populi
130r Dei omnibus peccatis gravatum esse significans, totum corporis languorem | ad caput, id est sacerdotes et principes populi, tamquam ad principium et causam morbi totius corporis refert. Cum enim inter sensus et omnia membra corporis principalem locum obtineat caput, in quo visus et odoratus et gustus est, recte, cum caput doluerit, omnia membra debilia esse dicuntur. Idem nos de populo evangelico hodie dicere possumus[6]: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctam Dei ecclesiam, alienati sunt retrorsum, in quo percutiam vos ultra addentes praevaricationem. Omne caput,* id est omnes pontifices, episcopi, reges et principes saeculares, *languidi sunt, et omne cor moerens. A planta pedis,* id est ab imperito vulgo, a doctoribus usque ad praelatos et principes, *non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens,* et quod de populo Israelitico significavit, languescente capite languorem eius in membra subdita et totum populum derivari, idem nos de Romana ecclesia et eius capite Romano pontifice dicere possumus, ut languescentibus illis non solum eiusdem Romanae ecclesiae, sed reliquarum etiam Romanae ecclesiae subditarum ecclesiarum membra languescant. Quoniam autem, capite infirmo, cetera membra, quae infirmitatem ex morbo capitis contraxerunt,
130v sanari non | possunt, nisi primum eodem ipso sanato capite et, ut c. [46] *Sicut* inquit[7], *si languor non fuerit curatus in capite, morbus totum corpus invadit nec nisi sanato capite reliqua corporis membra sanari possunt.*

Ad reformandam igitur ecclesiam primum omnium necessarium erit, ut Romana ecclesia in capite et membris reformetur. Etsi enim patriarchae, archiepiscopi, episcopi et ecclesiarum parrochialium rectores quisque ecclesiae suae et eiusdem subditorum sit caput, tamen iidem patriarchae, archiepiscopi, episcopi et ecclesiarum parrochialium rectores Romanae et apostolicae sedis membra sunt et subditi, imo et grex ipse dominicus, qui summo pastori Romano pontifici regendus et pascendus commissus est. Propter quod inferiores et Romanae sedi subditae ecclesiae et earum praelati reformari non possunt, nisi Romana ipsa ecclesia ante omnia in capite et membris reformata[a].

Secunda consideratio: Quoniam autem ita plerumque fit, ut, qui maxime aegrotant, aegrotare se nesciant, morbum suum non agnoscentes, aut, si se aegrotare cognoscunt, tamen austeritatem medicinae timentes curari nolunt, quod tamen multos iam annos in ecclesia Romana factum fuisse scimus, quod plerique magni nominis autores in concilio Con-

[a] *Cod. in marg. manu Bruni:* Dura haec videbitur consideratio, sed vera, non omittenda.

[1] De gener. et corrupt. l. I c. 3, *Bekker* 318 A, 25 sqq.

[2] L. 35 Dig. de diversis reg. iuris ant. L 17, *Mommsen* 869 (non verbotenus).

[3] C. 1 X de reg. iuris V 41 (*Friedberg* II 927) ex opere imperfecto in Matth. auctoris incerti desumptum est.

[4] Cum hac parte V conferenda est De haer. l. VI *De cautionibus, quibus providetur, ne haereses et schismata vel nova oriantur vel subnascentia invalescant vel semel extincta renascantur* (p. 318-358).

[5] *Is.* 1, 5 sq.

[6] *Is.* 1, 4.

[7] C. 2 q. 7, *Friedberg* I 499 (non verbotenus).

stantiensi et Basiliensi factum esse testantur [1], et hodie quoque in Romana curia ita 131r fieri timendum est, opere pretium erit, ut Romanus pontifex et cardinales de praedictis languoribus Romanae ecclesiae tamquam aliarum ecclesiarum capitis a fideli aliquo et catholico principe bene informentur, ut qui hactenus languores suos non agnoverunt aut medicinam respuerunt, denuo se, id est caput ecclesiae, sanari patiantur, ut sic sanato capite, membra quoque cetera iisdem languoribus obnoxia sanari possint.

Tertia consideratio est: Etsi ad Romanorum imperatoris officium pertineat occurrentibus ecclesiae necessitatibus consulere et occurrere et, negligentibus pontifice Romano et cardinalibus, aliorum ecclesiae episcoporum et praelatorum conventum procurare et capitis negligentiam eorumdem consilio resarcire, nedum Romanum pontificem tamquam caput de languoribus suis et ecclesiae Romanae informare, et ut medicinam et curam ad sanandos tales languores ipse adhibeat vel ab universali ecclesia adhibita admittat, quia tamen hoc tempore inter Romanum pontificem modernum et imperatorem Romanorum discordia aliqua intercedit [2], ut verisimile est huiusmodi informationem et admonitionem imperatoris ab eodem Romano pontifice non facile admissum iri, consultum mihi videtur, ut haec | omnia per alium 131v quempiam catholicum regem vel principem Romano pontifici gratum, missis super hoc arduo negotio fidelibus et iisdem etiam Romano pontifici et sacro cardinalium collegio gratis oratoribus et legatis fiant; ad quam rem bene et feliciter expediendam opus erit non solum magna legatorum prudentia et modestia, sed etiam certa rerum cum pontifice et cardinalibus agendarum instructione.

Quarta consideratio ad sanandos praedictos languores capitis et membrorum: Prima quidem curandi ratio a capite exordienda est, ac sanato capite ad curam quoque membrorum descendendum. Quemadmodum autem gravior est morbus capitis quam membrorum curatio: Sicut enim a capite virtutes totius corporis in membra derivantur, ita laeso capite membra quoque infirmentur necesse est, et contra sanato capite facilius etiam membra curantur [3]. Cum autem totius corporis Christi, quod est ecclesia, caput sit Romana ecclesia et qui praeest ei Romanus pontifex, primum omnium Romanae ecclesiae et praesulis eius languores sanandi erunt, quorum curatio tanto difficilior erit, quia non hominum, sed Dei tantum medicinam recipit. Etenim Romanus pontifex non ab hominibus, sed a Deo tantum iudicatur. Sunt igitur duo modi, quibus ecclesia Romana reformatur: Primus, | ut Romano 132r concilio indicto, congregatis omnibus Romanae ecclesiae cardinalibus, episcopis et praelatis eiusdem ecclesiae et capitis eius Romani pontificis languores et defectus proponantur et a patribus concilii examinentur, et ab iisdem, quibus remediis sanari possint, deliberetur; secundus, ut huiusmodi examinatione et deliberatione facta Romanus pontifex suam causam iudicet, et quod emendandum est, emendet. Ad hunc enim modum congregatis Romanis conciliis saepe Romanae ecclesiae languores sanati fuerunt, decernentibus videlicet conciliorum patribus, quibus remediis huiusmodi languores curari possent, et Romano pontifice suam et ecclesiae Romanae causam iudicante et defectus emendante, ut de Marcellino et Sym[m]acho pontificibus supra retulimus [4].

Sunt autem languores et defectus Romanae ecclesiae et summi pontificis, quos supra enumeravi [5], abusus potestatis ecclesiasticae et plenitudinis eius, negligentia Romani pontificis aliorumque praelatorum sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae et corrupta et neglecta ecclesiae disciplina. Ad reformandam igitur ecclesiam Romanam primum omnium necessarium erit, ut abusus ecclesiasticae potestatis corrigantur et legitimus eius usus restituatur. Id autem tum recte fiet, si, quae sunt iurisdictionis ecclesiasticae tam vo|luntariae quam 132v contentiosae, ad aedificationem ecclesiae in Romana ecclesia exerceantur, id est si praelaturis idoneae personae praeficiantur; si electiones episcoporum et aliorum praelatorum non aliter nec antea confirmentur, quam diligenti inquisitione de doctrina, industria et vita electae personae habita, eandem ad administrandam praelaturam, quae electa est, dignam et sufficientem esse constiterit; si iudiciorum ordo ita servetur, ut, quod est saecularis iurisdictionis, cum his, quae sunt ecclesiae iurisdictionis, non confundantur, ne[c] causae profanae ad forum saeculare pertinentes ad curiam Romanam trahantur; item si censurae ecclesiasticae in casibus tantum a sacris canonibus permissis ferantur; si beneficia ecclesiastica non aliis quam doctis et peritis et vitae honestate probatis viris, nec uni, nisi in casibus a sacris cano-

[1] Ex. gr. *Gerson*, Opp. ed. *Dupin* II 173 sqq.
[2] Propter Caroli V abdicationem ab imperio et coronationem fratris eius Ferdinandi a. 1558 inter Paulum IV et Ferdinandum I lis erat exorta. Cfr. *Pastor* VI 571 sqq. et *I. Schmid*, Die deutsche Kaiser- u. Königswahl u. die römische Kurie in den Jahren 1558-1620: Hist. Jahrbuch 6 (1885) 3-41.
[3] Cfr. c. 1 *Non decet* D. 12, *Friedberg* I 27.
[4] Scil. in parte a nobis omissa supra p. 404 adn. 1.
[5] Cfr. supra partem IV sect. 1.

nibus permissis, plura, sed singulis et iisdem idoneis singula conferantur; si praesentibus tantum et legitimis praelaturarum et beneficiorum possessoribus proventus eorundem integri dentur, nec absentibus et in ecclesiis non residentibus pensiones in praelaturis et beneficiis sine evidenti necessitate et utilitate ecclesiarum assignentur; si bona Romanae ecclesiae in pios et, quos secundum sacros canones oportet, usus convertantur, et non pontificum aliorumque ecclesiae Romanae praelatorum consanguineis et amicis donentur aut in alios profanos
133r et pravos | usus convertantur: et generaliter, si Romani pontifices potestate ecclesiastica in omnibus his, quae ad singulas eius partes relata supra enumeravimus, iuxta iuris divini et sacrorum canonum dispositionem, maxime vero si plenitudine potestatis ecclesiasticae in dispensationibus aliisque iuri canonico consentaneis dispositionibus ad aedificationem, non ad destructionem ecclesiae utantur, ac postremo, si simonia e curia Romana expulsa pro usu spiritualis potestatis, ad quem Romanus pontifex ex officio tenetur, sive a sponte dantibus sive ab invitis per expressam petitionem seu per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae vel de aliis bonis undecunque provenientibus nihil temporale vel ipse accipiat vel exigat vel officiales suos accipere et exigere permittat.

Deinde necessarium erit, ut Romanus pontifex aliique Romanae ecclesiae praelati negligentiam suam debita et diligenti officiorum suorum executione resarciant. Ac primum quidem Romani pontificis officium est universalis et catholicae ecclesiae curam gerere omniaque ad aedificationem, non ad destructionem ecclesiae agere nec quicquam contra propheticam, evangelicam et apostolicam doctrinam constitutionemve eorum sive sanctorum patrum con-
133v stituere, ut multis supra a nobis demonstratum est [1]. | Deinde ad officium Romani pontificis pertinet, ut alicubi suborta haeresi huiusmodi malum non dissimulet, sed *ne latius serpat multosque corrumpat et interimat*, celeriter provideat, ut patres Milevitani concilii ad Innocentium papam primum scripserunt [2]. Deinde eiusdem officio incumbit, ut episcopos eius loci aliosque catholicos per epistolas aut nuntios de ea re certiores faciat et, ne ipsi quoque dissimulent, admoneat, et ut ab haereticis eorumque prava doctrina caveant et Deum orent, ut ecclesiam suam a laqueis earum liberet, tum eorum corda illuminet, ut et ipsi a diaboli nexibus liberati ad ecclesiae unitatem revertantur. Quod Fabianus pontifex exorta Novati haeresi, scriptis ad omnes utique catholicae ecclesiae ministros literis [3], et Damasus papa suo tempore natis haeresibus ad episcopos in Illyrico constitutos scribens [4] fecerunt. Sic et Cornelius papa omnibus sanctae ecclesiae Dei filiis scribens [5] adhortatus est eos, ut Novatianum et Novatum haereticos ad catholicam fidem convertere contenderent. Sed et pontifex ipse Romanus curabat, ut haeretici ad veritatem, a sensus proprii singularitate ad unitatem ecclesiae catholicae reducantur. In qua re ita affectus esse debet, ut veniam cupiat
134r praestare correctis, ut Leo Papa docet [6], ac proinde si quos haereticos | emergere deprehenderit, sine mora eos, ut ab errore desistant eaque doceant et sentiant, quae catholica tenet ecclesia, fraterne admonebit; quod si sic admoniti resipuerint et digna se satisfactione purgarint, revertentes summo gaudio ad communionem recipiendi sunt; sin vero admoniti in errore suo obstinati perstiterint, secundum regulas ecclesiasticas aut ipse condemnabit eos, aut aliis episcopis condemnandos committet. Ad quem modum Felix papa tertius Petrum Mongum Antiochenum et Achacium Constantinopolitanum Calcedonensem synodum recipere recusantes Nestorianamque et Eutichianam haeresim defendentes damnavit [7]. Sic et Damasus papa Timotheum et Apollinarem haereticos damnavit, quod ipse in epistola ad orientales episcopos scripta testatur [8].

Illud quoque Romani pontificis officio incumbit, ut, quoties opus est, imperatorem aliosque reges et principes, sub quorum imperio haereses et sectae emergunt, diligenter admoneat, primum, ut veram et catholicam religionem et fidem custodiant et mandata Dei observent; deinde, ut, quod sacerdotale officium per doctrinae sermonem et ecclesiasticas censuras non potest, ipsi disciplina et saecularis potestatis rigore haereticam ubique impietatem supprimant et
134v extinguant, quod multis exemplis | in haereticis meis demonstravi [9].

[1] Vide p. 415 adn. 4.
[2] Cfr. *Mansi* IV 336. Hanc allegationem sicut et sequentes vide etiam De haeret. III 4 (p. 147 sqq.).
[3] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 156 sqq.
[4] Hist. tripartita l. V c. 29, *Migne* 69, 1006 sq. ex Theodoreto, quem Brunus etiam De haer. III 4 (p. 148) allegat.
[5] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 171 sq.
[6] Ep. 89, *Migne* 54, 930 sq.
[7] Allegat Brunus *Liberati* « Breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum » cap. 17, *Migne* 68, 1022 sqq.
[8] Hist. tripartita l. IX c. 15, *Migne* 69, 1133 sq.
[9] Quae sequuntur de summi pontificis munere imperatores admonendi allegationes (f. 134v-138v) ex litteris paparum desumptae, cum omnes etiam in libro Bruni De haer. III 8 (p. 165-169) inveniantur, omisimus.

Sunt et multa alia, quae ad officium Romani pontificis pertinent, quae quoniam in multis [138v] retro temporibus negligenter, quaedam etiam aliter quam oportet peracta sunt, operae pretium erit, ut in eo quod dixi Romano concilio, quibus modis ea negligentia resarcianda sit, deliberetur, ac per Romanum pontificem et praelatos ecclesiae Romanae re ipsa resarciatur. Sed et multis temporibus disciplina ecclesiastica in curia Romana abiecta et neglecta fuit, de qua et ipsa, quomodo restituenda sit, in eo quod dixi concilio Romano deliberandum erit, ut et praelati, sacerdotes et clerici bene vivendi doctrinam amplectentes bene et honeste vivant et aliis bene vivendi exemplum praestent et cum dignis praemiis honorentur, male autem viventes iustis poenis afficiantur. |

Quinta consideratio: Atque ad hunc modum Romana ecclesia in capite et membris [139r] reformata proximum erit, ut et inferiores et Romanae sedi subiectae ecclesiae reformentur, in qua reformatione idem fere processus et ordo, quem in reformatione Romanae ecclesiae servandum esse diximus, servabitur, ea videlicet ratione habita et modo servato, ut in singulis singularum provinciarum archiepiscopatibus, episcopatibus et parrochiis abusus ecclesiasticae potestatis corrigantur, negligentiae archiepiscoporum, episcoporum et inferiorum praelatorum et parrochiarum rectorum et pastorum per diligentem officiorum suorum administrationem resarciatur, ac postremo praelatorum, sacerdotum et clericorum vita [et] ecclesiastica disciplina ad meliorem vivendi formam redigatur atque reformetur. Ad quam rem rite perficiendam primum omnium necessarium erit, ut Romanus pontifex Romanae ecclesiae omniumque inferiorum ecclesiarum caput ad singularum provinciarum archiepiscopos, episcopos et praelatos legatos et nuntios cum sufficientibus commonitoriis et mandatis mittat, et eosdem archiepiscopos, episcopos et praelatos de reformata Romana ecclesia in capite et in membris per eosdem nuntios informet simulatque mandet, ut et ipsi tamquam membra caput sequentes quisque ecclesiam suam ad eundem modum in capite et in mem|bris reformet, in qua re apostolici legati et nuntii archiepiscopis, episcopis et prae- [139v] latis hunc modum praescribent, ut in sequenti consideratione habetur.

Sexta consideratio: Principio archiepiscopi et episcopi singularum provinciarum quisque in sua dioecesi et eiusdem ecclesiasticis collegiis monasteriis et parrochiis visitationem instituet, in qua omnium praelaturarum et parrochiarum excessus et defectus in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et membris per generalem inquisitionem investigabuntur. Fiet autem inquisitio super certis et his, qui inquirendi sunt, proponendis interrogatoriis, in quibus inter alia praecipue etiam ea, quae ad praelatorum, parrochorum et generaliter eorum, quibus pastoralis cura commissa est, doctrinam et vitam pertinent, continebuntur. Ac proinde diligens inquisitio fiet, quorum doctrinam, haereticorum an catholicorum, secuti ecclesiarum rectores et verbi Dei praedicatores sacramenta administrent, verbum Dei populo praedicent, an in administratione sacramentorum et reliquo divino cultu ritus et ceremonias ecclesiae servent. Sed et libri eorum examinabuntur, et si ab haereticis scripti aut depravati fuerint, ab iisdem | mox auferentur et in custodiam aliquam reponentur. Porro inquisitione gene- [140r] rali ad hunc modum facta, omnes excessus et defectus prius per notarium aliquem post factas interrogationes notati consignabuntur, et in singulis ecclesiis ad singula protocolla referentur.

Septima consideratio: Postremo visitatione in singulis dioecesibus peracta, singuli archiepiscopi et episcopi diocesana concilia congregabunt, in quibus convenientibus omnibus et singulis eiusdem diocesis praelatis acta visitationum et factarum inquisitionum in concilio proponentur et referentur, quibus perlectis et auditis episcopi quisque in diocesi sua cum praelatis suis, quid reformandum sit, deliberabunt, et quae per ipsos communiter decreta fuerint, in certa diocesana statuta redigent et in librum aliquem statutorum conscribi curabunt.

Octava consideratio: Conciliis ad hunc modum in singulis provinciis et singulis earundem diocesibus celebratis, singularum provinciarum archiepiscopi quisque in sua provincia provinciale concilium celebrabit, in quo convenientibus omnibus et singulis eiusdem provinciae ⟨episcopis coram archiepiscopo et singulis suffraganeis suis episcopis singularum diocesium eiusdem provinciae⟩[a] diocesanarum synodorum acta et decreta proponentur, quibus perlectis et auditis, archiepiscopus cum episcopis suffraganeis suis primum singularum | diocesium decreta diligenter examinabunt, et quae cum quibus concordent aut discordent, [140v] discutient et, quae discordaverint, in concordiam redigent, quae et veluti totius provinciae communia et uniformiter servanda confirmabunt. Deinde doctrinas diligenter examinabunt, et si quas usque in provincia falsas et erroneas deprehenderint, cum autoribus suis damnabunt et, ne a quoque cuiuscunque parrochiae rectore et pastore et verbi Dei praedicatore

[a] *in marg. add.*

doceantur, sub interminatione gravissimarum contra haereticos statutarum tam canonicarum quam civilium censurarum et poenarum mandabunt. Quin etiam libros haereticorum in singulis diocesibus collectos et custoditos examinare et ex ipsis errores haereticorum colligi et notari per doctos aliquos et catholicos et linguarum peritos viros in librum aliquem cum nominibus autorum suorum conscribi curabunt. Post haec, causa religionis et fidei ad eum quem dixi modum diligenter pertractata, de abusibus ecclesiasticae potestatis corrigendis et legitimo eiusdem usu restituendo, quantum eiusdem provinciae praesens status et conditio exiget, deliberabunt, et si quid hactenus per archiepiscopum, episcopos et praelatos eiusdem provinciae negligenter actum fuerit, diligenti officiorum suorum administratione, quod neglectum fuerit, resarcient et emendabunt. Postremo disciplinam quoque ecclesiasti-
141r cam hactenus neglectam et contemptam, | clericorum prava vita per bene vivendi doctrinam et iustas increpationes et poenas emendata, restaurabunt. Et ad postremum singularum provinciarum archiepiscopi quisque provincialis concilii per eum cum eiusdem provinciae episcopis celebrati acta et decreta in unum aliquem librum conscribi curabit.

Interea autem dum visitationes in singularum provinciarum diocesibus fiunt, et diocesana et provincialia concilia celebrantur, nuntii apostolici in Germania manebunt, et quicquid in singulis provinciis actum fuerit, attendent [et] metropolitanos et episcopos provinciarum, ut mature in mandato reformationis negotio procedant, quotiescunque opus esse videbitur, adhortabuntur.

Nona consideratio: Celebratis igitur ad suprascriptum modum provincialibus conciliis, nuntii apostolici a singulis archiepiscopis singulorum conciliorum provincialium acta et decreta requirent, quibus ad sedem apostolicam per eos transmissis Romanus pontifex ad omnes et singulos singularum provinciarum archiepiscopos et episcopos scriptis apostolicis literis eisdem mandabit,ut concilium nationale in certa aliqua Germaniae civitate cele-
141v brent. Nuntii vero apostolici primario inter archiepiscopos autoritate aposto|lica ex speciali sedis apostolicae mandato iniungent, ut de consensu aliorum archiepiscoporum concilium indicat, et eidem locum assignet, ad quod convocati et citati archiepiscopi et episcopi venient et in eo nisi iustis causis impediti personaliter comparebunt, doctissimis et catholicis iisdem viris, theologis et canonistis comitati. Ac proderit fortasse, ut et ab apostolica sede eiusdem sedis nuntii aut alii doctissimi viri divinarum scripturarum et sacrorum canonum periti iis adiungantur. Congregatis igitur singularum provinciarum archiepiscopis, episcopis et praelatis primarius archiepiscopus propositione primum per ipsum facta acta et decreta singulorum provincialium conciliorum producet. Ad tractandum autem et definiendum conciliares causas et praedictorum provincialium conciliorum decreta hunc ordinem et processum servandum proponet:

Ac primum quidem doctrina fidei examinabitur, quo loco omnes haereticorum in conciliis provincialibus consignati errores proponentur et autoritate divinarum scripturarum et sanctorum patrum sacrorumque conciliorum decretis per eos confutati cum autoribus suis
142r damnabuntur, | et catholica dogmata fidei sacramentorum et ceremoniarum restituentur, sed et decreto conciliari libros omnes ab haereticis scriptos et depravatos comburendos et eorum usum et commercia interdicenda esse pronuntiabunt. Est autem in condemnandis, corrigendis et comburendis adulterinis et erroneis scriptis ea habenda ratio et inter scriptores facienda differentia, ut libri, quos condemnati haeretici et eorum sectatores et pertinaciter in erroribus suis perseverantes et ecclesiae Romanae catholicae et apostolicae autoritatem impugnantes et catholicam unitatem turbantes et dissipantes scripserunt, etiamsi multa in eis vera et salutaria contineantur, condemnandi et comburendi [sint], quales sunt libri a Luthero et eius sectatoribus, a Zwinglio, Oecolampadio aliisque sacramentariis, a Bucero, Calvino et horum et similium innumeris asseclis, ab uno Luthero tamquam primo huius temporis haeresum et sectarum et autore et principe scripti. In examinandis autem et censendis eorum scriptis, qui erronea quaedam scripserunt, nunquam tamen a catholicae ecclesiae unitate defecerunt nec errores suos pertinaciter defenderunt, parati videlicet scripta sua iudicio catholicae ecclesiae submittere, ea ratio habenda est, quam Gelasius papa in censendis sanctorum patrum scriptis habuit [1], in quibus, quae erronea deprehendit, tamquam apo-
142v crypha | vitanda admonuit, reliqua autem, quae in iisdem scriptis catholicae veritati consona fuerunt, ea tamquam authentica habenda esse decrevit, qualia sunt scripta Origenis, in quibus etsi multae opiniones erroneae contineantur, tamen non universa eius scripta propter paucos

[1] Scil. in decreto quod dicitur Gelasianum c. 4 n. 5, *E. v. Dobschütz*, Das Decretum Gelasianum (Leipzig 1912) 44 sqq.; cfr. *J. Chapman* in Revue Bénédictine 30 (1913) 204 sqq.

aliquos errores condemnanda sunt, quia si de erroribus suis ab ecclesia edoctus fuisset, procul dubio in his minime perseverasset, sed ipse [se] iudicio ecclesiae parens emendasset. Propter quod et Beatus Hieronymus aliique ecclesiastici doctores vitatis iis, quae in scriptis eius erronea sunt, reliqua cum magna veneratione amplexi et imitati sunt, atque idem in censendis Tertulliani, Irenaei et quorumdam aliorum veterum scriptis observarunt, et Augustinus in suis et aliorum scriptis observandum esse docuit. Atque hoc nomine defenduntur etiam scripta gloriosissimi martyris Cypriani, in quibus etsi alicubi iteratio baptismi haereticorum comprobetur, quia tamen eum errorem adhuc vivens emendavit, propter unicum talem errorem reliqua eius scripta condemnata non fuerunt, imo ab Augustino, Hieronymo aliisque sanctis patribus in summa veneratione habita fuerunt et in universa ecclesia catholica etiamnunc habentur. |

Atque hac sane ratione nimis mihi severum iudicium videtur eorum, qui sine discrimine 143r omnia scripta quoruncunque authorum his nostris temporibus edita propter paucos aliquos errores in his ipsis contentos in aliis, quae vere et salubriter scripta sunt, in universum condemnandos et comburendos esse censent. Cuiusmodi sunt scripta Erasmi Roterodami [1], D. Udalrici Zasii [2] iureconsulti et aliorum similium, in quibus, etsi quaedam continentur, quae multis erronea videntur, quod tamen de scriptis Zasii viri insigni doctrina et modestia praediti non facile iudicandum esse putaverim. Addo etiam, quod in scriptis Erasmi multa continentur, quibus non vera et catholica doctrina, sed horrendi quidem abusus in ecclesia, praelatorum negligentia, corrupta ecclesiae disciplina et variae superstitiones taxantur. Propter haec, inquam, erronea et liberius fortasse quam oportet ab Erasmo et aliis scripta non sunt in reliquis, quae vera et catholica sunt, ac multa praeterea, quae ad cognitionem honestarum disciplinarum pertinent, condemnanda, reiicienda, interdicenda et comburenda. Sunt fortasse multa, quae in Annotationibus in Novum Testamentum erronea et ob id merito a Stunica, Carporum duce aliisque doctissimis viris reprehensa sunt [3], multa etiam nimis scurriliter in | Colloquiis et quibusdam contra monachos scriptis libris [4] continentur, sed 143v propter quae damnandi non sunt chiliadum Adagiorum opus et libri de copia verborum et rerum et similia multi, item optimi libri per Erasmum ex graeca lingua in latinam translati. In his igitur omnibus ea moderatio mihi servanda videtur, ut, quae erronea ab his, qui de haeresi non condemnati sunt, scripta fuerint, non, priusquam per doctissimos diligentissime examinata fuerint, reiiciantur, quae vero ab iisdem recte, docte et salubriter scripta sunt, neque condemnentur neque comburantur. In qua re necessarium erit, ut in singulis provinciis doctissimi viri omnium linguarum et honestarum disciplinarum periti deputentur, per quos omnia et singula ubicumque existentia examinentur omnesque haereticorum libri aboleantur, eorum autem scripta, qui de haeresi non condemnati sunt, quatenus vera sunt, conserventur, in reliquis autem corrigantur, et quae in his correcta fuerint, diligenter consignentur. Deinde ea, quae ad politiam ecclesiae pertinent, tractabunt et ea, quae in sacris canonibus de iurisdictione ecclesiae utriusque fori interioris et exterioris, voluntaria et contentiosa statuta sunt, quorum multa supra circa singulas | partes ecclesiasticae iurisdictionis 144r enumeravimus [5], conciliaribus decretis renovabunt et inviolabiliter servanda esse definient, abusus supra per nos enumeratos corrigendos esse decernent et corrigent.

Postremo disciplinam ecclesiae restituent et doctrinam bene vivendi in sacris canonibus traditam renovabunt, quin etiam, quae ad reformandos clericorum mores et instituendam honestam vitam pertinent, latis legibus ac traditis iuste, fortiter, temperanter et modeste

[1] Index Pauli IV a. 1559 ineunte editus omnia Erasmi opera sine ulla exceptione prohibuit, *H. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I (Bonn 1883) 264. 347. De difficultatibus inde in Germania exortis S. Canisius Lainio 27. Maii 1559 scripsit: *Heremus velut in luto, timemus non parum, clamant in collegiis, ut aliquid constituatur* (Petri Canisii epp. et acta ed. *Braunsberger* II 425). Paulo post facultas emendandi « Adagia » et « Copiam verborum » Erasmi data est, *Braunsberger* l. c. 485; *Reusch* l. c. 299 sq.

[2] Etiam Udalricus Zasius — quamquam catholicus — in indice Pauli IV inter auctores primae classis, i. e. eos, quorum opera omnia prohibebantur, enumerabatur; index Tridentinus eum praetermisit, *Reusch* I 364 sq.

[3] Iacobus Lopez Stunica Hispanus († 1530) contra Erasmum diversos edidit libros: « Annotationes in defensionem translationis Novi Testamenti » (Compluti 1519); « Erasmi Roterodami blasphemiae et impietates » et « Libellus trium illorum voluminum praecursor, quibus Erasmicas impietates ac blasphemias redarguit » (Romae 1522). Cfr. *A. Bludau*, Die beiden ersten Erasmusausgaben des Neuen Testamentes u. ihre Gegner (Freiburg 1902) 125-140, ubi p. 58 sqq. multa de aliis Erasmi adversariis.

Albertus Pius comes Carpensis († 1531) contra Erasmum et Lutherum duos scripsit libros: « Ad Erasmi Roterod. expostulationem responsio » (Parisiis 1529) et « Tres et viginti libri in locos lucubrationum variarum Des. Erasmi Roterod. » (Parisiis 1531). Cfr. *Lauchert*, Die italienischen literarischen Gegner Luthers 279-306.

[4] Scil. in libro « Encomium moriae » 1509 et saepius; etiam « Copia verborum ac rerum » a. 1512 et « Adagia » a. 1500 primo edita multa contra monachos continent.

[5] Scil. p. IV sect. 1, a nobis abbreviata.

vivendi praeceptis docebunt et iustas poenas contra turpiter viventes statuent et easdem contra delinquentes irremissibiliter exequendos esse decernent.

Et quoniam frustra sunt leges, nisi sint, qui easdem exsequantur, quaecunque in hoc nationali concilio definita fuerint, per nuntios apostolicos ad sedem apostolicam referentur. Quibus ab eadem sede confirmatis Romanus pontifex Romanorum imperatorem aliosque saeculares principes eorum officii admonebit et adhortabitur, ut, quae totius nationis Germanicae aut potioris eius partis archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum iudicio in concilio nationali diffinita fuerint, ea ipsa fideliter exequi non dedignentur. Sed et patres concilii
144v imperatorem et reliquos principes saeculares | quasi brachium saeculare invocare debebunt, ut, quae per eos diffinita et a sede apostolica confirmata fuerint, exequantur. Atque hunc sane ordinem et processum in tractandis definiendisque causis religionis et fidei catholicae a multis quoque aliarum nationum localibus et nationalibus conciliis observandum esse animadverti, quod acta et decreta Toletanorum in Hispania, Carthaginiensium et aliorum Africanorum in Africa, Aurelianensium aliorumque Gallicorum conciliorum in Gallia demonstrant.

D e c i m a c o n s i d e r a t i o : His omnibus eo quod dictum est ordine secundum distinctos gradus rite peractis, quoniam rata esse non possunt, quae in localibus aliisque conciliis definita sunt, nisi a sede apostolica confirmentur, omnia et singula acta et decreta visitationum, conciliorum diocesanorum et provincialium conciliorum ac postremo ea etiam, quae in nationali decreta et definita fuerint, ad sedem apostolicam referentur, scilicet ut ab eadem confirmenter et servanda esse praecipiantur. Quibus ita confirmatis postremo necessarium
145r erit, ut Romanus pontifex u n i v e r s a l e t o t i u s o r b i s c o n c i l i u m | ac sciente et protegente imperatore indicat, in quo omnium totius christiani orbis patriarchas, archiepiscopos, episcopos et praelatos de negotio reformationis Romanae ecclesiae tamquam capitis et inferiorum ecclesiarum in natione Germanica ⟨tamquam membrorum atque iis, quae in utroque tam Romano quam Germanico⟩ [a] nationali concilio acta et diffinita fuerint, informabit, quae omnia ab omnibus et singulis concilii universalis patribus examinata universali totius orbis iudicio confirmabuntur et ad eorum exemplum reliquas quoque nationes reformandas esse decernetur. Sed in eodem universali concilio alia, quae in nationali non potuerunt, statuentur. Et inter haec abusus etiam regiae et saecularis potestatis in his, quae ad religionem pertinent, corrigentur; reges item, principes et potestates saeculares tamquam ecclesiarum advocati officii sui, quo fidem catholicam et ecclesias ab earum hostibus defendere astricti sunt, admonebuntur.

Iam igitur r e f o r m a t i o n e in ecclesia Romana et inferioribus etiam ecclesiis Germaniae ad praescriptum modum f a c t a atque constituta, p r a e s e n t i s s i m u m r e m e d i u m inventum et paratum esse videtur, quo Germania a morbo haeresum liberari potest, quippe hoc
145v remedio adhibito, | id est correctis abusibus utriusque potestatis ecclesiasticae et saecularis et resarcita magistratuum ecclesiasticorum et saecularium negligentia, corrupta item neglecta ecclesiae disciplina restituta. Non video, quid obstet, quin ab haereticis nostri temporis decepti, cum viderint catholicos omnes idem sentire nec inter eos schismata esse, sed unam et ubique sibi similem et consonantem de fide, de sacramentis et de ceremoniis doctrinam, in omnibus ecclesiis unum et eundem etiam divinum cultum habere, deinde in politicis etiam ecclesiae rebus magistratus ecclesiasticos iurisdictionem ecclesiae in omnibus eius partibus diligenter exercere et officia sua secundum regulas ecclesiasticas in corrupto iudicio administrare sacerdotes, item presbyteros, diaconos et subdiaconos atque inferioris gradus et ordinis [clericos] iuste, in adversis rebus fortiter et constanter, temperanter, continenter et caste in sermone, incessu et omni inter clericos et laicos conversatione modeste vivere, et his virtutibus contraria vitia sive virtutis amore sive formidine poenae odisse et vitare; contra vero
146r videntes haereticorum doctrinam tam sibi dissimilem | et ubique dissonantem et varia inter ipsos schismata esse, nec unum et eundem divinum cultum eos habere, iurisdictionem ecclesiasticam, cuius capaces non sunt, usurpare, inter sacerdotes et laicos discrimen nullum habere, profanos et eosdem turpissimae vitae homines ministros ecclesiae instituere, ecclesiarum bona rapere, templa destruere et omnem cultum divinum abolere, sacratissimas virgines ex monasteriis rapere et easdem sub praetextu sacrilegi matrimonii stuprare, et in omni genere vitiorum sub praetextu libertatis evangelicae licenter vivere et, cum pessime vixerint, in rebus pessimis exultare: Haec inquam, et multa alia, cum ab haereticis decepti [viderint], cum his, quae antea de reformato catholicorum statu contulerim, nemini dubium videri potest, quin causis, propter quas ab unitate catholicae ecclesiae ad malignantium haereticorum ecclesiam

[a] *add. in marg.*

defecerunt, sublatis, relictis magistris suis rursus ad unitatem eiusdem ecclesiae catholicae sint reversuri. Siquidem ab haereticis decepti videntes autores et magistros suos condemnatos facilius revertuntur, ut Innocentius papa primus testatur [1]. Idem sentiunt patres Carthaginiensis concilii, ad eumdem Innocentium papam scribentes [2]: *Unde*, inquiunt, *factum est, ut recensendum putaremus, quid ante fere quinquennium super Coelestii nomine hic apud ecclesiam Carthaginensem fuerit exagitatum; quo recitato, sicut ex subditis advertere poterit | sanctitas tua, quamvis indicatio manifesta constaret, quia illo tempore episcopali iudicio excisum* 146v *hoc tantum vulnus ab ecclesia videretur, nihilominus tamen hoc communi deliberatione censuimus, ut huiusmodi persuasionis autores* [a], *nisi haec apertissime anathematizaverint, ipsos quoque anathematizari oportet, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui decepti sunt ab aliis vel decipi possunt, cognita sententia, quae in eos lata est, sanitas procuretur.* Et hoc est primum remedium, ecclesiarum videlicet, tam primae Romanae tamquam capitis, quam aliarum inferiorum tamquam membrorum in capitibus et membris reformatio, cuius modum, processum et ordinem in praescriptis nostris considerationibus satis explicasse videmur, efficacissimum sane remedium, ut quo Germaniae tam gravi haeresum morbo laboranti adhibito, causae morbi, etsi non sine violentia quadam, expelli et his ipsis expulsis et eradicatis, morbus etiam ipse facilius curari et extingui posse videtur, iuxta vulgarem regulam [3]: *Durante causa durat effectus, et eadem cessante, ipse quoque cessat effectus.*

Atque haec sane reformandi forma in sacris canonibus praescripta, etsi pervetusta sit et meo quidem iudicio nostris | etiam temporibus necessaria, quia tamen non dubito futu- 147r ros, qui omissis visitationibus, conciliis diocesanis et provincialibus a concilio nationali reformationem inchoandam esse existiment, et completo concilio nationali, tum demum ad concilia provincialia et diocesana et provinciarum visitationes esse descendendum et ea, quae in concilio nationali decreta fuerint exequenda [esse], non ero in hac mea defendenda sententia pertinax, sed aliorum meliori et prudentiori consilio libenter cedam et, quod in hoc arduo negotio utilius videbitur, libenter et ipse approbabo, et omnium prudentiorum, in primis autem sanctae matris catholicae ecclesiae iudicio [me] submitto, quamquam, non aliorum prius audita sententia, non omnino contemnendum mihi videatur de ecclesiae reformatione a me utcunque deliniatum procedendi, tractandi et agendi institutum. Primum enim, [si] in concilio nationali de doctrina fidei, sacramentorum et ceremoniarum, de politicis item ecclesiae rebus, ut de institutionibus ministrorum ecclesiae, de iurisdictione, magistratibus et iudicibus ecclesiae, de administratione et dispensatione bonorum ecclesiae, de collatione beneficiorum ecclesiasticorum et similibus ad iurisdictionem ecclesiae pertinentibus, similiter de disciplina ecclesiae, id est de doctrina bene vivendi et praemiis bonorum de correctione malorum et iustis eorumdem poenis tractandum ac de|cernendum sit, non equidem video, 147v quomodo haec omnia et similia in concilio nationali tractari possint, nisi prius, cuiusmodi haec in singulis provinciis et diocesibus observata aut neglecta sint, per diligentem visitationem et inquisitionem investigata fuerint et in conciliis diocesanis et provincialibus de circumstantiis singulorum et, quomodo ea in nationali concilio proponenda et tractanda sint, deliberatum fuerit. Addo provinciarum episcopos quosdam tam rudes et indoctos esse, ut neque ecclesiarum in diocesibus et provinciis suis statum, neque, quid ad reformationem earundem pertineat, cognoscant, quae omnia non alia ratione commodius discent et sese ad concilium nationale praeparabunt, quam eo quod [b] dictum est ordine, [ut] per visitationem et conciliorum diocesanorum et provincialium de his omnibus sufficienter informentur.

Secundum remedium: Expulsis igitur per remedium reformationis haeresum et sectarum causis alia remedia adhibenda erunt, quibus morbus ipse et, quae adhuc in corpore ecclesiae latitant, reliquiae eius expelli possint. | Est igitur remedium secundum, ut con- 148r demnatis in conciliis haeresibus et earum autoribus, quae de abolenda eorum falsa doctrina et falsis ab ipsis scriptis et depravatis libris diffinita fuerint, qualia sunt, quod libri falsi et depravati comburantur et eorum usus et commercia omnibus per totum imperium interdicatur, per imperatorem, reges, principes et potestates saeculares latis legibus et interpositis et publicatis in imperio et terris eius publicis edictis executioni mandentur. In qua re ad curam et sollicitudinem Romani pontificis pertinebit, ut in aula principis bonos aliquot et fideles nuntios foveat, qui non solum haereses et quicquid ad tuendam catholicam fidem et ad conservandam ecclesiae unitatem pertinet, inquirant, sed etiam adversus haereses imperatoris,

[a] *om. hic auctor verba epistolae* quamvis et – dicatur [b] *sic!*

[1] *Mansi* III 1080.
[2] *Mansi* IV 321 sq.
[3] Cfr. ex. gr. *Thomas*, S. th. I q. 96 a. 3; similiter I q. 2 a. 3

regum, principum et potestatum saecularium auxilium ⟨et eorum, quae adversus haereticos et eorum falsam doctrinam in conciliis definita fuerint, fidelem executionem postulent, in primis, ut omnem haereticorum impietatem et perfidiam civilium⟩ [a] poenarum in haereticos constitutarum irrogatione et iusta vindicta coërceant [b], denique quicquid ad pacem necessarium fuerit, illi suggerant ac de his, quae unoquoque tempore acta fuerint, ad Romanam et apostolicam sedem referant, quales quosdam in aula Marciani imperatoris Leo papa primus habuit, quorum non solum fidelitate, sed etiam apostolicae sedis mandatis quibusdam ad imperatorem ipsum et sororem eius Pulcheriam scriptis epistolis testatur [c] [1]. |

148v Tertium remedium: Ut imperator imperium et reges, principes et potestates saeculares regna et territoria sua ab haeretica pravitate repurgent, statuta etiam poena in eos, qui id facere neglexerint, [ut] eorum terrae a catholicis, exterminatis haeresibus, occupentur atque possideantur, ac proinde necessarium erit, ut in toto imperio expulsis in conciliis tam nationali quam universali damnatis haereticis publica constitutione omnibus haereticis in toto imperio, in omnibus item regnis, principatibus, civitatibus, locis et terris sive clam sive publice praedicandi verbum Dei officium interdicatur.

Quartum remedium: Ut ab imperatore lex feratur, aut lata potius a Marciano imperatore lex [2] renovetur et confirmetur, ut nemo, sive clericus sive laicus, cuiuscunque status et conditionis fuerit, de fide christiana publice turbis coadunatis et audientibus in posterum tractare conetur, severissima poena publica constituta, ut quicunque semel iudicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contenderit, si clericus fuerit, a consortio clericorum removeatur, si laicus, pro condicione et qualitate personae vel pecuniaria poena mulctetur, si in dignitate aliqua constitutus fuerit, aut, si humilis conditionis fuerit, ultimo etiam supplicio percellatur. |

149r Quintum remedium: Ut haereticorum scholae tam publicae quam privatae destruantur et haereticis ipsis docendi officium sive in scholis publicis sive in privatis domibus interdicatur [3]. Quemadmodum enim in scholis haereticorum falsa doctrina in multos propagata et docentium haereticorum multitudo hactenus crevit et aucta fuit, ita destructis haereticorum scholis et docendi facultate adempta haereticis falsa haereticorum doctrina evanescet et docentium numerus minuetur, et tandem etiam docentes omnes e medio tollantur necesse est. Illud quoque publica et civili lege cavendum erit, ut, qui in scholis haereticorum insignia magistralia et doctoralia adepti fuerint aut deinceps recepturi sunt, omni prorsus docendi et legendi autoritate careant, omnibusque privilegiis magistralibus et doctoralibus aliisque dignitatibus exuantur atque priventur, ut quibus tamquam infamibus portae dignitatum clausae esse debent. Sed et omnes alii conventus et congregationes haereticis interdicentur et domus aliaque loca, in quibus congregantur, iuxta leges civiles a fisco vendicabuntur.

Sextum remedium: Ut universitates studiorum generalium in Germania
149v reformentur et statutis caveatur, ut nihil | impium et catholicae doctrinae contrarium a quoquam professore doceatur, nec alii libri in theologia quam sacra biblia, sanctorum patrum scripta aliaque, quae ab ecclesia catholica approbata sunt [4], et in iure canonico non alii quam epistolae decretales pontificum et decretum Gratiani cum eorum catholicis interpretibus legantur, et ut propter gymnasia publica in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, monasteriis, civitatibus et insignioribus parrochiis particulares ludi aperiantur et scholae erigantur, ut in his iuventus in artibus liberalibus aliisque honestis disciplinis erudiatur. Quemadmodum enim propter defectum scholarum in Germania magna hactenus doctorum hominum ac tanta quidem penuria fuit, ut ab initio exortae Lutheranae haeresis pauci reperti fuerint, qui sacrarum literarum periti et in scriptis sanctorum patrum et sacrorum conciliorum decretis versati sacrae theologiae et sacrorum canonum scientiam haberent, et ea ipsa instructi haereticis se opponere et falsam eorum doctrinam confutare possent, ita reformatis universalibus studiis et in ecclesiis, monasteriis, civitatibus et insignioribus parrochiis erectis particularibus scholis, procul dubio fiet, ut brevi tempore tanta hinc doctorum hominum multitudo proventura sit, ut, quae hactenus propter penuriam doctorum hominum neglecta fuerunt, cum magno

[a] *add. in marg.* [b] *add. in marg.* Poenae tam canonicae quam civiles latissime in haereticis nostris libro quinto explicantur [c] *Constructio, ut videtur, non recta.*

[1] Ep. 111 et 112, *Migne* 54, 1022 sqq.; cfr. *A. Wille,* Bischof Iulian von Kios, der Nuntius Leos des Grossen in Konstantinopel (Kempten-München 1910); *E. Caspar,* Geschichte des Papsttums I 481 sqq.

[2] C. 4 *Nemo* Cod. de summa Trin. et fide cath. I 1, *Krueger* 6 sq.

[3] C. 8 Cod. de haer. et Manich. I 5, *Krueger* 52.

[4] Cfr. adn. praec.

fervore | [150r] resarciri possint. Hac enim ratione homines, haereticorum scholis destructis, in scholis catholicis in omnibus, quae ad defendendam doctrinam catholicam pertinent aut saltem doctrinae catholicae contraria non sunt, et eo quidem numero instituentur, ut homines doctissimi in archiepiscopos, episcopos et inferiores etiam praelatos et parrochialium etiam ecclesiarum rectores et pastores eligi, et ecclesiis metropolitanis et cathedralibus, monasteriis et parrochiis, studiis item et scholis universalibus et ludis particularibus professores, denique in curiis principum et senatibus civitatum magistratus catholici publicorum munerum administratione praefici possint. Quod unum remedium inter omnia alia efficacissimum erit ad extinguendas iam natas et praecavendas nascituras haereses. Nam hoc modo, sive inter ecclesiasticos sive inter laicos emerserint, ex utraque parte erunt, qui in scholis catholicis eruditi et catholica doctrina imbuti suborientes errores et falsas doctrinas et earum autores aut impedire aut extinguere possint.

Porro in reformandis generalibus studiis et erigendis particularibus scholis duo necessaria sunt: Primum ut scholae proventus habeant, de quibus professoribus | [150v] de stipendiis et salariis et auditoribus pauperibus de victu et amictu, aliisque ad eorum sustentationem necessariis consuli possit. Quoniam autem in administrandis atque dispensandis bonis ecclesiasticis iam inde ab apostolorum temporibus ea ratio habita fuit, ut omnium bonorum ecclesiasticorum portionum, quae(quidem) quatuor fuerunt [1], una pauperibus deputaretur, sintque omni tempore multi pauperes, qui in puerili aetate constituti optimis et excellentissimis ingeniis praediti non habent, unde se neque in studiis generalibus neque in scholis particularibus sustentare possint, ineundum mihi videtur consilium aliquod et ratio, quibus providcatur, ut et professores in studiis tam universalibus quam particularibus quisque pro conditione sua competentia stipendia et salaria, et pauperes quoque necessaria ad sustentationem suam habere possint. Id autem tum demum meo quidem iudicio commode fiet, si portio aliqua de bonis ecclesiasticis pauperibus dedita in usum scholarum pro solutione stipendiorum et sustentatione pauperum studiosorum deputetur. Quod et facile fiet, si portionem aliquam in hos usus de bonis ecclesiasticis pauperibus debitis conferant, atque aliquam quidem cathedrales, | [151r] aliquam collegiati, aliquam monasteria, aliquam hospitalia, aliquam etiam militares ordines, quod si enim inter portiones bonorum ecclesiasticorum una pro episcopo, altera pro ministris ecclesiae, tertia pro conservatione fabricae et quarta pro pauperibus deputata est, et episcopi, praelati et ministri ecclesiarum ad has dignitates et officia ecclesiastica non nisi in scholis prius eruditi et ad administranda haec officia idonei facti eligi debent, non minor diligentia habenda est, ut in ecclesiis foveantur, qui in scholis erudire et erudiri et ad publicas illas functionespromoveri possint, quam quod non eruditi et ad huiusmodi dignitates et officia inhabiles et indigni foveantur.

Alterum est, ut in scholis et studiis tam universalibus quam particularibus conveniens ordo docendi servetur. Quo loco cavendum erit, ut ex scholis omnes ab haereticis scripti et depravati libri eliminentur, nec eorum usus et lectio cuiquam vel professori vel auditori permittatur. Maxime vero cavendi erunt et reiiciendi libri de grammatica, de dialectica, de rhetorica et reliquis partibus philosophiae scripti, in quibus tametsi artium praecepta perfecte tradantur, quia tamen in his ipsis exempla quaedam, quibus artium | [151v] praecepta declarantur, contenta sunt falsa et, quod ad fidem christianam attinet, a veritate catholica aliena, tutum non erit, ut ex his artium praecepta discat iuventus, ne veneno hoc in traditione exemplorum quasi lacte hausto, id quod semel didicit, amplius dediscere non possit, iuxta illud [2]: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

Ad corrigendum igitur hoc vitium deligendi mihi videntur doctissimi aliqui et iidem catholici et grammaticae, dialecticae, rhetoricae aliarumque partium philosophiae peritissimi, iisdemque iniungendum et mandandum, ut ex multis libris de grammatica, dialectica, rhetorica aliisque partibus philosophiae scriptis unus aliquis liber omnia praedictarum artium praecepta ex aliorum quorumcunque libris collecta, adulterinis tantum exemplis reiectis, continens componatur atque in particularibus scholis iuventuti in his artibus erudiendae praelegatur.

Septimum remedium: Ut in toto imperio in singulis provinciis viri graecae, latinae, germanicae linguarum, sacrarum literarum aliarumque bonarum artiumque et disciplinarum periti honesto stipendio conducantur, qui autoritatem habeant omnes et singulos libros quacunque lingua | [152r] scriptos et typis excudendos examinandi et probandi, ut si qui

[1] *Gelasius* I (Epp. Rom. pont. ed. *Thiel* 498; c. 23 *Vobis* C. 12 q. 2, *Friedberg* I 694 sq.) proventus ecclesiae in 4 partes dividendos esse constituit.

[2] *Tibullus*, Eleg. II 6, 29. — De compendiis Melanchthonis eorumque in scholis usu cfr. *F. Paulsen*, Gesch. des gelehrten Unterrichts I^3 265 sqq.

adulterini, haeretici aut de haeresi suspecti reperti fuerint, eos ipsos condemnent et reiiciant, eos vero, quos nihil erroris aut falsitatis continere deprehenderint, ad excudendumadmittant, omnesque libros, quos ad hunc modum examinaverint et probaverint, in unum aliquem librum cum inscriptionibus suis, autorum item nominibus et cognominibus consignari curabunt. Deinde lex civilis feretur prohibens, ne quisquam chalcographorum in Germania quemcunque librum in quacunque lingua scriptum anonymum aut falso et ficto titulo et nomine inscriptum excudat, libros vero certam inscriptionem autoris nomine et cognomine expressis non habentes non recipiat, nisi de autoris patria per literas magistratus eiusdem loci et patriae fuerit informatus, sed nec de patria autoris edoctus quemcunque librum in quacunque lingua et a quocunque autore scriptum aut quibuscunque titulis et autorum nominibus et cognominibus inscriptum excudat, nisi prius ad eos quos dixi doctos viros remissum, examinatum, probatum et ad excudendum admissum, statuta in omnes chalcographos, qui huius legis transgressores et praevaricatores fuerint, poena amissionis omnium librorum, quos typis excusserint, et pu-
152v blicationis bonorum suorum. Postremo | typographi nullum librum sive probatum sive reprobatum edent, nisi in principio vel fine libri excussi nomen typographi et locus domicilii eius et annus, in quo liber impressus est, exprimatur, si quis vero liber sine inscriptione certa et autoris et typographi nomine et cognomine, loci item et anni nativitatis Dominicae etc. expressione excussus fuerit, diligens per comparationem typorum inquisitio fiat, adhibitis ad talem inquisitionem artis typographicae peritis aliquot calchographis [1]. Et si in ea inquisitione de excusso libro suspicio aliqua contra typographum aliquem suborta fuerit, talis de impresso contra legem libro suspectus ad purgandum se a praedictis provinciae examinatoribus citabitur, coram quibus, si citatus se innocentem esse et librum non excusisse iuraverit et duo quoque compurgatores de crudelitate [a] innocentiae eius iuraverit, citatus ipse absolvetur; sin vero neque ipse neque compurgatores eius ad praedictum modum iurare potuerint aut voluerint, suspectus ipse tamquam confessus et convictus condemnabitur et praedictam poenam sustinere cogetur.

Haec fere sunt remedia, quibus Germaniam ab atrocissimo illo praesentis temporis haere-
154r sum et sectarum morbo liberari posse confido. Quae ita quidem inter se coniuncta | sunt [b], ut sine primo reformationis remedio posteriora inutilia futura sint. Sed et primum remedium reformationis tam efficax est, ut vel solum sufficiens videri possit, ut ab haereticis decepti relictis magistris suis ad unitatem ecclesiae praedicto modo reformatae redire et in certo esse, quam in erroribus suis in incerto vagari et tandem perire velint.

Haec habui, quae de reformanda ecclesia et extirpandis in Germania haeresibus deliberavi. Omnia tamen sanctae Romanae catholicae et apostolicae ecclesiae iudicio et meipsum tamquam obedientem eius filium subiicio, paratus, si quae non vere aut imprudentius a me scripta fuerint, emendare aut aliis doctoribus emendanda committere, quorum prudentius consilium in hac re omnibus modis salvum esse volo.

68.

[Stanislaus Hosius ep. Varmiensis:] Articuli, de quibus in proxima sinodo deliberandum et consultandum erit [2].

[Anno 1559 ineunte].

Romae Arch. Vat. *Conc. 13* f. 146r-147r, cop. coaeva

Conc. 13 f. 146r Quandoquidem in dies invalescunt mala, quae ecclesiam in provincia nostra perturbant et ordinem ecclesiasticum subruunt, neque ullum remedium quo ad diem tentatum sint [!] profectura, neque ulla consilia surrexerunt, dubitare nemo potest, quin digitus Dei sit hoc,

[a] *sic!* [b] *F. 153 codici postea est insertum. In quo eadem manu qua cetera haec scripta leguntur*: Reperi in relegendo quaedam, in quibus propter brevitatem temporis recurrere aut [*lege* ad] autores alligatos non licuit, quae quoniam mendose [*cod.* mendosae] scripta sunt, ex autoribus [*cod.* auditoribus] ipsis emendanda erunt, ut margine notari curavi. Sed et allegationes quasdam in margine omissas notavi, quas tamen adnotatas esse oportet. Postremo nullum huius scripti correctum exemplar habeo, ac proinde oro, ut hoc exemplar a me utcumque correctum, postquam transcriptum fuerit, ad me remittatur, denuo per me relegendum et his quae sunt redintegrandum. Datum ut in litteris.

[1] Contra libros anonymos et dietae Augustanae 1530 (*Le Plat* II 490) et ipsius concilii Tridentini sess. IV (*Conc. Trid.* V 92, 17 sqq.) decreta iam tum extabant.

[2] Stanislaum Hosium episc. Varmiensem anno 1559 ineunte hos composuisse articulos, demonstrari posse putamus his quae sequuntur rationibus:

Primo: *Conventus* ille, *qui proxime praeteriit* (art. 8), comitia sunt Petricoviensia 1558-9 habita, in

cuius furor exarsit et indignatio effusa est super nos. Quamobrem quaerendae erunt causae tantae indignationis, et inveniendus modus earum tollendarum ac placandi Dei, si forte conversus respiciat nos et iram suam avertat a nobis [1]:

[1.] Quid cum pertinacibus et obstinatis blasphemis ecclesias occupantibus, sacramenta prophanantibus, synagogas novas extruentibus in tanta effrenata audacia et licentia, ubi nullum in legibus et magistratibus praesidium est, faciendum sit.

[2.] Quaerendae erunt viae, quibus hii, qui discesserunt ab unitate ecclesiae et in tot sectas scissisunt, sanari et ad unitatem ecclesiae reduci possint.

[3.] Inquirendum erit, si aliqui abusus vel superstitiones cum pietate et doctrina catholica [a] pugnantes invectae sint, et quomodo sine offendiculo et scandalo tollendae essent.

[4.] Consultandum erit, qua ratione reformatio cleri aggredienda est, et quatenus extendenda, ne infirmioribus occasio detur ad haereticos transfugiendi.

[5.] Cum tanta sit inopia sacerdotum et clericorum, ut multae ecclesiae desertae sint non sine magno animarum periculo, sacerdotia quoque minora redditibus eversis extincta, quaerenda via erit, qua seminarium aliquod institui possit, et dispiciendum, an ne expediat collegia Societatis Iesu [2] in celebribus locis, utpote Cracoviae, Poznaviae, Mazoviae, Leopoli, Volciae, aut saltem in aliquibus horum instituere, ex quorum integritate | doctrinae et miro 146v institutendae iuventutis compendio ingentem profectum ad pietatem Viennae vidimus [3], et unde sumptus et ad docendos et ad alendos petendus sit.

[6.] Videndum erit praeterea, num expediat libros, quibus ecclesia pro [b] cultu Dei utitur, diligentius excutere et examinare, ac officia quidem privata, quae ad pietatem parum faciunt, abiicere et ad communia officia redigere, historias quoque sanctorum ex parum certis autoribus desumptas mutare, et lectiones nimia brevitate notabiles, ex quibus nullus fructus provenire potest, augere.

[7.] Ut provideatur in summa, quo cultus Dei et administratio sacramentorum pie, religiose et efficaciter fiat.

[8]. In conventu, qui proxime praeteriit [4], tantus impetus tantaque impressio ab haereticis, qui per speciem tuendae libertatis publicae inter multos ordinis equestris facile primum locum obtinent, eosque ceteri etiam catholici sequuntur, facta in nos fuit. Quot cum sustinere nequaquam possemus, coacti itaque fuimus, ex sententia qui aderant omnium ecclesiarum cathedralium praelatorum, promittere sinod[um] [c] sub ipsius proximi conventus [d] nos esse habituros atque ibi de omnibus istis controversiis, quae [e] nobis cum ordine equestri intercedunt, amice et fraterne acturos [f]. Et quanquam in eo illi non acquieverint atque rebus

[a] *Cod.* catholici. [b] *Cod.* et [c] *sic cod.!* [d] *Supplendum est* initium *vel simile quoddam* [e] *Cod.* quo [f] *Cod.* amicae et fraternae actiones

quibus de concilio nationali est deliberatum, *Pastor* VI 560 sq.; Petri Canisii epp. et acta ed. *O. Braunsberger* II 333-363, 830 sqq; *A. Theiner*, Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae II 592 sqq. Ergo scripti sunt isti articuli anno 1559, ante diem 18. Aug., quo Paulus IV obiit.

Secundo: Auctor sine dubio unus est ex praelatis Poloniae, loquitur enim de eis in prima persona (art. 8).

Tertio: Requisitus est a pontifice, ut concilio generali intersit, quod brevi tempore indicturus sit (art. 10). Notum est autem, Hosium a Paulo IV iteratis brevibus Romam esse vocatum, ut pontifici in reformatione facienda concilioque generali praeparando a consiliis esset, Hosii epp. II edd. *Hipler-Zakrzewski* 931. 954 sq.

Quarto: Insuper Stanislaus Rescius in vita Hosii (I 23, in editione Romana a. 1587 p. 79) haec refert: *Postulavit [Paulus IV] etiam ab Hosio, ut quae coram de universo religionis negocio sapientissime disseruerat, ea scriptis comprehensa traderet, memoriae causa. Quod etiam fecit Hosius non minore prudentia in consulendo quam eloquentia in scribendo et modestia usus.* Quod scriptum, si Rescio credamus, amplius quidem erat his nostris articulis, sed facile eos in se continere potuit.

Quinto: Nec obstat, quod Hosius, qui primo Sept. 1558 Romae advenerat, dietae Petricoviensi non interfuit. Nam nullibi auctor articulorum personaliter se illi interfuisse dicit, licet de rebus catholicorum ibi gestis ut suis loquatur. Cfr. *A. Eichhorn*, Der ermländische Bischof u. Cardinal Stanislaus Hosius I (Mainz 1854) 300 sqq.

De ecclesia Poloniae reformanda cfr. imprimis « Responsiones DD. praelatorum, canonicorum et capitulorum cathedralium Gnesnensis, Posnaniensis, Vladislaviensis et Plocensis ecclesiarum regni maioris Poloniae ad consultationem Rev^mi D. nuntii apostolici super negotio fidei summatim collectae » apud *S. Rykorzewski*, Relacye nunczuszów apostolkich I (Berlin-Posen 1864) 45-54, quorum summarium videas Hosii epp. II 713 sq., et litteras P. Canisii 17. Dec. 1558 datas: Epp. et acta ed. *O Braunsberger* II 340 sqq. *K. Völker*, Kirchengeschichte Polens (Berlin u. Leipzig 1930) 138 sqq. 194 sqq.

[1] Cfr. *Ps.* 84, 5.

[2] Dum Petricoviensis dieta habita est, plures episcopi cum Canisio de collegiis condendis consultabantur, ex. gr. Gnesnensis, qui Gnesnae vel Posnaniae et Lovitii collegia fundare in animo habuisse videtur. Canisii epp. et acta ed. *O. Braunsberger* II 335. 351 sq.

[3] Vindobonae ab anno 1552 patres Societatis Iesu scholam grammaticae habuerunt, cui anno 1556 400 scholares addicti erant. *B. Duhr*, Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I (Freiburg 1907) 45 sqq.

[4] Cfr. supra p. 424 adn. 2.

infectis discesserint, Maiestatem tamen Sacram Regiam ex ea nostra promissione litteris publicis testatam esse accepimus. Quamobrem consultandum erit, quid facere nos oporteat.

147r [9.] De eo etiam agendum erit, qua ratione et quatenus disciplina ecclesiastica | extendere, iura et libertates ecclesiarum retinere possimus et debeamus, clerumque plus nimio oppressum sublevare valeamus.

[10.] Illud quoque in deliberationem veniet, quandoquidem a summo pontifice requisiti sumus, ut concilio generali, quod propediem indicturus est [1], intersimus. Existimamus autem ad id requisitos esse ibidem et alios R^{mos} Dominos episcopos nostros, num liceat expediatque nos hiis inprimis periculosis temporibus [a] ab ecclesiis nostris abesse; deinde qui mittendi sint provinciae totius nomine, qui et intersint concilio et probent Sanctitati [b] eius et concilio causam absentium.

[11.] De schola Cracoviensi reformanda agendum erit [2].

[12.] Videndum erit etiam, ut ineatur aliqua ratio, qua subveniendum sit fratribus ordinum mendicantium, ut in studiis fratres alere possint, ex quibus fructus ad ecclesiam Dei perveni[a]t.

[13.] Si vel M^{tas} Regia requisiverit vel ecclesiastica communis necessitas exigebit, ut de contributione decernenda agatur, quid faciendum [c].

69.

Epistola facultatis theologicae Lovaniensis ad Philippum II Hispaniarum regem: De componendis religionis dissidiis reformandisque cleri moribus [3].

[11. Maii 1558].

Ed. *Le Plat*, Amplissima collectio IV [illegible] ex codice tabularii Bruxellensis.

Quae pro concordia ineunda frustra tentata sint, enumerant; nec oportere rigorem canonum remittere communionem sub utraque et coniugium sacerdotum concedendo; inprimis reformationem esse necessariam, immo «Consilium de emendanda ecclesia» et «Formulam reformationis» executioni mandanda.

Serenissime rex. Non diu est, quod pro parte Tuae M^{tis} per R. D. decanum Sancti Petri Lovaniensem M. N. Ruardum [4] confratrem nostrum nobis expositum est, suggerente, quantum intelligimus, patruo tuo Ferdinando, nuper in imperatorem electo [5], vobis consultum videri, ad sedandum discordias in religione ortas pacemque inter dissidentes conciliandam, potissimum vero inter nationem Germanicam et ceteras ecclesias, si per nos conciperetur aliqua reformationis et emendationis formula, qua simul et abusus tollerentur, qui universam turbant ac scandalisant ecclesiam, et in ceremoniis atque scripturae doctrina unirentur ac convenirent propius Germani cum aliis nationibus, quam factum est hactenus, donando illis pacis intuitu, quidquid salva fide et religione dari possit.

Verum cum hoc pluries frustra tentatum sit, et non sine notabili dispendio pacis speratae, tam in imperialibus comitiis quam partium iteratis in hoc indictis colloquutionibus, proposito etiam ab imperatore colloquutoribus libro, qui viam aperiret ad inveniendum concordiam [6]; post illum ab eodem exhibitus est et alius libellus, qui vulgo *Interim* dicitur [7], a statibus imperii approbatus, qui summam et capita dogmatum religionis continebat. Quibus accessit et *Formula reformationis* [8], Augustae Vindelicorum eisdem statibus imperii per Caesarem oblata, et per eosdem acceptata; quae si servaretur, innumera tollerentur scandala.

[a] *Cod.* quibus [b] *Cod.* Sanctitatem [c] *In dorso* Articuli, de quibus consultandum erit in synodo.

[1] Cfr. p. 424 adn. 2, et quae Hist. Jahrbuch 54 (1934) 420 sqq. de Pauli IV idea conciliari egimus.

[2] Cfr. *H. Barycz*, Historija Universitetu Jagiellońskiego w epoce Humanismu (Kraków 1935).

[3] Hanc epistolam theologorum Lovaniensium monumentis Pauli IV ad instar appendicis adiungimus, quia optime illi de statu religionis iudicant. — Textum ex collectione *Le Plat* adaptavimus, quia nondum nobis licuit, tabularium Bruxellense, quod codicem illi praebuit, visitandi.

[4] Ruardus Tapper, insignis theologus, qui concilio Tridentino annis 1551-2 interfuit, paulo post (2. Martii 1559) mortuus est, *Hurter*, Nomenclator II 1451 sq.

[5] Ferdinandus I. 14. Martii 1558 Francoforti in imperatorem Romanum est electus et coronatus.

[6] Librum qui dicitur Ratisbonensem, in dieta Ratisbonae anno 1541 habita ab imperatore propositum, vide *Corp. Ref.* IV 191 sqq.; formam anteriorem apud *M. Lenz*, Briefwechsel Landgraf Philipps des Grossmütigen v. Hessen mit Bucer III (Leipzig 1891) 31-72.

[7] *Le Plat* IV 32-69.

[8] *Le Plat* IV 73-101.

Et tamen his omnibus adeo nihil apud protestantes profectum est, ut inde etiam facti sint implacabiliores, acerrime dictos libellos suggillantes.

Quare nulla nobis spes affulget cum fructu aliquam huiusmodi reformationem per nos posse concipi. Neque enim nobis integrum est illis plus, quam per praedictos libellos oblatum est, tribuere, tam quoad doctrinas quam ceremonias, nisi cum ipsis ad haereticam velimus transire doctrinam; habent namque pro doctrinae abusibus sacramentorum administrandorum ritus, vel ab ipsis apostolorum temporibus observatos; leges quoque ecclesiasticas in primitiva ipsa institutas ecclesia, veluti quod ante baptismum praemittuntur exorcismi, catechismi et unctiones; quod matrimonium, confirmatio, extrema unctio et sacrorum ministrorum ordinatio sacramenta dicuntur; quod missae actio servatur, quod panis et vini substantiae in verum Christi corpus transsubstantiari asseruntur; quod Christus in eucharistia adoratur et ad venerationem aegrorumque usum reservatur; quod non permittitur ab ecclesia utraque species ab omnibus christianis sumi; quodnon sinantur [!] omnes sacerdotes uxores ducere; quod vota monastica ut pia exigantur [!]; quod sancti coluntur et a nobis invocantur; quod festi dies et ieiunia cum ciborum delectu ab ecclesia indicuntur; quod primatus in ecclesia Romano pontifici prae ceteris tribuitur; quod praedicatur post hanc vitam esse purgatorium, quodque defunctis preces, eleemosinae, oblationes et sacrificia prodesse creduntur, alia quoque his similia. Quid horum, quaesumus, Germanis id contendentibus donare aut cum eis dissimulando connivere possemus? Vocant isti horum plurima adiaphora, cum divus Hieronymus[1] Jovinianum habeat ob id haereticum, quod ille adiaphora diceret, vesci et non vesci carnibus, ieiunare aut non ieiunare, servare virginitatem et non servare, imo, quod longe deterius est, isti contra Deum se facere putant, si in aliquo horum cum ecclesia Romana et catholica sentiunt. Hanc enim rationem Philippus Melanthon in comitiis Ratisponensibus reddidit, cur ab ecclesia Romana et ab obedientia Romani pontificis discesserint sui complices: *Necessitas*, inquit[2], *nos coegit ab ea recedere, nam aut pereundum nobis erat, aut recedendum.*

Quod si putaverit quispiam, expedire communis ecclesiasticae tranquillitatis gratia Germanicae saltem nationi de legum canonicarum severitate et rigore nonnihil remittere, nempe ut coniugati in ecclesiae ministros ac sacerdotes assumi possent; ut communio sub utraque specie eis permittatur; ut non tam multa festa, ieiunia ciborumque discrimina ab ecclesia indicantur, quae libellus *Interim* intitulatus offert, sane si haec in se spectentur, non esset absurdum illis eatenus condescendere, ut aliquando Livoniensibus et aliis quibusdam nationibus factum legitur[3], modo hoc pacto ad ecclesiae gremium ex animo redire velint. Sed verendum, ne, si vel tantillum eis tribuatur, non modo non redeant ad unionem ecclesiae, verum, qua sunt animi pertinacia, id ipsum rapiant in calumniam, quasi inde iam aperte constaret, ecclesiam ea saltem in parte hactenus sensisse perperam et eas leges non potuisse statuere. Quin et clarissime suis scriptis ipsi testantur, se haeretica intentione et animo perverso haec postulare, dicentes frustra quaeri consilia aut deliberationes iniri de concordia sarcienda, nisi ante omnia purgetur ac emendetur doctrina, quam Romana tuetur ecclesia. Quid, [si] etiam aliarum nationum infirmi, nondum tamen ecclesiasticarum legum contemptores, hos statim imitari volent, putantes haec eadem sibi merito ut illis permittenda? An non manifestum est, quantam ansam suae propagandae haeresis inde acceperint Ariani, quod simulatis ipsorum verbis decepti catholici in Ariminensi synodo eis consenserunt in sublationem vocis Homousion[4]? Quis item ignorat, Bohemos, cum a legatis concilii Basiliensis obtinuissent, ut apud ipsos liceret populo eucharistiam sub utraque specie ministrare[5], hac occasione magis quam antea tumultuatos? Adeo ut et imperatorem catholicum requirerent, ut personaliter cum eis in communionem sub utraque specie conveniret, nullumque in suum consilium aut ad regni negotia tractanda admitteret, qui non sic communicaret; postremo, ut suos sacerdotes iubeat, populo non nisi sub utraque specie eucharistiam ministrare. Nihil est ergo, quod circa doctrinam toti ecclesiae communem aut scripturae interpretationem administrationemve sacramentorum per nos mutari queat.

De legibus vero et ceremoniis vix consultum quidquam illis relaxari. Ceterum, ut consulatur residuae parti ecclesiae, tollaturque occasio piis hominibus gemendi et deplorandi tam graves et scandalosos lapsus plurimorum membrorum ecclesiae, non ignobilium tantum, sed

[1] Adversus Iovinianum lib. I c. 3, *Migne* 23, 224; cfr. etiam lib. II c. 37, *ibid.* 351.

[2] Quod dictum nec apud Cochlaeum nec alibi inveni.

[3] Innocentius III licet Livoniensibus quoad matrimonia contrahenda etc. quaedam indulserit (*A. Potthast*, Regesta Pont. Rom., n. 1323), minime tamen ea, de quibus supra.

[4] Anno 359, *Hefele* I 697 sqq.

[5] « Compactata » quae dicuntur « Pragensia » 30. Nov. 1433 conclusa sunt, *Hefele* VII 568 sqq.

et sublimiorum quoque, maxime necessariam iudicamus grandem et seriam morum reformationem, ne vel regnet avaritia, quae hactenus pene totum corpus invasit ecclesiae, ut non sit in ea sanitas a vertice capitis usque ad plantam pedis [1], qua omnia tam sacra quam profana venalia publice prostituuntur, optimaeque et maxime necessariae leges passim ob pecuniam relaxantur, neque per impuram et lascivam vitam facies ecclesiae deturpetur, dum sacerdotes Domino Deo ministrantes et offerentes sacrosanctum illud sacrificium magno cum neglectu et irreverentia divina officia peragunt, instar coniugatorum turpissime cum suis scortis et filiis spuriis degentes; dum monachi et monachae irreligiosissime et contra vota Deo praestita luxuriantur, dum in pompas huius saeculi, convivia, vestes, palatia, aleas, canes, aves, mimos et histriones ecclesiae patrimonium prodige convertitur, esurientibus interim pauperibus Christi membris et heredibus. His et huiusmodi aliis occurrendum censemus quantocius, nec opus est ad hanc necessariam reformationem per nos novam aliquam excogitari formulam, quandoquidem Ill^{mi} et Rev^{di} Domini cardinales ceterique praelati a S^{mo} D. N. papa Paulo III ad hoc delecti et a Sua S^{te} adiurati optime collegerunt adversus Romanae curiae defectus remedia [2]; Caesar vero Carolus, pater tuus, quod ad inferiores ecclesias per formulam Augustanam sufficienter provideri curavit. Tantum superest, ut dictae formulae executioni mandentur. Ad quod plurimum momenti adferet Tua M^{tas}, si una cum patre tuo Carolo et Ferdinando patruo instet apud S^{mum} D. N. papam modernum Paulum IV (qui inter consultores illos fuit praecipuus), ut rem tam sanctam tamque ecclesiae necessariam, quantum in ipso est, exequi curet. Id quod S^{tem} S. certissimo facturam confidimus, si Vestrae M^{tes} illi aliisque huic operi manum admolientibus opportunam polliceantur praestentque efficacem assistentiam.

Haec sunt, Serenissime rex, quae pro nostra tenuitate, pro loco et tempore visa sunt Tuae M^{ti} perscribenda, ut habita ratione fidelium, qui adhuc in ecclesia se continent, illi per bonam reformationem morum retineri et confirmari possint et in melius provehi, quando ad adversariorum emendationem spes nulla reliqua est, sed potius metuendum periculum exacerbandi mali, si quidquam cum illis agi tentetur. Deus optimus maximus Tuam M^{tem} suae ecclesiae nostraeque reipublicae diu servet incolumem. Lovanii, die 11. Maii anno 1558.

T. Sereniss. Maiestati addictissimi,

Decanus et reliqui Magistri facultatis theologiae universitatis Lovaniensis [3].

[1] *Is.* 1, 6. [2] Scil. « Consilium de emendanda ecclesia », *Conc. Trid.* XII 131 sqq.

[3] Facultatis theologicae Lovaniensis tum erant membra: Iodocus Ravesteyn, Ioh. Hessels, Augustinus Hunnaeus, Michael Baius, Martinus Balduini Rythovius. Cfr. Le Ve Centenaire de la Faculté de Théologie de l'Université de Louvain (Bruges-Louvain 1932) 121-141.

VI.

Tractatus de rebus concilii et de reformatione sub Pio IV, antequam concilium apertum sit.

70.

Summario del discorso fatto sopra la riforma della chiesa di Don Hippolito Chizzuola [1].

[1560].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 11901* [antea Arch. Vat. *Arm. VI vol. 34*] f. 131^r-148^r, cop. coaeva

Introductio. I. De pontifice. II. De cardinalibus. III. De visitatoribus et nuntiis nominandis. IV. De censura librorum V. De gubernatione nationum ultra montes habitantium. VI. De provisione beneficiorum. VII. De venalitate officiorum in curia. VIII. De indulgentiis ceterisque gratiis. IX. De poenis. X. De affectione pontificum erga parentes praesertim nepotes. XI. De dominio temporali ecclesiae.

Ch' essendo la riforma non altro ch'un ritorno alla prima forma delle cose, che riformar si vogliono, non si può pensar di riformar ben la chiesa,che non pensi di [far] ritornarla al primo suo stato. *Vat.lat.11901* f. 131^r

Che la prima forma della chiesa, essendo ritrovata da Dio et da Giesù Cristo, perchè fosse sua casa et sua sposa, fù bellissima et perfettissima in se stessa (sine macula et sine ruga [2] etc.) et fù possente à far belle l'altre creature rationali colla bellezza et bontàsua, come dice *Esaia* profeta a 40. cap. [3]. *Surge et illuminare* etc.

Che per tal effetto oltre alle cose spirituali e 'l favor divino Iddio le ha dato anco capi et pastori terreni, per lo cui ministerio ella si riducesse alla perfettion compita, del che si tratta agl'*Effesi* al 4°, [11 sqq.] et nella *prima de Corinti* al 12°, [4 sqq.].

Che questi capi havevano da reggere la chiesa secondo le giuste leggi et non a capriccio *prima Petri* 5°, [1 sqq.], percio si son fatte le leggi et i canoni, secondo i quali ogniuno conformemente havesse da vivere: *Qui habitare facit unius moris in domo* etc. *Ps.* 67, [7]. Questi canoni son come regole particolari de tutte l'attioni christiane à mantenimento de gl'ordini di Dio communi et generali, percio son cresciute in gran volume, il che non fu da principio per cagion delle persecutioni, le quali impedivano i papi che non poteano far' ordini in scritto, et se qualcuno ne fa cura, è possibile che in quelle persecutioni si perdessero le scritture. Ma ò scriver'ò non scrivere, tutti i pastori per la maggior parte erano buoni et governavano | santamente la chiesa col togliere i scandali et introdur i buoni essempi in essa [a] lei, tal che fin i pagani riportavano buon'essempio da i christiani, come molte istorie ne fanno fede. 131^v

Questo bell'ordine durò fin tanto ch'i pastori, lasciati i propri suoi particolar' interessi, attesero solamente al pubblico benefitio della chiesa, nel qual tempo fù superata la persecution,

[a] *Cod.* esso

[1] Hoc « Summarium » orationis vel libri amplioris, ut videtur, sine dubio post mortem Pauli IV litteris est datum (cfr. sect. IX), sed antequam de Paulo Manutio typographo celeberrimo Romam vocando deliberaretur (*A. A. Renouard*, Annales de l'imprimerie des Alde[3] [Paris 1884] 442. 524 sqq.), quod alias sectione IV minime silentio praetereundum erat. Verisimiliter ergo anno 1560 est attribuendum.

Auctor est Hippolytus Chizzuola Brixiensis, natus circa annum 1521, postea canonicus reg. Lateranensis. Qui anno 1549 contionum quarumdam, quas Venetiis habuit, causa a nuntio apostolico in ius vocatus, Romae ab inquisitoribus absolutus esse videtur (*I. Hefner*, Zur Geschichte der röm. Inquisition: Theologie und Glaube 2 [1910] 281-286; *G. Buschbell*, Reformation u. Inquisition in Italien [Paderborn 1910] 95 sq.). Anno 1552 vicarius erat monasterii S. Mariae Pacis in Urbe, ubi etiam anno 1560, quo hoc scripsit summarium, versatus esse videtur; scripsit enim 26. Aug. 1560 Alex. Farnesio cardinali de contionibus in ecclesia S. Laurentii in Damaso habendis (Parmae Arch. stat. *Carte Farnes. Roma 24*). Duobus post annis concilium Tridentinum contra Petri Pauli Vergerii invectivas defendit libro suo: Risposta di Donn' Ippolito Chizzuola Canonico Regolare Lateranense alle bestemmie e maledicenze contenute in tre scritti di Paolo Vergerio contra l'indittione del Concilio, publicata da papa Pio quarto (Venetiis 1562), cui Vergerius anno 1563 et denuo 1565 respondit. *F. Hubert*, Vergerios publizistische Tätigkeit (Göttingen 1893) 318 sq. Epistolam Marci Antonii Faitta, secretarii cardinalis Poli, ad Hippolytum Ch. directam (3. Maii 1556) vide: Calendar of State papers: Venice VI 1 n. 473 (p. 428-437).

[2] Cfr. *Eph.* 5, 27. [3] *Is.* 60, 1.

et vinta la tirannia de principi, et s'incominciò ad arrichir la chiesa de stati de principi et di benefici particolari per la gran confidenza, ch'havevano i gran re et imperatori et altri signori et sudditi di varie sorti nella bontà de pastori di quel tempo, per la qual speravano che le facultà loro fossero meglio governate et ben dispensate dalla gran prudenza et carità de prelati che non di man propria. Di questa cosa ne tratta *Esaia* nel cap. 40 di sopra allegato, ove dice [1]: *Ambulabunt reges in splendore ortus tui*, fin al ultimo di quel capitulo.

Che dalla mutatione, che si è fatta nei pastori, i quali de bontà di vita si son cangiati in scandalo del mondo, attendendo à se stessi et non alla greggia di Christo, è nata, nasce et nascera sempre la ruina di tutt'il christianesimo, dando occasioni alle rebellioni, alle scisme et all'eresie.

Che per simil cagion hoggidì tutta la chiesa è difformata, posta tra gl'abusi et i disordini tanto nel stato spirituale quanto nel stato secolare, tal che è fatta cosa degna di lagrime vedendo i termini infelicissimi, ai quali siamo ridutti, et per quali ogniuno confessa il miserabil stato del christianesimo per li gran nostri disordini, et con tutto questo niuno gli provede.
132r Perciò | si può dir piangendo con Gieremia *Tren.* 4, [1]: *Quomodo obscuratum est aurum* etc. Et con *Esaia* al p.° [v. 5]: *Omne caput languidum* etc. Et di nuovo con Gieremia pur con pianto habbiamo da dire: *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hyerusalem* etc. *Tren.* 2, [13].

Che molti pensando di voler rimediar, vogliono far'una riforma al lor modo col sostentar'abusi con altri abusi, i quali regolar vorrebbono, altri van seguitando di bel giuoco di mal'in peggio, et i terzi, vedendo i gran disordini, si disperano di poterci mai rimediar, et per cio abbandonano l'impresa à guisa di sacerdote et levita, che trapassarono il povero impiagato *Luc.* 10, [31]. Ma debito di ciascuno è, che col aiuto di Dio si spera rimedio à quello, ch'alle nostre forze è disperat'impresa, per cio col reconoscer'il flagello di Dio s'ha da pregarlo con Gieremia nell'oratione sua, dicendo [2]: *Cecidit corona capitis nostri* etc. Et poi s'ha da dir col medesimo [3]: *Converte nos Domine ad te* etc. Et con *Daniele* al nono [v. 7]: *Nobis confusio faciei* etc. Et con simil orationi ogniuno si metta in animo di voler reedificar questa Gierusalemme guasta, non si spaventando da nemici, ma contro di loro combattendo et edificando insieme, *2 Esd.* 4, [17].

Che volendo aiutar'et riformar la chiesa, bisogna aiutar tutti i stati incominciando dal papa come capo di quella, seguitando di man'in mano nel stato spiritual prima, et poi nel stato secolare, così de principi come de sudditi. |

132v

I. Del papa.

Che Dio potendo per se stesso governar la chiesa, ha voluto darle come capo visibile il papa per due ragioni: L'una per grandezza et honor di quella, havendo un suggetto tale et di tant'auttorità, che essendo huomo tenghi il luogo di Dio. L'altra per giovar nel suo governo à tutt'i suggetti, che nella chiesa si ritrovano, de quali, essendo la maggior parte semplice et di puoca contemplatione, fosse pastore un huomo visibile, col qual pratticando et ragionando si potesse aparar le cose della religione et stabilirsi nel culto divino, per non far come il popol Ebreo, che non vedendo Moise, cadde nell'idolatria, *Esod.* 32, [1 sqq.].

Che la prima ragion mostra ch'l papa deve esser di somma bontà et santità di vita, accioche la chiesa ne riporti honor'et ornamento, et percio si chiama anco Santissimo et Beatissimo Padre. La seconda ragion poi mostra ch'l papa si dee render tale con le proprie attioni, che ragionevolmente ciascun' ne riporti utile, essendo instrutto et indrizzato col suo mezzo nelle cose della christiana religione, tal che non sia grado ò stato di persona, che non viva ò si governi secondo gl'ordini delle leggi, che dal papa a' christiani sono esposte, la qual impresa non possendo Sua S[ta] essequir per se sola (essendo troppo grande et ampio il regno spirituale della chiesa), deve sforzarsi d'haver mezzi atti per l'aiuto di tal impresa.

Che 'l papa intanto sarà riformato, in quanto si riducerà à quello che s'è detto dell'obligo che tiene.

133r Che la riforma della bontà interior del papa non s'appartiene ad altri | ch'à Dio, reformator del cuore, pero altra regola dar non si può in questo caso, che di far'orationi continue per la sua persona. Ma quello che far si può con arte humana è, di attender à i costumi et essempi di sua vita [a], per edificar il prossimo et levar' i scandali, che per cagion di esso papa nascer sogliono.

[a] *Cod.* fuor via

[1] *Is.* 60, 3 [2] *Thren.* 5, 16 [3] *Thren.* 5, 21.

Che 'l papa, se già come papa non può errare, può pero come huomo far' errori, i quali son di tanta maggior' importanza alla chiesa, quanto è più importante il grado ch'egli tiene, et la ragion è, perche dovendo indrizzar tutti alla perfettion di vita et cognition del vero, erra tanto piu gravemente, quanto è men perfetto, et à lui si convien' il detto di Agostino[1]: Quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur etc.

Che 'l papa, per non mancar del debito suo, si raccordi che al grado che tiene non si convien cosa che non sia piena di honor' et di maestà, et deve pensarsi ch'ogni attion sua ò grande ò picciola che sia, tutta vien notata e scritta da chi la vede, per cio ha da stare in tutte le cose sue riservatissimo senza pratticar' ò ragionar con persone, che tutte non habbiano maestà con seco, escludendo i giochi, i buffoni et altre simil sorti di persone.

Che per esser'obligato à tutti i gradi e conditioni di persone, affin che possa provedere così nel governo spirituale come secolare, de quali tien la cura, deve haver molti consiglieri, co i quali tratti tutte le più importanti imprese, non lasciando giorno mai, che non discorra seco per informarsi di tutti gl'ordini et disordini, ch'avvenir possono nel suo governo, conferendo cio che tratta con principi et co i popoli, accioche li renda amorevoli verso la chiesa, et per tanto si come | à tal effetto il concistoro è stato ritrovato, così con quello ha da con- 133v sigliarsi piu frequentemente che può, dando libero adito à ciascun di dire cio che gli pare.

[II. Dei cardinali].

Che per tal effetto non si deve sodisfare del parere de puochi, essendo i dafari[a] suoi tanto grandi, et portando pericolo di abbattersi in qualch'interessato, che per lo suo particolare consigliasse tutt'il riverscio, et di piu essendo anco miracolo che un papa per se solo ò vero col aiuto de puochi potesse esser'informato pienamente del bisogno di tutti, che nella chiesa si ritrovano.

Che per tal ragion si debba far'ordine nella riforma, che niun impresa d'importanza ò per la particolare ò per l'universale debba esser maneggiata dal pontefice, ne come prencipe temporale ne come spirituale capo, se prima non sia communicata col consistoro de cardinali, senza il cui parere non si debba far conclusione che vaglia, et perche da niun rispetto il consistoro sia ritenuto, diansi i voti all'usanza d'ogni bene instituita republica, cioe con ballotte coperte, de quali il numero di più della mettà vinca il minore[2].

Che con simil legge non scorreranno tanto gl'abusi, non si faranno così facilmente le guerre, ne lo stato ecclesiastico sarà così scioccamente dismembrato, ma le cose anderanno ben consigliate et ben proviste.

Che con tutto questo non si fa che l'autorità del consistoro sia uguale à quella del papa, conciosia ch'ella non possa essere ne maggiore ne minore di quello che 'l papa stesso gli concede. Et non è gran cosa vedere il papa legarsi le mani da se stesso, gia che ancor di Dio si legge[3]: *Voluntatem timentium* | *se faciet* etc. 134r

[III. Dei nonzii].

Che 'l papa per lo carico che ha universale convien che sia informato di tutti i particolari, che nel christianesimo occorrono, pero deva ogn'anno informarsi de i portamenti de vescovi et di tutte le diocesi. Il che potra far qui in Italia col mandar visitatori huomini dabene, relgiosi et dotti in tutte le provincie, inquirendo li particolari de prelati et de sudditi, i quali habbiano da riferir' à Sua Sta accio ch'ella possa provedere. Fuor d'Italia, non essendo commodo il mandar visitatori ogn'anno, tenga sopr' intendenti in tutte le provincie, i quali habbiano offitio d'investigar tutto ciò che fanno i prelati e i sudditi di quelle parti, et poi avisarn' il papa.

Che per tutto cio i nonci et legati sono necessari in ogni provincia fuor d'Italia, i quali hanno ad essere di buona vita et essemplare senza pensiero di arrichirsi ne d'ingratiarsi co i principi ne d'acquistarsi maggior grado ne meno di far mercantia dell'auttorità à se concessa. Il medesimo ha d'intravenire alla corte che conducono seco, la qual deve essere conosciuta dal papa per non lasciare, che quello che edifica il nontio, lo destrugga[no] i suoi.

Che non sarebbe mal fatto dar compagno à nontii, come sarebbe di qualche secretario dipendente immediatamente dal papa[4], il quale non havesse da far'altro, se non di essere

[a] dafari = affari

[1] Cfr. En. in Ps. 126 n. 3, *Migne* 37, 1669.
[2] Qui modus in republica Venetorum observabatur.
[3] *Ps.* 144, 19.
[4] Scil. sicut secretarii oratorum Venetorum Cfr. *A. v. Reumont*, Beiträge zur italienischen Geschichte I (Berlin 1853) 230 sq.

presente à tutti i negotii del nontio, dandone raguaglio à Sua S[ta] affin ch'ella sappia di essere servita fidelmente da suoi nontii et legati, et che l'uno per l'altro si tenghino in cervello. |

134v Che s'ha da dar commissione à nontii d'informarsi pienamente del vivere christiano delle provincie, et trovando qualch'errore per diffetto de prelati, deve emendarli et privarli anco, se fa bisogno; ma s'el difetto vien da popoli, che non vogliono essere suggetti alla disciplina de loro prelati, ha il papa col scriver' à principi, col ampliare le facultà de prelati, et col usar tutta l'auttorità sua da provedere. Ritrovando poi huomini di bontà et di qualità nelle provincie, deve dar stretta commissione à nontii di accarezzarli, tenirne conto et raccomandarli à vescovi in caso di vacantia, ò vero farli provedere per altra via. Così i vescovi da bene gli raccomandi à principi, et faccia opera con essi loro che facciano far residenza à chi non risiede, attendendo sempre à fare che delle rendite ecclesiastiche i buoni siano premiati e i cattivi privati. Al fine ogni nontio habbia appresso di se due ò tre huomini da bene et letterati come suoi coaiutori, et questi gli mandino à visitar i prelati delle provincie, non lasciando che si diano ad intendere di non havere sopra di se intelligenza veruna, ma (visitati) siano insieme ò corretti ò aiutati, secondo che 'l bisogno ricercherà.

Che per tal via essendo Sua S[ta] avisata di tutte le bisogne del christianesimo, potrà col consiglio del consistoro, formato di persone d'ogni natione et prattico de gl'humori di quelle, applicare rimedi et far provisioni, che siano giudicate opportune.

Che grand'è quell'abuso di mandar nontii che non sono atti à edificar le cose christiane, ma solo à contrattar con principi secolari, con dissegni d'ingrandirsi maggiormente. Il che
135r pian piano ruina nelle provincie la | religione catolica et christiana, et per tutto cio non si deve mandar nontio in alcun luogo, se prima non sia approvato da voti del consistoro.

[IV. Della stampa].

Che, come il papa ha da essere informato di quanto si fa tra christiani, così dee esser' informato di quanto si scrive et si stampa, sapendo quanto male habbiano cagionato le stampe e i scrittori, et quanto lo mantenghino in materia della religione, usando gl'heretici di far vulgate tutte le loro piu triste openioni col tirar gl'huomini alla curiosità del legerle ne i suoi libri, per la bellezza delle lorostampeben corrette. Percio non dee essere trascurato il papa in questa parte, ma ha da far'ogni sforzo per sapere, che cosa si stampa, ove si stampa, et da cui vien stampata, per potere provedere ò per se stesso, se sono nelle sue forze, ò col scriver' à principi, ò col persuadere et dissuader'anco i stampatori.

Che nelle provincie catoliche s'ha da usar diligenza che quanto si stampa sia visto et corretto da huomini dotti et catolici (oltre à gl'inquisitori), i quali per tal effetto siano mantenuti appresso de stampatori come correttori delle loro stampe, i quali siano dalla chiesa beneficati ò vero salariati.

Che nelle provincie infette, ove pare che le più belle stampe si ritrovino, ha il papa da procedere con ogni diligente destrezza che gl'heretici non stampin o compositioni heretiche, ne meno guastino le catoliche colla giunta di scolii ò epistole inffette, come quasi sempre far sogliono, il che si farà col persuadere à stampatori sotto mano per mezzo di gente à chi essi credono, che non sia il fatto loro il lasciare che così le stampe escano infette, atteso che
135v i mercanti delle | catoliche provincie non siano per comprare tal mercantia, non essendo se non pericolosa et senza dispaccio.

Che per tal effetto si potrebbono mandar persone catoliche e dotte sotto colore di studio in quei luoghi, ove si stampa, le quali dissimulando il fatto s'intrinsecassero co i stampatori, et facendosi conoscere da loro per letterati, s'ingerissero sotto titolo d'amicitia e non di guadagno ad essere loro correttori[1]. Questo modo da chi ha prattica è giudicato tale ch'ogni stampatore di leggeri si lascierebbe guidar' à far le cose che stassero bene. Ne qui s'haverebbe da spaventare la sedia apostolica per cagion della spesa, gia che non importerebbe piu di otto ò dieci mila scudi l'anno et ne portarebbe di giovamento (oltre la salute dell'anime) piu che non apportasse un grosso essercito pagato per ruinar'i nostri avversari. Tal numero di persone cavar si potrebbe da collegi, dalle università et, quando bisognasse, dalle religioni ancora; et di tutti questi converrebbe che puochissimi fossero Italiani, per non dar sospetto, et tutti sotto colore di studio per potersi domesticare co i stampatori.

[1] Correctores iuvenes litterati esse solebant, qui studiis peractis hac occasione litteris incumbendi utebantur. *R. Wackernagel*, Geschichte der Stadt Basel III (Basel 1924) 447 sqq.

Che per lo medesimo effetto si debba introdurr'in Italia et massimamente in Roma bellissime stampe, non guardando à spesa, per che concorrino et avanzino di bellezza et di bontà quelle fuor d'Italia, provedendo che tutti i libri sacri della bibia et de dottori christiani siano qui stampati colle correttioni d'huomini dotti et catolici, affin che non c'intravenga di nuovo quello che intravenne sotto Paolo IV, che vietando i libri stampati da gl'heretici [1], non ci resto piu ne bibia ne dottore sacro che fosse da vedere, tanta si scoprì essere stata la trascuragine nostra nel tutto contraria | alla diligenza de gl'heretici. Et è una 136r gran vergogna che particolarmente qui in Roma non ci sia di stampare cosa degna da essere letta [2].

[V. Del governo delle nazioni straniere].

Che per sapere governare con debito modo tutte le nationi che ubediscono alla chiesa et ridurr'all'ubedienza quelle che sono uscite, convien che 'l papa intenda le nature et humori de popoli, et per ciò deve sforzarsi (oltre al concistoro) haver'anco appresso di se due ò tre huomini da bene d'ogni provincia prattichi et intendenti de gl'humori, co i quali consulti le bisogne di quelle in tutte l'occorrenze. Il che gioverà à conoscere et à provedere à tutte le bisogne de popoli, facendosi medesimamente conoscere da essi, cosa ch'è di necessità à chi è pastore, come dice Christo in San Giovanni [3]: *Ego cognosco oves meas et cognoscunt me meae* etc.

Che doppò l'informatione havuta delle bisogne de popoli, è necessario conoscere anco quei, che si mandano alla cura loro, ò siano vescovi ò parochiani ò altra sorte di religiosi. Onde per non mandare lupi in luogo di pastori, il papa ha d'informarsi da popoli medesimi ò vero da principi di quei popoli, aggiuntovi il parere di quei due ò tre che detti habbiamo, qual sorte ò conditione di persone si ricerchi à quell' tal governo, atteso che molte volte ò per la diversità di costumi ò per nemicitie, che tra popoli e popoli quasi naturalmente si ritrovano, tale sarà giudicato buono dal papa, che secondo l'altrui parere et secondo la verità non sarà al proposito. Et per tanto nell'elettioni de vescovi (senza obligarsi alla denominatione di alcuno) Sua Stà ha da proceder'in tal maniera che à pieno sia informata, di chi sia al proposito ò vero non sia, ma nella provisione delle particolari chiese è ben fatto | consultar' i vescovi, i quali di ragione deeno esser'informati di tutte le biso- 136v gne della sua diocesi.

[VI. Della provisione de benefici].

Che per tal ragione è abuso grande il dar beneficio à chi prima n'è stato avisato o vero per rimuneratione della servitù o vero à chi non ha animo di andare mai al suo beneficio. Et per ciò niuno vescovo non possa dar beneficio curato à persona alcuna, se prima non avisa il papa o vero il metropolitano dell'importanza del luogo et della qualità della persona, sopra del che n'ha anco d'haver' il parere da due o tre diputati dall'apostolica sede in ogni diocesi per trattar co' vescovi della cura dell'anime. Medesimamente il papa non dia parochiale alcuna senza consigliarsi col vescovo al modo sopra detto.

Che sia abuso intollerabile dar beneficio à persone, che non hanno pensiero d'andarsi nelle provincie, ove tal beneficio si ritrova, come ad uno Italiano in Ispagna et al Spagnuolo in Italia et cosi del resto, i quali piu tosto renontiano i benefici poi che andar à quelli (ancorche fossero vescovati), quando dall'apostolica sede sforzarsi veggono.

Che 'l papa non toleri l'abuso di coloro, che stanno nella corte sù gli avisi, havendo [cor]rispondenza à guisa di mercatanti per tutt'il mondo, facendo conventioni e patti (con chi dà l'aviso) di darle un tanto di pensione o vero di lasciarli 'l titolo col riservarsi la pensione, il che come non è mercatantia espressa et simonia abominanda? | Però niuno de 137r

[1] Scil. indice librorum prohibitorum, quem pontifex ille anno 1559 edidit. Qui generaliter omnes libros ab haereticis et auctoribus suspectis, ut Erasmo editos, etiamsi minime de religione agerent, proscripsit (*H. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I [Bonn 1883] 264), ita ut multi homines docti sicut auctor noster quererentur, privatos se esse omnibus fere auctorum antiquorum patrumque sanctorum editionibus (*ibid.* 294 sqq.; Canisii epp. et acta ed. *Braunsberger* II 425. 446), Hispani autem et Galli eum omnino refutarent. De Etruria vide *A. Panella*, L'introduzione a Firenze dell'Indice di Paolo IV: Rivista storica degli archivi toscani 1929, 11-25. Pius IV decreto 24. Iunii 1561 dato quaedam moderavit.

[2] Praeter Antonium Bladum, camerae apostolicae typographum (cfr. *D. Bernoni*, Dei Torresiani, Blado e Ragazzoni [Milano 1890] 193-255; *Fumagalli-Belli*, Catalogo delle edizioni Romane di A. Blado ed eredi [Roma 1891]), et typographiam Collegii Romani Soc. Iesu, fundatam a. 1556; cfr. *G. Castellani*, La tipografia del Collegio Romano: Arch. hist. Soc. Iesu 2 (1933) 11 sqq.

[3] *Io.* 10, 14.

tali dee essere tollerato nella corte ne meno beneficato, ma anzi castigato, et il papa non ha d'accettar' aviso da persona alcuna fuor che da i vescovi o da loro luogotenenti, da quali insieme dee essere avisato del bisogno, come di sovra è detto, affine che 'l papa non si renda infedele dispensatore de beni ecclesiastici, et contrafaccia all'ultima volontà di chi ha lasciati quei beni alla chiesa con dissegno di havere pastori, che stassero alla cura dell'anime col pregar Dio per se, et distribuissero le facolta in quel miglior modo, che Dio vuole. Il che non si può mutare da huomo che viva senza ragione d'importanza, nel qual caso poi il papa non muta, ma dichiara e interpreta la volontà del testatore.

Che per l'istessa ragione sia intollerabile abuso di dar gl'indulti à persone, che non hanno cognitione delle diocesi, solo per che habbiano modo di rimunerar i loro servitori, à quali promettono di dare benefici, come se fosse un salario, senza sapere l'importanza del luogo, nel che mostrano espressamente chē vogliono provedere alla persona et non al luogo.

Che dall'istessa ragione si vede esser' intollerabile ogni sorte di espettativa, che sia data ad alcuno conciosia cosa, che qui non possa essere alcun riguardo dell'anime, ma solo di colui, à chi vien data, massimamente quando si da in tutta una diocesi senza limitarsi à conditione alcuna di beneficio. Quest'è simonia, dandosi come pagamento de la servitù
137v fatta[1]. Questa fa disiderare l'altrui morte | et rallegrarsi di quella. Questa chiude la strada à molti degni di havere beneficii. Questa al fine è cagione di mille liti, poi che uno entrarà al possesso, et l'altro haverà la spettativa del beneficio.

Che ogni sorte di pensione riservata sopra beneficio (oltre la parte che s'appartiene à poveri o veremente riservata à ricchi) sia abuso. Onde quelli, che danno il beneficio con riservarsi tutti e' frutti sotto titolo di pensione, o veremente essendo ricchi procurano pensioni, le quali di ragione s'appartengono a' poveri, non possono ne deeno essere tollerati. È ben vero che tale povertà non ha da essere mesurata in se stessa, ma per rispetto del grado, che si ha nella chiesa.

Che il dar pensione à laici, i quali habiano compro[a] cavallerati o altro, havendo moglie, sia abuso, si perche la pensione non si conviene ad altri ch'à chierici che fanno vita clericale, si perchè ella cavandosi dalla parte del beneficio obligata à poveri non si deve dare per arrichire chi è ricco, come si fa dandola à chi ha modo di comperarsi cavallerati.

Che sia abuso intollerabile il volere rimunerar' i servidori col dar' il beneficio all'uno et riservar la pensione al altro, essendo obligato chi è padrone pagar i servidori del suo et non di quello d'altri, massimamente de poveri, de quali è la parte, onde si cavano le pensioni.

Che havendo ogni beneficio i propri carichi, grand'è quell'abuso di dar uno beneficio
138r con riserva di pensione, la quale con inganno si | assicura sopra altri benefici per non parere di volere aggravare quello, che si dà oltre al conveniente, essendo però che, chi paga la pensione, non la pagherebbe, se non fosse investito del beneficio, onde havendone altri, si obliga à pagarla sopra di quei tali, non avvertendo ch'anco quei hanno il loro carico per cagione di dar limosina à poveri et non di pagare pensione à ricchi. Perciò non può essere qui altro ch'inganno et abuso.

Che havendo ogni beneficiato una parte del beneficio obligata al vivere suo honesto, se sotto titolo di quest'honestà ha da tenire servidori, come sono i vescovi e prelati, devono medesimamente mantenire quelli et rimunerare la loro servitù con le rendite della parte, ch'al vivere suo s'appartiene, et non con quelle, che al ristoro della chiesa ò vero alle limosine de poveri sono designate[2]. Il perche grande è l'abuso, che le corti tanto de ecclesiastici quanto di secolari prencipi s'empiano di gente, che quivi sta sollo per guadagnarsi benefici o pensioni come un salario prophano, nel che è intollerabile che quello, che à liberi solamente si conviene, come sono le cose della chiesa, si dia poi per pagamento di una servitù profana, et spesso di servitu tale, che forse meriterebbe più castigo che premio.

Che 'l papa ha d'aprire piu gli occhi sopra ogni rinontia et riserva di pensione fatta à parenti et à servidori che fatta ad ogni altro, essendo come certo che poco pensiero vi può intravenire dell'honore di Dio et del utile delle anime, ma solo di carne et di sangue. Col che si ha da procedere medesimamente nelle permutationi fatte de benefici, delle |
138v quali si puo piu pensare male che bene, sapendo che sono fatte communemente piu per commodità et guadagno delle persone che de' luoghi

[a] mr.

[1] Cfr. *Conc. Trid.* XII 246 l. 30 sq.

[2] Vide supra p. 185 l. 7 sqq.

Che 'l papa facilmente avvertirà tutte queste cose, se sarà capace, ch'egli non sia padrone, ma solo dispensatore de benefici, talche non per volontà, ma per forza di ragione grave habbia da darli o veremente lasciare ch'altri gli diano. Così (con quest'avvertenza) saprà anco che non essendo padrone, non può meno farne alcun guadagno, ma nel darli non può ricevere piu di quello che li sia assignato per sostegno della propria sua honesta vita, dal che si cavano le annate; del resto non può da benefici farne altro guadagno, se non è per qualche causa, che al [ben] publico della chiesa s'appartenghi.

Che si convegna al papa far tutte le gratie senza pensiero alcuno di guadagno, tal che le ha da dare gratis o vero da negarle nel tutto et massimemente quelle, che nascono dall'auttorità sua spirituale, altrimente si venderà o parte o tutto dell'opera dello Spirito Santo, et si caderà in una contradittione che, dicendo gratia, la farà mercede, non la concedendo gratis.

Che 'l papa per fuggire la nota di essere avaro et di volere guadagnare sporchemente (cosa tanto detestata dall'A p o s t o l o nella persona del vescovo)[1] non deve, ne sotto titolo di limosina, ne sotto titolo d'ingiunta penitentia, ne di pagamento de ufficiali, ne di altra sorte di colore, lasciare che nel fare delle gratie, come dispensare matrimoni, abilitare | alle cose 139r sacre, permutare voti, concedere indulgenze, assolvere da scomuniche et altri riservati casi, o fare simili attioni: lasciare, dico, che ne per se, ne per altri si piglino danari, tassando (come si fa) un tanto per ciascuna gratia che si ricerca. Ma se pur occorre che s'habbia da condannar alcuno in pena pecuniaria, fare di maniera che 'l mondo s'accorga, che non per avaritia, ma per giusta cagione si pigli ciò che si piglia, il che si farà con sodisfattione del mondo, quando le condannagioni siano applicate à limosine o publiche o particolari, nel qual caso poi non si ha da riguardare nel fare delle gratie per salute dell'anime piu à ricchi che à poveri, come si fa al presente, quando si vegga che, chi ha modo da spendere, ha ancor modo di ottenire maggiori privilegi spirituali, et chi non ha il modo, non ottiene. Il che ha cagionato in molti la disperatione, non trovando chi habbia voluto assolverli da molti casi, con quanta contritione havessero d'havere commesso gli errori, solo perchè non si trovavano modo di spendere, come altri già sciolti ritrovato s'havevano. Dal che poi ne seguita per disperatione de tali il disprezzo dell'auttorità ecclesiastica, et pian piano il fomento dell'heresie.

[VII. Degli uffici in curia Romana][2].

Che tutti gli ufficiali (senza la cui opera non può essercitare l'auttorità sua il papa) devono essere pagati da Sua S^tà delle rendite, che le sono state lasciate, perchè vivere possa honestamente secondo il grado che tiene, per lo quale ha bisogno de ta[nt]i ufficiali, per la cui cagione le annate et tutto lo stato che possiede li è stato assignato giustemente. Percio ogni volta che vorrà fare ch'altri paghino i suoi ufficiali, et esso voglia | imborsarsi le ren- 139v dite intiere, che consignate le sono, o veremente le voglia spendere à suo piacere, subito introduce o vero mantiene uno de' maggiori abusi, che nella chiesa oggi di si ritrova, per lo quale si fa poco riverire da' popoli e si fa estremamente odiare da gli heretici. Il per che si può concludere che il vendere de gli uffici qui in Roma habbia rovinato la riputatione di tutta la chiesa, introdotti gli abusi, notrita l'avaritia et fatto ribellare il mondo all'apostolica sede, et percio bisogna à viva forza rimediarli.

Che col istessa ragione sia intollerabile quell'altro abuso di wendere gli uffici appartenenti al governo del stato temporale della chiesa, dal che ne nascono indignità, havendoli molte volte persone ricche, ma di niuno valore, nascono rubberie, volendosi rimborsare o per l'una via o per l'altra ciò ch'han speso et guadagnarvi insieme, et nascono ingiustitie infinite, che da mercenari ufficiali per cagione di guadagno usate sono. Or non è forse obligato il papa et altri prencipi di mantenir ufficiali, che amministrino la giustitia à loro popoli, senza aspettare di essere pagati?

Che piu tosto si dovrebbe levare gli uffici di mano da ufficiali, che comperati gli hanno, senza restituire il loro danaro (non vi essendo il modo), che lasciare le cose nel termine che stanno, con tanto dispendio di tutta la chiesa et scorno dell'apostolica sede. Ne sarebbe gran cosa di farlo, poi che cosa mal venduta non possa di ragione essere | bene 140r comperata.

[1] Cfr. *Tit.* 1, 7.

[2] De venalitate officiorum in curia Romana vel potius de « societatibus officiorum » quae schismatis tempore initia habuerunt, vide *W. v. Hofmann*, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden I 162 sqq.

Che per non far gridar il mondo et parere empio, levando da ufficiali quello che s'hanno comprato col loro danaro, non potendosi restituire, si lasci che per via di morte si estinguano di sua posta, sostituendo in luogo loro di man in mano altri pagati dalla sede apostolica, i quali habbiano da essercitar l'ufficio senza farsi pagare da popoli, et se di ragione si ha d'haver cosa alcuna, quella sia in potestà del papa et non d'altri. Quest'è rimedio pronto e facile, il quale in due ò tre pontificati havrà provisto à tutt'il bisogno, et di piu essendo nel luogo di chi muore sostituiti ufficiali, che non si facciano pagare da popoli, essi havranno il concorso et altri n'anderanno digiuni, tal che da se vi ritorneranno per prezzo tale, che molto bene si potrà con facilità restituire il loro danaro.

Che quando questo non giovi, si potrebbe dalla camera apostolica sodisfare quei ufficiali, ch'havessero gli uffici fondati sopra le rendite, che di ragione non pervengono al papa, come sono quelli, ch'hanno la cura di spedir le gratie o altro, che dar si dee gratis, o al tutto negarle, ma gli altri uffici poi, che si fondano sopra l'entrate giuste della chiesa, così lasciar si potrebbono, non vi essendo mal'alcuno, talche commodamente si potrebbe restituir il danaro à gli ufficiali, che cassar si vogliono. E quando non vi fosse ancor il modo per questa parte, si potrebbe con sodisfattione del mondo per una sol volta imporre decime
140v o altra sorte di essattioni, col far capace | ⟨le persone⟩ [a], che per tal cagione di estinguere gli uffici mal fondati, non per altro tutto ciò si faccia.

Che se la chiesa farà tal provisione, ne verrà à guadagnare, sì per la riputatione che si acquistarà, sì per che molti daranno spontaneamente per le speditioni loro quello, che hora danno per forza, onde si può facilmente coietturare [b] che questo habbia da essere, essendo così stato ancor da principio, che i popoli spontaneamente davano per le ottenute gratie quello, che poi è passato in abbuso col sforzarli à doverlo pagare, facendo una gabella sopra i doni et presenti, che alla chiesa venivano fatti, col persuadersi falsamente quello che riprende l'A p o s t o l o [1], cioè *quaestum esse pietatem.* Il che ha partorito scandalo in tutta la chiesa, facendo gridar tutti i popoli et ha dato ansa agli heretici di sovvertir le misere anime col farsi cavalieri di tal abuso.

[VIII. Delle indulgenze et altre grazie spirituali].

Che 'l papa nel far gratie non sia tanto largo che si renda vile, ne tanto severo nel correggere che si renda odioso, per non essere disprezzato nel primo et nel secondo abominato come crudele. Il perche nel dare delle indulgenze dee essere molto riservato, per non farle burlare et usarle come cose profane senza una riverenza al mondo, come la prattica mostra, che ò non vi si concorre, ò si concorre come à baccanale.

Che per provedere fosse ben fatto non conc~~edere~~ piu di una o di due indulgenze ò
141r vero giubilei l'anno per provincia, provedendo di | maniera de' luoghi diputati et de giorni che commodamente ciascuno qui vi potesse concorrere senza far tumulti. Et perche non occorra disordine, ne si impedisca la divotione, siano divisi i luoghi o vero i giorni del concorso degli huomini da quelli delle donne, e scomunicando chi d'una sorte ardisce andar il giorno à luoghi deputati all'altra, et sopra di ciò invocando anco il braccio secolare. Et se qualche città per privilegio particolare havesse ogni giorno indulgenze, come è Roma e S. Maria di Loreto o simili [2], questo privilegio vaglia à forastieri, che per divotione loro concorrono, et non à gli habitanti continui, ma vadino ancor essi sotto l''istessa regola degli altri. Ma quando ciò non paresse ben fatto, almeno si dividano i luoghi ò i tempi dell'andata de gli huomini da quei delle donne, come di sopra è detto. Giulio III lo fece una volta et gli riusci divinamente [3]. Le stationi siano divise anch'esse di maniera che ogni giorno siano due chiese deputate, una per gli huomini, l'altra per le donne, et il giorno sequente poi si mutino le chiese stesse. Onde se hoggi gli huomini sono andati ad una, dimane le donne vadino à quella, et gli huomini, dove erano andate le donne, accioche tutti i luoghi siano in fine del tempo deputato visitati et da gli uni et da gli altri. Se si farà questo, si leverà il Carnevale in Roma, che si fa la Quaresima sotto pretesto di divotione. Del che qual maggiore hipocrisia?

Che per auttorità et maestà delle indulgentie niuno altro debba darle fuor che esso, et non hospitalieri, fabriceri ò simili altri [4], et Sua S[ta] non le dia fuor dell'ordinario, come

a del. il mondo b sic!

1 *I Tim.* 6, 6.
2 Cfr. *N. Paulus,* Geschichte des Ablasses im Mittelalter II 292 sqq. III 274 sqq.
3 Quoad annum Iubilaei cfr. supra p. 106 adn. 9.
4 Vide supra p. 177 l. 7 sqq; 253 l. 20 sqq.

è detto, se non per urgentissima cagione. | 141v Et si guardi da modi inconsueti ò vero ridiculosi, come sarebbe alligandole à certe corone ò offici della Madona [1]. Il che non è di riputatione, tanto più essendo date ad instanza di donne con tanta copia et senza essempio de antichi, come mostrano le bolle, le quali costringono alla divotione, mettendo la clausula del confesso et contrito, et non à soperstitione colla clausula di tali *Pater* o vero tali *Ave Marie.* Il che da adito di vivere à volontà di carne con presontione [a] di acquistar poi l'indulgenza colla tale corona benedetta ò vero tale officiuolo.

Che 'l papa nel dar indulgentie non si dee movere senza il moto del Spirito Santo, dal quale in ogni sua attione fatta come papa è governata. Et però non dee correre à darle per apetito di donne, che altrimente gli heretici havranno apparenza di dolersi di lui, come non le dia sempre per aiutar ciascuno, se le può dar ad ogni suo apetito.

Che quello si è detto del dar indulgentie, si dice anco per cagion di far altre gratie spirituali, le quali il papa ha da farle col medesimo moto del Spirito, et non per danari ò per compiacenza di parenti et amici ò per altra via, che tutta non nasca, da chi nasce anco tutta l'auttorita sua, servando in cio mediocrità tra l'essere facile et leggero, et l'essere inessorabile. Et dee seguitar Christo, che essendo tutto mite, usò anco il flagello [2]. Il che imitò Pietro contra Anania [3] et Paolo contra 'l Corinto [4]. Questo sarà facile, se s'haverà l'occhio sempre al ben publico et al giovamento universale della chiesa, con qualche giudicio | 142r non si movendo sè non per grave et unportante ragione à fare quanto fa concedendo gratie, et particolarmente quelle, che son fuori dell'osservanza et delle leggi della chiesa.

Che 'l papa non osservando quanto è detto farà molti mali. Prima si farà tenir leggero. Poi si mostrerà poco apprezzatore del rigore delle leggi et dara ansa ad altri di poco apprezzar le proprie. Appresso aprirà la via à cattivi di far male, i quali non s'astengono se non per timore. Al fine darà materia di mormorar al mondo, massimamente se si muove à petitione di donne, tal che lo chiameranno effeminato. Scandalizzarà i semplici et chiuderà i passi alla giustitia.

Che per tal cagione Sua S[ta] non dee lasciar ch'alcuni usino l'auttorità sua pontificia nel far gratie senza sua saputa, come avvien quasi in tutte le cose di penitentiaria, le quali molte volte sono escluse dal papa, et nondimeno passano alla penitentiaria. Di maniera che molte di loro poi si sono disfatte alla presenza del papa, come chiaramente si è visto poco fa nella causa de sfratati [5].

Che se à questo non si provede, anderanno di mal in peggio gli abusi introdutti, tra quali uno è, che gli ufficiali di penitentiaria molte volte non si curando di sapere, come stia la verità del fatto, solamente si curano del colore, sotto quale possa passar la gratia, ordinando à chi supplica le parole in tal maniera che mostrino una cosa, ancor ch'ella non sia. Il che non per carità, ma solo per lo | 142v guadagno che gli ne viene, se la gratia passa, costumano di fare. Nel che oltre la buggia narrata, della quale alcun di loro è consapevole ricevono anco danari di cose, che giustamente ricever non si può, come di sopra è detto [6].

Che per proveder à tutti i disordini buono sarà il levar del tutto in tutto, che niuno ufficiale di penitentiaria possa ricevere danari per qual si voglia gratia concessa da quell' tribunale, et di piu che niuna gratia passi senza saputa del papa.

Che 'l papa in simil caso dee pensarsi che 'l grado che tiene non è per solazzo, ma per carico et fatica sua. Et percio non gli dee parere strano l'intravenir in tutte le attioni, che passano sotto l'auttorità sua, et quello che far non puo per se stesso, l'impona à persone, che non se lo piglino per guadagno ne per grandezza d'honore, ma solo per carico et per fatica. Se questo si farà, le cose anderanno meglio, et vedremo che i nepoti de papi ò vero parenti et amici non si metteranno tanto innanzi per occupare tutti i piu importanti uffici della chiesa.

[a] *Cod.* prosonzione.

[1] De indulgentiis, quae summi pontifices, incipiendo a Sixto IV, recitantibus Rosarium B. M. V. concesserunt, vide *Beringer-Steinen,* Die Ablässe I[15] 441 sqq.

[2] Cfr. *Io.* 2, 15 sqq.

[3] *Act.* 5, 3 sq. [4] *1 Cor* 5, 3 sqq.

[5] Paulus IV omnes licentias standi extra monasterium et similia privilegia data in signatura apost. vel a poenitentiaria revocavit. *Bull. Rom.* VI 538 sqq., *Pastor* VI 476 sq.; *Qu. Mandosius,* Signaturae gratiae praxis (Romae 1559) 95.

[6] Scil. sect. VII. Quoad dona, quae ab officialibus accipiebantur, *L. Gomes,* Commentaria in regulas cancellariae iudiciales (Romae 1547) f. 155[r] haec dicit: *Prava consuetudo modum* [videl. 100 duc. annuos] *transgreditur conniventibus superioribus et forte causam dantibus, qui deberent huiusmodi referendarios et alios curiae ministros de aliquo honesto salario providere.*

[IX. Delle pene].

Che dopo la riforma delle gratie convenga anco riformar la parte, che à castighi si conviene, facendo di sorte che, sicome nel fare gratie non ha il papa da farsi tenir leggiero, così ne' castighi non si faccia tenir crudele, ma piu tosto amari appetat quam timeri. A questo si provederà non condannando persona, che giustamente dal mondo et da se stessa non si
143r dovesse condannare, conoscendo | la ragione che muova il papa à condannarla. L'esempio di tutto cio sarà, considerando la maggior arma che usar voglia la chiesa contra i delinquenti, la quale è la scomunica. Questa si come rende spaventosa l'auttorità della chiesa à ciascuno che la conosce, così non dee esser' usata contro alcuno se non per causa importantissima et lontana d'ogni sospetto, come fece San Pietro, che prima ch'egli escomunicasse Anania et Zafira, protestò della cagione urgentissima, ch'era d'haver mentito al Spirito Santo et l'havere voluto ingannar tutta la chiesa. Così l'Apostolo Paolo escomunicando il Corinto rese la ragione, dicendo che egli havea commesso fornicatione tale, che n'anco tra pagani si ritrovava, et percio giustamente era intollerabile [1]. Dal che ne nasceva nel popolo christiano timore grande di essere escomunicato.

Che non sia maraviglia, se hoggi di la scomunica non è temuta, ma piu tosto da molti burlata et da altri perseguitata, conciosia che per leggierissime cagioni si fulmini, le quali, ancorche in se medesime fossero giuste, non dimeno per li motivi che hanno si mostrano al mondo poco giuste, come sarebbe che essendo mille cagioni della scomunica secondo la dottrina dell'Apostolo *1 Cor.* 5, [11], nondimeno quasi tutte escono per cagione di danari et di robba, senza alcun riguardo di religiosi ò di prelati, dipingendogli in publico con maniere infami per maggior scorno, mettendo in dirisione l'ordine sacro che ne' scomunicati
143v si ritrova, et facendo venir à viltà la | scomunica per lo modo ridiculoso di fulminarla, mettendo nell'animo à ciascuno ch'ella non si debba temere per rispetto di Dio (mangiando gli scomunicati del pane), ma solo per timore de [s]birri et di prigione. Spesse volte si vede per cagion d'un cane perso gettar la scomunica, et i fornicatori publici, i bia[s]tematori, gli avari et simili altre sorti andarne sciolti. Anzi si è visto et si vede l'avaro, ch'havrebbe da essere scomunicato (come dice l'Apostolo) [2], far escomunicar altri.

Che si come il gettar la scomunica facilmente la rende vile, così il levarla dopo che è gettata, rimanendo la medesima causa, fa il medesimo effetto. Onde grande è l'abuso introdutto di escomunicar quei principi o altri, che occupano i beni della chiesa, et poi ad instantia de gli ambasciatori o di parenti et amici subito levar tal scomunica, senza che la robba si restituisca. Il medesimo dico di quei, che in Roma si veggono sù le bussole [a] [3] escomunicati in banchi ò altrove, et dall'altra parte suspendendo la scomunica si lasciano andar per le chiese, pratticar con tutti et esercitar i publici uffici. Questo partorisce disprezzo della scomunica, gia che si vede quegli, che ne sono percossi, non ne riportar ferita alcuna. Et per tanto si conclude che l'auttorità pontificia di castigar non debba essere usata se non con maestà et grandezza in tutti gli accidenti, senza moversi ne per cupidità di robba ne per istanza fatta da parenti ò d'amici, dando à credere al mondo che sia più grave pena
144r l'esser povero di simili cose che l'havere commesso | gli errori, gia che quei, che ne sono ricchi, ne vadino sciolti, et chi n'è povero, non trovi assolutione che vaglia.

[X. Dell'amore dei parenti].

Che intollerabile sia quell'abuso di usar la dignità pontificia à compiacimento della carne et del sangue, tal che sia vero quello che communemente si dice che i papi si facciano solamente per beneficio de nepoti et della casa loro, concio sia cosa che quanto maggior' è il beneficio che per tal via si fa à parenti, tanto è più grande il dispendio, che ne riporta la chiesa, del qual anco, s'è lecito di dire, ella ne va tutta ruinata et si ritrova nelle angoscie, dove fin qui si vede ridotta. Et i papi per tal cagione perdano l'anima, l'honore et al fine la vita per giusto flagello di Dio, et che sia il vero quanto alla vita, si sa che gia molti anni i papi sono morti piu per travagli ricevuti da loro nepoti che d'altra sorte d'infirmità [4], et pochissimi sono quelli, che havendo esaltati i parenti, no habbiano poi in breve tempo isperimentato l'insolenza loro.

[a] Cod. buffale

[1] Cfr. supra p. 439 adn. 3 et 4.
[2] Cf. *1 Cor.* 5, 11; 6, 10; *Eph.* 5, 5.
[3] Hoc est in portis.

[4] Quod etsi de Paulo III et Paulo IV iure affirmari posset (*Pastor* V 674 sq.; VI 479 sqq. 620 adn. 1), minime tamen de ceteris pontificibus illius temporis.

Che l'honore de papi si perde per questa via, percioche essendo per l'ordinario i loro nepoti giovani inesperti et nuovi ne i maneggi, et tal di loro essendo per natura inetto, non possono (ancorche havessero buona mente) maneggiar bene. Appresso sogliono fare d'ogni herba fascio, mentre che vive il papa, sapendo che dopo la morte di quello li sono troncate l'ali. Al fine sogliono in vita de papi accostarsi con prencipi grandi come regi et imperadori per essere sotto la loro protettione, dopo che gli sia mancato il papa | zio ò 144v parente. Il perche essendo così interessati, non possono mancar di far continuo ufficio et girar per sempre il capo de papi, perche condiscendino alle voglie de prencipi, à quali si sono accostati, vendendo l'honore et la riputatione de papi, della chiesa et di tutto lo christianesimo.

Che niun altro prencipe fuor di qualche caso stravagante da auttorità nel suo stato al modo che dar sogliono i papi à figliuoli ò à nipoti, ma à privati ministri, sapendo che per timore di pena et per desiderio di premio s'ingegneranno di ministrar bene, il che non fanno i parenti, che senza altro si confidano nella parentella, non temendo di cosa alcuna. Et s'avviene ch'havessero qualche timore, hanno il modo di troncar le strade à ciascuno di ragguagliar i papi, che niuno ardisce di tentar l'impresa, mercè che temeno dell'auttorità de parenti et hanno timore di farsi tenir huomini di mala natura, seminatori di discordie tra nepoti e zii et tra parenti et parenti.

Che quest'errore d'ingrandir i suoi tien lontani dal papato molti buoni cardinali per timore che i nepoti loro et altri parenti si habbiano da mangiar tutt'il papato, come [si] dice. Appresso partorisce nel papa una continua sollecitudine et vana di voler stabilir prima che si muoia le cose de' suoi parenti, il che lo fa mancare del debito suo con la chiesa. Partorisce a i parenti da basso stato inalzati un grand'apparato de nemici, sì per cagione dell'invidia, sì per l'odio di chi non è favorito da loro, come vorrebbe, | et maggiormente di chi 145r è castigato per ordine loro, tal che dopo la morte de papi sogliono i loro parenti essere poco ben voluti da popoli, anzi sogliono essere perseguitati et mal trattati ancor con somma vergogna di chi gli havea esaltati prima [1].

Che ragionevolmente tutta la chiesa et particolarmente il concistoro si può dolere de papi, chiamandogli ingannatori, che havendo ricevuto l'auttorità papale in se solamente, essi l'habbiano data à molti col far tanti papi, quanti sono i loro parenti, ch'hanno tolto ad ingrandir, dandogli nelle mani le ricchezze et l'auttorità del papato.

Che 'l medesimo errore danna l'anima del papa come pastore, che havendo d'attendere universalmente al gregge, non attende se non à poco numero, et come infedele dispensatore del patrimonio di Christo et come padre senza governo, che lascia ministrar à se stessi i propri figliuoli, come fece Eli sacerdote *1 Reg.* 2, [22 sqq.], il che fu la total ruina della sua casa, la morte de suoi figliuoli et la dannatione della propria anima, *1 Reg.* 2°, 3° et 4°.

Che tutte l'istorie de papi mostrano che la ruina della chiesa espressa (per cagion de papi) è nata per mezzo di coloro, che incominciar[n]o ad ingrandir i suoi col papato, percio che ciascun tale di capo commune à tutti spirituale si facea solo capo de propri particolari parenti et capo temporale ripieno d'inquieti et fastidiosi humori. |

Che secondo la prudentia humana ciascun tale ha da fare l'uno di questi due capi, per 145v coprir il diffetto de suoi che ha tolto ad ingrandir, ciò è ò finger il trascurato con tutti, lasciando ch'ogniuno viva à sua voglia, per non condannar in altri la licentiosa vita de suoi parenti, il che ha introdutto tutti i disordini et tutti gli abusi; ò vero far il tiranno, usurpando quell' d'altri sotto titolo di giustitia per darlo à suoi. Il che ha partorito non altro che guerre et somma confusione fra christiani [2].

Che per tutte le ragioni bisogna nella riforma provedere à tai disordini, facendo legge che niun papa per tempo alcuno mentre che vive possa introdur in Roma parente ò nepote di qual si voglia sorte, ò vero introducendolo, non gli possa dar grado ò dignità, che lo inalzi dal stato ove si ritrova, ma se per qualche suo merito et valore nella persona si gli havesse da concedere gratie o privilegio maggiore, questo non si faccia senza il consentimento espresso di tutt' il concistoro, il qual habbia da dar i voti in questo caso come ancor ne gli altri al modo di sopra detto [3].

[1] In animo habet auctor, quas contumelias post Pauli IV mortem populus Romanus familiae Caraforum intulit. *Conc. Trid.* II 606 sqq. (diarium Guidi); *Pastor* VI 620 sqq.

[2] Hoc quoque loco Chizzuola noster gesta quaedam sub Paulo IV respicit, ut privationem principum de Columna anno 1556, quae bello illi infelici contra Carolum V occasionem praebuit. Cfr. *Pastor* VI 404 sqq.

[3] Cfr. supra sectionem II.

Che Marcello II in quell' poco tempo che visse si mostrò di questa sententia per desiderio ch'havea della riforma, et percio non introdusse parente alcuno in Roma, ne meno li diè alcun grado o honore [1].

Che nella riforma del papato bisogna così fare come Marcello, escludendo nel tutto
146r la carne e 'l sangue, conciosia cosa che la | prima forma del papato fosse in tal maniera ordinata da Dio et da Christo et dalla chiesa abbracciata. Però Christo elesse Pietro al papato lontano di parentella da se, et escluse Giacopo et Giovanni suoi parenti, che n'erano ambitiosi, dimandando da sedere nel regno uno alla destra et l'altro alla sinestra [2]. E quando vuolse darlo à Pietro, li protesto prima ch'egli escludea la carne e 'l sangue con dirgli [3]: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed spiritus Patris mei* etc. Poi soggiunse elegendolo al papato: *Et ego dico tibi* etc. Nel che si vede chiaro che nel papato la carne e 'l sangue non dee haver luogo, ma solo lo spirito, il che tanto piu è vero, quanto si sa che, chi fa professione di servir à Dio, ha da rinegar se stesso et abbandonar ogni sorte di carne et di sangue; or quanto maggiormente il papa, che si chiama servo di servi di Dio?

Che la chiesa havendo per costume di crear il papa, il qual faccia professione di vita celibe, mostra che non vuole nel papa dominio alcun di carne ne di sangue, similmente nel crearlo lo spoglia di tutti i suoi primi panni et lo veste di altro habito à se solamente dedicato, gli muta il nome, gli muta le stanze, gli rinova la famiglia. Non lo lascia pratticar piu come soleva, ne meno gli lascia i titoli di prima, ma in tutto et per tutto fa che cangi la vita e costumi et si contrafaccia tutto nelle cose esteriori. Et per qual altra cagione tutto questo, se non per mostrare che cosi ha da lasciar di dentro tutti gli affetti, che ha-
146v vea delle sue proprie prime cose, non havendo piu che fare | di loro, come anco ha cangiato et lasciato tutti i primi costumi di fuori.

Che 'l papa si come vien eletto commune padre di tutti, cosi non dee riconoscere nel papato alcun particolar parente, ma ha da honorar et accarezzar tutti i buoni et virtuosi huomini, inanimando ciascun per tal via alla virtù, et ha [da] castigar i tristi per carità et giustitia senza riguardo di parenti o di amici. Se cosi faranno i papi, daranno adito à propri nepoti di attendere alla virtu, per esser ancor essi premiati di compagnia co gli altri virtuosi. Et s'avvien ch'alcun prencipe voglia beneficar i nepoti de papi, non vieto che si faccia, ma ben dico che all'hora i papi gli hanno da tenir più lontani, sapendo che per esser obligati non possono mancar al prencipe, che gli ha fatto beneficio. Ne alcun papa ha da procurar appresso de prencipi per suoi nepoti, sapendo che col procurarlo egli verrà ad obligarsi. Et brevemente il papa ha da starsi lontano da questo vitio, che nasce da fragilità, come ancora da tutti gli altri vitii, che da simili radici nascono, i quai si vincono col fuggire, come insegna il gran padre Agostino [4].

Che cosi facendo si levarà il timore di dar il papato à buoni cardinali, che hanno i nepoti et parenti, ne il papa sarà distratto dalla cura universale per la particolare de gli stessi, ne per cagion loro si daranno le dignità e i gradi à chi non sarà meritevole. |

[XI. Dello stato ecclesiastico]

147r Che nascendo una gran parte di questi disordini per l'occasione dello stato che ha la chiesa sotto il governo del papa, il quale in iscambio di governarlo molte volte lo lascia in preda de parenti et d'amici, facendone legati et presidenti senza rivedergli mai i conti addosso, et tall'hor anco lo dismembra, facendone ducati e marchesati: Non sarebbe gran cosa che nella riforma il papa si legasse le mani donandolo al concistoro, accioche egli n'havesse a disporre come li paresse et piacesse, non ritenendo per se altro che un voto senza auttorità di poterne disporre piu di quello possa ogni semplice cardinale, et non fosse in tal caso di maggior consideratione di quello, che nella republica siano i dogi e prencipi di quella. Tutto cio potrebbe fare un papa, sicome hanno potuto gli altri dismembrarlo et farne particolar dono à persone fuori dell'ordine ecclesiastico.

Che per tal via si leverebbono le invidie portate à papi per cagione del stato et si verrebbe ad assicurarlo, tal che ne parente ne amico ne anco nimico de papi potrebbe dissignarli addosso. Et sarebbe meglio governato passando per le mani di tutt'il concistoro, et piu si arricchirebbe, entrando tutte le rendite di quello nell'errario publico et non nella

[1] Cfr. *Pastor* VI 346 sq
[2] Cfr. *Marc.* 10, 37 et parall
[3] *Matth.* 16, 17.
[4] Cfr. ep. 22 c. 1 n. 2, *Migne* 33, 91

borsa de particolari. Et oltre di cio sempre sarebbe governato con affettione, perseverando il medesimo governo sotto una medesima forma, et non (come hoggi di si vede) à dissegno di chi piu puo pelarlo, essendo sicuro che solamente in vita di un'huomo ha da essere governato da chi lo governa. Et al fine si | verrebbono à levar tutti i disordini, che nelle 147v sedie vacanti avvenir sogliono, nelle quali pare che ad ogniuno sia lecito far ogni sorte di male senza timore di castigo, tal che ne città, ne case particolari sono sicure dagli homicidi et da i sacchi, ne chi le governa in tai tempi, può assicurarsi della vita sua.

Che in tal caso di riformar [a] si potrebbe et si dovrebbe assignar al papa una provisione tale delle rendite della chiesa, che fosse atta à sostenere la persona sua et la famiglia insieme honoratamente, come si convien al grado del prencipe che in se conserva. Il resto fosse riservato appresso de publici tesaurieri, camerlenghi et chierici di camera per tal effetto nella corte ritrovato [a]. Et niente si potesse movere senza ordine del concistoro.

Che tal modo di governo leverebbe tutte l'occasioni di spendere straordinariamente et disimpegnerebbe la chiesa de i tanti debiti che ha per lo spendere che fanno i papi fuor di ragione et donar à parenti oltre misura, onde si è visto che in pochissimo tempo i parenti de papi hanno accumulato tanti danari, che restando la chiesa povera et indebitata fino à gli occhi, essi hanno potuto comperar li stati, non havendo pero modo di prima da comperar anco una buona casa.

Che da questa provisione non dee essere ritenuto il papa, perche dubiti che nelle occasioni urgenti le debba ò possa mancar cosa | alcuna, concio sia che se vi sarà il modo, isponendo il bisogno al concistoro, non ha da dubitar che non li sia provisto. Appresso al che le rendite, che caverà da benefici conferiti, le quali hanno da essere tutte sue, saranno tante che non solo potranno supplir al bisogno, ma gli ne avanzaranno anco da donar ad altri. 148r

Che se à tal provisione il papa non vuol acconsentire renonciando lo stato, come è detto, almeno nel governarlo consigli ogni cosa co i cardinali, non mandando ministro ò vero ufficiale alcuno al governo fuori ò dentro di Roma, che prima non sia ottenuto da i voti del concistoro, al quale si rimetta poi il sindicato di qualunque tale ogni tanti mesi o anni, da essere fatte da sindici diputati sopra di chi havrà governato, cosa che leverà quell'intollerabileabusodurato fin hora nel maneggio del stato ecclesiastico di mandar ministri senza riguardo alcuno, ma solo per rimunerargli di qualche servitù o (ch'è peggio), perche essi l'haveranno comperato à danari contan[t]i, commettendo poi mille ladronezze et rubbarie per rimborsarsi il danaro et avanzarne.

Che dal governo temporale del papa si puo far coiettura del governo spirituale, et percio dee mettere cura che ciascuno governadore da se stesso dipenda et li renda conto senza fidarsi d'altri, accioche si possa credere il medesimo del governo che ha delle anime. Egli ha da metter ogni cura, perche il stato | sia abondante di vettovaglie, di arti et di 148v scienze, sgravato dalle angherie, ben regolato dalle leggi, servito da buoni ministri, amato da prencipi stranieri, riguardato dalle guerre et conservato nella pace. Le quai cose convenendosi ad ogni buon prencipe, molto piu si vengono al papa, il quale anco ha da ridrizzar gli altri colle sue leggi et ordini.

Che si come dal papa dipendono tutti i stati, che fra christiani si ritrovano, per esser egli capo spirituale et temporale, sotto la cui schiera ogni altro stato si ritrova da quello dipendendo ò per l'una via ò per l'altra, tutti i diffetti ritrovati in ciascuna conditione di persone, sia di qual stato o grado esser si voglia, saranno al papa imputati, se non gli correggerà et riformerà, al modo che corretti et riformati essere deeno come all'arbore, dal quale dipendono i frutti, si ascrive ò la bontà ò la malitia di quelli, et per cio à lui tocca riformar i cardinali, i vescovi, i parrochiani, i preti e i frati nel stato spirituale et i prencipi et sudditi nel stato secolare. Altrimente quanto maggior diffetti saranno ritrovati, tanto esso n'haverà à riportare maggior scorno et dishonore [1].

[a] sic!

[1] Brixiae in bibliotheca Quiriniana *Legato Martinengo Miscellanea I, II 11* f. 143r conservatur « Discorso di D. Hippolito Chizuola », qui circa idem tempus, i. e. 1560-1561, conscriptus esse videtur. In quo suadet auctor pontifici, ut Germanis protestantibus inferat bellum eosque victoria parta in sinum ecclesiae reducat: *Essendo la parte heretica di questa gran provincia superabile, io non so vedere, da qual parte V. Sta debba essere impedita ne meno ritardata che ella non procuri quanto più prestamente puo che si dia ordine a tale assalto, vedendosi certa che senza questo i catholici sono ispediti in tutte le parti dell'Europa* (f. 143r).

71.

[Tractatus super indictione concilii] [1].

[1560].

Romae Arch. Vat. Conc. 13 f. 259r-260v, cop. coaeva.

Tria consideranda in concilio indicendo: 1. An protestantes illi consentiant, imperator et principes illud postulent; 2. quid principes consentientes concilio in animo habeant; 3. an decreta exequi possint.

Conc. 13 f. 259r Tre sono li pareri, che hoggidi paiano più considerabili ne la materia del concilio: Il primo, che se indica et congreghi senza dilazione; il secondo, che non s'indica, se non si sa prima, che li principi lo vogliono da davero; [il] terzo, che poi ch'è chiaro che li heretici sono ostinati, se pur si vuole congregare il concilio per confirmare li cattolici et chiarir li dubbii, si doverebe eodem tempore domandare a li principi essecutione contra li heretici. Ma perchè tutti tre questi mezzi, quanto hanno in se del buono et del pio, tanto sono per la conditione pessima di questi tempi non solo difficili, ma periculosi, dirò brevemente quello [a] m'occorre intorno a ciascuno di loro.

[1.] Quanto al primo è necessario considerare che ò detti heretici consentirano al concilio ò non; se non vi consentirano, come è più verisimile stante la loro ostinatione, segue che dies indicti concilii est dies indictae tractationis, quae bellum pariet adversus hereticos, il che quanto importi, essendo loro potentissimi et arrabiatissimi, lascio il pensarlo a chi sa più di me.

È anchora da avertire, che il primo de tutti li principi che doverebbe volere il concilio, il quale è l'imperatore, non la domanda fin'hora in quel modo, che usanza è di domandare le cose che si vogliono da dovero [2], et la causa è forse questa che sapendo Sua Maestà Ces. che li heretici presupponerano il concilio esser vigilia de la guerra, che finalmente s'haverà da fare contra loro, istimarano per inimico ognuno che consentirà [b] ad esso concilio, et quando havessero in tal conto Sua Ces. Maestà, oltre a mille machinationi, che potrebbono fare contra lei, men l'agiutarebbono contra 'l Turco, il quale, ben che paia hora star chetto, ha però l'animo pieno di rabbia contra essa Maestà et sarà esshortato et preghato a valersi de l'occasione da li medesimi heretici, li quali per vendicarsi non curarano lasciar venire il detto Turco qualche passo più innanzi. |

259v È parimente degno di consideratione questo che, se l'imperatore vorrà haver simili rispetti, converirano haverli assai più li prelati di Germania. Onde tra per questo, tra perchè, se si absentassero da li stati loro, li lasciarebbono in gran pericolo, per causa non solo de la scoperta rabbia di quei di fuore, ma de la malitia anchora de li proprii di casa, non venirano certo al concilio, cosa al parer mio di non poca importantia.

[2.] Quanto al secondo, cioè di voler sapere, prima che s'indica il concilio, come la intendono il principi, dico che questa chiarezza comprende doi capi, de li quali bisogna haverne certezza. Il primo è che li principi vogliano et possano non solo difendere il concilio vietando et impediendo che alcuno per causa del consentirvi non resti offeso, perchè quando non ciò si faccia et da dovere, si moverano facilmente furie et schiere thedesche, bastanti non solo a metter' in fuga il concilio, ma a cacciare di Germania li cattolici, et questo ponto pare d'importantia, si per essere cosa chiara che li heretici veggono, che se tutto il corpo de l'imperio fusse d'uno medesimo volere, sarebbe insuperabile, come per esser notorio, quanto hoggi sono multiplicati, unite et ardite le forze d'heretici, dove al incontro le forze de cattolici ogni dì manchano, manca fra loro l'unione, manca l'ardire, et quello che è peggio, sopra l'imperatore poco fundamento si può hoggi fare, perche nascendo l'authorità da le forze, poi che Sua Ces. Maestà conviene haver le forze de li proprii stati sospette quanto a l'adoperarle contra li heretici, con ciò sia che li suoi sudditi defecerunt a più d'ottanta per cento, oltra che ella è costretto a tener impieghata ogni sua potentia contra 'l Turco, segue che in questo caso essa Maestà non potrà havere molto nè di

[a] supra lin. [b] corr. ex consentire

[1] Tractatus incerti est auctoris, sed de statu rerum praesertim in Germania bene instructi; scriptus, ut videtur, ante responsum Caesaris secundum 9. Oct. 1560 datum (*Conc. Trid.* VIII 79), quo concilio indicendo consensit.

[2] Vide supra adn. 1.

forza nè d'authorita, cosa che è senza fallo come con vantagio grande d'heretici, così con svantaggio pericolosissimo de catholici. |

L'altro capo, che se ha da considerare, è che li principi promettino di far eseguire o 260r
per amor o per forza li decreti del concilio, punto quanto necessario a ottenere, tanto pericoloso a trattare, perchè potrebbono dir li principi: Se 'l papa vuole, che s'obblighiamo a diffendere li decreti del concilio, oblighisi lui a stare a quelli, a non derogarle, a non alterarli, cosa che il papa, si come tengono li theologi, non può fare, perchè potestas, quam [a] a Deo summam accepit, arctari non potest ab alio quam ab ipsomet Deo, et perchè questi sono mezzi per intachare al vivo la potestà del papa et cominciar' a debilitarla. Et a questo proposito dico, che alcuni asserti catholici di Germania anno svegliato questo punto [1], onde temo che sarà domandato anche da l'imperatore, et di più dico, che in questo caso, come non s'ha mai da consentire, così s'ha da procedere con desterità, perchè la negativa potrebbe causar' sdegno et favorire le tramme, che vanno a torno de concilii nationali.

[3.] Quanto al terzo, ciò è al fare de l'essecutione, dico prima che, come questo sarebbe secondo il dovere, così è impossibile che riesca, perchè li principi sono consigliati altramente, et si lasciano intendere di non voler venire a l'arme contra heretici, se un concilio non condamna prima le loro opinioni; poi quando anchora li principi volessero venire a l'essecutione, chi saldamente discorrera sopra le forze tanto de catholici quanto d'heretici, et vorrà havere in consideratione che la maggior parte de li stati d'Europa in tal cosa sarrà neutrale, trovarà questo l'impresa non solo [esser] difficile, ma pericolosa per le molte cause che ad altro proposito ho avvisate [b].

Concludo che non consentiendo li heretici al concilio, dies indictionis concilii est dies indicti belli adversus hereticos, cosa de la quale | non si facendo gagliardi rippari et 260v
provisioni ben consigliate, nascerano facilmente mali travagliosissimi.

Et per ben chiarire questa verità, ricordo che essendo congregato la prima volta il concilio in Trento et vedendo heretici che il negotio andava inanzi, fecero la movesta [c] che si sa contra Carlo V, il quale riuscì per miracolo vittorioso; et essendo la seconda volta aperto il medesimo concilio dal papa Iulio di santa memoria, si mossero li predetti un'altra volta contro il medesimo Carlo V, guidando la guerra Mauritio [2], onde fu la Maestà Ces. forzata ritirarsi ad Ispruc et li prelati constretti a fugire dal concilio. Ma se queste cose ardirono heretici, quando l'imperatore voleva il concilio da dovero, quando egli haveva leghe in esse d'importantia con molti principi, quando li catholici parevano pur vivi: che ardirano hoggi che non solo manchiamo di tutte queste cose, ma che la Germania è si declinata che la più catholica città di quella provincia è infetta al meno per doi terzi.

E fin qui basti haver detto per demostrare, con quanta circonspettione et cautella ha da procedere chi vuole applicare gran rimedii a gran malattie. Ma sia tutto detto, defferendo sempre ad ogni miglior parere et salva in ogni parte la verità.

72.

[Augustinus Lippomanus, episcopus Veronensis:] Ragionamenti sopra il tumulto di Franza [d] [3].

Inter Aprilem et Iulium 1560.

Brixiae Bibl. Queriniana *Legato Martinengo I II 11* f. 37r-44r, cop. coaeva.

I. A novo pontifice Pio IV reformationem ecclesiae haeresumque abolitionem expectandam esse. II. Tres extirpandae haeresis viae: concessionum, concilii, armorum.

Rev. padre mio honoratissimo! Promisi a V. P. Rev. nel partire, che fece da me, così *Legato Martinengo I II 11 f. 38r*
instandomi ella di mandarle raccolti quei ragionamenti, che facessimo questa quadragesima sopra i tumulti di Franza per cagion della religione; sopra di che son poi stato longamente irresoluto. Da un canto voleva compiacerla, dall'altro quasi che mi risolveva di volermi persuadere che altro mondo per me non fusse che la mia diocesi, d'essa sola havendo io a renderne ragione a Dio et veggendo chiaramente che questo a me era pur troppo grave carico,

[a] *del.* ab ipsomet [b] *Cod.* divisate [c] *sic! Legendum videtur* movenza [d] *Scripta manu posteriore.*

[1] Cfr. infra n. 79.

[2] Scil. Mauritius dux et postea princeps elector Saxoniae.

[3] Auctor istarum «Considerationum», quae sale non carent, Augustinus Lippomanus est, ortus ex celeberrima familia Veronensi, ipse coadiutor,

era costretto a non pensar altro e conseguentemente a tacermi. Ma pur troppo gran cosa al fine parendomi il mancar di cio che haveva promesso, vengo hora a sodisfarla, con questo patto pero, che queste cose non vadino in mano d'altri che di lei, vagliasene ella poi come le pare, et piacesse a Dio che tornassero a beneficio della chiesa sua, ad honor suo et a salute dell'anime.

I.

Dicessimo (parlero senza ordine, così come le cose me soveniranno) che ogni remedio era vano se non veniva da S. Sta et che in lei era ogni potere; però che di continovo si doveva per lei pregar Dio.

Speravamo considerando la bonta della vita di S. B^{ne}, le virtù sue et il nome, che s'haveva
posto [1], indicio del cuor suo, ch'ella fusse stata eletta dal S. Dio secondo il cuor suo per
capo et principe della sua chiesa et che non fusse per far resistenza alle inspirationi di Dio, |
38v et percio che devesse esser quel santo et pio papa che mettesse termine all'heresie trovando
modo d'estirparle.

Et perche in questa vita ogniuno desidera naturalmente lassar di se qualche memoria ai posteri, essendo l'anima nostra compagna di tutte le nostre attioni per farle eterne, deve N. S. persuadersi che ne maggior nome ne piu christiana operatione puo fare et lassare, quanto che nelle croniche, nelle historie et ne gli annali si ritrovi scritto: Pio IV pose fine all'heresie, l'estinse et lasso la chiesa di Christo in una tranquilissima pace.

Deve per far cio raccordarsi S. Sta quello che sotto gli altri pontefici udiva dire da gli huomini da bene, et quello perch' ella stessa desiderando il bene della christianita ha tante volte, come fermamente crediamo, pregato Dio, cioè ch'egli ci desse un buon papa che fusse per pensar principalmente alla salute dell'anime, incaminandole per sicura strada al cielo.

Adesso, dicessimo, ch'era il tempo, nel quale deve scoprire S. Sta et far palese al mondo la gran bonta et buona mente sua, della quale ne diè pur qualche saggio et non picciolo, quando era in minoribus.

S. B^{ne} non deve temer che cio che tentera, non le riesca secondo l'animo suo, havendo
39r per guida lo Spirito Santo, per confederato suo colui, la cui | persona ella qua giu in terra
degnamente rappresenta et ministri suoi i prencipi christiani, i quali altri non brammano
che in questa cosa di servirla.

Gli altri pontefici non hanno trovato due principi, i primi della christianita, Franza et Spagna, amici, parenti et d'un stesso volere, come ha S. B^{ne} [2]. Però quelle cose che furono tanto difficili a gli altri, a lei seranno facilissime.

L'imperator non può hoggimai tollerare l'insolenza de suoi sudditi per cagione dell'heresie, il che è con infinito suo dispiacere, con poca sua reputatione et con grave danno delle cose sue. Et due sono le ragioni, per le quali si tolgono dall'obedienza di S. M^{ta}: L'una, che non consentono a voleri dell'imperatore, all'incontro dimandandoli che li lascia vivere secondo la sua religione, et in ciò dicono [3]: Deo potius obediendum est quam hominibus; l'altra, che non vogliono darli aiuto, percio che temono di non ingrandire le cose dei catholici; per cio S. B^{ne} si puo ogni cosa promettere di lui.

Il re di Franza a che termine si trova, ogniuno lo sa, quanto volentieri presentandosi occasione si sia per vendicare de' suoi nemici et rebelli, che sono piu gli heretici, se lo puo imaginare ciascheduno, se considerara che è stata in pericolo di perder il regno colla vita [4]. |

postea episcopus Veronensis ab anno 1557 usque ad mortem 16. Iulii 1560 (*van Gulik-Eubel* III 352). Nepos erat Aloysii illius Lippomani, cuius mentionem saepius fecimus (supra n. 38), qui 1548-1558 episcopus Veronensis, inde ad mortem († 15. Augusti 1559) episcopus Bergomensis fuerat. Ut auctor ipse narrat, avunculum 1548-1550 una cum Pighino nuntium extraordinarium agentem in Germaniam secutus est; nescio an etiam 1551-1552 cum illo, qui tum in concilio Tridentino tertii praesidentis officio fungebatur, sit versatus, *Conc. Trid.* VII 5 adn. 2.

Tempus ex eo coniici potest, quod auctor coniurationis Ambasiensis meminit, quae mense Martio 1560 detecta est, paulo autem post, scil. 16. Iulii 1560, tricesimo anno vix peracto morte praeventus est. Ergo « Considerationes » inter mensem Aprilem et Iulium 1560 scriptis sunt datae.

[1] Scil. Pius IV. Qui paulo ante, 25. Dec. 1559, pontifex creatus erat.

[2] Pace inter Galliae Hispaniaeque reges conclusa, die 20. Iunii 1559 Elisabeth, Francisci II regis Francorum soror, Philippo II nupserat. Cfr. *L. Romier*, Les origines politiques des guerres de religion II 378 sqq.

[3] Cfr. *Act.* 5, 29.

[4] Sine dubio Lippomanus hoc loco alludit ad coniurationem quae dicitur Ambasiensis, quae mense Martio 1560 detecta est. *E. Lavisse*, Histoire de France VI 1 (Paris 1904) 12 sqq. *L. Romier*, La conjuration d'Amboise (Paris 1923).

Il re Catholico per aiuto del cugnato fara ogni cosa, perche è pio et ha conosciuto, che 39v cosa importino l'heresie; n'ha poco tempo fa sentito anco esso ne' suoi regni qualche travaglio [1].

Gl'altri principi che sono catholici pensano tutti co gli essempi de' gli altri a casi suoi, imperciochè questi tumulti della Franza hanno sifattamente messo spavento a catholici, che non è chi non tema grandemente, et per lo contrario chi non considera che gli heretici occulti ne prendono ardire, espettando in ogni provincia a che si rissolvera la Franza. Voglia pur Dio che gli heretici italiani, che forse 'n'è in maggior copia d'occulti che non si pensiamo, non si sollevino un giorno ad essempio de Franzesi et non chiamino oltramontani in aiuto. Sono molte citta in Italia, che stanno molto male, et molti ch'hano gran trafichi con Germani et Francesi, et pero stanno in gran pericolo.

Dovemo persuadersi che temono i principi nostri, sapiendo che pareva a gli heretici d'Italia piu facile abattere le forze de' principi italiani divisi, piu deboli assai che quelle d'un re cosi forte et potente.

E cosa chiara poi che gli heretici italiani hanno intelligenza con oltramontani. Onde mostrai a V. S. per li processi formati da me qui gia tre anni, che venivano di Moravia ambasciatori anabattisti ogni anno a visitar le lor sette d'Italia [2]. |

E ben per le ragioni dette da pensare, che si deve coronar l'imperatore in Italia [3], non 40r per lui, il qual è catholichissimo, ma per quei che verranno seco.

Di piu si deve pensare, se in caso di qualche tumulto, il che Dio non permetta mai, tutti i prencipi italiani si mostrassero piu zelanti dell'honor di Dio et amatori della religione che delli stati loro.

Temono i principi ancora, per cio che veggono che molti favoriscono le false opinioni solamente per farsi grandi, acquistandosi il favor dei popoli, mettendosi inanti la Macomettana setta et Persiana, colle quale quegli hanno fondati gli imperi cosi grandi.

Veggono che gli heretici hanno preso gran piedi et hanno instrumento di farsi piu gagliardi di giorno in giorno, et questi sono le stampe, colle quali facilmente ogniuno soministra le heresie a modo suo, facendole con questa strada perpetue; percio si deve dubitare che queste heresie non abbracciano piu di quello che fece la setta d'Ario, percio che quella batteva un'articolo solo et questi gli combatte quasi tutti.

Come poi sono dilligenti in alevar i fanciulli, in amaestrarli predicando continuamente, legendo et porgendo il veleno fino in pitture, in medaglie et altri diversi modi. |

Ma quello, che travaglia maggiormente gli amici de' principi, è che veggono quelli, a chi 40v sta il contraminare affaticarsi à darsi buon tempo, a trovar piaceri, a giuocare et a scandalizare piu che possono i semplici, i quali sono tratti da gli heretici poi et sotto coperta di spirito et con la libertà della carne.

Qui consideramo che fino gli huomini da bene ci dan danno, et questo è gravissimo, percio che altro non s'ode nelli loro ragionamenti che lamenti et querelle che non si viva bene et che non si provegga et che non si faccia conto de' buoni et virtuosi, delle quali cose se ne vagliono mirabilmente gli heretici, i quali per ciò, se ben in altro sono di diversi pareri, sono d'un istesso in lacerar la chiesa Romana.

Queste cose sono quelle, che mettono spavento ai re et potentati catholici, conoscendo chiaramente che in poco spatio di tempo dal [15]17 in qua si sono persi tanti regni, poste in pericolo estremo tante provincie, che niente o pochissimo si possiamo promettere dell'Inghilterra, della Scotia, della Germania, dell'Ongaria et della Boemia. Percio non attendono, come possiamo credere, ad altro che di veder S. Sta moversi aiutando loro, se stessa et la navicella di Pietro così miseramente combatuta; essi le daranno ogni aiuto et in quel modo ch' ella vorra. |

Qui dicemmo che S. Sta deveva prepararsi di guadagnar un tesoro spirituale et temporale, 41r il piu bello che mai si presentasse ad alcun altro suo antecessore, in cielo, recuperando egli dalle mani del demonio non un anima, per cui piu fanno cotanta festa gli angeli di Dio, ma tante provincie, si acquistera una delle prime sedie et sera posto tra primi in quel bel

[1] Anno 1557 Hispali et anno 1558 Vallisoleti communitates Lutheranae detectae sunt. *E. Schäfer*, Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus und der Inquisition im 16. Iahrhundert I (Gütersloh 1902) 295 sqq. 374 sqq.

[2] De anabaptistis, qui in dominio Venetiano tum inveniebantur eorumque relationibus cum anabaptistis Moraviae egit *K. Benrath*, Geschichte der Reformation in Venedig (Halle 1887) 76 sqq. 102 sq.; cfr. etiam de processibus anno 1557 factis: Bullingers Korrespondenz mit den Graubündnern ed. *T. Schiess* II (Basel 1905) 16.

[3] Ferdinandus II a pontifice Romano nunquam est coronatus, sed ex litteris Cusani directis ad regem Maximilianum scimus, anno 1560 ea de re Romae varia fuisse narrata; similia Thurm Venetiis nuntiavit. *Th. Sickel*, Zur Geschichte des Concils v. Trient (Wien 1872) 93 sq.

libro, dove si trovano descritti i più cari amici di Dio; in terra poi un nome, come ho gia detto, immortale. Lasso che questo non è di molta consideratione ch' habbia d'obbligar a se et a tutta la famiglia sua tutti i principi catholici, tante provincie et regni, anzi l'Europa tutta.

II.

Ma perche sonoda diversi diversamentediscorsosopra l'estirpatione dell'heresie, qua mi parve di dirvi che in tre modi haveva nella Germania, quando là era con mio zio[1], il vescovo di Bergamo, nuntio apostolico, udito discorrere, come si poteva estinguere le heresie. L'uno non mi piaceva in alcun modo; i due portavano qualche difficultà separatamente considerati, ma uniti pareami che fossero d'infinito potere.

Il primo è che si concedesse alcuna cosa, che fusse de iure positivo, a gli heretici, et che si venisse ad una compositione, et così si mettesse termine et pace nella christianita.
41v Il qual modo per mio et per giuditio | di molti serebbe un metter maggiormente in travaglio la chiesa di Dio, impercio che le concessioni a Boemi et a Greci prima, veggiamo di quanto dannosiano state cagione, percioche quelle provincie percio non solamente nonsi sono medicate, ma avelenate et morte.

Il secondo et terzo modo è il concilio generale et l'armi. Il concilio porta seco grandissime difficulta, et per me non vorrei che fusse concesso ogni volta che non si havesse a far dovero, percioche da troppo gran smacco all'autorità sua volendo in apparenza rimediar a tutte le cose et dall'altro canto non voler sanar se medesimo, ma solamente gli heretici, dico i particolari, che insieme fanno il concilio, vescovi et altri prelati. Qui vorrei la compositione con essi, cio è in questo gratificarli reformando la religione di tanti abusi, i quali sono infiniti e quasi innumerabili.

Qui vi sono due difficoltà: L'una dal canto nostro, et l'altra dal loro. Dal nostro, che non vogliamo o per dir meglio fin'hora non s'ha voluto reforma se non in parole; dal loro, che vogliono che sia lecito ad ogniuno dir liberamente in concilio il suo parere et haver voto, cosa che non è giusta ne honesta. Pero se ben senza il concilio si potria supplire a questi et a quelli solamente colle determinationi di S. B^{ne}, pur perche non vorrei ch'ella si facesse |
42r odiosa a prelati, quando non le paresse per molte cagioni, le quali non si deono scrivere, dar il concilio generale, potrebbe chiamar a Roma, dove concorrono volentieri alla presenza del papa tutti i prelati italiani, et ivi far che coll'autorità sua si determinasse quel tanto che sera pur un giorno necessario determinare o in concilio generale o provinciale o coll'autorità sola del pontefice. Pero S. Sta non deve lassar questo honore et questa gloria ad altri. Quello che si ordenera, sera osservato in Italia et dall'altre provincie.

Quello che si havesse da determinare, prestissimamente sarebbe ispedito in un concilio nationale, et questa prestezza tornerebbe molto a proposito.

In esso concilio ⟨o generale o provinciale che sia⟩[a] lassando a dietro molte cose da dire, sopra ogni cosa mi piaceria sommamente che di quei istessi mezzi che adoprano in minar gli heretici, noi si servessimo in edificare, cioè continoamente far predicar tutto l'anno, et questo sarebbe facile, obbligando il vescovo nella cathedrale a tenir un predicatore, et tutte le religioni, dove hanno conventi, all'istesso.

Medesimamente vorrei che nell'allevar i fanciulli si facesse l'istessa diligenza che fanno gli heretici.

42v Che tutte le feste commandate in più luochi della città si leggesse un | catechismo istesso ad instruttione d'ogniuno, impercioche molti secolari letterati ancora non sanno, che cosa sia l'esser christiano.

Non mi spiacerebbe che fussero astretti i secolari che almeno una volta al mese havessero a riconoscere la sua parochia, dove inter missarum solemnia il sacerdote havesse brevemente a raccordar le cose necessarie alla salute di cadauno.

Non mi scordero qui i collegi d'Illmo cardinale d'Augusta[2], de' quali vorrei ch' ogni città n'havesse uno.

[a] add. supra lin.

[1] Scil. cum Aloysio Lippomano, de quo supra p. 446 adn. 3.

[2] Auctor avunculum suum in Germaniam secutus Dilingae collegium S. Hieronymi cognovisse videtur, quod a cardinale Augustano ibidem anno 1549/1550 fundatum anno 1554 in universitatem est erectum. *Th. Specht*, Geschichte der ehemaligen Universität Dillingen (Freiburg 1902) 6 sqq.

Che le religioni tutte si riducessero all'osservanza et si facessero altre constitutioni, che a quel tempo soccorreriano et a S. B[ne] et a tanti prelati.

Tutte queste cose seranno piu facile a persuadere, quanto maggior forza ha la verità della bugia, la quale se ha havuto tanto potere da gli heretici et scelerati huomini adoprata, perche non sperano che la verita da catholici et homini da bene non habbia senza alcuna comparatione a giovar più che quella habbia nociuto?

Fatte tutte queste provisioni et reformata l'Italia dissi che non mi spiaceria che si mandassero a tutti i principi noncii, ma che si eleggessero quei, che docerent verbo et exemplo, che seco menassero persone che facessero l'istesso et che adoprassero, come (sia detto | senza 43r giattanza) soleva la bo. me. di mio zio, le faculta gratis, impercioche molte volte è cagione i servitori de'noncii per arrichirsi dar gran nota ai padroni et conseguentemente al suo signore et principe, che lor rappresentano. Onde io mi ricordo udir dire a gli heretici nella corte dell'imperatore Carlo: Se tutti i noncii fossero tali, quali è il vescovo di Verona, ch'era all'hora esso mio zio di bo. me. [1], non havessimo cagione di lamentarsi della chiesa Romana, ne si torrebbe l'entrate de' preti et frati. E troppo grande l'autorità de gli huomini da bene; sono stimati da i principi, et percio ne viene molto piu honorata la sede apostolica.

Dissi che vorrei ancora che essi noncii s'informassero di tutti gl'huomini da bene che sono in quel regno, dove si trovano, et ch'havessero commissione da S. S[ta] di carezzarli, di tenirne conto, di raccomandarli ai vescovi in caso di vacanze, anzi eglino di provederli con le occasioni che se li presentassero [a].

Non contento di cio vorrei ch'havessero i noncii ordine d'instare con i principi che i vescovi facessero la loro ressidenza, che in caso di vacanze raccordassero al prencipe gli huomini da bene et i virtuosi, di chi essi n'havessero havuto prima cognitione o almeno buona et degna di fede informatione. |

Et perche non può S. S[ta] così facilmente saper le particolarita d'ogni diocesi per le 43v grandissime occupationi sue, et è all'incontro necessario tenirne conto, pareami che sarebbe molto al proposito che questi noncii mandassero in un istesso tempo due o tre huomini letterati et di buona vita, i quali fussero appresso di se come suoi coadiutori a visitar i prelati, minutamente informandosi dei governi loro, hor questo inanimando, hor quello confortando et quell'altro essortando et taluno instruendo; impercioche par troppo strano et di qua ne vengono infiniti disordini, che i vescovi non siano visitati et che quasi non habbiano sopra di se intelligenza alcuna.

Fatto tutto questo cio, si scuopre un guadagno infinito. Habbiamo fatto pace con gli huomini da bene et trattoli dalla nostra, impercioche non havranno più da dolersi et lamentarsi di noi. Habbiamo confirmati i semplici, i quali non seran più sedutti da gli heretici con que' suoi apparenti modi, cioè che colla mala vita de' sacerdoti non stia la sana et buona dottrina, la potestà et l'autorita dell'aministratione delle cose sacre. Habbiamo finalmente recuperato i sedutti per ignoranza, ai quali non potranno venir più incogniti gli heretici *in vestimentis ovium*[2] neque sagitare in occulto rectos corde [3], ma riconosciuta la verita lasseranno la bugia. |

Ne vi restera altro d'abbattere che gli heretici ostinati et gli ambitiosi, et perche resteranno 44r in due sorti sole di persone, in basso et potenti, all'hora parmi tempo che si serviamo dell'armi, il che sera dopo la determinatione del concilio, dove saranno rimasi d'un istesso volere i primi principi della christianita confederati contra di loro, i quali prima loro protesteranno et poi verranno, quando non mutino vita, a castigarli, come fece Carlo V, il quale non segui poi la vittoria [4]

Ha qui S. S[ta] un bellissimo modo di vendicarsi, anzi di vendicar le ingiurie fatte a Christo, di cui egli è vicario, contra i principi Germani heretici, et all'incontro gratificar i catholici. Ma non si puo così ogni cosa scrivere.

Questi sono discorsi fatti da persone, che non hanno molta prattica di queste materie; ma per valersi da remedii [ap]propriati al morbo dell'heresie, deve S. B[ne] chiamar a se quei catholici letterati, che come contra frenetici, che non conoscono il lor male et non lo sentono, tutto di combattono con gli heretici, percioche essi sanno, come si possano medicare et sanare.

[a] *in marg. add.* In Italia esso ha da mandar gente che esplori il governo de' vescovi

[1] Lippomanus et Pighinus Farnesio cardinali 7. Oct. 1548 haec scripserunt: *In quanto la ci ha ammoniti che li nostri ministri non piglino danari salvo per iscrittura, cera etc., ella ne stia pur sicura, che neancho per quello ne piglieranno, acciochè non dicessero poi i maligni che sotto questo colore vendessimo le gratie spirituali.* *Nuntiaturberichte* I. Abt. XI 117.

[2] *Matth.* 7, 15.

[3] Cfr. *Ps.* 10, 3.

[4] Scil. fugatus a duce Mauritio et foederatis a. 1552.

73.

Sommario estratto per varii avvisi di diversi luoghi sopra la consultazione del concilio in Germania dato dal S. card. d'Augusta [1].

1560 [Octobri exeunte vel Novembri ineunte].

Romae Arch. universitatis Gregorianae *Cod. 650* f. 71r-75v, cop. saec. XVII, cum signis marginalibus manus card. Pallavicinii.

Concilium celebretur in loco Germaniae interioris, ut Colmariae, praesentibus pontifice maximo, imperatore et regibus christianae reipublicae potentissimis, conclusa etiam confoederatione principum catholicorum.

Cod. 650 f. 71r Che gl'articoli della communione e del coniugio non si concedano avanti la celebratione del concilio [2].

Che non si persista assolutamente nel solo luogo di Trento per non dar causa a gl'avversarii di ricusarlo nel principio e dar disturbo certissimo di non lasciarlo radunare.

Che si debba intimare più oltre in Germania et in luogo dove possino convenire per- 71v sonalmente la Sta di N. S., l'imperadore, li re | Christianissimo, Cattolico e di Polonia, qual luogo con la presenza di questi potentati non si potra se non benissimo assicurare et havere più in pronto l'essecutione, senza la quale il concilio sarebbe senza frutto.

Che il detto concilio non si potra mai celebrare senza l'assistenza di detti potentati per maggior autorità, et gravità appresso [a].

Altrimente, se sara tentato con minor potenza, che non partera altro frutto che dar occasione a gl'avversarii di dispreggiarlo non solamente in Trento, ma ancora in Bologna, Roma e fin in Perù, tanto è la furia et la rabbia loro, che non lascieranno di provar lor for- 72r tuna con l'intelligenza de | gl'adherenti loro di Francia, Inghilterra, Danimarca, Suetia Norvergia [b], secondo che gia hanno disegnato e più strettamente trattato di mano in mano [3].

Che nelle rebellioni di Francia non hanno poca speranza e disegnano andare ò per Metz ò vero là vicino in Francia et coniunctis viribus poi passar in Italia, si che, se non si ripara con Dio e con potente grave autorità e reputatione effettualmente, che si troveranno maggiori intrichi che non si pensa hora.

Che S. Sta non lo celebri senz'aiuto delli potentati sopradetti.

72v Così dicono che a questi tempi bisogna con sufficiente providenza | et assoluta autto- rita dar principio al concilio con mezzi e modi, col quale si possa sperare il necessario fine, altrimente si perderebbe non solamente ogni fatica, ma ancora la reputatione, di sorte che non si potrebbe poi così facilmente alli giorni nostri venire ad un concilio ordinato.

Che in questo è desiderabile un poco di dilatione per maturare le provisioni necessarie, delle quale si potra poi in spetie venire in cognitione, quando si saranno considerati li humori, le commodita et le prattiche di quelli, con li quali si ha da fare.

73r Quanto a S. Sta dicono bisognare che imiti Christo, del | quale è vicario, non riputandosi grave con le proprie spalle riportare la pecorella persa [4] e congregare le disperse, non bastando che si commettino ad altri, ma bisogna che s'adoperi et affatichi se stessa curando la sua piagata chiesa con oglio et aceto [5], poi con somministratione di quanti bisogna l'havera da raccomandare al servitore dell'hosteria, cio è alla potesta secolare, come all'imperadore, alli re e principi secolari, quali con l'essequutione hanno da supplire a tutto quello che occorrera.

[a] *Hic codex nonnulla omittere videtur.* [b] *sic!*

[1] Otto Truchsess, cardinalis Augustanus (1544-1573, *van Gulik-Eubel* III 32), tum Romae moram faciens, revera multas ex septentrione litteras nuntiosque accipiebat, ut eius epistolae demonstrant, *Iulii Pogiani* epp. et orationes II 129 sqq.; Archiv für Geschichte des Bistums Augsburg 2 (1859) 123 sqq.; *B. Duhr*, Die Quellen zu einer Biographie des Kardinals Otto Truchsess v. Waldburg: Hist. Jahrbuch 7 (1886) 177-209, inprimis 198 sqq. Scriptum est «Summarium» post secundum Caesaris responsum (9. Oct. 1560), vide infra p. 451 l. 1, sed ante 15. Nov. 1560, quo die pontifex in consistorio concilium Tridentum convocandum esse decrevit, *Conc. Trid.* VIII 100.

[2] Quod ipsum Caesar in primo suo responso ad pontificem petierat, *Conc. Trid.* VIII 49, 18 sqq.

[3] Cfr. quae infra ad alterum cardinalis Augustani scriptum adnotabimus.

[4] Cfr. *Luc.* 15, 5.

[5] Cfr. *Luc.* 10, 34 sqq.

Quanto alla M[ta] Ces., non ostante quello che ha scritto [1] che non manchera di poner suo potere, suoi stati, regni et la propria vita, | perchè veda la cosa incaminata da poter [73v] far buon progresso, ma che il principale consiste in antivedere, come si possono rimovere gl'ostacoli.

Si che giudicano che sarebbe molto di bisogno lasciar fare prima una dieta imperiale [2], nella quale non solamente si trattarebbe di poter muover gl'heretici a qualche più tollerabile conditione, ma ancora si haverebbe tempo di procurare la necessaria unione et intelligenza delli cattolici di Germania, li quali sono di tanta importanza, che meritano qualche consideratione, e forse più che di volere con la precipitata celebratione ritenere la Francia, qual cosa senza la Germania sara difficile, essendo tra | gl'heretici dell'una e l'altra natione [74r] tanta unita intelligenza, et quod amissa Germania, Galliae retinendae nullus futurus sit locus.

Si scrive ancora, che con la prudenza e mezziopportuni si potra ridurre la Germania, ma che ogni cosa richiede il suo tempo.

Circa il loco sono d'opinione, havendo l'intelligenza et assistenza della M[ta] Ces., del re Cattolico e Christianissimo e di Polonia, che sarebbe sicuro il celebrare il consilio [!] in loco di Germania più in dentro. Nominano una terra franca assolutamente cattolica Colmaria, alias Columbinum, nella provincia d'Alsatia vicina a Fiandra, Borgogna, Lorena, Lucemburgh, commoda à Francia, Spagna, e si grande e capace, quanto due volte Trento, [74v] et è lontana dal Reno mezza legha, vicino a Bersgoa et altre provincie fertili di vini, carni, grani, carni pescie e di salvaticine più che alcuna parte | di Germania o d'Italia. Tutti li paesi che detta terra ha d'intorno sono cattolici et per la maggior parte soggietti alla M[ta] Cesarea, la quale ha là vicino molte terre forti e passi. E tra l'altre vi sono le tredici terre franche della [a] prefettura di Hagonoa, tutte cattoliche et obedienti a S. M[ta]

Tutto questo ho voluto som|mariamente extrahere e presentare a S. S[ta], accio che [75r] possi meglio considerare il bisogno, e dico che questo estratto viene da opinioni e pareri de personaggi principali cattolici et affettionati alla chiesa Romana, li quali sapendo le prattiche de gl'avversarii dubitano di qualche sinistro esito, se il concilio non si fa con quella reputatione, potentia e providenza, come il bisogno grandissimo delli tempi presenti ci dimostra.

E tra l'altre considerationi non è di poca importanza, se il concilio non si celebrasse con la precedente unione delli cattolici [3], che tutti gl'ecclesiastici et adherenti allasede apostolica trowandosi senza intelligenza e preparamenti | sarebbe[ro] in un tratto assaliti, assas- [75v] sinati e destrutti con incredibil pregiuditio e danno della religione e rovina totalmente irreparabile di tanti vescovadi, abbadie e monasteri e chiese dell'imperio, quali sin'hora si sono diffesi contro la rabbia degl'heretici, ma essendo hora loro cresciuti tanto, non potranno resistere senz'aiuto estrano, et in tal caso (qual Dio per sua misericordia non lassi venire) s'accrescerebbono e raddoppiarebbono le forze de gl'inimici della santa chiesa Romana con non poco pericolo di essa, non essendo l'Italia in tutto senza sospetto d'heresie, si che si potrebbe all'improviso discuoprire qualche mal humore

[a] Cod. delle

[1] Scil. in secundo responso suo ad pontificem (9. Oct. 1560), *Conc. Trid.* VIII 80, 22 sqq. Delfino nuntio Caesar eodem 9. Oct. sententiam suam de concilio exposuit *essendo lei disposta più presto a morire che a mai partirsi in cosa quantunque minima dall'antica fede che havevano tenuto li Catholici progenitori et predecessori suoi. Nuntiaturberichte* II. Abt. I 133.

[2] Litteris suis 3. Sept. 1560 datis Otto cardinalis Alberto duci Bavariae proposuerat dictam imperialem pro reformatione cleri habendam, priusquam concilium cogeretur, praesente cardinale quodam legato, ex. gr. Morono. Cui Albertus 19. Sept. respondit se quoque censere reformationem concilium praecedere debere, sed reformationem *a capite et membris*: i. e. in Germania episcoporum, Romae cardinalium et curialium, *von wegen des exemplarischen lebens. A. Steichele,* Archiv f. Gesch. des Bistums Augsburg 2 (1859) 207.

[3] Die 20. Iulii 1560 cardinalis Augustanus duci Alberto pro accepto quodam libello Lutherano gratias egit, addens, si adversarii in catholicos exacerbati ita bellum pararent, sibi quoque opus esse de communi defensione *(algemaine defension)* cogitare. *Steichele* l. c. 190.

74.

Quae censeat episcopus Feltrensis velut praeparatoria quaedam ⟨consideranda et⟩ [a] providenda ante aperitionem concilii Tridentini [1].

Anno 1561 [post diem 26. Ian.].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3916* f. 7^r-9^r, or. autogr [= A]; *Vat. lat. 6792 II* f. 367^r-368^v, cop. coaeva [= B]; Arch. Vat. *Concilio 13* f. 5^r-7^r, cop. coaeva [= C]

1. De vocandis ad concilium praelatis, principibus, doctoribus. 2. De gravaminibus colligendis. 3. Quid cum magistratibus civitatis Tridentinae agendum. 4. De hospitiis. 5. De annona. 6. De numero familiarium. 7. Afferendi libri pro usu concilii. 8. Praelati statim Tridentum mittendi. 9. Duo concionatores illuc destinandi. 10. De sustentatione pauperum praelatorum et doctorum. 11. De tempore sessionibus praefigendo. 12. An decretis apponendum sit Anathema.

Vat. lat. 3916 f. 7^r

[1.] Cum per literas indictionis concilii et nuntios apostolicos vocati et invitati sint ad concilium reges, principes, praelati et alii, qui de iure vel de consuetudine interesse debent concilio, requirendae videntur et hortandae universitates generalium studiorum, oratores destinare velint viros doctrina praeditos et moribus probatos, qui sua auctoritate et doctrina prodesse possent reipublicae christianae.

Vocandi viderentur et accersendi etiam stipendio constituto aliqui celebris nominis doctores in sacris literis et utroque iure ex his, qui in universitatibus generalibus profitentur, advocatorum sacri concilii officio functuri, quod observatum legimus in Viennensi, Senensi, Constantiensi et Basiliensi conciliis, quibus interfuere praeter sacrae paginae magistros Ioannes Andreae, Antonius de Butrio, Petrus de Ancharano, Geminianus, Abbas Siculus, Ludovicus Romanus et alii plerique [2].

Destinanda videantur brevia archiepiscopis et episcopis auctoritate et doctrina praestantibus, quibus particulariter moneantur officii sui et hortentur ac etiam mandentur, ut ad synodum accedant, alii vero inferiores per literas R^{morum} legatorum.

[2.] Ut plenius habeatur notitia pragmaticarum sanctionum et abusuum contra auctoritatem et libertatem ecclesiasticam et gravaminum, quibus ecclesiastici gravantur a magistratibus laycis et inferiores ab episcopis ipsis, expediret, ut S^{mus} D. N. committeret nuntiis et 7^v oratoribus suis ad reges, principes ac liberas civitates, de his se diligenter | informarent et S^{mo} D. N. vel R^{mis} concilii legatis referant, idemque facerent visitatores regularium ordinum idemque summopere curarent generales ordinum.

[3.] ⟨Duobus episcopis, qui ad concilium praemissi sunt [3], iniungendum videtur, quod etiam capitulis desuper editis et iuramento firmatis conveniant cum magistratibus civitatis Tridentinae [4], et si opus videatur,⟩ [b] cum Ser^{mo} Romanorum rege [c], quod S^{mum} D. N., si per se concilio praeesse voluerit, aut legatos et concilii patres cum debita veneratione excipient et in plena conservabunt libertate; quod licebit cuique, quantum ad eos attinet, libere accedere et recedere; quod permittent S^{mum} D. N. per suos officiales in ecclesiasticos, qui ad concilium venerint, ius dicere non minus in temporalibus quam spiritualibus; quod si qua

[a] *C om.* [b] *A in marg; del.* Per duos menses ante legatorum recessum praemittendi videntur duo praelati auctoritatis et nominis, quorum officium sit cum magistratibus civitatis Tridentinae. Et si opus videatur [c] *A del.* etiam capitulis desuper conveniendis

[1] Terminus, post quem tractatus iste compositus sit, dies est 26. Ian. 1561. Nam pridie illius diei I. Thomas episcopus Cavensis in commissarium concilii, ipsoque die 26. Ian. Hier. Gambarus in eius adiutorem sunt assumpti (*Conc. Trid.* VIII 138), paulo post Tridentum profecturi. Vide supra l. 21. — In codicibus *Vat. lat. 6792 II* et *Concilio 13* coniunctus est tractatus cum sequenti et cum prima forma tractatus tertii hoc ordine: 1. Difficultates etc., pars I. 2. Praeparatoria quaedam. 3. Proponenda etc. in prima congregatione. 4. Pro bono et felici progressu etc. [= tr. tertius, pars II], et hic videtur fuisse ordo originarius. Sed cum ea, quae sub 1 et 4 enumeravimus scripta, anno 1562 sunt emendata ab auctore et aucta, hic ea praetermisimus reiicientes ad apparatum criticum formae posteriori adiunctum.

[2] Ioannem Andreae interfuisse concilio Viennens non constat, licet multa de decretis (Clementinis) scripserit (*E. Müller*, Das Konzil v. Vienne [Münster 1934] 392 sqq.). De votis Petri de Ancorano et Antonii de Butrio pro concilio Pisano cfr. *F. Bliemetzrieder*, Das Generalkonzil im grossen abendländischen Schisma (Paderborn 1904) 204 sqq. 243 sqq.; Dominicum de S. Geminiano illi concilio interfuisse *I. F. v. Schulte*, Quellen II 294 contendit. Panormitanus Basilienses defendit (*Schulte*, Quellen II 312; *I. Schweizer*, Nic. de Tudeschi. Seine Tätigkeit am Basler Konzil [Basel 1924]), Ludovicus Romanus (sive Pontanus) Basileae anno 1439 mortuus est (*ibid.* II 395).

[3] Vide adn. 1.

[4] Cfr. quoad sequentia Arch. Trentino 3 (1884) 3 sq.

iniuria, damno aut detrimento civium quispiam eorum aliquem, qui ad concilium venerit, afficiat, aut civili actione cum eis agendum sit, brevi manu iustitiam administrabunt, vicissim iustitiam recepturi, si in ius vocantur a civibus eorum aliqui, qui ad concilium venerint; quod quae pro usu S[tis] S. legatorum et aliorum concilii patrum comportarentur, immunia sint et exempta a quavis vectigalium et aliorum onerum solutione; quodque pro aliis ad concilium venientibus nulla nova vectigalia aut onera imponentur; quod itinera tuta et libera a crassatoribus servabunt, et si cui S[mus] D. N. aut eius legati salvum conductum dederint, modo hostis et rebellis civitatis non sit, integra fide servabunt, ac si ipsi dedissent. Similia capitula legimus fuisse conventa inter fel. rec. Pium II et marchionem Mantuae pro conventu Mantuano [1]. |

[4.] Per eosdem [a] cum magistratibus Tridentinis aut per eos deputatis statuendae domorum pensiones eorumque incumbet officio assistere et praeesse hospitiorum commissario, quem forerium vocant, ut pro personarum qualitate hospitia aeque distribuantur. Nec videtur habenda ratio nationum, ut unicuique pars aliqua civitatis seorsum assignetur, sed permixtim distribuenda; et id quidem pluribus ex causis, sed ea praecipue, ne detur occasio procedendi in concilio per nationes, quamvis illud fuerit observatum in Constantiensi concilio, cum tutius et magis expedire videatur, procedere per singulorum suffragia, ut prius in Tridentino, aut per deputationes, sicut in novissimo Lateranensi concilio [2]. 8r

[5.] Agent etiam cum civitatis magistratibus, ut omni studio et diligentia procurent annonae copiam et utensilium, quae pro usu advenientium erunt necessaria, provideantque, ne fiant monopolia.

Agendum etiam cum Ill[mo] Venetorum dominio et aliis finitimis civitati Tridentinae, ut sublatis quibuscumque prohibitionibus liberam comportationem victualium permittant, remissis etiam vectigalibus, si id pro sua in religionem pietate concedere voluerint; alias magna rerum inopia, ne dicam caritate, Tridenti laborandum erit.

[6.] Propter civitatis Tridentinae angustiam et annonae difficultatem censerem deputandos tres aut quatuor, qui moderentur numerum familiarium et equorum principum, oratorum et praelatorum, compellantque ad dimittendum, quos ultra statutum numerum habuerint. |

[7.] Expediret, ut R[mi] legati secum deferrent magna[m] copiam librorum in sacris litteris et pontificio iure, et eos potissimum antiquorum conciliorum graece conscriptos, quos bonae memoriae cardinalis Brundusinus testamento suo legavit fe. rec. Paulo III [3]. 8v

[8.] Destinandi videntur cum R[mis] legatis 20 aut 25 episcopi, etiam si opus foret expectare exteros ad duos vel tres menses, ut alii excitentur ad veniendum et cognoscant omnes, rem serio agi nec stare per S[mum] D. N. et Italos praelatos, quin habeatur concilium.

[9.] Cum R[mis] legatis et generalibus ordinum, quos forte expediret ad aliquos dies praevenire, viderentur mittendi aliqui celebres concionatores, qui alternatim conciones habeant ad populum, graves quidem ad vitae et morum institutionem et occurrentium evangeliorum explanationi, nulla de controversia religionis habita mentione; declinandaeque videntur et fugiendae de his publicae disputationes et reservandae ad tempus et locum per patres concilii designanda et per eos, quibus hoc munus demandatum foret ad adversariorum potius instructionem et reductionem quam disputationem et contentiosam disceptationem.

[10.] Opus erit, ut S[mus] D. N. se liberalem praestet in subveniendo et adiuvando sacrum concilium pecunia pro incidentibus necessitatibus nuntiorum, officialium et pauperum praelatorum. Observatum enim legimus in aliis conciliis, quod episcopi et literati viri pauperes impensis concilii sustententur, quod plures ut sibi debitum exposcent. Et ne magnus numerus oneri foret, in concilio Constantiensi sessione secunda decretum fuit, ut qui utiles forent, concilii sumptu alerentur, qui minus utiles, domum remitterentur [4].

[a] *A del.* qui premittentur prelatis

[1] Quibus capitulis, editis a *St. Ehses*, Vertrag zwischen Papst Pius II. und dem Markgrafen Ludwig von Mantua für die Dauer des Fürstenkonventes zu Mantua 1459: Röm. Quartalschrift 14 (1900) 377-383, auctor in componendo tractatu usus est. Proposita consulum civitatis Tridentinae commissario tradita vide: Archivio Trentino 3 (1884) 5 sq.

[2] De ordine in concilio Lateranensi V observato cfr., quae Hist. Jahrbuch 54 (1934) 420 sq. egimus.

[3] Erant inter alia acta sextae, septimae et octavae synodi, quae enumerantur in elenchis codicum ex bibliotheca Aleandri in apostolicam Vaticanam translatorum; cfr. *L. Dorez*, Recherches sur la bibliothèque du cardinal Girolamo Aleandro: Revue des bibliothèques 2 (1892) 49-68, praesertim 59; *idem*, Nouvelles recherches sur la bibliothèque du cardinal Girolamo Aleandro: ibidem. 7 (1897) 293-304, praes. 299 sqq.

[4] In secunda sessione concilii Constantiensis nihil huiusmodi, *Mansi* XXVII 567 sqq.; cfr. quae *Ehses* in *Conc. Trid.* IV 274 adn. 1 animadvertit.

75.

[Thomas Campegius:]
Proponenda et discutienda in prima congregatione praelatorum veluti praeambula quaedam et praeparatoria agendorum in concilio [1].

[1561].

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 6792 II* f. 370, cop. coaeva; Arch. Vat. *Concilio 13* f. 8^r-9^r, cop. coaeva. In codice *Vat. lat. 3916* hic tractatus nunc deest, praeter ultimas duas sectiones, quae inveniuntur f. 9^r; sed olim eum integrum codici insertum fuisse ex eo concludas, quod in calce f. 8^v deletum est verbum *Proponenda*, id est inscriptio huius tractatus.

Vat. lat. 6792 II f. 370^r Post paternam admonitionem a Rev^{mis} praesidentibus fiendam de vitae et morum sanctitate per patres et eorum familiares servanda, de orationibus et ieiuniis, elemosynis et aliis piis operibus faciendis recitandum videtur decretum XI. Toletani concilii cap. primo, quod habetur in c. [3] *In loco benedictionis* [C.] 5 ^{a} q. 4 [2].

Ordinanda specialis missa pro concilio.

Recitandae litterae amotionis, suspensionis concilii et deputationis praesidentium et statuenda, quae recitanda sint in prima sessione et quae omittenda.

Danda cuique libera proponendi et consulendi facultas [3].

Proponendum edictum contra non venientes ad concilium.

Decernendae literae ad metropolitanos cum exemplo edicti, qui nomine concilii moneant suos suffraganeos, ut veniant ad concilium reprehendantque eorum negligentiam et tarditatem, ipsique veniant, ut exemplo doceant, quid a suffraganeis agendum sit.

Deputandi quattuor, qui cum Rev^{mis} praesidentibus praescribant modum procedendi in generalibus congregationibus et sessionibus per patres concilii approbandum.

Deputandi quattuor, qui de absentium excusationibus et de volentibus recedere causas cognoscant.

370^v Decernendum decretum nulli licere recedere sine praesidentium | et deputatorum licentia.

Ad compescendas controversias et discordias in considendo decernatur per quasvis sessiones aut praenominationes nemini ius acquiri, nemini praeiudicium fieri.

Innovandum decretum Constantiensis concilii contra impedientes aut quovis modo molestantes venientes in concilium vel recedentes [4].

Decernendum venientes ad concilium a die arrepti itineris ius habere percipiendi fructus in absentia, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis.

Deputandi officiales concilii: secretarius, notarii, cursores, scrutatores, advocati, ordinatores sedium, promotores, cantores capellae. Item concilii custos, qui nobilis sit et illustris armorum ductor.

Decernendum sub poena falsi [criminis] nullas nomine concilii expediendas litteras, nisi secretariis commissae fuerint in generali congregatione et in alia lectae et comprobatae, et si celeritate egerent, per deputandos a concilio una cum Rev^{mis} praesidentibus.

Decernendae videntur literae nomine sacri concilii ad Caes^{am} M^{tem} et liberas civitates, quibus hortarentur et rogarentur, ut quamprimum suos oratores ad concilium destinarent praelatosque suae ditionis hortarentur et monerent, ut venirent ad concilium. |

371^r Statuendum, a quibus subscribendae forent litterae sacri concilii, et quo sigillo utendum.

Statuendum, an dogmata fidei et canones prius Tridenti constituta et decreta denuo sint examinanda aut plenius declaranda, si id exposcerent protestantes vel alii, cum ex aliis nationibus pauci admodum interfuerint illorum discussioni.

* Conc. III

[1] Thomam Campegium esse auctorem huius tractatus praeter ea, quae supra de eius coniunctione cum praecedenti adnotavimus, id quoque suadet, quod plures eius partes ad verbum cum alio tractatu ante concilium, sed certo a Feltrensi composito conveniunt (Romae Arch. universitatis Gregorianae *cod. 632* p. 157-160); cfr. etiam instructionem pro legatis concilii a Campegio factam *Conc. Trid.* IV 272 sqq.

[2] *Friedberg* I 548 sq. Cfr. *Conc. Trid.* IV 555 adn. 7.

[3] Observes Feltrensem hoc loco praelatis proponendi facultatem tribuere.

[4] Sess. XV, *Mansi* XXVII 766 sqq.

⟨Decernendum, an in sessionibus praefigendus sit dies certus futurae sessioni, an relinquendum arbitrio et iudicio Rev^{morum} praesidentium, cum evenire possit, quod ad diem praefixum non plene examinata et discussa forent, quae in ea decernenda aut statuenda forent, quapropter opus foret sessionis prorogatione.

An in decretis apponendum sit anathema, et cum in prioribus eiusdem concilii appositum sit, an expediat declarare, an eo apposito censeatur canon latae sententiae an potius ferendae, super quo variant doctores sacrorum canonum⟩ [a].

76.

Fridericus Staphylus: Consultatio de concilio Tridentino [b] [1].

[Post mensem **Februarii 1561**].

Viennae Arch. Status *Religionsakten 13* f. 153^r-165^r, or., Monachii Arch. status *Staatsverwaltung 2725* [antea *Acta consilii Tridentini V*] f. 159^v-169^r, cop. coaeva. Maior pars consultationis translata est in linguam Germanicam a *F. B. v. Bucholtz*, Geschichte der Regierung Ferdinands des Ersten I 407 sqq.; VIII 382 sqq.

I. Tres de concilio quaestiones: **1.** Utrum continuandum sit an de novo inchoandum. **2.** An expediat id prorogari. **3.** An magis e re christiana sit, hoc quidem Tridentinum concilium continuare, sed aliud concilium alio modo celebrandum praeparare.

II. Duae condiciones, sub quibus tertia quaestio affirmari possit: **1.** Si scilicet concilium Tridentinum reformationi imprimis incubuerit. **2.** Si interim alius modus inveniatur concordandi cum asseclis confessionis Augustanae, i. e. si eo adducantur, ut sacram scripturam iudicem agnoscant.

III. Duplex via, qua protestantes eo adduci possint: **1.** Directa per principes, **2.** indirecta per oppressionem sectariorum, praesertim Schwenckfeldianorum.

Iam anni quadraginta sunt et plus etiam, quod ecclesia Dei, sponsa Christi, quae corpus Domini est et una *perfecta columba* [2], coepta est in partes scindi vigilante Satana, humani generis hoste, et stertentibus praelatis, quibus divinitus mandatum fuit, ut attenderent sibi et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus illos posuerat episcopos, ut regerent ecclesiam Dei, *quam acquisivit sanguine suo* [3]. Quam vero attenderint praelati negligenter, socordia ostendit, quam ingens malum ex ea socordia secutum sit, haec praesens ruina declarat ac merito deplorat universus orbis christianorum. Quae enim orbis christiani pars eius morbi contagione infecta non est? Vel non corrupta potius atque penitus extincta? Oriens iam pridem resectus est ab occidente; nuper totus septentrio se ipsum avulsit; soli Itali restant et

Religionsakten 13 f. 153^v

[a] *Haec inveniuntur etiam in codice Vat. lat. 3916 f. 9^r.* [b] *M* Ratschlag von dem Concilio zur Trient

[1] Hanc « Consultationem » Friderici Staphyli — nam eum esse auctorem praeter rationes a *Th. Sickel* in: Archiv für österreichische Geschichte 45 (1871) adductas parallela, quae ex operibus Staphyli adduci possunt, ostendunt — quamquam cum « Consilio » pro Pio IV pont. max., quod infra n. 78 dabimus, multis in locis convenit, operi nostro inserendam esse putavimus primo, quia licet duos codices eius manuscriptos habeamus, typis nondum est data, dum « Consilium » illud ex editione Schelhorniana reproducere coacti sumus; secundo, quia unica haec videtur via quaestionem saepius agitatam, utrum prius fuerit scriptum, resolvendi.

E. Reimann enim (Forschungen zur deutschen Geschichte 8 [1868] 184) « Consultationem » mense Decembri 1560 scriptam putavit; *Th. Sickel* l. c. e contra excerptam eam esse ex illo « Consilio », scriptamque ante medium mensem Decembrem 1561, quo Caspar Schwenckfeldius mortuus est (1. Dec. 1561); *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I. auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 85 dubium intactum reliquit. Nos contra opinionem Sickelii hanc « Consultationem » illud « Consilium » praecessisse existimamus, quia plura in ea continentur quae ibi emendata vel ampliata sunt,; ex. gr. omisit Staphylus in « Consilio », quae in « Consultatione » falso de duobus tantum sacramentis, eucharistia scil. et matrimonio, in concilio futuro adhuc disputandis dixerat; hic de canone triplici ad controversias dirimendas, ibi de quadruplici loquitur; librorum ibi mentionem facit, qui ab adversariis et a theologis pontificiis de concilio anno 1561 currente editi sunt, hic nihil de iis. Omnia ista aperte demonstrant, « Consultationem » ante « Consilium » esse scriptam eique pro fundamento fuisse.

Quod ad tempus, quo scripta fuerit « Consultatio », attinet, assentimur Sickelio, ex silentio de dieta Naumburgensi nihil sequi, immo conclusionem (vide p. 464) satis aperte innuere aleam iactam iam fuisse, cum Staphylus scripsit, scilicet refutationem Naumburgensem (*Conc. Trid.* VIII 147 sqq.) vel responsum Iohannis marchionis Brandenburgensis (*Th. Sickel*, Zur Geschichte des Konzils v. Trient [Wien 1872] 176 sqq.) ei iam notum fuisse. Mens auctoris videtur fuisse, ut data refutatione Naumburgensi, Caesari et forsan etiam principibus catholicis aliam viam concilium cum fructu celebrandi ostenderet, adhibens in hoc propositiones de concordia invenienda quas paulo ante libro suo « Christlicher gegenbericht » explicaverat. Composita est ergo « Consultatio » post mensem Februarii 1561, sed ante mensem Augusti, quo Staphylus Vindobonam vocatus est, *a riveder li processi formati ne la visita de monasterii* (ita Delphinus 21. Aug. 1561, *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 297), Ingolstadii, ubi circa mensem Maii doctrinae Schwenkfeldii impugnandae eum incubuisse scimus (*Nuntiaturberichte* II. Abt. I 270); cfr., quae de illo in sectione III dicit.

[2] Cfr. *Cant.* 6, 8.

[3] *Act.* 20, 28.

Hispani; Galli nutant vehementer. Quem ergo exspectamus finem alium nisi interitum universitatis? Iustus est Dominus et iustum iudicium eius [1]. Hanc plagam meruerunt peccata nostra.

Medicinam intra hos quadraginta annos subtiliter deliberando meditari verius quam serio medicando adhibere voluisse iudicamur. Concilium huic malo antidotum nunc indictum est. Quis non audivit? Sed verendum est, ne, cum priorem usitati huius versiculi partem, quae dicit: *Obsta principiis*, pervicaces audire noluimus, nunc alteram eiusdem versus partem propemodum oppressi cogamur audire: *Sero medicina paratur, dum mala per longas* 154r *convaluere moras* [2]. | Haud fallax medicorum regula est, ne minor sit medicinae dosis, quam sunt vires morbi.

Si quis haec altius aliquanto revocet in animum, is comperiet de concilio nunc t r e s esse quaestiones et omnes quidem difficultatum plenas et periculorum, sed tamen cum alia forsitan ceteris sit tolerabilior, elaborandum sane videbatur, ut haec ceteris praeferretur, quae minus periculi, plus commoditatis cognoscetur habere.

I.

Hae ipsae autem, quas dico, quaestiones sunt: P r i m a, an hoc concilium, quod iam ante multos annos Tridenti incoatum est, continuari debeat et pro oecumenico haberi; s e c u n d a, an hoc ipsum concilium, si gentes sectariae, quae vocatae sunt, venire nolunt, prorogari debeat ac suspendi ad aliquod aliud tempus; t e r t i a, an non praestet hoc Tridenti incoatum concilium sic continuari, ut dissimulato nomine oecumenici nunc incipiat id tractare, quod adhuc de sacramentis reliquum est, et mox pergat ad emendationem cleri et abusuum, atqui interea Caes. M[tas] in futuris conciliis deliberet de alio quodam novo concilio, ad quod oecumenicus orbis, hoc est universae gentes christianae, quae vel defecerunt vel manserunt constantes in fide, benevole convocari et pertrahi possint.

1. P r i m a q u a e s t i o in eo controvertitur: An i n c o a t u m T r i d e n t i c o n c i l i u m c o n t i n u a n d u m s i t v e l i n c o a n d u m d e n u o; deinde si continuandum, 154v an e x p e d i a t o e c u m e n i c u m | c o n c i l i u m a n s e c u s a p p e l l a r i. Quod ad p r i o r e m huius primae quaestionis partem attinet, nullo modo expedire videtur neque fidei catholicae neque authoritati Romani pontificis, ut nunc Tridenti quasi de novo inchoetur aliquod concilium sive hac specie, ut existimetur aliud quoddam esse et diversum ab eo concilio, quod antea incoatum est, sive hoc nomine, ut utrumque, tam quod praeteriit quam quod incoandum, debeat uno eodemque haberi. Nam utro ex his alterutrum propenderit, in idem recidet pondus. Publice enim innotuit huius Tridentini concilii indictio, quod continuari debeat. Iamvero si de novo incoandum, duo metuenda erunt ingentia detrimenta: alterum exitiosum sanctissimis illis praeteriti concilii Tridentini decretis, alterum contumeliosum autoritati Romani pontificis. Etenim magnae levitatis videri posset, si concilium, quod pontifex publicata bulla continuandum indixisset, postea de novo incoandum statueret. Qua ex inconstantia hoc alterum malum catholicae fidei nostrae inferretur, ut omnia decreta ea, quae Tridentina synodus sancivit, in dubium vocarentur, quasi ipsemet pontifex de veritate illorum diffideret, cum in posterum tamen de eisdem controversiis nec alii canones tum sanctiores tum veriores edi queant. Praeterea nullo modo sperandum est ullos haereticos aut protestantium principes idcirco ad concilium Tridentinum [ad]futuros esse, quoniam de novo incoari, non continuari praedicatur. Nam certum est eos ad nullum esse accessuros concilium, quod indixerit Romanus pontifex et in quo idem Romanus pontifex iudex futurus sit. Ita principes, ita populos Augustanae con- 155r fessionis addictos obstinate sentire declaraverunt principum | legati in comitiis [15] 55. anno Augustae habitis, et quae sequente anno celebrata sunt Ratisbonae ac iterum nuper Augustae [3]

[1] Cfr. *Ps.* 118, 137.

[2] *Ovidius*, Remedia amoris v. 91 sq. (*Ehwald* 249).

[3] Et in dieta Ratisbonensi 1556-7 et in Augustana 1559 status protestantes in refutatione concilii a pontifice Romano indicendi et regendi perseverabant, *M. Ritter*, Deutsche Geschichte im Zeitalter der Gegenreformation I (Stuttgart 1889) 133 sqq.

Quod ad Augustanam attinet, cui Staphylus interfuit (*W. Goetz*, Beiträge zur Geschichte Herzog Albrechts V. [München 1898] 147), prostat quidem *Gerardi Rambaldi* ep. Civitatensis « Confutatio conditionum recentium haereticorum » card. Morono dedicata. Sed quia nunc in codice *Conc. 13* non est integra (leguntur enim ibi initium lib. I cum f. 336r-350v, 359r-364v tum f. 376r-398v; finis lib. II f. 399r-406v, 365r-374v; aliud quinternum de condicione 5 agens f. 351r-358v) eam omittimus, licet iam *Raynaldus* a. 1560 n. 60 (et post eum *Le Plat* IV 645-647) ex eodem codice tum integro et numero 3200 signato quaedam excerpserint, quae nunc in illo non omnia inveniuntur.

Condiciones, quas Rambaldus impugnat, sunt istae decem:

1. *Quod liberum christianum concilium in Romano imperio Germanicae nationis celebretur.*

Iam sequitur eiusdem primae quaestionis altera pars, videlicet, an concilium Tridenti inchoatum continuari debeat hoc nomine, ut oecumenicum vocetur, et ea decreta, quae sancita et publicata sunt, debeant rata haberi. Magna profecto difficultas in hac parte est et ingens periculum utrobique. Nam tametsi Germani homines bardi sunt, si cum Italis conferantur, attamen certe nullo modo vel in ipsa malitia sua tam sunt stupidi, ut Tridentum idcirco velint venire (si sancita decreta debent esse rata et ad oecumenicum orbem extendi), quasi sponte sua cupiant dogmatum suorum damnationem praesentes audire. Non facient hoc Germani, credatur mihi, nec ullae aliae nationes, quae in perfidia sua sunt (quemadmodum fere sunt omnes) pertinaces. Immo vero, si audierint etiam facta decreta Tridentini concilii adeo sancta firmaque haberi debere, ac si sint iudicio oecumenici concilii conclusa atque approbata, nullo modo patientur hoc institutum concilium continuari et ad aliquem perduci certum finem, sed exemplo ducis Mauritii ferro et igni disputatum venient Tridentum. Non inanes videntur esse rumores, qui vulgo crebri sparguntur, Lutheranos paratos esse iam copias et opes in promptu habere, ut si quid in se durius statuat conci|lium, possint pon- 155^v
tificiam, ut ipsi vocant, tyrannidem refellere [1].

Sed fingamus nullum esse tumultum metuendum, nullum bellum, nervos talium rerum, pecuniam deesse, etiam forsitan ex nostra parte defuturos, qui possint ac velint concilium defendere, decreta exequi. Utinam vero sint, quamquam sperandum hoc verius quam definiendum videtur! Verum esto, statuamus ita fore. Quid autem credemus futurum de eo schismate, quod ex illa damnatione consequetur? Primum enim omnes damnatae nationes conquerentur pontificem Romanum concilium Tridentinum pro oecumenico seu universali haberi velle, cum vix nationale sit aut particulare, quia enim neque Galli neque Poloni multaeque aliae nationes affuerunt initio. Iam vero quam multiplices populi sunt, quam multa regna, quam gentes variae, quae in hoc Tridentinum concilium non consentient, multo minus approbabunt in condemnationem sui! Respuunt hoc concilium tota Anglia et Scotia et Hybernia, detestantur Dania, Norvegia, Suetia et, quae his regnis finitima sunt, Prussia et Livonia. In Lituania fortasse et Polonia clerus mediocris est et dicto apostolicae sedis audiens; at certe nobilitas propemodum tota, quae plurimum in his regnis valet, sic alieno

2. *Quod illud a papa non iudicetur.* [Sic habet codex; in alia recensione *Conc. 149* f. 30^r, quae 9 tantum condiciones continet, recte legitur: *Non indicatur concilium a papa*].

3. *Quod papa illius non sit praeses, sed subditus concilio.*

4. *Quod archiepiscopi et episcopi liberentur a iuramentis et quod libera habeant vota.*

5. *Quod prophetica et apostolica scriptura sit iudex in controversiis.*

6. *Quod theologi Lutherani non solum audiantur, sed etiam voces decisivas habeant.*

7. *Quod theologi Lutheranorum sint in protectione Caesaris et habeant salvum conductum.*

8. *Quod non secundum multitudinem votorum, sed secundum scripturam definiantur omnia.*

9. *Quod acta et definitiones concilii Tridentini rescindantur.*

10. *In casu, quod nulla fieri possit concordia religionis, quod omnia observentur secundum concordiam Pataviensem factam anno 1552 et tractatus religionis subsequentes.*

Quae condiciones, quas Rambaldus se ab archidiacono Ravennatensi recepisse testatur, videntur excerpta ex prolixiore scripto « Condiciones exhibitae a confessionistis 1559 », *Conc. 149* f. 84^r–88^v, ubi condiciones 1-3 et 4-5 coniunctae sunt.

Ad primam condicionem Rambaldus respondet Romano imperatori non nationem tantum Germanicam, sed quamlibet aliam, in qua Christi evangelium praedicatum sit, esse subiectam, nec opus esse concilium in Germania celebrari, sicut aegroto non conveniat medico locum modumve sanandi praescribere (f. 376^v-378^r).

Ad secundam et tertiam respondens interrogat adversarios: *Asserant adversarii, qua ratione ecclesia percepisset Ariminense concilium haereticum esse, Nicaenum vero orthodoxum*, et concludit: *Opus est igitur ab aliquo concilia iudicari, ut quae eorum catholica atque orthodoxa, quaeque haeretica sint, perspiciamus* (f. 378^v. 379^r). *A synodo igitur, ut falso asserunt Lutherani, non debet iudicari apostolicae sedis episcopus, sed sui est muneris synodos iudicare* (f. 391^r), scil. confirmando vel irritando decreta damnandoque concilia praeter Romani pontificis sententiam celebrata.

Ex responsionibus ad alias condiciones: *Nullo modo fieri potest, ut in futura oecumenica synodo omnes super fide ortas controversias sola divina scriptura iudice dirimamus* (f. 369^r), quia *in perversum sensum, ut revera ab haereticis rapiuntur, divinae scripturae testimonia rapi possunt* (f. 399^r) et novatores ipsi in rebus fidei minime inter se conveniunt: *Diversa enim sentiunt Philippus, Brentius, Osiander,* [Flacius] *Illiricus, qui Lutherum de professo sequuntur, qui vero post Lutherum nati sunt, Carolstadius, Zvinglius, Oecolampadius et Calvinus, Lutherum asserunt germanum scripturarum sensum non assequi ac vicissim Luthero reddunt, quod ipse catholicis omnibus et orthodoxis patribus, quamvis temere et falso, aeque praestiterat* (f. 401^r). Sextam condicionem non alio tendere, nisi *ut haereticis liceat damnare summum pontificem,* Petri successorem et Christi vicarium (f. 389^v). *Si consequi volunt adversarii, quod in septima condicione exoptant, ut theologi Lutheranorum sint in protectione Caesaris, opus est, ut huius ecclesiae Christi membra sint, quod hanc solam, quam Christus super Petrum aedificavit ecclesiam, ipse regat huiusque solius ecclesiae protector sit* (f. 377^v). *Cum in decima condicione petant, ut in una Dei ecclesia diversa super fide sentientes patiamur, hos credo miseros nunquam legisse: Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (f. 381^v).

[1] De huiusmodi rumoribus utrimque dispersis cfr. *Ianssen-Pastor* II^{17} 133 sq. 152 sq. et infra alterum cardinalis Augustani scriptum.

animo est a concilio Tridentino, ut suo nomine nihil eorum, quae in concilio determinata fuerint, in Polonia a subditis suis recipi permissura videatur [1]. Regni Bohemiae quae erga sedem apostolicam oboedientia sit, notum est. De reliquiis autem Ungariae nihil attinet 156v dicere. Restant | Galliae et Germania, quarum haec omnibus viribus concilio reclamat, de illis res admodum dubia promitti auditur. Taceo interim, quod huius pestis contagio in Italia iam pridem clam vigeat, quod eadem nuper palam invaserit Hispanias [2]. Sed magno Dei beneficio effectum hactenus est in hisce regnis, quod caput exerere non potuit nec sumere incendii vires. Quapropter dubium non est, quin hae duae gentes concilium Tridentinum tum approbaturae sint constanter, tum, quicquid in eo determinatum fuerit, oboedienter recepturae.

Iam vero hoc in quaestionem venit, an [a], quod soli Hispani atque Itali, quod Galli ex aliqua, Germani et Poloni ex minima parte frequentent, oecumenicum queat appellari. Profecto, si licet, quod verum est, libere dici, non potest, nam ut aliquae particulae dicantur totum, ratio non fert, rerum natura non patitur. Quin ex eodem hoc fundamento consequitur, quod particularis medicina universali morbo nullo pacto mederi posse videatur, quandoquidem ita natura comparatum est, ne minor sit medicinae dosis quam vires morbi sunt. Recte itaque divus Augustinus, cum censuit [3] provinciales synodos plenariis conciliis cedere debere, non contra plenaria provincialibus.

Deinde, quod tertio loco considerandum est, anxia quadam eget deliberatione, 157r utrum scilicet expediret | (etiamsi maxima facultas esset) tot gentes ac regna septentrionalia, quot superius commemorata sunt, tanto huius concilii rigore damnata perpetuo schismate a meridie rescindere. Quam enim multa milia hominum in his regnis sunt, qui, tametsi seducti sunt, proprie tamen haeretici non possunt dici? Nam quod obiici fortasse posset, has tot nationes non semel, sed aliquoties admonitas esse; sua igitur obstinatione, non damnatione concilii in hoc tanti schismatis malum praecipitatos atque divisos esse: Si de haeresiarchis hoc deque ipsis sectarum ducibus dicitur, recte hoc quidem — his etenim definitio haeretici convenit — sed profecto de seducta multitudine simplicis populi aut plebis nullo modo. Etenim de his dictum legimus [4]: *Infirmum in fide suscipite*, et [5]: *Signum* [b] *fumigans nolite exstinguere*, et illud, quod Dominus Deus Petro iniunxit, ab officio apostolicae sedis alienum non est [6]: *Tu confirmatus confirma fratres tuos.*

Omnes viae remediorum tentatae sunt. Tentatae sunt quidem, fateor, si rigorem spectes et extrema, quae solent adhiberi extremis morbis remedia. Immo vero quanto impatientiores medicorum nonnulli fuerunt, tanto asperiora remedia usurpaverunt, neglectis interea iis malagmatis, quae seductis principibus et populis non importune adhiberi potuissent. Quae autem illa fuerint, non satis mature rogatur, sed quae in posterum esse possent, deinceps admonebo breviter.

157v Has igitur multasque alias ob causas videtur ullo modo | consultum neque religioni catholicae neque sedi apostolicae, ut concilium Tridenti incoatum dicatur debere tamquam oecumenicum concilium continuari. Nam hoc si fiet, gentium arma adversus ecclesiam Romanam extimescenda sunt ac timendum pariter, ne circiter decem regna et aliquot magnas provincias nimis rigida censura a Romana ecclesia in perpetuum schisma separemus. De prima quaestione quidem hactenus.

2. Secunda quaestio de concilio fuit, siquidem iam certum esse putatur, Lutheranicorum principum ceterarumque gentium, quae a fide recesserunt, legatos minime ad concilium venturos esse, an expediat prorogari concilium ac suspendi ad aliquod certum tempus, quoad forsitan mansuefieri possent sectarii et ad mentem perduci meliorem. Consilium non penitus inutile hoc foret, si res Galliarum tam dubiae spei moram possent ferre atque ullus praevideri modus, quo Germani ceteraeque seductae nationes a pertinacia possent ad saniora consilia deflecti, quod profecto longiore suspensi concilii mora vix apparet futurum, quandoquidem ipsa spes institutae morae eos multo

[a] *M add.* quaet hoc oecumenicum concilium dici, *quae verba in V deleta sunt.* [b] *M* lignum

[1] Ex Petricoviensi dieta Canisius 17. Dec. 1558 Iacobo Lainio haec scripsit: *Tantum odii nobiles in clerum conceperunt, ut rex episcopis vix patrocinari posse videatur.* Canisii epp. et acta ed. *Braunsberger* II 342. De controversiis inter nobiles et clericos vide etiam *K. Völker*, Kirchengeschichte Polens (Berlin-Leipzig 1930) 139 sqq.

[2] Paulo ante, scil. 1557/8, Vallisoleti et Hispali conventicula protestantium detecta erant. *E. Schäfer*, Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus u. der Inquisition I (Gütersloh 1902) 233 sqq. 345 sqq. Vide supra p. 447 adn. 1.

[3] De baptismo contra Donatistas l. II c. 3 n. 4, *Migne* 43, 128 sq.

[4] *Rom.* 14, 1.

[5] Cfr. *Is.* 42, 3; *Matth.* 12, 20.

[6] *Luc.* 22, 32.

audaciores hactenus semper effecit et deinceps semper factura videtur. Interea etiam languescerent vires catholicorum, quibus subinde aliquid decedit, quod mox accedit ad potentiam adversariorum, qui in occasiones suas intenti sunt, ut semper sibi aliquid adiiciant, quod ipsos confirmet, nobis detrahant, quod nos languefaciat. Huc accedit, neque Germani neque tot gentes sectariae | eam concilii formam, quam Tridentii institutam animadverte- 158r
runt, approbabunt umquam. Quapropter sive suspensum audiant Tridenti concilium sive continuatum videant, eadem lance ponderabunt utrumque, neutrum alteri praeferentes. Etenim nihil certius est nihilque conclusum firmius apud haereticos, quam nullum velle concilium, quod convocarit pontifex Romanus, nullum concilium, in quo pontifex Romanus sit iudex.

3 Tertia quaestio reliqua est, cum continuatio concilii Tridentini tamquam oecumenici sit periculosa et eiusdem concilii prorogatio detrimentosa, utrum magis ex re christiana sit, aliud concilium oecumenicum et alio in loco et alio modo celebrandum praemeditari. Ego vero, si quid mei tenuis iudicii est, in ea sum sententia totus, sed sub hac duplici conditione, quarum altera est, ut continuetur synodus Tridentina, dissimulato interim nomine oecumenici, altera, ut curet Caesar primo quoque tempore haberi comitia et in his ineat rationem et modum eiusmodi, quo non tantum catholici possint, sed etiam adversaria pars parate perduci ad aliquam consentientem futuri celebrandi concilii normam. De utraque hac conditione, quantum mihi Deus vel ingenii vel consilii pro tenuitate mea dederit, breviter admonebo, et principio quidem de continuatione Tridentini concilii, scilicet quomodo haec cum utilitate ecclesiae et sine tumultu haereticorum fieri posse videatur.

II

1. In Tridentina s. synodo quaecunque decreta | fuerunt hactenus, quoniam divini 158v
iuris vigorem habent, nullius vi haereseos umquam potuerunt non sacrosancta et esse et haberi. Proinde sive hoc titulo, quoniam oecumenica synodus promulgarit ea, sive illo, quoniam nationalis ediderit, parum ad rem, licet ad rei aestimationem nonnihil, quamvis veritas absque ullo suffragio per se consistit, nostra ope non fallitur ubique. Quapropter ut sua maneat autoritas synodo, existimant homines periti non certandum penitus, quo nomine Tridentina synodus appellanda, num universalis an particularis, cum posset ambiguo nomine clericalis dici, in qua doctrina moresque catholici cleri ad antiquos canones debeant revocari. Nam omnia, quae ad dissensionem dogmatum et ad articulos fidei spectabant, tractata et definita sunt, nec aliquid videtur restare amplius, nisi ut reformetur clerus in moribus et repurgetur ecclesia a multarum rerum abusibus. Quocirca si patres in synodo Tridentina congregati vel mox congregandi [1] a reformatione morum atque abusuum continuationem auspiciati pergerent absolvere illud concilium, dissimulato nomine oecumenici, arbitrarer equidem duo isthinc commoda catholicis eventura esse: unum, ut clerum haberemus posthac ex tali reformatione laudabiliorem, alterum, ut interea pace nobis frui liceret, absque aliquo tumultu bellove Lutheranorum; qui, sicuti libenter ferent cleri mores emendari tollique abusus ecclesiae, ita contra nullo modo aut possunt aut volunt doctrinam condemnare Augustanae confessionis. Atqui si licet, quod verum est, effari libere, nulla res magis alienavit clerum a populo quam isthaec nostrorum morum turpitudo rerumque sacrarum miri abusus. Habitant hae istae sordes cleri in oculis hominum odiumque inexpiabile accenderunt in animis principum et utramque aurem sic | occupaverunt, ut neutram reliquerint ad 159r
excusandum clero. Quare haec vel prima curatio est, si ad evellendas tanti morbi fibras accedere volemus, oculis auribusque populi mederi, hoc est ante omnia abusus auferre ex ecclesia, turpitudinem vitae eluere ex clero oportet [a]. Haec etenim duo aperuerunt populo oculos, ut in vitia cleri sit plus quam Lynceus [2], aures occluserunt, ut ad doctrinam cleri sit magis surdus quam aspis. Volumus ergo, ut doctrinam catholice audiat populus et principes? Vitam purgemus necesse est, abusus tollamus oportebit, ut cum haec mala in vita cleri amplius non cernat populus, tum aures tandem velit nobis praebere benigniores. Nam

[a] *om. M; V add. in marg. manu auctoris*

[1] *Sickel* (supra p. 455 adn. 1) ex his verbis argumentum hausit patres Tridenti revera tum congregatos vel etiam congregandos fuisse; sed erravit; loquitur enim auctor in phrasi irreali *pergerent* et postea *arbitrarer*.

[2] Lynceus (Λυγκεύς), Idae frater, figura Lacedaemoniorum mythica, qui oculo suo acerrimo lapides quoque et terram penetrare potuit; cfr. *Horatius* Epp. I 1, 28. *A. Otto*, Die Sprichwörter der Römer 203.

homines ineruditi ex moribus doctorum doctrinam fidei metiuntur, ignari, quod alia oratio sit de doctrina fidei, alia de moribus praelatorum. Quamquam non recte id fit quidem; sed quid facias? Hanc infirmitatem plebis morum integritate levare debebant homines eruditi et praelati, quandoquidem intelligunt, magis doceri populum bonis exemplis docentium quam subtilitate dogmatum.

Quod cum ita sit, estne verisimile, ut seductarum gentium populos ac principes, quos vitae nostrae turpitudo ad omnia vitia fecit oculatos, ad audiendam veritatem surdos, velle tanto odio cleri inflammatos admittere clerum de se dogmatibusque suis iudicem in concilio? Non facient, non admittent, non audient. Repudiat vulgus medicum, qui ipsemet scatet ulceribus. Lacedaemone Demosthenem quendam fuisse ferunt [1], hominem haud satis honestis moribus, sed tamen virum industrium atque peritum. Is cum se habere consilia quae-
159v dam diceret | admodum salutaria rei publicae, a populo propter vitae impuritatem, qua infamis erat, auditus non est, audientiam impetrare non potuit. Ephori itaque alium quendam delegerunt virum famae honestioris, qui consilia a Demosthene audiret referretque senatui, ut tamquam ex vase obsoleto atque sordido in vas aliquod mundius ea consilia transfusa salubriora redderentur. Tantum momenti in iudicio populi possidet probitatis opinio. Hoc voluit poeta, cum ait [2]: *Vas nisi sincerum est, quidcumque infundis, acescit.* Nisi videat indoctus populus eos, qui alios docere volunt atque purgare a vitiis, ipsos ob vitae morumque puritatem commendari, nec audire illos nec ferre potest. Eam ob causam S a l v a t o r discipulos, quos populo magistros mittebat, honestate vitae conspicuos esse iubet, cum ait [3]: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut bona opera vestra videant et glorificent coelestem patrem.* Quin et ipse D o m i n u s non doceret tantum, sed eadem quoque, quae docebat, facere incipiebat [4]; ex fructibus enim arborem debent homines imperitiores cognoscere. Quam ob rem, si volumus seductas gentes saltem initio eo perducere, ut ecclesiae proceres audiant in concilio de veritate dogmatum disserentes, necesse est in hac, quae nunc celebratur, Tridentina synodo id agere, id conari pro viribus, ut mores cleri emendentur, ut abusus ex ecclesia amoveantur, ut clerus repurgatus a vitae sordibus indutusque innocentiae clericalis stola compareat inculpabilis coram populo. Tum denique adduci principes et populi poterunt, ut audiant, ut
160r cognoscant, purioremve doctores catholici an contio|natores Lutheranici doctrinam evangelici profiteantur.

Sed hic dicet forte quispiam: Quid interea fiet de Gallis? Non solum illi quaerent in hac Tridentina synodo emendationem morum amotionemque abusuum, sed dogmatum, quae apud ipsos varia emerserunt, explicationem. Non dubium est, quin Galli eodem laborent, quo Germani gentesque ceterae, odio impurioris cleri. Proinde, ut aeque his atque aliis hominibus isti aculei amoveantur ex oculis, necessarium videtur. Dogmatum autem si urgeant explicationes, proponuntur ea, quae iam antea in eadem synodo decreta atque sancita sunt. Nisi memoria fallitur, Tridentina synodus omnes pertractavit controversae religionis articulos usque ad haec duo sacramenta de sancta eucharistia et coniugio [5]. Dispiciant sancti patres in hac continuanda synodo, quid in utroque expediat: P r i m u m quid iuris divini sit, ne quid hac in parte relaxetur, quod per se immobile est; d e i n d e quid iuris positivi, ne plus vigor in pia matre ecclesia quam aequitas et mansuetudo valuisse existimetur. Sit regula ipsa lex caritatis, *quae omnia suffert, omnia credit, omnia sperat* [6]. Sit medicinae dosis explorata publicae infirmitatis magnitudo, nec detur affectibus animi, quod sanandis animae morbis debetur. Postea vero quam de his duobus sacramentis, quantum necessarium est, explicatum decretumque fuerit, incoetur ecclesiastica censura de moribus ~~et honestate cleri, de tollendis ecclesiae abusibus; ac speremus plurim~~um nos de ~~populari~~ in clerum odio detraxisse, si per hanc Tridentinam synodum foedas illas morum clerica-
160v lium | sordes absterserimus.

2. A l t e r a c o n d i t i o, quam superius futuro alteri concilio necessariam duxi, in eo versatur, ut medium aliquod in futuris conciliis inveniatur, quo utraque pars, hoc est tam catholici quam Lutherani in oecumenicum concilium pacatis animis congregari possint. Etenim si oecumenicum concilium idcirco congregari solet, ut universis consulat, et, quoad fieri potest, iuvet singulos, quomodo igitur oecumenicum seu universale concilium dici poterit, quod universitatem aut saltem maximam partem velit negligere, membra aliquot

[1] Quae sequuntur narrat *Plutarchus*, Praecepta gerendae reipublicae c. 4 (*Bernardakis* V 68).

[2] *Horatius*, Epp. I 2, 54.

[3] *Matth.* 5, 16.

[4] Cfr. *Matth.* 5, 19.

[5] Errat Staphylus. Nam de eucharistia iam sess. XIII decretum prodierat. Supererant doctrina de communione sub utraque, de sacrificio missae, de ordine, de matrimonio.

[6] *1 Cor.* 13, 7.

curare dumtaxat? *Bene valentibus*, inquit Christus[1], *non opus est medico*. Itali atque Hispani non ita aegrotant diversarum haeresium peste sicut nationes ceterae. Frustra illis (nisi forte propter morum emendationes atque abusuum) per concilium medicina paratur. At vero Angli, Scoti, Dani, Norvegii, Suedi, Livones, Lituani, Poloni, Pruteni, Ungari, Bohemi, Helvetii ac si qui plures populi sunt, varia diversarum pestium contagione infecti laborant, ad mortem decumbunt; infinitae animarum myriades pereunt quotidie. Hisce igitur oecumenici concilii medicinis opus est, his temporanda sunt adversus tot genera pestis antidota. Quapropter nulla sat magna causa apparet, cur pontifex Romanus ullam faciat oecumenici concilii mentionem, si communibus oecumenici orbis christiani vulneribus medendum non arbitretur.

Sed dicet quispiam: Quid impensius egit semper, quid agit nunc studiosius Romanus pontifex? Ad principes, ad reges, ad populos gentesque diversas misit suos legatos[2], ad concilium invitat, et ut hoc universale sit, universos invitat. Ita sane est, nemo hoc inficiatur; at illud | inficiantur plerique, eam pontificis legationem salubre fuisse ad solidam 161r
concilii medicationem praeparamentum, quandoquidem illos magis a concilio avertit quam invitavit. Norunt pontificii aut certe nosse debebant, morbum Lutheranae haereseos eo usque progressum esse, ut Lutherani pontificem Romanum iudicent esse ipsam mali causam, multo minus, ut illum velint archiatrum vel summum medicum agnoscere. Nec sane videtur satis solertis esse concilii, concordiae principium ac fundamentum in ipsis controversae litis capitibus ponere. Pontificii doctores dirimendis per concilium controversiis quasi probatum atque irrefragabile principium statuunt pontificem Romanum debere nationes convocare et in concilio cum suis episcopis tamquam iudex praesidere, controversias audire, sententias ferre, quae orthodoxa sunt tueri, quae haeretica damnare. Ita quidem esse debebat, si res ecclesiae essent incolumes atque integrae. Sed hae cum fractae sint, haeretici istud, quod nos principium concordiae sarciendae statuimus, causam materiemque litis ponunt; negant enim, Romanum pontificem posse convocare concilium oecumenicum, negant Romanum pontificem posse esse in concilio iudicem, cum ipse tamquam pars rea accusetur. Quomodo ergo verisimile est, hoc tale principium, quod altera pars probat, altera improbat, possit esse vel principium vel medium vel finis sarciendae concordiae? Prudentes viri, quibus pax cordi est, dissidium displicet, solent in medio eiusmodi principium proponere, quod utrique parti dissidentium commune sit atque approbatum, et eiusmodi omnino, ex quo omnes concordiae rivuli sic in diversas partes queant diduci, ut ex eodem principio profecti per eadem |
media ducti tandem in eodem quoque et communi exitu ac fine copulari possint. Nam ut 161v
geometrae dicunt, non data aliqua vel concessa communi linea, nulla dari potest aut constitui figura, sic etiam non dato receptoque principio, nullum medium formari potest, nullus terminari finis.

Nobis commune principium est cum sectariis scriptura sacra. Eam namque nos semper amplexi sumus, sectarii se eandem aiunt amplecti; utrique scilicet eam esse Dei verbum fatemur. Ex hoc principio demum, quod utraque pars recipit, refellit neutra, omnes sedandae litis rivuli ducendi sunt. Sed quonam modo in comitiis futuris[a] posset ⟨hoc principium constitui⟩[b] quoniam fusius patet quam pro hac brevi consultatione, in ipsa re praesente evidentius demonstrari potest, quam nunc in absentia rei depingi; at nunc obiter tamen et quasi per transennam.

Quia vero postquam intra utramque partem convenit, scripturam sacram esse Dei verbum, mox quaestio incidit, utrum illa satis per se clara sit et aperta, ut explicatione non egeat, quemadmodum Lutheranorum quidam contendunt, an vero quoniam ita multis sit abstrusa[c] mysteriis, ut absque interprete intelligi non queat[d], sicuti catholici affirmant. Tametsi quidem Lutherus initio suae tragoediae omnem negabat scripturae sacrae explicationem, ab hoc tamen proposito sensim ipse et clam resiliit[3], palam eius discipuli, videturque idcirco ea de re non magna fore disceptatio. Deinde mox altera quaestio nascitur, cum explicari scripturam oporteat, quaenam interpretatio verissima sit, quandoquidem scripturam omnes

[a] *VM add.* hoc [b] *V in marg.; del.* fieri ; *M* fieri [c] *M* abstrusum [d] *M* queant

[1] *Marc.* 2, 17; *Luc.* 5, 31.

[2] Bulla indictionis concilii (29 Nov. 1560) ab abbate Niqueto in Galliam, a Commendono Caesari et principibus episcopisque Germaniae inferioris, a Delfino in Germaniam superiorem, paulo post a Canobio in Poloniam est lata, *Pastor* VII 168-186; 193 sq. Ex supradictis verbis apparet « Consultationem » post mensem Decembrem 1560 esse scriptam.

[3] Dicta quaedam Lutheri de « obscuritate Bibliae » collegit *H. Grisar*, Luther II 706. De eiusdem sententia Bibliam esse haereticorum librum vide librum *Hosii* De expresso Dei verbo, Opp. I 622.

162r sectarii interpretentur aliusque | alium sensum cum alterius pugnantem proferat ac tot iam ubique exstent contrariae interpretationes, quot passim circumvagari sectarum duces videmus. Quocirca hoc pacis principium est nec ullum aliud nunc esse potest, quam si una orthodoxa scripturarum interpretatio utrique parti communis fuerit aequali consensu recepta. Nam nisi res eo pertractata fuerit, ut pars utraque sponte sua et possit et velit dicere: Haec interpretatio orthodoxa est, illa adulterina et haeretica; hic verus scripturae sacrae intellectus, ille falsus et peregrinus; si eo res, inquam, pertractata non fuerit, certa ut sit et communis utrique parti interpretatio scripturarum, frustra in concilium ibitur, frustra tantus labor suscipitur. Iudicem non suspectum volunt sectarii in concilio: Legitima et approbata interpretatio scripturarum iudex esto. Haereses ex christiano orbe sublatas volunt: Orthodoxus scripturarum intellectus executor esto. Si quicquam autem satis in mente habent aut humani pudoris in fronte sectarii, hunc iudicem ut admittant necesse est, quando alius nullus in rerum natura iudex minus suspectus, qui sit et incorruptus (nisi ipse Deus de coelo loqui velit) usquam reperiri possit. Quae enim esset et quam beluina vox protestantium, si dicerent, se orthodoxum et verum scripturae sacrae intellectum seu interpretationem non velle[a] admittere?

Continuo ex hac ipsa, quae iam praecessit, quaestione tertia quaestio oritur, quippe cum constet scripturam sacram exponi oportere et eius legitimam orthodoxamque expositionem debere esse iudicem in futuro concilio, quaeritur non immerito, quaenam expositio seu interpretatio pro vera et orthodoxa habenda sit, si quidem multae passim et variae
162v diversorum sectariorum | non modo nobis[b], sed sibi ipsis etiam repugnantes contrariaeque interpretationes reperiuntur. Quoniam vero fieri potest, ut ex falso verum eliciatur, sed ut ex vero falsum, est impossibile, eaque de causa fit, ut plus uno in eodem genere non posset esse verum, sed ut cetera praeter hoc unum, quod in eodem genere verum est, proferuntur, falsa sint oportebit. Cum igitur pleraeque[c] expositiones scripturarum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri potest, ut earum nulla sit vera, quod contrariis saepe solet evenire, alterum vero non potest, ut plus una vera sit, quemadmodum in contradictoriis perspicuum est. Quamobrem hoc cum ita sit, danda opera erit, ut certus aliquis inveniatur canon, quo unica illa vera scripturarum interpretatio per se cognosci possit et dignosci a ceteris falsis. Porro hic iste, quem dico, tam certus canon, quo vera interpretatio indubitanter queat cognosci atque discerni a falsis, est, cum demonstratur ea scripturarum interpretatio, quae profertur, esse catholica evinciturque, quod sit ab apostolis profecta horumque discipulis atque successoribus tradita et ab his in universum orbem sparsa et ubiquegentium in christiano orbe approbata, recepta et continua temporum serie ad nos incolumis propagata; deinde cum evincitur, nullum esse huius catholicae fidei seu interpretationis articulum, qui non peculiari aliquo vel aliquot miraculis divinitus comprobatus sit; postremo cum evincitur, hanc omnem ecclesiae catholicae rem, quae Novi Testamenti est, evidentibus figuris Testamenti Veteris expressam reperiri. Ad hunc trimembrem scripturae sacrae canonem quaecunque interpretatio quadrat, eam non dubito veram, orthodoxam germanamque asserere,
163r quae discrepat, | falsam pronuntiare atque adulterinam [1].

III

Obstinatiores sectarum duces imprimisque ipsi haeresiarchae, cum hunc interpretandae scripturae canonem olfaciunt, ita ab omni congressu uti Satanas ab aspersione benedictae aquae resiliunt, licet nullo modo queant, in hanc fossam cum sint ex vagabundo illo haeresium campo detrusi, laqueum captivitatis suae effugere. Quapropter in futuris comitiis, si quando de inveniendo aliquo certoque constituendo inter partes litigantes legitimo et non suspecto iudice agendum cum adversariis esset, duplex via hanc ad rem divinitus relicta ⟨videri posset⟩[d], quarum altera directa est[e], indirecta altera.

1. Directa via in ea versatur, nempe ut ex eo principio, quod supra positum est, omnis consultatio ducat originem, usque eo, quoad inter partes de certitudine interpretandae scripturae sacrae liquido conveniat. Ea etenim certitudine inventa atque approbata utrobique omnis labor reliquus haud difficilis futurus existimari posset. Nam dum cuilibet,

[a] *M om.* [b] *M* nostris [c] *M om.* [d] *V add. in marg., del.* apparet; *M* apparet [e] *V corr. ex* dici posset, *quod habet M*

[1] Quae Staphylus hic brevibus tantum dicit de principiis catholicis quoad interpretationem sacrae scripturae, fusius exposuerat in epistola dedicatoria « Apologiae » suae praemissa, directa ad episcopum Eystettensem et data 24. Dec. 1560: Opera (Ingolstadii 1613) 245 sqq.

prout ipsi videtur, liberum erit interpretari scripturam, numquam recte institui aliqua disputatio poterit, multo minus feliciter finiri. Ille enim intellectum, quem ex sensu capitis sui metitur, hic contra, quem ex suo hausit ingenio, iudicabit esse orthodoxum ac verum, alius de suo similiter. Quis autem finis erit? Quae interpretandi certitudo? Haec incertitudo quoniam mater omnium haeresium est, indaganda erit interpretandi certitudo, quae procul dubio fuerit omnis origo concordiae. Nec dubium est, quin haec certitudo | certum nobis 163v indubitatumque queat legitimae interpretationis canonem definire. Qui plane huiusmodi est et hic iste, quem superius triformem descripsi, penitus [a].

Quaeri autem posset, quanam recta via hic canon sic proponi queat, ut illum tueantur catholici, probent adversarii atque in dirimendis dogmatum controversiis usurpent utrique. Respondeo: Nihil Lutheranis est, si quando scribunt contra consectarios suos, usitatius, quam eo ipso explicandae scripturaesacrae canone uti. Videre [b] est in eorum scriptis,quae vel contra Zwinglianos vel contra Anabaptistas vel contra similes edunt, quod nulla re pugnent validius aut crebrius quam ex consensu catholicae interpretationis [1]. Quae etenim per Deum immortalem potest esse unitatis evidentia certior, quam cum dubitetur de aliquo loco scripturae, si possis dicere: Haec de isto loco scripturae interpretatio, quam ego affero, potest demonstrari, quod sit ab apostolis profecta, quod ab horum sit successoribus accepta traditaque vicissim, quod in universo orbe propagata sit et illaesa pervenerit ad nos; quod eadem haec interpretatio sit aliquot divinis comprobata miraculis. Quae scripturae sacrae interpretatio aut qui sensus posset praeferri in medium certior atque probabilior? Nullus profecto.

Quo autem pacatioribus animis haec via tentari posset citiusque is quem dico sacrae scripturae interpretandae canon constabiliri, in camera Augustissimi imperatoris coram Sua Maiestate vel coram aliqua alia illustri persona inter unum catholicum et alterum Lutheranum theologum (homines nimirum pacificos atque intelligentes) hoc negotium incoari oporteret 164r atque deinceps, si procedere videretur, alias atque alias personas adhiberi, prout animi erga ipsos mutui vel sedati vel concitati animadverterentur. Sed haec nunc ita in cogitatione absentis negotii quam in tractatu praesentis haud similiter describi queunt; longius enim haec via patet quam pro latitudine tanti negotii.

2. I n d i r e c t a illa, cuius feci mentionem, v i a non minus longe diffunditur quam altera isthaec directa. Nam idem principium postulat easdemque requirit explicare quaestiones, sed quasi aliud agendo, aliud simulando, ut videlicet oppositus alter theologus non hoc agi animadverteret. Quam ad rem nihil accomodatius, quam si Caes. M[tas] aut cum duce Virtenbergensi aut cum electore Saxoniae aliquando obiter per occasionem in arcano consultaret de exstirpandis pestiferis exitiosisque dogmatibus C a s p a r i s S w e n c f e l d i i [2], qui non solum omne divini verbi ministerium omniaque sacramenta tollat ex ecclesia, verum etiam humanitatem Christi, qua mediator inter Deum et homines est [3], penitus ex memoria hominum delere conetur. De hac tanta peste ex imperio profliganda posset Caes. M[tas] petere, ut elector aut dux Virtembergensis theologum aliquem mansuetum suum daret; velle quoque Caes. M[tem] theologum a diungere suum et mandare utrique, ut certam aliquam refutandi Svencfeldiani dogmatis viam meditarentur. Non dubium est, quin catholicus theologus alterum theologum etiam id non animadvertentem eo posset ducere, ut ex catholica et orthodoxa scripturarum interpretatione Svencfeldiana dogmata refutantes vera catho- 164v licae fidei principia quoquo modo unanimes constituerent. Nam ipsa experientia compertum est, quod cum Lutherus refutat Anabaptistas, Zwinglianos, Svencfeldium ac similes sectarios, cumque eosdem hos condemnant comites Mansfeldenses Vimariensesque duces [4],

[a] *M verbum* penitus *post verbum* iste *ponit; in V est correctum ab auctore.*

[1] Vide, quae infra ad « Consilium » Staphyli adnotabimus.

[2] C a s p a r S c h w e n c k f e l d i u s Silesius (1489-1561) negavit s. scripturam et sacramenta alicuius esse momenti pro vita christiana, quae secundum eum ex coniunctione cum Christo glorificato profluit. Cfr. *R. H. Grützmacher* in: Realenzyklopädie für prot. Theologie XVIII 72-81. Schw. post discessum suum ex Ulma (1540) in diversis locis Sueviae versatus est et Lutheranos, in primis Flacianos, multis libellis impugnavit, qui critice sunt edita in collectione « Corpus Schwenckfeldianorum » (Leipzig 1907 sqq.).

[3] Cfr. *1 Tim.* 2, 5.

[4] Loquitur hic Staphylus de Confutatione, quam dux Ioh. Fridericus de Saxonia impellente Matthia Flacio anno 1559 contra Recessum Francofordiensem (1558) ediderat. *H. Heppe*, Geschichte des deutschen Protestantismus I (Marburg 1852) 298 sqq. Theologi Mansfeldenses 20. Aug. 1559 Confessionem ediderunt eiusdem tenoris, scil. contra Anabaptistas, Servetistas, Stancaristas, Iesuitas, Antinomistas, Osiandristas, Synergistas, Maioristas, Schwenckfeldianos, Zwinglianos, Adiaphoristas impressam a. 1560. Realencyklopädie f. prot.Theologie XVII 486.

tum illos uti solere his theologicis catholicae fidei principiis nullaque re magis refellere suos consectarios hostes hac catholica scripturarum interpretatione.

Ut autem haec indirecta via meliori occasione incoari videretur, posset ipse Svencfeldius, qui non procul ab Augusta est, capi et quasi reus in praesentiam duci. Oderunt enim hunc hominem Lutherani multo infestius quam catholici, eoque alacrioribus studiis hoc negotium aggrederentur. Verum haec (quemadmodum antea quoque monui) non tam expresse evidenterque describi volunt, quam possent geri feliciter, si ardens studium adhiberetur et necessaria sedulitas. Multa possem in hanc sententiam afferre, sed ea cum alibi queant commodius dici, hic non intempestive intermittuntur.

Tali aliquo ad futurum concilium opus esset praeparamento, quo vel hoc saltem a parte Lutheranorum posset obtineri, ut admitterent in futuro concilio dirimendis controversiis iudicem orthodoxum et catholicum scripturae sacrae intellectum seu interpretationem. Hoc
165r etenim dato | positoque iudicio veritas catholicae fidei victrix erit continuo, poteruntque eodem iudice dissensiones omnes brevi tempore componi; vicissimque, si pontifex Romanus vivae vocis suae oraculum et Lutherani contra nudum sacrae scripturae textum volunt esse iudicem, in aeternum disceptabitur, pax nunquam speranda erit. Quam ob rem si pacem ecclesiae cupimus ex animo, si exitium detestamur, necesse erit in futuro concilio (si tamen hoc sedulo aliquando futurum speramus) omnes actiones omniaque suffragia sic temperari, ut ad nutum obtemperent apostolico et catholico sacrarum scripturarum intellectui tanquam vero, incorrupto minimeque suspecto iudici.

Consultandi causa ego haec, et ut sapientioribus, si aliquando usu res ea veniret, uberiorem cogitandi ansam praeberem, bono sane pioque zelo proposui. Quam autem pie Pius pontifex de loco, de tempore ac modo concilii Tridentini admonitus fuerit superiori anno, cognitum est; quam opposita consilia cesserint infeliciter, praesens tempus patefecit [1]; quam denique cetera, si ea qua coeperunt via pergent pontificii, eventura perperam videantur, tempus futurum non dissimulabit.

77.

Rathschlag in Religionssachen vom Kardinal von Lothringen gestellt [2].

[Post **12. Iunii** et ante **20. Iulii 1561**].

Stuttgardiae Arch. status *Frankreich Büschel 17 n. 92b*; versio in linguam Gallicam *ibid. n. 105 b*, in linguam Germanicam *ibid. n. 105 c*. Ed. apud *H. O. Evennet*, The Cardinal of Lorraine and the Council of Trent (Cambridge 1930) 485-497.

Introductio: Quis sit quaestionis status, scil. qua via et quibus mediis concordia inter christianos redintegrari possit. I. Collatione, non disputatione cum novatoribus opus est, et quidem in concilio nationali, non exspectato concilio universali Tridentum convocato. II. Controversia non est de articulis fidei in symbolo apostolico contentis, sed de aliis quibusdam cum illis connexis, praesertim de ss. sacramento, et de abusibus, qui temporis cursu in ecclesiam irrepserunt. III. Non sunt audiendi, qui dicunt controversiam tolli non posse, propterea liberam cuique facultatem esse dandam credendi quid velit. IV. Nec capitali poena plectendi sunt dissidentes, ut antehac factum est. Quod suadent exempla SS. Augustini, Martini Turonensis, Ambrosii et aliorum.

Frankreich Büschel n. 92b

Non hic iam quaeritur, utrum deliberandum, an causae religionis in ordinem redigendae et reformatio instituenda. Non enim rationes solummodo, sed et incumbens extrema necessitas hoc ~~exigit et nos eo~~ compellit, et ea quidem gemina: tam enim gloria Dei, quam ante omnia promovere et conservare debemus, quam pax et tranquillitas huius regni et conservatio omnium statuum et ordinum eiusdem hoc postulant. Sed de medio et remedio, quod ad hanc ordinationem et reformationem constituendam commodissimum sit, quaestio est.

Videtur autem mihi ad concordiam christianam et reformationem ecclesiae necessariam haec ratio commodissima, et quae ad executionem harum rerum plurimum faciat vel causas saltem huius dissidii et schismatis e medio tollat. Quod ad ~~unitatem et~~

[1] Ergo auctori refutatio Naumburgensis iam erat nota. Cfr. supra p. 455 adn. 1. Monita illa Caesaris quae pontifici *superiori anno* (i. e. 1560) transmiserat, vide *Conc. Trid.* VIII 39-51.

[2] Hoc «Memorandum» Caroli Guisii cardinalis ad principes Germaniae protestantes destinatum denuo hic imprimendum duximus, et quia concilii nationalis Poissiacum convocati partes agit, et quia, quid cardinalis ille praepotens de dissidio religionis tum senserit, optime demonstrat. Quoad tempus eius supra indicatum cfr. quae p. 467 adn. 1 et p. 473 adn. 4 dicentur; cetera omnia, quae originem huius scripti attinent, primus editor *H. O. Evennett*, The Cardinal of Lorraine and the Council of Trent (Cambridge 1930) in cap. VIII: Eirenicon (p. 235-282, praesertim 264-276) optime illustravit, ex quibus hoc solum animadvertendum, Guisium in componendo tractatu a Claudio Espencaeo esse adiutum.

concordiam attinet, tantopere illam commendat sacra scriptura, ut nihil illa prius sit aut superius, et symbolum fidei, quam profitemur, hoc tenet, quod unam tantum agnoscamus ecclesiam; quod quidem contra schismaticos ita interpretati sunt, quod ecclesiae unitas simplicissima vocata sit. Et hoc ex libris A u g u s t i n i liquido apparet, et si cui liberet legere, quae bonus et sanctus vir de unitate ecclesiae adversus Donatistas conscripsit [1], copiosius inveniet rationes expositas, quae concordiam et unitatem nobis hodie etiam promovendam commendant, si quando de ecclesia et religione mentio fit. Vult etiam A p o s t o l u s, ut nulla inter nos schismata sint aut ferantur [2], sed ut unam fidem et unum baptismum habeamus [3]; testatur etiam, quod Deus non sit Deus confusionis, sed pacis [4]. Et si accuratius considerentur omnes consequentiae et eventus, nihil certius est, quam concordiam, de qua mihi sermo est, in primis necessariam esse non solum ecclesiae, sed etiam reipublicae causa.

Possent haec latius per omnes circumstantias explicari et illustrari omnibus historiis, sententiis veterum et virorum prudentum, nec non commodis et fructibus, quos unitas secum fert, et e contra ingentibus malis ac detrimentis, quae schismata et dissensiones comitantur tamquam radicem omnium dissipationum. Sed haec cuiusvis iudicio, quod vera haec esse testabitur, relinquo et simpliciter iudico et in hanc sententiam eo (quod quidem conscientia nostra nos docet et talem confessionem extorquet), quod, quemadmodum unica tantum est vera religio, ita nullam aliam ferendam aut tolerandam, et quemadmodum omnes in nomine Ihesu Christi baptizati sumus et Christo nomen dedimus, ita necessarium est, ut omnes in ipso unum simus et in una ecclesia eius. Et quemadmodum olim imperator Zeno ἑνωτικὸν publicavit [5], ita et nos multo magis flagitemus; nescio enim quod falsum et perniciosum schisma interim.

Dixi me intelligere s a n c t a m et c h r i s t i a n a m unitatem, alias enim nihil aliud esset quam malignum conciliabulum et scelesta coniuratio. Contenderunt olim Arriani et alii haeretici, quorum praecipua fuit potentia, nullam aliam esse ecclesiam praeterquam ipsorum, et voluerunt, ut omnes ipsorum instituta approbarent et sectarentur, neque quicquid aliud celebrarent quam unitatem. Quibus recte responsum fuit necessarium esse, ut haec unitas in Christo sit, alias enim nihil aliud esse quam latronum aut praedonum societatem. Ad hunc modum respondit ipsis S. H i l a r i u s in libro de synodo a principio [a] [6].

I.

Caeterum, ut christiana et sancta unitas et concordia ineatur, necessitatem postulare dixi, ut de reformatione necessaria consultetur vel causae saltem dissidiorum removeantur et tollantur. Ut autem illud obtineatur, cognitio causae imprimis necessaria est, hoc est, utrum iure fiat vel iniuria, quod in negotio religionis hoc tempore discordes sumus atque distracti. Verum ut ad causae cognitionem pervenire possimus, certum est sententiarum o p u s e s s e c o l l a t i o n e. Non dico disputationem necessariam esse; video enim, quem finem sortiantur acutiores, odiosae et rixosae disputationes, praesertim, si mysteria nostrae religionis attingantur. Scio legem tales disputationes et quidem probabilibus rationibus vetare [7]. Memini etiam divum H i l a r i u m et alios prudenter dixisse et scripsisse, cum de Arrianis (qui disputationes petebant et urgebant) verba facerent, quod theologiam in artem transformaverint et in tecnologiam verterint, T h e o d o r e t u s de fabr. haeret [8]. Nec mihi excidit, quid A u g u s t i n u s sentiat, cum de hac re mentio incidit, nimirum quod Donatistae omnem collationem subterfugientes et reiicientes disputatorem eum vocabant. At bonus ille vir affirmat [9] ordinariam et optimam rationem esse disputationis, eam videlicet, quam nos collationem vocamus. Et quidem non negaverim, nisi causa tam esset distracta, late patens atque aestuans, satis mihi esset unicum et simplex exemplum proponere et quidem vetustum,

[a] *Cod.* principe

[1] Librum de unitate ecclesiae (*Migne* 43, 391-446) non esse Augustini *K. Adam*, Notizen zur Echtheitsfrage der Augustin zugesprochenen Schrift de unitate ecclesiae: Theol. Quartalschrift 91 (1909) 86 sqq. demonstrare nititur.

[2] Cfr. *1 Cor.* 1, 10.

[3] Cfr. *Eph.* 4, 5.

[4] Cfr. *1 Cor.* 14, 33.

[5] Scil. ut Chalcedonenses et Monophysitas conciliaret; textum vide apud Evagrium Scholasticum, Hist. eccl. III 14, *Migne gr.* 86, 2619 sqq.

[6] Nil huiusmodi *S. Hilarius* in libro suo de synodis (*Migne* 10, 479-546) habet.

[7] Leges imperiales colloquia cum haereticis prohibentes collegit *C. Brunus*, De haereticis (Maguntiae 1549) lib. III c. 14 (p. 195 sq.).

[8] Videtur legendum, de fab[ulis] haeret[icis], i. e. Haereticarum fabularum compendium, ubi tamen Theodoretus Cyrensis de Arianis (l. IV c. 1 sqq.) agens de S. Hilario mentionem omnino non facit.

[9] Contra Cresconium Donatistam IV c. 3 n. 3, *Migne* 43, 548 sq.

cuperemque ex animo hanc controversiam benigne et amice componi; exemplum, inquam, quod Eusebius lib. VII cap. 24 commemorat[1], repetens ea, quae bonus ille et antiquus episcopus Dionysius Alexandrinus de se ipso litteris mandavit, cum incideret controversia componenda, quae in diocesi eius exorta fuerat. Optandum sane esset et processus et conclusiones omnium collationum in causa religionis tales esse.

Quod autem attinet ad quaestiones hoc tempore agitatas, tam graves et eo progressae sunt, ut, si unquam concilio opus fuit, certe hoc tempore opus sit. Quod quidem in gravioribus negotiis religionis ordinarium et utilissimum remedium habitum fuit, sed plerunque accidit, ut cum bonam et aequam viam iuris expetamus, tot exceptiones, revisiones et remissiones interveniant, ut ne [ad] principium quidem veniri, nedum ad finem perveniri possit. Quadraginta nunc anni sunt, quod nobis concilium promissum et a nobis exspectatum est, et fama fertur papam Tridentinum concilium continuare velle[2]. Credo autem constare plerisque, quid agatur, et quod alio remedio opus sit. Nolo iam commemorare longius, quod plerique vident et intelligunt, sed hoc iam mihi in mentem venit[a], quod divus Augustinus de Donatistis scribit[3]: Hoc agunt in conciliis, ut nihil agatur.

Dicitur de nescio quo generali[b] concilio. Et quidem primum concilium, Nicenum inquam, talem finem sortitum est, ut merito nomen, memoriam et authoritatem generalium conciliorum magnifacere et revereri debeamus. Non autem talis nobis est hoc tempore monarcha, qualis fuit Constantinus, ut nobis tale concilium, quale Nicenum fuit, persuadere aut sperare possimus, neque in nostra Europa talis princeps est, cuius sit nationes convocare. Quid igitur?

Alterum concilium generale dictum Constantinopoli celebratum et ab imperatore Theodosio convocatum[4], qua ratione generale fuit, cum tamen occidentales non interfuerunt, ita ut praecipua pars christiani orbis desiderata sit; fuit autem generale, quod attinet ad alteram partem, orientalem videlicet. Nec quidquam earum rerum pratermisit Theodosius propter absentes occidentales, qui ipsi subiecti non fuerunt, quas in oriente constituere potuit ac debuit. Interea et occidentales secuti exemplum eius suum peculiare concilium celebrarunt[5], et cum tandem omnia in commune conferrentur, medium hoc fuit et via constituendi ordinem in ecclesia. Et quod maius est: Cum eo ipso tempore in Italia episcopus Romanus res omnes ad concilium adornaret, non intermisit divus Ambrosius, episcopus Mediolanus, cum vicinis suis parvum concilium Aquileiam convocare propter Arrianos superstites, quorum caput Palladius quidam erat, ut cum ipso sententiae conferrentur. Cui cum omnium nomine respondendum esset, hac declinatoria usus est dicens, quod hic non esset perfectum, integrum et generale concilium. At divus Ambrosius talia nihil moratus concilium continuavit[6]. Consideratio eius historiae et exempli satis nos docet, quid hoc tempore facere et possimus et debeamus, quibus maiores causae incumbunt et urgent.

Neque iure dici potest non licere conciliis nationalibus tractare de causis religionis. Quid enim iis, qui sic loquuntur, constet de vetustis conciliis, ignoro; sed ut ex propinquo rem petam, non debuisset huiusmodi homines cepisse oblivio concilii Arausicani in nostra Gallia, quod non ita multo post mortem Augustini celebratum fuit[7]. Quod quidem concilium, sive nationale sive provinciale appelles, sua contra Pelagianos decisione satis testatur, quod non minus iudicii habuerit quam pleraque concilia generalia.

[a] *Cod.* fuerit [b] *Cod.* generale

[1] Narrat l. c. Eusebius Dionysium Alexandrinum librum Nepotis de regno Christi in terris agentem *convocatis presbyteris ac doctoribus, qui per singulos vicos fratribus praedicabant, praesentibus item fratribus, qui voluerant* tres continuos dies cum ipsis sedentem refellisse, ita ut signifer doctrinarum falsarum polliceretur *se imposterum hanc opinionem amplexurum non esse. Migne gr.* 20, 695 sq.

[2] Bulla indictionis *Ad ecclesiae regimen* iam 29. Novembris 1560 erat edita, *Conc. Trid.* VIII 104 sqq. G. ergo sine dubio his verbis *fama fertur* indicare voluit se valde de pontificis intentionibus quoad concilium dubitare.

[3] Cfr. Ep. 141 c. 3, *Migne* 33, 578.

[4] Cfr. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen I (Paderborn 1897) 58 sq.

[5] Concilium, quod auctor allegat, Romae anno sequenti, scil. 382, a Damaso papa celebratum est, *Mansi* III 639 sqq.; *Hefele* II 37 sqq. *E. Caspar*, Geschichte des Papsttums I 239.

[6] Acta synodi Aquilegiensis a. 381 celebratae vide *Mansi* III 599 sqq. S. Ambrosius hanc synodum minime, ut cardinalis opinatur, sine consensu Damasi papae convocavit, cuius literas ipse in consessu recitavit, ita ut a Palladio «clientulus» episcopi Romani appellaretur, *P. Batiffol*, Le Siège Apostolique[3] (Paris 1924) 27 sqq.; interpretatio textus proposita a *A. v. Campenhausen*, Ambrosius v. Mailand als Kirchenpolitiker (Berlin-Leipzig 1929) 108 sqq. torta est.

[7] In veteribus conciliorum editionibus (ex. gr. in Coloniensi a. 1551 vol. I p. 627 sqq.) et a Baronio (Ann. eccl. ad a. 463) concilium Arausicanum II a. 529 celebratum temporibus Leonis I adscriptum est. Vide notas Binii ad acta *Mansi* VIII 720, canones ipsos apud *Denzinger-Umberg*[14-15] n. 174-200.

Quia igitur rex episcopos ecclesiarum Gallicarum convocavit, ut ad diem 20. Iulii hic comparere debeant[1], nihil aliud requiritur, quam ut congregatio et synodus illa autherisetur, ut potestatem et pondus habeat, et ut adhibeantur, qui idonei sint et apti ad procurandum hoc, quod summa postulat necessitas. In hoc igitur res consistit, ut, si negotium instituendum et dirigendum est, quemadmodum oportet, adeo brevis est terminus et fortassis adeo celeriter fiet resolutio, ut iam non admodum necesse sit aliter causam prospicere.

Ultro autem fateor summam postulare necessitatem providere, ut resolutio eo modo, quo par est et conveniens, fiat, et totus processus ita reguletur, ut Deus agnoscatur praeses[a], et finis[b] seu exitus ita se habeat, ne opus sit rem retractare et actum agere. In summa ut negotium ita agatur et processus tam plani et iudicium ita fundatum sit et evidens, ut, qui hinc appellare conarentur, temeritatis et imprudentiae convinci possent. Addo, ut haec omnia eo modo fiant et dirigantur, qualem res ipsa exigit et requirit. Fieri autem potest, ut aliquando celerius concludatur ad providendum praesenti necessitati et ad tollendas causas dissidiorum, quae regnum hoc perturbant, et una ad satisfaciendum conscientiis, siquidem eis[c] tempestive occurrere volumus (quod faciendum est), quod iam maxime est necessarium. Verum ut recte iudicetur, adiungendum est, quod Constantinus in concilio Niceno et Theodosius in Constantinopolitano proposuit, cum leges ferre et monstrare vellent, qua ratione in causa religionis controversa decidendum sit[2]. Ubi igitur, ut convenit, horum amborum sententiis et aliorum usi fuerimus, sperandum est, reformationem cito inveniri posse, quae nos in causa religionis reconciliet.

II.

Deo laus et gratia: Omnes confitentur et profitentur hodie summarium fidei, quod symbolum apostolorum vocant, atque ita conveniunt et consentiunt cum praecipuis articulis christianae religionis. Quod quidem non parvum initium est ad christianam conciliationem. Cum enim in hoc consentirent veteres christiani, videbantur sibi praecipuum et, quod unitas ac concordia requirebat, consecutos esse. Nihil aliud enim, si res per se consideretur, hactenus multis saeculis controversum est.

Inter nos hoc tempore controversia est de iis, quae his adhaerent, et praecipue discordes sumus de administratione huius doctrinae. Cum igitur utraque pars in hoc conveniat et veteris ecclesiae honorem exhibeat, et primitiva illa ecclesia memoriam et rationem talium ceremoniarum et rituum reliquerit, et nobis videre liceat, qualis fuerit prima institutio multarum rerum, et qui abusus secuti sint, magnum et bonum medium habemus iudicandi de eo, quod aut retinendum aut reiiciendum sit. Verum quidem est, quod non solum consideranda sit ratio et forma veteris ecclesiae, quae a tempore apostolorum plus minus annos ducentos tamquam in servitute sub dominio et potestate ethnicorum tyrannorum fuit, sed etiam habenda est eius status, qui interea in libertate principum christianorum tempore etiam annos plus minus ducentos fuit, et qualia sint tempora praesentia, considerandum est, et quid de hac sancta vetustate reliquum habeamus recti et integri, et quid corrupti et quos abusus. Et semper in priori gradu authoritatis ponendum est, quod nobis commendarunt apostoli.

Praecipua causa, de qua iam litigamus, sacramentum est, et de iis, quae sacramento adhaerent. Et quemadmodum in ecclesiis nihil magis in usu est, ita nihil est, ob quod magis scindimur et distrahimur, cum tamen illud sacramentum ad hoc institutum sit, ut concordes vivamus. Miserandum sane, ut id, quod institutum est, ut concordes simus, iam maxima causa sit gravissimorum dissidiorum et discordiarum. Eo igitur diligentius inspiciendum est, undenam haec oriantur, vel saltem intelligamus, quid controvertatur. Controversia est[3] partim de communicatione corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi, praecipue autem de transsubstantiatione, de adoratione, item ut sacramentum reservetur et includatur et ut circumferatur, de missis privatis, de invocatione sanctorum, intercessione pro mortuis,

[a] *Praeferendum mihi videtur lectio* praesens [b] *Cod.* fines [c] *Cod.* ei

[1] Episcopi litteris regiis 12. Iunii datis Lutetias Paris. vocati erant, *Le Plat* IV 704 sq.; vide Lettres de Cathérine de Médicis ed. *La Ferrière* I 191 sq.; *I. Šusta,* Die römische Kurie u. das Konzil v. Trient I 203.

[2] Vide « epistolam Constantini imp. ad Alexandrum Alex. ep. et Arrium haereticum », quam ex Hist. trip. I 19 editio Coloniensis conciliorum I 246 desumpsit; item *ibid.* I 408 sq. ex Hist. trip. IX 19 narrationem « Quomodo Theodosius examinatione facta haereticorum omnes expulerit etc. » *Migne* 69, 918 sq. 1136 sqq.

[3] Mirum est cardinalem praecipuarum de eucharistia controversiarum, scil. praesentiae realis et, an missa sit sacrificium, mentionem non facere.

et qua lingua in ecclesia utendum sit, et de aliis huiusmodi, quae ad ea pertinent, quae in ecclesiis, ubi convenitur, aguntur et docentur.

Haec omnia diligenter ponderentur incipiendo ab antiquitate, a Christo et apostolis et quemadmodum deinceps servata sint. Consideretur debita reverentia, discretione et iudicio, quorsum interea res redierit, [et] s[t]atim abusus et error deprehendetur. Postquam autem malum agnitum et confessum est, necessario tollendum est, quod quidem eo facilius est factu, cum malum utriusque partis consensu est damnatum.

Mirum profecto est his temporibus, quod multi agnoscant et confiteantur abusus et nihilominus defendant, ac si optimi essent. Hoc ipsum est, quod honestis et synceris hominibus valde dolet, ita ut aliter iudicare non possint, quam quod huiusmodi homines, qui talibus rebus ludunt et se oblectant, omnem religionem ludibrio habeant, atque ita coguntur de aliis rationibus dispicere. Quia igitur in rebus politicis non ferimus, ut nostra mandata irrita sint et executione careant, vel ut sententiae nostrae et decreta iudicialia contemnantur: quid igitur de his dicemus, qui in ecclesia earum rerum, de quibus ipsi cognoverunt et sententiam tulerunt, executionem impediunt, quemadmodum a Deo et per leges sancitum est[1]?

Antequam autem de executione dicamus, controversiam prius distinguemus. Potest controversia esse aut de rebus ipsis, de quibus sermo est, vel de personis, quae invicem litigant; de his personis, inquam, quae parere non volunt [!] et tam longe suis passionibus et affectibus abducuntur, ut etiam contra suam ipsarum conscientiam pugnent; taceo, ut verum fateantur id, cuius convincit eos conscientia. Tales fere fuerunt primi auctores schismatum, quae primitivam ecclesiam valde exercuerunt. Sed huiusmodi homines ad hanc sententiarum collationem, de qua loquimur, admittendi non sunt. Debent etiam excludi turbulenti et partibus addicti, qui autores sunt rixarum et schismatum et fovere[a] illa cupiunt etiam inter se ipsos, qui tamen facile inter se convenire possent.

Incidit mihi hoc loco, quod nobis ecclesiastica historia commemorat. Fuit aliquando acerrima contentio inter Cyrillum episcopum Alexandriae et Iohannem episcopum Antiochenum, qui tum temporis praestantissimi episcopi in ecclesia erant. Unusquisque suas habebat rationes et sectatores, alter alterum excommunicabat et anathematizabat. Peperit hoc deplorandum scandalum nec quicquam profitebatur ad reconciliationem vel conciliis vel aliis quae suscipiebantur rationibus. Simulatque autem ambo convenissent et invicem collocuti essent neque fidem adhiberent amplius iis, qui ipsos invicem concitaverant, reconciliati sunt magno gaudio et applausu ecclesiae[2].

Ut autem huius[modi] fraudes et doli praecaveantur, necesse est, ut haec collatio sententiarum non similis sit actioni partium litigantium, sed tamquam deliberatio et consultatio inter iudices.

Accedamus igitur ad difficultatem, quae in ipsa causa controversa est. Quod in hac causa difficillimum est, pertinet ad articulos sacramenti cum iis, quae adhaerent et ante commemorata sunt. Videtur autem non usque adeo difficile esse iudicare, ut putatur, modo nos ratione supradicta informemus. Verum ne in aërem loquamur, sed ut experiamur, utrum res ita se habeat, negotium consideremus et introspiciamus paululum, ut appareat, quid de felici exitu sperandum sit. Quod attinet ad commemoratos articulos, audimus et videmus ex scriptis apostolicis, actis ecclesiasticis, ex historiis, ex sententiis et decretis veterum patrum, quibus semper et ab omnibus christianis honor habitus fuit, quam inde resolutionem petere possimus, quae igitur difficultas restat in iudicio et executione.

His itaque compositis, maxima causa dissidiorum sublata est et parata via, ut unanimes simul dominum Deum nostrum invocare, bona et quieta conscientia ei servire, amice et pacifice vitam agere possimus, et deinde plenam ac integram reformationem prae manibus sumamus, talem, inquam, qualis in hoc saeculo inter homines sperari potest. Scio equidem illam uno momento obtineri non posse; verum aliquid et multum sane est, si modo incipiamus et viam struamus.

[a] *Cod.* favere; *vel legendum* favere illis

[1] Alludere videtur hic cardinalis ad contentiones, quae de executione decretorum concilii Tridentini in Hispania et Lusitania praesertim ortae erant. Cfr. *H. Iedin*, Kirchenreform u. Konzilsgedanke: Hist. Jahrbuch 54 (1934) 411 sqq.

[2] Reconciliatio inter Cyrillum et Ioannem post concilium Ephesinum per nuntios et litteras est facta, sine colloquio partium (*Hefele* II 266 sqq.), mediante etiam Romano pontifice, ut exponit *E. Caspar*, Geschichte des Papsttums I 415 sqq.

III.

Multi sunt, qui, ne rem aggredi cogantur, sed declinent, affirmant controversiam esse leviorem et indignam, cuius ratio habeatur, alii autem tanti esse momenti, ut impossibile sit eam componi. Et ut brevibus dicam: in hac sententia sunt huiusmodi homines negotium religionis omittendum et unicuique permittendum liberum de ea sentiendi, quidquid libeat. At mihi videtur has opiniones mirificas esse et alienas, et memini veteris dicti: Malum est sub principe esse, apud quem nihil liceat, peius autem est sub tali principe esse, apud quem omnia liceant. Nihil igitur iuvant tales extremitates, sed malas consequentias secum trahunt. Nullam omnino rationem habet, si dicatur controversiam eam, quae nunc agitatur, nullam esse vel adeo levem, ut non necesse sit principes et gubernatores eam tractare. Versamur enim in discrimine maximi, quod unquam fuit, schismatis, hoc est, quod invicem scindimur ac contrarias opiniones et ceremonias recipimus, ex quo sequetur id quod quisque ante oculos quasi videt. Probatior ratio esset, si diceretur causas religionis ita esse confusas et intricatas, quod nulla supersit spes concordiae, sed quod de ea tamquam de morbo incurabili desperandum et fortunae committendum sit. Hoc autem talem prae se fert speciem, ac si hi, qui talia spargunt, sibi ipsis in hac desperatione placerent et nimis parum ea curarent, qua[e] nobis ante omnia commendata esse deberent.

Verum quidem est, quod eo tempore, quo Theodosius imperator in oriente coepit ecclesias valde turbatas reformare [1], confessi pii episcopi et scriptis testati fuerint, quod haec reformatio esset instar remedii, quod morbo inveterato et, qui profundas egisset radices, adhiberetur; propterea non solum experto medico et magna industria et labore, sed et longo tempore ac spatio opus erat. Nihilominus tamen facere noluerunt, quod olim fecerunt, qui infirmos suos ad plateas deferebant et praetereuntibus commendabant, quod proprie dicere possumus deponere, hoc est omnem curam et onus abiicere [a]. Sed nihil tam grave fuit, quod desperationem peperisset vel impedivisset, quominus rem aggrederentur, ita ut tandem re ipsa, quod petierunt, consecuti sint.

Fateor quidem, quod excusationem mereamur, quando omnia facta sunt, quae possibilia erant factu, quamvis non obtineatur, quod quaerebatur, quemadmodum medicus, qui morbo incurabili et lethali mederi non potuit, vel bonus nauta, qui tempestate submersus est; quid aliud dicere possumus, si forte accidat quod olim praestantissimus poeta de bello scripsit [2]:

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
Addunt se in spatia et frusta retinacula tendens,
Fertur equis auriga nec audit currus habenas.

Nescio, utrum hac ratione Caesar Valentinianus excusandus sit, qui sane christianus fuit princeps, sed quam vehemens et acer prius fuit, antequam Caesar crearetur, tam remissus et mollis in imperio fuit et religionem omnibus liberam reliquit, fortassis eo tempore, cum impossibile existimaret alia ratione causae mederi, atque ita permisit [b] ethnicis, Iudaeis, gentibus suo agere arbitrio [3]. Quamvis ipsum divus Ambrosius ex parte excuset, utpote quod imperator non omnium eorum, quae ille agebat, conscius fuerit [4].

Verum quidem est, cum christiani olim praeter omnem aequitatem gravissimas persecutiones sustinerent, ita ut nullum aliud medium ad conservationem suorum novissent, aliquoties petierunt talem sibi concedi libertatem, qua usi essent veteres, et ostenderunt religionem cuique liberam permittendam. Talis est informatio et petitio Athenagorae, Tertulliani, Lactantii, quam ad gentes perscripserunt [5]. Talia etiam sunt postulata Athanasii et Hilarii ad Arrianos, qui praecipui erant apud Caesarem Constantium et crudelius grassabantur quam antea tyranni ethnici [6]. Et tolerabilius sane est talem concedi libertatem, quam ut falsa religio defendatur et conscientiae hominum ad eam vi adigantur.

[a] *Cod.* adjicere [b] *Cod.* promisit

[1] Scilicet edicto suo « Cunctos populos » a. 380 edito et sequentibus actis contra Arianos, quae patres synodi Aquileiensis laudibus extollebant. Cfr. *I. Wittig*, Die Friedenspolitik des Papstes Damasus I (Breslau 1912) 160 sq. 187.

[2] *Vergilius*, Georg. I 512 sqq. (*Ribbeck* 45).

[3] Cod. Theodos. IX, 16, 9 (*Mommsen-Meyer* 462).

[4] Ep. 17 n. 16, *Migne* 16, 965.

[5] Cfr. *Athenagoras*, Legatio pro christianis c. 1, *Migne gr.* 6, 889 sqq.; *I. Geffcken*, Zwei griechische Apologeten (Leipzig-Berlin 1907) 161 sq.; *Tertullianus*, Ad Scapulam c. 2, *Migne* 1, 699.

[6] *Athanasius*, Historia Arianorum ad monachos c. 33, *Migne gr.* 25, 279 sqq.; *Hilarius*, Ad Constantium Augustum I 2, *Migne* 10, 557 sq.

Non autem iam quaeritur, utrum inter haec duo extrema eligendum [sit]. Multo minus in medium adducam exemplum christianorum principum et episcoporum, qui Novatianis olim omnem libertatem et impunitatem in ipsorum secta concesserunt [1]. Haec omnia ad tempus facta sunt, cum Arriani, Manichei, Macedoniani, qui multo crudeliores hostes erant, satis negotii facesserent; ad haec utebantur christiani opera Novatianorum contra supradictos haereticos.

Nolo tamen supprimere in codice Theodosiano legem inveniri, quae imperatori Theodosio adscribitur, quae dat (ut eius verbis utar) potestatem communicandi et colligendi iis, qui secundum ea sentiunt, quae in Ariminensi concilio decreta sunt, ita ut aperte loquendo Arrianis talis libertas detur [2]; concilium enim Ariminense Arrianum fuit [3]. Sed invenio hanc Arrianam legem Theodosio falso et sine ratione adscribi, ideoque merito ex codice Theodosiano tamquam a falsario inserta deleri deberet. Verum maledicta illa lex est, quam Arriana imperatrix Iustina eo tempore Mediolani publicare voluit. Sed reiecta est, et cancellarius subscribere vel obsignare noluit et citius officium suum et statum amittere voluit, quam legem hanc approbare [4].

Verum quidem est: in controversiis religionis non satis laudari potest moderatio, facilitas et benignitas principum et gubernatorum; sed propterea non omnino laxandi sunt freni. Novi quidem Donatistas olim in hac fuisse sententia; contra vero non ignoro, quodnam responsum tulerint. Legere hoc licet in libris Optati Milevitani de schismate Donatistarum [5] et in libris divi Augustini, qui post Optatum fusius et copiosius de hac re scripsit [6].

IV.

Caeterum intelligo diligenter providendum, ne erretur, praesertim cum audiamus multos praestantes et conspicuos homines esse, qui interrogati, qua ratione praesens controversia componi et tolli possit, respondere audent vi obtinendum, ut in possessione maneant, et illam retinent igni et ferro delendos, quemadmodum antea quoque eos, qui cum ipsis non consentiant. Quia autem haec sententia admodum periculosa est, expendamus eam atque examinemus.

Dominus Cancellarius [7] in propositione optime et prudenter demonstravit mala et morbos nostrae reipublicae, de quibus nunc agitur, exquisita et efficaci cura opus habere — magna enim sunt, — et quod externa et corporalia media, quae antea magna severitate adhibita fuerunt, nihil profecerint; necessarium igitur esse, ut mitiora, imo spiritualia et interiora remedia prae manibus sumantur, quae etiam huic morbo maxime conveniunt. Mirandum igitur est, quod multi, apud quos vetus consuetudo, in qua educati sunt, perrexerit [a], in ea sententia perseverant haereticos comburendos, hoc est eos, qui hoc tempore recesserunt a forma religionis in hoc regno usitata.

[a] Cod. sese excerit

[1] Ex. gr. cfr. Cod. Theod. XVI, 5, 2 (*Mommsen-Meyer* 855) et quae *Socrates*, Hist. eccl. V 10 (*Migne gr.* 67, 593 sq.) de Theodosii conniventia erga Novatianos refert.

[2] Cod. Theod. XVI, 1, 4 (*Mommsen-Meyer* 834).

[3] Vide *Hefele* I 701 sqq. (359).

[4] Hanc opinionem Francisci Balduini iurisconsulti esse iam *Evennet* l. c. animadvertit. Ille etenim in libro suo « De institutione historiae universae eius cum iurisprudentia coniunctione » (Parisiis 1561) refert se legem illam legentem statim ut attonitum obstupuisse. *Memineram enim, quale fuisset illud Ariminense concilium et quam ab eius decreto captioso abhorreret religio Theodosii atque adeo ecclesia catholica et orthodoxa; et quo illius historiam et acta mecum magis reputabam, tanto magis suspicabar illam constitutionem non esse Theodosii. Imo vero impiam esse minimeque in libros legum referendam sentiebam.* Deinde narrat Balduinus in mentem sibi venisse, quod historia de Iustina imperatrice refert, *quae in gratiam suorum Arianorum abutens filii sui Valentiniani nomine, talem legem ferre voluit et tulit.* Revera Iustina, Valentiniani I secunda uxor, Ariana erat Arianisque favebat, contra quam S. Ambrosius Ep. 20 et 21 invectus est (*Migne* 16, 1036 sqq.); cfr. *Socrates*, Hist. eccl. V 11 (*Migne gr.* 67, 595 sq.) et *Sozomenus*, Hist. eccl. VII 13 (*Migne gr.* 67, 1447 sqq.), ubi etiam historiam Benivoli scriniorum praefecti invenies, qui legem supradicti tenoris dictare recusavit. De legibus imperatorum Constantini, Ioviniani, Valentiniani et Theodosii in favorem haereticorum eo ipso tempore scil. Iunio-Iulio 1561 disseruit *Claudius de Sanctis* in libro suo « Ad edicta veterum principum de licentia sectarum in Christiana religione » (Parisiis 1561) c. 8: *Quibus rationibus aliqui catholici principes sectis libertatem permiserunt* (f. 32r-36v); qui liber card. de Lotharingia ab auctore est dedicatus.

[5] L. c. III 3, *Migne* 11, 999 sqq.

[6] Ep. 185 c. 7 n. 25-28, *Migne* 33, 804 sqq.; cfr. *P. Batiffol*, Le catholicisme de Saint Augustin⁴ (Paris 1929) 277 sqq.

[7] Michael Hospitalis cancellarius in conventu trium ordinum regni Idibus Decembris 1560 aperto orationem habuit, in qua *ut medici filius exemplis a medicis sumptis lubenter usus est: Boni medici officium esse, non solum ut dolorem ex morbo conceptum, sed potius ut morbi causam tollat; alioquin recidivus morbus gravior nonnumquam redit. Fr. Belcarius*, Rerum Gallicarum commentarii XXIX 12 (Lugduni 1625) 952.

Primo dicere liberet experientiam, quae etiam stultorum magistra est, satis nos docere posse, quod hoc remedium non sit idoneum ad eradicandos eos, quos haereticos vocamus, quorum numerus interea crescit et auctus est. Verum ad hoc mihi respondebitur meum argumentum non esse sufficiens ad reiiciendum remedium praedictum; idem enim et de furibus et praedonibus dici posse. Cui dixero impossibile esse hoc tempore tantam multitudinem populi extirpare [1] et coniectu facile esse, quid secuturum sit. Si hoc tenetur, respondetur ac replicatur me tantum inconveniens allegare, non autem sufficere hoc, ut propterea bene deliberata consultatio et sententia contemni debeat, quia executio aliquando difficilior est, cum tamen in deliberationibus criminalibus huiusmodi consultationes nunquam spretae sint. Propterea his insistere et inniti nolo.

Sed duo capita sunt, quae nobis ob oculos ponunt aequitas, iustitia et leges. Primo disputatur et adhuc quaeritur, utrum ii, de quibus loquimur, haeretici sint vel non. Deinde si per omnes circumstantias ponderatum et definitum sit esse haereticos, expendendum deinceps est, utrum poena erroris alicuius et falsae opinionis, hoc est haereseos, corpori et vitae irrogari debeat.

Quod ad primum attinet, respondetur mihi constare hoc et satis determinatum esse, quia res sit saepe iudicata. Sit sane ita. Sed ab hac nostra definitione provocaverunt et obiiciunt nobis hanc propositionem: Nos errasse. Quia igitur multa et varia sunt iudicia et quidem [a] diversa, remissionem petunt, quam denegare ipsis non possumus, praesertim cum definitio haereseos, quae per leges et veterem ecclesiam nobis proponitur, non eam speciem prae se ferat, quod illos comprehendat et ad ipsos spectet [2]. Et profecto ea, quae prius attigi, et quaedam capita controversiae, quae supra deduxi, satis ostendunt non sine causa aut praeter aequitatem multis rebus, quae nunc in usu sunt, contradici. Ubi alias ad examen ventum fuerit, manifeste et liquido cognoscere licebit, in quibus erratum et abusus irrepserit.

Quod ad alterum articulum attinet, dico, etiamsi haereses essent, tamen, quatenus in erroribus et opinionibus religionis versantur, non licere nec per leges nec per rationes in eas extremo supplicio animadvertere [3]. Non loquor hic de atheis et blasphemis, qui contra suam ipsorum conscientiam pertinaciter Deo rebellant, neque enim ignoro, qua poena isti digni sint, fateorque sceleratos istos impostores, qui sub praetextu religionis seditiones et tumultus movent, qui latrocinia exercent et aliena rapiunt aliaque crimina designant ab ipsis legibus damnata, pari modo supplicio afficiendos esse. De simplici haeresi aliis sceleribus non gravata mihi sermo est, quae tantum in falsa opinione absque dolo malo et fraude consistit, sed tantum cor hominis totum possidet. Atque hic citare possem condicionem illam, quae omnibus legibus addi solet crimina vindicantibus [4]: *Si sciens dolo malo* fecit. Sed ad species descendamus et consideremus, quid principum christianorum leges et veteris ecclesiae iudicia hac de re statuant. Metaphora, qua D. Cancellarius usus est [5] de aegroto et medico, saepius in ore christianorum fuit haeresibus grassantibus; sed barbarum et crudele remedium est, quod non sanat, sed occidit. Obiici mihi posset corpus, non membrum aliquod curandum esse. At si ratio iniri posset, quod utrumque servaretur, non video, quare ea utendum non sit.

[a] *Cod.* quaedam

[1] Iuxta *L. Romier*, Les origines des guerres de réligion II 251 anno 1558 tertia pars regni ab ecclesia catholica se averterat. *H. Languetus*, Epp. secretae II 138 dicit a. 1561 ex 17 provinciis esse *tantum tres, quae in religione nihil innovandum censeant.*

[2] *H. Languetus* l. c. II 138 (3. Sept. 1561): *Sunt tamen inter ipsos* [scil. episcopos Poissiaci adunatos], *qui dixerint se non habere pro haereticis eos, qui non reiiciant symbolum apostolicum.*

[3] *Claudius de Sanctis*, Ad edicta veterum principum de licentia sectarum in christiana religione (Parisiis 1561) f. 109^r-115^v contrariam cardinali sententiam defendens (scil. haereticos post alias poenas, ut poenam pecuniariam et exilium, etiam supplicio esse puniendos) Sulpitium Severum et Ambrosium de Priscilliani morte agentes aliter interpretatur. Ait enim (f. 113^r): *Non videtur supplicium inflictum potuisse improbari a sanctis Martino et Ambrosio. Nefas enim est magos et maleficos ut convincebatur Priscillianus cum suis,... nefas in Deum prodigiose blasphemos sinere vivere... Illis ergo displicuit, ut fert historia, prius de religione in aula iudicatum quam in ecclesia, prius episcopos principum tribunalibus oblatos, quam ecclesiasticis suffragiis damnarentur aut tentaretur, an flecti possent et emendari.* Et paulo post (f. 114^r): *Peccarunt clementia in haereticos et facilitate, cuius, si vixissent, poenituisset, ut Augustinum, Gregorium Nazianzenum poenituit.* De Sulpitii Severi testimonio haec refert de Sanctis (f. 112^v): *Audivi Severum Sulpitium de Priscilliani historia quasi tabulam absolutionis per domos iudicum aliquorum circumlatum, cum adhuc in Gallia exercerentur iudicia de capite pro religione ex Christianissimorum regum edictis, atque ex ea historia plus damni nostrae fidei quam a Calvino libris et emissariis illatum.*

[4] Ex. gr. l. 44 D. 23, 2, (*Mommsen* 292).

[5] Vide supra p. 470 adn. 7.

Nimis longum esset omnes rationes commemorare, quas veteres in medium adduxerunt ad flectandos nos ad talem moderationem. Sed ad propositum medicamenti divus Augustinus saepius habet hanc propositionem [1]: Haereticos esse velut furiosos, qui sunt ligandi, vel lethargicos, qui sunt excitandi, non autem occidendi. Haec causa est, quod nobis illud displiceat. Et quia sanctus ille vir cum Donatistis et Manicheis pugnans hanc quaestionem plene et tanquam ex professo tractat, dignus est, qui prae reliquis omnibus audiatur, praesertim cum habeat ceteros omnes ipsi consentientes. Fatetur quidem se aliquando in ea fuisse sententia, non invadendos esse haereticos, et quod sufficeret uti verbis et institutione. Postquam autem expectatione cognovit bonum et utile esse post institutionem etiam castigatione uti ad damnandos inobedientes, primam sententiam mutavit [2]. Verum ad eum modum restringit alteram sententiam, ne castigatio sit capitalis, imo etiam sine laesione corporis, et alias se ipsum declarat, quod mallet in priorem sententiam concedere, et quod impunitas hac in parte aequior et iustior sit quam ultimum supplicium. Protestatur etiam palam et aperte malle se ab haereticis (quales tum temporis fuerunt Donatistae) occidi quam eos occidere [3].

Quia igitur divus Augustinus hac in parte valde laboravit, ut criminalium actionum executiones, quando capitales sunt, impediret, non minus recte fecerunt eius aetatis episcopi alii, inter quos praecipui sunt divus Ambrosius et divus Martinus. Et huius quidem historia valde notabilis est et, cum ad Galliam pertineat, eo commendatior nobis esse debet, nec video, quam ob rem illi pro sufficientibus agnosci non debeant. Legantur autem, quae Sulpitius Severus Gallus de S. Martino scripta reliquit [4], et quid divus Ambrosius senserit ac statuerit in epistola quadam ad Valentinianum [5] — taceo iam cetera chronica —, et plus animadvertetur et intelligetur, quam ego hoc loco pronunciare audeam. In summa: Quamvis Priscillianus scelestissimus fuerit haereticus, tamen episcopi, qui occidere eum constituerant in comitiis Trevirensibus authoritate principis Maximi [a] ab ecclesia excommunicati sunt [6].

Si quis autem contentus esse nolit divo Augustino, Ambrosio, Martino, praecipuis tribus doctoribus et episcopis latinae Africanae, Italicae et Gallicae ecclesiae, adducam alios orientales, qui sententiae eiusdem et authoritatis non minoris sunt. Divus Chrysostomus parabolam de zizaniis explicans non satis declarat suam sententiam [7]. Non iam disputo, utrum eius expositio praedictae parabolae ad propositum faciat; hoc unum volo, quod aperte sentiat idem, quod nos affirmamus. Quid de S. Cyrillo dicemus? Iulianus apostata, ut christianos maxima calumnia gravaret, falso dixit, quod eos, qui religionem ipsorum aversantur interficiant. Cyrillus autem respondens illud pernegat et utitur retorsione affirmans adversarios talia facere, quorum christianos falso accusarent [8].

Possem recitare multas praeclaras sententias veterum, qui contra haereticos scripserunt et excommunicaverunt eos, noluerunt autem hoc ad mortem eorum trahi, sed protestati sunt contrarium. Non excidit mihi, [quod] Epiphanius de episcopo quodam recitat, cum mentio fieret de quodam insano scelesto, qui in manus magistratus inciderat [9]. Memini etiam, quid christianus magistratus decreverit non habita ratione sententiae episcopi, et quomodo demonstravit episcopo non procedendum [b] furiose, ut tandem episcopus ex parte agnosceret choleram suam maiorem, quam par esset. Hic cernere licet, quales [se] gesserint viri illi, quos ecclesia veneratur, et quid adhuc mereantur eo nomine, quod cum haereticis ferissimis et insanissimis negotium ipsis fuit.

Obiici mihi posset me tantum verba facere de bonis illis veteribus episcopis, quibus conveniebat mansuetudo, lenitas et commiseratio, et quod consueverint etiam pro raptoribus et furibus intercedere, sed hoc magistratui, qui gladium gerit, adversari. Ad hoc respondeo commemoratos episcopos etiam allegare leges magistratus, quod non sint rigidiores. Replicabitur autem in codice Iustiniano titulos de haereticis duos inveniri, qui mentionem faciant

[a] *Cod.* Maximij [b] *Cod.* praecedendum

[1] Ep. 93 c. 1 n. 2; c. 2 n. 4, *Migne* 33, 322 sq.
[2] Hoc ipse dixit *Augustinus*, Ep. 185 c. 7 n. 25, *Migne* 33, 804.
[3] Ep. 100 n. 2, *Migne* 33, 367.
[4] Dialog. II 11-13, *Migne* 20, 217 sqq.; cfr. etiam Hist. sacr. II 50, *ibid.* 158.
[5] Ep. 24 n. 12, *Migne* 16, 1039.
[6] Cfr. p. 471 adn. 3; accusatores Priscilliani, Ithacius et Idacius episcopi, a sedibus suis remoti sunt.
[7] In Matth. hom. 46 (47) n. 2 (*Migne gr.* 58, 477): *Non igitur prohibet haereticos reprimere, illorum ora obstruere, libertatem loquendi coercere, coetus eorum solvere, pacta respuere, sed occidere vetat.*
[8] Contra Iulianum l. VI, *Migne gr.* 76, 813-816; cfr. etiam Iuliani imp. librorum contra christianos quae supersunt ed. *K. I. Neumann* 199.
[9] Editio Berolinensis cum indice adhuc careat, locum licet quaesitum invenire nobis non contigit.

extremi supplicii [1]. Non autem insistam commemorando et demonstrando, contra quos haereticos hae leges latae sint, sed hoc dicam,quod attinet ad ea, quae ibi de ultimo supplicio inseruntur, falsariam esse additionem, et ut verum esse, quod initio dixi, demonstretur, origo legis, quae in codice Theodosiano est, inspiciatur [2]. Quod autem ad alterum attinet, videantur acta concilii Chalcedonensis; animadvertetur meam admonitionem non esse inanem [3].

Ceterum omissa ista quaestione et, ut redeam ad hoc, quod ab initio dixi, ut de bona concordia constituenda ineatur ratio et ut synodus, quae ad 20. Iulii expectatur [4], sibi bene correspondeat et consentiat, nihil aliud deest, quam ut huic rei occurratur per formulam aliquam, quae huic congregationi praesentari possit, et quae ita se habeat, ut quemvis puderet hinc se facile opponere.

78.

Fridericus Staphylus: Ratschlag an Pabst Pium IV wegen Fortsetzung des Trientischen Concilii [5].

[Mense Sept. 1561].

Ed. a *I. G. Schelhorn*, Ergötzlichkeiten aus der Kirchenhistorie und Literatur II (Ulm und Leipzig 1763) 137-154; 337-359; 469-492. Cfr. inprimis *Th. Sickel*, Das Reformationslibell des Kaisers Ferdinand I vom Jahre 1562: Arch. für österreichische Geschichte 45 (1871) 29 sqq. et *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I. auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 80-85.

Introductio: Quae fuerit occasio scribendi; negligentiam praelatorum principalem esse causam defectionis. I. Tres de concilio quaestiones: 1. Utrum concilium ut oecumenicum continuandum sit an de novo inchoandum, 2. an suspendendum, 3. an continuandum quidem, sed tacito oecumenici concilii nomine, et nonnisi reformationi incumbat omissa disputatione dogmatum. II. Modus procedendi in causa reformationis: 1. Inprimis clero deperditam suam propter malos mores auctoritatem recuperandam esse. 2. Reformentur praesertim capitula cathedralium et monasteria. 3. Alia consilia pro conservanda religione catholica in Germania finitimisque regionibus. III. Modus procedendi in causa fidei: 1. Pro altero indicendo oecumenico concilio alius est investigandus modus concordiam in causa fidei inveniendi. 2. Fundamentum utrique parti commune sit sacrae scripturae textus Graecus LXX. 3. Pro cuius interpretatione inveniendus canon utrique factioni acceptabilis. 4. Duo modi rem tractandi cum protestantibus, directus per Caesarem, indirectus per theologos. 5. Commoda inde emergentia aliaeque quaestiones de altero illo concilio oecumenico.

Post deosculationem beatissimorum pedum et humilimam servitiorum meorum commendationem. Beatissime Pater ac Domine Sanctissime.

Cum nuper essem in aula Augusti imperatoris Ferdinandi, Rev^{mus} D. Delphinus apostolicae sedis nuntius impertivit mihi nomine Sanctissimae B^{nis} Tuae apostolicam benedictionem omnemque gratiam eam, qua solita est sedes apostolica illos complecti, qui utilem aliquam et necessariam navent operam pro defensione catholicae fidei nostrae contra haereses. Hortatus igitur est me eiusdem Beatissimae S^{tis} Tuae nomine, ut strenue constanterque pergam pro virili mea tueri communem catholicae ecclesiae causam, simulque iniunxit, ut,

[1] Cod. I, 5, 5 (*Krueger* 51); Cod. I, 5, 8 (*Krueger* 52).

[2] Revera Cod. Theod. XVI, 5, 65 (*Mommsen-Meyer* 878 sq.) verba *et ultimo supplicio tradendis* non continet.

[3] Textus legis Cod. I, 5, 8 quamquam ab illo, quem *Mansi* VII 501 sqq. affert, multis differt, tamen ipse quoque continet verba de ultimo supplicio inferendo ei, *qui illicita docere tentaverit*. De his duobus legibus *Franciscus Balduinus* l. c. haec habet: *Partim ex historia, partim ex Th[eodosii] Cod. ostendi, in Cod. Iustin. quandam de Manichaeis legem Theodosii, iniecta ultimi supplicii falsa clausula, mendose factam esse capitalem, cum multorum fraude capitali; neque dissimile mendum irrepsisse in quandam Martiani imp. constitutionem eiusdem generis.*

[4] Scil. synodus nationalis Lutetias Parisiorum ad diem 20. Iulii 1561 convocata.

[5] Fridericus Staphylus Osnabrugensis, natus a. 1514, postquam Wittenbergae apud Lutherum et Melanchthonem nova hausit dogmata, Regiomontiique theologiam docuit, anno 1553 in sinum catholicae ecclesiae rediit multosque deinde libros pro stabilienda concordia scripsit. *I. Soffner*, Friedrich Staphylus (Breslau 1904). A Bavarorum duce Ingolstadium vocatus (1560) saepius a Ferdinando imperatore de rebus religionis est consultus; concilii quoque legati eum Tridentum trahere sunt nisi, sed frustra, *Conc. Trid.* VIII 209 sq., *Šusta* I 22 sq. 51 sq. De consultationibus Vindobonae mense Augusto 1561 habitis cfr. inprimis Delphini litteras 21. et 27. Aug. 1561 card. Borromeo datas, *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 297 sqq.

Hoc nostrum « Consilium » Septembri 1561 exeunte finitum est vel ineunte Octobri; non enim recepit auctor, ut videtur, nuntium de obitu ep. Merseburgensis (30. Sept. 1561, vide infra p. 482 adn. 2), tamen loquitur de Antonio Brus ut archiepiscopo Pragensi, qui ad hanc dignitatem a Caesare 5. Augusti est praesentatus, 5. Sept. 1561 a pontifice evectus (infra p. 482 adn. 3). De origine « Consilii », de contentis in eo et influxu, quem in posteriora de reformatione postulata imperatoris habuit, optime egit *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I. auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 80 sqq., utens sagaci illa dissertatione *Th. Sickel*, de qua supra.

Aliam « Consultationem » Friderici Staphyli ad Caesarem directum supra n. 76 edidimus.

quicquid nunc occurrat eiuscemodi, quod vel ego ipsemet expertus essem vel ab aliis verum Germanicarum peritis animadversum intellexissem, quo posset aliquo modo labescentis ecclesiae moles sublevari, id citra moram ad Beatissimam S^{tem} Tuam perscriberem. Haec ego, S^{me} Pater, cum annuntiata percepissem, haud minori affectus moerore sum quam laetitia. Laetabar enim profecto non mediocriter eam mihi in vita humana obtigisse felicitatem, ut mihi non modo Beatissimae S^{ti} Tuae liceret innotescere, homini praesertim obscuro, sed etiam benedictionis apostolicae participem fieri. Quodego beneficii genus tanti facio faciamque semper, quanti secundum Deum in rebus humanis aliud nullum. Sed quod hac ex re percepi gaudium, maximum sane est, at certe vehementer labefit et quasi rarescit, quoties tristissimam intueor laborantis ecclesiae faciem, cuius quia video miserabilem luctantis laborem, non possum non maximo dolore percelli. Huc accedit, quod non imminuit, sed auget valde dolorem meum: non esse hanc mihi facultatem, ut queam voluntati Beatissimae S^{tis} Tuae ullo modo satisfacere. Non enim dubito, quin omnia ea, quae vel affligant ecclesiam vel afflictae opem ferre possint, a quibusque peritissimis undique ad Beatissimam S^{tem} Tuam adeo abunde deferantur[a], ut temerarius videri queam, si velim simile quiddam tentare, impudens, si confiderem, me posse praestare aliquid. Qua autem in lucta hinc gaudii, illinc moeroris valde ancipitem cum me vidisset Rev^{mus} Delphinus, omnem animi angorem sustulit, prolixe commemorans Beatissimae S^{tis} Tuae clementiam, benignitatem, sapientiam et quam ipsum Pii IV nomen verbo prae se fert pietatem universo orbi christiano ubique revera cognitam. Ea ista oratione Rev^{mi} Delphini permotus cogitavi decere me obedientius inepte quam contumacius circumspecte agere, praesertim hac adhibita cautione, si non tam, quae ego forsitan ipse viderim, quam ea, quae ab aliis talium rerum peritissimis et ad sanguinem usque catholicis viris acceperim, pro mea erga sedem apostolicam fide atque observantia referre conatus fuero. Quam etiam ob causam, Sanctissime Pater, spero te pro pietate tua, si quid vel a me parum oportune relatum fuerit vel ab illis non satis cogitatum prudenter, ultro veniam daturum esse; siquidem nihil dictum volumus asserendi gratia, sed ut Beatissimae S^{tis} Tuae iudicio nostras cogitationes obsequentissime subiicere semper velle intelligamur. Itaque ut omnes praecidam ambages, quid viros catholicos rerumque haereticarum peritos passim inter se pie conferentes audivi, breviter recensebo.

Principio enim intellexi, omnium piorum prudentiumque virorum querelas esse nec obscure significantium, quod hae tot sectarum contagiones tam longe varieque in orbem christianum effusae sint tantasque vires ceperint, aliquo modo quasi ex antecedente causa et προκαταρκτικῇ ad negligentiam redundare et ad socordiam praelatorum in Germania. Aiunt enim hominum memoria proditum atque extare adhuc doctissimorum hominum scripta [1], quibus praelati admoniti sint, fore tandem, nisi impuros cleri mores emendent tollantque diversos ex ecclesia abusus, ut populus, qui istis vitiis sit vehementer exacerbatus, brevi ab obedientia apostolicae sedis sit defecturus.

Sed eas istas admonitiones perquam modeste suggestas partim derisas esse potius quam admissas, partim adeo ingratas fuisse, ut in pessimam sint acceptae partem. Lutherum vero, hominem turbandis rebus humanis natum, eam arripuisse occasionem, siquidem intellexisset, doctrinam catholicae fidei nullo modo obscurari posse, nisi prius exagitatos impuros cleri mores tanquam tetram caliginem obduxisset claritati christianae fidei, quam facile tam plausibili praetextu, securo populo et stertente praelatorum cura, potuerit homo turbulentus obscuratam in tot, quot coram cernuntur, sectas discerpere. Quod populare malum sane eo progressum sit, ut, cum hanc communis versiculi partem [2]: *Obsta principiis*, praelati neglexerint socordes, iam alteram eiusdem versus partem audiant inviti: *Sero medicina paratur, cum mala per longas convaluere moras*. Nec eos interea, etiamsi probe intelligant se morum suorum impuritate magnam dedisse constuprandae catholicae doctrinae occasionem, ullo modo tamen, cum sint his tantis circumvallati calamitatibus, conniti vitam emendare suam, ut saltem eis, quae adhuc admodum tenues in Germania restant reliquiis opem ferant.

Uno autem omnium catholicorum ore laudari piissimum Pii IV institutum, quod tanta cura tamque ardenti zelo generalis concilii progressum instauret, urgeat, promoveat, quandoquidem nec sit nec fuerit umquam ulla alia popularibus istis haeresium

[a] *Schelhorn* deferri

[1] Ex. gr. *Sebastianus Brant*, qui in poemate suo «Narrenschiff» ait: *Die Bischöfe sind Schuld daran* (*W. Andreas*, Deutschland vor der Reformation [Stuttgart-Berlin 1932] 139); multa de excessibus episcoporum in libello «Onus ecclesiae», edito a. 1519, cfr. *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes I^{19-20} 737 sqq.

[2] *Ovidius*, Remedia amoris v. 91 sq. (*Ehwald* 249).

morbis medendi ratio, si modo tempestive adhibeatur et satis efficaciter. Canonem enim esse medicorum minime fallacem, ne minor sit dosis medicamenti, quam sint vires morbi. Qua in consideratione saepe videri summorum falli medicorum opiniones. Namque etiamsi medicus quispiam sit in arte sua excellentissimus, idem tamen hominis peregrini, cuius neque constitutionem viderit neque novit vivendi modum, unquam feliciter queat morbum curare; evenire enim saepe plerisque medicis, etiam summis, ut, etsi artis suae modum teneant universum, non tamen semper scire posse τὸ κατὰ ὥραν καὶ χώραν. Quocirca viri prudentes, qui res Germanicas ex convictu Germanorum et consilia ex longa consuetudine ac conversatione explorata habent, arbitrantur tres iam de praesenti concilio Tridentino quaestiones discuti oportere, quarum, tametsi nulla non plena sit difficultatis atque periculi, alia tamen alia plus minusve habeat incommoditatis. Unde is demum restet delectus, ut liceat forsitan ex tribus malis, quod minimum existimetur, eligi separatim. Quaestiones autem esse: Primam, an, quod iam Tridenti ante aliquot annos inchoatum est, concilium debeat continuari hac notatione, ut debeat appellari oecumenicum; secundam, an, cum aliae sectariae gentes recusent nunc venire, suspendendum sit in aliud tempus; tertiam, an non praestet continuari, dissimulato tamen nomine oecumenici, atque interea cogitari de modo aliquo salutari, quo ad novi concilii indictionem allectari possint reliquae nationes sectariae.

I.

Primam aiunt quaestionem in his versari: Principio, num concilium Tridenti iam pridem inchoatum continuandum sit in eis articulis, qui adhuc restent, an inchoandum de novo; deinde, utrum debeat appellari oecumenicum.

Quod ad priorem primae quaestionis partem attinet, putant periti piique viri nullo modo expedire neque catholicae fidei neque dignitati sedis apostolicae, ut concilium Tridenti inchoatum paeneque absolutum de novo inchoëtur, quasi aliud quoddam videri queat et diversum a priori. Publice enim innotuisse, obscure quidem ex bulla indictionis [1], at satis aperte in bulla indulgentiarum [2] inchoatum concilium continuari debere, ut absolvatur, non autem de novo inchoari, ut continuetur. Quapropter, si concilium Tridenti iam inchoatum debeat sic institui, quasi nunc inchoëtur de novo, duo maxima mala exoritura videantur: alterum sanctis illis Tridentini concilii decretis exitiosum, alterum contumeliosum autoritati Romanae sedis. Adversarios enim continuo clamaturos, pontificem Romanum publica bulla concilium continuandum indixisse, ut ea, quae de ipso reliqua sint, contexantur; hanc vero continuationem in novi concilii exordium transmutatam esse. Unde mox talis quaedam suspicandi occasio sectariis oblata videri posset, quasi priora illa Tridentinae synodi peractae decreta in dubium vocare vellet ipsa sedes apostolica, perinde ac de veritate illorum liceat in posterum diffidere, cum tamen de eisdem controversiis nec ulli canones alii aut sanctiores condi aut promulgari veriores unquam possint. Tum vero falli illos omnino, qui, si sectarii audiant, novum concilium velle patres Tridenti inchoare, non continuare vetus, arbitrantur idcirco Tridentum advolaturos esse adversarios. Certum enim esse, hos ad nullum concilium, quod indixerit Romanus pontifex, accessuros, ita namque principes, ita populos, qui Augustanae confessioni nomen dederint suum, obstinatissime conclusisse, quemadmodum hoc a legatis illorum cum alias saepe in comitiis imperialibus tum nuper in Naoburgensi conventu declaratum queat intelligi [3]. Quapropter cum haec ita se habeant, non videri christianae rei publicae consultum, ut continuatio concilii iam paene contexti transformetur in opinionem inchoandi novi.

Sequitur eiusdem primae quaestionis altera pars, quippe an concilium Tridenti inchoatum hoc nomine expediat continuari, ut vocetur oecumenicum, utque decreta illius, quae iam publicata sunt, sic rata haberi debeant tanquam decreta universalis concilii. Aiunt haereticorum consiliorum gnari ingens esse in asseveratione huius quaestionis periculum et tale penitus, quod universae rei publicae christianorum posset exitiosum evenire. Nam etiamsi Germani sint homines bardi, si cum Hispanis conferantur aut cum Italis, non tamen profecto ita illos esse rerum suarum incogitantes, quin manifesto videant, si decreta Tridentina debeant tanquam oecumenici concilii rata haberi, se ad aliud nihil vocari Tridentum, nisi ut audiant dogmatum suorum anathemata. Hoc autem Germanos ceterasque nationes,

[1] *Conc. Trid.* VIII 104-107, praesertim 105 l. 26 sq.

[2] *Conc. Trid.* VIII 100 sqq., praesertim 101 l. 23, ubi verbum *continuare* occurrit.

[3] Cfr. responsum datum nuntiis apostolicis Naumburgi 7. Febr. 1561, *Conc. Trid.* VIII 147 l. 23 sqq., et *Pastor* VII 172 sqq.

quae a fide defecerunt, non facturos esse, sicuti pertinax ipsorum atque inveterata superbia non dissimulate ostendere videatur. Immo vero, quae illorum pervicacia fuerit hactenus, metuendum omnino, si audiant id nunc agi in concilio Tridenti, ut priora decreta debeant tanquam oecumenici concilii canones recipi, ne ita sint Tridentum adventuri (quemadmodum nuper fecit dux Mauritius), ut igni ferroque respondeant principes in concilio pro theologis suis. Neque sane hunc esse metum inanem; rumores enim passim audiri non confictos, nec ipsa bellorum negotia et tractationes palam aliud prae se ferre, quam quod primates haud obscure dictitant: Germanos paratos esse, ut confestim, si quid durius patres Tridentini de ipsis ipsorumque dogmatibus statuerint, queant pontificiam tyrannidem (sic enim loquuntur) armis propulsare. Non contemnendas autem esse vires sectariorum, ex nova illa Naoburgensi conspiratione coniici licere [1]. In defensionem enim Augustanae confessionis subscripsisse non solum omnes principes Germaniae (exceptis Bavariae et Cliviae ducibus) [2], sed etiam Daniae, Norvegiae, Sueciae reges et reginam Angliae, ac praeterea Scotos, Hybernios, Livonienses, Prutenos ac Poloniae Lituaniaeque praecipuam nobilitatem. De voluntate Gallorum forsitan adhuc esse rem dubiam, in Boëmis autem nullam fidem, in Ungaris nullam spem videri.

Quamquam sane aliquibus videri possit, si forte pecunia desit talium negotiorum conficiendorum nervi [3], nullum bellum timendum, nullos verendos tumultus; tum vero, etiamsi timenda haec omnia sint, non defuturos tamen potentia industriaque instructos, qui ecclesiam possint ac velint tueri, concilium defendere atque eius exequi decreta. Utinam vero! Tametsi hoc forte sperandum magis quam promittendum; at ut fuerint, tamen certe non continuo hoc modo remedium posse tot ecclesiae vulneribus efficax afferri viri prudentes arbitrantur. Vident enim hoc virus haeresium multo fixius insedisse seductarum gentium animis, quam ut ferro resectari tam cito posse videatur.

Sunt, qui existiment, nequaquam hoc tempore expedire rebus christianis, ut ex vigore huius Tridentini concilii aut haereses anathemate feriantur, aut haeretici gladio ad obedientiam reducendi teneantur; utrumque enim ancipitis consilii esse, quando alterum impense periculosum sit futurum saecularibus ecclesiae rebus, alterum valde exitiosum infinitarum animarum saluti. Velle enim tot tamque feroces gentes atque reges, qui Romanae ecclesiae rebellant, armis tentare, rem videri haud sani consilii; velle etiam easdem gentes ac reges anathematis fulmine in perpetuum schisma revulsos abiicere, non solum id miserabile fore propter tot animarum exitium, sed etiam haud laudabile aut fructuosum Romanae ecclesiae. Primo enim, quia tot nationes damnari haereseos non posse nisi iudicio universalis concilii, in quod gentes christianae omnes consenserint, illud autem, quod iam debet Tridenti continuari concilium, nec unquam fuisse nec futurum posthac concilium oecumenicum seu universale. Neque enim, quando inchoabatur, adfuisse Polonos neque Gallos neque Britannos neque alias gentes complures, et quanquam interfuerint Itali, Hispani et pauci praesules aliquot ex Germania, nullo pacto tamen has tres nationes, et quidem vix semiplenas, posse pro universo oecumenico orbe christianorum censeri, et quicquid hae decreverint, statuerint, damnarint, nec id oportere, ac si ex consensu iudicioque universalis concilii factum sit, cunctas alias gentes ratum habere ac firmum. Deinde nullam apparere rationem, cum hoc concilium initio universale non fuerit, ut in medio aut in fine speremus fore oecumenicum. Nihil enim certius, quam quod nullae sectariae nationes velint ad hoc Tridentinum vel ad ullum aliud quod Romanus pontifex indixerit concilium venire. Quid de hoc Tridentino concilio sentiant Galli, forsitan ambiguum; quid autem Germani, quid Britanni, quid Scoti, quid Dani, Sweci, Norwegii, Livones, Pruteni, id pontificias legationes nuper edocuisse Naoburgensemque conventum brevi patefacturum esse [4]. Quid denique sit de Polonis sperandum, hoc nobilitatem non dissimulare eius gentis [5] quid

[1] Loquitur hoc loco Staphylus non de conventu Naumburgensi ipso, qui iam mense Februario actus erat, sed de unione quadam inter principes protestantes cum regina Angliae regibusque Sueciae et Danimarcae, quam praeparatam ibi fuisse fama erat, cfr. *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 296 (Litterae Delphini 1. et 15. Aug. 1561 datae). — De frustratis conatibus nuntii Commendoni septentrionalia regna adeundi cfr. litteras eius 28. Iulii et 1. Aug. 1561 Lubicae datas, *Conc. Trid.* VIII 237 sqq. Quare abbatis Martinengi in Angliam missio effectum non habuerit, legas apud *A. O. Meyer*, England und die kath. Kirche I (Rom 1911) 33 sqq.

[2] Albertus V Bavariae et Gulielmus Cliviae duces ex potentioribus principibus saecularibus soli catholici remanserant.

[3] Cfr. *C. Bauer*, Die europäische politische Situation von 1559 u. ihre finanziellen Hintergründe: Hist. Iahrbuch 53 (1933) 27-44.

[4] Cfr. supra adn. 1.

[5] Cfr., quae supra ad n. 76 de nobilium Polonorum conatibus adnotavimus.

de Boëmis, antea cognitum; quid de Ungaris, non magnopere referre [1] Haec cum ita se habeant, non expedire, ut Tridentinum hoc concilium oecumenicum vocetur. Nam ut paucae partes oecumenici orbis universus oecumenicus orbis esse censeantur, non licere; nec etiam rationi ulli consentaneum, ut particularis medicina queat mederi universali pesti seu malo ἐπιδημίῳ, siquidem ita natura comparatum sit, ut minor sit medicamenti dosis, quam vires morbi esse cognoscantur; recte itaque divus Augustinus [2], provinciales synodos conciliis cedere plenariis, non autem contra concilia plenaria particularibus. Postremo rem plane miserabilem existimari tot gentes ac populos uno mortiferi anathematis ictu ab ecclesiae gremio deiectos perpetuae damnationi subiicere. Quam enim multa milia hominum in seductis illis gentibus sint, qui, tametsi haeretice sentiant, haeretici tamen proprie dici non queant! Nam quod fortasse posset opponi, eas gentes omnes saepe admonitas esse et paterne castigatas, at vero, quoniam ad cor redire non voluerint, eas suo ipsorum proprio iudicio condemnatas esse, sua perire obstinatione, nihil esse, quod fieri possit amplius: de haeresiarchis si hoc et de seducti populi ducibus dicatur, recte dici putant homines periti, istis etenim definitionem haeretici convenire; sed de ipsa plebe nequaquam recto dici posse vel eo, quod homines simplices et per fraudem decepti existimant, si ita credant, quemadmodum a suis doceantur pastoribus, recte se et catholice, non haeretice credere; proinde deceptum vulgus misericordia potius quam tanto rigore tentandum esse, an possit forsitan reduci in viam. Scriptum enim [3]: *Infirmum in fide suscipite;* et [4]: *Linum fumigans non extinguite;* sed illud proprius ad officium benigni pastoris accedere [5]: *Tu, si confirmatus es, confirma fratres tuos.*

Quod porro obiici queat, omnia tentata esse remedia, nihil eorum, quae ad sanandas hominum mentes necessaria videantur, omissum: id ita factum non inficiantur homines Germanicarum rerum periti, sed in Germaniae praelatis et theologis aiunt nonnullam culpam residere, dum hi omnia ad summi iuris rigorem exegerint, illi contra nullam adhibuerint curam, nullam severitatem, rati abunde recte agi cum sua ecclesia, si fructus integros percipiant et cuncta emolumenta ovium; ut autem oves adversus rabiem luporum tutae sint atque defendantur, hoc praelatorum nonnullos neque initio huius mali curasse neque curare etiam nunc, rebus iam pene desperatis. Tum vero, si qua adhibita sint remedia, haec tanta amaritudine permixta fuisse, ut ab his etiam illi, qui alias haud insanabiles aliquod malagma admisissent, penitus abhorruerint. Eandemque ob causam nunc quoque principes ac populos tantopere a Tridentino concilio abhorrere, quod in eo nihil non de summi iuris rigore remissum iri arbitrentur, praesertim si debeant ea, quae sanciverit, pro oecumenici concilii decretis haberi.

Has sane multasque alias ob causas credunt pii peritique viri, neque instaurandae religioni catholicae neque ipsi sedi apostolicae expedire, ut nunc Tridentina synodus, tanquam oecumenicum concilium sit, continuari dicatur; neque enim ullo modo recte fieri posse neque cum fructu eventurum ecclesiae neque cum pace adversariorum; sed si fiat, arma multarum diversarumque gentium timenda esse omninoque periclitandum de exiguis his ac miseris catholicorum reliquiis. Haec de prima quaestione.

2. Secunda quaestio fuit: Quandoquidem iam certo constet, sectariarum nationum principes aut populos nolle legatos ullos mittere ad hanc Tridentinam synodum, an non conveniat eam in aliud tempus prorogari suspensam, quoad fortasse furor imbuti erroris mansuescat nonnihil hominesque possint ad mentem reflecti saniorem. Consilium sane haud insalubre, si miserrimae hae catholicorum reliquiae moram tantisper ferre possent ac interea certi aliquid promitti de mitigando furore adversariorum. Homines autem pii sectariarumque rerum experti solicite de utroque dubitant. Verentur enim, ne, si morae admittantur ulteriores, intra paucos annos omne deficiat, quicquid adhuc in toto septentrione catholici nominis supersit reliquum. Stupendo enim ardore ac studio homines, instar rapidi torrentis, a fonte catholicae fidei ad vastum illud sectarum pelagus decurrere. Quae quidem tam numerosa defectio, si moras nacta fuerit longiores, non solum illa reliquam multitudinem, quae alias mobilis est, raptura secum, sed constantiores etiam languefactura videatur, quemadmodum ipsa testificetur quotidiana experientia [6]. Quin et illud rerum usu compertum esse, haereticos spe propositae morae non mitiores, sed audaciores fieri solitos eo, quod ipsis subinde vires accedant, quibus confirmentur, catholicis decedant plurima, quibus magis magisque

[1] Scil. quia magna Ungariae pars a Turcis occupata erat. Cfr. *N. Iorga*, Geschichte des osmanischen Reiches III (Gotha 1910) 3-75.

[2] De baptismo contra Donatistas l. II c. 3 n. 4, *Migne* 43, 128 sq.

[3] *Rom.* 14, 1.

[4] Cfr. *Is.* 42, 3; *Matth.* 12, 20.

[5] *Luc.* 22, 32.

[6] Sine dubio auctor hoc loco Bavariam praesertim Austriam respicit. Vide infra p. 482 adn. 1.

languescant. Praeterea vero, etiamsi interiectae morae nihil possent incommodi afferre (sicuti omnino possint plurimum), non tamen sperandum esse, ut in eam concilii formam, quam Tridenti constitutam cernant sectarii, eo quod in loco constituendam vereantur, unquam sint consensuri. Nihil enim firmius cum sit conclusum cunctis sectariis (quemadmodum libris suis nuper emissis palam affirmant)[1], quam nullum velle concilium, quod indixerit pontifex Romanus, et in quo iudex velit esse papa, quapropter sive concilium Tridenti suspensum audiant sive continuandum videant adversarii, utrumque illos in eadem lance ponderaturos esse, neutrum alterutri praeferentes.

3. Tertia quaestio restat, in qua id aiunt disceptari solitum: Cum res sit plena exitiosi periculi, velle concilium Tridenti iam inchoatum aut continuare aut de novo instituendum auspicari, hoc videlicet nomine, quasi oecumenicum censeri debeat: Quid tandem agendum sit, ne nihil agatur neve causa deserta ecclesia auxilio demum orbetur suo? Varias intellexi rationes in utramque moveri partem. Sunt enim, qui putent, omnem nos debere ullius celebrandi concilii mentionem vitare, nedum ut concilium serio fiat, conniti; haereticos enim nunquam magis conspirare solere, quam si videant, urgeri christiani orbis concilium, ut haereses sopiantur ac investigetur veritas catholicae fidei. Sunt item, qui censeant, nunc ab omni quidem oecumenico concilio abstinendum esse, sed uniuscuiusque provinciae episcopos debere conari, ut possint provinciales habere synodos, et in his, quantum haec ferant tempora, emendare vitia, tam ea, quae sinceritatem catholicae fidei, quam quae morum honestatem violent atque corrumpant. Sunt contra, qui istorum probent neutrum. Nam suadere, ut non modo nullum fiat concilium generale, sed etiam ne eius fiat apud sectarios ulla mentio, id consilium temporali paci quidem non male congruere, sed aeternae hominum christianorum saluti vehementer adversari. Neque enim hoc ita extimescendum, quod soleant sectarii adversus unitatem ecclesiae conspirare tempore indicti concilii, quam elaborandum, ut in suo schismate haeretici subinde in complures sectas distrahantur. Etenim sicuti fieri non potest, ut haeretici non sint inter se divisi, ita nec inusitatum, ut adversus catholicam ecclesiam se unire conentur. De provincialibus autem synodis sanum consilium, si medicamenta quaerantur pro conservandis catholicae fidei reliquiis; sin pro sanitate universi orbis christiani, ut haereses tollantur et instauretur ubique fides catholica, nihil ad universale contagium exigua pars medicinae tenuis.

Quamobrem viri graves et ad martyrium usque catholici rerumque Lutheranicarum peritissimi pro sua erga christianam rempublicam fide et erga apostolicam sedem observantia statuunt, tum ut reliquiis catholicorum subveniatur, tum ut universis recte possit ac mature consuli, duo esse necessaria. Quorum prius sit, ut continuetur synodus Tridenti inchoata, sed dissimulato nomine oecumenici; alterum, ut Caesar curet interea primo quoque tempore fieri comitia imperialia et in eis omnem modum tentet, quo etiam adversarii possint cum honore apostolicae sedis et cum pace fructuque christiani orbis ad universale concilium allectari. Cur autem sic statuant, de utroque probabiles videntur rationes afferre, et initio quidem de eo, cur iudicent concilium Tridenti inchoatum continuandum esse, dissimulato nomine oecumenici.

Decreta enim, quae iam antea in ea synodo sancita atque promulgata sunt, quoniam vigorem habeant divini iuris, nullius haereseos iniuria atque vi unquam deletum iri, quocirca sive autoritatem habeant universalis concilii sive particularis, nihil quidem ad veritatem rei, ad aestimationem autem humanae infirmitatis aliquid fortasse. Eam sane ob causam credunt pii viri et catholici non certandum omnino, quo nomine appellanda sit Tridentina synodus, num universalis seu particularis, siquidem re ipsa universalis mansura semper sit, proinde non magnopere referre, etiamsi haeretici particularem, quam ad se damnationemque suorum dogmatum nihil velint pertinere, vocare malint. Nominis enim dissimulatione rei veritatem per se non vitiari.

At enim quoniam omnia ea, quae ad discussionem dogmatum et ad articulos catholicae fidei spectarint, pertractata sint atque definita in eo concilio, nihil restare deinceps, nisi ut catholicus clerus reformetur in moribus atque ecclesia purgetur a multarum rerum abusibus.

[1] Ex. gr. *Petrus Paulus Vergerius* Naumburgensem refutationem libello defendit pluribusque aliis scriptis concilium indictum impugnavit, *F. Hubert,* Vergerios publizistische Tätigkeit (Göttingen 1893) 168 sqq. 313 sqq. *Henricus Bullinger* a. 1561 edidit: «De conciliis. Quomodo apostoli Christi Domini in primitiva ecclesia suum illud Hierosolymis concilium celebraverint... quomodo item Romani pontifices in extrema mundi senecta a quingentis et amplius annis sua illa concilia celebraverint, et quanto cum damno perturbationeque fidelium etc.». Quem librum Hosius legatis concilii Tridenti morantibus transmisit, qui Seripando impellente Poli libellum de concilio ei opponendum esse censuerunt. *Susta* I 42 sq. 82 sq.

In utraque sane ista re si reliqua Tridentinae synodi pars continuaretur, putant viri graves duo isthinc commoda ecclesiam consecuturam, quorum alterum, ut ex ea tali reformatione ecclesia clerum habitura sit laudabiliorem, alterum, ut interea pace liceat frui catholicis absque ullo infesto tumultu Lutheranorum. Hi etenim sicuti libenter ferant cleri nostri mores emendari abususque submoveri ab ecclesia, ita contra nullo pacto illos ferre aut posse aut velle, in pontificia synodo doctrinam condemnari Augustanae confessionis. Cuius rei exemplo possit esse Mauritius, dux Saxoniae. Contra autem, si intelligant adversarii non se aut dogmata peti sua, sed de moribus agi catholici cleri, spem esse, ut liceat hoc concilium Tridenti inchoatum continuari cum fructu ecclesiae et pace sectariorum. Et quo haec spes certior posset firmiorque promitti, conveniens esse, si praesides Tridentini concilii scriberent ad Germaniae, Galliarum, Poloniae episcopos in hanc sententiam: Quoniam vero pontifex Romanus S^{mus} D. N. legatos suos miserit ad diversarum nationum principes, eos cohortans, ut theologos atque legatos suos ad indicti concilii celebrationem ablegare dignentur; quia enim, cum tot passim contraria evangelia doceantur, quot doctores sint passim reperti, tot sectae, quot privatae domus. Haec igitur pestifera dogmata ut refutentur et vera stabiliatur doctrina catholicae fidei, nullum aliud esse quam inchoati Tridentini concilii remedium. Verum enimvero principes ii, qui Augustanae confessioni nomen dederint suum, indictionem eius concilii repudiare. Idcirco quia, cum isti non venturi sint, quibus proprie dogmatum explicatio necessaria videatur, visum esse S^{mo} D. N., ut disputationem omnem de dogmatibus intermittant, et duntaxat continuent absolvantque hoc concilium in reformatione cleri et abusuum. Hac re audita et ad sectarios perlata, sperandum omnino, ut nihil sint adversus hoc tale concilium tentaturi armis.

II.

Interea vero omnis impendenda opera, ut quam fructuosissime queat hoc concilium continuari atque absolvi pro conservandis augendisque catholicorum reliquiis. Viri autem pii ac periti omnem huius concilii continuandi fructum metiuntur triplici genere studii, eorumque primum putant esse, ut, si quae sint in moribus cleri vitiosa, in doctrina fidei errata, in ecclesia abusus, emendentur, e medio tollantur; secundum, ut opera detur, quo populus, qui adhuc constans est, in officio retineatur, ne deficiat, aut qui titubat imbecillus, ut confirmetur propiusque nobis possit coniungi et abstrahi longius a sectariis; tertium, ut summa diligentia adhibeatur, quo seminarium catholicae iuventutis foveatur, ne, si sectariorum furor ecclesiae reliquias non extirpet, inopia eas deleat necessarii cleri.

1. Quod vero clericalis vitae labes nonnullam dederit causam huic ingenti malo, uno ore fateri omnes cordatos viros rerumque istarum peritos, quando constat, nulla re magis populum a clero alienavisse animum quam ob insignem hanc istam impurae vitae nostrae turpitudinem et ob varios multosque sacrarum rerum abusus. Habitare enim eas sordes admodum moleste in oculis hominum, e quibus tantum infixum sit principum populorumque animis odium cleri, ut et oculis renuant omnem cleri conspectum et auribus respuant omnem cleri audientiam. Quam haeresiarchae adepti occasionem, facile absque ullo negotio utramque populi aurem sic occuparint, ut, cum neutra clero ad excusandum se auris sit relicta, queant sectarum duces populo, quicquid velint, persuadere. Idcirco cum mali mores cleri sint ad hanc populi defectionem antecedentes causae quaedam et quasi προκατάρξεις, censent viri graves, primam medicationem a sanandis oculis auribusque aversi populi inchoari oportere. Duo enim esse mala, quae istos populi sensus corruperint: in moribus cleri turpitudinem et in rebus ecclesiae abusum. Haec etenim sic aperuisse oculos populo, ut in vitia cleri sit oculatior quam Lynceus, sic aures occlusisse, ut ad audiendam causam cleri sit magis surdus, quam aspis [1]. Quapropter, si clerus a populo suspici velit magnique fieri, dum praeest atque gubernat, si audiri libenter, dum docet, necesse fore, ut autoritatem suam honeste inculpateque vivendo recuperet, quam turpiter vivendo amiserit. Quippe hoc unicum esse, si usquam ullum sit, primum huius oecumenici mali tollendi auspicium. Quia enim ea ista clericalium morum labes non solum antea praebuit causam huic tot gentium defectioni, sic eandem defectionem nunc quoque eisdem cleri moribus ali, foveri, contineri idque adeo fixe pertinaciterque etiam, ut nulla spes appareat, dum istam foeditatem conspiciat in clero populus, clerum populi oculis auribusque unquam mederi posse. Quanquam vitiose hoc populus quidem, cum fidei catholicae doctrinam non discernat a moribus cleri; verum quid facias? Imperitum vulgus haud secus facere; cuius hac in re infirmitatem sua integritate sublevare clerum

[1] Cfr. supra p. 459 adn. 2.

debere, minime ignarum, laicos homines efficacius erudiri bonis vitae exemplis quam subtilitate dogmatum.

Quandoquidem igitur sic vulgus, sic populi, sic principes sint animati erga clerum, metuendum sane, ne illi hunc velint, quem adversarium sibi statuant, in controversis litibus iudicem admittere. Illos enim subinde clamare [1]: *Medice cura teipsum;* turpissimumque videri, si, qui ipsimet scateant ulceribus, aliorum velint sanare ulcera. Quanti enim innocentis vitae opinio sit apud homines, exemplis variis ostendi solere. Lacedaemone enim Demosthenem quendam fuisse, hominem quidem haud integris moribus, sed virum tamen solertem atque peritum. Qui, cum haberet consilia quaedam ei reipublicae inprimis necessaria, a populo tamen propter vitae impuritatem, qua fuerat infamis, auditum non esse. Ephoros itaque alium quendam delegisse virum bonum et fama honesta integrum, qui consilia a Demosthene audiret referretque senatui, ut tanquam ex vase obsoleto atque sordido in vas purius ea consilia transfusa salubriora efficerentur [2]. Tantum enim momenti in iudicio populi opinionem honestatis possidere. Hoc etiam poetam voluisse, cum ait [3]: *Vas nisi sincerum, quidcunque infundis, acescit.*

Quamobrem putant viri graves: Nisi ineruditus populus, qui doctrinam a moribus non potest discernere, videat eos, qui alios velint disciplinam virtutis docere, a vitiis repurgatos esse, ut nullo pacto laici aliquam sanctioris vitae legem sibi tradi patiantur, quam ipsimet doctores illaudatae vitae exemplis perpetuo contaminent. Itaque redemptorem Christum non solum dixisse [4]: *Qui sic docuerit*, sed addidisse etiam: *Qui sic fecerit, magnus vocabitur.* Et divus Paulus ad Timotheum [5]: *Forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in Spiritu, in fide.* Quamquam vero necesse sit fieri scandala, sed vae homini, per quem fiant [6], et praesertim clero, qui deberet esse sal terrae [7]. Verum is si insulsus fuerit, quid de eo aliud consuetum, nisi ut eiiciatur foras pedibusque hominum conculcetur? Eiici vero nunc clerum foras, pedibus conculcari et pro nihilo haberi, quis hoc non videat? Esse neminem, qui etiam cleri insulsos mores ac vanos in causa esse non ingenue fateatur, nullum reperiri. Quocirca si nationum principes populosque seductos saltem eo velimus reducere conari, ut duntaxat audiant ecclesiae proceres in generali concilio de veritate dogmatum disserentes, hoc aiunt viri pii, necessarium esse initio, ut primo quoque tempore abusus ex ecclesia submoveantur, ut contaminati mores cleri repurgentur, ut tandem istis tam foedis vitae sordibus abluti prodeant cum clero suo praelati appareantque inculpabiles in conspectu populi. Verisimile autem videri, quod eo pacto principes ac populi adduci queant, ut audiant nostros praelatos, depositis privatis animorum praeiudiciis causam ipsam controversae religionis cognoscant intelligantque tandem, utra pars puriorem evangelii doctrinam profiteatur, catholicine an Lutherani doctores. Quin et hoc experientia compertum esse, hisce pessimorum morum zizaniis pestiferae doctrinae semina admisceri in plerisque, qui tametsi sese pro catholicis gerant velintque nec secus videri, re ipsa tamen carptim aliquot delibasse pravas opiniones, quarum aliae abusus in ecclesia vel stabiliant vel certe olim stabilitas non tollant, aliae omnino corrumpant orthodoxam catholicae fidei doctrinam. Quae quidem tum abusus rerum tum doctrinae zizania adeo iam in his ipsis, quae adhuc restant in Germaniae praesertim catholicae ecclesiae reliquiis, ceperint copiose pervicaciterque serpere, ut, nisi mature eradicentur, de reliqua semente et exigua admodum brevi actum iri.

2. Cum porro tres distinctae sint ecclesiasticarum dignitatum quasi classes: canonicorum collegia, coenobia monachorum, pastorum parochiae, in horum singulis necesse fortassis fore, ut accurate dispiciatur, quid aut in doctrina catholicae fidei adulterinum aut in moribus personarum inhonestum aut in ecclesiasticis bonis vitiosum esse iudicetur.

In collegiis vero canonicorum tametsi vitia propemodum omnia regnent, virtutes exulent, tamen haec, quae iam recensebuntur, prae ceteris excidenda credunt viri prudentes. Adeo enim canonicos ferunt impudenter omni generi vitiorum indulgere crapulando, scortando, ut quidam non vereantur scorta palam in aedibus suis fovere atque ostentare, tanquam hoc proprium sit officium canonici, ita vivere contra canones. Adulteria autem committere, stupra virginibus afferre, ludum videri ad iocum; itemque in luxu perpetuo et ebrietate volutari semper, id adeo esse commune, ut, qui hoc non faciat, parum vel nobilis vel liberalis habeatur. Symoniae autem exercendae nec modum esse nec finem ullum. Huc accedere, quod detestandam barbariem pepererit in praecipuis Germaniae cathedralibus ecclesiis, nullum

[1] *Luc.* 4, 23.
[2] Cfr. supra p. 460 adn. 1.
[3] *Horatius*, Epp. I 2, 54.
[4] *Matth.* 5, 19.
[5] *1 Tim.* 4, 12.
[6] Cfr. *Matth.* 18, 7.
[7] Cfr. *Matth.* 5, 13 et parall.

admitti doctorem[1]. Unde tantus literarum doctrinaeque contemptus consecutus sit, ut et domus canonicorum et episcoporum aulae barbarorum hominum turbis refertae sint nec usquam in iis appareat homo eruditus. Interea vero raros esse, qui canonicas preces orent, qui statis legitimisque temporibus sacris intersint, cultum divinum et sacrum missae officium celebrent, quando magna pars illorum presbyterii ordinem aspernati minoribusque sacris contenti vitam ducant non modo moribus, convictu et vestitu laicam, sed plerique etiam plane militarem. Haec sane et id genus similia putant viri pii magna scandala praebere populo, quae eiusmodi sint, ut iis stantibus hae ipsae catholicorum exiles reliquiae diu stare in Germania non possint.

Eandem esse vivendi normam in ditioribus monachorum coenobiis, Bavariae Austriacaeque visitationes nuper aperuerunt[2]. Constat enim repertos esse abbates et conventuales, qui aut duxerint uxores aut concubinas manifesto alant, et plerosque habitum monasticum mutasse, sericis et saecularibus uti vestibus; potationibus praeterea luxuique immodice deditos esse; cultum vero divinum flagitiose vel negligere vel antiquos ecclesiae ritus in Lutheranicas novationes commutare. Horum autem talium praelatorum parochos pene omnes sectarios esse, quorum vestigia abbatum ludimagistri et officiarii ministrique ceteri secuti plerique omnes a catholica fide alieni ac diversis pravisque imbuti opinionibus reperti sint. Quae mala potissimum in iis grassari monasteriis, quae a potestate sui ordinarii exempta et immediate pontificiae iurisdictioni se subiecta esse glorientur. Quam etiam turpiter hi degeneres abbates monasteria vastent, monastica bona aut luxu dilapident aut studio avaritiae alienent, longum esset recensere.

Censent autem viri graves ac pii, si monasteria aequaliter omnia citra omnem exemptionem subderentur iurisdictioni suorum ordinariorum, et his autoritate apostolicae sedis serio mandaretur, ut summa diligentia curarent, visitari monasteria, et quantum haec tempora ferant, ea moderatione monasticam disciplinam instaurarent, ut tot tamque locupletes maiorum nostrorum fundationes ad praestandum Deo divinum cultum redintegrari possent atque incolumes manere.

Sacratissimus imperator Ferdinandus, quoniam ex flagitiosa quadam ordinariorum socordia vidit haereditarias provincias suas et pravis cleri moribus et diversis sectarum opinionibus exitiose corruptas esse magisque subinde corrumpi, tandem ordinarios eo permovit, ut suos legatos visitatum mitterent, quibus ipse ob maiorem securitatem aliquot adiunxit viros graves tanquam protectores atque auxiliares. Ea autem visitatio cum facta esset, dedit Caes. Maiestas aliquot peritis episcopis theologisque atque canonistis hoc negotium, ut consilium conscriberent remediaque ostenderent, quoniam modo reperta in ea visitatione vitia aut funditus evelli aut saltem aliquantum inhiberi possent, quoad efficacior medicina pararetur. Conscriptum itaque est hoc de emendandis monasteriis tale consilium, quod litera B signatum una Beatissimae S^{ti} Tuae isthuc transmitto[3].

Quanquam vero hoc reformandae monastices consilium non ita pensiculate ad omnem monasticae regulae amussim exaequatum est, sicuti veteres iubent sacri canones, tamen arbitrati sunt Rev^{di} patres, quibus hoc datum negotium a Caesare est, praestare initio mollius ea ulcera aggredienda esse, ut sensim ad exactiora medicamenta posset perveniri, quam durius quasi confestim experiri extrema; quandoquidem, si illud negligeretur, hoc fieret, metuenda esset infinita omnium in Austria coenobiorum vastatio. Ita prorsus sentiunt hi, qui, quanta lues etiam has, quae adhuc catholici cleri reliquiae supersint, invaserit, praesentes viderunt. Quin et ipsi Rev^{mi} legati apostolici, D. cardinalis Hosius et episcopus Delphinus, visitationem approbaverunt[4]; et hanc, quae ex factae visitationis actis instituta est reformationem Rev^{mus} Delphinus sibi exhibitam legit. Nec sane Caes. Maiestas hac in re aliud spectat, nisi ut ea quae per torporem ordinariorum collapsa sunt, saltem aliquo modo, ne gravius latiusque ruant, fulciri possint. Sperant autem viri graves et in talibus negotiis exercitati posse ad eandem normam reliqua monasteria, quae in ceteris regnis provinciisque Caesari immediate subiectis complura sunt, emendari; eadem enim vitia cum regnent in similibus coenobiis, quae iuxta

[1] Magna capitulorum pars nonnisi nobiles suscepit, Argentinenses et Colonienses nonnisi liberos barones, *A. Werminghoff*, Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche in Mittelalter (Leipzig 1913) 114 sq. Cfr. etiam *Ianssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes I$^{19-20}$ 718-723.

[2] Austriae visitatio mensibus Martio et Aprili 1561 habita erat, *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil v. Trient I 66 sqq. De visitatione in ducatu Bavariae a. 1558 instituta vide *A. Knöpfler*, Die Kelchbewegung in Bayern (München 1891) 42-65.

[3] «Consilium de emendandis monasteriis», cuius Staphylus hic facit mentionem, maxima ex parte deperdita esse videtur; partem eorum, quae continuerit, ex glossis Delphini cognoscimus. Cfr. *Eder* l. c. 86 sqq.

[4] Cfr. *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 173 sqq. 186 sqq.

regulam ordinis sui non vivunt, eisdem curanda remediis videri. Quam ad rem prudentissimi apostolici nuntii auctoritate sua haud importune uti possent; siquidem Caes. Maiestas nihil cupiat ardentius, quam cultum divinum restaurari in monasteriis et veram catholicae fidei doctrinam legitimumque usum sacramentorum tam in parochiis quam in clero populoque et vitae praesentis honestatem et felicitatem vitae futurae florentem cernere.

3. Eandemque ob causam iniunxit Caes. Maiestas eisdem Rev^{mis} commissariis, ut sententiis in utramque partem collatis c o n s i l i u m aliquod conscriberent etiam de d o c t r i n a c a t h o l i c a e f i d e i p e r h a e r e d i t a r i a s s u a s p r o v i n c i a s i n s t a u r a n d a, videlicet ea habita moderatione, ut tranquillitatis publicae ratio haberetur in subditis, et sua incolumis praestaretur autoritas sedi apostolicae. Commissarii itaque eam ad rem designati, cum intelligerent medicinam haud efficacem posse adhiberi, nisi prius, quae vis morbi sit, et quam longe fuseque ea pateat, accurate perspectum habeatur, quocirca initio communes infecti populi contagiones enumerant et mox subtexunt remedia. Tametsi autem hae pestes non una in provincia vigeant universae, sed aut singulae in singuliis aut complures etiam, compertum tamen est, nihil tam pestiferum nunc usquam reperiri, quod non ex vicinis locis Germaniae in Bohemiam, in Lusatiam, in Silesiam ac inde mox in Moraviam et Austriam exundans dimanet. Remedia autem eiuscemodi sunt, ut eorum quaedam futuro oecumenico concilio reservanda videantur, quaedam iamiam citra moram adhibenda, ne reliquiae religionis catholicae prorsus deleantur. Consilium vero, quod dixi, est hoc, quod sequitur literae C signatum [1].

Huius scripti consultationi interfuerunt cum plerique alii viri docti atque periti tum vel inprimis duo excellentissimi antistites, Mersburgensis [2], et quem primum nominare oportuit, Pragensis archiepiscopus [3]. Qui, quoniam hoc inter sectarios saxum multis iam volvunt annis et cum omnia tentata videant frustra, in eam iverunt sententiam, ut, si ulla unquam via ad conservandas has exiles catholicorum reliquias restet, hanc unicam, quae isto in scripto comprehensa est, duntaxat restare arbitrentur. Nec desunt complures alii viri exercitatissimi, qui existiment eum conservandae catholicae religionis modum non tantum in Austria et in Bavaria ceterisque Germaniae provinciis, quae qualitercunque adhuc sedi apostolicae parent, instaurandum conniti debere, verum etiam summopere elaborandum esse, ut eodem modo nationes eae, quae ad defectionem propendent, in obedientia retineri, quae iam alliquantulum defecerunt, sensim reduci possint. Quid de Gallis sperandum, esse opinionis dubiae; de Polonis vero spem aliquam relictam videri, quippe si populo utraque species, sacerdotibus vero, praesertim parochis, si coniugium concederetur. Hisce enim duobus (vel saltem per modum tolerantiae) permissis Boëmos posse paulatim et Rutenos et Moscovitos et Graecos Romanae ecclesiae conciliari. Nec certe maiore cura nunc usquam enitendum, quam ut Magnus Dux Moscoviae, si apostolicae sedi nomen vellet dare suum, rex salutaretur et ecclesiae Romanae protector. Quod veropontificius nuntius, quominus iret in Moscoviam, ob varias difficultates praepeditus sit [4], id iterum tentandum esse opera et consilio Caesaris Ferdinandi, scilicet ut aut permittente rege Polonorum aut quacunque alia occasione ac via apostolicae sedis benevolentia Moscorum duci innotescere posset. Agendum quoque cum patriarchis et metropolitanis, tum Graecis tum Rutenis, ne ipsi huic tam necessario universae christianitatis tempori velint deesse. Et quo magis rem intelligerent, mitti illi deberet earum, quae nunc ovile Christi inficiant, haeresium catalogus in Graecam linguam versus. Nec vero ullum esse dubium, quin eae pestes, simul ac Lituania et Polonia penitus infectae sint, continuo et in Russiam et in Moscoviam et inde in ipsam quoque Graeciam pervasurae videantur. Quapropter cum aeque patriarcharum et metropolitanorum atque Romanae sedis intersit, ne tanta lues vagetur latius, decere illos communem pestem pari studio ac voluntate propulsandam

[1] Est « Deliberatio de instauranda religione in archiducatu Austriae », ed. a *I. G. Schelhorn*, Amoenitates historiae eccl. et literariae I (Francofurti et Lipsiae 1737), 616-678; de qua cfr. *Eder* l. c. 90 sqq.

[2] M i c h a e l H e l d i n g, ep. Merseburgensis 1550-1561, die 30. Sept. 1561 obiit, *van Gulik-Eubel* III 259. Qui, tum ep. Sidoniensis et suffraganeus Maguntinus, concilio Tridentino 1545-46 interfuerat, *Conc. Trid.* I 190 adn. 2, revocatus ab archiepiscopo suo discesserat Tridento 8. Ian. 1546, *Conc. Trid.* I 369, 12. Cfr. *N. Paulus*, M. Helding. Ein Prediger u. Bischof des 16. Iahrhunderts: Katholik 7 (1894) II 410-430; 481-502.

[3] A n t o n i u s B r u s d e M ü g l i t z 5. Sept. 1561 archiep. Pragensis nominatus est, *van Gulik-Eubel* III 297; qui postea orator regis Ferdinandi I in concilio Tridentino erat. Vide praeter *Conc. Trid.* VIII et IX, *Susta* I-IV; *S. Steinherz*, Briefe des Prager Erzbischofs Anton Brus v. Müglitz (Prag 1907), Einleitung.

[4] C a n o b i u s, qui Moscoviam profecturus erat, a Sigismundo Augusto Polonorum rege praepeditus est, ne iter arriperetur, *Conc. Trid.* VIII 205 adn. 1; 227, 30 sqq. Eodem tempore, quo Staphylus hoc scripsit consilium, iterum, card. Amulio incitante, nuntius Moscoviam destinatus est, Io. Giraldus, de quo cfr. *P. Pierling*, Rome et Moscou 1547-1579 (Paris 1883) 52 sqq.

a dominico grege christianorum iuvare. De Boëmis autem ac Moravis spem sane magnam quosdam polliceri, si apostolica sedes illos sibi (concessa duntaxat utriusque speciei communione) reconciliari curaret opera atque industria designati Pragensis archiepiscopi.

Denique id summo studio conandum, ut autoritate apostolicae sedis omnes nationes, omnes populi, omnes principes, qui catholicam fidem salvam, haereses autem profligatas esse velint, primo quoque tempore defensivum aliquod et arctum foedus inirent, quod sectariorum conspirationi ex diametro opponeretur. Sperandum enim, ut, quos dissipatae vires nostrae efficiant audaces, eis metum iniicere queant unitae atque concordes.

Haec sane, Beatissime Pater, eiusque generis similia, quorum quaedam superius significata sunt, multa silentio praeterita, sub praetextu huius concilii in oppido Tridento continuandi, geri efficique posse videntur ad conservandas catholicae religionis reliquias. Quarum salus nunc in eo, sicuti dictum est, versari creditur: Primum si inter eos, qui adhuc apostolicae sedis auctoritati parent, catholicae religionis doctrina repurgaretur ab erroribus (si qui fortasse clam irrepserint), si abusus amoverentur, si mores cleri reformarentur, si, quoad posset fieri, bona ecclesiastica recuperata in meliorem usum cederent; deinde si in hoc incumberetur sedulo, ut populus, qui alienatus est, reconcilietur, qui adhuc obediens, ut in obedientia contineatur, postremo si opera daretur, ut cleri copia passim haberi possit et seminarium aliquod plantari catholicae iuventutis. Etenim in hisce quantum rite effectum fuerit, tantum huius Tridentini concilii continuationem profuisse, merito nobis gloriari licere.

III.

1. Altera pars huius consultationis fuit, Beatissime Pater, de alio indicendo concilio. Quia enim cum res ipsa demonstret, concilium Tridenti inchoatum sic continuari posse, ut dissimulato nomine oecumenici sit cleri catholici reformatio, ut autem sit oecumenica quaedam haeresium in universo christiano orbe nunc grassantium refutatio, non posse. Quare siquidem, Beatissime Pater, non solum in Italia et Hispaniis, sed in toto etiam christiano orbe divinitus datus sit atque praefectus pastor universali dominico gregi Christi, non potest Beatissima S[tas] Tua non instare semper et urgere oecumenicum concilium, quo non solum uni consulatur nationi, sed universis simul maximeque his, quae egent pastorali curatione. Nam si oecumenicum concilium idcirco solet congregari, ut curet universos, et quoad eius fieri potest, iuvet singulos, censent viri graves, omnino sedulam operam dari oportere, ut queat universale concilium convocari, cum vitiosum videri posset, pauculas aliquot partes corporis, quae minus aegrotant, curare velle, et salutem totius corporis, quod fere laboret universum, negligere, siquidem toto pereunte et partes interire soleant. Bene habentibus autem non opus esse medico [1]. Italos vero atque Hispanos (quanquam ne hisce quidem desint interna quaedam sua et ad tempus latentia carcinomata) tamen non ita, uti nationes ceteras, laborare vehementer. At vero Gallos, Britannos, Scotos, Danos, Norwegios, Suedos, Livones, Lituanos, Polonos, Prutenos, Boëmos, Ungaros, Helvetios ac demum Germanos nostros varia diversarum pestium contagione infectos laborare, ad mortem usque decumbere infinitasque quotidie animarum myriades perire. Neminem sane, qui homo pius sit, eam tantam cladem non posse non magno cum moerore deplorare. Hisce igitur universis universalem oecumenici concilii medicinam necessariam esse, his tot antidotorum genera temperanda, quot diversarum haeresium agmina passim grassari animadvertantur.

Iure autem hic obiici posse pontifices iam multos annos nihil egisse magis sollicite, nihil impensius, quam ut oecumenicum concilium congregaretur; ad reges enim, ad principes, ad populos gentesque diversas ablegasse suos nuntios, ad concilium paterne invitasse, sed qua illorum erga sedem apostolicam obedientia et quo fructu christiani orbis, ex eventu cognitum esse. Pontifices quidem pastorali functos officio, hostes non inficiari, praedicare omnes pios; qui magnam putent haerere culpam in Germaniae praelatis, quia, dum saeculares principes esse malint quam spirituales antistites, fieri [!] demum, ut spiritualem ecclesiae gubernationem dignitatemque suam penitus amittant, saecularem non consequantur. Quo ex fonte hanc tandem lernam malorum promanare, praelati in hoc catholicae religionis agone magis quam ipsa torpedo torpeant. Vicissimque et hos nonnihil peccare, qui salutaria illa, quae sedes apostolica prudenter temperavit, caute tradiderit medicamenta, vel non admodum oportune vel non satis integre administrent aegrotanti orbi christianorum.

Nihil potuisse salubrius cogitari a sede Romana quam urgeri concilium oecumenicum, omnes fateri. Sed eosdem dubitasse semper, an hoc tempore, an eo in loco, an isto, quo

[1] Cfr. *Matth.* 9, 12.

redintegrari coeperit, modo continuandum fuisset. Cognitum enim esse planeque perspectum, sectariarum nationum principes nullo pacto ad id concilium, quod Romanus pontifex indixisset, venturos esse aut ex suis aliquem missuros. Quod cum ipso sole clarius declaratum fuerit, haud commode factum videri, pontificios legatos ad principes et populos tam male affectos citra ullam praeparationem accessisse, cum nemo dubitare debuisset, quin eos tali legatione magis exasperatum quam placatum iri, eo quod, quoniam persuasi sint Romanum pontificem esse hostem Christi et adversarium suum, quem accusare velint, eundem nulla ratione neque concilii indictorem neque in concilio praesidentem iudicem admissuri videantur. Itemque haud oportuni consilii esse, ipsa capita litis statuere principium ac fundamentum sarciendae concordiae. Theologorum enim nonnullos non satis tempestive nunc editis libris clamitare, quod ad has sectarum controversias dirimendas nullum aliud sit medium, nullum aliud principium, nisi solus pontifex Romanus oecumenico concilio praesideat, causas iudicet, innocentes absolvat, condemnet reos [1]. Nihil autem esse neque verius neque magis legitimum, palam fateri, si salva esset ecclesiae sedisque apostolicae autoritas et apud catholicos hominesque sanos hoc diceretur; at vero nihil nunc periculosius nihilque magis sarciendae concordiae obstare, quam hoc in sectariorum vulgus spargere.

Fractae enim res ecclesiae cum sint, cumque haeretici dominentur, nos suppressi iaceamus, haud verisimile videri, illos hoc principium sedandae litis velle admittere, quod causam materiemque litis esse arbitrentur. Quia enim negent, ullo iure Romanum pontificem posse concilium oecumenicum convocare, posse iudicem esse, siquidem ipse tanquam pars rea debeat in concilium accersi et tanquam infinitorum malorum autor accusari.

Quo furore cum obstinati ac dementati sint sectarii, negant pii viri, se videre, quomodo hoc tale queat dari componendo dissidio principium, quod altera pars probet, altera improbet, altera ponat, altera reiiciat, sed omnino, si quoquo modo pax adhuc tentanda videatur, oportere eiusmodi aliquod proponi principium, quod utrique dissidentium parti commune sit et comprobatum, quodque eiuscemodi sit omnino, ex quo omnes sarciendae concordiae rivuli sic queant in diversas dissidentesque partes diduci, ut ex eodem fonte promanantes et per eadem media ducti tandem in eodem etiam et communi exitu ac fine copulari atque coire

[1] *Io. Ant. Delphinus* (de quo vide supra p. 72 adn. 3) in libro suo « De tractandis in concilio oecumenico » (Romae 1561) f. 7ʳ haec scripsit: *Necesse est, ut, qui futuri sint in concilio tanquam illius partes et membra legitima, ad iudicandum de doctrina et moribus et ad definiendum et ad componendos et promulgandos canones tum in secreto coetu tum in publica sessione patrum ecclesiasticam authoritatem habeant potestatemque huiusmodi, ut catholicum et verum concilium constituant, cui sit plane integrum efficere, quaecunque ad propagandam christianam religionem attinent. Hanc vero a nemine praeter episcopum et pontificem Romanum queant sumere, quippe cum in eo solo plenitudo insit ecclesiasticae potestatis quam quidem solus immediate accepit a Iesu Christo quamque aliis porro ipse, quibus et quantum voluerit, impartitur, ut nemo possit ne paululum quidem ecclesiasticae iurisdictionis habere, nisi papa illum reddiderit participem.*

Th. Campegius, De auctoritate sacrorum conciliorum (Venetiis 1561) c. 10: Quis praesideat universali concilio (f. 31ʳ) ait *Romanum pontificem per se aut per suos legatos praesidere concilio*, et f. 33ᵛ-34ʳ rationes adducit, quae suadeant, ut pontifex ipse personaliter intersit concilio.

Kal. Augusti 1561 Ferrariae prodiit: « Contra responsiones et protestationes eorum, qui ad generale concilium venire contemnunt: qui tantum ad Augustanam confessionem se referunt, *Io. Maria Verratus* Ferrariensis Carmelita de maxi[ma] conciliorum ac summi pontificis auctoritate ad Pium IIII pont. max. » (sine foll.) In p r i m a libelli sui parte (f. A2ʳ-F1ʳ) V., ut ipse ait, *contra haereticos certe veteranus ac strenuus miles* (cfr. *F. Lauchert*, Die italienischen literarischen Gegner Luthers 423-439, praes. 436 sqq.) decem affert rationes pro concilii generalis iudiciaria auctoritate: *Quodlibet generale concilium in Spiritu Sancto congregatum universalem ecclesiam repraesentat et est supremum tribunal eandemque habet potestatem ad quodcumque decernendum et statuendum et diffiniendum* [ac concilium apostolorum] (fol. B1ʳ, cfr. etiam rationem 3). Generale concilium in rebus fidei non potest errare (ratio 4), dubia solvit emergentia (ratio 9), haereses damnat (ratio 10); auctoritatem habet super scripturam (ratio 2) eiusque *veritatem ostendit* (ratio 7); *potest insuper leges et constitutiones statuere et eas mutare secundum exigentiam temporum* (ratio 8).

In s e c u n d a parte (f. F1ʳ-G2ʳ) de Romani pontificis auctoritate inter alia imperii electores illam negantes interrogat, quo iure et qua auctoritate imperatorem eligant, qua item ratione a pontifice electi confirmationem [!] et coronationem quaerant.

De pontificis et concilii auctoritate inter se comparata ait f. G2ʳ: *Et si quispiam quaerat, an papa sit supra concilium, i. e. maioris auctoritatis an non, ita breviter respondendum est: Si generale concilium accipitur pro toto corpore ecclesiae congregato simul cum suo capite, omne totum esse maioris autoritatis qualibet sua parte, et quis non agnoscit totum corpus praestantius esse ac potestate maius capite suo? Quicquid enim papa determinat cum omnibus patribus in generali synodo congregatis ad christianam religionem pertinens, non potest deinde per seipsum illud aliter determinare. Si autem accipitur generale concilium tantum pro congregatione patrum dempto capite, si papa est pastor universalis, cui Christus tradidit curam omnium ovium suorum, et si generale concilium ad gregem spectat, proculdubio ipse est autoritate et potestate maior.*

Quae Verratus a concilio exspectat, haec sunt: *Celebretur igitur, S^me^ Pater, concilium Tridentinum; confirmentur omnia, quae decreta fuerunt in synodis generalibus; removeantur multi abusus; reformentur mores; damnentur omnes Lutheranorum haereses et ii, qui ecclesiae Romanae obedire contemnant* (f. D1ʳ).

possint. Nam geometriae regulam esse, quod non data aliqua et concessa communi linea, nec ulla dari possit figura: sic etiam non dato receptoque communi aliquo, quod pars utraque recipiat, principio, nec ullum concordiae sarciendae medium formari posse nec ullum finem evolvi.

2. Inter catholicos autem et horum temporum sectarios nihil penitus commune relictum esse nisi nudum scripturae sacrae textum, quem sacra biblia appellamus. Eum namque scripturae sacrae textum, quoniam nos tanquam Dei verbum amplexi simus, eundem se quoque amplecti sectarios profiteri. Ex hoc igitur principio, quod unicum solumque restet atque pars utraque complexa sit, refellat neutra, omnes sedandae litis rivulos duci oportere, plerique homines pii rerumque haereticarum peritissimi iudicaverunt. At vero quaeri iam posse, quanam lege ex hoc isto utriusque partis communi principio via aliqua reperiri queat, quae errantes ad placatam veritatis investigationem deduceret et litigiosam praeteriret crepidinem erroris. Tempestive sane! Quanquam iidem illi pii viri non ignorent, quam arduum illud sit, et longius quidem quam pro brevi instituto patere, tamen sic illi quidem pio zelo, et pro sua erga sedem apostolicam fide in hanc sententiam pene omnes unanimes.

Postea vero, quoniam nihil propemodum catholicis cum sectariis commune relictum sit praeter scriptum divini verbi textum, quem venerentur utrique, neutri repudient, iam dispiciendum, cum in hoc consentiamus, quid illud sit, in quo dissentire existimemur. Mox eam incidere quaestionem, an scripturae sacrae adeo per se clarae sint atque apertae, ut nulla egeant interpretatione, vel contra adeo arcanis abstrusae mysteriis, ut egeant. Hoc quoniam catholici tueantur, illud sectarii, tantisper in ea disceptandum quaestione, quoad luce meridiana clarius intelligant principes, scripturas sacras exponi omnino oportere. Tametsi autem Lutherus initio huius dissidii omnem prorsus repudiarit scripturae sacrae explicationem [1], semper nudum efflagitans et expressum Dei verbum, ab hoc tamen proposito Lutherum ipsum quidem occulte, palam vero ipsius discipulos resiliisse iam pridem. Eamque ob causam nunc huius quaestionis discutiendae non magnam fore difficultatem. Deinde vero, postquam concessum sit atque receptum, exponi scripturas sacras debere, illico secundam fore quaestionem, quaenam scripturarum interpretatio omnium optima atque verissima sit, quae iure debeat pro orthodoxa haberi et pro legitima. Sed haec quaestio cum bipartita sit, prius discutiendum, quae sacrorum bibliorum versio authentica debeat esse, num translatio graeca, quae nunc circumfertur, num latina illa vetus, quae hactenus in ecclesiis passim usurpata fuit [2]; postea de sententiarum interpretatione videndum. Quod ad translationem attineat, aliquid futurum difficultatis, quae tamen facillime amoveri posset, si Beatissima S[tas] Tua ex Vaticana bibliotheca graecum istud exemplar [3], quod LXXII interpretum esse constat, promeret edique Venetiis aut Basileae curaret, publica autoritate adhibita eius magistratus, ubi typis excuderetur, ne adversarii de veritate scripti exemplaris et de fide editionis cavillari aliquid possent. Putant viri graves, ea LXXII interpretum graeca versione posse omnem disceptationem, quae ex hebraicae linguae phrasibus consueverit fieri, omnemque latinae editionis, quae alicubi parum commoda videatur, penitus praecidi. Existimant alii quidam, posse hanc de versionibus quaestionem initio praeteriri silentio, quoad tandem ventum ad celebrationem concilii.

Alterum vero interpretandi genus, quod in explicandis scripturarum sententiis positum est, eam spectat quaestionem, sectariine an vero catholici rectius scripturas sacras intelligant, verius magisque orthodoxe interpretentur. Quia enim scripturas sacras interpretantur catholici, interpretantur sectarii, hi secus, illi secus; imo nec uno sensu, sed plerumque contrario easdem scripturarum sententias proferunt sectarum magistri. Quocirca tot ubique licet audire diversas sibique ex diametro pugnantes de eadem re opiniones, quot passim wagari videmus schismaticorum gregum duces. Quas tam multiplices variasque scripturarum expositiones credunt viri graves neque conciliari, etiamsi tantum verbis pugnent inter se, neque ullo iure, si sententiis dissentiant contrariis, refutari posse, nisi certus aliquis reperiatur canon, qui tanquam certissimus iudex et quasi digito demonstrans dicat: Haec interpretatio scripturarum orthodoxa et vera est, illa falsa, adulterina, haeretica. Si eo igitur res, inquiunt, perducta non fuerit, certa ut sit communisque utrique dissentientium

[1] Cfr. supra n. 76 adn. 22a et *O. Ritschl*, Dogmengeschichte des Protestantismus I (Leipzig 1908) 77 sqq.

[2] Mirum est Staphylum decreti concilii Tridentini sess. IV editi de editione et usu sacrorum librorum ne mentionem quidem facere.

[3] Scilicet codicem illum celeberrimum Vaticanum (B), qui totam continet Bibliam, phototypice expressum Mediolani 1905 sqq. De controversia inter Erasmianos et Steuchum eiusque sequaces, quis sit valor textus LXX, vide *Th. Freudenberger*, Augustinus Steuchus (Münster 1935) 146 sqq.

parti interpretatio scripturarum, frustra cogi concilium, frustra tentari concordiam, frustra tantos sumptus fieri tantosque impendi labores. Sectarii enim quoniam semper clamitent petantque sibi dari non suspectum iudicem, nullum ergo posse dirimendae litis minus suspectum dari iudicem quam verum, quam orthodoxum, quam communi partium consensu receptum scripturae sacrae intellectum aut sensum. Etenim si unquam haereses damnandae, si tollendae, si penitus eradicandae sint, eas huius sententia iudicis damnari delerique oportere. Sectariis itaque non suspectum iudicem flagitantibus haud quicquam aliud respondendum esse nisi: Orthodoxus et verus divini verbi intellectus iudex esto. Si enim quicquam vel sanae mentis vel humani pudoris in principibus reliquum sit, non posse eum, quem ipsimet expetiverint antehac semper, iudicem repudiare, quando nullus in rerum natura iudex alius, qui minus de corrupto iudicio suspectus sit (nisi Deus ipse de coelo velit loqui) usquam dari posset. Proinde non humanam fore, sed belluinam vocem sectariorum, si dicerent, se orthodoxum verumque divini verbi intellectum non velle admittere iudicem.

3. His duabus expeditis quaestionibus continuo tertiam sequi. Cum Dei verbum interpretandum sit, cumque orthodoxa ac vera divini verbi interpretatio seu intellectus debeat esse controversiarum iudex, ut iam investigetur, siquidem varii passim prorsusque contrarii scripturarum intellectus proferantur, *quinam ex tam diversis dissidentibusque scripturarum interpretationibus intellectus pro verissimis, pro optimis atque orthodoxis censeri debeant.* Fieri enim posse, ut ex falso verum consequatur, sed ut ex vero falsum, esse impossibile. Eaque de causa fieri, cum plus uno, praesertim in eodem genere, verum esse non possit, ut cuncta cetera, praeter hoc unum verum, vera esse non queant, sed falsa et sint et maneant semper. Cum ergo tam variae tamque intersese dissidentes scripturarum interpretationes proferantur passim, alterum fieri posse, ut earum nulla sit vera, quod contrariis propositionibus saepe soleat evenire; alterum vero non posse, ut plus una vera sit, quemadmodum in contradictoriis perspicuum. Quam ob rem hoc ita cum sit, omnem operam impendi oportere, ut talis quispiam inveniatur canon, quo unica illa vera scripturarum interpretatio dilucide deprehendi cognoscique per se et a ceteris falsis certo dignosci queat.

At vero quis iste tam certus tamque dilucidus canon dari potest, quo citra ullam dubitationem vera scripturarum interpretatio cognosci queat, dignosci falsa? Norunt pii et catholici viri, vivam ecclesiae inprimisque Beatissimae Stis Tuae vocem esse quidem legitimum veritatis declarandae canonem. Verum quia cum eo dementiae devenerit maxima pars christiani orbis, ut sedem apostolicam non vereantur homines perditi sedem vocare Antichristi, pie creditur tali tempore a summo iure nonnihil remittendum esse, nec tam, quid iure fieri deberet, attendendum, quam quid pro seductarum gentium salute salutariter obtineri posset. Eamque ob causam suadent viri graves, hac in quaestione prorsus nullam fieri debere mentionem neque de traditionibus sanctorum patrum, quas sectarii fallaces hominum opiniones esse persuaserunt populo, neque de authoritate sedis Romanae, quam angue oderunt peius, sed libere pronuntiandum, eum esse certissimum verae interpretationis a falsa discernendae canonem, cum quaelibet scripturarum interpretatio a nobis demonstrari queat: *Primum* quod sit ab apostolis tradita; quod ab horum discipulis suscepta atque usurpata; quod in orbem christianum ubique sparsa semperque defensa; quod ad nostram aetatem usque propagata atque ob id una, sancta, vera, apostolica et catholica scripturarum interpretatio iure vocetur. *Deinde* quod omnes huius christianae doctrinae, quae ex tali scripturarum interpretatione contexti sint articuli, multis variisque divinis miraculis comprobati possint evinci. *Postremo* quod ecclesia ea, quae eiusmodi scripturarum interpretationem semper et ubique professa sit, debeat una, sancta, apostolica et catholica ecclesia esse et dici. *Praeterea demum*, quod omnis huius catholicae ecclesiae res, quae Novi Testamenti est, evidentibus figuris Testamenti Veteris expressa queat edoceri. Ad hunc sane quadripartitum veritatis evincendae canonem quaecunque scripturarum interpretatio quadret, affirmant pii doctique viri, citra omnem controversiam esse verum, esse orthodoxum, esse sanctum, esse apostolicum et catholicum divini verbi sensum atque intellectum, qui iure et possit et debeat iudex praesidere in concilio, causas cognoscere, sententias ferre et dogmata, quae vera sunt, approbare, damnare, quae falsa.

Quanquam autem credi posset, si hic iste canon admitti deberet, non nihil derogatum iri sanctorum patrum traditionibus, multum synodorum decretis, plurimum authoritati sedis apostolicae, ita prorsus timendum esse existimarent viri sapientes, nisi evidenter cernerent, canone illo, quem diximus, quadriformi obtento ac salvo omnia reliqua obtineri posse salvaque esse futura. Namque eum scripturae sacrae intellectum, qui, quod apostolicus sit,

probari potest, Dei esse verbum, non humanae opinionis traditionem, omnes sectarios fateri oportere. Deinde eundem scripturarum intellectum, qui, quod sit catholicus, potest evinci, inde ab apostolis profectum esse, ab horum successoribus acceptum semperque propagatum, a sanctis patribus ubique explicatum, a conciliis comprobatum atque ita ad nos illaesum pervenisse, ipsa vi vocabuli catholici manifesto edoceri. Praeterea si constet hunc talem scripturarum sensum sacrosanctum esse, nemini ullum illius apicem convellere licere. Denique si demonstratum fuerit, inter tot dissidentes scripturarum intellectus plus uno verum esse non posse, quin continuo sequatur, unum in ecclesia catholica caput necessario constitui debere. Eiuscemodi enim cum istarum quatuor notarum inter sese sit mutuo connexus, ut citius omnes repudientur, quam una queat a reliquis divelli, ipsas sibi ex sese fidem veritatis struere [1].

4. Sperant pii viri ac graves, si cum mansuetioribus Germaniae principibus in hunc, quem retulimus, modum privatim in proximis comitiis ageretur a Caesare, non omnem oecumenici concilii spem abiiciendam videri. Verum hoc, quo dexterius possit cautiusque tractari in comitiis, nihil esse hac in re tentandum nisi ex occulto consilio Rev^mi^ nuntii apostolici. At vero, sicuti supra dictum est, Caesaris fidei hoc negotium et industriae committendum, qui in comitiis hos duos electores, Saxonem et Brandeburgensem, in conclave suum ad se privatim accerseret et quasi aliud agens obiter inciperet per occasionem conqueri de praesentibus Romani imperii exitiosisque religionum controversiis ostenderetque, nisi finis tandem imponeretur, facta inter tot dissidentium partes pace, non Germaniam modo, ex qua hoc malum ortum sit, sed cunctas etiam vicinas gentes mutuis dissensionibus tandem funditus perire oportere. Sibi autem videri, quod citra ullum ullius humanae salutis discrimen posset certo quodam et pio salutarique modo totum hoc negotium componi, si saltem concepti odii affectiones paulisper moderari vellet utraque pars.

D u o autem huius tractandi negotii cum sint m o d i, alter directus, alter indirectus, d i r e c t o Caesarem uti posse, si exemplo Theodosii imperatoris [2] significaret illis duobus, quos paulo ante nominavi, electoribus, se optimum habere componendi omnis dissidii modum, quippe si vellent Protestantes de universa dissidiorum causa Dei verbum et huius sanum, verum atque orthodoxum intellectum vel sensum ferre iudicem. Procul dubio electores responsuros esse, se suosque nihil aliud concupisse hactenus, quam Dei verbum in germano et vero suo intellectu ut iudex sit controversiarum. Caesar vero eiusmodi nactus responsum peteret hoc negotium, ut verus ille divini verbi intellectus constitui possit, committi duobus doctis et mansuetis theologis, quorum alterum ipse vellet dare suum, alterum darent electores. Has porro theologos iuberet Caesar in conclavi suo coram se vel coram alia illustri persona privatim (ut eo pacatioribus animis res gereretur) hoc ordine, quo supra ostensum est, eum investigare scripturarum intellectum, qui unus sit et apostolicus et catholicus. Si ea talis tractatio succederet inter duos theologos, possent deinceps plures adhiberi. Spes autem

[1] Fr. Staphylus eodem anno 1561 librum edidit « Christlicher gegenbericht an den gottseligen gemainen layen », dedicatum Martino ep. Eystettensi, in quo f. C1^r^ haec scripsit:

Sed iudicem quaeris modumque futuri concilii? Non intempestive forsitan. Nam Protestantes ex sua gente volunt iudicem legi, catholici ex sua, itemque alium hi, illi alium modum. Affectus enim utrobique privati metuuntur et iudicium ex affectionis vitio, non ex veritatis indicio profectum. Quid igitur faciendum, ne iudex suspectus sit, ne iudicium fallax timeantur? Dei verbum iudex esto, et huius certa, orthodoxa, catholica interpretatio.

In hoc quidem, paulo post ait (f. C4^v^), *conveniunt omnes sectarii cum orthodoxis, quod utrique scripturam sacram uti Dei verbum amplexantur, allegant, defendunt; in illo dissident autem omnes sectarii ab orthodoxis, quod hi catholicum s. scripturae intellectum proferunt, illi privatum et haereticum; quod hi divinis miraculis fidei suae doctrinam divinitus comprobatam evincere possunt, illi non possunt; quod hi rem novae legis in ecclesia catholica queunt ex umbra legis antiquae demonstrare, illi non queunt.*

Principibus consilium dat, *quod Sisinius dedit imperatori Theodosio, videlicet, ut velint iubeantque suos concionatores ratum habere verumque statuere eum scripturae sacrae sensum, qui catholicus sit possitque ad apostolos revolvi divinoque miraculorum testimonio approbatus ostendi, contraque illum falsum, qui privatus sit, nec possit revolvi ad originem. Atque profecto, nisi hoc idem consilium, sive a me suggestum sive suppeditatum ab aliis probaverint, receperint, concordiam non inibunt, ecclesiam omittent, nosque Germani omnes aut Turcis praedae erimus, sicut Graeci sunt, aut Moscovitis, ut Livones, aut, quod durius erit, sempiterna servitute suppressi peribimus ut olim Iudaei, ut nunc Ungari et gentes pleraeque aliae* (f. D2^r^). Ut hunc librum, qui latine quoque Coloniae eodem anno 1561 prodiit (*Soffner*, Staphylus 131 sqq.), contra invectivam Iacobi Schmidle praedicantis Göppingae defenderet, non multo post edidit « Vortrab zu rettung des buchs Vom rechten waren verstand des gottlichen worts etc. » (1561), cfr. *Soffner*, Staphylus 148 sqq. Ubi (f. F1^r^) hoc exhibet summarium argumenti prioris libri:

Der rechte verstandt | oder die rechte ausslegung der heligen schrifft muss allain richter sein | und die ketzereyen verdammen und abschaffen.

Die catholische ausslegung der h. schrifft ist allain recht | und all andre seind falsch.

Darumb soll und muss die katholische ausslegung der heiligen schrifft richter | sein | und die ketzereyen verdammen.

[2] Cfr. supra p. 467 adn. 2.

bona habet viros peritos fore, ut is, qui antea descriptus est, explicandae scripturae canon tali via ac modo obtineri ab adversariis posset. Hos etenim solere, quoties contra suos scribant consectarios, eodem interpretandae scripturae canone uti, quemadmodum in Lutheri ceterorumque Lutheranicorum theologorum scriptis, quae illi vel in Zwinglianos vel in Anabaptistas vel contra consimiles ediderint, videre liceat etc.[1] Verum haec, Beatissime Pater, non ita meditatione absentis negotii quam industrio tractatu praesentis definire aut circumscribi possunt; latius enim hic agendi modus patet quam pro hac brevi extemporali consultatione.

Alter vero modus, quem indirectum dixi, nonminus longe diffunditur quam prior ille directus. Nam idem postulat principium, easdem requirit quaestiones, sed quasi aliud agendo, aliud simulando. De quo ita consulunt homines periti. Quia enim vehemens hoc tempore atque acerba exarsit inter Lutheranos et Zwinglianos contentio de sacramento eucharistiae, quae Lutheranos principes magis anxios reddidit quam ulla, quae cum catholicis est, controversia, eam igitur nactus ansam Caesar, de hoc dissidii genere obiter per oblatam oportunitatem sermonem captaret apud Saxonem et Brandeburgensem electores ac diceret, sperare se, si foedum illud, quod inter Zwinglianos et protestantes certamen incanduit, non obstaret, videri sibi ea omnia dirigi posse, ut catholici tandem possent cum protestantibus modum ineundae concordiae aliquem convenientem ac pium praebere etc. Se autem velle unum aut alterum dare peritum theologum, si ipsis placeret, darent suos quoque, qui errorem illum Zwinglii examinarent, discuterent certamque eiusdem erroris refutandi viam inter se in familiari collatione coram Maiestate Sua vel praesente aliquo illustri viro constituerent. Credunt viri periti, si huc res deveniret, nullum fore dubium, quin exercitatus theologus catholicus eo posset Lutheranum theologum arte quadam deducere, ut ex catholica scripturarum interpretatione uterque idem Zwinglianum dogma refutantes vera illa, quae superius commonstrata sunt, catholicae fidei nostrae principia ultro sint ambo constituturi. Ipsa enim experientia compertum esse, Lutherum omnino, quoties adversus Zwinglium aut Oecolampadium aut Anabaptistas disputet, eisdem solitum principiis nostris uti, idque non modo Lutherum, sed ceteros etiam protestantium theologos solere, cuius rei evidens argumentum extet in Vimariensium ducum comitumque Mansfeldensium editis confutatoriis libris[2]. At vero, quemadmodum antea dixi, neque hic neque ille agendi modus sic describi nunc potest per ideam negotii quam geri, sicuti speratur non intempestive, in ipso cursu actionis.

5. Tali autem aliquo ad futurum oecumenicum concilium instituendum praeparamento opus esse, putant viri graves, ut vel hoc saltem a parte Lutheranorum posset obtineri in futuro oecumenico concilio, ne catholicum scripturae sacrae intellectum repudient iudicem in hoc controversae religionis certamine. Nemini etenim videri dubium, quin, hoc dato receptoque modo iudicii, et veritas catholicae nostrae fidei victrix evasura sit et omnes posse lites tolli, omnes seditiones sectasque sedari.

At enimvero si theologi nostri nullum aliud velint sarciendae concordiae principium admittere nisi vivam vocem Romanae sedis, nec theologi sectarii aliud urgere nisi nudum scripturae sacrae textum, numquam ullum sperandum esse de hac dissidiorum digladiatione bonum finem. Contra autem, si utraque pars induci posset, ut Dei verbum huiusque catholicum intellectum sedandis hisce fidei christianae controversiis sponte velint iudicem deligere, salvam fore tam apostolicae sedis authoritatem quam scriptum divini verbi textum integrum defensum iri. Atque hoc principium si in medio dissensionis interpositum non fuerit, omnes desperare, nisi altera parte funditus deleta, de omni pace christiani orbis.

Quamobrem, Beatissime Pater, omnes per totam Germaniam viri docti atque periti, qui hoc inter sectarios saxum iam annos multos volverunt, ita statuunt, ita concludunt: Si modo sedes apostolica has tot gentes ac regna, quae haeresibus infecta laborant, non prorsus tanquam perpetua anathematis securi resecta velit, sed adhuc sibi pro hac tanta dominici gregis parte vigilandum existimet, ut necessarium sit, nonnihil de summi debitique iuris

[1] Ex. gr. in libro Lutheri contra Zwinglium « Vom Abendmahl Christi Bekenntniss », *Luthers* Werke XXVI 262 sqq.; *W. Köhler*, Zwingli u. Luther I (Leipzig 1924) 622 sqq. De hac materia Staphylus noster tractavit « Christlicher gegenbericht » f. R2^{v}, S1^{r} et saepius.

[2] *F. Staphylus*, Christlicher gegenbericht f. Q3^{v}: *Und ist zwar Kein zweiffel | es sey dem also* [*scil. multas esse haereses inter Lutheranos*], *sintemal in kurtz verschiner zeit die Fürsten von Sachsen und die graffen von Manssfeld | yeder theil ein gross buch offentlichy haben in druck aussgeen lassen | in welchem aylfferlay secten erzelt | und als laesterliche ketsereyen verdambt werden. Als nemlich die Wiedertauffer, Servetianer, Stancarianer, Antinomer, Iesuiter, Osiandrischen, Melanthonische, Maioristen, Adiaphoristen, Schwenckfeldianer, Sakramentirer.* De libris ipsis vide supra p. 463 adn. 4.

rigore relaxare hoc tam aerumnoso tempore ecclesiae, quoad demum recuperatis viribus authoritatem apostolica sedes suam de integro instaurare possit. Quam ad rem credunt viri graves valde utilem fore eum, de quo paulo ante dictum est, scripturae interpretandae canonem et e duobus, quos recensuimus, alterum agendi modum.

Iam forsitan opus esset mentionem quoque iniicere alterius futuri concilii, quando hoc debeat indici, ut satis mature, quo in loco, ut oportune satisque tuto, quis convocare, ne contra morem ecclesiae, quo denique modo catholicus ille scripturarum intellectus tanquam legitimus iudex praesidere in concilio oecumenico vel possit vel debeat, ne laedatur authoritas apostolicae sedis.

Haec sane omnia, Beatissime Pater, explicato egent solertique consilio, cum in his, quantum vel peccatum imprudenter vel commissum temere, tantum in universa hac afflictae religionis causa periclitatum ire minime obscure appareat. De quibus tamen in ipsis, quae iam speramus futura, imperialibus comitiis ex ipsa re praesens poterit et maturum capi consilium.

Haec ego habui, Beatissime Pater, quae ex mandato Beatissimae S[tis] Tuae et iussu Rev[mi] apostolici nuntii deliberandi causa nunc scriberem, fretus paterna Beatissimae S[tis] Tuae clementia, qua non summos tantum excellentissimosque principes, sed homines etiam infimae sortis amplecti soles. Scripsi autem haec magis ex aliorum relatu doctissimorum virorum, qui rerum Germanicarum peritissimi habentur, quam ex ullo aliquo peculiario iudicio meo; idque plane non alia de causa, quam ut Beatissimae S[ti] Tuae humillimam meam paratissimamque in omnibus rebus obedientiam exhibere velle cognoscerer. Spero igitur Beatissimam S[tem] Tuam, etiamsi ineptas consultationes meas minime probaverit, obsequentissimum tamen recteque obediendi studium non improbaturum esse. Cui me studiaque mea humillime commendo.

79.

[Franciscus Cordubensis O. F. M.]: Ad Caesarem Ferdinandum de reformatione ecclesiae articuli [1].

[Ante 10. Octobris 1561].

Ed. *I. G. Schelhorn*, Amoenitates hist. ecclesiasticae et litterariae II (Francoforti et Lipsiae 1738) 501-546; *Le Plat* V 213-231. Cfr. *H. Loewe*, Die Stellung des Kaisers Ferdinand I zum Trienter Konzil vom October 1561 bis zum Mai 1562 (Bonn 1887) 43-71; *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 103-107.

Art. 1-13: De auctoritate conciliorum; art. 14-27: De munere et dignitate cardinalium; art. 28-46: De reformatione cardinalium, conclavis et papae; art. 47-62: Alia de reformatione, in primis per principes saeculares facienda.

Cogitanti mihi et cum animo meo saepe reputanti, Sacra Caes. M[tas], priorem illum sanctae ecclesiae statum, et mirum pariter et miserandum videri solet, quod imperantibus paganis principibus (de quibus scriptum est in *Psalmo* 2, [2]: *Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius*) crevit ecclesia et floruit per

[1] Auctorem horum articulorum fuisse Franciscum Cordubensem O. F. M. de observ. — non Staphylum, ut *Le Plat* l. c. opinatus est, nec episcopus quidam Hungariae, ut *Fikler* dicit — *H. Loewe*, Die Stellung des Kaisers Ferdinand I zum Trienter Konzil (Bonn 1887) 50 sqq. demonstravit, quem secutus est *Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I 103.

Ex iis, quae infra ad introductionem et ad art. 5 adnotabimus, satis perspicuum est articulos anno 1561 exeunte esse scriptos; sed habemus certum « terminum ante quem ». Nam ante 10. Octobris 1561 compositi esse debent, quia Seldius vicecancellarius illo die dicit, *Scriptum articulatum reformationem ecclesiae, praecipue vero curiam Romanam concernens* marescalco Trautson esse transmissum, quod *scriptum* idem esse videtur cum nostris articulis. Cfr. quae *Sickel* in dissertatione saepius laudata: Archiv für österreichische Geschichte 45 (1871) 11 disseruit. De *vita* auctoris paucissima sunt nota. Erat filius provinciae S[ti] Iacobi, postea confessarius reginae Mariae, sororis Philippi II et uxoris Maximiliani II; cuius integritati et zelo etiam imperator Ferdinandus I multum tribuit. Card. Hosius virum pium et doctum appellat (*Nuntiaturberichte* II. Abt. I 209), Delphinus autem de eo paulo post (11. Febr. 1563) scribit: *Il Francescano è di nation Spagnuola, vecchio, severissimo, et che non dirà mai se non che la corda si tiri più oltra-che ha di molte fantastiche opinioni che si ponno vedere ne li scritti suoi, et è huomo di troppo libera lingua. Nuntiaturberichte* II. Abt. III 188. Edidit plures libros: « Tractatus de haereticis recipiendis » (Pragae 1562) — quem non vidi — et « Annotationes catholicae in religionis articulos a sectariis controversos » (Viennae 1567 et Coloniae 1572). Cfr. *Wadding*, Scriptores 78; *Sbaralea*, Suppl. 250; *Hurter*, Nomenclator III 57 sq. etiam libri « De officio praelatorum » (Pragae 1662) mentionem facit.

universum orbem. At imperantibus christianis principibus (de quibus in eodem *Psalmo* 2, [10 sq.] scriptum est: *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, servite Domino in timore*) Christi ecclesia angustatur et diminuitur in dies, ita ut cum Ieremia illam possimus lamentari [1]: *Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua, domina gentium. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius* [2]*!* Haec non humana, sed divina est providentia, quae omnia disponit in sui nominis gloriam, et *ut non glorietur omnis caro* [3]. Pagani principes oppugnantes Christi ecclesiam non potuerunt expugnare eam, imo persecutione augebatur; et christianorum principum multitudo meritorum, quae copiosa fuit erga ecclesiam, non tantum profuit Dei ecclesiae, quantum profuit odium et tyrannis paganorum, imo pace a principibus christianis et divitiis donatis ecclesiae adimpletum est, quod Moyses prophetavit *Deut.* 32, [15]: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit.* Dilectus iste in ecclesia est clerus, qui impinguatus divitiis, et relicta cura Christi ovium pascit se ipsum et spirituale studium mutavit in corporale; unde ortae sunt haereses in ecclesia et schismata et abusus, quae mala gravius et periculosius insectarunt christianam rempublicam quam paganorum et tyrannorum rabies, quia hic corporis, illic salus animae periclitatur. Ut ab istis malis liberentur fideles, Christi ecclesia desiderat christianorum principum auxilium, quorum tu, imperator maxime, primatum tenes; quod auxilium omnes principes ferre debent, quia sunt filii ecclesiae Dei et reipublicae moderatores principes. Apostolus hoc Paulus suo facto ecclesiam docuit, cum imploraret principum et legum civilium auxilium. Quoniam Paulus, ut evaderet tyrannidem Iudaeorum, appellavit Caesarem [4] et apud tribunum Romanum, ne caederetur flagellis, allegavit se esse civem Romanum [5]. Et ut paucis agam, Thomas de Vio Caietanus, sanctae Romanae ecclesiae praesbyter cardinalis tit. S. Sisti [a], qui inter propugnatores primatus et auctoritatis papae primatum tenet, in opusculo de auctoritate papae et concilii cap. 27 ad 2 sic ait [6]: *Resistendum est ergo etiam in faciem papae publice dilanianti ecclesiam, verbi gratia, quia non vult dare beneficia* [*ecclesiastica*] *nisi pro pecunia aut pro commutatione officii, et cum omni reverentia et oboedientia neganda est possessio talium beneficiorum his, qui emerunt, et alleganda est causa simoniae, etiam cum papa commissae; et sine dubio principes saeculares et clerus gladium de manu furiosi tollerent. Multae sunt viae, quibus absque rebellione principes mundi et praelati ecclesiae si vellent uti, resistentiam impedimentumque abusus potestatis afferrent. Sed quando principes et praelati non curant nisi quasi somniando, cur conqueruntur, quod non potest deponi? Cur opponunt, quod potestas data est in aedificationem et non in destructionem? Abusui namque, qui destruit, obviam eant congruis mediis, non oboediendo in malis, non adulando, non tacendo; arguendo, advocando illustres ad increpandum, exemplo Pauli et praecepto eiusdem. Dicite archiepiscopo: Vide ministerium tuum in Domino, ut illud impleas, ad Coloss. c. ultimo* [v. 17] *et parum aut nihil abutetur potestate.* Haec Caietanus. Ad hoc munus imperator vocatus es a Deo, hoc munus executi sunt olim sacri Caesares, et in praesenti saeculo maxime ab ecclesia desideratur, quae diu laborat haeresibus, schismate et abusibus, et ab omnibus his malis ut liberetur, via a Deo ordinata est ecclesiae, generale concilium, quod iam instat [7].

Proponenda in concilio generali, ut diffiniantur.

1. Post Domini nostri Iesu Christi ad coelos ascensionem et Sancti Spiritus adventum super Christi discipulos ecclesia catholica hunc servavit morem, quod in illis, quae ad fidem et mores pertinent, si orta fuerit aliqua difficultas et contentio, non per aliquem unum hominem, quantumvis in pretio habeatur, sed per multos in concilio congregatos diffiniatur, quid sit tenendum tamquam certum et verum; hoc manifeste tradunt ecclesiasticae historiae. Mos vero iste congregandi concilium ab apostolis traditus est. Nam *Act. apost.* c. 15, [1 sqq.], cum esset in ecclesia Antiochena dissensio de circumcisione, missi sunt Paulus [et] Barnabas Ierosolymam ad apostolos et prophetas et presbyteros, qui convenerunt in concilio, in quo fuit Petrus; qui cum esset princeps apostolorum et haberet prophetiae donum

[a] *Edd.* Viti

[1] *Thren.* 1, 1. [2] *Rom.* 11, 33.
[3] *1 Cor.* 1, 29.
[4] *Act.* 25, 11.
[5] *Act.* 22, 25.

[6] Opuscula omnia (Venetiis 1588) 29; omittit auctor nonnulla.
[7] Ex his quoque verbis sequitur, concilium nondum fuisse apertum, cum Franciscus Cordubensis scripsit.

potuissetque solus diffinire, quia poterat condere sacram scripturam, tamen noluit sine aliis apostolis et presbyteris diffinire ea, quae ad fidem et mores pertinent. In hoc docuit Petrus ecclesiam, quod nullus solus debet diffinire ea, quae ad fidem et ad mores pertinent, etiamsi sit papa, sed concilium, quod ecclesiam repraesentat.

2. Etsi papa sit Petri successor in sede Romana et sit Christi vicarius, tamen non succedit Petro in dono prophetiae, quia papa non potest condere sacram scripturam, sicut Petrus et alii apostoli potuerunt, et ideo papa ad deffniendum ea, quae sunt fidei et morum, indiget concilio patrum, quia non debet definire ut persona privata, sed ut persona publica.

3. Ecclesia Antiochena misit Paulum [et] Barnabam ad concilium Hierosolymitanum [1]. In hoc facto ecclesia docetur, ut ad concilium mittat eos, qui habentur in pretio in ecclesia; etiam cum Paulo et Barnaba ascenderunt ad concilium illi, qui excitaverunt seditionem circa circumcisionem. Isti sunt haeretici, qui in concilio sunt audiendi. In hoc etiam facto ecclesiae Antiochenae docetur quaelibet ecclesia particularis, ut petat ab ecclesia universali, quae repraesentatur in concilio generali, quid sit tenendum circa fidem et mores.

4. Paulus *ad Gal.* c. 2, [2] dicit, quod ascendit Hierosolymam secundum revelationem, hoc est ex Dei praecepto, ascendit ad apostolos et contulit cum illis evangelium, quod praedicavit inter gentes. In hoc facto Paulus docet ecclesiam, quod quilibet fidelis, quantumvis sanctus et eruditus in lege Dei, etiamsi sit alter apostolus Paulus, ea, quae sunt fidei et morum, debet petere non a se ipso nec a quovis erudito et probo viro, sed ab ecclesia, quae in concilio generali repraesentatur, et ut Paulus conferre ea, quae credit, cum iis, qui sunt in pretio in ecclesia. Isti sunt patres congregati in concilio generali.

5. Etsi difficilius sit congregare concilium generale, difficilius tamen est iam congregatum ad desideratum perducere finem; nam abhinc sedecim annis congregatum est Tridenti concilium a Paulo papa III sub Caesare Carolo V [2], et non fuit consummatum. Quae vero fuerit causa, a me ignoratur, hoc tamen fuit omnibus manifestum, quod Paulus III Caesare contradicente praecipit patribus, qui erant in concilio congregati, ut discederent a Tridento [3]. Nemo est qui ignoret, quantum malum ista dissolutio Tridentini concilii catholicae attulerit ecclesiae. Nec est ecclesiae consuetudo, sed abusus, interrumpere concilium seu suspendere et non perducere ad desideratum finem, quando est canonice congregatum. Iste abusus cum aliis inolevit in ecclesia. Nam in concilio Constantiensi patres petebant ecclesiae reformationem a Martino papa V, quem concilium creaverat in papam, et non obtinuerunt, quia papa finivit concilium, antequam de reformatione aliquid statueretur [4]. Concilium etiam Basiliense legitime congregatum dissolutum est ab Eugenio papa IV, et patres, qui erant in concilio, deponentes Eugenium elegerunt alium papam [5]; et sic fuit schisma in ecclesia, quod sedatum fuit in concilio Florentino. Obviandum est primo huic abusui. Quod fiet, si papa det fidem, quod non dissolvet concilium nec interrumpet nec suspendet nec mutabit locum concilii assignatum sine consensu totius concilii et imperatoris et aliorum principum, quorum oratores sunt in concilio. Imperator et principes debent hoc petere a papa simul cum concilio tamquam necessarium ad hoc, ut concilium perveniat ad desideratum finem.

6. Iulius papa III sub Caesare Carolo V statuit resarcire concilium Tridentinum, quod dissolutum fuit a Paulo III, et non obtinuit, quia Galli non venerunt, et propter bellum secundo dissolutum est concilium Tridentinum. Ideo exorandi sunt principes, ut sectentur pacem et publica fide et iuramento pax firmetur inter principes christianos, ut concilium ad desideratum perveniat finem.

7. Duo sunt, quae maxime ab ecclesia Christi desiderantur, et propter ista duo congregantur concilia ex patrum traditione in ecclesia: Primum est, ut omnes unam teneant fidem; secundum est, ut mores componantur secundum fidei regulam. Istud secundum est primo diffiniendum a patribus in concilio, quia in hoc nostro saeculo haereses ortae sunt ex malis

[1] Cfr. *Act.* 15, 2.

[2] Concilium Tridentinum congregatum est primum anno 1545 exeunte; si numeras abhinc 16 annos, ad annum 1561 exeuntem pervenis, quo articuli sunt scripti. Vide supra p. 489 adn. 1.

[3] Paulum III nequaquam nec legatis nec patribus concilii praecepisse, ut Bononiam se transferrent, Acta *Conc. Trid.* V 1012 sqq., epistolae *Conc. Trid.* X 834 sqq. ceterique omnes fontes demonstrant.

[4] Hoc quoque loco errat auctor; nam licet reformatio a Martino V non ad finem desideratum perducta sit, tamen sess. XLIII septem decreta reformatoria edidit; item concordata multa de reformatione continent. *Hefele* VII 349 sqq.

[5] Scil. Felicem V. Quod ultimum schisma usque ad annum 1449 protractum est, quo Felix V resignavit. Concilium Florentinum iam antea (23. Martii 1440) antipapam haereticum et schismaticum declaraverat, *Hefele* VII 790.

clericorum operibus. Cum enim ecclesiastici sunt lux mundi et aliqui eorum non solum non illuminant, quia sunt ignorantes, sed scandalizant populum mala operando, oportet, ut clerus incipiat facere et docere. Sic secundum Lucam Iesus incepit facere et docere [1]. Primum est facere, hoc ad mores pertinet; secundum est docere, hoc ad fidem et dogmata pertinet; mala enim opera haeresibus aperiunt ianuam. Nam dicit Sapiens [2]: *Excaecavit eos malitia eorum*, et Paulus, postquam narravit peccata gentium, *ad Rom.* c. 1, [28] dixit: *Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum.* At bona opera parant viam ad fidem, et bona opera infidelium aedificant, necdum fidelium. Dicit enim Iacobus cap. 2, [18]: *Ego ostendam tibi fidem meam ex operibus.* Hoc faciat clerus, maxime ecclesia Romana, ostendat per opera fidem, quam habet et quam vult docere haereticos. Christus dixit [3]: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* non dixit: « Videant fidem vestram », quia fides operibus manifestatur, et *fides sine operibus mortua est* [4], et fides sine operibus non solum non aedificat, sed scandalizat. Si clerus rediret ad patrum antiquorum mores, non est dubium, quin haeretici relicto proprio sensu amplecterentur communem ecclesiae sensum, et pagani reciperent verum fidei lumen.

8. Concilio patrum congregato diffiniendum est, si illud concilium repraesentet ecclesiam, sicut comitia, quando congregantur, repraesentant imperium aut regnum, ita ut, quae statuuntur in comitiis, censentur statuta a toto imperio aut a toto regno; sic quae diffinita sunt a concilio, censentur diffinita a tota ecclesia. Si concilium hanc non habet auctoritatem, frustra congregatur concilium.

9. In concilio, ubi non est praesens papa, sunt tamen eius legati et vicarii, ea, quae diffiniuntur et statuuntur a concilio repraesentante totam ecclesiam, sic sunt firma et confirmata per hoc, quod diffinita [sunt] a concilio, absque alia papae confirmatione, quia legati et patres subscribunt. Et ista sola confirmatio apparet in multis conciliis, in quibus non desiderabatur alia confirmatio, nisi quod legati papae simul cum patribus subscribebant.

10. Si legati papae et vicarii dicunt sibi non esse commissam concilii et eorum, quae diffiniuntur, confirmationem, necesse est, aut quod papa det suis vicariis omnem auctoritatem ad confirmandum concilium, aut ipse personaliter sit praesens concilio, quia ecclesia desiderat concilium, in quo sit congregata omnis auctoritas ecclesiae, et quod non sit opus extra concilium petere auctoritatem ad confirmandum concilium, sed quod ipsummet concilium confirmet se. Nam quomodo concilium repraesentabit ecclesiam universalem, si in concilio non est auctoritas confirmandi concilium, cum et auctoritas et persona papae includatur in ecclesia. Aut ergo papa non est de ecclesia, aut, si est, suam auctoritatem in concilio cum ecclesia coniungat. Et sic concilium repraesentabit ecclesiam universalem, et in concilio erit omnis auctoritas, quae in Christi ecclesia reperitur.

11. Concilio canonice congregato et diffiniente aliquod dogma, quod ad fidem pertinet, si papa non approbat nec confirmat illud, quod diffinitum est, censendus est papa haereticus, quia contra diffinitionem concilii generalis videtur credere et non tenet fidem universalis ecclesiae, quae in concilio generali repraesentatur.

12. Concilio legitime congregato et statuente legem iustam pro bono ecclesiae et prohibente aliqua, quae sunt in pernitiem Christianismi, ut abusus et tyrannides et superstitiones et similia, si quae sunt in ecclesia, si papa non confirmat ista statuta verbo et opere, an censendus sit schismaticus, quia separat se ab unitate ecclesiae, quae est in concilio canonice congregato? Ecclesia enim est una sine papa, ut in morte papae, et ecclesia non potest esse schismatica. Papa vero erit schismaticus, si non vult administrare ecclesiam iuxta patrum consilium, sed vult administrare ecclesiam proprio capite veluti tyrannus.

13. Collegium cardinalium cum papa non repraesentat ecclesiam universalem, sicut concilium generale canonice congregatum; nam si collegium repraesentaret illam et similiter concilium, essent duo concilia repraesentantia ecclesiam; et sic esset schisma congregare concilium generale. Non ergo collegium cardinalium repraesentat ecclesiam.

14. Cum in ecclesia ex Dei institutione sint episcopi, apostolorum successores, et presbyteri et diaconi et alii inferiores ordines, cardinalatus non est ordo, nec papa potest in ecclesia instituere novum ordinem aequalem nec superiorem eis, qui instituti sunt a Christo.

15. Etsi papa sit episcopus universi christiani orbis, tamen non debet esse unus solusque episcopus; nam ex Dei ordinatione debent esse plures episcopi in ecclesia, quia Christus

[1] *Act.* 1, 1.
[2] *Sap.* 2, 21.
[3] *Matth.* 5, 16.
[4] *Iac.* 2, 20.

duodecim apostolos ordinavit et Petrus ordinavit Matthiam, qui succederet proditori, et apostoli ordinaverunt plures episcopos et presbyteros. Imo Paulus praecepit[1], ut per singulas civitates ordinarentur episcopi.

16. Episcopi ex Dei ordinatione debent pascere oves Christi, et ad hoc debent residere in suis ecclesiis, quia per se ipsos et non per vicarios debent pascere oves, et sic non possunt esse praesentes Romae et assistere papae ad expedienda negotia ecclesiae nisi in concilio. Quod non est congregandum ex levi causa, ne detur occasio episcopis deserendi oves Christi, quas tenentur pascere.

17. Papa cum sit episcopus ecclesiae universalis et ei sit cura omnium ecclesiarum, elegit aliquos presbyteros et diaconos ex sua particulari ecclesia Romana, quos vocant cardinales, ut sint ipsi papae a consiliis; quia episcopi, qui sunt papae fratres et primarii consiliarii papae et ecclesiae, ex ordinatione Dei debent pascere oves Christi sibi comissas; et sic non possunt episcopi assistere papae. Istorum cardinalium primarium munus est secundum ordinem ecclesiasticum, quem habent, scilicet presbyteri et diaconi; secundum munus est, esse a consiliis papae[2].

18. Gradus et ordo episcopalis est supremus in ecclesia ex Dei ordinatione, et papa non potest destruere hunc ordinem. Et sic tyrannice et contra ordinationem Dei cardinalis presbyter praecedit episcopo, quia cardinalatus non est ordo ecclesiasticus ex ordinatione Dei sicut episcopatus.

19. Quando cardinalis fungitur legatione papae, praeferendus est episcopis, non quia cardinalis, sed quia legatus aut vicarius papae, qui est episcopus ecclesiae universalis. Sed ubi cardinalis non fungitur legatione pro papa ut in sacello papae aut in alia congregatione, si ibi fuerint episcopi, cardinales debent cedere illis, quia episcopi sunt supremi in ecclesia et sic tenent primum locum, secundum presbyteri, et sic deinceps. Et cum cardinalatus non sit ordo ecclesiasticus, presbyter cardinalis non habet maiorem ordinem in ecclesia quam presbyter, qui non est cardinalis.

20. Episcopi ex Dei ordinatione sunt primarii consiliarii papae et ecclesiae in omnibus, quae ad fidem et mores pertinent, quia sunt praelati et pastores ecclesiae, et cardinales non sunt praelati nec pastores ecclesiae, sed sunt a consiliis papae, substituti in loco episcoporum et vicarii eorum, proepiscopi in hoc munere, quod est esse a consiliis papae. Quod autem episcopi sunt primarii consiliarii papae, ex sacro evangelio constat. Nam Christus elegit duodecim apostolos, eis mandavit ministeria maiora in ecclesia, et eis revelavit secretiora mysteria. Istos duodecim frequenter vocavit seorsim et secreto et eorum tres vocavit in transfiguratione, et quando oravit in horto et quando suscitavit puellam[3]. Non sic vocavit alios discipulos. Istis apostolis in ecclesia succedunt episcopi, et cardinales succedunt aliis discipulis. Esse ergo a consiliis papae, primarie convenit episcopis.

21. Si papa fuerit personaliter praesens concilio, cardinales, qui assistunt papae, fuerint admissi, ut habeant vocem diffinitivam in concilio, debent sedere in gradu presbyterorum in loco inferiori, et episcopi in loco superiori. Essent etiam admittendi, ut haberent vocem diffinitivam, presbyteri aliarum ecclesiarum in concilio, si admittuntur presbyteri cardinales ecclesiae Romanae.

22. Cardinales, qui sunt in concilio legati et vicarii papae, etiamsi non sunt episcopi, tenent primum locum in concilio, quia tenent papae locum; et si plures sunt legati et vicarii papae, in diffiniendo pro una tantum voce sunt computandi, quia sunt vicarii unius summi pontificis.

23. Congregato canonice generali concilio vacat collegium cardinalium, quia illo tempore, quo est concilium congregatum, repraesentant ecclesiam universalem episcopi[4], qui sunt patres ecclesiae et primarii consiliarii ecclesiae et papae, agunt consiliarios et habent curam et sollicitudinem consulendi circa illa, quae pertinent ad ecclesiam universalem; at cardinales cum sint proepiscopi et vicarii episcoporum, praesente principe vicarius vacat ab officio, et collegium cardinalium tempore, quo est congregatum generale concilium, non est a consiliis papae in iis, quae ad fidem et mores pertinent, et papa non debet uti cardinalium collegio ad consultandum ea, quae sunt fidei et morum, quando

[1] Cfr. *Tit.* 1, 5.

[2] Auctor sequitur Gallicanos illos, qui dignitatem cardinalium restringendam esse contendebant ad ea munera, quae ante Nicolaum II exercebant. Cfr. *I. B. Sägmüller*, Die Tätigkeit u. Stellung der Kardinäle bis Papst Bonifaz VIII (Freiburg 1896) 3-45; Röm. Quartalschrift 43 (1935) 87 sqq.

[3] Cfr. *Matth.* 17, 1; 26, 36; *Luc.* 8, 51.

[4] Cfr. *St. Ehses* in: Dritte Vereinsschr d. Görresges. 1911, 1-17.

concilium est congregatum. Nam hoc ad tyrannidem pertinet, velle consulere paucos cardinales et nolle consulere universalem ecclesiam, quae est in concilio congregata; et hoc videtur schisma in ecclesia Christi.

24. Diffiniente aliquod dogma concilio generali, si collegium cardinalium dissentiret, cardinalis, qui non consentiret concilii diffinitionibus, censendus est haereticus, et si concilium statueret aliquid ad mores pertinens, et collegium cardinalium non consentiret aut contradiceret statutis concilii generalis, collegium cardinalium esset de schismate notandum, nam separat se ab ecclesiae unitate, cum separat se a definitionibus concilii et statutis, quia concilium generale repraesentat ecclesiam universalem.

25. Si aliquis episcopus apud Romam moratur, quando papa consulit cardinales, debet et tenetur consulere episcopos, qui sunt Romae, quia omnes episcopi sunt papae a consiliis ex Christi institutione. Et ad tyrannidem pertinet, quod episcopi, qui sunt praelati et pastores ecclesiae (non loquor de episcopis, quos vocant titulares, qui in Dei ecclesia sunt abominatio), non admittantur inter cardinales, quando agitur de rebus ecclesiasticis; nam episcopis ex Dei ordinatione convenit administratio ecclesiae; at cardinalibus convenit ex humana ordinatione administratio ecclesiae. Et papa excludit eos, quibus convenit administratio ex Dei ordinatione, et admittit eos, qui sunt ex humana ordinatione. Hoc ad tyrannidem pertinere videtur.

26. Quando papa diffinit aut statuit aliquid ad fidem aut ad mores pertinens, quia ut persona privata potest errare, dicit in suis diffinitionibus et statutis *de consilio cardinalium*, vel aliud simile ad ostendendum, quod diffinit non ut doctor, sed ut praelatus, et quod sic diffinit, habet auctoritatem; si vero papa in diffinitionibus et statutis diceret *de consensu ecclesiae universalis sacro approbante concilio*, maiorem haberet auctoritatem. Hanc maiorem auctoritatem desiderat ecclesia, quod papa sequatur in suis diffinitionibus et statutis, quia post sacram scripturam auctoritas ecclesiae, quae est in conciliis, tenet secundum locum.

27. Dominus noster Iesus Christus emit et redemit nos suo pretiosissimo sanguine, et in nomine eius baptizati sumus, et Christus ut dominus non congregavit concilium, nec consuluit apostolos ad ferendam legem evangelicam; *Matth.* 7, [29]: *Erat enim docens eos sicuti potestatem habens, non sicut scribae eorum et Pharisaei;* tamen tulit legem ad Dei gloriam manifestandam et ad utilitatem ecclesiae. At papa et ecclesiae praelati non sunt domini ecclesiae; non redemit nos Petrus nec papa, nec sumus baptizati in eorum nomine. Christi ecclesia non est papae ancilla; ergo papa non dominatur ecclesiae, sed administrat eam ad Dei gloriam et ecclesiae utilitatem; est enim Dei minister, oportet ergo, ut papa consulat concilium ad diffiniendum statuendumque ea, quae ad bonum reipublicae ecclesiasticae pertinent, quia ad tyrannidem pertinet administrare ecclesiam paucorum consilio, spreto ecclesiae concilio, quae ecclesia in concilio est congregata; et ad tyrannidem pertinet in administratione consulere sibi aut alicui privato, et non consulere reipublicae et communi bono.

28. Quod cardinales eligunt et creant papam, humanum, non divinum statutum est, et quia cardinales ex cardinalibus creant papam, cardinalatus in maiori pretio habetur quam episcopatus, cum in veritate ex Dei ordinatione episcopatus sit summus gradus in ecclesia. Habet ergo cardinalis ex humana ordinatione duo munera magna quidem, scilicet esse a consiliis papae et creare papam. Ad haec munera obeunda non sunt idonei pueri nec milites nec homines infames et scandalosi et ignorantes Dei legem. Qualis electio papae erit ab istis et quale consilium dabunt ad Dei ecclesiam administrandam?

29. Compertum est omnibus, qui versantur in ecclesiasticis historiis, quanta ruina facta est in ecclesia Dei, postquam electio papae fit a cardinalibus, quia sic electi degeneraverunt a prioribus patribus, ut vix duo vel nemo illorum sit, qui Dei gloriam quaerat et ecclesiae utilitatem. Expediret ecclesiae, ut cardinales, qui sunt a consiliis papae et electores papae, essent in determinato numero, sic quod, si electio papae a maiori numero non fuerit facta, ipso facto et iure sit irrita. Expediret etiam, quod iste numerus cardinalium divideretur in quatuor aut quinque partes, ut de singulis nationibus haberentur cardinales, sic quod quinta aut quarta pars esset tantum de natione Italica. Nam papa est universalis ecclesiae episcopus, et sic oportet, quod ex omnibus nationibus habeat consiliarios, et quod a suffragiis omnium eligatur nationum [1].

[1] Simile quoddam in concilio Basiliensi postulatum est. Concilium Basiliense I ed. *I. Haller* 241 sqq. *R. Zwölfer*, Die Reform der Kirchenverfassung auf dem Basler Konzil: Basler Zeitschrift 29 (1930) 32 sqq.

30. Concilium generale, quod repraesentat universalem ecclesiam, habet auctoritatem statuendi modum et ordinem eligendi papam [1]. Nam cum papa sit episcopus ecclesiae universalis, ad ipsam, quae in concilio est congregata, pertinet eligere sibi papam. Expedit ecclesiae irritare istum modum creandi papam, quem nunc tenet, quia humana statuta varianda sunt reipublicae bono. Non est ergo permittendum nec tolerandum a principibus et praelatis ecclesiae, ut amplius tyrannis grassetur in Christi ecclesia, ut Romani sub specie religionis dominentur in orbe christiano in ruinam Christianismi.

31. Expediret ecclesiae ad cohibendam ambitionem, quod statuerent, quod si creatur in papam aliquis cardinalis, in duabus aut tribus sequentibus electionibus nullus creetur in papam. Nam ita idonei ad papam possunt reperiri extra collegium cardinalium sicut in collegio cardinalium. Et statuatur, quod si creatur papa natione Italus, in duabus aut tribus electionibus non creetur natione Italus, sed ex aliis nationibus creetur papa. Et alia similia possunt statui ad cohibendam ambitionem.

32. Non aedificat ecclesiam Dei pompa cardinalium, in qua vincunt plures principes saeculares. Ideo redigendi sunt in ordinem, ne sint in scandalum Dei populo, et plura privilegia, quae illis concessa sunt, expediret, ut concilium generale irritaret, et intelligerent se esse in gradu inferiori et episcopi in superiori; et quod cardinales non uterentur infulis, quae sunt insignia episcoporum, nec alii uterentur illis praeter episcopos.

33. Petrus institutus est a Christo episcopus universalis ecclesiae, quando ei dixit [2]: *Pasce oves meas;* non tamen constituit illi, ut in Antiochia aut in Roma statueret sedem sui episcopatus. Simili modo mittens Christus apostolos et discipulos in universum mundum [3] non assignavit illis proprias sedes episcopatuum; nam hoc ad arbitrium illorum reliquit, et sic divisio et appropriatio episcopatus non est de lege divina, sed humana, et sic quod papa, successor Petri, sit Romanus episcopus, est de lege humana ex hoc, quod Beatus Petrus appropriavit illam sedem sibi.

34. Petrus, antequam veniret Romam, erat episcopus universalis ecclesiae, et postea appropriavit sibi Romanam sedem; et ecclesia universalis, quae oboedit papae, non oboedit illi, quia Romanus episcopus, sed quia est episcopus universalis ecclesiae et vicarius Christi, quia primum et principale est, esse episcopum universalis ecclesiae, et secundarium et minus principale est, esse episcopum Romanum; non quod duo sunt episcopatus, sed quia episcopatus Romanus annexus est papatui; et ista connexio cum sit facta a S. Petro, servatur ab ecclesia sicut multae aliae traditiones apostolorum; et sic episcopus Romanus est Petri successor et vicarius.

35. Si Beatus Petrus mortuus esset, antequam venisset Romam, et non fuisset episcopus Romanus, ecclesia creasset papam successorem Petri et Christi vicarium. Istam potestatem creandi papam non amisit ecclesia per hoc, quod Petrus coniunxit episcopatum Romanum papatui, quia, quando Christus instituit Petrum episcopum universalis ecclesiae, cum iste magistratus ecclesiasticus non esset finiendus per mortem Petri, dedit Christus ecclesiae potestatem eligendi alium, qui succedit Petro.

36. Si concilium generale, quod repraesentat ecclesiam universalem, eligeret papam, successorem Petri, ille esset Romanus pontifex, quia Romanus episcopatus est annexus papatui, et illud, quod est minus principale, sociatur illi, cui annectitur tamquam magis principali. Sic de Romano episcopatu et papatu. Et illa electio facta a concilio sub quacunque forma, esset canonica, non obstantibus quibuscunque statutis humanis, quia in concilio est omnis auctoritas ecclesiae, et potest uti ista aut illa forma in papae electione. Et ecclesia Romana tenetur oboedire electioni factae a concilio, et si non oboediret ecclesia Romana, esset schismatica, quia separaret se ab unitate ecclesiae.

37. Etsi ecclesia non est usa hac potestate eligendi papam, tamen non propterea amisit eam; quod enim alicui est datum et concessum ex lege divina, non amittitur per contrariam consuetudinem, nec lex praescriptionis habet locum in illis, quae sunt de iure divino, qualis est potestas, quam habet ecclesia eligendi papam. Quamquam enim ecclesia olim non elegisset papam, consentiebat tamen electioni factae. Nam imperantibus paganis, sancti Romani eligebant sanctum papam. Christianis etiam imperantibus, tam illis, qui fuerunt in oriente, quam Carlo Magno et successoribus eius in occidente, fuit cura elligendi papam. Istis electionibus ecclesia consentiebat oboediendo episcopo Romano Petri successori.

[1] Cfr. Conc. Basiliense sess. IV, VII, XXIII, *Mansi* XXIX 32. 42. 110 sq.; *Hefele* VII 480. 495 sq. 629 sq. Quae tamen decreta effectum non habuerunt, vide *I. B. Sägmüller*, Die Papstwahlen u. die Staaten von 1447 bis 1555 (Freiburg 1890).
[2] *Io.* 21, 17. [3] *Matth.* 28, 19 sq.

Declinantibus imperiis, Roma voluit in Christi ecclesia habere, quod amiserat in regno terreno, et eligere summum pontificem, quae olim eligebat imperatorem. Et obtinuit Roma et nunc obtinet electionem papae. Hoc etiam fit ecclesia consentiente et approbante, ut plura concilia ostendunt [1], in quibus traditur forma eligendi papam a cardinalibus. Tradunt etiam historiae ecclesiasticae, quod imperatores dederunt ecclesiae summos pontifices, qui habuerunt maiorem curam et sollicitudinem pascendi Christi oves quam pontifices, quos cardinales dederunt ecclesiae.

38. In concilio Constantiensi sub Caesare Sigismundo, qui ut filius ecclesiae catholicae omnem curam apposuit, ut tolleretur schisma, quod tunc in ecclesia erat; tres enim nuncupabantur summi pontifices, quibus per concilium aliis depositis, aliis renuntiantibus, facta est electio novi papae, et creatus est in papam Martinus V; ista electio non est facta a collegio cardinalium, sed concilium elegit ex nationibus viros probos, et illis dedit auctoritatem eligendi papam, et facta est electio sub illa forma, quam dedit concilium; nam illi electores non erant cardinales [2], et concilium dedit auctoritatem illis eligendi papam; si enim concilium non haberet auctoritatem eligendi papam, quomodo dedit illam? Quia nemo dat, quod non habet.

39. Concilium Constantiense variavit modum eligendi papam ad tollendum schisma, et propter schisma collegium cardinalium fuit depositum et privatum potestate eligendi papam, et data est illa potestas a concilio aliis, qui non erant cardinales electores secundum ius pontificium. Sic nunc sunt plures causae iustae et urgentes ad variandum formam electionis papae, quas numerare longum esset. Unam tamen adducam quam ponit B. Augustinus, [qui] lib. I de lib. arb. cap. 6 sic ait [3]: *Ergo si populus bene sit moderatus et gravis communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisque minoris rem privatam quam publicam pendet, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare magistratus, per quos sua res, id est publica, administretur? Recte prorsus. Porro, si paulatim idem populus depravatus rem privatam rei publicae praeferat, atque habeat venale suffragium, corruptusque ab eis, qui honores ament, regimen in se flagitiosis consceleratisque committat; nonne item recte, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores?* Haec Augustinus. Istae causae, quae hic ponuntur a Beato Augustino, concilium iudicet, an inveniantur in collegio cardinalium circa creationem papae; adimenda est ergo potestas eligendi papam a cardinalibus, quia non quaerunt ecclesiae utilitatem, ut experientia testatur, in papae electione.

40. Ecclesia universalis, quae congregata est in concilio, cum principum auxilio instituat aliam formam eligendi papam, si vult tollere ab ecclesia scandala, et si vult, quod ecclesiae mores in melius mutentur, et auferat potestatem eligendi papam a cardinalibus. Etiam auferenda esset a papa potestas creandi cardinales, quia in electione cardinalium non quaerit papa bonum ecclesiae. Nam eligit multos indignos, quorum electio scandalosa est Dei ecclesiae, et per tales cardinales infamatur ecclesia Dei Romana. Ideo expediret ecclesiae universali, ut principes et praelati ecclesiae in singulis nationibus eligerent viros probos et peritos in Dei lege, qui essent papae a consiliis, et essent electores papae iuxta statuenda in concilio. Et si papa cum collegio cardinalium huic diffinitioni et statuto concilii circa papae electionem contradiceret, censendus esset papa cum cardinalibus schismaticus et tyrannus, quia in ecclesiae administratione non sequitur consilium ecclesiae universalis, sed proprio sensu vult administrare ecclesiasticam rempublicam, et sic separat se ab unitate ecclesiae. Propter ista dicit Caietanus, quod papa possit esse schismaticus, II-II, q. 39 art. 1 in comment[ario] [4].

41. Cum papa sit episcopus Romanus et proprius, debet administrare ecclesiam Romanam per se ipsum et non per alios, quia hoc est esse pastorem, per se pascere oves. Aliarum ecclesiarum papa est generalis pastor. Nam quaelibet ecclesia particularis habet specialem pastorem, et ideo papa debet administrare alias ecclesias non per se ipsum, sed per proprios episcopos, quos habent ecclesiae particulares. Hoc modo Deus gubernat mundum, ut Augustinus dicit [5]: *Deus res, quas condidit, sic administrat, ut sinat eas proprios motus*

[1] Cfr. supra p. 204 adn. 2-4.

[2] Revera cardinalibus in conclavi Constantiensi adiuncti sunt 30 praelati diversarum nationum, sex ex qualibet, qui omnes (numero 53) 11. Nov. 1417 Ottonem Columnam elegerunt. Acta Concilii Constanciensis II ed. *Finke-Hollnsteiner* 152 sq. *B. Fromme*, Die Wahl des Papstes Martin V.: Röm. Quartalschrift 10 (1896) 133 sqq.

[3] *Migne* 32, 1229.

[4] *Caietanus* l. c. haec dicit: *Licet diversae sint hic opiniones, absque dubio tamen patet, quod papae persona crimen schismatis etiam sine haeresi incurrere potest.*

[5] Cfr. De Trin. l. III c. 8 n. 8, *Migne* 42, 872.

agere; Deus enim quidquid agit, paucis exceptis ministerio creaturarum, quas ipse creavit, agit. Sic Christus plura miracula fecit per ministerium discipulorum quam per se ipsum solum. Etiam Christus in Palaestina praedicavit, apostoli per universum orbem. Sic etiam apostoli et eorum successores elegerunt alios episcopos, ut quilibet ministraret in sua propria ecclesia. Ita statutum est in Nicaeno concilio et in aliis conciliis, ut metropolitanus episcopus confirmet alios episcopos, et quilibet episcopus habeat plenam administrationem suarum ecclesiarum [1]. At nunc non sic est. Nam papa non sinit episcopos habere plenam administrationem; multa enim sibi reservat, advocat ad se causas, et sunt multi privilegiati et exempti; distribuit beneficia illarum ecclesiarum, quae habent proprios episcopos, et hoc cum magna iactura ecclesiarum, et ista non est ecclesiae administratio, sed magna ruina Christianismi. Et si vult redire ecclesia ad mores antiquorum patrum, teneat in administrando ecclesiam mores et statuta patrum. Nam quando papa specialiter curabat ecclesiam Romanam, et sinebat episcopos administrare suas ecclesias, si tunc oriebatur aliqua magna difficultas circa religionem, erat recursus ad papam, nunc autem papa advocat omnia tam magna quam parva, et sic religio periclitatur.

42. Orta est quaestio in ecclesia Dei, an auctoritas concilii sit maior auctoritate papae, et nondum est diffinita ista dubitatio. Aliqui dicunt, quod ecclesia Romana non vult, quod ista quaestio tractetur in concilio, et ante diffinitionem concilii damnavit papa libros doctorum catholicorum, qui de hac materia sunt scripti [2]; et isti doctores habent pro se auctoritatem concilii Constantiensis et Basiliensis, quae concilia primatum dant concilio generali [3]. At ista duo concilia non probantur a papa, tamen ea, quae in illis conciliis acta sunt contra haereticos, probantur a papa. Et in hoc datur ansa haereticis, quod ecclesia Romana in parte recepit concilia, et in parte altera non recepit ea. Expediret, ut definiretur ista quaestio in concilio. Nam de Christi divinitate et aequalitate eius cum Patre fuit disputatum in Nicaeno concilio. Nihil ergo periculi erit, si tractetur in concilio de papae auctoritate, imo est necessarium.

43. Si in papa est suprema potestas et auctoritas, ita quod a nullo potest iudicari super terram, datur illi ansa ad tyrannidem. Oportet ergo, ut concilium declaret et diffiniat, quomodo ecclesia possit resistere papae dilapidanti ecclesiam sine schismate, et quando eius sententia excommunicationis non est timenda, et diffiniat abusus et tyrannides et superstitiones, ut in illis non oboediat papae, et alia, in quibus non est papae oboediendum.

44. Potestas, quae data est papae a Christo, ex sacra scriptura constat, et sic ad theologum pertinet tractare de hac potestate. Expediret Christi ecclesiae, ut interdiceret canonistis disputare de illis, quae sunt de iure divino; nam ignorantes sacram scripturam canonistae attribuunt aliqua Christi ecclesiae, quae illi non conveniunt. Verbi gratia: Dicunt canonistae, quod decimae sunt de iure divino in lege evangelica. Imo esset hoc damnandum in concilio; nam lex ista per mortem Christi est evacuata, et sic lege statutum est humana, ut solvantur decimae. Et multa etiam canonistae attribuunt papae, quae sibi non conveniunt ex divina lege. Unde abusus et alia similia occasionem sumpserunt. Non enim respublica ecclesiastica instituta est a papa, sed a Deo, et ideo lex Dei in omnibus, quae ad rempublicam ecclesiasticam pertinent, praeferenda est legi pontificis.

45. Ex hoc, quod beneficia distribuuntur a papa, multi indigni consequuntur beneficia ecclesiastica, quia papa cum sit homo pluribus intentus rebus, non potest, etiamsi vult, cognoscere, qui sunt idonei ad beneficia omnium ecclesiarum, et distribuit plura beneficia uni. Et hoc vocatur dispensatio, cum sit dissipatio ecclesiae, quia iste, cui dantur, non est idoneus ad unum beneficium. Et quia beneficia distribuuntur Romae, simulant, quod renuntiant beneficium, aut quod permutant, et vendunt. De hoc testimonium perhibent literae, quae dantur a poenitentiariis; sic enim appellantur, quia absolvunt a simonia [4]. Si concilium vult tollere simoniam ab ecclesia, primo tollat hanc tyrannidem ab ecclesia, tyrannidem scilicet beneficiorum, et papa non distribuat nisi beneficia Romanae ecclesiae et non aliarum ecclesiarum, nec collegium cardinalium distribuat beneficia.

[1] Ex. gr. can. 4 concilii Nicaeni, *Hefele* I 381 sqq.

[2] *Antonii Roselli* « Monarchia » iam anno 1491 prohibita est (*H. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I 58 sq.; cfr. *K. Eckermann*, Studien zur Geschichte des monarchischen Gedankens im 15. Ih. [Berlin 1933] 49 sqq.), antequam in concilio Lateranensi V sess. XI definitum est, *solum Romanum pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere.*

[3] Conc. Constantiense sess. V, *Mansi* XXVII 590 sq.; Conc. Basiliense sess. XXXIII, *Mansi* XXIX 178.

[4] Taxas vide apud *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie II 2, 160 sq.

46. Canonistae distinguunt inter beneficia et dicunt, quaedam esse compatibilia, quaedam incompatibilia, quaedam, quae habent annexum ministerium, quaedam, quae nullum ministerium habent. Etiam dicunt, quod qui est Romae, residet in beneficio, quod habet in Hispania, et alia similia, quae non stant cum lege Dei, et ista omnia tribuunt materiam ad incendium litium. Expediret, ut circa beneficia ecclesiastica et ministeria eorum servarentur leges et regulae evangelicae. P a u l u s ordinavit *1 ad Cor.* 9, [14] iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Contra iustitiam et aequitatem est, quod aliquis percipiat fructus beneficii, qui non administrat nec ministravit in Dei ecclesia. Expedit ecclesiae, ut nullus habeat plura beneficia, quia plures clerici sunt, qui non habent beneficium, quam qui habent, et ita idonei, imo plus [!], quam qui habent plura beneficia; et ex hoc quod habent aliqui plura beneficia, non ministrant in ecclesia nisi clerici conductitii, et sic aut nullum est in ecclesia ministerium, aut si aliquod, est insufficiens. Etiam expedit, ut omnia beneficia habeant annexa sua ministeria et officia, et non est satis, quod qui habet beneficium, legat horas canonicas privatim, quia beneficium est officium publicum, oportet [ergo], quod ministerium sit publicum. Et expedit, ut, qui non ministrat, non recipiat fructus beneficii. Imo est alia iniustitia, quod illa beneficia, quae in ecclesia habent minora ministeria aut nulla, habent maiores reditus, ut illi, qui vocantur canonici, quorum ministerium est cantare, quod est infimum in ecclesia, et illi, qui ministrant verbum Dei et sacramenta, habent minores reditus. Hoc est contra Dei legem.

47. Christus redemptor noster tradidit Petro et successoribus eius claves regni coelestis, non tradidit claves regni terreni, imo Christus fugit, quando illi, qui saturati sunt ex panibus, volebant eum facere regem [1]. Et Pilato interroganti: *Ergo rex es tu?* respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo* [2]. Et litigantibus duobus fratribus respondit [3]: *Quis me constituit iudicem super vos?* Et apostoli imitantes Christum elegerunt septem diaconos, id est ministros, dicentes [4]: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis.* Oportet, ut concilium diffiniat, an a d m i n i s t r a t i o civilis in p r a e l a t i s e c c l e s i a e et in aliis de clero, qui habent administrationem ecclesiasticam et spiritualem, expediat et aedificet Dei ecclesiam. Nam quaelibet istarum administrationum totum hominem requirit, et vix ad unam illarum reperitur aliquis idoneus, quia una impedit alteram. Nemo enim potest simul agere episcopum et regem; nam istorum magistratuum ministeria non stant simul nec in eodem aedificant.

48. Verum est, quod christianis non interdicitur in Dei lege temporalis possessio regni, et sic ex lege Dei non repugnat, quod pontifex sit rex, tamen administrationes repugnant. Non possunt praelati rempublicam civilem et ecclesiasticam bene gubernare. Testis est experientia, quia quanto clerus auxit administrationem civilem, tanto defecit Christianismus. Et respublica, quae administratur a clero, non est ita mo[de]rata, sicut illa, quae administratur a principibus, dat etiam ansam clerus principibus, ut invadant et occupent bona ecclesiae. Nam sicut non repugnat papatui regnum, sic dicit imperator, quod papatus non repugnat imperio; potest enim quis esse imperator et papa. Etiam non repugnat episcopatus regi. Et sic imperator et reges occupabunt bona ecclesiae. Non ergo expedit clero administratio civilis.

49. *1 Petri* cap. 2, [16]: *Quasi liberi et non quasi velamen habentes malitiae libertatem.* Clerici sub specie religionis sunt liberi et exempti a potestate saeculari in personis et in bonis. Ista l i b e r t a s e t e x e m p t i o non videtur, quod illis conveniat ex divino iure, sed ex humano. Nam religiosissimi principes christiani, maxime imperatores, hanc libertatem dederunt clero et ecclesiae, certe iuste et pie. At papa non potest dare hanc libertatem clero nisi in terris sui dominii temporalis; et, si clerus male utitur ista libertate, principes, qui habent liberum dominium, possunt irritare ista privilegia data clero, prout bono reipublicae videbitur expedire.

50. Cum augentur bona temporalia ecclesiae, minuuntur bona laicorum, et tributa non minuuntur nec alia regni onera, imo augmentantur. Et sic per hoc, quod bona clericorum sunt libera ab istis oneribus, iniuste et inique fit contra laicos, qui solvunt talia onera in regno. Etiam ex hoc, quod clerici sunt exempti in personis a potestate saeculari, scelera manent impunita; quod est maximum malum et destruit rempublicam. Nam clericus homicida gravius peccat quam laicus ex personae circumstantia et scandali ratione, et laicus homicida occiditur per legem iustam civilem, clericus vero levi poenitentia aut nulla absolvitur.

[1] *Io.* 6, 15.
[2] *Io.* 18, 36 sq.
[3] *Luc.* 12, 14.
[4] *Act.* 6, 2.

In hoc ergo saeculo, quando clerus est male moratus, non est dignus, quod honoretur talibus privilegiis et libertate, quia privilegia indignis concessa perturbant et destruunt rempublicam christianam.

51. Expediret ecclesiae, ut tollerentur ab illa et irritarentur ista privilegia et principum beneficia, et ad hoc, quod clerici manerent liberi et exempti, ut in divitiis et possessionibus augendis ponerent modum clerici, et clericus peccans, propter quod laicus puniretur poena sanguinis, quod clericus ille traderetur iudici saeculari, et degradaretur et deponeretur ab officio et beneficio privaretur. Sed nihil horum fit a patribus[a] ecclesiae; nam impune clerici peccant et sunt in scandalum populo Dei et in pernitiem rei publicae. Principes pro bono reipublicae iuste possunt irritare privilegia concessa clericis.

52. Si principes irritarent privilegia clericorum, prout expediret bono reipublicae, propter hoc non sunt excommunicati nec excommunicandi. Nam leges, quae pro bono reipublicae sunt institutae, mutantur, quando expedit reipublicae bono. Privilegia sunt leges particulares, poterunt etiam mutari, quando expedit bono reipublicae. Si ergo libertas clericorum est de iure positivo humano a principibus concessa clero, poterit irritari, si est aequum et bonum, et pro aequo et bono principes non debent excommunicari; et canones contra offendentes ecclesiasticam libertatem fundantur in lege concedente libertatem. Si igitur lex est humana, est variabilis, et sic ablata ista libertate a clero per principes, qui habent liberum dominium, canon [29] *Si quis suadente diabolo* [C. 17 q. 4] [1] non haberet locum in potestate saeculari iuste per legem civilem puniente clericum, sed stante privilegio principum tenet locum canon in potestatibus saecularibus.

53. Papa non est dominus, sed dispensator bonorum ecclesiae et tenetur dispensare illa bona iuxta legem Dei pro bono ecclesiae. Constat, quod in multis locis ecclesia habet bona superflua. Certum est, cum illa bona donata sint a fidelibus, quod sint donata non solum pro ministris ecclesiae, sed etiam pro pauperibus. Nam haec fuit consuetudo in ecclesia a tempore apostolorum, quod fideles per manus ecclesiae faciebant eleemosynam pauperibus. Cum ergo ministri ecclesiae, ut experientia testatur, non sint fideles dispensatores, et principes tene[a]ntur servare suos cives indemnes et maxime pauperes, poterunt compellere ministros ecclesiae ad dandam pauperibus eleemosynam, quam acceperunt pro pauperibus, et per magistratus facere, quod clerus reddat rationem fructus beneficiorum, ut pauperes habeant portionem suam. Et in hoc nulla iniuria fit clero, nam Paulus, qui erat fidelissimus dispensator, voluit habere, cui redderet rationem illarum eleemosynarum, quas dispensaturus erat, *2 ad Corinth.* 8, [21].

54. P o m p a papae et aliorum praelatorum ecclesiae non aedificat ecclesiam, imo scandalizat eam, cultusque et reverentia, quae exhibetur papae, est immoderatus. Nam a cardinalibus in sacello maior cultus exhibetur papae sedenti in suo throno, quam fideles et ipsi cardinales exhibent sanctissimo Christi corpori in sacramento. Recipit papa istos et alios honores immoderatos. Nam fideles, etiam sacerdotes, osculantur pedes papae portatque in calceamentis crucem Christi; hoc nullo modo decet. Nam Christi crux est adoranda, et pedes sunt non solum infima pars corporis, sed vilior, et non est portanda Christi crux, signum nostrae redemptionis, in pede, sed in capite. Ista omnia praebent materiam scandali.

55. Etsi clerus male dispenset bona ecclesiae, tamen, qui invadit et occupat ecclesiae et clericorum bona, furtum aut rapinam committit, quia ecclesia non solum iuxta legem civilem, sed etiam iuxta divinam iuste et iure possidet bona temporalia, quae donata sibi sunt a fidelibus. Et si aliquis princeps occupavit bona ecclesiae, et non poenitet nec vult illa restituere, expedit ecclesiae remittere aut donare bona illi principi, non propter eum, qui occupavit bona illa ecclesiae, sed propter subditos, quos habet, ne impediantur bona eorum spiritualia propter timorem amittendi temporalia, sicut legitur de Ieroboam, *3 Regum* c. 12, [28], qui praecepit populo Israel, ne ascenderet adorare in Ierusalem, timens amittere regnum Israel.

56. Christus praecepit apostolis, ut g r a t i s d a r e n t quod gratis acceperunt [2], oportet, ut concilium definiat, quae sunt administranda gratis in ecclesia, quia secundum modum, quem tenet ecclesia Romana, sine pecunia factum est nihil, et per ipsam omnia fiunt Romae. Istud scandalum est tollendum ab ecclesia, et exorandus est papa, ut sit contentus stipendiis suae ecclesiae particularis Romanae; sunt enim superflua, nedum sufficientia pro alendo

[a] *Videtur legendum* pastoribus

[1] *Friedberg* I 822

[2] *Matth.* 10, 8.

Christi vicario, Petri piscatoris successore, et non gravet ecclesias accipiendo medios fructus beneficiorum. Nam si papa administrasset ecclesiam more antiquorum patrum, non faceret tot sumptus, non venderet officia, nec esset illi opus habere tot officiales. Et in hoc debent principes papae in faciem resistere, et si nollet confirmare episcopos, servetur statutum concilii Nicaeni[1], et metropolitanus confirmabit suos episcopos.

57. Spinae, inter quas incidit verbum Dei, sunt divitiae, et de ecclesiae divitiis verificatur hoc. Nam ministri ecclesiae, qui habent plures reditus, non ministrant in ecclesia per se, sed per vicarios conductitios. At ministri ecclesiae, qui sunt pauperes, isti ministrant per se in ecclesia. Ecce quomodo divitiae suffocant verbum Dei[2] in ecclesia. Expediret ecclesiae, ut episcopatus et beneficia, quae habent plures reditus, dividerentur in duos aut tres episcopatus, etiam beneficia in plura beneficia. Et sic Christi ecclesia haberet plures ministros et meliores, quam habet.

58. Principes iuste et sancte facerent, quod episcopi et clerici, qui non ministrant, non recipiunt fructus; et expedit ecclesiae, ut statuatur, quod fructus omnes ecclesiae dividantur inter eos, qui ministrant in ecclesia; sic enim statutum est in aliquibus ecclesiis. Istud statutum est iuxta Christi evangelium; nam qui ministrat, habet potestatem accipiendi stipendium, tamen qui non ministrat, non habet potestatem accipiendi fructus beneficii, et populus ministros, qui ministrant, tenetur alere, eos vero, qui non ministrant, etiamsi habent possessionem beneficii, populus non tenetur alere, quia fructus dantur propter ministerium, non propter possessionem, quia hoc est humanum ius, illud vere divinum. Et sic principes possunt resistere episcopis et clericis non residentibus per hoc, quod non dent illis fructus nisi protempore, quo in ecclesia ministrant, etiam si papa dispenset, quia ista non est dispensatio, cum sit contra bonum ecclesiae, si ille, qui non ministrat, accipiat fructus.

59. Semper fuit observatum in ecclesia universali, ut post susceptos ordines sacros nullus duceret uxorem; in primitiva ecclesia ex coniugatis assumebantur ad ordines sacros. Et haec consuetudo adhuc est apud Graecos. Expediret ecclesiae, ut omnes clerici, qui non volunt caste vivere post susceptos ordines sacros, expellerentur a ministerio ecclesiastico et privarentur beneficio. Et si ad ministerium ecclesiasticum non invenirentur caelibes, qui velint continenter vivere, ex coniugatis assumantur ad sacros ordines et ad ministeria ecclesiastica, quia melius est, ut ecclesia habeat sacerdotes sancte copulatos suis uxoribus, quam quod habeat sacerdotes concubinarios, quales sunt omnes, qui post susceptos ordines sacros copulantur mulieribus.

60. Olim summi pontifices ordinabant episcopos et presbyteros et mittebant eos praedicare evangelium Christi per diversa loca, imitantes Christum, qui misit apostolos et discipulos ad praedicandum[3]. Nunc papa mittit, quos vocant nuntios, non ad praedicandum, sed cum auctoritate. Hoc fuit inauditum apud patres et scandalizat ecclesiam, quia isti nuntii administrant pro pecunia papae auctoritatem, et quod isti nuntii faciunt, deberent facere episcopi locorum. Et ideo non sunt mittendi nuntii cum ista auctoritate, et episcopis non est auferenda plena administratio suarum ecclesiarum.

61. Potestas excommunicandi data est a Christo praelatis ecclesiae, et cum excommunicatio sit gravissima poena in ecclesia, non est infligenda pro omni crimine, et canones et statuta sunt in ecclesia, in quibus infligitur illa poena excommunicationis ipso facto et iure. Expediret saluti animarum, ut nulla poena ecclesiastica infligeretur a iure ipso facto, sed prius servato iuris ordine in scripto a iudice feratur sententia excommunicationis, sicut fertur sententia mortis in reum post iuridicam probationem, et nunquam feratur sententia excommunicationis nisi in personam determinatam et certam.

62. Haec sunt a me notata, Sacra Caes. Maiestas. Testis est mihi Deus, quoniam non ut infamem nec ut confundam patres ecclesiae et pastores, haec annotavi, sed ut Dei ecclesia deponat abusus, avaritiam et ambitionem, et induat mores priorum patrum. Ad quod ecclesia universalis, imperator maxime, tuum implorat auxilium, et mihi satis persuasum est, quod patrocinaberis Dei ecclesiae. Et te, o Caesar, imitabuntur omnes principes christiani. Et sic Dei ecclesia reformabitur et redibit ad patrum mores antiquorum, quando ecclesiae pontifices ponebant animam suam pro ovibus suis[4], nedum et bona temporalia.

In istis, quae a me notata sunt, et in omnibus quae ad ecclesiae mores et fidem pertinent, standum est ab omnibus concilii definitionibus et statutis iuxta fidei articulum in symbolo apostolorum: *Credo in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam catholicam.*

[1] Can. 4, *Hefele* I 381 sq
[2] Cfr. *Matth.* 13, 22
[3] *Matth.* 10, 7.
[4] Cfr. *Io.* 10, 15

80.

Reformatio Gallorum

cum adnotationibus S^mi D. N. [a 1]

14. Oct. 1561.

Romae Arch. Vat. *Concilio 103* f. 79r-94r, cop. coaeva [= C]; Neapoli Bibl. Nat. *Cod. IX A 49* f. 160r-174r, cop. coaeva [= N]; Parmae Bibl. Pal. *997 Pacco 44 I 7* f. 1r-18r, cop. coaeva [= P]; Romae Bibl. Vat. *Barb. lat. 895* f. 149r-161r, cop. saec. XVII. Ed. *H. Langueti* Epp. secretae II (Halae 1699) 161-185 [= L]; [*L. Morandi*] Monumenti di varia letteratura II (Bologna 1804) 157-181 (iuxta codicem Parmensem); [*A. Duranthon*] Collection des procès verbaux des assemblées générales du clergé de France I: Pièces justificatives 7-16 [= D]; Histoire ecclésiastique des églises réformées edd. *G. Baum-E. Cunitz* I² (Paris 1883) 688-715 (Gallice). In cod. *Concilio 103* « Reformationem » sequuntur: 1) f. 94v-98v: « Ordine del Re Carlo IX al presente regnante fatti nel suo conseglio sopra li lamenti, querelle et petitioni de li deputati delli tre stati tenuti in la città d'Orleans, letti et publicati in la corte del parlamento di Parisi il 13. giorno di Settembre nel 61 ». Est translatio edicti Aurelianensis in linguam italicam cum marginalibus reiicientibus ad ius commune. 2) f. 99r-100r: « Adnotationes ex Urbe », compositae forsan a pontifice ipso et transmissae 12. Oct. 1562 legatis Tridenti agentibus » (cfr. *Šusta*, Die römische Kurie III 20 sq., ubi ex codice *Neap. IX A 49* f. 427 sunt editae). Quas infra singulas in commentariis nostris ad singula capita sub titulo « Adnotatio Romana » exhibemus. 3) f. 101r-108v: « Epitome canonum ex reformatione Gallorum, decretis concilii Tridentini et ex bullis Iulii III et Pauli III; invenitur etiam *Concilio 41* f. 263r-271v. Est synopsis quaedam quattuor « reformationum » illarum, cuius aliquas partes ad episcopos pertinentes commentariis nostris inseruimus sub titulo « Epitome ».

1. De institutione, residentia et vita episcoporum. 2. De excommunicatione. 3. De dignitatibus ecclesiarum. 4. De canonicis. 5. De rectoribus ecclesiarum. 6. De presbyteris. 7. De monasteriis. 8. De commendis. 9. De cultu.

Cum a Christianissimo rege ad XIII. calendas Augusti convocati Gallicanae ecclesiae episcopi, ut de maximis huius regni negotiis deliberarent, Pissiaci convenissent, isque vehementer ab eis in primis contendisset, ut turbulentissimis sectis agitatae ecclesiae aliqua ratione opem ferrent, interim dum exspectatur oecumenici, quod nunc indictum est, concilii de tota *Concilio 103* f. 79r

[a] *Inscriptiones valde differunt:* *P* Decreta concilii nationalis regni Galliae celebrati Pissiaci quod est Carnutum oppidum ad Sequanae amnis ripam a die vigesima Iulii usque ad decimam quartam Octobris millesimi quinquagesimi [!] sexagesimi primi sub nescio quo assembleae (ut vocant) nomine. *B* Episcoporum ecclesiae Gallicanae acta Pissiaci quod est Carnutum oppidum ad Sequanae amnis ripam anno 1561 pridie Id. Octobris. *L inscriptione caret.* *D* Decreta synodi apud Pissiacum habitae anno 1561. *D saepius ordinem verborum emendare conatur.* *N* Decreta praelatorum Galliae. Anno MDLXI mense Octobri.

[1] Fontes et libros ad historiam assembleae Pissiacae pertinentes uberrime enumerat *I. Roserot de Melin*, Rome et Poissy: Mélanges d'archéologie et d'histoire 39 (1921-2) 47-151, praesertim 51 sqq.; adde: *Pastor* VII 406 sqq.; *L. Romier*, Catholiques et Huguenots à la cour de Charles IX (Paris 1924) 173 sqq.; *H. O. Evennet*, Claude d'Espence et son discours du colloque de Poissy: Revue hist. 164 (1930) 40-78; *idem*, The cardinal of Lorraine and the council of Trent (Cambridge 1930) 283-393.

Ex actis (quorum auctor non, ut ultimus editor *A. de Ruble*: Mémoires de la Société de l'histoire de Paris 16 (1890) 9 sqq. opinatus est, fuit Claudius Espencaeus, sed anonymus quidam) ex diario Itali cuiusdam, quod *Roserot de Melin* l. c. 98 sqq. publici fecit iuris, excerpsimus nonnulla, quae originem « Reformationis » concernunt. *Ruble* l. c. 16: *Die prima Augusti 1562 in aula Ill.mi ac Rev.mi D. Cardinalis a Lotharingia.* Sequuntur articuli propositi: 1. *Quid sit praescribendum episcopis.* 2. *De dignitatibus ecclesiarum cathedralium.* 3. *De canonicis et eorum exemptionibus.* 4. *De curatis et eorum institutionibus sive per praesentationem sive per collationem ordinariam.* 5. *De portione congrua eis assignanda.* 6. *De minoribus sacerdotibus et eorum effrenato numero.* 7. *De reformatione monasteriorum.* 8. *Quid est sentiendum de commendis.* 9. *De beneficiorum numero et incompatibilitate.* 10. *Num remedium tantis litibus inveniri posset.* 11. *Qua via in posterum providendum sit ecclesiis et monasteriis vacantibus.* 12. *De censuris ecclesiasticis.* Pro decretis formandis deputati sunt cardinales Guisius et de Borbone, archiep. Turonensis et Uticensis, Ebroicensis, Sagiensis, Parisiensis, Aurelianensis, Vaurensis et Lexoviensis episcopi, quibus die sequenti additi sunt 12 theologi et 12 iurisperiti. De primo articulo vota sua dixerunt primo (sc. 7. et 8. Aug.) theologi et iurisperiti, deinde (9. ad 12. Aug.) episcopi (*Roserot de Melin* 101 sqq.), die 13. et sequentibus usque ad 21. Aug. consultatum est de art. 2-6 (*ibid.* 104 sqq.), a die 26. ad 29. Aug. et 4. ad 8. Sept. de art. 7 et 8 (*ibid.* 110 sq.). Ad diem 17. Sept. acta haec adnotant: *Quant aux articles de la réformation, on elut messieurs de Séez et de Pamiers pour les parachever, qu'ils appelleroient certains théologiens et certains canonistes avec eux, qu'ils redigeroient en forme et en bref les articles, dont on auroit deliberer et adjointeroient à ce qu'ils verroient bon estre touchant les censures ecclésiastiques, et que dedans trois jours ils en referoient en pleine assemblée, où les dits canons et decrets seroient lus a c'est fin, qu'un chacun peut se retirer en bref* (*Ruble* 32). Colloquio cum novatoribus diebus 25., 26. et 27. Sept. habito, die 29. et sequenti cardinalis de Turnone cum quibusdam episcopis et theologis decretis formandis incubuit (*Roserot de Melin* 143 sq.), denique die 14. Oct. *monsieur le card. de Lorraine fut deputé avec quelques autres messieurs pour aller vers le roy à St. Germain et luy communiquer les canons et conclusions faites à Poissy touchant la réformation* (*Ruble* 46).

Legatus apostolicus, card. Estensis, die 3. Nov. 1561 decreta Romam transmisit, improbans in illis *alcune altre cose che cercano et aspirano a minuire l'auttorità di N. S. et di quella santa sede, non volendo che S. Sta possa dispensare il difetto dell'età et dei natali nelle promotioni de i vescovi et che le sue dispense, provisioni et confirmationi non habbino effetto se non in tanto, quanto fossero approvati da essi et d'alcuni deputati*

re ecclesiastica decretum, diuque[a] de ea re deliberassent[b], ad id etiam adhibitis aliquot sacrae theologiae et iuris pontificii professoribus[c], quidnam potissimum esset faciendum; postremo omnes in hac fuere sententia, ut existimarent nullum aliud inveniri posse praesentius[d] remedium, quam si sedulo conarentur, ut, cum primum fieri posset, in pristinum statum ecclesiastica restitueretur disciplina. Quod ut facilius fieret et tota esset huius rei ratio expeditior, haec, quae mox subiicientur, cum visa sunt decernenda, quae et a S^{mo} Patre nostro pontifice maximo confirmari[1] et, ut ea rex Christianissimus velit executioni mandari, pontificiam Sanctitatem et regiam Maiestatem supplices orant et obsecrant. Quicquid autem hic decretum est, eius S^{tis} arbitrio et hautoritati submittunt nec a sede apostolica ulla unquam ratione seiungi volunt, cui se more maiorum semper fuisse esseque deditos et addictos libenter profitentur.

[1. De institutione, residentia et vita episcoporum][e2].

Quoniam ergo[f] in episcoporum praesulumque probato delectu et legitima institutione situm est praecipuum ecclesiastici regiminis momentum certumque est, ab hoc uno principio tamquam a capite ecclesiastici ordinis statum casumque dependere, cum, *qualis rector populi, tales ministri eius, et qualis princeps civitatis, tales habitantes in ea*[3], tantisper dum intermisso hac in parte iure veteri recentioribus legibus utendum erit et concordatorum valebit authoritas, visum est apprime profuturum, si quamprimum quis vacante cathedrali ecclesia fuerit a Christianissimo rege nominatus, eius nominatio canonicorum conventui, quod capitulum vocant, et in valvis ecclesiae et aliis locis publicis civitatis et maiorum dioecesisoppidorum programmatis publice affixis populo significetur. Quibus dies[g] quoque dicatur, quo qui est nominatus, in ecclesia, cui est praefuturus, se sistat examinandum, et ut liceat cuilibet libere, si quod in eo novit aut crimen aut vitium, id canonicorum consessui indicare ac denun-
79r tiare tam adversus doctrinam et religionem | quam vitam et mores. Qui cum se steterit, et iis, qui aliquid obiicient[h], si qui sint, a capitulo auditis, aut exactosine ullis iustis querelis obiiciendi[i] tempore, nihil obstare, quominus rata ac firma sit nominatio, constiterit, fidem suam in capitulo profiteatur, episcopus quidem coram archiepiscopo ad id nominatim evocato aut eo absente duobus eius ipsius provinciae episcopis et vacantis ecclesiae capitulo, archiepiscopus autem coram primate aut duobus itidem episcopis et capitulo vacantis ecclesiae, primas autem duobus archiepiscopis, si qua commoda ratione fieri poterit, aut uno saltem cum episcopis duobus et itidem capitulo. Quod cum fecerit, non prius tamen idoneus iudicetur, quamiis ipsis, quos diximus, praesentibus suo arbitratu[k] vel publice fuerit concionatus vel sibi ab archiepiscopo aut episcopis propositum sacrae scripturae locum praelegens fuerit interpretatus. Quibus rite peractis, tum demum summi pontificis accedat provisio. Quod si crimen aut vitium obiiciatur, quod iure communi impedit provisionem, aut ea deprehendatur ignorantia, ut tanto muneri sufficere non possit, protinus negotium remittatur ad principem, cuius iudicio et prudentia ecclesiae vacanti ita consulatur, ut tamen haec eadem probandorum designatorum ratio in secundo ac tertio reliquisque deinceps omnibus repulsorum in locum succedentibus perpetua inviolataque servetur. Quicquid autem in eius, qui idoneus repertus fuerit, probatione actum erit, id eorum omnium, qui interfuerint, subscriptionibus atque antistitum ipsorum sigillis confirmatum Romam una cum edita ab ipso

[a] C denique – *Errores librarii, qui aperte ut tales cognoscuntur, brevitatis causa omisimus.* [b] L deliberasset [c] C professionibus [d] *om. L* [e] *P primum caput in quattuor partes dividit, scil.* 1. Quomodo instituendi sunt episcopi. 2. De qualitatibus promovendorum ad ecclesias cathedrales. 3. De residentia episcoporum. 4. De vita et honestate episcoporum. *N* Episcoporum nominatio et examinatio. *Praeterea N in margine vel in calce glossas habet manu Seripandi exaratas, quae sensum tantum verborum respiciunt.* [f] *D* autem [g] *C om.* [h] *D* obiiciunt [i] *C* obiiciendis [k] *D* arbitrio

de i loro capitoli et che non conferisca le parochiali se non dopo sei mesi dal giorno della vacatione di esse (*Šusta* I 293; sed cfr. etiam II 530).

Nec regina ipsa decretis erat contenta. Scribit enim episcopo Redonensi suo apud Caesarem legato die 23. Oct. 1561: *Ilz* [scil. episcopi] *on fort catholicquement touché en beaucoup de choses ce qui apartient à la reformation des meurs des ministres de l'église; mais quant à ce qui touche leur grandeur et la pluralité de leur bénéfices, je laisse à vous et aux aultres... de juger comme ilz y ont passé légièrement.* Praeterea *en tout ce qu'ils proposent il n'y a riens qui puisse pourvoir aux troubles, que suscite en ce royaume la dissencion et diversité de religion, qui est bien à mon gran regret.* Lettres de Catherine de Médicis ed. *H. de la Ferrière* I 239.

[1] Revera confirmatio a sede apostolica nunquam est petita. Cfr. *Šusta* I 329.

[2] De statu ecclesiae Gallicanae saec. XVI videat lector, quae *Imbart de la Tour*, Les origines de la réforme II 182-309 et *L. Romier*, Le royaume de Catherine de Médicis (Paris 1925) II 89-150 disseruerunt; quoad beneficia praeterea *I. Gérardin*, Etude sur les bénéfices ecclésiastiques aux XVI. et XVII. siècles (Nancy 1897).

[3] Cfr. *Eccli.* 10, 2.

fidei professione manu ac sigillo eius confirmata ad ecclesiae Gallicanae protectorem mittatur, ut referre possit ad pontificem, qui nonnisi perspecto huiusmodi gravi et fide digno testimonio ecclesiae vacanti rite provideat [1].

Ne [a] posthac fiant episcopi, nisi qui ex legitimo nati matrimonio tricesimum aetatis annum attigerint [b], iique, si fuerint presbyteri, infra sex menses proximos ab apostolica provisione ab archiepiscopo cum duobus episcopis, aut eo absente ab eiusdem provinciae tribus episcopis publice consecrentur, nisi forte in curia Romana a summo pontifice aut eius autoritate in eadem curia sint consecrati [c]. Qui [d] autem episcopatus possessionem | iam assecuti [80r] fuerint necdum presbyteri, ii intra sex menses presbyteri ordinentur et consecrentur, quacumque autoritate sint praediti, etiam si ad cardinalatus honorem provecti [e] sint [f] [2].

Archiepiscopi et episcopi uti bonos pastores decet ecclesias aut dioeceses suas non [g] deserant, sed eis, quoad eius fieri poterit, assiduitatem praestent, in suisque civitatibus potissimum resideant aut certe in iis diocesis locis, ubi magis e [h] re ecclesiae esse censuerint. Quod si amplius quam tribus mensibus eos abesse contingat, absentiae causam archiepiscopus quidem proximo conprovincialium [i] episcopo, episcopus vero vel ipsi archiepiscopo vel eo absente coepiscoporum [k] ei proximo comprobet. Si [l] secus fecerit, poenis a concilio Tridentino statutis teneatur [3].

Curabunt etiam episcopi, ut orationi et sacrorum librorum lectioni dent operam et ipsimet populo verbum Dei [m] annuntient aut [4], si quid obstet, quominus id possint, concionandi munus [n] idoneis viris mandent ipsique eorum intersint, quoad eius fieri poterit, concionibus; suos vero mores ita componant, ut sint, sicuti iubet Apostolus [5], irreprehensibiles ⟨et qui⟩ [o] familiae et domui suae bene praesint exemplumque innocentissimae vitae universo gregi praebeant luxusque omnis et fastus ab eis ita sit alienus, ut temperantia et moderatio in eis passim commendetur.

Provideant episcopi, ut nemo nec concionandi nec ⟨erudiendae iuventutis⟩ [p] munus suscipiat, nisi cuius sanam et a recta et catholica fide non alienam doctrinam esse perspicue

[a] *D* Nec [b] *C* attigerit; *L D* exegerint [c] *L* consecratus fuit [d] *D* Cum [e] *C* proventi [f] *D om* [g] *B D L* ne [h] *D* a [i] *D* suorum provincialium [k] *D* coepiscopo [l] *D* Qui [m] *D* divinum [n] *D add.* adimplere [o] *D* atque [p] *D* erudiendi iuventutem

[1] Quae de episcoporum institutione hic decernuntur, omnia fere desumpta sunt ex decreto Aurelianensi, quod italice habetur *Concilio 103* f. 94v, cfr. *P. Feret*, La faculté de théologie de Paris: Epoque moderne I 309 sqq.

Quoad originem huius primi capitis adnotetur praeter ea, quae supra p. 501 adn. 1 attulimus, relatio diarii italici ad diem 13. Aug. 1561: *Parendo che il S.r cardinale di Loreno havesse detto et compreso ogni cosa con il suo voto, fu pregato a volerlo mettere in iscritto per potere con quello principalmente formare il loro decreto. Roserot de Melin* 104.

Adnotatio Romana: *Circa reformationem ab episcopis ecclesiae Gallicanae statutam et primo de ecclesiis cathedralibus et promovendis, si servaretur forma concordatorum, quibus rex tenetur nominare graduatos in sacra theologia vel in iure canonico et alias qualificatos iuxta concilium Lateranense antiquum et novissimum* [*Raccolta di concordati* 236; cfr. Lateran. III c. 3, *Mansi* XXII 218 sq.; Lateran. V sess. IX, *Mansi* XXXII 875 sq.; *Hefele-Hergenröther* VIII 602 sqq.] *non esset hodie valde laborandum et propterea forte melius esset insistere in ipsis concordatis, prout iacent. Si tamen recedendum est ab illis, advertendum est et perfecte stabiliendum, ut dictionum sive nominationum quoquomodo faciendarum confirmatio sedi apostolicae omnino reservetur. Id quod etiam faciendum est circa monasteria et prioratus conventuales, quorum rex nominationem habet. In reliquis provideat concilium, prout ei videbitur, studendo satisfacere votis ecclesiae Gallicanae, quantum in Deo et salva auctoritate et dignitate huius sanctae sedis* [*fieri potest*]. *Concilio 103* f. 99r.

Epitome: *Galli dant eligendi modum ad cathedralem ecclesiam, ut rex primo nominet, secundo canonici et coepiscopi cum examine causam, vitam et doctrinam ipsius cognoscant, tertio confirmet pontifex. Concilium et pontifices nihil disponunt. Concilio 103* f. 101r.

[2] Epitome: *Galli, concilium, Iulius et Paulus quoad vitam, mores atque doctrinam eligendorum conveniunt. Galli tamen, concilium et Iulius aetatem 30 annorum requirunt* [cfr. supra p. 263 cum adn. 4]. *Paulus III 27 tantum ex dispensatione* [c. 1, *Conc. Trid.* IV 505]. *Iulius addit: Non dispensetur circa qualitates eligendorum nisi cum causa in concistorio legitime discussa. Item in earum provisione servetur forma concilii Latheranensis sess.* [9, cfr. supra p. 292 sq.]. *Paulus addit: Patientibus aliquem supradictorum defectum non detur in commendam vel administrationem* [c. 1, *Conc. Trid* IV 505]. *Galli: Ordinem sacrum et consecrationem suscipiant episcopi intra sex menses. Concilium addit: Permittatur prorogatio sex mensium tantum ultra trimestre* [sess. VII de ref. c. 9, *Conc. Trid.* V 998]. *Iulius: Itali promoti intra sex menses, extra Italiam commorantes infra annum sub poena ammissionis fructuum ad ecclesiam accedant* [c. 14, supra p. 265]. *Paulus addit unius anni prorogationem ultra dictum trimestre* [c. 10, *Conc. Trid.* IV 506]. *Concilio 103* f. 101r.

[3] Sess. VI de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 803. Epitome: *Galli, pontifices et concilium sub eisdem poenis residentiam personalem fieri ordinant* [cf. supra p. 265, c. 15 sq.]. *Concilio 103* f. 101r. Enumerat deinde privilegia residentium quoad beneficiorum collationem.

[4] Epitome hic ad Conc. Trid. sess. V de ref. c. 9 (*Conc. Trid.* V 242) reiicit. — Cum his cfr., quae Claudius Espencaeus, praeceptor card. de Lotharingia, in ep. dedicatoria Commentariorum in priorem d. Pauli ad Timotheum epistolam (Parisiis 1561) de episcoporum officio praedicandi exponit.

[5] Cfr. *1 Tim.* 3, 2 sqq.

constiterit. Curent etiam, ut nemini, nisi cui ipsi id concesserint, publice aut privatim concionari aut iuventutem erudire liceat. Qui contrafecerit et ita ecclesiam Dei conturbaverit, tamquam turbulentus et seditiosus coerceatur.

Ipsimet episcopi solemnibus saltem diebus sanctissimum Christi sacrificium celebrent et sacramenta, cum locus et tempus postulabit [a], administrent.

Quoniam in ecclesia haec consuetudo pessima vel potius corruptela multis in locis invaluit, ut, quoties vel [b] episcopus, vel ex eis qui dignitatem sunt assecuti, vel etiam ex canonicis aliquis sacrificium celebrat, ab eo epulum exigatur [c], quo canonicos aliquot cum | 80v altaris ministris excipiat, visum est nobis sanciendum, ne quid huiusmodi imposterum fiat. Quod ipsum cautum quoque esse volumus de iis conviciis, quae ab episcopis, archidiaconis eorumque officialibus in synodalibus conventibus exigi solent.

Ipsi quoque episcopi ordinandis manus imponant nec titulariorum episcoporum seu suffraganeorum [1] quos vocant imposterum vicaria utantur opera; ii autem, qui hodie supersunt suffraganei, nonnisi cum gravi morbo laborat episcopus aut aliquod legitimum obstat impedimentum, episcopali fungantur munere, quod quidem ita iudicio et arbitrio relinquimus episcopi, ut interim admoneamus, ut meminerit sibi esse Deo iudici reddendam rationem. Quibus etiam cavendum erit, ne in clericorum numerum [d] eos ascribant, quos scit verisimile aliud sibi proponere, quam ut ecclesiae ministeriis sese addicant.

Ut suffraganeorum opera sit imposterum [e] minus necessaria, impetretur a summo pontifice, ut episcopi ecclesiarum, altarium, cimiteriorum, sacrorum vasorum et vestium consecrationem abbatibus et eis, qui in ecclesia maiores dignitates fuerint assecuti, auctoritate apostolica mandare possint.

Sacri ordines [2] ita conferantur, ut omnis avaritiae et quaestus suspicio omnisque mali species quam longissime absit. Nec ab ordinandis quicquam exigatur, ne pro litteris quidem dimissoriis; scribae tamen pro ⟨opera cartarum⟩ [f] et cera quinque solidos Turonenses dumtaxat accipiant.

Cum ii, quibus est a summo pontifice concessum pontificalia exercendi privilegium, passim dimissorias litteras concedant, unde saepe [g] fit, ut et indocti et non satis probati ad sacros ordines promoveantur, ne posthac id eis liceat, sed hoc ius solius sit episcopi, ab ipso quoque summo pontifice obtinendum est; sed nec vacante sede litterae dimissoriae a capitulo concedantur nisi iis solis, qui ex necessaria suscepti beneficii causa intra certum tempus coguntur promoveri. |

81r Si sede vacante contigerit, ut a capitulo dimissoriae impetrentur litterae, ii autem, qui sunt [h] ordinati, inventi fuerint minus idonei, aut non habeant, unde vivant, eadem lege teneantur qui concessere, qua episcopi.

Episcopi singulis annis ipsimet suas visitent dioceses [3], praeterquam si quaepiam tam late pateat, ut eam uno anno obire non possit [i]; tunc autem suffecerit, si singulis annis partem

[a] *D* postulabunt [b] *L om* [c] *L* exigat [d] *D* numero [e] *D* deinceps [f] *D* opera sua, carta [g] *D L om.* [h] *D* fuerint [i] *D* possint

[1] Quoad suffraganeos Epitome bullas Iulii III (supra p. 293, c. 11) et Pauli III (c. 18, *Conc. Trid.* IV 507) necnon conc. Trid. sess. XIV de ref. c. 2 allegat. — Card. de Lotharingia in voto suo die 12. Aug. proposuerat *che si deveria supplicare à S. S[ta] di concedere manco suffraganei che si può in questo regno. Roserot de Melin* 102.

[2] Adnotatio Romana: *De collatione ordinum. Placent omnia. Verum quo ad consecrationem ecclesiarum et altarium inferioribus demandandam cum episcopi personaliter residere teneantur et debeant, non videtur huiusmodi facultas eis concedenda nisi in casu infirmitatis aut alterius iusti impedimenti. In his tamen et reliquis contentis sub hac rubrica provideat concilium, prout ei videbitur. Concilio 103* f. 99r.

Epitome: *Galli: Ab ordinandis nihil exigatur; pro litteris taxatum tantum. Concilium vel Paulus nihil. Iulius: Nil pro ordinum collatione suscipiatur ab episcopo vel ministris* [c. 39, supra p. 296]. *Galli: Non liceat cuiquam in aliena diocesi ad sacros ordines promovere, sed tantum episcopo proprio; nec sede vacante capitulum dimissorias concedat. Concilium idem in sessione V* [lege: VII de ref. c. 10 sq., *Conc. Trid.* V 998], *sed cum modificatione: nisi cum consensu episcopi et quoad eius subditos tantum. Iulius: Non ordinentur clerici nisi per ordinarium cognita eorum bona intentione munus aggredi, non ut tantum privilegiis utantur. Non ordinentur in curia nisi examinati ab uno et* [videtur legendum *ex*] *tribus deputatis* [*ad*] *minus; non habentes domicilium, nisi ex sui ordinarii licentia. Non liceat episcopo in aliena diocesi pontificalia exercere vel ordinare* [c. 31-34, supra p. 295]. *Concilium idem sess. VII sub Paulo* [de ref. c. 11, *Conc. Trid.* V 998]. *Prohibitus a proprio episcopo absque eius licentia a nullo ordinetur. Ordinati a non episcopo proprio etiam in curia, si habiles, admitti possint, si inhabiles, ad tempus suspendi. Capitulum sede vacante dimissorias non concedat. Paulus: Clerici nisi ab ordinario promoveantur. Nec facultates de promovendo ab aliquo dentur, causa tamen cognita, ab antistite in diocesi commorante vel pontificalia exercente. Nec ordinarius subditos alienos ordinet nisi de proprii episcopi licentia* [c. 31 sq., *Conc. Trid.* IV 508]. *Conc. 103* f. 102r.

[3] Adnotatio Romana: *De visitatione et correctione episcoporum. Placet. Verum circa visitationem capitulorum exemptorum praesertim ab*

obiens biennio aut triennio compleant visitationem. In qua ita se gerant, ut et, quae sint[a] corrigenda, corrigant, et clerum in officio contineantes[b] populum quoque suae salutis admoneant.

Episcopi singulis annis semel saltem synodos congregent nec perinde, ac si de rebus levissimis ageretur, eos, qui convenerint, protinus dimittant, sed ex veteris ecclesiae ritu cuiuslibet fidem, doctrinam et mores examinent et, quae emendanda visa fuerint, diligenter emendent et omnes[c] sui officii admoneant. Archiepiscopi vero tertio quoque anno die Dominica secunda post Pentecosten, aut si alium praestitui diem magis videatur expediri, is in provinciali synodo indicetur[d].

Episcopi, quos imprimis oportet esse hospitales, pauperum maxime curam gerant, et ut nosocomiorum[e] ac xenodochiorum, ptocotrophiorum atque id genus piorum locorum, quae vulgo hospitalia, leprosariae et domus Dei vocantur, facultates in usus destinatos impendantur[f], prospiciant atque ab eorum administratoribus, quicumque illi fuerint, singulis annis rationes exigant. Qua in re procuratores ipsi ita se gerant, ut omnino nulla in eis appareat avaritiae aut malae fidei suspitio, alioquin ab episcopo procuratione amoveantur.

Episcopis, quorum maxima[g] est dignitas, is honor tribuatur, ut eis ubique in choro et in capitulo sit prima sedes, quam ipsi elegerint. Quibus etiam obediant omnes canonici et alii, qui in ecclesia dignitatem personatumve quem vocant obtinent, ceterique, qui in ea quomodolibet inserviunt quique communiter vel divisim | ab eadem dependent ab eisque 81v
visitari, corrigi omnino necesse habeant.

Verumtamen causam[h] eorum, qui se exemptos esse asserunt, episcopi per se, adhibitis tamen sibi in consilium sex ex senioribus capituli, si triginta fuerint canonici, sin pauciores, saltem quattuor, cognoscant atque iudicent. Ceteris in rebus capituli iurisdictio et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur. Absente vero episcopo correctio canonicorum dumtaxat dictae ecclesiae cathedralis eorum sit, ad quos iure, consuetudine vel statuto pertinet, ita tamen, ut reversus episcopus negotium coeptum finire possit.

Cum sint hodie valde perplexae multorum conscientiae propter admissa a se crimina, quae reservata sunt episcopis, ut qui ad salutare confessionis[i] remedium non accedant[k], dum nec sacerdotem inveniunt, qui eos possit absolvere, vel famae suae timentes perire malunt, quam illa ei aperire, cuius est cognitio, vel sumptibus deterrentur, si[l] ad obtinendam absolutionem sit sibi paulo longius proficiscendum: monendi sunt episcopi, ut eorum et pudoris et impensae rationem habentes ecclesiarum parrochialium rectoribus aut eorum vicariis,

[a] *D* sunt [b] *D* contineant [c] *C* omnia [d] *B C D N P* iudicetur [e] *C om* [f] *D* impendant [g] *D* magna [h] *Sic D N; ceteri codices* causa [i] *C* salutarem confessionem [k] *D* accedunt [l] *L om.*

immemorabili tempore, cum sit querela vetus apud omnes nationes, inveniendus esset aliquis modus, quo omnibus ecclesiis satisfieret. Et modus propositus, quod episcopus possit visitare assumptis secum aliquibus senioribus de capitulo non displicet, ita tamen, quod electio senioris non fiat ad libitum episcopi, sed per ipsum episcopum et capitulum. Posset etiam alio modo provideri, ut episcopus possit corrigere negligente capitulo vel iudicibus ab eo deputatis id facere infra certum tempus iuxta dispositionem concilii generalis in cap. [13] *Irrefragabili* [X] *de off. iud. or.* [I 31]. *Conc. 103* f. 99r. — De visitatione capitulorum per ordinarios cfr. *H. Iedin*, Kirchenreform u. Konzilsgedanke: Hist. Jahrbuch 54 (1934) 411 sqq.

Epitome: *Galli: Episcopo obediant canonici et omnes alii, cuiuscunque gradus vel dignitatis existant, ab eoque visitentur et corrigantur. Item exemptorum causas cum consilio seniorum capituli iudicet; quo vero ad iurisdictionem et bonorum administrationem iura capituli conserventur. Concilium idem quo ad prima 3 in sess. IV sub Iulio* [XIV de ref. c. 4] *et sess. VII sub Paulo* [de ref. c. 8, *Conc. Trid.* V 998] *excepto quod dicitur de consilio seniorum. Iulius: Residentes visitent et corrigant exemptos aliquo non obstante* [!]. *Clerici alieni non puniantur nisi cum sui episcopi residentis interventu vel ab eodem deputati, quovis privilegio non obstante. Beneficia quomodolibet exempta ab ordinariis visitentur; item hospitalia quovis modo exempta* [c. 57, 67-69, 75-77, supra p. 271 sq. 274]. *Paulus vero addit et excipit ut infra: Ordinarii corrigant et visitent quocumque modo et quasvis personas exemptas necnon monasteria exceptis universitatibus studiorum et personis, quas per sententiam episcopi constiterint ad tempus vel pro tunc ab ordinario exemptas fore, et capitulis ab erectione prima seu per tempus immemorabile in exemptionis possessione existentibus. Ordinarii etiam exequantur in superiorum negligentiam* [!], *ad quos alias dicta visitatio vel correctio spectaret. Item omnes inhabiles removeantur ab altaris ministerio. Ordinarii puniant degentes extra claustra etiam citra suorum superiorum consensum. Item inhabiles quovis modo exemptos et promotos removeant a confessionibus et altaris ministerio simul ac interdicta suarum civitatum exequi faciant a quibuscumque regularibus etiam quovismodo exemptis. Commissarios denique, ponatur totum capitulum. Inhibitiones in visitationibus, correctionibus similibusque causis etiam criminalibus non dentur ordinariis nisi causa cognita vel cum irreparabile damnum ex difinitiva ordinarii resultaret* [c. 3-8 et c. 43, *Conc. Trid.* IV 505 sq. 509 sq.]. *Concilium idem sub Iulio III* [sess. XIII de ref. c. 1.]. [*Galli:*] *Procurationes non exigantur nisi a personaliter visitantibus. Indultum visitandi pro alio non nisi pro legitime impedito concedatur, nunquam tamen pecunia procurationis suscipiatur. Exemptiones temporales nec ex causa gratiosa concedantur, in concedendis vero committatur, ut, si mendax precatur, careat impetratis. Familiares morantes in partibus non gaudeant familiaritatis privilegio. Conc. 103* f. 102v-103r.

qui invenientur idonei, committant, ut praeter homicidium, haeresim et excommunicationem a ceteris occultis peccatis quosvis [a] contritos et rite confessos possint absolvere. Pontifici quoque [b] maximo iisdem de causis supplicandum est, ut de irregularitatibus quas vocant et de sibi reservatis casibus aliquid indulgentius ⟨statuens permittat, ut⟩ [c] episcopi potestate delegata [d] eos [e] possint absolvere.

Ars quidem typographica [1] christianae [f] reipublicae multa affert commoda, si ea edantur in lucem, quae sunt utilia; rursus est longe perniciosissima, si emittantur in vulgus [g] exitiosi et pestilentes libri, cuiusmodi nostris [h] temporibus multi sunt editi suppresso [i] nomine typographi. Quod ne deinceps fiat, edicto regio prohiberi cupimus, ne typographi aut [k] bibliopolae librum ullum in lucem edant vel venum [l] exponant vel clam [m] vendant, qui non fuerit
82r lectus et approbatus ab eo vel ab iis, cui vel quibus | hoc legendi et approbandi negotium de omnium [n] seniorum canonicorum sententia mandarit [o] episcopus, in cuius dioecesi habitabit bibliopola aut typographus, quique typographi aut bibliopolae [et] autoris nomen et cognomen non contineat; quod ipsum quoque de quibusvis ⟨scripturis ac⟩ [p] pictis tabulis et chartis statuendum est. Porro autem typographi, bibliopolae institoresque ac geruli circumforanei, qui libros huiusmodi venditari [q] circumcursant [r], manu regia coerceantur.

[2.] De excommunicatione.

⟨Quo excommunicationis gravior est censura et [s] fidelibus christianis magis [t] timenda⟩ [u] — quid enim potest christiano gravius accidere quam a coetu [v] fidelium segregari et cum [w] ecclesiae tum etiam S[mi] Christi corporis communione privari — eo diligentius cavendum est, ne temere et tam levibus de causis eius feratur sententia, ut [x] vulgo contemnatur, nec ita in desuetudinem abeat, ut ecclesiastica enervetur [y] disciplina. Quod quidem usu venturum esse nobis persuademus, si quae sequuntur [z] observentur.

Primum quidem, ut si de causa civili agatur [aa], in ordine iudiciorum, in omnibus inquam praeparatoriis et quae etiam forte inciderint interlocutionibus censuris ecclesiasticis nullus sit relictus locus; ad quas tum demum est veniendum, cum nullum aliud occurrit remedium. Quod si reus in ius vocatus nec se sistere nec litem velit contestari, ne impune suam ferat contumaciam, iudex litem habeat pro contestata, et [bb] si iis, quae ab adversario [cc] proposita fuerint, detractet [dd] respondere, perinde habeatur, ac si assensus et confessus fuerit et quae sunt huiusmodi. Quod tamen non alias procedat, quam si legitime secundo vocatus parere noluerit. Deinceps quoque sint irritae et, quod ad excommunicationem attinet [ee], nullam
82v vim habeant omnes hac verborum formula conceptae obligationes: *nisi intra certum | tempus satisfecerit, excommunicationi subiaceat.*

Sed ne pro iniuriis [ff], quae verbis fiunt in forma malefactorum, generales decernantur monitiones nec generales illae monitiones, quas ad fines revelationis vulgo appellant, deinceps impretrentur nisi pro gravissimis delictis et in civilibus causis magni momenti, et nonnisi causa per episcopum cognita et diligenter examinata. Atque in iudiciorum quidem [gg] ordinem, ut diximus, censura non admittatur ecclesiastica. In rei autem iudicatae executionem eam ita demum admittimus, si cum quae debeat sufficere praecesserit [hh] monitio praesentibus fide dignis hominibus, ut si necesse sit, probari possit eorum testimonio, a iudice pronuntietur sententia excommunicationis. Haec quidem observentur in causis civilibus.

In criminibus [ii] autem ita statuendum ducimus [kk], merito in eos ferri [ll] posse sententiam excommunicationis, qui gravissimorum criminum, ut verbi causa haeresis, adulterii, furti, veneficii [mm], sortilegii, usurarum et ceterarum [nn] huiusmodi, quae et civilibus legibus fere omnia corporis supplicio puniuntur et animae mortem afferunt aeternam, de quibus ab ecclesia saepe admoniti nullam prae se ferunt poenitentiam, publica notentur [oo] infamia. Aequum enim est, ut qui corrigi nolunt, tamquam membra putrida a corpore resecentur, et merito

[a] *C* quovis [b] *D om.* [c] *sic D N; ceteri codd.* statuere permittant, et [d] *D* delegati [e] *D om.* [f] *L* perspicue [g] *D add.* perniciosi [h] *C Morandi N* nomine [i] *L* impresso [k] *D* et [l] *D om.* [m] *D* etiam [n] *D N* communi [o] *C* mandaret; *Morandi* mandavit; *N* mandabit [p] *D* aut scriptum aut [q] *D* venditari [r] *C* circumversant [s] *D* eo [t] *D add.* est [u] *C* Sunt excommunicationes graviores censurae et... timendae [v] *P* conventu [w] *D* tum [x] *B P* et [y] *D* evertatur [z] *L om.; D add.* ea [aa] *L* agetur [bb] *L om.* [cc] *D* adversariis [dd] *D* detrectet [ee] *D* pertinet [ff] *B* iniuria; *C* iniurie [gg] *D* quendam [hh] *L* praecedat [ii] *D* criminalibus [kk] *B* duximus [ll] *D* inferri [mm] *L om.*; *C* beneficii [nn] *D* ceterorum [oo] *D* notantur

[1] Adnotatio Romana: *Povideatur in concilio per confectionem indicis. Dum autem dicitur, quod libri debeant probari ab episcopo et canonicis: magis consonum videretur probandum esse ab episcopo et inquisitore in quacumque ecclesia instituendo. Tamen faciant patres, quid sibi visum fuerit. Concilio 103* f. 99v.

plectenda est inobedientia, cum *quasi peccatum ariolandi* [a] *sit repugnare et quasi peccatum idololatriae nolle acquiescere* [1]. Qui secus in quempiam pronuntiaverit sententiam excommunicationis et admonitus errorem suum non revocaverit, ei, quem excommunicaverit, omnes, quas propter hanc excommunicationem fecit impensas, et omne, quod intererit [b], cogatur restituere.

Quoniam autem sunt hodie permulti a Dei timore et vera pietate a Deo alieni, ut a coetu fidelium segregari [c] non admodum abhorreant, supplicabitur regi, ut, qui ex malo proposito et indurato animo integro anno passi sunt se esse excommunicatos, in carcerem coniiciantur [d], nec inde prius exeant, quam [e] fuerintabsoluti, ut vel inviti cogantur resipiscere et reconciliari ecclesiae. |

Quaecunque ecclesiasticae censurae, suspensionis vel prohibitionis, seu ab homine seu 83r
a lege aut canone generaliter prolata fuerit sententia ea [f], ut statuit concilium Basileense [2], neminem a sacramentorum cum aliquo communione aut in rebus divinis vel etiam profanis conversatione cogant abstinere, nisi in certam personam, collegium, universitatem, ecclesiam et locum certum nominatim aut [g] expresse fuerit pronuntiata, nisi forte adeo sit evidens in sententiam excommunicationis incidisse quempiam, ut nulla possit tergiversatione celari aut ullo iuris auxilio excusari. Quod quidem sancimus, non quod aut excommunicatis faveamus aut eorum leviorem velimus esse conditionem, sed ut ex ⟨simpliciorum animis scrupulos, qui eos cruciant, evellamus⟩ [h].

[3.] De dignitatibus ecclesiarum [3].

Ecclesiasticae dignitates personatusque quos vocant et officia non conferantur in posterum nisi viris idoneis et eiusdem [i] ecclesiae actu canonicis, quique 25. aetatis annum attigerit, et quos eruditio probitasque morum commendet. Quibus necesse erit residere et praesentes suo fungi munere convenienter cuilibet dignitati personatuique et officio et [k] ut postulat institutio statutumque ac ius vel [l] consuetudo ecclesiarum. Quae quidem dignitates personatusque et officia, ne sint eiusmodi, ut nihil sit, in quo se exerceant, qui illa obtinent, sed totius [m] ecclesiae commodis ac rationibus cum [n] aliis consulant [o], etiam si sint tantum ad effectum creati canonici, poterunt eos [p] assecuti capitulum ingredi et tenere locum suarum dignitatum. Nec tamen propterea erit a capitulo plus eis distribuendum, quam distribui consuevit dignitatibus. Suppliciter autem petetur a summo pontifice, ne quis ullo modo deinceps creetur canonicus ad effectum etc.

Archidiaconi, quorum munus est visitare ipsi per se, non autem per vicarios, visitandi munus obeant, si cesset legitimum | impedimentum, quod probetur ab episcopo. Visitandi 83v
autem munere non cursim [q] ac leviter, sed diligenter ac mature perfungantur, interim autem, dum hoc suum faciunt officium, perinde habeantur, ac si praesentes essent in ecclesia, quod ad omnium fructum attinet perceptionem et distributionem. Suis autem sint finibus contenti et rationem suae visitationis episcopis, ad quos ea res maxime [r] pertinet, reddant. De arduis [s] et maioribus causis non cognoscant neque censuris utantur ecclesiasticis, nisi auctoritas accesserit episcopi, qui etiam poterit in eos animadvertere, si ob turpe lucrum quicquam fecisse aut ullo alio modo deliquisse fuerint deprehensi.

[4.] De canonicis.

In cathedralibus ecclesiis canonici ne fiant priusquam [t] 18. [u] annum attigerint, nec nisi sint honestis moribus praediti et saltem mediocriter docti, ut spes sit eos aliquando episcopo esse [v] daturos consilium. ⟨In ecclesiis vero collegiatis sint aetatis legitimae⟩ [w].

[a] *L om.* [b] *L* impenderit [c] *P* segregati [d] *C* coniiciantur [e] *P* quantum [f] *B L* vestra; *D* illa [g] *D* et [h] *D om.* [i] *D* quidem [k] *D om.* [l] *D* et [m] *C* toties [n] *L om.* [o] *D* conferant [p] *D L* eas [q] *C* cursum [r] *D om.* [s] *C* ordine [t] *D* antequam [u] *C* XXVIII [v] *D om.* [w] *D* Omnes in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis sint legitimae aetatis.

[1] Cfr. *I Reg.* 15, 23.

[2] Conc. Basiliense sess. XX c. 2, *Mansi* XXIX 103 (De excommunicatis non vitandis). Epitome: *Excommunicatum quantumvis publicum ante denunciationem non vitandum statuunt contra c.* [14] *Cum non ab homine* [X] *de sent. excom.* [V 39] *et prout in sess. XX Basileensis concilii ordinatum fuit. Concilium et pontifices super his nihil. Concilio 103* f. 104r.

[3] Adnotatio Romana: *De dignitatibus, canonicis et praebendis. Ad primum de aetate videretur servanda dispositio iuris communis habita distinctione inter dignitates habentes vel non habentes curam vel iurisdictionem iuxta c.* [7] *Cum in cunctis* [X] *de electione* [I 6] *et c. unicum de aetate et qualitate* [I 10] *lib. VI. Tamen in hoc et in reliquis provideat concilium, prout ei videbitur.*

Stas S. iam amplius non concedit gratias de vacaturis et rarissime creationes canonicorum ad effectum, et ideo nihil esset decernendum.

Tertium et quartum de archidiaconis placet. Non videntur tamen privandi iurisdictione eis competenti, nisi ea abutantur et unicuique ius suum servetur. Conc. 103 f. 99v

Canonici omnes resideant nec absint nisi causa cognita et per episcopum et capitulum approbata [a].

Duo canonici, quos a consiliis in comitatu habere episcopis [b] a iure permittitur, integros praebendarum, quarum fructus tam grossos quos vocant quam minutos [1] et quae in dies obveniunt [c] distributiones percipiant, in eoque non stetur quibuslibet pontificum contrariis constitutionibus statutisque et consuetudinibus.

Canonici libris sacris legendis potissimum dent operam. Cum autem multum intersit christianae reipublicae, ut sint in ecclesia viri docti, qui velut splendor firmamenti in ea reful-
84r geant et ad iustitiam plurimos possint erudire [2], aequum [d] videtur, ut qui recens [e] | admissi sunt ad canonicatum non admodum aetate aut [f] doctrina provecti, aliquot annos bonarum et potissimum sacrarum litterarum studiis in aliqua publica et a recta fide non aliena academia dent operam, eisque portio aliqua ad fovenda [g] eorum studia ratione habita proventuum praebendae a capitulo assignetur, ⟨cui tamen illi, qui⟩ [h] studiorum causa aberunt [i] canonici, verum ac fidele per magistrorum suorum litteras testimonium singulis annis exhibebunt, quod serio ac graviter litterarum studiis incumbant [k]. Exacto autem iusto studiorum tempore ad ecclesiae obeunda munera ex ipsius capituli arbitrio revocati pareant, alioquin et [l] assignata eis portione et omnibus aliis praebendae et canonicatus sui fructibus privandi [m]. Ceteri autem canonici, ne iis quidem exceptis, qui dignitates obtinent, cum omnibus presbyteris earum civitatum, in quibus non est universitas, sedulo moneantur ab ⟨episcopo et rectoribus⟩ [n] ecclesiarum, ut theologos audiant praelegentes; in quibus autem est universitas, frequenter audiant professores sacrarum litterarum, alioquin utrobique mulctandi ab episcopo et senioribus capituli, ⟨prout eorum negligentia et contemptus postulaverit⟩ [o].

In cathedralibus ecclesiis, in quibus sunt plus quam triginta canonici, duae duobus doctoribus theologis [p] assignentur praebendae, quorum alter unaquaque hebdomada ter saltem sacras litteras publice interpretetur, nisi ubi iam eo nomine ⟨theologo praebenda⟩ [q] assignata est [3], alter vero omnibus festis ac dominicis diebus, ubi iusserit episcopus, concionetur, praeterquam quando visitantem episcopum aut alium ab ipso [r] ad id missum comitabitur. Quo tempore vel etiam, quando iussu episcopi extra civitatem concionabitur, praesens reputabitur in ecclesia. In quibus autem sunt pauciores [s], una uni doctori theologo assignetur praebenda, qui et praelegendi et concionandi alternis vicibus munus obibit. In iis autem theologis eligatur [t] ab episcopo industria persona, ita ut neque mandatis apostolicis neque scolasticis
84v nominationibus in eis | praebendis obtinendis ⟨sit locus⟩ [u], nec in cuiusquam gratiam eis possint renuntiare theologi, nisi qui ab ipso episcopo fuerit approbatus.

In iis quoque ecclesiis, in quibus sunt canonici regulares, sit itidem unus theologus eiusdem, si fieri possit, ordinis, sin minus, doctor alius seu regularis seu saecularis, qui et praelegendi et concionandi constituto ei honesto stipendio munus obeat, donec ex eorum numero sit aliquis idoneus. In collegiatis quoque insignibus ecclesiis assignetur etiam praebenda theologo, qui itidem et [v] legendi et concionandi fungatur officio eadem, quam [w] superius diximus, lege et condicione. Ut autem theologis, quorum opera est hodie maxime necessaria, citius provideatur, visum est, ut deinceps quaelibet prima vacatura, ad quemcumque seu episcopum seu capitulum communiter seu separatim eius [x] pertineat collatio, eis conferatur. Supplicetur autem summo pontifici, ut supprimatur una praebenda in [y] ecclesiis cathedralibus, in quibus viginti aut eo amplius [z] erunt [aa] praebendae, ut ex ea ⟨provenientes fructus⟩ [bb] in posterum assignentur uni ludimagistro aut pluribus, sicuti visum fuerit episcopo et [cc] capitulo, habita ratione locorum et personarum. Eorum autem ludimagistrorum institutio eius sit, ad quem iure pertinet praebendae collatio; sin autem electio pertineat ad capitulum, eius sit praesentatio, episcopi vero institutio. Quodsi ii, qui hoc modo erudiendae iuventutis curam susceperint, recte et diligenter munus suum non obeant, episcopi et capituli ⟨arbitratu amoveantur, et alii in eorum locum [dd] sufficiantur⟩ [ee].

[a] *D* probata [b] *D* episcopo; *P* episcopum [c] *D* veniunt; *L* obvenient [d] *C* ac cum [e] *D* recenter [f] *D* et [g] *D* facienda [h] *D* Tamen qui [i] *D* abierunt [k] *D* incubuerint [l] *D om.* [m] *L* carituri [n] *D* episcopo, a rectoribus [o] *D om.* [p] *D* theologiae [q] *D* portio [r] *D* eo [s] *D add.* canonici [t] *D* eligantur [u] *D* seu locis [v] *D om.* [w] *L* ut [x] *D om.* [y] *D* ex [z] *D* plures [aa] *D* erant [bb] *C* proveniente fruetur [cc] *D* aut [dd] *B* loco [ee] *L* sufficiant; *D totam conclusionem om.*

[1] Fructus grossi proventus sunt ipsius praebendae, a quibus differuntur distributiones quotidianae. *Kirchenlexikon*[2] X 275.

[2] Cfr. *Dan.* 12, 3.

[3] Iuxta can. 11 concilii Lateranensis IV, renovatum in conc. Basiliensi sess. XXXI, *Hefele* VI 885; VII 662.

Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonici cum primum deinceps [a] recepti et admissi fuerint, tam grossos quod vocant quam quoscumque alios suarum praebendarum fructus percipiant, si modo resideant et praesentes suo fungantur officio, nisi ex eorundem [b] locorum speciali ac legitima fundatione praedicti grossi fructus pro certo tempore aliis ecclesiis aut piis usibus aut fabricae expresse debeantur. |

Quicumque in cathedralibus et collegiatis ecclesiis dignitates sunt assecuti, et omnes 85r etiam canonici, postquam 25.[c] annum compleverint, ad sacros [d] ordines promoveantur, praeterquam si ex statuto vel ecclesiarum fundatione sint eorum praebendae diaconis vel subdiaconis deputatae. Septem autem sint in ecclesiis cathedralibus diaconi, si tot ferre possit ecclesia; sin minus, tot sint, quot arbitrio episcopi et capituli ecclesiam ferre posse visum fuerit. Ii autem, qui diaconi et hypodiaconi funguntur officio, dum principale celebratur sacrificium, diebus saltem dominicis et solemnibus festis necesse habeant sacram percipere communionem, etiam si sint presbyteri, ut ad frequentius communicandum eorum exemplo incitetur [e] populus. Quod ipsum, nempe ut [f], dum fit sacrificium, praedictis diebus communicent diaconi et hypodiaconi, fiat [g] etiam in collegiatis ecclesiis, ubi satis est magnus numerus presbyterorum. Idem fiat in monasteriis, in quibus cum diaconis et hypodiaconis etiam monachi quam maximo fieri poterit [h] numero communicent.

Canonici ita se gerant, ut [i] a suo nomine, quod regularem significat, minime discrepent. Ea sit in his modestia ac moderatio, ut et luxus vitetur, nec ab eis quicquam admittatur, quod offendat populum; Deum autem cum psalmis et canticis, spiritu ac mente colant. Quae omnia videant episcopi, ut rite et congruenter fiant ad sanctorum patrum regulam et maxime concilii B a s i l e e n s i s [1], quo inter cetera caveatur [k], ut ipsi canonici statutis [l] horis officio intersint et psallant, quod nisi faciant, mulctentur ab episcopo, cuius est curare, ut in ecclesia Deus rite colatur. Ipsi autem canonici, praesertim iuniores, per se vicissim et stat[tu]tis suis diebus sacrificium celebrent, nisi legitimum et quod capitulo probarint [m] obstiterit impedimentum; quod si acciderit, alteri ex canonicis vices suas mandabunt.

Canonici, ubi ad eos praebendarum pertinet electio et ecclesiarum parochialium ac aliorum beneficiorum provisio, sicut et reliqui ecclesiasticorum | sacerdotiorum collatores 85v ac patroni in eis conferendis ita se gerant, ne sibi gratificentur aut famulis ea conferant, quos habent in potestate, eo spectantes, ut quamdiu vixerint, ipsi fruantur collatae ecclesiae proventibus. Provideant autem collatores, ut ex sententia canonis absque ulla fructuum diminutione et [n] citra ullam de iis pactionem ecclesiastica beneficia integre [o] conferantur.

Moneantur quoque a suis episcopis cathedralium ecclesiarum et collegiatarum capitula, ut statutorum suorum libros per viros pios et longo iam usu in rebus ac ministeriis ecclesiae versatos visitandos curent, et quae in eis compererint potius ad paucorum quaestum et privatum lucrum et excitandam [p] inter fratres discordiam quam ad pacem et aequabilem inter eos societatem pertinere, mature et diligenter emendent eamque emendationem episcopo sic probent, ut ipsius iudicio et authoritate confirmetur. Qua in re, si capitulum se negligentius [q] gesserit et cessando vel differendo [r] antistitis sui adhortationem contemnere visus [s] fuerit, tunc episcopus ipse in volumine ipso statutorum cum aliquo [t] ex seniorum canonicorum consilio, quod [u] aequum esse videbitur, tollere, addere, minuere [v], augere et quoquomodo [w] commutare suo iure possit.

[5.] De rectoribus ecclesiarum [x] [2].

Ecclesiarum paroecialium praesentatio et collatio eorum sit, ad quos iure, privilegio [y], statuto vel consuetudine constat eam pertinere, sed ita, ut ne quis deinceps eas pleno iure conferat, verum sit episcopi perpetua institutio, servato tamen his, qui plene conferebant,

[a] *D om.* [b] *D* quorundam [c] *D* 20 [d] *B D L add.* presbyteratus [e] *D* excitetur [f] *D* et [g] *D om.* [h] *D* possit [i] *L* ne [k] *D* cavetur [l] *C P* statis [m] *D* probarit [n] *P* ut [o] *D* integra [p] *D* excitandum [q] *D* negligenter [r] *D* deficiendo [s] *D* visum [t] *C P* aliquot [u] *Ita D* [v] *D om.* [w] *D* quovis modo [x] *B P add.* parochialium [y] *D om.*

[1] Sess. XXI c. 3-4, *Mansi* XXIX 105 sq.

[2] Adnotatio Romana: *De curatorum et simplicium beneficiorum collatione. Non videtur conveniens, quod aliquis privetur iure conferendi vel praesentandi sibi competenti, dummodo idoneum eligat; alioquin devolvatur facultas ad episcopum. Longe indecentior videtur petitio ac omni iuri divino et humano repugnans, quod summus pontifex, qui aliis facultatem conferendi communicavit, ab illa se penitus abdicet, licet in regno Galliae, ut notorium est, rarissime beneficia conferat per resignationem vacantia. Quare Gallorum petitio tanto minus honesta redditur nec ratio allegata per eos militat, ut scilicet beneficia idoneis conferantur, cum S[tas] S. conferat et conferri intendat personis idoneis non minus quam ipsi praelati hactenus fecerint et facturi sint. Cessabit quaestio huiusmodi, cum S[tas] S. intendat*

praesentandi iure. Quod tamen nec ad prioratus [a] nec ad regularia beneficia, quae abbates et priores conferre solent, extendatur [b], et ne ea maximo christiani populi damno igna- 86r ris [c] minimeque idoneis conferantur, supplicetur summo | pontifici, ut ab earum ecclesiarum collationibus omnino ad sextum usque mensem a die vacationis abstinere velit.

Quicunque vel ⟨renuntiationis vel apostolici mandati⟩ [d] vel alio quovis iure quam ordinarii [e] authoritate parochialem ecclesiam obtinuerint [f], eius [g] possessionem non ante adipisci possint, quam ab episcopis et senioribus capituli nonnullis adhibitis fuerint examinati; qui si minus reperiantur idonei, liceat eis semel ius suum, quibus volent [h], cedere, dummodo id intra mensem fiat, et illi ipsi, quibus cesserint [i], pari ratione approbentur.

Quos praesentant patroni et qui nominantur aut eliguntur, non prius rite instituti, admissi aut confirmati censeantur, quam sese episcopo suo nonnullis adhibitis senioribus capituli steterint ac idoneos probaverint. Qui si ob litterarum inscitiam [k] repellantur, tum poterunt patroni ecclesiastici alium repulsi loco, sed semel tantum, praesentare, qui si ipse quoque [l] fuerit ab episcopo reiectus ob idque superioris auxilium imploravit [m], non ei quicquam nisi causa probe cognita et praecedentis [n] repulsae ratione legitime discussa a superiore concedatur.

Episcopi nullos praeficiant ecclesiis paroecialibus, nisi 25. aetatis [o] annum attigerint [p], prius examinata eorum fide, doctrina et moribus pro loci temporisque ratione.

Maxime quidem danda esset opera, ut staretur decreto concilii Chalcedonensis[1] quo cavetur, ne clericus in duabus adscribatur ecclesiis, et quicumque ordinatur [q], certae [r] ecclesiae assignetur. Quod si in ceteris, in eo quidem certe [s] maxime esset observandum, qui parochiali praefuturus ecclesiae animarum curam geret. Quoniam autem inopportunis permulti precibus a pontifice maximo saepe impetrant, ut [t] canone soluti plura, in quibus animarum gerenda est cura, obtineant [u] sacerdotia, res ita temperetur, ut et pontifici honor | 86v quam [v] par est habeatur, et ratio ineatur, ne pontificia privilegia noceant ecclesiae. Hoc autem [w] ita demum fiet, si summus pontifex, quodcumque privilegium a se fuerit impetratum, id ita ratum ac firmum esse velit, si is, quem solvit canone, et iustam esse causam, cur eo sit solutus, et neutri earum ecclesiarum, quibus est praefuturus, id esse obfuturum episcopo adhibitis in consilium senioribus capituli ac iis, qui in eadem ecclesia fuerint, theologis comprobarit, hoc etiam quam religiosissime observato, ut parochiales ecclesiae sint in eodem episcopatu aut saltem a se invicem non distent plusquam unius [x] diei itinere [y].

Rectores ecclesiarum parochialium et quicumque animarum curam gerunt apud suas resideant ecclesias. Qui vero plura habuerint beneficia, quae vel ob curam animarum aut aliam rationem residendi necessitatem afferant [z], ⟨ecclesiam, in qua⟩ [aa] non resident, quam saepissime visitent, vicarios autem constituant, quorum sint [bb] vita moresque probati et [cc] qui fidei quoque et doctrinae suae episcopo aut eius vicario prius rationem reddant, quam functionem ineant.

Quicumque animarum curam habent aut habituri sunt, infra annum a die collationis beneficii ordinentur presbyteri. Quod ne ullo protrahatur privilegio, et ne quisquam hoc ordinum percipiendorum [dd] solvatur canone, supplicabitur pontifici maximo.

Ecclesiarum rectores quam saepissime sacrificium celebrent et in lege Domini [ee] sedulo meditentur gregemque sibi commissum ⟨in ea⟩ [ee] instituentes maxime diebus festis et dominicis doceant, quod religionis et fidei nostrae sit fundamentum, ⟨qui eius⟩ [ff] articuli, quae praecipua mandata legis et ecclesiae, quod a nobis praestari velit D. N. Iesus Christus, quemadmodum sit orandum, et quomodo [gg] sit Deus colendus, sacramenta autem ex ecclesiae 87r catholicae ritu administrent, et quae sit eorum virtus et quis [hh] effectus, | vulgari sermone iis, qui sumpturi sunt, ante [hh] explicent, ut fusius ⟨a nobis⟩ [hh] explicabitur in eo libro, qui complectetur institutionem hominis christiani. Diligenter etiam videant quemadmodum pueri in suis instituantur paroeciis caveantque, ne ullos aut praeceptores aut concionatores

[a] *P* prioratum [b] *D* extenditur [c] *D add.* ignotis [d] *D* renuntiatione vel apostolico mandato [e] *L* ordinaria [f] *L* obtinuerit [g] *D om.* [h] *C* solent; *L* velint reddere [i] *L* censuerit [k] *D* ignorantiam [l] *D om.* [m] *L* improbaverit [n] *C* praecedentiae [o] *D om.* [p] *L* exegerint [q] *D add* rector [r] *D* uni [s] *D om.* [t] *P* et [u] *C* abstineant [v] *D* qui; *B* quem; *L* quantum [w] *D om* [x] *P* minus [y] *D* itineris [z] *D* afferunt [aa] *C* ecclesiae in sua [bb] *D* sunt [cc] *D* ut [dd] *D* suscipiendorum [ee] *D om.* [ff] *D* quinam primarii eius [gg] *D* qui [hh] *D om.*

de parochialibus providere in forma commissaria quae dicitur dignum, sive per obitum vacent sive per resignationem.

Placet, quod, nisi praesentati vel nominati sint idonei, nullatenus admittantur. In reliquis servetur dispositio iuris communis. Concilio 103 f. 99^v-100^r.

[1] Can. 10, *Mansi* VI 1227. Vide, quae infra p. 512 adn. 1 adnotabimus.

admittant, quos ab episcopo fuisse missos litterarum eius testimonio non constet. Ita denique se gerant, ut et doctrina et vitae exemplo gregem pascant.

Sacramenta gratis administrentur et quaecunque alia sacra sepulturaeque et cetera eiusmodi, neque pro his quicquam rector exigat eo contentus, quod aut [a] ab iis [b], qui illa suscipiunt, sua sponte offertur, aut ei [c] ex laudabili consuetudine debetur, quam hoc decreto immutare aut abrogare non est nostri instituti, cum et eum [d], qui altari servit, aequum sit, ut scribit Apostolus [1], de altari vivere, nec committendum [e], ut, qui subministrat [f] spiritualia, temporalibus ab iis, quibus divina suppeditat, fraudatus egeat.

Ecclesiarum rectoribus nihil magis convenit, quam ut populum verbi Dei praedicatione, qui et verus est animae cibus, pascant. Quod [g] ne faciant, ut eorum postulat officium, saepe impediuntur, dum vel litterae monitoriae vel edicta vel aliqua iudicialia decreta vel cetera huiusmodi profana, dum [h] celebratur sacrificium, sunt [i] eis e suggesto recitanda. Nobis ergo visum est, ab hac consuetudine penitus esse abstinendum, sed cum ab eis dies festi fuerint indicti et, ut pro tribus ordinibus Deum precetur, de more populus fuerit admonitus, protinus accedat ad exponendum vel evangelium vel aliquem alium sacrae scripturae locum aedificando populo accomodatum [k]. Eiusmodi [l] vero litterae monitoriae, edicta vel decreta, priusquam incipiat celebrari sacrificium vel eo iam peracto in ecclesiae porticu recitentur. |

Ut pueri ab ineunte aetate discant, quid [m] credendum, quid orandum, quid [n] agendum 87v et vitandum, habeantur [o] pie ac fideliter versa in linguam Gallicam symbolum apostolorum, oratio dominica, salutatio angelica [p] et praecepta decalogi ac ecclesiae [q], quae iubeantur parentes docere liberos [r] et ludimagistri discipulos, ipsique ecclesiarum rectores distincte latine et gallice populo e suggesto ita ea recitent, ut recitantem [s] populus facile assequens frequenti repetitione ea mandet memoriae.

Rectoribus [t] ecclesiarum parochialium, si literarum adeo, quod absit, sint ignari, ut suo munere omnino [u] fungi nequeant, dentur ab episcopis vicarii idonei et veluti coadiutores ipsorum rectorum sumptibus, habita tamen ratione locorum, proventuum et personarum.

Episcopi inter visitandum inquirant [v], an rectores seu vicarii perpetui ecclesiarum parochialium canonicam habeant portionem, qua se alere [w], episcopalia iura persolvere et hospitalitatem possint exercere, et de ea re referant ad concilium synodale, ut iis quorum interest vocatis [x] ipsis provideatur.

[6.] De presbyteris.

Nemo ullo privilegio aut ulla summi pontificis gratia a canone solvatur, ut, antequam 25. aetatis annum attigerit, ordinetur presbyter.

Qui sunt ordinandi, foris bonum habeant testimonium [2], quod, ut ordinatori episcopo constare possit, curet, quisquis ad sacros ordines promoveri cupit, ut in ea, quam ipse duos saltem annos totos proxima [y] incoluit paroecia, duabus [z] dominicis populo publice ⟨in ecclesia⟩ [aa] ordinandi nomen ac propositum indicetur rogeturque multitudo, an ullus [bb] sit, qui adversus eum aliquid gravioris vitii criminisve [cc] obiicere velit ac possit, neque prius | admittatur 88r quam ea de re testimonium [ee] ipsius parochi aut eius vicarii et ecclesiae custodum, si qui sint, syngraphis probe affirmatum [dd] testimonium attulerit.

Nullus ordinetur presbyter, nisi qui vel beneficium vel certum ac sufficiens habeat patrimonium, quo decenter et commode ali, vestiri et sese honeste gerere possit, idque principis beneficio sit huiusmodi, ut nequeat alienari. Quod qui neglexerit ordinator, ordinatum alere cogatur [ee].

Qui ad ministeria ordinentur [ff] ecclesiastica, nonnisi gradatim et legitimo interiecto tempore [gg] ad ea provehantur [hh].

Pontifici maximo supplicetur, ne deinceps Galli Romae aut Avenione ordinentur, nisi forte ipsemet pontifex eis manus imponat. Ita fiet, ut non nisi diligenter examinati a suis episcopis ordinentur, a quibus quam rarissime [ii] nec nisi, dum opus erit, dimissoriae litterae concedantur.

[a] *P om.* [b] *D* illis *et postea* ea [c] *Sic D* [d] *L* ei [e] *D* permittendum [f] *D* ministrat [g] *D* Id [h] *D* cum [i] *D* sint [k] *L* aedificatum [l] *D* Huiusmodi [m] *D add.* sit [n] *C add.* quis; *D* quidve [o] *C* habeat [p] *L* dominica [q] *L* in ecclesia [r] *D* pueros [s] *L* recitando; *D add.* ista [t] *D* Rectores [u] *D om.* [v] *D* requirant [w] *C* valere [x] *D* convocatis [y] *D* proxime [z] *L* diebus [aa] *D om.* [bb] *D* aliquis [cc] *D om.* [dd] *D* confirmatum [ee] *L* cogetur [ff] *D* ordinantur [gg] *D* temporis intervallo [hh] *L* provehatur; *D P* promoveantur [ii] *C* quibuscumque rarissimae

[1] Cfr. *1 Cor.* 9, 13 [2] Cfr. *1 Tim.* 3, 7.

Nullus omnino presbyter aut diaconus aut ullus ex iis, qui sunt in ordine ecclesiastico, absolute ordinetur [1], sed iis, qui ordinantur, certus locus ⟨ab episcopo⟩ [a] assignetur, in quo suo fungantur munere, ne, cum munera susceperint ecclesiastica, incertis vagentur sedibus ⟨et ecclesiae administrationem, cui⟩ [b] addicti sunt et assignati, suo arbitrio mutent. Quodsi locum inconsulto episcopo deseruerint, ei sacrorum operatione et exercitio interdicatur [c] nec ab ullo episcopo absque ⟨litteris commendatitiis⟩ [d] recipiantur.

Presbyteri sciant suum esse munus orare, sacrificare, sacramenta legitima [e] administrare et ceteris exemplo esse *in omni patientia et doctrina* [2].

Diaconorum autem munus in eo versatur, ut non ipsi offerant, sed evangelium publice legant et sacrificanti sacerdoti inserviant. |

88v Qui nunc sunt indocti et minus [f] idonei presbyteri, moneantur ab episcopis, ut lectioni animum intendant et studio sacrarum litterarum. Quod si facere neglexerint, ab exercitio et operatione sacrorum suspendantur, donec evaserint doctiores.

Episcopi presbyteros alterius diocesis errantes et vagos in suis diocesi[bus] minime patiantur consistere [g], sed eos quamprimum ad suam remittant ecclesiam. Qui si non paruerint, poenis canonicis coerceantur [h].

[7.] De monasteriis [3].

Pueros monasteria ingredi et eorum vestitum suscipere, u t a teneris annis a d pietatem exerceantur moribusque monasticis assuescant [i], nemo prohibeat aut improbet, ita tamen, ut masculis ante 18. aetatis [k] annum, feminae [l] autem ante 16. vitam vovere monasticam et profiteri non liceat.

Ordinum primatus seu ut vocant capita, nempe Cluniacenses [m], Cistercienses, Premonstratenses, Grandimontenses, Sancti Antonii et Valliscolarum [n] [4] et ceteri eiusmodi atque item abbates et priores, quibus in alia inferiora monasteria et prioratus certum est ordinariam esse iurisdictionem, subiecta sibi coenobia prioratusque visitent, etiam si a commendatariis possideantur, dentque operam, ut pro restituenda veteri disciplina coenobitae ad instituti sui regulam se moresque suos conforment, una cibum, una somnum capiant, una divinis officiis et pietatis exercitiis vacent, una lectioni sacrae attendant, omnia, nisi qui [o] eis ex officii aut beneficii, cuius habent titulum, redditus provenerint [p], communia habeant. Itaque denique vitam insti-
89r tuant, ut in eis viva | sui ordinis regula appareat. Fidem [q], ubi opus erit, iubeant, ut collapsa aedificia instaurentur aut alioquin lapsura reparentur. Curent vero, ut in singulis monasteriis certus ac diffinitus sit numerus monachorum, qui abbatum seu priorum arbitrio non possit diminui, consideratis scilicet [r] cuiusque monasterii fundatione, proventibus, oneribus et impensis, et quod ipsi aut eorum vicarii de his causa cognita decreverint, ratum [s] firmumque sit et habeatur. In quo si quisquam gravius aut iniquius causetur secum esse actum, interea, dum de eius querela generale ordinis capitulum ⟨aut regius senatus⟩ [t] cognoscet ac diiudicabit, quod ab eis ante statum inchoatumque fuerit, fiat ac servetur.

Primatibus dictorum ordinum pro veteri privilegiorum suorum iure tam suo quam inferiorum et subiectorum sibi nomine in his, quae ad regularem et vitae monasticae pertinent correctionem, sua maneat exemptio. Quod autem attinet ad doctrinam et delicta,

[a] *D* ab ipso episcopo [b] *D* nec ecclesiae administrandae cum [c] *D* interdicantur [d] *Ita D N; ceteri codd.* temporis commendatiis [e] *D* legitime [f] *D* minime [g] *D om.* [h] *C* exerceantur [i] *L* assuefiant [k] *D om.* [l] *B L* feminis [m] *C* Cliniacen; *D* Cluniacensis, Cisterciensis *etc.* [n] *D* Vallis scholasticorum [o] *D om.*; *L* quid [p] *D* reditu provenerint; *B* redditu proveniant; *C* redditus proventus [q] *D L P* Iidem; *B* Item [r] D similiter [s] *C P* statum [t] *D om.*

[1] Contra ordinationes quae absolutae dicuntur *Gentianus Hervetus* eodem anno 1561 librum edidit « De reparanda ecclesiasticorum disciplina oratio Gentiani Herveti » (Parisiis 1561), quo can. 6 concilii Chalcedonensis usui mandandum esse contendit multaque alia de clero reformando proponit. De auctore, olim familiari Cervini et Poli cardinalium, cfr. supra p. 145 adn. 4.

[2] *2 Tim.* 4, 2.

[3] In Gallia saec. XVI ineunte 150 monasteria canonicorum regularium, 600 ord. S. Benedicti (quibus 6000 prioratus adiungendae sunt), 660 Cluniacensium, 200 Cisterciensium, 60 Carthusiensium, 139 Coelestinorum, 26 Praemonstratensium erant. *Imbart de la Tour* II 199.

[4] Congregatio Vallis scholarium, anno 1201 vel 1202 a quattuor magistris Parisiensibus fundata, postea (1646) congregationi S^{tae} Genovefae adiuncta, regulam S. Augustini observabat. *M. Heimbucher*, Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche[3] I 432. *Ibid.* 423 sq. de congregatione fratrum infirmariorum S. Antonii, saec. XI in civitate S. Desiderii in Delphinatu fundata, postea (1298) in congregationem canonicorum regularium S. Augustini transformata.

quae admissa fuerint in administratione beneficiorum non exemptorum, subibunt episcoporum correctionem et castigationem. Episcopis autem honor quem [a] par est, etiam cum de his rebus in coenobiis inquirent [b], ab eis habeatur.

E singulis monasteriis, iis maxime, quorum magni sunt proventus, aliquot monachi ad universitates doctrinae et studiorum causa mittantur. Qui in familiae suae scholis, si modo ullae sint, sin minus in alterius ordinis collegiis cohabitent. Asignetur singulis ad minimum 60 librarum pensio, quam omnino solvere compellantur [c] abbates, si mensa eis cum monachis communis erit, etiam implorato regis auxilio; ubi [d] tametsi obiecta fuerit intercessio seu appellatio, valeat tamen interea patrum decretum atque executioni mandetur. Sin separata sit mensa, conventus habita ratione impensae, quam facturus erat monachus | in monasterio, 89v
ad eam rem teneatur, ita tamen, ut non cogatur suppeditare ultra praedictam summam 60 librarum, sed eadem utrobique erit decreti authoritas. Quod quidem ut fiat commodius, eisdem collegiis ex abbatiarum et conventualium prioratuum proventibus [e] certi de capituli generalis sententia redditus assignentur, idque auctoritate apostolica confirmetur.

In monasteriis insignioribus, si id ferant facultates, duo constituentur [f] praeceptores, quorum alter grammaticam, alter sacras doceat litteras [1]. Quibus quod sufficiat constituatur stipendium a patribus [g] ordinis in capitulo generali. Quod si duos ⟨monasterii redditus ferre⟩ [h] non possint, saltem constituatur unus. Quod si qui sint ex monachis idonei, et qui docendi munus possint sustinere, ii praeferantur alienis, idque in prioratibus conventualibus etiam servetur.

In quibus monasteriis est satis magnus numerus monachorum, ita orationis et officii tempus [i] partiri [k] studeant, ut relinquatur otium dandi operam litteris. Quod si in horariis precibus tantum temporis [l] in choro insumendum [m] sit, ut vix ulla detur intermissio, superiorum arbitratu ita provideatur, ut opportune orationi vacare possint et lectioni.

Ceteri omnes monachi, quibus sui ordinis primates aut superiores nulli sunt, a diocesanis visitentur episcopis. Qui eos quidem, qui [n] sunt in episcoporum potestate, suo iure et autoritate visitent, qui autem ex privilegio solam sedem apostolicam superiorem agnoscant [o], visitentur quidem ab episcopis, sed tamquam a sede apostolica delegatis, adhibitis aliquot inculpatae vitae eiusdem [p] ordinis monachis, qui eos ad monasticae disciplinae integritatem et sanctimoniam revocent. Moneantur autem praecipue, ut, si sit aliquod etiam alterius ordinis celebre et insigne monasterium et ex [q] regulis patrum recte institutum et reformatum, in quo generale celebretur capitulum, id adeant et, quo ad eius fieri poterit, ex eius instituto vitam suam componant. |

In coenobiis mendicantium certus sit ac diffinitus numerus monachorum, qui commode 90r
nutriri possit, habita ratione loci et temporis.

Monachorum et monacharum occludantur et reformentur omnia monasteria ex regulis et institutis cuiusque [r] ordinis. Quoniam autem perditissimis his nostris temporibus profugatissimorum [s] hominum undique crescit seges, qui, cum se aliis sceleribus contaminent, sacras quoque ac Deo dicatas virgines blandis et fallacibus verbis allicere et tandem etiam rapere pro ludo et oblectamento habeant, regi supplicabitur, ut tam prisca quam recentia imperatorum ⟨et regum⟩ [t] de ea re edicta, maxime autem imperatoria illa constitutio, quae incipit [2]: *Si quis non dicam rapere*, in usum vocantur, regique supplicetur, ut in quibus monasteriis abbatissae vel priorissae consueverint esse perpetuae, ita maneant, in quibus autem triennales aut ulla alia vicissitudine temporaria [u], in illis veteris instituti ratio [v] servetur; eligi autem non possint aut ⟨alia ulla via⟩ [w] ad dignitatem huiusmodi promoveri, priusquam ad 35. [x] annum pervenerint, neque in posterum a principe nominentur neque ab uno ordine ad alium transferri possint, et nec ipsae absque legitima e monasteriis egrediantur neque monachas exire sinant nisi venia prius impetrata a superioribus.

Monachi, qui litterarum sint penitus ignari, honesto aliquo et non illiberali opere in monasteriis se exerceant, ne otio corrumpantur.

[a] *D* qui [b] *L* conquirent [c] *D* cogentur [d] *D om.* [e] *D* proventu; *L* conventu [f] *B* instituantur; *D* constituantur [g] *D P* prioribus [h] *L* monasterium ferre [i] *C P om.* [k] *C* partim [l] *D* tempus [m] *C* insinuendum [n] *C om.* [o] *D* agnoscunt [p] *P* eiusque [q] *D* in [r] *P* eiusque [s] *D* profligatorum [t] *D om.* [u] *C* temporariae [v] *D add.* habentur et [w] *D* ullam [x] *D* 35; *P* vigesimum quintum

[1] Cfr. *Conc. Trid.* V 242 (sess. V de ref. c. 4 et 5 de lectione s. scripturae in monasteriis et conventibus)

[2] L. 2 Cod. Theod. IX 25 (*Haenel* 898 sq.)

[8.] De commendis [1].

Qui commendata monasteria et prioratus conventuales obtinent, intra sex menses, ex quo haec decreta fuerint edita, ad sacros ordines promoveantur, eos saltem, quos aetas patitur; dum [a] autem ad 25. annum pervenerint, presbyteri ordinentur. |

90v Necesse autem habeant commendatarii sex saltem menses in suis monasteriis ac conventualibus prioratibus annis singulis residere, ubi animum intendant orationi, sacrarum litterarum lectioni et verbi Dei praedicationi. Quod si munus concionandi forte implere nequeant, concionatores suis sumptibus alant et eorum intersint concionibus. Aedificia autem sarta [b] tecta conservent, hospitalitatem exerceant, elimosinas elargiantur pauperibus, quantum licebit pro facultate, idque ut facilius fiat, granorum, quantum ei rei satis erit, in horreis adservent atque, ut haec omnia praestent, visitatores diligenter curent.

Abbates, priores et commendatarii monachos tamquam filios alendos, vestiendos et erudiendos curent, adhibitis, ut antea dictum est, bonis et doctis praeceptoribus, quibus stipendia constituantur pro monasteriorum facultatibus; cum eis tamquam patres cum filiis versentur sintque eis exemplum virtutis adeo, ut ipsum abbatem sibi proponant, quem imitentur, se denique tam moderate et tam [c] frugaliter gerat, ut et epularum et vestimentorum et omnium denique rerum [c] luxum ipsos sibi interdixisse omnes intelligant.

Quoniam ea prorogativa Galliarum [d] regnum in [e] Domino Deo ornatum est, ut [f] omnes per christianum orbem propagati monachorum ordines in eo instituti sui primos extitisse authores agnoscant, ita ut ad hunc usque diem undique religiosa observatione ferme omnia quamlibet longe lateque dispersa monasteria professionis suae capitibus Cluniaco, Cistercio, Premonstrato [g], Grandimontio [h], S[ti] Antonii, Valliscolarium atque id genus reliquis, quae in hoc regno sunt, ordinum suorum matricibus ac primariis coenobiis perpetuam obedientiam ac religionis fidem exhibere [i] perseverent, omnino ad confirmandum monastici ordinis statum et retinendam hac quoque in parte ⟨Gallici regni⟩ [k] dignitatem necessarium arbitramur, |

91r ut antedictis illis ordinum monasticorum primariis conventibus, quae capita vocantur, deligendi sui primatis libera, legitima ac perpetua facultas permaneat, ne [l] sicut honestissimo Premonstratensium ordini accidisse dolendum est, magno ecclesiae damno annos non paucos aliquis ordo sine capite ac pastore esse pergat [2]. Cum autem hoc tempore monasteria quamplurima a commendatariis possideantur, unde fieri vix potest, ut primas solus [m] tot conventus et tam longe dissitos in officio contineat, omnino necessarium iudicamus [n], ut in unoquoque ordine cum primate quattuor filiarum (quas vocant) sive abbatiae sive prioratus, nimirum [o] ordinis Cluniacensis, Cisterciensis, Premonstratensis cum iis paucis monasteriis etiam aliorum ordinum, quae nunc monachi possident, si per mortem vacaverint, non nisi a titulariis posthac obtineri possint, qui et eiusdem ordinis regulam solemni ritu ante professi sint [p] et totos decem annos in eodem instituto perseveraverunt. De iis vero abbatiis, quae nunc sunt [q] commendatae, cum eas per commendatariorum [r] mortem vacare contigerit, in Cisterciensi quidem ordine 20, in Premonstratensi autem 10 primum vacatura eiusdem conditionis monachis, in aliis 5 sine cuiusquam [s] quoad alia monasteria praeiudicio in titulum conferantur. Quae quidem ut firma sint, supplicabitur summo pontifici, ut neminem canone solvens iis, quae diximus, monasteriis deinceps praeficiat, et regi Christianissimo, ut et ea, quae diximus, approbet [t] et mandari velit executioni; et quod a piae memoriae Henrico et Francisco eius patre et fratre ⟨Dei amantissimis regibus⟩ [u] Cisterciensi ordini fuit concessum, suo confirmet diplomate. Supplicetur summo pontifici ac Christianissimo regi, ut ⟨Premonstrati coenobitis⟩ [v] ad electionem regularis abbatis procedere permittatur [w], assignata Rev[mo] cardinali Pisano quo ad vixerit ea, quam ⟨Maiestas eius dignam duxerit⟩ [x] compensatione [y] [3]. |

[a] *B D L* cum [b] *L* sacra; *D* sarta et tecta [c] *D om.* [d] *D* Gallicanum [e] *D* a [f] *B D L add.* pene [g] *P* demonstrato [h] *C lacuna; D* Grandimontano [i] *D L* adhibere [k] *D* ad Galliae regni [l] *D* ut non [m] *D om.* [n] *L* vidimus [o] *P om.* [p] *D* sunt [q] *D* dicuntur [r] *D* commendatorum [s] *L* cuiusque [t] *D om.* [u] *D* amantissimo [v] *D* Praemonstratensium coenobio [w] *D* liceat [x] *D* dixerit M[tas] eius digna [y] *B C* compensationem

[1] Magna monasteriorum pars tum abbates commendatarios habuit cardinales, episcopos, homines etiam bellicos, de quibus cfr. *Imbart de la Tour* II 198. 295 sq.

[2] Abbas commendatarius Praemonstratensis coenobii ab a. 1535 erat cardinalis Pisanus (*van Gulik-Eubel* III 19), qui *universam Praemonstrati substantiam devorabat, ne quidem superstite pro fratribus alendis stipendio sufficienti.* Annales ord. Praemonstratensium I (Nanceii 1734) 39. Anno 1562 Hyppolitus card. Estensis ei successit. — De iuribus coenobiorum « capitum » in cetera monasteria Cluniacensia et Cisterciensia vid. *R. Molitor*, Aus der Rechtsgeschichte benediktinischer Verbände I (Münster 1928) 119 sqq. 177 sqq.

[3] De origine capitum 7 et 8 praeter ea, quae supra

[9.] De cultu [1].

Ut omnia honeste et secundum ordinem fiant, ut iubet Apostolus [2], ne populus, dum 91v interest venerando [a] Christi sacrificio et concio ad populum habetur, eius fructu privetur, altae [b] missae non dicantur, sed aut concionem et [c] solemne sacrum missae praecedant, aut in aliud tempus differantur, ne, dum populus in diversa distrahitur, neque sacro neque concioni satis attendat. Quod ipsum quoque fiat, dum missa solemnis aut parochialis celebratur. Ad hoc autem Smum Corporis Christi mysterium sacerdos ne prius accedat, quam seipsum probaverit et peccata sua confessione sacramentali expiari curaverit, et in eo [d] celebrando ita se gerat, ut et ⟨apta pronuntiatione⟩ [e] et tanto ministerio [f] convenienti actione et ceremonia ad tantae rei magnitudinem meditandam incitet populum, ut in omnibus observetur decretum concilii Basiliensis [3]: *Quomodo celebrandum sit officium divinum* [g].

Expedit deinceps veteri ritu, cum missa celebratur, ut [h] non solum is, qui sacrificat, sed et [i] diaconi et ceteri inferiorum ordinum ecclesiae ministri diebus dominicis et festis solemnibus communicent, exhortandusque est [k] populus, ut pro recolenda Christi passione et nostrae redemptionis memoria prius confessi et absoluti frequenter communicent.

Omnes et singuli clerici convenienti modulatione et consona debitum Deo cultum exhibeant et extrinsecus etiam ostendant cor et carnem exultare [l] in ⟨Deum vivum⟩ [m] [4] et in horis canonicis [n] dent operam, ut quae dicunt attendentes illud propheticum de se non merito audiant [5]: *Labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe est a me, cum sit maledictus, qui opus Dei facit negligenter.* Laudes itaque divinae non festinanter, sed tractim servatis intervallis, dierum tamen festorum a profestis distinguendorum habita ratione, nec in altum sublata voce decantentur, ⟨quin etiam molles⟩ [o] omnes fractique cantus, quos discantus [p] vocant, quorum tumultus et strepitus potius auditur | quam pronunciatio, tollantur vel emendentur 92r aut [q] in melius reformentur. Sed nec interea, dum canonicae preces in templo publice cantantur aut leguntur, quisquam in ecclesia extra chorum deambulando privatim aliquid legat nec horas canonicas absolvat, sed simul cum fratribus canens Deum honoret. Porro autem clerici et sacerdotes cantum suum ita instituant, ut ad pietatem et ad Deum populi [r] animum excitent, et organa quidem, quorum usus est in templis, nihil praeter hymnos divinos et spiritualia cantica repraesentent, impudicas autem cantilenas [s] et christianis auribus indignas modulando non referant. Dum autem et symbolum, quod est ab omnibus audiendum, recitatur, conticescant, neque evangelii [t] et verborum propheticorum aut apostolicorum [u], quam vocamus epistolam, et praefationem, quae gratiarum actio dicitur, et precationem dominicam, quominus a populo audiantur, impediant, ut episcopus cum consilio seniorum [v] capituli poterit decernere. Quae autem de organis dicta [sunt], eadem de campanis ⟨aut aliis⟩ [w] instrumentis, quae ad sacra officia adhibentur, intelligi volumus.

Visitentur breviaria, missalia, manualia, antiphonalia et legenda sanctorum, et quae fuerint deprehensa in illis superflua aut non satis pro ecclesiae dignitate convenientia, ea continuo tollantur et resecentur, et quae visa fuerint necessaria, adiiciantur cum consilio seniorum capituli.

In sodalitatibus [x], quas fraternitates appellant, si aliquae irrepserint superstitiones, aut in iis fiant commessationes et ebrietates, in visitatione providebit episcopus, ut si qui sint tollantur abusus, et maxime circa fercula, quae vulgo appellantur baculi fraternitatum.

[a] *L* vero; *P* reverendo [b] *D L* aliae [c] *D* aut [d] *D om.* [e] *L* aperta pronuntiat [f] *L* mysterio [g] *L om.* [h] *Sic D* [i] *D* ut [k] *D om.* [l] *C om.* [m] *D* unum [n] *D add.* dicendis [o] *C* qui etiam nullos [p] *D add.* concentus [q] *D* et [r] *D om.* [s] *D* cantus [t] *D add.* lectionem [u] *D* apostolorum [v] *L om.* [w] *D* et ceteris [x] *D* societatibus

p. 501 adn. 1 attulimus, cfr. relationem diarii italice scripti ad diem 8. Sept. 1561: *Fu risoluto che si terminasse il colloquio et* [si] *desse il carico al Sor cardinale di Lorena di riveder con diligentia i voti di ciascuno etformare i canoni per mandargli poi alla censura di N. S. et del concilio. Roserot de Melin* 116 sq.

Quod commendas attinet, *Gentianus Hervetus,* De reparanda ecclesiasticorum disciplina (Parisiis 1561) f. 48r fatetur, nisi opportunum afferatur remedium, et monasteria et monasticam disciplinam funditus interitura.

[1] Adnotatio Romana: *De cultu divino: Ubicumque fit mentio concilii Basiliensis, deleatur mentio illius concilii et denuo fiat, quicquid expedit fieri.*

Deleatur etiam in omnibus locis clausula illa: privilegio pontificis non obstante.

Cetera vero omnia in summario reformationis Gallicanae contenta, super quibus nihil est annotatum, Stas S. relinquit liberrime tractanda et decernenda iuxta Illmorum DD. legatorum et totius concilii placitum et sententiam, quibus omnino se remittit. Concilio 103 f. 100r.

[2] *1 Cor.* 14, 40.

[3] Sess. XXI c. 3, *Mansi* XXIX 105 sq.

[4] Cfr. *Ps.* 83, 3. [5] *Is.* 29, 13.

Peregrinationes laudamus et probamus [a], cum et piae affectionis et religiosi animi sint argumentum, et occulto Dei fiat iudicio, ut vel martyrum vel aliorum sanctorum a Deo eis
92v concessa | virtus magis in aliquo loco quam in altero eluceat. Tamen cum nos non praetereat nonnullos vulgi facilitate et credulitate ad quaestum esse abusos [b] et falsa quaedam miracula esse commentos [c], ecclesiarum rectores monemus et in Christo adhortamur, ut caveant, ne populus christianus se ulla implicet superstitione, et satis magnum proventum existiment esse pietatem, nec lucrum captent ex populi simplicitate. Provideant autem episcopi in visitationibus, ut si quae sint vera miracula, ut nonnulla quovis tempore fieri [d] ut doctissimus, ita sanctissimus [e] scribit Augustinus [1], ea approbentur et admittantur, quae autem ficta et falsa sunt, pro veris non habeantur, sed repellantur, curentque, ut omnis [f] christiano indignus cultus et superstitio tollatur, ut omnis denique abusus procul emendetur.

Rectores [g] ecclesiarum parochialium ⟨saepe et⟩ [h] diligenter populum admoneant, ne ullis in imaginibus quicquam vel divinitatis [i] vel propriae virtutis inesse putent, sed eas intelligant ea potissimum ratione in templis locisque publicis esse collocatas, ut vel Iesu Christi pro nobis crucifixi memoriam saepe [k] renovent, vel sanctorum hominum fidem atque pietatem nobis ad imitandum proponant. Novas inconsulto episcopo nullas erigi sinant. Si quid ex illis superstitionis irrepserit, reiiciant; si quid obscoeni, falsi, ridiculi vel inhonesti in illis sculptum pictumve sit, emendari curent; omnibus denique rationibus et optima praesertim institutione provideatur accuratissima [l], ne populus per [m] illas aut aliam quamlibet occasionem in illum idolatriae genus prolabatur [n], sed unum et solum Deum omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem omnibus in locis, praecipue autem in templis in spiritu et veritate adoret, quod quidem ita esse intelligendum admoneatur populus, ut unum Deum tamquam summum bonum creatoremque et omnium bonorum datorem summe esse
93r adorandum [o] et [p] ei soli | sacrificium offerendum [q] esse sciat; sanctos autem tamquam Dei amicos honorandos precandosque [r], ut eorum precibus adiuvemur et meritis consociemur, qui si non eo cultu, qui Deo tamquam summo bono bonorumque omnium datori debetur, colendi sunt [s], multo minus [t] eorum imagines. Ceterum hic proprie Deo debitus cultus non tam geniculatione [u] aut [v] prostratione corporis et manuum in altum sublatione ac ceteris huiusmodi exterioribus signis, quibus non solum erga Deum, sed etiam erga sanctos pie utimur, aestimandus [w] est quam interno animi cultu, quo ⟨eum [x] summum⟩ [y] credimus, in eum veluti authorem salutis speramus et eum super omnia diligimus.

Ut autem christiano populo constare possit, quae sit fueritque Gallicanae ecclesiae antistitum de pretiosissimi corporis et sanguinis D. N. Iesu Christi veritate et praesentia in [illegible] ipso consessu [bb] disertis verbis editam et pronuntiatam, hac ipsa quae sequitur forma expressam hoc loco describere [2]:

Firma fide credimus et confitemur in augustissimo sacramento altaris verum corpus et sanguinem Iesu Christi esse realiter et substantialiter sub speciebus panis et vini virtute et potentia verbi divini prolati a sacerdote solo ministro ad hunc effectum ordinato iuxta institutionem et mandatum D. N. Iesu Christi.

Postremo ut universi intelligant, quid in horum temporum de religione controversiis credendum et retinendum sit [cc], idem patrum consessus hanc totam de restituenda ecclesiae disciplina sententiam suam isto quasi colophone concludendum censuit.

Archiepiscopi, episcopi et qui curam habent animarum ecclesiae gregem sibi commissum sedulo exhortentur, ut canonicasque utriusque testamenti scripturas divinitus esse inspi-
93v ratas | non dubitet, unam sanctam catholicam et apostolicam sub uno summo pontifice Christi vicario ecclesiam agnoscat eiusque fidem et doctrinam, cum a S. Spiritu edocta errare non possit, constantissime teneat et amplexetur [dd], conciliorum oecumenicorum certam et indubitatam [ee] auctoritatem veneretur, et, quae semel ab illis sancita fuerint, in dubium non revocet, traditiones ecclesiasticas velut per manus acceptas ut sacrum depositum constanti fide custodiat, orthodoxorum patrum ⟨sensum et⟩ [ff] consensum sequatur, constitutionibus et

[a] *D* approbamus [b] *C* abusus [c] *C L* conventos [d] *D add.* possunt [e] *D* sanctus [f] *D* omni [g] *D* Rectoris [h] *L om.* [i] *D* dignitatis [k] *D om.* [l] *D* accuratissime [m] *L* propter [n] *L* illabatur [o] *D* orandum [p] *D* illi [q] *D om.* [r] *D* esse [s] *D* sint [t] *L* magis [u] D gesticulationi [v] *D* et [w] *D* existimandus [x] *C* cum [y] *D* Deum [z] *D* sensus; *L om.* [aa] *L* Gallicam [bb] *P* consensu [cc] *D om.* [dd] *D* amplectatur [ee] *D* indubiam [ff] *D om.*

[1] De civ. Dei XXII c. 8 n. 1, *Migne* 41, 760

[2] Quae forma post multas alias die 9. Oct. decreta est; has omnes vide apud *H. O. Evennet*, The cardinal of Lorraine 498-502

praeceptis matris ecclesiae ea qua decet [a] reverentia pareat, ecclesiasticorum sacramentorum septenarium numerum, eorum usum [b] et fructum, sicut hactenus catholica docuit et recepit ecclesia, ⟨fideliter confiteatur⟩ [c]; omnia denique, quae a maioribus pie, sancte et religiose ad nos usque observata sunt, firmissime retineat seque ab illis dimoveri nullatenus patiatur, contra vero omnem dogmatum novitatem tamquam perniciosum venenum refugiat et aversetur, ab omni schismate caveat, haeresim omnem detestetur, inprimis vero nostri temporis haeresiarcharum Lutheri, Zvinglii, Calvini ceterorumque sectariorum ac etiam Anabaptistarum perniciosissimos [d] errores execretur.

Haec sunt quae Gallici regni episcopis apud Pissiacum, uti dictum est, congregatis ad sedandos ecclesiae motus visa sunt prae ceteris posse plurimum conferre. Quibus si ecclesiastici [e] pastores, dum ab oecumenico concilio tot tantisque per christianum orbem grassantibus malis remedium salubrius exspectatur et subsidium maius, interea utantur, spes est piis ac fidelibus Christi servis non parum fore salutaria; his enim ecclesiasticae disciplinae compendiis ecclesiarum rectores adiuti et suos ipsorum mores emendare et catholicae ecclesiae filios | ad pietatem erudire et eos, qui veritati contradicunt, arguere poterint. Eis autem 94r
omnibus, quicumque, ut Beatissimus Paulus ait [1], hanc regulam secuti fuerint: *Pax super illos et super Israel* [f]. Amen.

Data [g] Pissiaci quod est Carnutum oppidum ad Sequanae amnis ripam anno humanae salutis 1561 pridie idus Octobris.

81.

Gallorum calamitates circa religionem cum postulatis ad Pium IV pont. max. [h] [2].

[Ante **12. Decembris 1561**].

Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 49* f. 215r-230v, cop. coaeva. Alterius codicis huius scripti sub titulo « Scrittura data al cardinal di Ferrara sul modo da tenersi da N. Sre per ordinare le cose della religione in Francia mandata da S. S. Illma ultimo di Dicembre 1561 » fit mentio apud *Forneron*, Les ducs de Guise I 341.

I. Ut in Galliarum regno religio catholica conservetur iique, qui se separaturi ab ecclesia videntur, retineantur in fide et obedientia, pontifex haec quae sequuntur remedia adhibeat: II. Cultum imaginum aboleat; III. de administratione sacramentorum baptismi et eucharistiae quaedam disponat, inter alia, ut communio sub utraque specie recipiatur permittat tollatque processiones in festo Corporis Christi; IV. mutet ceremonias missae et V. officia divina.

I.

Se fusse possibile representare al vivo al nostro Santo Padre, in qual stato è al dì d'oggi *Neap. IX A 49* f. 216r
questo regno per la diversità delle opinioni, egli è certo che non farebbe difficoltà, se ne fusse richiesto di venir lui medesimo sopra li luochi et portarvi il suo consiglio, la sua autorità et tutte le altre cose che potessero servire et rimediare a questa divisione, perche da un

[a] *L* quae docet; *P* quae decet [b] *D add.* virtutem [c] *D om.* [d] *D add.* ac pestilentissimos [e] *D* ecclesiae [f] *D om.* [g] *N* Acta [h] *N in marg. habet notas manu Seripandi exaratas, quae sensum verborum tantum indicant; ex. gr. in principio* Calamità del regno di Franza

[1] *Gal.* 6, 16.

[2] Qui fuerint huius scripti auctores quaeque causa, ex litteris cardinalis de Turnone 18. Dec. 1561 datis, quarum excerpta quaedam Mutinae in archivio status conservantur, itemque ex litteris ignoti Lutetiae commorantis 12. Dec. 1561 datis intelligimus. Erant Audetus card. de Castilione, frater Caspari Colinii triremium praefecti, cum theologo suo Botillerio, Io. de Monteluco, ep. Valentinus, Io. de S. Gelasio, ep. Uticensis, omnes postea propter haeresim privati (*A. Degert*, Procès de huit évêques français suspects de Calvinisme: Revue des quest. hist. 76 [1904] 61 sqq.), qui a regina matre rogati in domo cardinalis legati Hippolyti card. Ferrariensis de articulis supradictis deliberaverant (*Šusta*, Die römische Kurie I 323; II 326 sq.), ea quidem intentione ducti, ut illi articuli a pontifice approbati ad instar *Interim* cuiusdam in Gallia observarentur. Sed pontifex, a cardinale de Turnone certior factus, eos improbavit: *La scrittura data a V. S. Illma da la regina non può esser se non piena di scandalo et di veneno* (*Šusta* I 335). Hubertus Languetus die 11. Dec. 1561 Mordisio cancellario haec scripsit: *Audio reginam et cancellarium* [scil. Hospitalem] *curasse sibi scribi formam emendationis ecclesiarum, quam consentientibus Ferrariensi et Turnonio cardinalibus miserunt ad pontificem Romanum petentes, ut eam approbet* (Epp. secretae II 184 sq.). Ex supradictis apparet Turnonium minime articulos approbasse.

Iidem fere articuli paulo post (mense Ian. 1562 exeunte) theologis in palatio Sti Germani convenientibus propositi sunt, ut Theodorus Beza Calvino scripsit (*Corp. Ref.* 47, 273): *De imaginibus; de forma baptismi; de forma communionis; de sacrificio missae; de ministerio; de doctrinae capitibus.* Cfr. infra n. 92 et ibi adnotata.

lato figuraria innanzi a gli occhi suoi una infinità d'anime, quali si perdono per mancamento d'esser bene risolute del camino che devono tenere per pervenire alla salute loro, et saria talmente annotato d'uno si miserabile et pietoso spettacolo che per metterci fine egli ci esporrebbe la sua propria vita, se bisogno ne fusse. Dall'altro lato potrebbe discoprire che la quarta parte di questo regno è separata dalla communione della chiesa, la quale quarta parte è di gentilhuomini, di gente di lettere et di principali cittadini delle terre et del minuto popolo, [di] quelli ch'hanno conversato per il mondo et che sono esercitati nell'armi, talmente che li detti separati non hanno mancamento di forze, havendo fra loro numero infinito di gentilhuomini et molti vecchi soldati esperimentati alla guerra, non hanno ancora
216v mancamento di consiglio havendo con esso loro più di tre parti di gente di | lettere; non hanno anche mancamento di denari per condurre a fine le loro imprese, havendo fra loro una buona partita di buone et grosse casate così della nobiltà come del terzo stato popolare [1]. Et quel ch'è più: Egli è tale unione e congiunzione fra loro et tal risolutione di non abandonare l'uno e l'altro, che non bisogna punto sperare di poterli dividere et ancora meno di poterli ridurre con la forza senza mettere questo regnoin danno et pericolo d'esser preda a colui che lo volesse conquistare, o veramente d'indebolire et metter tanto al basso le sue forze che in cinquanta anni appresso non potria ritornare nel suo primiero stato, et in tanto bisognarebbe che li re si conservassero alla mercè et buon piacere de i loro vicini. Et essendo ch'in tutti i tempi questa corona è stata il più securo rifugio et ricorso della sede apostolica, et che per le sue forze molti papi sono stati rimessi nella loro sede, dalla quale erano discacciati, egli è certo ch'il nostro Santo Padre non havendo posto in oblio li beni, che li suoi predecessori n'hanno ricevuto, et considerato il bisogno ch'egli o suoi successori ne potrebbono havere nell'avenire, vorrebbe in tutti li modi a lui possibili rime-
217r diare, accio che tali inconvenienti non vengano | al suo tempo, tanto più che l'huomo vede di giorno in giorno augumentarsi il numero di quelli, quali si vogliono distorre dalla sua obedienza, et si l'huomo non ci rimedia presto, le difficultà fra poco tempo saranno si grandi che sara difficile di obviare à una gran rovina et desolatione della chiesa.

Per il che[a] la regina volendo dalla sua parte tanto, quanto li sara possibile, preservare questo regno intiero sotto l'ubidienza del re et nel medesmo modo mantenendo sotto la devotione della santa sede, ricorre al detto nostro Santo Padre, quale è padre commune, et lo supplica di tenerci la mano a questo ch'il popolo si possa riunire a una medesima fede, legge et communione. Et per far questo è consigliata di farli intendere che questa opera santa si necessaria saria tanto più facile in questo regno, quanto, gratia a Dio, non ci sono alcuni anabatisti ne heretici che contradicono alli dodici articoli ne alla dechiaratione che n'è stata fatta per li sei concilii generali, et si trovano qualche personaggi[b] di saper, mossi da buon zelo et da desiderio ch'hanno di vedere estinguere et ammorzare questo fuoco, quali
217v dicono che nostro Santo Padre potria accettare nella communione della | chiesa quelli che facessero la confessione di lor fede tale, quale è universale per tutto il mondo, et che li antichi hanno detto, la certa et vera regola della fede contenere li dodici articoli et quel che di poi n'è stato dechiarato per li sopradetti sei concilii generali, et che la differenza dell'altre opinioni non potrebbe impedire che non fussero tutte della chiesa sotto l'ubidienza della santa sede non altrimente, che anticamente la diversità della celebrazione della Pasca, della ubidienza delli digiuni et delle cerimonie tanto circa alla amministratione de' sacramenti quanto circa alla maniera di servir Dio non impediva che non fussero tutti christiani et che non communicassero gli uni con l'altri. Et dicono che questo sarebbe un modo da accordare le loro differenze, quali sono al di d'hoggi nella chiesa latina, et d'unir insieme con li Greci et altre chiese che sono separate dalla nostra; perchè chi potrebbe levar via l'odio et il disprezzo et il spirito contentioso, ch'è fra gli uni et gl'altri? Lo Spirito di Dio discenderia sopra di noi et ne donaria modo di risolvere tutte le difficultà et faria cessare tutte le dispute et ne segnaria tutti del suo segno si bene che per la carità che saria fra noi saressimo tutti conosciuti per veri discipuli di Iesu Christo [2]. Et quando questo modo ch'è per

[a] *N in marg.* Ricorso della Reina al Papa.

[b] *N in marg.* Parere d'alguni per ridurre tutti alla communione della chiesa.

[1] Francisci I temporibus novatores inveniebantur praesertim in universitatibus (Aureliani, Biturici, Pictavi etc.) et emporiis (Lugduni, Rothomagi); post annum 1557 autem magna quoque nobilium pars se illis adiunxit. *E. Marcks*, G. v. Coligny I (Stuttgart 1897) 277 sqq.; *L. Romier*, Le royaume de Cath. de Médicis II 256 sqq.; de participatione plebis vide *H. Hauser*, Etudes sur la réforme française (Paris 1909) 81-103.

[2] Cfr. *Io.* 17, 23.

l'universale non fusse trovato buono o vero che fusse bisogno di rimetter la cosa alla determinatione del concilio generale, egli è necessario che'l detto nostro Santo Padre provegga prontamente al nostro gran bisogno di qualche rimedio particolare con la sua autorità, perchè la dilatione apporteria tal danno alla obedienza necessaria à conservar questo regno che sarebbe nell'avenire impossibile di rimediarci.

Il rimedio[a] bisogna che serva a due cose, ciò è a ricuperar quelli che si sono separati, et mantenerci quelli che sono insieme con noi e per disunirli, atteso il numero grande, le forze, il sapere et il modo che hanno di soccorrersi. Et bisognaria procedere per amonitione et per conferenza di gente litterata d'una parte et l'altra, con spirito di dolcezza et carità, e che li vescovi [e li] loro ministri fussero diligenti a predicar la parola di Dio. Et non bisogna già più sperare che l'asprezza et l'ingiuria et le minaccie possano servire a niente se non à disasperarli et lontanarli da noi più che non sono di presente. Et | se l'huomo 218v potesse fare che l'una parte et l'altra si scordassero del odio et libertà d'ingiuriarsi, ne potrebbe assai più di bene aspettare che dal modo di procedere che s'è usato per innanzi [1]. Intanto la regina ha ordinato alli separati che si astengano da tutte le spetie di maledicentie, et che non parlino se non con honore et della sante sede et delli ministri et delle cerimonie della chiesa [2], nel che ella è stata et sarà intieramente obedita, et vuol sperare che, se le cose saranno condotte con buon modo, ella guadagnera qualche cosa d'avantaggio. Et quanto à quelli, che sono ancora sotto l'obedienza della chiesa, bisogna intendere, che ce ne sono in grandissimo numero, che non se ne vogliano ancora partire, et tutta volta sono combattuti continuamente nelle loro conscientie in tre punti principali.

II.

Il primo è, che dicono che la primitiva chiesa non havea punto l'imagini [3], et loro detto che Dio ha espressamente prohibito di metterle in luocho d'adoratione. Dicono che S. Gregorio medesmo ha proibito di adorarle [4], tutti li buoni, che da poi l'hanno ricevute, hanno dechiarato ch'elle non serveno se non à representare alli popolari | la memoria delli 219r absenti et che queste sono come historie scritte per li semplici et ignoranti [5]. Vedeno ancora li grandi et enormi abusi, menzogne, imposture et falsi miracoli, che da qualche tempo in qua sono stati discoperti in questo regno, et inchinano facilmente alla opinione di quelli, che non ne vogliano à patto alcuno, et ne tengano contra le loro conscientie nelle chiese, essendo costretto d'ingenocchiarsi avanti le dette imagini. Et ancora che li padri che l'hanno ricevute habbiano sperato ch'elle serveriano ad istruire il popolo et augumentar la devotione, non dimeno egli è occorso che molti maligni seduttori n'hanno bruttamente abusato, et che molte buone persone ne sono scandalizzate tanto che la loro conscientia n'è grandemente turbata talmente che, se l'huomo vuol contrapesar il male, che certamente n'è advenuto, con il bene, che se n'era sperato, si giudicarà che saria meglio torle via che mantenerle con il danno di quelli che fanno conscientia di onorarle et adorarle, atteso medesimamente che questo non è un comandamento di Dio, et che la chiesa non l'ha ricevute che per un certo fine, et ad veduta d'occhio si vede ch'il contrario ne è avvenuto. Onde per disarmare | gli aversari della chiesa, et levar loro ogni occasione di parlare sinistramente di detti ima- 219v gini, et per contenere quegli che desiderano di non si separare, il nostro Santo Padre consideri, se li piace, se saria ragionevole ch'elle fussero levate da gli altari et collocarle all'intorno delli tempii ò sia di dentro ò di fora [6], fondando la permissione sopra di questo che l'avaritia di qualche questuarii et l'ignorantia d'altri sono state cagioni ch'il popolo n'ha abusato contra l'ordine della chiesa.

[a] *N in marg.* Rimedii per il Regno di Franza. *Ceteras huiusmodi notas omisimus, quia ad interpretationem textus parum adiuvant.*

[1] Scil. sub Francisco I (*Imbart de la Tour*, Les origines de la réforme III 246 sqq. 260 sqq. 598 sq.), Henrico II et Francisco II (*L. Romier*, Les origines des guerres de religion II 225 sqq. 287 sqq.).

[2] Scil. edicto 31. Iulii 1561 emisso. *L. Romier*, Catholiques et Huguenots à la cour de Charles IX (Paris 1924) 160 sq.

[3] Cfr. infra n. 92, ubi fusius de causa imaginum agemus.

[4] Ep. XI 13 ad Serenum episc. Massiliensem *Migne* 77, 1128.

[5] Cfr. *L. Gougaud*, Muta praedicatio: Revue Bénédictine 42 (1930) 168 sqq.

[6] Haec de imaginibus sententia erat Claudii Espencaei aliorumque « neutrius partis » theologorum, quam vide apud *Duplessis d'Argentré*, Collectio iudiciorum II 332 sq. Vide etiam commentaria nostra ad n. 92.

III.

Il secondo articolo è la ministratione delli santi sacramenti del battesmo et della santa communione.

Quanto al battesmo viene à notare che gran quantità di buone persone tiene strana cosa gli esorcismi et orationi, quali serveno a quelli che l'intendono per rappresentar loro li misteri della nostra fede et l'operationi invisibili, che 'l Santo Spirito fa nell'anima di colui ch'è battizzato. Ma al presente, poi che quelli, che ci assistano, non l'intendono punto, pare che la persona se ne potria passare. Et oltra di questo ci è molta gente che stima che tutti questi preambuli siano di necessità del battesmo, il che è contra l'opinione
220r della chiesa, perche si tiene | che al sacramento non è necessario se non l'acqua et la parola, et che li esorcismi et orationi sono per ornamento et non per necessità del sacramento. Oltre di questo si usa ancora le medesme parole et medesme preghiere che si soleva fare per li catechismi et qualch'uni giudicano che questo sia superfluo, atteso che l'uso delli catechismi non è al presente nella chiesa, et di là avviene che li aversarii delle cerimonie della chiesa sono facilmente ascoltati, quando pongono innanzi ch'il battesmo è stato instituito da Dio, et per consequente non era lecito d'aggiungervi ò diminuire cosa alcuna, et così gli uni pensano che li putti siano ben battezzati senza li detti esorcismi, gli altri pensano che non. Et ci è di più che molti sopportano mal volontieri ch'un prete infermo et bene spesso di mal francese metta della sua saliva nella bocca del putto, et stimano che di qui avengano molti inconvenienti.

A questo pare che si potrà rimediare, se 'l nostro Santo Padre per mostrar' che la sostanza è rimasa nel suo intiero, vorrà ordinare che li curati esortino li padri et li padrini di
220v permettere che li putti siano battizzati con li detti esorcismi, et dove li trovassero | infermi, et che volessero ch'il battesimo fusse loro amministrato senza alcune circostanze, potessero li detti curati acomodarse alla loro infirmità, facendo nientedimeno per l'instruttione di quelli che ci assistono una dechiarazione dell'institutione et delli frutti di questo santo sacramento. Et quando il nostro Santo Padre volesse tenere li detti esorcismi et rimetter l'uso del santo sacramento in tal forma che la devotione del popolo se ne augumentasse tanto, quanto è diminuita per il passato, potrebbe ordinare che le domeniche li putti, che fussero nati nella settimana, fussero portati alla parrocchia, et in quel giorno fussero fatti li esorcismi, se l'huomo gli vuol ritenere, in lingua vulgare, a fine ch'il popolo non li disprezzi com'ha fatto, et le domeniche seguenti fussero semplicemente battizzati insieme con il sermone ch'il curato potria fare al popolo, et se qualche scrupuloso non portasse suo figliuolo all'esorcismo, almanco lo porteria al battesmo. Et in questo modo si rimetteria su l'antico costume della chiesa et si obviarà à quel che si dice che noi habbiamo corrotto il sacramento; noi rite-
221r neressimo molta gente insieme con noi che non fariano difficultà di portar | al battesmo et saria levato il scandalo ò almeno diminuito d'una gran parte di vedere battizzare li putti fuor della nostra compagnia.

Quanto alla santa communione ci sono molte buone persone timorate di Dio, che sono scandalizzate di tre punti: Il primo de i quali è, che non si li dia à communicare se non sotto una spetie solamente, et non possano assicurare le loro conscientie sopra il concilio di Constanza [1] ne sopra il costume introdutto da poi qualche tempo, atteso che Iesu Christo ha detto [2]: *Prendete et mangiate*, et ha parimente detto: *Prendete et bevete*. Et ancora che S. Paulo ha detto [3] che l'huomo mangia di questo pane, ha parimente detto che l'huomo beva di questo calice, aggiongendo à questi due testi il costume antico della chiesa, continovato da mille o doi millia anni incirca [4]. Et ancora che per non mancare dell'honore et della riverenza, che si deve alla chiesa, non vogliamo biasimare il concilio di Constanza, nondimeno per il timore ch'hanno di fallire si fermano sopra li testi tanto espressi della scrittura et sopra il costume si lungamente continovato, et è da
221v timere che mentre che sono in questa disputa, sia facil cosa all'altri | di tirarli nella loro opinione et partirsi da noi, perche l'obiettione che per gli avversarii gli è presentata, certamente ha gran forza con quelli, che sono di miglior conscienza, et percio che la comunione sub utraque specie non è cosa che possa esser biasimata, ma al contrario, messa da parte l'autorità del concilio, ella saria giudicata necessaria. Nostro Santo Padre, considerato tutto quello ch'è detto di sopra, giudicara se gli piace, se saria bene di permettere che la

[1] Sess. XIII, *Mansi* XXVII 727 sq
[2] *Matth.* 26, 26 sq
[3] Cfr. *1 Cor.* 11, 28
[4] Nescio, qua auctores usi sint chronologia

detta communione fusse restituita per spetial privilegio, non obstante la prohibitione del detto concilio di Costanza [1].

Per il s e c o n d o punto convenien notare che molti si fanno conscientia di presentarsi alla sacra communione nel modo che li nostri vescovi et curati la distribuiscano, come à dire à uno, à doi o altri da parte, senza alcune prieghi che siano intesi, et senza che la causa di questo sacramento li sia dechiarata. Et vorriano ch'il modo del distribuirglila secondo il costume vecchio della chiesa fusse rimesso su, et si sono talmente appuntati in questo punto che i nostri aversarii ci dicano ch'essi n'usano come i nostri padri, che ne l'hanno lassata in scritto, che s'il dispiacere ch'hanno di separarsi | dalla communione della 222r
chiesa non li retinesse, ci saria gran numero di quegli, che gia n'haveriano abandonati. Et non possiamo negare ch'il paragone, che l'huomo fa d'un modo all'altro, non ne apporti gran pregiuditio, perche quando l'huomo vede da una banda un gentilhuomo, un borghese o un altro o più communicar gli uni separati dalli altri senza prieghi, senza sermone, senza attione di gratie, in modo che coloro che assistono le possono intendere; dall'altra banda l'huomo vede un gran numero di gente ch'ad alta voce fanno confessione della loro fede et confessione delli loro peccati, attioni di gratie et preghiere, et cantano de i salmi, dapoi l'havere ascoltato il sermone, che si è fatto per istruirli a prepararsi bene et christianamente a questo santo sacramento: è difficile che coloro, che per altra cosa si annoiano, non prendano sopra di questo occasione di abandonarci del tutto.

Onde per rimediare a questo inconveniente, se piacesse al nostro Santo Padre il papa di permettere che la santa communione fusse una volta il mese amministrata, secondo che si faceva nella primitiva chiesa, come à dire ch'il vescovo o il curato o altri per coloro, che ci havessero | devotione, innanti o dapoi l'uffitio potessero cantare un salmo vulgare, faces- 222v
sero confessione della loro fede, confessione generale delli loro peccati, facessero le preghiere publiche per tutti li magistrati spirituali et temporali, per la salubrità dell'aere, per i frutti della terra, per li ammalati et afflitti et per tutti gli altri ch'hanno bisogno d'esser consolati per la bontà et liberalita del nostro Signor Dio, et li fusse fatto leggere quel che li evangelisti o San Paolo ci hanno scritto pertinente al santo sacramento, et così fusse dato loro il santo sacramento sotto le due spetie. Et benchè questo paia un poco nuovo et difficile, nondimeno poichè gli apostoli et quegli, che sono successi à loro propinquamente, hanno così usato, et non si potrà dire che 'l nostro Santo Padre muti ne faccia contra l'ordine di Dio et della sua chiesa. Et per render raggione a Sua Santità più apertamente, perchè loro tanto desiderino questo articolo, le piacerà intendere et considerare che non è cosa che tanto tormenti le conscientie di coloro, che vorriano vivere secondo Dio, ch'il timore di non haver li sacramenti nel modo che sono stati instituiti et ordinati. Tutte le volte che si persuadeno che l'huomo ci ha aggiunto o diminuito per farci qualche mutatione, | loro pensano certamente di esser fuora del camino della loro salute. Et per quanto che 223r
l'huomo li sappia dimostrare et avertire, essi si stanno fermi sopra quello che li apostoli et li loro propinqui successori n'hanno scritto. In questa disputa sopragiungono li ministri di nostri aversarii et con questa occasione tirano di mano il ministerio talmente che ne spacciano [2] per falsi ministri. Et come il curato è una volta ributtato, il vescovo se ne va per il medesimo camino, et parimente ancora il papa et tutto l'ordine ecclesiastico. Et se noi non ci rimediamo prontamente, è da temere che noi vediamo à i nostri giorni una grande rovina et desolatione. Et perche la regina desidera conservar intieramente al suo tempo la grandezza principalmente della santa sede et poi di tutti ministri della chiesa, ella desidera ancora che 'l nostro Santo Padre dalla sua banda ci metta la mano, ricorrendo alla sua bontà et prudenza supplicandola humilissimamente di voler metter in gran consideratione questo punto, veduto che l'huomo li fa intendere che, se 'l permette la distributione di detti sacramenti secondo la sudetta maniera, li sara facile ritenere coloro, che non si sono ancora separati, et di ritirarne una | gran parte. Et così à poco à poco ella spera di veder smorzare 223v
il fuoco che tutte le acque ne tutte le forze non saperiano estinguere.

Il t e r z o p u n t o è, che molte savie persone di questo regno et altre che sono in gran numero sono scandalizzate della p r o c e s s i o n e, che si fa ogni anno nel giorno della festa,

[1] Illo ipso tempore, scil. anno 1561 exeunte, legatus regis Christianissimi a pontifice usum calicis petiit. *Šusta*, Die römische Kurie I 330; cfr. *G. Constant*, Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces I (Paris 1923) 208 sqq.

[2] Supple: i sacerdoti cattolici.

che si chiama il Corpus Domini, alla qual processione dicono non poter assistere con buona conscientia, allegando sopra di questo tre ragioni:

La prima dicono che questo è direttamente contra l'institutione del santo sacramento, et à quello che dice [1]: *Prendete et mangiate*, et poi: *Fate questo in mia commemoratione*, ciò è quello ch'io ho fatto. Et dicono ch'è gran differenza tra il beverlo et il mangiarlo, et il portarlo per le strade, come l'huomo potria dire: Se un medico havesse commandato à uno ammalato che per sua sanità pigliasse una medicina, et che l'ammalato in luoco di pigliarla la facesse portare honorevolmente per la sua casa. Adducono ancora di Santo Paulo, il quale ordina [2] che l'huomo mangi di questo pane et beva di questo calice, et non commanda già di portarlo per le strade.

[224r] Per la seconda ragione allegano che Iesù Christo | è nel regno di suo Padre et non ricerca da noi altro che l'honore spirituale et l'adoratione in spiritu et verità [3]. Et questo ha esso ben mostrato, quando ha detto [4]: *Haverete sempre li poveri appresso di voi*, ma me non haverete sempre, mostrando per queste parole che avanti la sua morte riceveva questo ufficio di carità per il suo corpo, ma da poi la resurrectione non saria più con noi per esserci honorato con questi honori esteriori et corporali nel modo di portarlo così in trionfo come se apparesse in forma visibile. Et in questo dicono loro che li è fatto più torto che honore, atteso ch'ha sottratta da noi la sua presenza visibile à fin d'essere adorato et honorato come vero Dio in spiritu et veritate.

La terza ragione è stata, che questa processione non è stata ordinata per autorità di scrittura, di concilio ne di alcuno papa, anzi è stata introdutta per la devotione particolare di qualche vescovo, et poi è andato da l'uno à l'altro, et medesimamente papa Urbano et Clemente, i quali sono li papi, ch'hanno ordinata la solennità della detta festa [5], non fanno alcuna mentione della detta processione et mostrano bene che la loro intentione non tende |
[224v] altro ch'à fare in tal giorno dechiarare al popolo le cause della institutione del santo sacramento et à essortar ciascuno à venir, come si appartiene, à questa santa communione. Et tanto è lontano che l'intentione di questi doi papi sia stata seguitata, che in questo giorno ci sono più dissolutioni et superfluità che in qualunque altro giorno dell'anno, et tutto sotto pretesto d'honorare il corpo di Iesù Christo, il quale non dimeno non vuole essere honorato salvo che nella maniera ch'egli medesimo ha domandato ch'è da una anima contrita et humiliata, netta et repurgata da tutte le brutture. Et quanto à quello che l'huomo potria presentare al suo corpo, egli ha lassati i suo luochitenenti et ricevitori con promessa d'haber per ricevuto tutto quello che sarà dato per suo amore [6]. Questo non è già, perchè coloro, che parlano così, vogliano biasimare li tempii ne ornamenti ne altre cose necessarie per li santi sacramenti, ma perchè stimano che le pompe, che si fanno in tal giorno, sono, come è detto, contra l'institutione del sacramento, atteso che per prenderlo et mangiarlo, come s'appartiene, bisogna preparar la conscientia et non portarlo per la strada, et non sono
[225r] convenienti se non quelle | pompe et honor, che Iesu Christo domanda da noi, anzi sono senza autorità di concilio et ordine di persona che possa commandare. Et bisogna ben dire che li antichi non l'havessero trovate buone, perchè essi non sariano stati 1200 anni à riceverla. Ecco il pianto ch'è fatto, non per li separati, ma per un gran numero d'altre persone, che non pensano a niente manco ch'à disunirsi dalla chiesa, anzi per ritener gli infermi che non si partano punto, desiderando che quello ch'apporta piu di scandalo che di frutto et più d'abuso che di devotione sia del tutto tolto via ò per il manco riformato. Et per questa causa essi supplicano il nostro Santo Padre che li piaccia haver più riguardo alla unione di questo povero popolo diviso ch'à conservar quello di che la chiesa è stata senza ben 1200 anni, et commutar questa processione in meglior uso che sara possibile, et se li piace ordinare seguitando la volontà di suoi predecessori Urbano et Clemente, ch'il popolo per l'avvenire si prepari à questa buona giornata con le preghiere, digiuni et elemosine et confessioni delli loro errori à ricevere il santo sacramento, et che le cause della institutione et del frutto che noi ne riportiamo le siano dichiarate per la scrittura santa et espositione delli dottori antichi |
[225v] della chiesa. Et sarà questa commutatione grata a Dio et di profitto à gli uni et à gli altri, et cessarà il scandalo ch'è nel nostro regno si grande per causa della detta processione. Il quale scandalo procede per questo che molti, che nel resto sono buoni ecclesiastici, non vogliano intravenire ne assistere et sono reputati peraltri, che sotto pretesto di zelo indiscreto

[1] *Luc.* 22, 19.
[2] Cfr. *1 Cor.* 11, 28.
[3] Cfr. *Io.* 4, 23.
[4] *Matth.* 26, 11.
[5] Vide supra p. 138 adn. 15.
[6] Cfr. *Matth.* 25, 40.

metteno la mano all'arme, com'è intravenuto quest'anno, ch'in alcune città ne sono stati morti alcuni, et in altre la processione è andata accompagnata da gente armata [1]. Et è da temere che da qui in poi, se non piace al nostro Santo Padre di rimediare à questo nella maniera sudetta, questa giornata apportarà molte turbolentie et seditioni, et riconoscerà l'huomo che saria stato meglio d'impiegarla in tal servitio che non potesse essere se non grato a Dio più tosto che in cose, che non sono suggette se non à calunnie et scandali.

IV.

La messa è il terzo articolo, per il quale molti si sono scandalizzati. Tutt'il mondo dice ch'è un gran scandalo alla christianità di vederla così mettere in vendita dalli preti ignoranti, di mala vita et vagabondi, et con tutto cio alcuna persona non fa segno di provederci. Quest'ha fatto assai diminuire | la devotione del popolo. Ma ci sono molti, che 226r sono ancora insieme con noi ch'hanno passato più oltra, et fanno gran scrupulo nella detta messa et per la sostanza et per la forma.

Nella sostanza essi notano che gli ecclesiastici mantengono che l'huomo ci sacrifichi Iesu Christo, et che à sentirli parlare, essi fanno più caso almanco in parte più sovente di questo sacrificio che di quello ch'è stato fatto in la croce, ch'è causa che molti se ne ritirano o fanno difficoltà di trovarvesi, benchè gli antichi padri et parimente qualch'uni dei moderni dottori hanno dichiarato che questa maniera di sacrificio non comprende se non una representatione del sacrificio di Iesu Christo et della passione ch'esso ha patita per noi, sopra la quale noi appoggiamo le nostre preghiere et quelle della chiesa, li ne rendiamo gratie così, come se avvenisse al presente che fusse immolato per noi. Et in questa maniera si viene a dire che noi representiamo in questo santo misterio l'immolatione ch'egli ha fatto del suo corpo et che noi ricevemo il frutto della gratia, il quale ci ha fatto, et facemo testimonio che questa è tutta la speranza della nostra salute, et infatti il canone della messa lo chiama sacrificio di laude [2]. | Per il che dicono che saria bene, per levar l'occasione alli 226v avversarii, di sgridare la messa come si è fatto per il passato, ordinar ch'i vescovi et i curati avertisseno il popolo, quale è il sacrificio, che la chiesa intende di fare nella stessa.

Nella forma della messa essi notano quattro punti.

Il primo che 'l evangelio, l'epistola di San Pauolo et la confessione della fede che noi diciamo il simbolo ci sono recitati ad alta voce, ancora che coloro che le recitano sappiano bene ch'il popolo che l'ascolta non intende niente et non ne rapportano più frutto che s'il curato o altro ministro non havesse fatto motto. Et nondimeno l'huomo sa bene che la lettione dell'evangelio, di San Pauolo et la confessione della fede non sono state ordinate nella messa se non per istruire il popolo et prepararlo alla santa communione. Et par cosa molto iniqua ch'il prete solo goda del senso di queste et sacre parole. Per il che essi dicono esser necessario ordinare che 'l evangelio et l'epistola siano pronontiate in lingua volgare et intelligibile con una sommaria espositione, et parimente la confessione della fede fusse detta et proferita da ciascuno nel medesmo vulgare. Et cosi facendo | l'huomo non potra dire 227r che le parole del N. S. Dio siano state dette et pronontiate invano. Et se l'huomo vuole ritenere il costume ch'è oggidì, ch'almeno sia permesso di usare due lingue, della francese et della latina.

Per il secondo punto notano che l'orationi della messa sono communi à tutti gli assistenti, et è stato continovato lo spatio di mille anni ch'il popolo huomini et donne ad alta voce rispondevano: *Amen*. Et non si può negare che la divotione non sia stata sminuita per questo difetto che coloro ch'assistono al servitio non intendono ne le parole ne l'intentione. Per il che saria necessario che fusse in piacere al nostro Santo Padre ordinare che da poi [che] la *Gloria in excelsis*, il *Sanctus* et *Agnus* et l'altre preghiere fussero state dette, ch'elle fussero ancora pronontiate ad alta voce et intese et commandato a tutti di rispondere: *Amen*.

Per il terzo punto hanno notato che nella prieghiera, che si dice dapoi l'offertorio et al canone della messa, è fatta mentione delle offerte, ch'il popolo ha portate all'altare, le quali il ministro presenta à Dio à nome della chiesa et lo | prega ad accettarle [3], et nondimeno 227v alle messe publiche et private, che l'huomo fa al dì d'hoggi, non ci sono punto d'offerte talmente, che pare che la più gran parte del canone sia superflua. Et coloro che vogliano

[1] Ex. gr. Parisiis *parum abfuit, quin maxima seditio excitaretur, sed praesto erant regii et civitatis ministri, qui seditiosos compescuerunt et aliquos ex iis coniecerunt in vincula. H. Languet*, Epp. secretae II 118.

[2] Scil. in commemoratione pro vivis ante consecrationem: *Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus.*

[3] Scil. in oratione *Te igitur.*

escusar questo, si travagliano pur assai [1], ma essi non apportano ragione alcuna che sia sufficiente per consolare una conscientia per poco ch'ella sia avvertita della difficultà. Per il che saria bisogno rimettere il costume dell'offerta per levare il scrupolo à coloro, che senza quella stimano che il canone sia inutile, contenendo parole che non possono convenire quant' all'offerte et medesimamente dove si dice: *Haec dona, haec munera etc.* [2]

Il quarto punto ch'è stato notato è, che tutte le parole della messa sono communi alli preti et à coloro che l'ascoltano, et principalmente quelle che parlano della communione, et non dimeno il prete si communica solo et non lassa però di dire l'orationi à nome di tutti coloro che ci sono stati assistenti, come se essi si fussero communicati con lui. Questo scandalizza molte buone persone, che si fanno conscientia di assistere alle preghiere, pen-
228r sando ch'il prete dica cose, che non siano punto | vere, et vorriano che l'antico costume fusse rimesso su, ciò è che quando si viene al Prefatio ch'il diacono facesse partire tutti quelli ch'assistono, se essi non si communicano et non possono secondo le parole del canone et delle prieghiere che seguitano haver parte nel ministerio, che si fa dapoi. Et per questa causa haveriano santamente et saviamente ordinati gli articoli che nel cominciamento il diacono facesse partire tutti coloro che non volessero communicarsi. Et certamente questo saria un modo che riteneria molta gente nella devotione della messa, della quale hanno hormai si perso il gusto che non è possibile di ritirarcelì, et è da dubitare che questi non si aggiongano con gli altri. Et non dimeno, se il nostro Santo Padre trova in questo qualche difficultà, potria almeno ordinare ch'in ciascuna chiesa non si dicesse se non una messa il giorno eccetto le domeniche ò che il luocho non fusse ben capace per tutt'il popolo in una volta, et che tutti li preti et diaconi si communichino con lui, che celebrarà la messa. Et cosi si potrà mitigare il lamento, che tanta gente fa per le messe private.

V.

228v Resta à parlare della maniera di servire a Dio. | Sopra di questo vengono à notare ch'ancora che nella primitiva chiesa il canto de i salmi et preghiere publiche in lingua intesa da ciascuno conteneva li christiani nel timor di Dio et nella devotione d'invocarlo spesso in fraternale amicitia, tirava li nimici à voler intendere quel che fusse di questa religione, che faceva gli huomini di miglior vita et più devoti inverso Dio, così noi vediamo al nostro tempo che coloro che sono separati da noi tirano in compagnia loro tutti quelli, che li odono cantare de i salmi et fare preghiere. Et atteso che questa è una cosa buona et laudabile et la quale la chiesa ha si lungamente usata, saria buono col medesmo artificio di ricevere nella nostra chiesa due volte il giorno il canto de i salmi in lingua volgare con le preghiere publiche, et tali quali ciascun vescovo potesse ordinare nella sua diocesi.

Questi sono gli articoli, che paiano nuovi et da non esser ricevuti à coloro, che [non] riguardano più à lungo che essi vedono presentemente, et che come essi dicono amano meglio di mettersi in pericolo di perdere il tutto che di consentire che l'huomo aggionga, diminuisca
229r ò muti alcuna cosa qual si sia [3]. Ma coloro che pongono gli occhi al tempo passato | et à quello ch'averrà dopo noi et può essere del nostro tempo, si proponiranno doi punti, sopra li quali essi si fermano et giudicano del rimanente con la libertà et sincerità delle loro conscientie:

Il primo è, che in quello che concerne la nostra chiesa di fede et nostra religione, non bisogna accordo nè appuntamento, ma più tosto devemo tutti morire che consentire ad alcuna mutatione o cambiamento.

Il secondo punto è, che bisogna travagliare acciò che l'unità et il ministerio della chiesa sia conservato, secondo che Iesu Christo et suoi apostoli l'hanno instituito et dapoi di mano in mano è stato continovato. Et se gli vitii et li difetti delli ministri hanno causato questo che molti si siano separati da noi, et non bisogna levar il timone di mano dalli veri ministri, ma è bisogno di conservarlo et mantenerlo, et essi così da la banda loro si devono portar di sorte che la divisione della chiesa non sia imputata à loro.

Questi doi punti fermi et stabiliti come due colonne, non bisogna far difficultà punto
229v d'ascoltar ciascuno pacificamente, et come se conviene a buoni pastori, | che desiderano la riunione del grege, il quale Iesu Christo ha si caramente comprato. Et se qualch'uni

[1] Qui defenderint sacrificium missae contra novatores scriptores catholici, lege apud *P. Polman*, L'Elément Historique dans la Controverse religieuse du XVI. Siècle (Gembloux 1932) 419 sqq. Inter quos erant Murner, Schatzgeyer, Wicelius, Pelargus, Fabri.

[2] His utitur verbis ecclesia in prima oratione canonis, quae incipit *Te igitur*.

[3] Haec dicta videntur contra episcopos Pissiaci adunatos, qui omnibus, quae hic proponuntur, tenaciter restiterant.

desiderano di poter servir Dio et usare li santi sacramenti secondo il costume della chiesa antica, atteso che non ci è niente, in che Dio resti offeso, et che la detta chiesa non può esser ripresa ne biasimata, saria bene che fin che si aspetta una determinatione d'un concilio generale, il quale potra prescriverse à tutti una certa regola di quello ch'è in disputa al giorno d'hoggi, se piace al nostro Santo Padre permettere gli articoli qui di sopra nominati, li quali può facilmente accomodare di sua autorità, atteso che non ci sia altra questione che di rimetter su li costumi antichi per coloro che gli vorriano usare, sensa però destruere et abolire quelli, che sono stati già ricevuti. Et col mezzo di questo l'huomo si può promettere che questo regno persevererà sotto l'obedienza della santa sede, come ha fatto per il passato, et che la regina con la sua vigilantia, prudentia et bontà riunira col tempo il suo popolo diviso ò per manco li separati restaranno in si poco numero che non haveranno alcun modo di multiplicarsi et saranno tantopiù facili à ritornare [in] una pace et unione.

82.

Oratio ad S^{mum} D. N. Pium IV [de bello inferendo haereticis][1].

[Anno 1561 exeunte vel 1562 ineunte].

Romae Arch. Vat. *Conc. 13* f. 51^r-57^r, cop. coaeva.

1. Quanta sint pericula ab haereticis Gallis timenda. 2. Unicum superesse remedium: vim armorum. 3. Quo iure quibuscumque confoederatis bellum inferendum sit. 4. Quae bona victoriam secutura sint.

1. Non me praeterit, Pater Sancte, Pie IV pont. max., nonnullos fore, qui me imprudentiae simul ac audaciae arguendum omnino censeant, quod tibi sapientissimo viro, quem in tanta reipublicae christianae ob saevientes passim haereses perturbatione, ne penitus interiret, praecipuo quodam ac singulari divinae providentiae munere Deus Opt. Max. summum catholicae ecclesiae rectorem ac principem esse voluit, quid in re maxime ardua atque difficili statuendum sit, suadere videar. Verum cum ea causa sit hoc tempore, ut non de vectigalibus [a], sed de aris templisque ac omni ipsa religione, de communi denique omnium salute agatur, profecto, ubi rem exacte perpenderint, non modo officium meum nequaquam reprehendendum existimabunt, sed seipsos longe melius facturos, si una mecum ad beatissimos S^{tis} Tuae pedes accedentes piam miserandae reipublicae opem implorent, non quod de ea re monendus hortandusve sis, qui, cum primum ad supremae istius dignitatis fastigium evectus es, summis laboribus, solicitis vigiliis, sapientissimis consiliis, omni denique studio atque opera nihil praetermiseris, quod ad componendum universum ecclesiae statum pertineret, sed suppliciter rogandus ut amantissimus pater, ut clementissimus dominus, ne, dum pro Tui iam satis spectata animi mansuetudine ac benignitate affectis ecclesiae vel putridis iam membris parcis misericordiaque permotus a ferro atque igni cunctanter abstines, universum (quod Deus avertat) corpus inficiatur et contabescat. *Conc 13* f. 51^r

Nametsi iamdiu Germaniae illud multiplex detestandumque haereseos ulcus nullis remediis curari potuit, tamen cum fera gens piam omnem curationem barbare detrectans nil aliud exposceret, quam ut pravis exitialibusque | a se receptis dogmatis ferri permitteretur, infelix 51^v illius tantum provinciae calamitas, magna alioquin ecclesiae iactura deploranda erat. At postquam usque adeo morbus invaluit, ut et omnem fere Galliam, praecipuo olim christiani nominis stemmate insignem, subita eruptione ita corripuerit, ut a pio matris ecclesiae sinu avulsam adversus omnem hactenus constitutam sacrorum rationem per summam impudentiam contumaciamque impulerit, cumque infandum scelus nefario aliquorum consilio authoritateque foveri palam sit, qui ea ratione popularium animos sibi conciliandos putant, dum novis imperiis student correptumque incendium non modo non extingunt, sed alunt atque augent, non solum de totius Galliae salute, quod ad religionem attinet, desperandum est, ni statim

[a] *del.* agatur

[1] Auctor orationis Italus quidam est, regni forsam Neapolitani subditus, de statu rerum mediocriter tantum instructus, sed unus ex illis, qui, ut episcopus Viterbiensis, nuntius apostolicus apud Christianissimum regem, unicam catholicae religionis in Gallia spem eo ponebant, ut pontifex cum rege Catholico catholicisque Gallis coniunctus factioni protestantium arma inferret.

Scripta videtur oratio post indictionem concilii et mortem Francisci II (5. Dec. 1560), ante initium belli quod dicitur Hugenottorum primi mense Martio 1562.

occurratur, sed etiam verendum, ne, quos perfidiae impietatisque habet authores ac defensores, iidem sese ad ecclesiae sanctae bellum inferendum authores ac duces praebeant atque una cum Germanis, quos iam dudum per eos ad idem facinus audendum sollicitari non dubium est, infestis signis in Italiam irrumpant.

2. Quae cum ita esse sapientia tua optime noverit atque assiduis monitionibus, exhortationibus flagrantisque tuae caritatis studio missis quoquoversum legatis, qui docerent fidemque omnibus facerent, nihil tibi esse antiquius, nihil optabilius quam commissi gregis animarum salutem, sacrosancta etiam synodo indicta precibusque toties ad Deum universae ecclesiae indictis, erratorum persolvendis poenis ⟨divina tibi⟩ [a] potestate tradita condonatis, quo maior spes esset divinae opis impetrandae, nihil tandem per summam gentis perfidiam praefecisse constet, 52r | legatos vero infecta re discedere: Quid reliquum est, per Deum immortalem, nisi ut atrox imminens periculum, vi atque armis propulsandum sit et in impiam illorum pertinaciam severe animadvertendum nefariaque consilia dissipanda, ne praecipiti furore illis nostra antecapere et ad ecclesiae sanctae perniciem progredi liceat. Ceterum etsi, cum a recta religione ita defecerint, ut nulla ratione ab impia pertinacia abduci potuerint, iure in eos gladio atque igni animadverti liceat, quaeque ab antiquis patribus, piis sapientissimisque viris, plurimis coactis synodis Spiritu Sancto afflatis constituta sunt, rursus in dubium revocari minime par est, tamen, quod a mitissima tua natura alienum sit, errata ~~armis statim vindicare,~~ tum quod indicta iam synodo necdum peracta [1] liberam illi praereptam armis iudicandi facultatem expostulatum ire perfidam gentem existimes proptereaque cunctandum putes: Spiritalia saltem arma expedias, Pater Sancte, sentiant gravem ecclesiae censuram, tradantur Satanae ad interitum carnis [2], agnoscent fortasse sacrosanctae ecclesiae tuumque imperium. Interim, dum sacra synodus peragitur, saecularia arma qua oportet celeritate paranda sunt, quibus, si opus fuerit, illorum conatus antevertere ac coercere possis, ne diuturna deliberandi cunctatione prompta per nos illis oblata opportune patrandi facinoris facultas esse videatur, exercitus scilicet instruere, copias iungere, belli instrumenta parare, pecunias cogere ceteraque ad inferendam iniuriam expedita habere. Scis vero Pater Sancte, quae et quanta in Germania nostris temporibus rebelles apostolicae sedis, filii Belial, 52v infanda patraverint, spoliata videlicet ab iis templa | Christi Domini, divinorum omnium imagines per summam contumeliam ludibriumque habitas, sacra omnia profanata, quin etiam sacratissimum Iesu Christi filii Dei corpus ut cibarium panem attrectatum ac proiectum, sanctas Deo dicatas virgines per vim abductas, incestis, stupris violatas, mactatos ad aras Dei sacerdotes, rapinis, caedibus vastatas urbes, catholicorum omnia fere ferro aut igni absumpta [3], quid si pestilens ea nunc gentis colluvies ad conspirandum cum Gallis trahatur, per quos haud dubium est, id facinus agitari? In summam profecto discrimen res adducitur; utraque enim gens auri avidissima Italiaeque semper infensa religionis praetextu ad eam depraedandam depopulandamque iunctis copiis facile impelletur inprimisque Urbem hanc sedemque apostolicam iampridem invisam infensioribus adhuc animis petent. Omitto autem, quae tunc metuenda sint; exemplo satis esse possunt, quae audivimus quaeque nostra tempestate vidimus [4]. Quapropter, Beatissime Pater, una omnis salutis certior spes est incautos vel ad bellum nondum satis paratos hostes celeriter aggredi. Causam habes inprimis honestam, piam tum necessariam, nisi ad huiusmodi imminentia mala connivendum quis putet. Cuius etiam compos divina ope fieri procul dubio valeas una cum maximo reipublicae christianae incremento tuique nominis gloria ac sempiterna memoria. Intelliget enim terrarum orbis, S^tem^ Tuam, penes quam omnis vindicandi potestas est, iure arma sumpsisse ad eos coercendos, qui cum a sacramento, quo se catholicae ecclesiae addixerant, perfide recessissent, nullo pacto ad fidem, quam professi fuerant, revocari abs te potuerunt, intelliget te 53r non imperii cupiditate, | non pro tuis locupletandis, non ex odio invidiave aut humana perturbatione alia decertare, sed ex integra perfectaque erga ecclesiam sedemque apostolicam tibi commissam caritate, non aurum, sed perditas animas providentiae tuae creditas ad salutem quaerere, quod vero adeo infectum tabidumque fuerit, ut medicas salutares manus omnino respuat, recidere, ne, quod syncerum adhuc permanet, itidem corrumpatur ac pereat, quod

[a] *supra lin.*

[1] Vide supra p. 525 adn. 1.

[2] Cfr. *1 Cor.* 5, 5.

[3] Errat auctor facinora a rusticis annis 1524-25 vel a singulis quibusdam ut Alberto Alcibiade 1552-53 perpetrata universis Germanis protestantibus sine ulla distinctione attribuens. De illis cfr. quae *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes II[19-20] 574 sqq. 581 sqq. 603 sqq.; III[19-20] 846 sqq. narrant.

[4] Scilicet in Urbis depraedatione 6. Maii 1527.

quid sanctius, pulchrius, optabilius in hac vita et ad aeternam comparandam efficacius gloriosiusve excogitari potest? An vero in tam manifesto imperii, fortunarum omnium, salutis ac dignitatis religionisque ipsius periculo hostibus ad arma paratis parcendum esse quisquam arbitrabitur, vel potius illorum consiliis quamprimum obviandum saevamque in ecclesiam Dei ingruentis belli procellam avertendam, vel cum perditissimorum ipsorum hominum interitu potius quam fidelium ac orthodoxorum caede ac sacrosanctae augustaeque sedis vastitate expectata?

3. Reliquum est, ut prospiciendum sit, quibus iuribus rem aggrediare, quibus rationibus victoria speranda sit. Equidem, Pater Sancte, quemadmodum iis, quae hactenus exposui, multa alia longe meliora sapientiae tuae provisa compertaque esse arbitror, ita et iis, quae dicenda sunt, alia tibi oportuniora paratioraque constare non ambigo. Quae autem pro exigui ingenii mei viribus assequor, reverenter exponam.

Primum omnium satis constat, authoritatem tuam sapientiae, iustitiae ac sanctitatis opinione eam esse in republica christiana, ut, quodcumque de pace vel bello statuendum praesertim adversus haereticos decreveris, merito omnes reges, principes ac populos | [53v] amplexuros esse sperandum sit. Quod si iampridem fortasse cum iis agitaveris cunctantesque ad bellum suscipiendum perspexeris, praesertim Philippum, Hispaniarum regem, quod affinitatis cum Galliarum rege iure se ab armis prohiberi existimet, eo magis, Beatissime Pater, inceptae rei omnibus tuis viribus incumbendum est, ut privatis rationibus posthabitis publicae saluti consulant, neve laboranti ecclesiae, quam in primis tueri debent, opem ferre [a] recusent, tum quod in summum propemodum iam discrimen adductae absque summa impietate deesse nequeant; par etenim iniustitiae ratio esse videtur eorum, qui inferunt, et qui, cum possint, iniuriam non propulsant. Susceptum ab iis saepius bellum privatas ob causas easdemque haud ita graves novimus, nunc vero pro communi omnium salute, pro sanctae ecclesiae, pro Iesu Dei filii dignitate non arma expedient? Quodnam iustius bellum unquam indictum fuit? Non Galliarum petitur regnum, sed salus gentis, immo qui Gallis consanguinitate vel alia quavis ratione coniunctiores sunt, eo magis quacunque vi, consilio, armis atque opibus eos ab animarum interitu ad salutem revocare par est. Id vero Philippus, religiosissimus princeps, potissimum curare debet, quem praeter communem cum aliis suscipiendi belli rationem affinis adolescentis regis dignitati ac imperio consulere decet; non enim dubium videri debet, si correptum Galliarum incendium mature non extinguatur, omnes regis fortunas pessumdatum iri, quippe perfidam gentem natura rebellem sibi a catholico principe imperari passuram non esse pro certo haberi queat. Quam ob rem vel imperio cedere, praesertim [b] conantibus, | [54r] qui regnum ipsum affectare dicuntur, vel cum haereticis populis regem ipsum sentire ac palam ecclesiae sacramentis renunciare necesse fuerit. Quorum alterum miserrimum est, alterum vero summae in Christum Deum perfidiae. Tum vero quantum Hispanis populis a Gallis finitimis periculum immineat, cum iam disseminatas in utraque Hispania haereses atque a pio principe Philippo flagranti studio ac vigilantia coercitas et in reos sceleris convictos severe animadversum fuisse noverimus [1]. Attamen non usque adeo recisas stirpes esse putandum est, quin repullulare queant eoque vehementius, si Galliarum populos, quod conati fuerint, obtinuisse atque assecutos Hispani ipsi viderint. Quod si hactenus haud contemnendum negotium fuit Philippo regi non tam multos haereticos delesse, quidnam sperandum fuerit, si Hispania omnis finitimorum contagio et intestina civium tabe prorsus inficiatur? Profecto par illi a suis periculum, quod Galliarum regi timendum erit. *Insta* igitur, Pater Sancte, *opportune, importune* iuxta apostolum Paulum [2], *argue, obsecra, increpa*, ut atrocissimis imminentibus malis iustissimis postulatis tuis vel inviti cedant, pii [c] omnes arma capiant, sociorum salutem quaerant, ecclesiae principem sequantur; felices pietati successus dabit Deus Opt. Max. Neque dubitandum est, quin religiosissimus princeps Philippus, augustae istius sedis apostolicaeque dignitatis observantissimus, si usque adeo pie ac sedulo efflagitando perstiteris, tibi amantissimo patri tandem obsequatur, cuius authoritate atque exemplo cum ceteri reges tum Italiae principes | [54v] praecipueque opulentissima Venetorum respublica tibi omnes praesto erunt [3], collatis undique auxiliariis copiis bellicisque instrumentis, praeterque eas ingentes copias, ubi dilectum militum in

[a] *del.* afferre [b] *del.* fortasse [c] *Cod.* pia

[1] Cfr. *E. Schäfer*, Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus und der Inquisition im sechzehnten Jahrhundert I (Gütersloh 1902) 208 sqq.

[2] *2 Tim.* 4, 2.

[3] Ex his, quae supra dicit auctor, satis apparet eum de rebus Venetorum politicis male instructum esse.

Italia haberi iusseris, non dubium est, validas legiones firmissimumque equitatum cogi posse ecclesiastici aerarii pecunia, quod quam amplum sit, cum volueris, haud multo antehac ostendit Paulus IV pont. max. comparatis instructisque eadem pecunia satis iustis pedestribus equestribusque, copiis, quas utinam nunquam parasset, vel paratas iam adversus Turcas vel haereticos convertisset! Quapropter si Philippum regem in Tuam sententiam adduxeris, cetera omnia prospere cedent. Is tibi assiduis legationibus solicitandus est gravissimis monitionibus, exhortationibus, precibus rogandus, efflagitandus, ne tantae bene gerendae rei occasio in maximo ecclesiae christianae discrimine per eum praetermissa fuisse videatur tempusque adveniat, quo sese praesentibus malis frustra incuset. An speciosiorem fortasse triumphum speret ob deletos barbaros aliquos, quam fuerit is, quem una tecum ob servatos cives ac socios ipsamque Christi Iesu ecclesiam apostolicamque dignitatem aget? Nulla profecto ex paternis victoriis nec, quae suis auspiciis vel ductu partae sunt, cum ea, quae hac tempestate sperandum sese offert, comparandae sunt, quae si citra sanguinem minime parari posse videatur, quanquam praestiterit longe cum nonnullorum haereticorum perniciosorumque hominum interitu rempublicam christianam servasse, tamen si potentissimo |
55r exercitu rebelles ecclesiae se circumventos esse conspexerint, non tam de ineundo proelio quam de componendis rebus cogitabunt. Non enim omnes inter se Galli idem sentiunt, ut iisdem animis modo ad bellum gerendum pariter ac dimicandum conspiraturi sint; detestantur alii haeresim, alii praeter religionis studium detrimento etiam vel contumelia ob eam seditionem affecti defectionis authoribus ipsisque ecclesiae apostatis infensi sunt illosque sceleris poenas dare exoptant occasioneque vel sedandi eos tumultus vel iniuriae referendae oblata nobiscum sentient, nec parva utriusque ordinis manus erit ad terrendum domi hostem; qui vero dubii ad hunc [a] permanserint, armorum metu conscientiaeque stimulis ad ea, quae tutiora esse videbuntur, sese convertent; non pauci ex iis defectionem pertaesi vel belli formidine transfugae aderunt, quorum opera magno usui esse poterit. Praeterea factiones inter Galliae principes agitari certum est, mutuoque odio invidiaque flagrare, cum per aetatem pueri adhuc regis plerique indigne ac graviter ferant, alios dominatu regio abuti, se pristinam gratiam authoritatemque non obtinere, qui oblatam sibi de aemulis male merendi facultatem regiaeque asserendae dignitatis iis tumultibus quodammodo oppressae alacri animo excipient [b] auxiliisque foris conspectis ultro eos expugnare vel noxae tradere satagent tanquam defectionis authores [1]; intelligent enim non adversus Galliae regnum abs Te bellum geri,
55v sed regni depopulatores | ecclesiaeque sanctae hostes resistentes ad supplicium peti vel paenitentes qua uti soles benignitate recipi. Tunc autem, quid consilii fidei desertores capiant? Cum se armis undique praeoccupatos videant, cum sibi quisque liberisque ac penatibus timendum putet, cum frustratis consiliis omnis auxilii spe destituti ingemiscant federaque, si qua olim cum Germanis tentaverint, nequaquam [c] implorent, profecto in summa rerum omnium desperatione se suasque fortunas clementiae ac fidei tuae committent, itaque nullis cladibus aut direptionibus illatis acceptisve bellum conficies.

Celeritate tantum opus est, ut voti compos fias. Sin autem diris adeo furiis agitati bellum potius suscipiant, putandum est, id non sine magno Dei Opt. Max. numine fieri; ii enim sunt, qui non modo praesentis sceleratae defectionis ecclesiae sanctae poenas debent, sed perfidiae antehac impii saepius initi foederis cum infidelibus barbaris accersit aeque Turcarum immanissimorum christiani nominis hostium classis ad depopulandam Italiae oram, cuius pleraque oppida miserandis caedibus, rapinis, incendiis devastata sunt, praeterque viros abductos secum in Thraciam puerorum etiam puellarumque virginum ac matrum lamentantium ulnis ipsis vel utero adhuc filios gerentium grege, quarum complures moerore caelique intemperie tum fetidissimae gentis spurcissimarumque triremium odore tetro confectae ac morientes nondum efflato spiritu in mare praecipitatae sunt; nam de violatis sacris, de aris templis-
56r que solo aequatis quid attinet dicere? Illud non est omittendum, | non modo per legatos Galliae apud Turcarum principem de mittenda adversus Italiam classe actum esse, sed eosdem quandoque navigationis duces extitisse legatisque ipsis spectantibus christianorum oppida direpta fuisse, quorum, si qua metu caedis deditionem fecissent, nec iis servata est fides ludibrio habitis, formosisque mulieribus, quae Turcarum libidini collibuissent, per vim

[a] *Supple* diem, *vel lege* adhuc [b] *post* excipient *del.* ultroque [c] *Cod.* nequicquam

[1] Loquitur de duce Francisco Guisio eiusque fratre Carolo, archiepiscopo Rhemensi et cardinale, qui sub Francisco II summam rerum in manibus habuerant, sub Carolo IX autem reginae matri, eiusque cancellario Hospitali necnon familiae de Castilione, praesertim Gasparo Colineo, triremium praefecto, cedere coacti sunt. Cfr. quos supra n. 80 adn. prima allegavimus libros.

abstractis coram legatis, quanquam intercedentibus, sed omnino neglectis, quod in Phormiano sinu apud oppidum Traiectum factitatum esse palam est [a] [1]. Quanta porro animarum iactura iis direptionibus facta est! Quantus innocentium sanguis effusus! Quid omnino infandum sacrilegium impium a truculentissimis hostibus praetermissum est? Nec vero Gallis satis fuit, Turcis feris praedonibus duces itineris fuisse, tuta maria praebuisse, stipendio commeatuque eos iuvisse, sed etiam Massiliae subducta classe in hiberna immanes hostes humaniter accepisse placuit [2], ubi quanta per id temporis a Turcis militibus nefanda omnis generis libidinum patrata fuerint, pudet dicere. Quod si earum omnium calamitatum, ruinarum, incendiorum ac scelerum causam in regem ipsum in vindictam olim exardentem referant, se vero imperio illius obtemperasse, — [nonne] quidvis iniuriarum a rege malle pati debuerant, quam violato christianae fidei sacramento immanis atque horrendi sceleris extremaeque in Christum Deum perfidiae | participes fieri, daturi aliquando meritas proditae 56v fidei poenas, quas Tibi hoc tempore ecclesiae principi debere videntur, haud parvum tamen beneficium assecuturi, si ea ratione per te expiati resipiscant [3].

4. Quod si Deo Opt. Max. adiutore confeceris, magna Germaniae etiam recuperandae spes esse debet. Nam etsi maior pars in haeresim iamdiu lapsa est, tamen cum haeresiarcharum diversis admodum de religione sententiis dissidentium conflictetur, maxima erit Stis Tuae authoritas post subactam Galliam sedique apostolicae reconciliatam ad Germanorum etiam animos promovendos, ut miserandi homines tandem intelligant nequaquam divino se agi spiritu, qui non dissensionis, sed concordiae, pacis ac unionis est auctor, damnatisque propterea pravis adeoque inter se pugnantibus opinionibus Tuum sedisque apostolicae imperium agnoscant ecclesiaeque unitatem amplectantur.

Quapropter, Beatissime Pater, cum omnis reipublicae christianae cura atque administratio providentiae tuae potissimum a Deo Opt. Max. credita sit eamque hoc tempore una cum omnium salute in dubio esse perspicias, nisi nefarios perfidorum hominum conatus demoliare, iam connivendum non est pestifera in dies serpente in ecclesiam tabe, antevertere hostium consilia oportet, ne illorum vires ascitis quotidie atque illectis aliis ad eandem perfidiam factionemque supra modum augeantur. Leviora hactenus adhibuisti remedia, quibus haud deploratae omnino mentis homines curari potuissent, gravioribus deinceps utendum est. Nunquam felicius ecclesiae res | cessere, quam ubi in rebelles ac contumaces severius anim- 57r advertit. Quod facile est cernere perlectis superiorum pontificum gestis. Ubi enim cum pietate humani pariter aliquid affectus adhuc residet, non ita divina vis omnino emicat; sublata vero mortalium omnium affectuum ratione, ubi iustitiae tantum religionisque tuendae caritas fervet, tum maxime pro se ipsa dimicat obsistentesque proterit. Itaque Tibi integra in Christum Deum fide ac caritate pro commissa ecclesia laboranti, nec aliud quicquam praeter Christi gloriam animarumque salutem quaerenti favebit Deus Opt. max. vel cum sontium poenitentium impunitate vel obstinatorum suppliciis meritis. Ceterum, si ob servatum civem tantum corona olim debebatur, quae nam Tibi, Beatissime Pater, pro republica christiana, Christi sanctaeque sedis apostolicae maiestate, pro sacris omnibus [b] denique servatis censenda fuerit tanto digna facinore, quod iustum elogium, quis satis dignus triumphus mortali excogitatus ingenio decerni poterit, nisi ut cum sempiterna iucundissimaque post longaevam aetatem et hic apud posteros pietatis virtutumque omnium exemplar victurus sis et apud superos cum Christo eiusdem benignitate Tuisque simul meritis aeterna in caelo gloria fruare.

[a] *del.* quantum innocentium [b] *del.* pro cunctis

[1] Anno 1534 Barbarossa pirata Isabellam de Columna, pulcherrimam mulierem, Traiecti dimorantem rapere conatus est, sed effugit illa. *Muratori*, Annali d'Italia ad an. 1534. De malis, quae annis 1552, 1558 et 1560 in Italia meridionali perpetraverunt, refert diarium Seripandi, *Conc. Trid.* II 445. 455 sq. 460.

[2] Anno 1543 classis Turcorum in portu Tolonensi perhiemavit. *N. Iorga*, Geschichte des Osmanischen Reiches III (Gotha 1910) 92.

[3] Ex iis omnibus, quae de sceleribus Turcarum in Italia praesertim meridionali perpetratis narrantur, coniicere velim auctorem subditum esse regni Neapolitani, infensum Gallis propter foedus cum infidelibus initum. Quod Caesar eiusque sequaces Christianissimis regibus non sine aliqua ratione exprobrabant. De Caroli V ideis quoad bellum contra infideles vide *P. Rassow*, Die Kaiseridee Karls V. (Berlin 1932) 82-104.

83.

Articuli Sebastiani regis Lusitaniae
nomine propositi et exhibiti patribus concilii Tridentini anno Domini 1562 ab eiusdem ad concilium Tridentinum oratore D. Ferdinando Martino de Mascarenhas [1].

[1561].

Ed. *Bartholomaei a Martyribus* Opp. omnia II (Roma 1735) 409 sqq.; ex quo libro desumpsit *Le Plat* V 78-92. In codice Iacobi Quétif, quo usus est editor operum venerabilis archiepiscopi Bracharensis, scripti erant lusitane; quos Quétif in latinum vertit atque inscripsit: « Instructiones et articuli regis Lusitaniae Sebastiani nomine ab eius oratore Ferdinando Martinez de Mascarenhas in concilio die XXVI. Februarii 1562 exhibiti ». *Quétif-Echard* II 298.

I. De reformatione generali. II. De Romanae curiae officiis. III. De beneficiis. IV. De pensionibus. V. Circa religiosos. VI. De matrimonio. VII. De iudiciis ecclesiasticis. VIII. De concilio.

[I. De reformatione generali]

1. Instituantur indicenturque per universas ecclesias et monasteria christiani orbis orationes speciales et sacrificia pro felici sacrosanctae synodi Tridentinae prosecutione et successu.

2. Quibuscumque legitimis opportunisque remediis omnino curetur et provideatur, ut protestantes et hi homines [a], qui ab obedientia sanctae sedis et ecclesiae catholicae recesserunt hactenus, ad hoc sacrosanctum omnes accedant reapse concilium, et ad eiusdem redeant fidei unitatem, huicque ceu ceterorum gravissimo et praecipuo instetur maxime negotio, seu divisis reiectisque invicem sectariorum partibus, seu cunctis humaniter et amice susceptis, invitatis atque tractatis, quo tot populorum animarum diaboli laqueis et fraude delusarum et perditarum millia lucri fiant.

3. Eadem etiam uti constituat hocce sacrosanctum concilium circa regnum et regem Angliae solertia et vigilantia, ne res illius commoveat, sed toto nisu arteque satagat, ut oratores suos et legatos ad hoc sacrum concilium regina supremumque Angliae regni consilium mittant et cum ecclesia catholica conveniant [2].

4. Nova proinde Novi Veterisque Testamenti editio cureturibidem, a sacrosancto concilio probata, nullaque praeter hancteri legique permittatur, qua una editione probata, illius originale servetur, ad cuius fidem accuratissime subinde varia cudi promulgarique curentur exemplaria, locorum scilicet, in quibus edentur, invigilantibus episcopis; quodque circa huiusmodi pridem in hocce concilio et civitate Tridentina statutum fuerat [3], ad effectum tandem et exitum adducatur et observetur.

5. Committatur a sacro concilio viris qui adsunt eruditis et praesentibus, sive etiam quaqua reperiantur in orbe degentibus, cura recensendi graeca latinaque sanctorum patrum

[a] *Vel legendum* omnes?

[1] Duae praecipue oriuntur quaestiones circa « articulos » regis Sebastiani:
1) Suntne pars instructionis oratori datae an non?
2) Suntne revera traditi concilio, et quando?

Ad 1: Articulos esse partem instructionis, coniicere velim ex inscriptione, quam refert *Quétif-Echard* l. c.: « Instructiones et articuli » etc; eos iam medio anno 1561, hoc est ante profectionem oratoris, esse confectos, ex articulo 3 de nuntio in Angliam deputando apparet.

Ad 2: Non fuisse traditos concilio in sessione 26. Febr. 1562 celebrata, in qua orator admissus est, ex relationibus sequitur et actuum Massarelli (*Conc. Trid.* VIII 357) et legatorum (*Šusta* II 35 sqq.), quae nonnisi de mandato lecto et tradito loquuntur. Nec, in quantum scimus, post 26. Febr. 1562 patribus concilii traditi sunt, quamquam articuli reformationis, quos orator postea (Aprili et Oct. 1562) legatis traditurus erat. in multis cum istis conveniunt.

Quod articulos ipsos attinet, inter alia multa, quae in *Corp. diplom. Portuguez* IX continentur documenta ad eos illustrandum idonea, videnda est praesertim « Relaçao dos negocios por expedir que Lourenço Pires de Tavora deixou ao doutor Antonio Pinto », data 21. Aprilis 1562, l. c. 472-496. De Lusitanis in concilio praesentibus deque oratore ipso legenda sunt quaedam apud *F. de Almeida*, Historia da Igreja em Portugal III 2, 601-617.

[2] Aut non scivit rex abbatem Martinengum, qui nuntius Angliam destinatus 10. Martii Roma profectus erat (*Conc. Trid.* VIII 179), ex decreto privati consilii reginae facto die 1. Maii 1561 aditu ad Britanniam fuisse prohibitum, *A. O. Mayer*, England u. die kath. Kirche I (Rom 1911) 35, aut, instructus de recusatione, concilium ad deputandum nuntium impellere voluit.

[3] Sess. IV de editione et usu sacrorum librorum, *Conc. Trid.* V 91 sq.

et antiquorum opera, qui quod in eis ab haereticis aut aliis erratum depravatumque fuerit, sedulo notent, et omnium omnino singulorum censura conficiatur [1].

6. Provideatur et caveatur, ne per principum christianorum ditiones et provincias haereticae pravitatis erumpat virus et serpat, atque in eam rem quaqua terrarum parte reipublicae christianae sanctissimae inquisitionis officium instituatur et exercitium cum omnibus a iure concessis eidem auctoritate, gratiis et privilegiis quibuscumque, moxque reapse vicinis haereticorum locis et regionibus, ac ubi necesse visum fuerit et opportunum, exerceatur eius auctoritas et iurisdictio.

7. Deputentur a S^{mo} cardinalium aliqui vitae integritate scientiaque clariores, quibus cura sit praecipua fovendi promovendique sanctissimae inquisitionis officii, quique S^{tem} Suam eorum, quae ad sancti huius officii bonum conferre posse putaverint, admoneant et provocent ad illud in sua semper integritate vigoreque manu tenendum et roborandum.

8. Suae sit S^{ti} gratum et constitutum, nullas omnino deinceps concedere litteras breviaque apostolica, rescripta, exemptiones et privilegia in iis, quae sanctum illud spectare possent inquisitionis officium, ob id, quod infirmis exinde fratribus oritur scandalum pluriumque dispendium animarum; demum et quod iis interturbetur et infringatur, uti dicemus infra, sanctissimae inquisitionis auctoritas et exercitium [2].

9. Ubi vero contigerit aliquos a Sua S^{te} quibuscumque latis in iure causis ad reges et provincias christiani orbis aliquas mitti legatos et nuntios apostolicos, districte caveatur et inhibeatur huiusmodi quibusvis, ne se rebus ad inquisitionis officium quomodocumque spectantibus et causis ullo modo immiscere audeant, ut, quae solent ex usu contrario suboriri mala, eo modo vitentur.

10. Ne Iudaeis omnino liceat habitare conversarique cum christianis.

11. Summo studio attendatur et invigiletur firmandae fovendaeque, quam sancire Deo Opt. Max. placuit et concessit, christianorum principum unioni et paci, cumque S^{ti} Suae incumbat ceu pastori oecumenico christianos sibique subditos et obedientes filios inter se divisos conciliare principes, mutuamque invicem omnium ac perpetuam cum illis habere favereque concordiam et pacem; ideoque necesse omnino habeat aequalem exhibere se singulis.

12. In primis vero procuretur et promoveatur universalis ecclesiae Christi reformatio. Cum enim ex inductis in eam abusibus et corruptelis ut plurimum ortum habuerint et occasiones haereseon aestuans et serpens virus, his amotis et emendatis facilius ad fidem haeretici revocari poterunt. Horum enim emendatio revocandis ad fidem haereticis non parum conducere potest, quod utriusque negotii maxima sit affinitas, unaque tractari debent et aequo promoveri pede, quae ad fidem et ad mores ecclesiae spectant, cum ex optimo catholicorum exemplo sanctisque moribus haereticorum maxime conversionem obtineri facillime comprobatum habeatur.

13. Antequam Romani pontificis electio in ipso conclavi facta publicari possit, teneatur omnino solemni iuramento promittere, se servaturum ea omnia, quae fuerint a sacris ecclesiae catholicae conciliis ac maxime Tridentino isto constituta.

14. Iuris canonici leges omnes et statuta quaelibet ad amussim et integre serventur, nec in eis, uti fieri videmus, adeo facile dispensare liceat. Ubi vero dispensando causa subest aliquando legitima, gratis omnino fiat, et ordinario loci dispensationis causa probanda discutiendaque committatur.

15. Ea qua par est reverentia supplicetur S^{mus} pro reformanda, si opus fuerit, familia sua, tum circa familiarum eius numerum, cum ad vitae modum morumque compositionem, utque ab ea, quidquid ambitum et vanum saeculi fastum apparatumque sapit, quoad fieri dabitur opportunum, abiiciat, sitque sic ille ceteris exemplo et aedificationi.

16. Studeat etiam eadem S^{tas} Sua diligentissime circa S. R. E. cardinalium honestatem atque vitae compositionem; ne scilicet illi umquam personati larvatique prodeant, nec

[1] Cuius rei causa anno 1561 Paulus Manutius, Aldi filius, a pontifice Romam vocatus est. Cfr. *A. Renouard*, Annales de l'imprimerie des Alde[3] (Paris 1834) 524 sqq. De Sirleti studiis concilio Tridentino valde utilibus cfr. *S. Merkle*, Ein patristischer Gewährsmann des Tridentinums: Festgabe A. Ehrhard (Bonn 1922) 342-358. Fusius hac de re in nostris commentariis de vita et scriptis cardinalis Seripandi agitur.

[2] Sub pontificatu Clementis VII et Pauli III Lusitaniam officium inquisitionis more Hispanico est introductum, cui conversi ex Iudaismo erant submissi. Pontifex autem causam eorum ad se avocavit nuntioque apostolico potestatem eos iudicandi delegavit. Qua de re controversia inter pontificem et regem Lusitaniae orta est, de qua cfr. *Pastor* IV 2, 573 et V 403 sqq.; *F. de Almeida*, Historia da Igreja em Portugal III 2, 184 sqq. Die 12. Febr. 1561 card. Borromaeus nuntio apud regem Lusitaniae, Prospero Sanctae Crucis, de iisdem novis christianis quid agendum esset, in specie mandavit. *Corpo dipl. Portuguez* IX 150 sqq.

choreis intersint, aleis, tripudiis, conviviisque vel huiusmodi ludicris publicisque saecularium deliramentis, quibus scandalo sint illi populo, quos utique seu principes ecclesiae viros columnasque praecipuas aliis exemplo vitaeque integritate praelucere decet.

17. Inhibeatur omnino, ne quem ad sacram ecclesiae purpuram evehat pontifex summus annis triginta natu minorem, aut qui vitae virtutisque dudum exploratae probataeque non fuerit, vel qui non antea rite donatus laurea doctoratus, vel saltem in utriusque iuris studio licentiatus gradum in aliqua universitate praevio severioris examinis calculo probatus obtinuerit, regum utique principumque filiis germanis nepotibusve demptis, quos etsi non promotos et graduatos, dum vita tamen virtuteque conspicui et eruditi fuerint, ad purpuram promovere licebit [1].

18. Statuat insuper S^{tas} Sua, ne S. R. E. cardinalium numerus nimium in posterum excrescat, aptioresque inter hodiernos purpuratos ecclesiae patres et convenientiores eligantur et retineantur, aliis, quibus cura pastoralis incumbit, excedere iussis, utque tenentur, demandatae sibi ecclesiae residere compulsis. Quibus autem nulla forte commissa fuit adhuc ecclesia, sufficiens et idoneus a pontifice sustinendo oneri et dignitati reditus assignetur et census. E selectis autem uno deficiente morteque sublato, qui visus inter ceteros idoneus et opportunior, eligatur et sufficiatur. Teneanturque hi, qui Romae commorati fuerint patres purpurati, semper adesse S^{mo}, cumque id praestare nequeant omnino, si sacerdotiis fruantur et beneficiis curam animarum et residentiam annexam exigentibus, iis utique sponte dimissis et abdicatis, tantum eis ex ecclesiae bonis aliunde provideatur, quantum ad commodam vitam illorum et dignitatis rationem honorifice servandum suffecerit. Qui vero extra numerum severissime a summo pontifice praefixum creatus fuerit et ad purpuram vocatus et acceptus, in futuris Romani pontificis electionibus nec passiva nec activa voce gaudere possit ullatenus.

19. Atque ne numerus S. R. E. cardinalium aliquando praetergrediatur, nullus ad purpuram a pontifice promoveri valeat, nisi ex voto et maioris sacri collegii partis assensu.

20. Pontifex statim eos, quos ad purpuram promovere voluerit, palam faciat et nominare teneatur, nec amodo nisi ex rationabili causa cardinalium in pectore reservationi locus esse possit.

21. S. R. E. cardinales ex variis quibusque regionibus et nationibus a pontifice deligantur, a quibus ipse de rebus et singularitatibus uniuscuiusque facilius commodiusque doceri possit et informari. Inducaturque S^{mus}, ne quando permittat aut ferat ullum e S. R. E. cardinalibus aliquod a quocumque principum et optimatum munus accipere reditumve pecuniae vel censum. Neque ipse quemquam ad regum aut principum instantiam nominationemve vel commendationem ad sacram amodo promoveat purpuram, nec purpuratorum quis delectus a principibus protectoris eorum titulo munereque fungatur, sed unius illi veritatis et aequitatis veri sint et perpetui protectores.

22. Nullus e sua familia consanguineisque intra gradum sanguinis tertium a summo pontifice deinceps aut successoribus eius in posterum ad purpuram evehatur ecclesiae, nec ad episcopale munus et onus aliquem annis triginta minorem ceterisque a iure requisitis non ornatum dotibus assumat, aut nisi doctoratus aut licentiatus in utroque iure, divino et humano, laureati fuerint, vel regum aut principum filii, germani nepotesque extiterint, quibus ad id satis fuerit, si competenti doctrina praediti ceterisque iure praefixis ornati fuerint et praediti conditionibus.

23. Statuatur insuper c i r c a b e n e f i c i o r u m extra curiam vacantium c o l l a t i o n e m (salvo tamen iure patronatus cuilibet patrono laico vel ecclesiastico), nimirum ut ad ordinarium omnino quaeque pertineat. Saltem ex curatis beneficiis, canonicatibus et dignitatibus, quas sibi placuerit reservare summus pontifex, non eas indeterminate seligat iuxta mensium seriem atque delectum vacationis eorum, sed determinate certarumque beneficia personarum; sicque constabit ordinario, cuius sit his, cum vacare contigerint, providendi ius et onus; hoc est, ut dicat: Reservo mihi Ioannis beneficia in posterum in perpetuum. Ubi vero contigerit aliquorum provisionem ad S^{mum} aliquo quoquo modo pertinere, tunc ab ordinario cogi possint intra quadrimestre, si citra montes, vel post octimestre, si ultra montes degant, qui sic adepti sunt a pontifice beneficii provisionem, expeditionis suae litteras obtinuisse et sedis apostolicae iura persolvisse.

[1] Hic articulus de qualitatibus cardinalium sicut sequentes de creatione (19) et electione ex diversis nationibus (21) in multis cum decretis et tractatibus concilii Basiliensis conveniunt, de quibus cfr. *H. Jedin*, Analekten zur Reformtätigkeit der Päpste Julius' III. u. Pauls IV: Röm. Quartalschrift 43 (1935) 93 sqq.

24. Prohibeantur etiam expectativae omnes et reservationes regressusve et renuntiationis cum retentione fructuum litterae, nullaeque concedantur et fiant uniones ad vitam furtivaeque beneficiorum in pectore reservationes et antidatationes.

25. Omnes etiam coadiutoriarum cum futura successione collationes amoveantur, nec coadiutoriam alicui conferre praelati valeant, nisi qui ad iuris praescripta beneficium ipsum implere et deservire potens sit et idoneus.

26. Nullae deinceps curatarum ecclesiarum cum monasteriis uniones fiant, quaeque hactenus [ex] iis unitae non reformatis monasteriis, vacante monasterio provideantur ab ordinario. Iis autem, quae reformatis unitae sunt ecclesiae curiales monasteriis, perpetuus proponatur et instituatur vicarius cum idonea sufficientique beneficii portione, quae duas ad minimum eius reditus e tribus adaequet aut superet partes, rectoresque illarum primarii fabricae tenebuntur oneribus, et earum incumbent et invigilabunt visitationi. Eadem omnino ratio habeatur circa easdem a pontifice Romano collegiis universitatibusve vel etiam hospitali[bu]s domibus et communitatibus unitas aut uniendas. Curatarum vero cum curatis ecclesiarum unio nulla ratione permittatur, nisi forte eae sint adeo tenues exiguique reditus et census, ut alendo sustentandoque rectori non sufficiant, adeoque illae vicinae sint et sibi propinquae invicem, unus ut utrique facile rector occurrere possit et sufficere.

27. Nemini prorsus hominum, cuiuscumque tandem gradus sit et generis, dispensatio concedatur, ut duas una simul ille praelaturas obtineat et possideat, serveturque circa alterius generis beneficia c. *De multa* [1], nulla in eo dispensatione admissa vel concessa, nec pro duobus plus una retinendis incompatibilibus beneficiis; quae tamen obtentae dispensationes ut vim habeant, antequam executioni mandentur, iuxta praefati capituli normam ordinario probandae, discutiendae committantur et permittantur arbitrio, prohibeaturque ne duas unus una retineat in diversis cathedralibus ecclesiis dignitates et praebendas.

28. Nulli creentur episcopi titulares, nisi causa sic exigente urgentissima, qui scilicet episcopis alterius ope necessario indigentibus auxiliari queant, quo certe casu certa eis e fructibus eiusdem ecclesiae et episcopatus, cui inserviunt, et idonea portio decernatur annua et perpetua, qua commode vivere honesteque gradum et dignitatem sustineant, illique demum assidue teneantur huic inservire ecclesiae.

29. Praelatis omnibus imponatur et praecipiatur a concilio, suas ut quique cogant synodos conventusque proprios ecclesiae habeant singulis saltem quinquenniis, metropolitanique omnes quolibet saltem decennio provinciale cogere concilium teneantur; nec in iis ulla sit in posterum excusatio vel dispensatio. Ius porro synodicum, quod ex iuris praescripto singulis pendebatur antea synodis, unica primaque dumtaxat vice et synodo, quam in sua quique praelatorum primo celebrant dioecesi, recipiat a suis in obedientiae subiectionisque signum et fidem.

30. Cum nullo praelatorum omnino dispensetur, ut cum ea quam obtinet praelatura commendatum etiam habeat et obtineat sibi monasterium aliudve quodvis curatum beneficium.

31. Videatur etiam et decernatur a sacro concilio circa casus et causas in civilibus episcoporum iurisdictioni proprias, ut ab eius iudicio nemini subditorum appellare liceat intra certae quantitatis aut qualitatis sacro concilio visae et constitutae fines. In criminalibus vero causis id ipsum pariter a concilio decernatur circa criminum poenarumve genus et personarum, prout utile duxerit et opportunum. Sic enim episcopi suas in ordinem facile coercebunt oves et subditos habebunt obedientes. Simili etiam modo decernendum videtur et statuendum circa archiepiscopos et metropolitas, ut in casibus et causis appellationum ab episcoporum sententiis et iudicio certam ad usque quantitatem in civilibus forum eorum extendatur et iurisdictio, nec ab ea liceat appellare, quod et idem circa criminales decernatur causas.

32. Decernatur etiam, omnes et quoscumque casus, qui ad forum interius spectant (iis, quae in bulla coenae Domini leguntur, exceptis) ordinariorum uni arbitrio committendos esse auctoritati et iudicio.

33. Districte prohibeatur, ne quisquam omnino praelatorum, qui causas e[cclesi]arum habent aliquas, ob quas eis a iure licet a sua abesse posse dioecesi, possit ulla prorsus ratione ultra quatuor mensium continuum in annos singulos a suis ovibus et ecclesia sine licentia speciali summi pontificis abesse spatium, quam nec ipse pontifex concedet nisi de causis ipsis in iure expressis. Ac ubi plus abfuerint absque licentia praedicta quatuor omnino mensibus, mediam omnino fructuum ecclesiae suae partem illius anni pro rata scilicet absentiae teneantur in foro conscientiae refundere pauperibus et erogare, moneanturque reges et principes

[1] C. 28 X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

et exhortentur, ne quem illorum alio distineant aut officiis occupent et muniis, unde non residendi causam habeant aut accipiant, nec eos alio mittant et a sua dioecesi recedere cogant.

34. Statuatur intra singulos ad minus annos quosque praelatos omnes suam teneri personaliter obire dioecesim, singulaque illius visitare loca, peractaque visitatione demum, uti iam dictum supra, suam inire cogereque synodum, ita ut in his nulla umquam exceptio detur aut dispensatio, nisi cum legitimum aliquod obfuerit impedimentum et necessitas, infirmae videlicet valetudinis aut aetatis provectioris.

35. Nulla concedatur omnino praelatis licentia sive privilegium de bonis ecclesiae acquisitis ullo modo testandi, nec etiam ex eis capitale quid in perpetuum annuumque censum et fundum in vita vel morte constituendi; proindeque illi serio moneantur omnes a sacrosancto concilio, ne variis ac superfluis [rebus] ecclesiae bona dilapidare audeant aut profanis.

36. Teneantur et possint ordinarii omnes quascumque personas ecclesiasticas curam animarum habentes, cuiuscumque sint illi ordinis et habitus aut magisterii (quod de iis intelligendum, qui extra sua degunt monasteria) visitare, sicut a sacro constitutum est concilio[1] concessumque fuit a summo pontifice residentibus ordinariis[2].

37. Exemptiones ab ordinariorum auctoritate concessae omnes et quaecumque revocentur in eo, quod a dictis eximuntur ordinariis, monasteriis et conventibus dumtaxat exceptis, qui in observantia vivunt, et reformatis, ac vitam in communi fraternam ducunt, nullumque capitulum dignitasve nulla subditas visitationi suae ecclesias habeat, sed ab ordinariis omnes omnino visitentur.

38. Ordinandorum examen iniungatur et strictissime commendetur ordinariorum praelatorumque conscientiae et vigilantiae, caveaturque, ne deinceps ullus sit aut habeatur locus litteris brevibusque pontificiis beneficii patrimoniique vel grammaticae, requisitarum a iure conditionum, derogatoriis. Qui si quando emanaverunt, ordinariorum arbitrio probandi committantur, a quibus et de vita, moribus et scientia debeant examinari.

39. Cum autem plurimi soleant ad scelerum suorum impunitatem ultionemque vitandam minoribus abuti ordinibus nulla animi religionisque consideratione susceptis, ex quo plurima ecclesia Dei scandala sobolescunt, statuatur, ne separatim ordines illi quatuor cuiquam a subdiaconatu conferantur, nisi religiosis in suo monasterio regulariter viventibus et adolescentibus actu ministrantibus ecclesiae illarumque servitio deditis et obstrictis stipendioque merentibus quo alantur idoneo, qui necdum etiam aetatem attigere subdiaconatui requisitam.

40. In quacumque regni ditione vel provincia seligantur aliqua vel aliquae quae reperiri possint in eis omnium idoniores [!] et maiorum dotium eoque digniores munere personae, quibus commendetur et imponatur onus iusque visitandi in eis archiepiscopos, episcopos et praelatos, deque vita illorum, persona et familia rationem habeant et inquirant, an illi scilicet oves suas pascant, iusque subditis ex aequitate dicant, ecclesias suas visitent cathedrales, illarumque fabricae, decori et ornatui provideant et modicorum incremento reddituum, super iuribus a praelatis exactis et impositis, num immodici modoque indebito vel absque regis principisque licentia populique consensu quaesiti cognoscant.

41. Praelatis maxime sacrum hoc inhibeat concilium, ne poenis excommunicationis adeo se faciles exhibeant infligendis et ferendis, quas ipsi suis ita passim ordinationibus infligunt et constitutionibus, variis quidem levissimisque de causis et occasionibus, adeoque censurarum, excommunicationum aut irregularitatum omnium variis et multiplicibus in extravagantibus constitutionibus expressarum vix etiam passim a pluribus et vulgo cognitarum habeatur conficiaturque catalogus.

42. Nec interdictum etiam nisi singulare sive personale vel locale feratur ullum a praelatis ob unius aut singularis personae culpam, quod et ipsam unam, quaecumque tandem illa sit et quocumque pergat, ubique comitetur et insequatur, locusque dumtaxat unus, in quo degebat interdicti lati tempore aut ab eo lato declaratoque secessit, interdictum se vere habeat, brachiique saecularis auxilium adversus eos intelligatur imploratum.

43. Nulli mittantur a S[mo] deinceps apostolici legati sive nuntii cum legati facultatibus apostolici, nisi veris et a iure canonico requisitis de causis, nec alias illi cum mittantur habeant facultates, quam quae illis communiter a iure conceduntur.

44. Nec illi cum advenerint legati vel nuntii sine gravi necessitate se reformatarum immisceant religionum monialiumve negotiis.

[1] Sess. VI de ref. c. 3, *Conc. Trid.* V 803. Rex hic ut supra c. 4 et 13 decretorum executionem urget.

[2] Scilicet in bulla *De salute gregis* data 4. Sept. 1560, *Conc. Trid.* VIII 67 sqq.; praesertim 68 l. 29 sqq.

45. Nec pendentes coram ordinarii iurisdictione lites et causas coram se advocet, nec per viam querelae simplicis aut denuntiationis aliquid aggrediatur, nisi ubi de rebus agitur, quae ad eos spectant, qui nullum habent ibi praesentem in regno superiorem, tuncque per viam appellationis illi cognoscere licuerit, ubi nullum habuerit ille superiorem in regno, ad quem recurrere possint, idque a sententiis utique diffinitivis seu etiam interlocutoriis, vim tamen diffinitivae habentibus.

46. Nuntiorum apostolicorum expeditiones omnes gratis obtineantur, et a S^{mo} competenter eis aliunde in onera familiae dignitatisve provideatur eorum.

47. Synodalibus locorum constitutionibus absque gravi legitimaque causa non derogetur, quae scilicet in optimum ecclesiae clericorumque illorum conditae fuerint et a synodo receptae.

II. De Romanae curiae officiis.

1. Nullum omnino toleretur aut erigatur in curia Romana nisi negotiorum expeditioni congruum sit officium et necessarium [1], statuaturque a sacro concilio et decernatur, quid et quantum a quovis et pro qualibet expeditione mercedis exigere possint et debeant.

2. Nec venalia sint pretioque certo vel annuo concedantur aut emantur officia curiae Romanae, vel eis etiam, qui non sint exercituri vel implere ea non valeant, tribuantur.

3. Nullae concedantur facultates in posterum alicui comitis Palatini, quaeque concessae antehac, revocentur.

4. Cum apostolici fuerint instituendi notarii, ordinariorum earum dioeceseon examini committantur, qui de vita moribusque ipsorum et ad bene agendum idoneitate inquirant et iudicent.

5. Provideatur etiam circa brevia per cameram expediri solita, quae quo diligentius examinentur, in cancellaria prius, ut moris est, discutiantur.

6. Ex cancellariae regulis eae seligantur, quae maioris meriti fuerint et utilitatis in commune bonum ac iustitiae, quae in extravagantum editae formam in corpus iuris ipsius inserantur et incorporentur, ut ad omnium illae notitiam facile perveniant.

7. Poenitentiaria apostolica a summo pontifice reformetur [2], nec confessionis litterae ab ea concedantur adeo illimitatae conscientiarumque noxiae sinceritati et puritati, tamque contrariae praelatorum et ordinariorum iurisdictioni non concedantur concessaeque revocentur.

8. Nec in rebus se immisceat poentitentiaria, quae ad iustitiam spectant, aut ea demum utantur *vivae vocis oraculo* clausula, nisi in casibus, quae poenitentiariae fori sunt; certusque demum ei praescribatur agendi modus et ordo.

9. Nullae concedantur a poenitentiaria sive via modoque quovis alio tam effusae, generales et amplae litterae nisi iustissimis evidentibusque de causis, ac pro gravitate causae dumtaxat illae distribuantur.

10. Profusus ille tamque generalis indulgentiarum coerceatur numerus [3]; nec cum aliquas elargitur S^{mus}, eas alteri communicandi transferendique potestatem habeant illi, quibus concessae fuerunt.

11. Pristinus immutetur indulgentiarum concessionis [a] stylus et forma, nec ad tot annorum dierumque myriades extendantur et numerentur, sed ad quartam dumtaxat certamve petentis debitam poenae remissionem et relaxationem extendant.

12. Ubi novae conceduntur indulgentiae, nec suspendantur nec abrogentur sine urgentissima causa antea concessae, ac si recentiores forent prioribus efficaciores, cum alias non nisi legitima gravique causa sint ullatenus concedendae, eaque deficiente tantummodo revocandae.

13. Nulla concedatur sententiarum aut decretorum relaxatio poenarumve ob crimen illatarum alicui nisi gravissimis aequissimisque de causis, quarum etiam examen et discussio praelatorum ordinariorumve committatur et permittatur arbitrio et iudicio.

III. De beneficiis.

1. In expeditione brevium, litterarum bullarumve apostolicarum hisce vel huiusmodi non utantur clausulis ordinariis, uti sunt: *Vitae et morum honestas et litterarum scientia*, et *grata familiaritatis obsequia* etc. aliisque tenoris eiusdem, nisi cum revera ita se res habuerit-

[a] *Edd.* confessionis.

[1] Respiciunt Lusitani illa quae dicuntur collegia officialium, de quibus *Hofmann*, Gesch. der kurialen Behörden I 159 sqq.

[2] Poenitentiaria paulo post a pontifice reformata est, cfr. *Pastor* VII 333.

[3] Vide supra p. 253 (n. 55).

2. Prohibeantur a summo pontifice in bullis litterisve apostolicis clausularum harum: *De plenitudine potestatis, certa scientia, motu proprio* vel eiusmodi similium sine delectu faciliores usus; quod vitium quodlibet earum eludunt obiiciendum et, ne S[mus] informari queat, impediunt, maxime cum eae requiruntur et optantur clausulae ab impetrantibus partibus, quo sic sibi cautum sit adversus eos, qui debent aut possent opponere et contra obtentas litteras legitime obiicere. Tunc enim facile praesumitur impositum pontifici falsique delusum ab eis esse relationibus et informationibus.

3. Curioni [!] sive parocho et plebano plus unico simplicique beneficio frui simul non concedatur, nec simplicium ut vocant beneficiorum una possidere nisi duobus quisquam possit. Nec etiam alicui liceat variis distinctisque sedibus et ecclesiis geminas obtinere retinereve praebendas.

4. Quandocumque tandem casu dispensetur a S[mo] Domino cum simoniaco super beneficio, nullum umquam habeat in foro contentioso vigorem et robur, ne, cum primum in eo de simonia constiterit, quandocumque spoliari beneficio non legitime possit et debeat.

5. Nullum uniri posset alicui capellaniae beneficium aut maioratus, in quo nulla dari possit umquam dispensatio, et quae fuerunt antehac unita vel annexa, revocentur.

6. Nulli laico cuiuscumque beneficii fructus aut census in commendam concedantur, nisi forte quarumdam ecclesiarum, quae militarium alicui concessae vel annexae sunt ordini.

7. Non conferantur extraneis Romae beneficia nationibus, nec quae extraneis iure debentur, inquilinis et naturalibus.

8. Vacantibus in curia dignitatibus et beneficiis, S[mus] ipse de personis indigenis et naturalibus, pro ratione beneficii debitis et requisitis a iure qualitatibus ornatis, providere eaque conferre dignetur.

9. Nulla legitima sit adepta beneficii possessio cuiuspiam vigore generis brevium litterarumque monitoriarum, quibus illius fructus et reditus apostolicae camerae nomine sequestrari iubentur horumque procurator et minister impetrans ipse simul instituitur.

10. Nulla recipiatur aut concedatur exceptio vel dispensatio super ea iuris regula de infirmis resignantibus [1], ut scilicet illi viginti solidos ab ipsa renuntiatione seu resignatione dies supervivere debeant, generalique regula statuatur, huiusmodi resignationes in manibus ordinariorum omnino faciendas esse, secus irritas nulliusque roboris habendas.

11. Nec huius etiam posse derogari iuris regulae de verisimili notitia obitus [2], adeoque dies ipsa tempusque notetur expresse in concessionibus collationibusque concessis a S[mo]; nec ita qui prius adeptus est beneficii possessionem iura turbentur.

12. Nec recipiatur hic litigantium regula [3], ut in absentium aut qui desierunt collitigantium iura subintrent et subrogari valeant.

13. Nusquam dispensari liceat cum filio clerici, patris ut ille succedat beneficio, etiam mediate, vel ut et aliud in eadem cui pater inservierit ecclesia beneficium obtineat. Similiter nec ullus episcoporum filius, etiam legitimus, aliquam obtinere possit, in qua praelatus exstiterit parens, illius ecclesiae praebendam.

14. Circa vitae clericorum honestatem et conversationem, qui Romae habitant, seu indigenarum seu exterorum alienigenarum, S[tas] Sua plurimum invigilet, hancque reformationis partem praesertim attendat atque commendet, ut honeste vivere seque illi habere modeste cogantur.

15. Sacerdotes autem Romae laicorum habitu palam incedentes aut potentiorum optimatumque vilioribus et abiectis exercitiis et ministeriis ultro sese mancipantes ad arbitrium graviter puniantur.

16. Nullus porro clericus beneficio gaudens, cui cura animarum est annexa, possit abesse ab illo sine sui licentia praelati (quam illi nec sine causa iustissima, ut iure cavetur, ille concedere debet). Qui vero per integrum et continuum trium mensium abfuerit absque praedicta praelati licentia spatium, eiusdem incurrat ipso facto beneficii suspensionem; qui per sex abfuerit menses continuos absque praelati licentia, beneficio ipse privatus ipso iure

[1] Haec regula, sicut *P. Rebuffus*, Praxis beneficiorum (Venetiis 1568) 385 adnotat, a Iulio III aucta fuerat; vide ipsius uberrima commentaria l. c. 385-402.

[2] Regula cancellariae Pii IV (ex editione Romana a. 1560 f. 11v-12r): *Item voluit et ordinavit, quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura saecularibus et regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus inantea fecerit, nullius roboris vel momenti sint nisi post obitum, et ante datam gratiarum huiusmodi tantum temporis effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam eiusdem domini nostri verisimiliter potuerint pervenisse.* Cfr. *Rebuffus*, Praxis beneficiorum 177 sqq.

[3] Regulae cancellariae l. c. f. 11: De surrogandis collitigantibus; *Rebuffus*, Praxis beneficiorum 250 sqq.

censeatur et existat; confirmenturque, quae circa huiusmodi antea concilio praecedenti sancita sunt [1].

17. Strictissime prohibeatur confessariorum clericorum vel fratrum et regularium cuicumque, testamenta conficiant infirmorum vel eosdem decumbentes infirmos alliciant et provocent ad testandum, ut illi scilicet facultates suas vel earum etiam partem aliquam sibi vel ecclesiis suis aut monasteriis eorum addicant et tradant, nulliusque sint omnino roboris et momenti sic ab eis inducta testamenta, quantum ad ea, quae illos spectant, missas menstruas aut annuarias et quascumque eleemosynas sibi vel ecclesiis assignatas. Religiosi maioris excommunicationis poenam incurrant; cleri cis vero secularibus spiritualis aut corporalis etiam eis imponatur ad arbitrium poena.

18. Nullus ab ordinario non approbatus confessarius nec examinatus a quocumque licentiam et privilegium habente sibi confessarium eligendi possit umquam eligi et assumi in confessarium [2]. Nec ad confessiones exponere possint ullum excipiendas superiores ordinum absque praevio ordinariorum examine.

19. Non dispensetur cum iis, qui notabili deformitate laborant, ut ad ordines sacros promoveantur.

IV. De pensionibus.

1. Nulla sine gravissima causa concedatur alicui pensio cum clausula transferendi eam alteri; nec etiam admitti possit et concedi super beneficiis, quae summam triginta millium regalium Lusitanicorum seu librarum ducentarum Gallicarum annui redditus non excedunt [3].

2. Nec concessa possit excedere tertiam partem fructuum seu reddituum annui beneficii ulla pensio, nec absque gravissimis, aequissimis urgentissimisque causis concedatur; quibus certe deficientibus minime sunt hisce gravandae pensionibus ecclesiae particulares. Nec dispensari liceat cum laicis, ut etiam ipsi pensionibus super beneficiis ullo modo gaudere valeant.

V. Circa religiosos.

1. Regularibus ad solemnes et indictas ab ordinario loci publicas supplicationes seu processiones accedere et adesse recusantibus, cuiuscumque tandem illi fuerint ordinis regularis, etiam mendicantium, poena imponatur et praescribatur; quam etiam incurrant iidem, ubi supplicationibus a S^{mo} vel a praelato de gravissimis et maioris momenti causis indictis et praescriptis interesse noluerint aut omiserint.

2. Facile non concedatur licentia regularibus susceptam regulam et professum ordinem dimittendi, ut ad laxiorem transeant religionem aut ad canonicos regulares, nisi ad eorum domos reformatas, ea scilicet conditione, ut ab earum praepositis et superioribus illi recipiantur et cum aliis vivant, nec extra domos illas vivere vel errare permittantur.

3. Non concedatur monialibus illa facultas et exemptio deserendi habitum ordinis sui vel mutandi illum vel etiam a monasterio recedendi. Quibus vero concessa fuerit aliquando, praecipiatur eis et iniungatur, ut intra certum temporis spatium ad sua redire teneantur monasteria, quae et illas pariter admittere redeuntes humaniterque et caritative recipere tenebuntur.

4. Prohibeatur omnibus provincialibus ministris, abbatibus et superioribus ordinum quorumcumque confessariisve monialium, ne, dum his illi funguntur muneribus et praesunt, pro receptione consanguinearum suarum dotibus necessariis non praeditarum in monasterio possint supplicare et intervenire; idemque praeceptum extendatur etiam ad abbatissas, quas omnes triennales esse, non perpetuas aut diuturniores expediret.

5. Districte subque gravioribus poenis inhibeatur claustralibus monialibus, ne possint illae novitias recipere, laicarumque operas apud se locare vel uti ministerio possint.

[1] Sess. VI de ref. c. 2, *Conc. Trid.* V 803. Vide supra p. 534 adn. 1.

[2] Quaestio erat discussa inter theologos, an confessarius electus ab illo, qui confessionale quod dicitur assecutus est, approbatus esse deberet ab ordinario necne. Plures huic posteriori opinioni adhaerebant. *N. Paulus*, Geschichte des Ablasses III 327 sq. Vide postea sess. XXIII de ref. c. 15.

[3] Iuxta tabulam de monetarum valore, editam Brixiae 1563, tres librae monetae in Francia faciunt duos ducatos de camera; 200 librae Gallicae aequantur ergo 133,3 duc. de camera.

VI. De matrimonio.

1. Nec quartus nec tertius etiam affinitatis consanguinitatisque gradus contrahendo nihil obstent in posterum legitimo matrimonio.

2. Nulla etiam eidem obstet cognatio spiritualis, quam quae levatum inter et levantem oritur.

3. Publicae vero honestatis impedimentum vulgo dictum omnino revocandum ab aliquibus censetur.

4. Ut autem innumeris, quae matrimoniorum clandestinorum occasione frequentissime sobolescunt et oriuntur, scandalis et corruptelis obviam eatur, statuatur, adolescentium et puellarum et personarum, quae sub cura patris aut matris aut cuiusvis alterius earum educationi praepositae personae subsunt, occulte clamque datum, aut absque patris aut matris sive curam earum agentis personae consensu sponte datum, clamque sic et occulte praestitum earum matrimonio consensum omnem esse foreque nullum et invalidum huiusmodi matrimonium, dum tamen aetatis annum nondum excesserit filia vicesimum quintum; quam si illam superasse constet aetatem, ratum habeatur eo casu matrimonium, tum aetatis ratione, quae tunc omnino consilii capax et idonea, tum in poenam ipsorum, qui puellae nondum providere curaverunt distuleruntque parentum tutorumque negligentiae.

5. Prohibeatur etiam, ne prorsus ulla devolvatur ad curiam apostolicam matrimonialis causa per appellationem [1], qua misellae vexantur persaepe pauperesque feminae virissuis hic orbatae, quod nec illis ob egestatem a vexatione se redimendi remedium sit, nullumque mittere vel constituere conducereve pretio possint illic procuratorem, nec eo possint illae decenter et honeste proficisci seque personaliter sistere. Quo circa causas omnes huiusmodi committendas in partibus et definiendas esse statuatur.

VII. De iudiciis ecclesiasticis.

1. Ecclesiasticae quaecumque tandem lites et causae semper ipsis in partibus agitentur et iudicentur in prima instantia; ubi vero causa instructa sit et iudicata fuerit, ab ea lice[a]t appellare et Romae in curia prosequi, vel in partibus agitanda prosequendaque committatur, si modo reus aut actor aliquod habeat personale privilegium, aut officii ratione, nisi is episcopus extiterit, nullum agnoscens in regno sibi superiorem, aut lis agaturde praelatura.

2. Nec sit in potestate iudicis, ad quem cognoscere de causa [a] gravaminis, appellationis aut interlocutoriae, litis decisionem ipsam sibi avocare, iudicique a quo subducere nequeat, donec ille iudex a quo diffinitivam super ea tulerit sententiam; ubi vero parti suspectus fuerit ipse iudex a quo, ipsa suspicionis intenta causa separatim agitetur et terminetur a iudice ad quem.

3. Appellationes vero praedictae gradatim factae dumtaxat admitti possint, nec omisso medio.

4. Provideat S[tas] Sua sibi per regna et provincias orbis christiani universas viros aliquot idoneos et sibi gratos eligi et constitui, quos super causis apostolicis cognoscendis ipsa proponat et committat, qui et ex variis diversisque regni cuiusque dioecesibus eligantur, et sic a fidis sibi viris apostolica sedes informationem hanc accipiat.

5. Horum autem sic delectorum a S[mo] virorum ubi deesse contigerit aut alias impediri, legitime ne huic imposito sibi vacare queat muneri, ipsimet aut iidem ipsi, a quibus apostolica sedes informari debet, illud ei opportune significare satagant, aliumque loco ipsorum, qui sufficiatur et inserviat, S[mo] suggerere et proponere.

6. Executoriales omnes litterae in causis apostolicis obtentae vel emanatae delegatis delectisque viris et iudicibus omnino committantur.

7. Iidem ab apostolica sede delegati delectique iudices vel ordinario, si modo conservatores ordinum fuerint ecclesiarumve Romano pontifici immediate subiectarum collegiatarum [2], vel ubi conservatorum quis in conservatoriis litteris nominatus et constitutus non possit cognoscere de causa, qui conservator assumptus est, eam alteri iudici demandare possit in conservatoriis eius litteris denominato.

[a] *Edd. add.* licent.

[1] Idem postularunt Lusitani Romae, *Corpo dipl. Portuguez* IX 473.

[2] Secundum c. 1 *Statuimus* de off. et pot. iud. deleg. I 14 in Sexto officium conservatorum est, ut *a manifestis iniuriis et violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos. Nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.* Cetera iuris praescripta de conservatoribus collecta sunt a *Ferraris*, Prompta bibliotheca II 1264 sqq., inter quae eminet Trid. sess. XIV de ref. c. 5.

VIII. Caput ultimum de concilio.

1. Quae superiori nuper agitata sancitaque fuere concilio, confirmentur, et ea, quae hoc etiam statuta fuerint, observentur, et quae iure ipso sancita sunt, firma permaneant; statuatur, ut annis quibusque viginti saltem generale concilium in ecclesia celebretur, nisi aliter summo pontifici visum fuerit.

2. Deligantur hoc in sacro concilio viri scientia et probitate conspicui, qui constitutiones omnes humanas sive canonicas sive regulares ordinum peccati capitalis reatum inducentes et obnoxias excutiant diligenter et exponant, videantque, num ab eiusmodi reatu poenaque quaedam earum eximenda, temporalique potius poena servanda et retinenda, quidve circa haec omnia statuendum fuerit et observandum, aperte declarent.

3. De Romani correctione calendarii, quo meliori convenientiorique facienda sit modo, decernatur [1].

4. Iam vero, cum veram optatamque sortita fuerit ecclesia catholica reformationem et veritatem, de opportunis, quibus illa se ab hostium impiorumque tuetur iniuriis et conatibus, efficaciter et cum effectu deliberetur et decernatur, maxime vero, qua tandem via Turcam, illum adversarium eius atrocissimum et indefessum, atterere profligareque potuerit, et quid ad hocce consilii visum fuerit opportunum et necesse, statuatur.

5. Demum, ut innumeris obviam eatur et petitionibus et scandalis, statuatur nullam iniri posse veram et legitimam a quocumque beneficii possessionem vigore cuiuscumque brevis apostolici vel provisionis, nisi prius exhibitum fuerit et approbatum illud ab ordinario; alias vero nullam esse possessionem et irritam. Nonnumquam enim falsis mentitisque titulis suppositisque membranis et adulteratis aliqui possessionem ineunt et usurpant, decernaturque ipsis etiam ordinariis poena, qui in ea neglexerint inquirere.

84.

Petitiones, quas Venerabilis servus Dei Bartholomaeus a Martyribus in concilio facere intendebat [2].

[1561].

Ed. *Bartholomaei a Martyribus* Opera omnia II (Romae 1735) 377-391; inde eas desumpsit *Le Plat* IV 755-772.

I. Circa papam. II. Circa cardinales. III. De legatis et nuntiis apostolicis. IV. De episcopis. V. Quoad cathedrales ecclesias. VI. De reformatione beneficiorum et beneficiatorum. VII. Quoad sacerdotes et sacramenta. VIII. Circa religiosos et religiosas. IX. Quoad curiam et litteras apostolicas. X. Circa cancellariam et cameram. XI. Circa officium abbreviatorum. XII. Circa officium sollicitatorum litterarum apostolicarum. XIII. Circa annatas. XIV. De secretariorum officio. XV. Quoad poenitentiariam. XVI. Circa rotam et lites.

Haec sunt, quae in concilio Tridentino zelanda et postulanda visa sunt, quando ego frater Bartholomaeus archiepiscopus et primas Bracharensis fui in eo praesens anno Domini 1561:

I. Circa papam.

1. Eligatur probatissimus, et solum ex coetu cardinalium.

2. Mittat summus pontifex viros probatissimos ad visitandum episcopos, vel committat hanc visitationem alicui insigni praelato cuiusque regni, qui acta visitationis mittat ad papam et in eos animadvertat.

[1] Cfr. *F. Kaltenbrunner*, Die Vorgeschichte der Gregorianischen Kalenderreform: Sitzungsberichte der Wiener Akademie phil-hist. Kl. 82 (1876) 289-414, imprimis 410.

[2] Petitiones supra impressas auctor composuisse videtur Tridenti, ubi iam 18. Maii 1561 advenerat, exspectaturus concilii aperitionem, cfr. *Conc. Trid.* III 1, 9 et « Itinerarium Ven. servi Dei B. de Mart., qui profectus est ad concilium Tridentinum », Opp. II 439-456. Sed valde dubitandum est, ultimas quoque de curia Romana petitiones eius esse, quoniam scripta sunt a peritissimo praxis officiorum; talis archiepiscopus Bracharensis non fuit, qui nunquam Romae diu versatus est.

Auctor, fr. Bartholomaeus de Martyribus ord. Pr., archiepiscopus Bracharensis 1559-1581, natus a. 1574 in vico de Verdelle prope Ulissiponam, anno 1527 ordinem Praedicatorum ingressus a. 1551 in comitiis generalibus Salmanticensibus a magistro generali Francisco Romeo laurea insignitus est. Quae in longo suo pontificatu gesserit insignis iste vir et sanctus, eiusque scripta post *Quétif-Echard* II 296 sqq. fusius enarravit Malachias d'Inguimbert in vita, quam editioni operum (duobus voluminibus Romae 1734-35) praemisit; cfr. etiam *F. de Almeida*, Historia da Igreja em Portugal III 2 (Coimbra 1917) 743 sqq. et saepius. Mortuus est 16. Iulii 1590.

Quoad scripta eius conciliaria advertendum est, ea a Iacobo Quétif *ex eiusdem codice* esse desumpta et ex parte latinitate donata (l. c. 298); erant ergo et petitiones lusitanice scripta. Quo codex ille venerit, nullibi invenire potuimus.

II. Circa cardinales.

1. Non eligantur nisi excellentes vita et doctrina, non minores annis triginta; sint diversarum nationum; sint uno numero; non eligantur invitis principibus suarum nationum.

2. Alantur ex reditibus ecclesiae aequis portionibus; non habeant ecclesias curatas; non intersint, quoad fieri poterit, consistorio, nisi sacris initiati sint.

3. De numero cardinalium eligantur aliqui maxime idonei, qui simul cum papa ecclesiam gubernent. Reformentur in apparatu, pompa, familia, cultu exteriore; quando exeunt domo, non incedant personati; non sint venatores.

III. De legatis et nuntiis apostolicis.

1. Non mittantur quasi ad partes Indicas ad congregandum pecunias, muniti facultatibus ad dispensandum in gradibus prohibitis, in promovendis ad ordines, ad obtinendum beneficia incompatibilia sive curata ante aetatem, ad relaxandum exsilia et alias poenas ab ordinariis impositas criminosis.

2. Causas etiam ab ordinariis et metropolitanis consilio probatissimorum decisas ipsi leviter uno tantum assessore faciliter iudicant, dum per appellationem ad eos devolvuntur; promovent ad beneficia et sacros ordines clericos, quos non noverunt; notarios apostolicos ineptissimos creant.

3. Renovetur poena inflicta episcopis concubinariis, ut in conciliis Carthaginensi[1], Agatensi[2] et Lateranensi ultimo[3].

4. Aequum esset, ut in regno Portugalliae, remotissimo a Roma, crearetur unus legatus natus[4], sicut in Anglia, Pannonia, Gallia, in una metropolitana ecclesia a rege nominanda, et praesertim propter expeditiones in Arabiam et Indiam. Qui legatus haberet potestatem, ut per se vel suos vicarios absolveret a casibus reservatis papae et dispensaret in gradibus.

IV. De episcopis.

1. In electione episcoporum non servantur iura et decreta concilii Lateranensis[5] et Tridentini[6], quod non confirmetur electus nisi probatae vitae et scientiae et maior triginta annorum. Statuendum ergo videtur, quod nullus electus confirmaretur, nisi fuerit attestatio in partibus per tres episcopos, per patentes litteras eorum sigillo munitas, quibus constaret papae, electum habere dictas conditiones; nec possit dispensari in scientia nisi forte in consanguineis regum; quod nullus possit habere duas ecclesias cathedrales.

2. Oporteret dare modum, quo efficaciter punirentur episcopi non residentes ac etiam minores pastores, et declarare, quae sint impedimenta legitima excusantia a residendo, quoniam innumerabilia quotidie confinguntur.

3. Quod iussu papae visitentur episcopi saltem de triennio in triennium, praesertim quoniam iam non visitantur a metropolitanis, neque ipsi metropolitani visitantur. Explorent etiam, quales sint officiales episcoporum et saltem dignitates ecclesiarum cathedralium.

4. Quod episcopi titulares non creentur nisi ex urgentissima causa, qui et habeant dotes ceterorum, quoniam contingere potest, ut aliqui quaerant hos titulos solum, ut fugiant vitam monasticam et [ut] eximantur a iurisdictione suorum praelatorum.

5. Compellantur episcopi ad personaliter visitandum, ad confirmandum, ordinandum statutis temporibus non nisi idoneos; ac per loca praedicatores constituant et qui doctrinam christianam doceant pueros, neque alienent bona immobilia suarum ecclesiarum sub aliqua poena ipso facto. Et ad hoc renovetur Pauli II constitutio[7], quae incipit: *Ambitiosae cupiditati illorum. Dat. Romae apud S. Marcum Kal. Martii 1467 pont. sui anno IV*. Insuper suo sumptu, si possint, praeceptores instituant, qui grammaticam doceant.

[1] Concilium quod dicitur Carth. IV can. 46 clericorum in genere cum mulieribus cohabitationem prohibuit; de episcopis in specie nihil. *Hefele* II 73.

[2] Similiter concilium Agathense anno 506 celebratum can. 10 et 11. *Hefele* II 651 sq.

[3] Concilium Lateranense V in saepius nominata constitutione *Supernae dispositionis arbitrio* contra clericorum concubinatum animadvertit (*Mansi* XXXII 882; *Hefele-Hergenröther* VIII 609), licet in memoriali ab anonymo Hispano Iulio II transmissa episcopi expresse sint nominati: *Döllinger*, Beiträge III 205.

[4] Quam dignitatem cardinalis Lusitanus Henricus ambibat; de quo *Almeida* III 2, 689 sqq.; *Pastor* VII 546 adn. 4.

[5] Conc. Lateranense III can. 3; c. 7 *Quum in cunctis* X de elect. I 6 (*Friedberg* II 51 sq.). Etiam Conc. Lateranense V in supra nominata constitutione *Supernae dispositionis arbitrio* (*Mansi* XXXII 875; *Hefele-Hergenröther* VIII 603) de qualitatibus episcoporum egit.

[6] Sess. VII de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 997.

[7] *Bull. Romanum* V 194 sq.

Mandent executioni statutum in concilio Lateranensi[1], nimirum ut praeceptores et ludimagistri moribus etiam puerorum christiane componendis invigilent et incumbant.

6. Gravissima decernatur adversus episcopos ad ordines vel beneficia non praeditos qualitatibus debitis promoventes poena.

7. Non relaxent exsilia interveniente pecunia, nec applicent camerae suae poenas et mulctas pecuniarias.

8. Sua quisque in dioecesi, prout de iure possunt, ipsimet episcopi inquisitionem exerceant.

9. Non concedant facultatem in profanis domibus sacramenta ministrandi.

10. Non promoveant ad quattuor [ordines] minores nisi promovendos ad sacros.

11. Concilia provincialia aut synodalia celebrent annis tribus singulis.

12. Universitatibus approbatis dentur aliqui menses, ut possint promoveri ad beneficia doctores per oppositionem, et in reliquis mensibus provideant ordinarii, data in aliquibus mensibus aliqua media annata summo pontifici pro suis necessitatibus.

13. Quod episcopi non teneantur visitare singulis annis limina apostolorum.

14. Quod in foro conscientiae possint episcopi a casibus reservatis papae, exceptis poenis gravissimis, absolvere et dispensare in irregularitatibus et aliquibus gradibus prohibitis ad matrimonium, et quod possint absolvere semel in vita et in mortis articulo, ut papae placuerit, sicut conceditur religiosis.

15. Quod episcopi ponant in suis capitulis officiales, scilicet censorem et speculatorem.

16. Ordinent, quod, cum appellatur ab episcopo ad metropolim vel a metropoli ad papam, quando is, ad quem appellatur, inhibet inferiores iudices, priusquam inhibeat, examinet, an is, qui appellavit, ex iusta causa appellaverit, diligenterque inspiciat acta, quoniam haec non servant[ur]. Et praesertim causae, in quibus non est actor nisi ipse promotor iustitiae, desertae pereunt cum summo detrimento iustitiae. Et ideo statuatur cum poena, quod, cum constiterit appellantes non iuste appellasse, causa iterum devolvatur ad iudicem a quo, ut iuris est.

17. Revocentur omnes exemptiones capitulorum a suis ordinariis[2] et ordinariorum a metropolitanis.

18. Statuant, quod quicumque clericus, sive in curia sive extra suam dioecesim promotus fuerit ad ordines, sive beneficium curatum habuerit, priusquam pervenerit ad suam dioecesim, examinetur ab ordinario. Quem si minus idoneum reperit, suspendatur ab executione ordinum et curatione beneficii, donec idoneus exsistat, assignata congrua portione illi, qui interim beneficium curaverit.

19. Statuant, quod, cum praelaturae vacaverint per cessionem et decessum, declarent fructus pro rata distribuendos esse pro tempore, quo quis praelatus habuit, ad terminandas lites.

20. Statuant, quod, cum abbates vel ecclesiarum rectores personaliter non resident, liberum sit episcopis ponere capellanos, assignata portione congrua, quantum sibi videbitur, quando per abbates eliguntur ineptiores, et nolunt eligere, quos episcopi aiunt et sciunt idoneos ad hoc scientia et moribus, possintque episcopi eos permutare vel removere ad nutum vel etiam possint compellere abbatem.

21. Quod episcopi possint visitare quosvis monachos et moniales degentes extra monasteria.

22. Quod monachi claustrales et reformati examinentur ab ordinariis, quando sunt promovendi ad ordines vel ad praedicandum vel ad audiendum confessiones.

23. Cum poena statuant, quod ordinarii non permittant imprimi librum absque praevio examine.

24. Ordinarii exigant ab omnibus morantibus in sua dioecesi, exceptis solis degentibus in monasteriis, cuiuscumque conditionis sint, ut[a] confiteantur et communicent in paroecia.

25. Quod causae in prima et secunda instantia semper agantur coram ordinario, quibus suspecti[s] servent formam iuris communis. Vide concilium Lateranense IV cap. 48[3].

26. Quod ordinarii non multiplicent festa observanda in suis dioecesibus videlicet praeter ea, quae a iure sunt praescripta.

27. Quod limitentur causae, ob quas excommunicationis sententiam fulminent.

[a] *Edd.* an.

[1] *Mansi* XXXII 881; *Hefele-Hergenröther* VIII 608

[2] Postulatum typice hispanicum

[3] C. 61 *Quum speciali* X de appellat. II 28, *Friedberg* II 437 sq.

28. Quod ordinarii possint dispensare in irregularitatibus, saltem ut praelati religionis.

29. Quod ponant lectores pro casibus conscientiae, et quod non reservent multos casus; praecipue casus occulti non videntur reservandi.

30. Quod episcopi in criminibus ecclesiasticis vel mixtis procedant per capturam et usque ad poenas corporales, excepta poena sanguinis, quorum crimina alias non emendantur; nam procedere censuris parum prodest, et poena pecuniaria est infamis et contemnitur a divitibus.

31. Praecipiatur episcopis moderari taxas suarum cancellariarum.

32. Quod episcopi possint ponere aliquas moderatas pensiones ad sustentandum officiales suos, scilicet revisores, promotores, auditores.

33. Quod omnium beneficiorum saecularium et regularium separetur decima pars pro sustentatione scholarium clericorum in universitatibus, ut ecclesia habeat viros doctos.

V. Quoad cathedrales ecclesias.

1. Quando ex diuturna vacantia ecclesiarum gravia sequuntur detrimenta, limitetur terminus praesentantibus, infra quem teneantur sub poena statuta praesentare.

2. Nullus promoveatur ad dignitatem vel canonicatum nisi grammaticus, moribus probatus, aetate matura ad ministrandum in ecclesia, qui teneatur intra annum ad sacros ordines promoveri; aliter vacet beneficium.

3. Quod in singulis cathedralibus ecclesiis tertia pars praebendarum, id est, ubi triginta fuerint, decem, conferantur theologis vel in iure canonico peritis, vel saltem duae praebendae: una pro theologo, una pro canonista.

4. Quod non fiant comoediae in ecclesia, neque repraesentetur histrionice passio Domini nostri Iesu Christi, sub magnis poenis.

5. Quod pater et filius non obtineant beneficia sub eodem tecto.

6. Quod nullus habeat duas dignitates vel praebendas, etiam in diversis ecclesiis.

7. Quod non fiant deambulationes in templis, iuxta illud [1]: Christus non sinebat vasa deferri per templum.

VI. De reformatione beneficiorum et beneficiatorum.

1. Quod promovendus ad beneficium, si est in curia, prius examinetur in aetate, scientia, moribus; si absens, non nisi per instrumentum approbatus ab ordinario suo, quod habeat aetatem et debitam qualitatem, promoveatur; et idem faciant ordinarii et nuntii apostolici.

2. Quod nullum beneficium sit exemptum a visitatione ordinarii.

3. Quod rectores non residentes perdant certam partem fructuum transacto certo termino suae absentiae, et si per tempus longius perseverent, perdant aliam maiorem; postea vero, si non corrigantur, suspendantur et priventur.

4. Quod dispensati ad duo beneficia retinenda resideant in utroque pro rata temporis; quando autem non resident ob causas legitimas, ponant vicarium probatum, cui detur congrua portio et domus, in qua habitet, cum passalibus ecclesiae, et portio assignetur non in pecunia assignata, sed in fructibus.

5. Tollantur omnes exceptiones personales; alioquin numquam ministrabitur iustitia.

6. Exceptio, quae habetur in iure cap. [28] *De multa* [X] De praebendis [III 5] [2] (nempe ut viri nobiles et literati possint habere multa beneficia), limitetur ad duo dumtaxat beneficia, in quibus et pro ratione temporis resideant, et qui iam plura obtinent, hoc est plus quam duo, cogantur dimittere omnia exceptis duobus, in quibus pro rata temporis resideant, ut iam est provisum in concilio Lateranensi ultimo [3].

7. Statuatur quod, cum ordinarius visitando invenit beneficiatum minus idoneum, possit mox substituere alium ad curam beneficii, assignata illi congrua portione.

8. Prohibeatur unio beneficiorum, nisi quando unum est parvum et est prope aliud, et numquam uniatur beneficium capellis maioratuum aut hospitalibus et aliis locis; neque uniatur monasteriis, nisi adsit urgentissima causa et cedat in bonum animarum ecclesiae uniendae.

9. Quod nullum beneficium sit reservatum, nisi vacaverit in curia.

10. Quod non dentur exspectativae.

[1] Cfr. *Marc.* 11, 16.

[2] *Friedberg* II 477 sq.

[3] *Mansi* XXXII 877; *Hefele-Hergenröther* VIII 605.

11. Quod non dispensetur in residentia nisi in casibus a iure permissis.

12. Circa illud quod fit in Valentia[1] sub eodem tecto unum simplex et unum curatum: quod exstinguatur simplex, et obligetur ad aliquod ministerium.

13. De congrua portione capellanorum, quando rector non residet, et quod parva beneficia non possint dari neque obtineri nisi residentibus.

14. Non dispensetur in regula Clementis VII[2], quod filii clericorum numquam ullo tempore possint succedere patribus in beneficiis, etiam per intermediam personam.

15. Canonicis ecclesiarum cathedralium numquam ad sua beneficia curata provideatur.

VII. Quoad sacerdotes et sacramenta.

1. Non dispensetur, quod minor 25 annis ad sacerdotium promoveatur vel nesciens grammaticam, et constet ordinario vitae illius probitas per instrumentum seu vitae factam inquisitionem.

2. Sacerdotes aliquando compellendi ad celebrandum et ad singulis mensibus confitendum.

3. Quod omnes clerici radant barbas et utantur vestibus talaribus.

4. Renoventur concilia et iura contra concubinarios.

5. Quod sacerdotes non serviant alienis in rebus minus decentibus.

6. Quod nullus sacerdos celebrare possit, nisi portet litteras commendatitias habitumque decentem et testimonium aetatis.

7. Quod confessores nihil accipiant a poenitentibus.

8. Quod non nisi in ecclesia sacramenta ministrentur, excepta unctione extrema et casibus limitatis in concilio Viennensi a Clemente V[3], et quod ministraturus sacramentum prius doceat effectum eius, et semper concurrat pronuntiatio formae cum applicatione materiae.

9. Quod non contrahatur cognatio spiritualis per baptismum et confirmationem nisi inter ministrantem et recipientem ob multa inconvenientia.

10. Adulti non baptizentur nisi catechizati, nisi in casu necessitatis.

11. Sit liber, in quo scribantur baptizati et contrahentes matrimonium cum nominibus testium.

12. Circa confessorum aetatem et peritiam aliquid statuendum, quod compellantur habere summas casuum conscientiae.

13. Quod confessarius sollicitans ad turpitudinem filiam spiritualem ipso facto maneat suspensus et excommunicatus, et sic de revelante confessionem.

14. Quod confessarii et confectores testamentorum non possint aliquid applicare sibi vel suae ecclesiae vel monasterio, sub poena.

15. Quando datur privilegium de eligendo confessario idoneo, declaretur, quod idoneus non est, nisi qui a suo ordinario pro idoneo approbatus est[4].

16. Interdicatur, quod publicis concubinariis et usurariis non detur communio, etsi confiteantur, nisi constiterit publice de emendatione.

17. Exhortandi christiani ad confessionem frequentem, et caput *Omnis utriusque sexus*[5] declaretur, ut possit dari communio per totam quadragesimam.

18. Quod omnes peregrini, viatores, pauperes, commendatores reddant rationem ordinario, si confiteantur et communicent.

19. Poenitentiarii Urbis et confessarii Compostellani examinentur.

20. Quoniam aliquando nolentes confiteri confingunt apographa falsa confessariorum testantium se audivisse eos, oporteret ordinarium vel officialem suum habere apud se nomina et signa manualia confessariorum approbatorum, ut falsitas pateret.

21. Quoniam curati aliquando timent viva voce declarare [eos], qui sunt excommunicati et quinam non sunt confessi aut non communicaverunt in parochia, statuant, ut in valvis ecclesiarum fixentur eorum nomina, et hoc sufficiat, ut vitentur.

22. Saepe admittuntur ad sacramentum eucharistiae saeculares, qui ex negligentia nesciunt rudimenta doctrinae christianae, adeoque his ponatur modus.

23. Calices sint dumtaxat aurei vel argentei.

24. Non servetur eucharistia nisi in loco decenti et ab ordinario approbato.

[1] Quoad archiepiscopatum Valentinum vide infra n. 85.

[2] Constitutio *Ad canonum conditorem*, edita 3. Iunii 1530, *Bull. Romanum* VI 143 sq.

[3] C. *Praesenti* Clem. de bapt. III 15, *Friedberg* II 1174.

[4] Vide supra p. 537 adn. 2.

[5] C. 12 X de poen. V 38, *Friedberg* II 887 sq.

25. Non celebretur missa in privatis domibus, et eorum privilegia concessa revocentur, nisi in casu necessitatis.

26. Populus sit genibus flexis ante eucharistiam usque ad communionem.

27. In festo Corporis Christi prohibeantur ludi varii [1].

28. Quod confraternitas sanctissimi sacramenti [2] praecipue in parochiis, non in monasteriis statuatur, quoniam conducit ad finem intentum, scilicet ut cum cera, pallio et decenter deducatur ad infirmos, quod in monasteriis non habentibus curam animarum non fit; vel occasione huius confraternitatis conservatur aliquando eucharistia in locis desertis et periculosis et indecenter; committatur ergo hoc ordinario. Et quoniam in tertia dominica mensis concurrunt multae parochiae ad unam, ubi est sacramentum, saepe parochiani non audiunt missas, quorum non est qui exigat.

29. Sacerdotes celebrent iuxta missale Romanum, nihil addentes vel minuentes, et quae alta voce et intelligibili et quae secrete dicenda sunt, [ita] dicant.

30. Interdicendae missae, quae vulgo dicuntur S. Amatoris [3], ob caerimonias superfluas, et ne sacerdotes exeant extra limites ecclesiarum, vel non tali certoque candelarum celebrent numero.

31. Similiter ne sacerdotes dicant missam *de Requiem* in festis sollemnibus; ne celebrent super mensas, ubi comeditur.

32. Tollenda essent impedimenta, quae oriuntur ex copula fornicaria occulta cum consanguineis coniugis ante contractum matrimonium, excepto primo gradu.

33. Tollantur etiam impedimenta cognationis spiritualis, nisi inter ipsummet baptizantem seu confirmantem et baptizatum vel confirmatum.

34. Tollantur etiam impedimenta, quae dicuntur cognationis legalis et iustitiae publicae honestatis, et minuantur impedimenta consanguinitatis et affinitatis.

35. Item evitentur matrimonia clandestina, quae sine testibus sufficientibus fiunt, et ubi dispensandi necessitas urget, gratis concedatur et fixe.

36. Matrimonium contracturi prius confiteri teneantur et communicare, quique clam contraxere, nisi prius confessi non absolvantur.

VIII. Circa religiosos et religiosas.

1. Videant patres, an expediat religiosos diutius ac maturius probari ante professionem.

2. Circa moniales, quae frequentius compulsione parentum ingrediuntur religionem, providendum videtur.

3. Item, ut religiosus non possit renuntiare anno probationis.

4. In quolibet monialium monasterio certus sit statusque numerus earum, qui pro ratione redituum et quantitate sustentari possit, qui nec possit excedi.

5. Non recipiantur novitii in congregationibus vel monasteriis deformatis.

6. Cogitetur de modo reformandi monasteria consistorialia, sicut ea quae Minium inter et Durum sita sunt [4], et alia huiusmodi.

7. Non concedantur exemptiones aut facultas monachis, ut transferantur ad laxiores religiones, nisi ex causa gravissima, translatique maneant in monasteriis, in quae transferuntur. Et qui non transferuntur, sed qui eximuntur ab obligatione sui ordinis, deferant habitum distinctivum ab his, qui manent in observantia.

8. Nulla valeat abbatis electio, nisi sit eiusdem et ipse professus ordinis.

9. Statuatur, quod ordinarii sint examinatores litterarum et privilegiorum monachorum et monialium exemptorum.

10. Religiosi non reformati non praedicent neque confessiones audiant, nisi ab ordinariis examinati.

11. Possint ordinarii compellere quoscumque religiosos ad comitandum processiones publicas, etiam fratres S. Eligii [5].

[1] Pro quibus abolendis introducti sunt *Autos sacramentales*. Cfr. *L. Pfandl*, Spanische Kultur u. Sitte (Kempten 1925) 91 sqq.

[2] Fundata erat a Paulo III apud ecclesiam S. Mariae supra Minervam in Urbe die 30. Nov. 1539, *Bull. Romanum* VI 275; *P. Tacchi Venturi*, Storia della Compagnia di Gesù in Italia I 1, 222 sqq.

[3] S. Amator, presbyter Cordubensis, anno 855 a Mauris necatus est. Lexikon für Theologie u. Kirche I 340.

[4] Scilicet in archiepiscopatu Bracharensi; quae enumerata invenis apud *Döllinger*, Beiträge II 41.

[5] Canonici regulares S. Eligii cum militibus S. Iacobi de Spata confoederati erant, quibus ut capellani serviebant. *Heimbucher*, Die Orden u. Kongregationen I 422 sq.

12. In sessione nona concilii Lateranensis ultimi[1] statutum fuit, ut abbates et commendatarii monasteriorum tertiam partem redituum, si communis sit mensa, si vero distincta a conventuali, quartam in fabricam et pauperum eleemosynas deberent convertere. Quod cum non servetur, statuatur, quod annis singulis ordinario reddatur illius quartae ratio.

13. Statuatur, quod in religionibus amplissima sit ad tepidos expellendum foras novitios facultas atque ad recipiendum ad professionem difficultas nisi post longam probationem.

14. Quod abbatissae sint moniales.

IX. Quoad curiam et litteras apostolicas et officiales curiae.

1. Omnes ecclesiae Urbis reparentur et singulis annis visitentur in temporalibus et spiritualibus.

2. Constituantur in Urbe viri zelum Dei habentes, qui sint examinatores promovendorum ad ordines et beneficia.

3. Incedant in Urbe monachi ac clerici habitu decenti et tonsura et instituantur visitatores clericorum.

4. Iudaei vel expellantur e terris christianorum vel ab eis separatim habitent et signum deferant exterius, iuxta concilium Lateranense[2].

5. Fervens instituatur inquisitio in Italia contra Lutheranos, contra dubitantes de animae immortalitate[3] et contra sortilegos et divinatores.

6. Purgentur et emundentur Bibliorum translationes ad antiquorum doctas atque probatas.

7. Dissolutiones inhonestae non tolerentur in Urbe Roma.

8. Aequum esset, ut omnes litterae apostolicae seu iustitiam seu gratiam concernentes ac dispensationes omnino gratis darentur, praeter expensas illorum, qui tales scribunt litteras, ut olim fiebat, et officialibus dentur proventus ex proventibus camerae apostolicae.

9. Item non vendantur officia.

10. Circa moderationem indulgentiarum plura statuenda, et circa revocationem concessarum, velut earum, quae quaestuariis concessae fuerunt. Revocenturque confessionalia, quibus committuntur multa intolerabilia in praeiudicium ordinariorum et disciplinae ecclesiasticae.

11. Circa beneficia multa videntur emendanda et rescindenda, videlicet ut non ultra litterae regressus et accessus expediantur, et coadiutoriae nisi in casu a iure permisso, et tunc coadiutori deputetur certa pars fructuum, ut se sustentet, non tamen sit futurus successor; ille vero, cui sic datur coadiutor, in nullo se intromittat.

12. Tollantur reservationes in pectore vel alias tam generales quam speciales, et creationes in canonicum.

13. Tollantur et exspectativae gratiae, per quas tot lites oriuntur. Vide concilium Lateranense sess. XI[4].

14. Non concedantur incompatibilia plura nisi eodem modo, quo in hoc concilio limitata sunt[5], nisi sint intra dietam, et dentur personae, quae utilior una eis fuerit quam duo.

15. Tollantur pensiones nisi ad tertiam partem, ne sit causa discordiae inter litigantes.

16. Tollatur omnino redemptio pensionum.

17. Tollantur abominandae permutationes hae, quando pater unius dat beneficium filio alterius, ut alter quoque det beneficium filio suo.

18. Neque[a] dispensetur in prohibitione Clementis VII[6], quod in beneficium patris filius non succedat patri.

19. Tollantur protonotarii, comites palatini, acolythi, capellani et id genus exempti, neque debent creari, quoniam nihil prosunt hae exemptiones nisi ad criminum impunitatem et insolentiam, tollanturque privatis concessae personis exemptiones omnes.

[a] *M numerum 18 falso post nomen Clementis VII ponit.*

[1] *Mansi* XXXII 876; *Hefele-Hergenröther* VIII 603 sq.

[2] Can. 67 et 68, *Mansi* XXII 1054 sq.; de expulsione Iudaeorum ex regno Lusitaniae cfr. *Almeida* l. c. 104 sqq.

[3] Videlicet Petrum Pomponatium eiusque sequaces, contra quos concilium Lateranense V sess. VIII constitutionem ediderat. *Hefele-Hergenröther* VIII 585 sqq.

[4] In sess. XI concilii Lateranensis V nihil de exspectativis.

[5] Scil. in Conc. Trid. sess. VII de ref. c. 2, 4 et 5, *Conc. Trid.* V 997 sq.

[6] Vide supra p. 543 adn. 2.

20. Tollantur dispensationes de non residendo aut de percipiendo fructus in absentia nisi in casibus a iure concessis.

21. Moderentur exemptiones, quas Clemens VII concessit militibus de Malta[1] in magnum praeiudicium ordinariorum, et quarum occasione gignuntur scandala.

22. Non concedantur licentiae suscipiendi gradus in theologia vel iure nisi praevio examine in universitatibus generalibus et approbatis.

23. Non concedatur, quod clericus tribuat alicui partes decimarum nisi pro urgentissima et manifestissima causa et bono publico, praevio examine per ordinarium.

24. Non dispensetur cum simoniaco ad obtinendum beneficium simoniace obtentum.

25. Non concedantur licentiae ad suscipiendum sacramentum eucharistiae extra matricem ecclesiam in pascha, aut ut celebretur domi baptismus aut matrimonium.

26. Intolerabile est, quod uniantur beneficia curata capellis quibuscumque ac quibusdam hospitalibus conerectis.

27. Non uniantur beneficia mensis praelatorum aut capitulorum aut monasteriorum, et quoad illa, quae iam sunt unita, statuantur congruae pensiones pro rectoribus perpetuis.

28. Non concedantur licentiae praelatis ad testandum de reditibus ecclesiae nisi ad pias causas et debita solvenda.

29. Ultimae voluntates testatorum non mutentur, quando constant.

30. Expeditiones litterarum in his, quae spectant salutem animarum et cultum divinum, gratis fiant.

31. Multi sunt inutiles et non necessarii officiales in Romana curia scriptorum apostolicorum. Nomen indicat, quid agere debeant, nempe litteras apostolicas scribere, et nihil inde exigere nisi taxam, quae propter scripturam debetur. Nunc ex centum scriptoribus decem plus minus scribunt; ad quid residuum illorum? Ante centum circiter aut paulo plus annorum unica erat bullarum taxa; postea crevit in duas, deinde in tres. Conveniens esset, ut omnes bullae expedirentur per cancellariam, et abbreviatores de maiori praesidentia[2] examinarent et iudicarent illas, an sint concedendae vel non; quid refert, an sic vel aliter expediatur, modo sit iusta concessio?

32. Non creentur notarii et tabelliones in partibus nec in curia, nisi prius per viros probos fuerint examinati; nec possint exercere officium in partibus, nisi prius ab ordinario fuerint examinati et probati in moribus, et quod sciant linguam latinam et sint idonei; oporteret etiam eorum esse limitatum numerum in qualibet dioecesi, qui videretur ordinario necessarius.

33. Statuatur, ut non possit interdictum generale poni particularis intuitu et ratione personae, nisi sit dominus illius loci temporalis, vel ratione locorum vel communitatis, si ipsa est in culpa, et in hoc videatur sessio secunda concilii Lateranensis ultimi[3].

X. Circa cancellariam et cameram apostolicam.

Ultra vero haec, quae ad expeditiones attinent, quae reformanda sunt, alii quoque defectus sunt generales in cancellaria et camera apostolica, qui etiam reformandi videntur, aut saltem moderandi, qui quidem tales sunt:

1. Super officio scriptorum apostolicorum. Quorum institutio officii scriptorum fuit facta ad effectum, ut debeant scribere bullas, et ratione laboris eorum solebant recipere certam tantummodo taxam et quidem exiguam; nunc nedum de eorum labore satisfieri volunt, sed taxant bullas pro eorum libito, praesertim perpetuas; et, ut aliquam gratiam ab eis consequi non possint, statuerunt, ne de cetero possit fieri per eos gratia alicui nisi in plena eorum congregatione, quae de trimestri in trimestrem solet fieri; et sic partes coguntur recipere bullas taxatas ad libitum. Deberet ordinari et provideri, quod scriptura bullarum deberet deduci seu defalcari ex taxa, prout etiam ordinationes minorum deducuntur ex taxa abbreviatorum.

Item quod ipsi scriptores aliquam materiam perpetuam taxare non possint nisi adiuncto aliquo praelato vel persona gravi per vicecancellarium deputanda, quae cum eis illam taxare deberet.

[1] Nescio an cogitet Bartholomaeus de narratis apud *I. A. de Figueiredo*, Nova historia da Militar Ordem de Malta III (Lisboa 1800) 136 sqq. Cfr. etiam *Heimbucher*, Die Orden u. Kongregationen[3] I 616.

[2] De hac categoria officialium vide *W. v. Hofmann*, Geschichte der kurialen Behörden I 37 sqq.

[3] In sess. II concilii Lateranensis V nihil de interdicto.

XI. Circa officium abbreviatorum[1]

1. Videtur inhonesta paulini unius exactio ratione primae visionis, aut etiam duorum paulinorum pro distributione, qui solvuntur abbreviatoribus de minori, cum nihil faciant nec bullas, prout tenebantur antiquitus, revideant.

XII. Circa officium sollicitatorum litterarum apostolicarum.

1. Officium illud institutum fuit ad effectum, ut sollicitarent litteras apostolicas ad commodiorem earum expeditionem et pro sollicitatione reciperent taxam, quam recipiunt; et ne partes defraudarentur, apponerent in pede bullae summam totius expeditionis eorum nomine subscriptam, quod nunc non observatur. Deberet ordinari, saltem si ipsi bullas expedire noluerint, ne partes defraudari possint, quod nullus sollicitator vel procurator curiae Romanae possit parti tradere bullas expeditas, nisi facto prius in scriptis comperto expensarum et subscripto manu unius ex dictis sollicitatoribus, qui in cancellaria pro tempore deputabitur, et teneantur sollicitatores ipsi unum practicum de eorum gremio ad hoc in eadem cancellaria deputare.

2. Praesertim omnes expeditiones beneficiales per cancellariam expediri ad sublevandas partium expensas et brevitatem expeditionum antiquitus consueverant, et ita expediri debent. Nunc autem incuria sollicitatorum et partium ignorantia pro maiori parte expediuntur per cameram, ubi olim nisi tantum illae, quae iuridicae non videbantur, non expediebantur, quod in grave damnum praeiudiciumque partium vergit.

3. Providendum igitur videretur, ne de cetero aliqui consensus resignationum et aliarum rerum beneficialium per notarios camerae apostolicae reciperentur, sed apud notarium cancellariae ad huiusmodi effectum dumtaxat institutum praestari deberent, prout etiam ita solitum erat, et quod aliquae minutae per alios abbreviatores factae vel eorum manu subscriptae ad hoc, ut ipsi videre possint, si est expedienda per cameram vel per cancellariam, per scriptores apostolicos scribi non possent.

4. Quoad praeiudicium notariorum camerae apostolicae potest provideri, ut notarius cancellariae det eis quolibet mense certum quid, quod fieri poterit ex augmento illius redituum.

5. Posset etiam praemissis obviari, si prohiberetur, ne notarius cancellariae ratione consensuum extraordinarie sumptorum extraordinarie aliquid sumeret, videlicet unum ducatum, quoniam ratione huiusmodi ducati procuratores et sollicitatores mittunt omnes consensus ad cameram et non curant de laesione et damnis partium, quod exinde, videlicet tempore expeditionis litterarum, subsequitur, cum consensus praestiti per cameram non possint expediri per cancellariam, licet e converso.

6. Deinde summista ratione unius bullae, quae expeditur per cameram, solebat recipere iulios quatuor; a nonnullis annis vero citra solvi acquisivit, cum non expediuntur per cameram factam coram Sanctissimo, scutum unum, et modernus summista, videlicet Rev^{mus} cardinalis de Caesis[2], suis temporibus auxit scutum ad unum ducatum auri de camera. Et cum redimebantur supplicationes, solebat solvi eius substituto ratione illius redemptionis iulium unum, prout fit in cancellaria, cum bullae erant expeditae, nunc autem, antequam bullae expediantur aut redimatur supplicatio, mihi relatum est ipsos extorquere dictum iulium, aliter bullam expedire nolle. Deberent igitur huiusmodi abusus, qui noviter inducti sunt, penitus aboleri.

XIII. Circa annatas.

1. A quibusdam affirmatur, officiales annatarum in tantum devenisse contemptum mandatorum papae, ut non teneantur litteris, in quibus narratur intrusus et probatur intrusus per testes[a], recipere solummodo obligationem in eventum adeptae possessionis, nolle obligationes tales accipere, asserentes beneficia reservata; unde partes coguntur non adepta possessione beneficiorum solvere adeoque, antequam illam adipiscantur, litigare et saepissime iuribus per alios evinci, in grave ipsorum damnum et praeiudicium. Videtur[b] ordinandum, prout ita iam est, quod in quibuscumque provisionibus beneficiorum quomodolibet pro tempore vacantium, praeterquam per resignationem, quorum tunc essent fraudulenter,

[a] *M virgulam post verbum* intrusus *ponit* [b] *Edd.* Videlicet

[1] Cfr. *Conc. Trid.* IV 460 sq. 471 sqq.

[2] Cardinalis de Cesis nominatus est summator litt. apostolicarum anno 1543. *W. v. Hofmann*, Geschichte der kurialen Behörden II 105.

in quibus narratur intrusus et eius intrusio probatur, non solveretur nec posset exigi illico annata, sed obligatio in eventum adeptae possessionis reciperetur.

2. Deinde, cum annatae in cancellaria apostolica solvantur, et quietantia in banco militum S. Petri fiat, nec bullae possint plumbari seu registrari nisi soluta dicta annata, videtur durum post expeditionem dictarum bullarum veniri debere ad notarios camerae apostolicae, qui ratione cassationis solutionis medium ducatum et secundum diversitatem materiarum multo magis extorquent. Providendum et ordinandum igitur esset, ne bullae, soluta apud cancellariam annata et habita quietantia a notario camerae apostolicae, nomine clericorum, qui in banco eorundem militum resident, ad cameram mitterentur; ex huiusmodi enim missione nihil resultat nisi gravamen et dilationes partium.

3. Item quoad materias consistoriales deberet provideri, ne notarii ipsi aliquid pro eorum liberatione exigerent neve ad cameram mitterentur.

4. Item quoad servitia minuta, videlicet regalia palatii nuncupata et alias exactiones, deberet provideri.

5. Item omnes bullae perpetuae post expeditionem bullarum mittuntur ad notarios camerae pro iocalibus per clericos camerae apostolicae exigendis. Qui clerici non animadvertentes ultra duo iocalia pro qualibet materia perpetua recipere non posse, ad quodlibet particulare verbum cuiuslibet bullae respectum habentes ab una bulla multoties decem et quindecim iocalia a partibus petere non verentur, quod multo magis quam taxam bullae extendunt. Deberet igitur ordinari, ne clerici in huiusmodi exactione iocalium officium iudicis et partis agerent, sed iocalia ipsa vel per regentem cancellariae seu aliam personam in eis interesse non habentem taxari et moderari deberent.

XIV. De secretariorum officio.

1. Secretarii apostolici taxas bullarum per cameram expediendarum integraliter prout scriptores recipiunt, et nihil in expeditionibus agunt. Si huiusmodi taxa sit licite concessa vel non, videatur. Tamen deberet ordinari, quod ex eo, quod recipiunt supplicationes indulgentiarum et distributiones illarum ratione recipiunt, quod tenerentur ordinare et conficere minutas talium supplicationum, prout abbreviatores de minori faciunt in supplicationibus, quae eis distribuuntur.

2. Protonotariorum officia nihil agunt circa expeditiones nisi solummodo recipere eorum iura quoad ecclesias cathedrales et monasteria.

XV. Quoad poenitentiariam.

1. Sanctum esset reformare officium poenitentiariae et limitari ea, quae per illam concedenda sunt, et ordinari, ut talia observentur in toto christianismo. Hic aliqua assignabo, in quibus reformari debet poenitentiaria. In materiis et concessionibus per poenitentiariam expeditis apparet satis secundum consonantiam vocabuli abusus in eam introductos esse.

2. Solebat enim poenitentiaria antiquitus concedere litteras eius sigillo munitas absolutionis a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus, quae per universum orbem terrarum observabantur, et eis parebatur prout litteris apostolicis. Deinde permissione nonnullorum Romanorum pontificum se immiscuit circa concessiones dispensationum matrimonialium, ac se in eisdem, videlicet locationibus et venditionibus usque ad summam quinque ducatorum in annuis reditibus vel centum in proprietate. Nunc autem a multis annis citra gratias et indulta sibi concessa exinde ac illis abutendo nedum praemissa, quin immo quascumque locationes et venditiones rerum ecclesiasticarum cuiuscumque valoris cum derogatione Paulinae[1] et aliis clausulis exorbitantibus [concedit], deinde commutationes quarumcumque voluntatum defunctorum, pro fratribus et monialibus et alias facultates, quae per signaturam S^{tis} Suae non conceduntur, et, si aliquando conceduntur, limitantur taliter, quod honeste et non praeiudicialiter existimantur. Deberet igitur ordinari, quod poenitentiaria de cetero in concessionibus seu locationibus et venditionibus in forma eundem observaret stilum, qui observatur in talibus materiis, quae expediuntur per cancellariam, videlicet cum insertione Paulinae, prout iuris forma ita requirit, et non, ut illi faciunt, derogando. Quoad commutationes voluntatum nullas concederet, sed illas committeret ordinariis, si aliquatenus iustae viderentur.

[1] Vide supra p. 540 adn. 7

3. Quoad materias vero religiosorum observaret stilum signaturae S^{tis} Suae, videlicet *de licentia sui superioris*. De talibus enim concessionibus videtur poenitentiaria maiorem habere facultatem quam papa, quod non potest esse.

4. Circa vero materiam erectionum deberent committi, prout facit papa, ordinario, et sine alicuius praeiudicio; quoad reliquas vero concessiones, quas concedit, se in omnibus conformare signaturae papae, et sic obediretur universaliter eius litteris prout litteris apostolicis. Nec enim in Gallia litteris poenitentiariae obedire volunt, et hoc non est nisi propter nimias gratias et concessiones, quae ex illa emanant.

5. Deinde super registratura bullarum apostolicarum idem quod de scriptura et minutis videtur observandum vel ordinandum. Registratores enim ultra registraturam eorum accipiunt iulios duos pro qualibet minima bulla pro registratore illam registrante, et sic notarii camerae apostolicae de bullis expeditis per cameram apostolicam, quod facere nullo modo possunt. Deberet etiam huiusmodi abusibus obviari.

XVI. Circa rotam et lites.

1. Statuendum videtur, quod auditores rotae, qui terram iudicant et lites totius rei publicae christianae, sint probatissimae vitae et exactissimae doctrinae et aetatis maturae, et quod habeant certum stipendium ex proventibus camerae apostolicae, et quod nihil recipiant a sotellis et notariis, nec possint recipere sportulas a litigantibus, nisi sint iudices arbitri. Oportet etiam reformare scripturas scribarum quoad litteras cubitales, quas faciunt, et lineas separatas, et quoad superfluitates rerum, quas narrant de adventu legatorum, oratorum et cardinalium ad Urbem et aliarum rerum impertinentium, scilicet quod ecclesia cathedralis est notabilis, ubi est beneficium. Ista et aliae superfluitates sunt tollendae. Moderetur etiam salarium scribarum et notariorum.

2. Personales expensae litigantium debent laxari, vel statui ut taxentur a iudicibus causarum, ne lites iniustae moveantur.

3. Compulsoriales non decernantur nisi pro utraque parte, ita ut tam actor quam reus, et quorum interest, possit compulsare quascumque scripturas communibus expensis pro rata, servata forma compulsorialium, et quoniam officiales pro libito extorquent pecunias a partibus, limitetur salarium competens in curia a iudicibus vel in partibus ab ordinariis.

4. Nullum officium iudicaturae vel notariatus exerceatur per substitutum.

5. Triennalis possessor et publicus cum titulo saltem colorato nullo umquam tempore possit molestari, iuxta sess. X concilii Lateranensis ultimi[1], etiamsi beneficium fuerit reservatum vel de iure patronatus laicorum nobilium. Et contra triennalem possessionem non valeant prorogationes, nec dispensetur super hoc, nec ut aliquis habeat beneficium in regno, de quo non est, et servetur regula de idiomate.

6. Oporteret etiam praefigi aliquem terminum causis, quae tractantur in partibus, et etiam illis, quae tractantur in curia, exceptis causis maioribus in iure expressis.

7. Item videtur statuendum, ut omnis causa tractetur in prima instantia coram ordinario, et in secunda coram metropolitano, et in tertia coram sede apostolica, si agatur super beneficio ascendente ad valorem magnum, qui limitetur; aliter committatur causa appellationis et totius negotii principalis ad partes aliquibus probis viris, ordinariis tamen, et si unus sit suspectus, alii circumvicino, a quibus non liceat appellare, sed decidatur et mandetur executioni. Et si causa in prima instantia tractetur coram metropolitano, in secunda tractetur coram iudice apostolico, viro probo et docto, qui instituatur in partibus et teneatur habere secum tres viros doctos in iure canonico. et in tertia instantia posset tractari coram sede apostolica, si causa ascendat ad valorem magnum Si tamen non ascendat dictum valorem, committatur alicui ordinario non suspecto. Posset etiam fieri, ut, quando causa tractatur in prima instantia coram ordinario et in secunda coram metropolitano, et in tertia tractaretur coram illo iudice apostolico habente praedictos assessores doctos in iure, et hoc in causis non ascendentibus ad valorem magnum, quae deferenda essent ad curiam Ad minus duae instantiae deberent semper tractari in partibus, et etiam tertia, quando non ascendit causa valorem magnum. Et si aliquae causae committendae sunt in partibus iudicibus apostolicis, non committantur nisi ordinariis et, si unus sit suspectus, committatur alii circumvicino.

8. Videtur etiam statuendum, ut, quoties tres sententiae sunt conformes, dentur executioni.

[1] In sess. X concilii Lateranensis V nihil de hac re.

9. Oportet etiam terminum sententiis decerni, ultra quem non possit amplius aliquid renovari.

10. Prohibendum quoque esset, ne tribunalia fiant in ecclesiis.

11. Item occurrente vacatione beneficiorum, patroni tam laici quam clerici nec non ordinarii aliqui se intrudunt [a] nullo titulo suffulti, et bona dissipant, ita [b] quod provisus postmodum cum magna difficultate et expensis tandem assequitur beneficium. Oportet statui, ut patronus privaretur iure praesentandi ea vice, et clerici se intrudentes inhabiles sint ad illud beneficium et graviori etiam poena puniendi essent, quoniam nec super hoc poenam impositam curant aut cavent.

12. In Romana curia quam plurimi resident, quos trampistas vocant, qui, cum sciunt hominem beneficiatum senem aut valetudinarium, impetrant beneficia sua, certo modo litteris exprimendo, et vigore supplicationis decernitur citatoria contra possessorem, qui perterritus citatione cogitur aut pensioni consentire aut numerata pecunia vexationem redimere, et trampistae huiusmodi per crebras supplicationes prorogant negotium, exspectantes mortem possessorum. Derogant etiam regulis cancellariae super hoc editis. Et ad obviandum malitiis horum hominum bonum esset eos exquirere et a curia eos expellere, quoniam isti iuxta Paulum [1], *regnum Dei non possidebunt*, neque istis debet suffragari prorogatio aut decerni citatio nisi litteris expeditis et expressis causis vacationis in impetratione.

13. Bonum quoque esset, officiales cancellariae, poenitentiariae et camerae apostolicae visitari ad minus in quolibet biennio.

14. Reformandum videtur officium, quod dicitur auditoris de camera, ad quem aliqui asserunt, quod, quicumque accedit ad proponendum querelam, absque aliquo examine datur ei charta citatoria sub poena excommunicationis, quod intra tres dies appareat Romae.

85.

Articuli Valentinae sedis vicarii nomine sacri concilii Tridentini patribus oblati [2].

[1561 vel 1562].

Ed. *Bartholomaei de Martyribus* Opera omnia II (Romae 1735) 397 sq. ex scripturis Quétif ord. Pr., qui codice Bartholomaei usus est scriptosque lusitane articulos latinitati reddidit.

1. Si fieri possit, statuatur et decernatur circa canonizationem et apotheosim Sanctorum Petri de Rotes [3], Giraldi [4], Fructuosi [5], Martini de Dunio [6], et Gundisalvi de Amarantha ordinis Praedicatorum [7].

2. Ut in festis de praecepto generaliter accenseantur et festum Praesentationis B. M. V. [8], Inventionis corporis S. Stephani protomartyris [9], S. Antonii de Padua [10], S. Benedicti [11], S. Catharinae [12] et S. Luciae [13] martyrum.

3. Constet omnino, quis vere beneficii possessor et abbas legitimus, nec eo simul duo gaudere videantur, unus scilicet primus, qui revera non eo gaudet, alter vero non manifestus,

[a] *Edd.* intendunt. [b] *Edd.* processus

[1] Cfr. *1 Cor.* 6, 9.

[2] Archiepiscopus Valentinus 1556-1563 erat Franciscus de Navarra, qui concilio Tridentino 1545-1547 intererat (*Conc. Trid.* I et V sub verbo *Pacensis*), insignis theologus. Nescio, quis eius fuerit vicarius, sed opinari vellem fuisse Dominicanum quendam Lusitanum, qui Bartholomaeo erat notus. De tempore e documento ipso nihil desumendum; quare adneximus articulis Bartholomaei de Martyribus, ex cuius operibus hausimus.

[3] Nescio, an sit Petrus de Arbues, inquisitor in regno Aragoniae, trucidatus a. 1485, cuius festum 17. Sept. celebratur. *Kirchenlexikon* IX 1891 sqq.

[4] Gerhardus vel Giraldus de Fracheto ord. Pr., † 1271. Lexikon für Theologie u. Kirche IV 418.

[5] S. Fructuosus, archiep. Braccarensis, † circa 665. Lexikon für Theologie u. Kirche IV 219. Qui sicut et sequens in Hispaniis magna colebatur veneratione.

[6] S. Martinus de Dumio, archiep. Braccarensis, † 580. Lexikon für Theologie u. Kirche VI 980.

[7] Petrus Gundisalvus ord. Pr., † 1246. *Mortier*, Hist. des maîtres généraux I 401 sqq.

[8] 21. Novembris.

[9] 3. Augusti.

[10] 13. Iunii.

[11] 21. Martii.

[12] 25. Novembris.

[13] 13. Decembris.

sed occultus et secretus, fructibus gaudens; ne quis vere sit beneficii possessor et alter titularius dumtaxat exterius personatus.

4. Ne maiorum avorumque beneficia directe seu indirecte ceu haereditatis instar ad nepotes transire permittantur.

5. Nec liceat ecclesiae propria tradere, locare vel impignorare filiis et filiabus, leviro vel nurui familiarive vel nepoti abbatis. Sic enim ecclesiae bona dilapidantur vixque postmodum ab alio recuperantur.

6. Nullae concedantur optimatibus et regibus gratiae vel indulta, quorum occasione potentia fulti plus etiam, quam concessum habeant, sibi tribuunt et usurpant, nec ab ordinariis cohiberi possunt. Quaeque illis antea concessa fuere, denuo revideantur et excutiantur a viris integris nec suspectis nulliusque personae faventibus.

7. Provideatur, ne quem patroni praesentare valeant ad beneficium ecclesiasticum privato vel affectu vel commodo ducti.

8. Rectoriarum parochiarum praeceptoriis addictarum stipendia rectoribus augeantur, vel quibus obstringuntur onera seu iura confirmationibus suis obtinendis amoveantur aut minuantur, quibus solutis nihil eis ad vitam prope superest. Ad has quippe confirmationes obtinendas annui stipendii solvere tenentur aliquando cruciferos Lusitanicos triginta vel quadraginta ac nonnunquam etiam ad sexaginta, cum imposita sibi sit animarum cura, ac si in possessionem mitterentur integrae praeceptoriae mille cruciferorum annui census. Praedictaque in posterum rectoriarum augeantur stipendia vel minuantur iura et onera pro ratione et modo pristini valoris abbatiae totius et integri beneficii.

9. Provideatur super rescriptis, ut illa non per iudices, sed per viros probos et eruditos ad id specialiter deputatos probentur, inspiciantur et admittantur, nec concedantur his, qui a minoribus ordinibus dispensari cupiunt, nisi antea de illis coram ordinario fuerit cognitum.

10. Dispensationes imposterum nullae concedantur cum clausula *ignoranter*, sed *scienter* tantum; ipsis enim raro verum enunciatur, ac plerumque perperam dispensatur.

11. Nullus episcoporum nisi prius obtenta ordinarii facultate cuiquam ordines conferre valeat sub poena nullitatis, nec aliquid a quoquam eapropter exigat aut accipiat.

12. Nec foret inutile beneficiorum eorumque titulorum et censuum integrum confici pararique inventarium et catalogum, patronatusque illorum probare et excutere, citatis etiam citandis et quorum interesse posset.

13. Vicariis confirmatis in officio congrua constituatur in usus vitae portio.

14. Ordinis S. Benedicti monasteria quantocius reformari curentur [1], sicut et canonicorum etiam S. P. Augustini regularium [2]. Cum autem nemine curam eorum agente cuncta dilapidentur et dilabantur, certa quaedam assignetur et stata reddituum pars, quarta nimirum aut quinta seu quanta sufficiens fuerit visum et opportuna in usus fabricae illorum. Quod qui tertio renuerit implere, in suspensionem, qui quinquies, absolutione mulctatus intelligatur et habeatur.

15. Chartarum seu tabularum lusoriarum usus et lusus vitandarum causa blasphemiarum et huius generis flagitiorum omnino prohibiti decernantur.

16. Similiter et alii quilibet aleae vel sortibus obnoxii procul arceantur ioci.

17. Suis quaelibet ecclesiastica vel saecularis seu temporalis arceatur cohibeaturque limitibus et finibus, quantum licuerit, iurisdictio, quo sic plurimis obviam eatur oppressionibus et scandalis inde saepissime emergentibus.

[1] Nescio, an monasteria congregationis reformatae Vallisoleti in animo habeat auctor, vel illa paucissima, quae eidem nondum erant incorporata. Cfr. *Ph. Hofmeister*, Die Verfassung der Benediktiner-Kongregation von Valladolid: Spanische Forschungen 5 (1935) 311-336.

[2] Congregatio S. Crucis Colimbriensis, fundata a. 1132, a. 1537 Iohanne II rege impellente reformata. *M. Heimbucher*, Die Orden u. Kongregationen der kath. Kirche I 416 sq. De canonicis regularium S. Augustini in genere necnon de aliis congregationibus sub eadem regula viventibus, quae in Hispaniis et in Lusitania habebant monasteria (ex. gr. de canonicis S. Iacobi de Spata) cfr. *ibid.* 400 sqq. 421 sq.

86.

[Io. Bapt. Castagna, archiep. Rossanensis: An abbas Polonus debeat admitti ad dandum votum pro sexdecim aliis, quorum est procurator [1].]

[Post 12. Nov. et ante 31. Dec. 1561]

Romae Arch. Vat. *Concilio* 73 f. 59r-63v, min. In marg. [illegible]

Iacobatii et Thomae Campegii sequuntur opinionem, procuratores in concilio non esse admittendos ad dandum votum decisivum, licet ad excusandum absentes et subscribendum actis pro eis.

Concilio 73 f. 59r Dubium, ⟨in quo ab Ill^mis legatis mandatum mihi fuit, ut, quid in eo arbitrarer magis iuri consonum esse, illis in scriptis significarem⟩: [a]

An R. abbas Polonus habens procurationis mandatum a sexdecim [2] aliis abbatibus eiusdem regni, debeat de iure communi admitti ad dandum votum in praesenti concilio tam pro seipso quam pro sexdecim aliis, quorum est procurator; et posito, quod admitti debeat, an dicta vota sint numeranda adeo, quod istius R. abbatis votum pro sexdecim valeat.

Respondendum putavi ⟨in resolutione suprascripti dubii ita indistincte propositi multas requiri distinctiones⟩ [b]. Et primo, supposita validitate mandatorum, ⟨quae omnia habeant requisita et, ut dici solet, sint in forma probanti⟩[c]; item abbates illos esse de his, qui habent votum in concilio, quia utuntur mitra, sunt exempti et habent iurisdictionem quasiepiscopalem, ut habetur in c. [6] *Ut apostolice* de privilegiis [V 7] in Sexto [3], c. [2] *Adrianus* 63. D., c. [4] *Convenientibus* [C.] 1 q. 7 [4]: Videndum est, an mandata ista sint tantum ad excusandum praefatos abbates vocatos ad concilium, ad quod, ut praefertur, de iure vel consuetudine accedere tenerentur. ⟨Quod si huiusmodi sunt⟩ [d], dicimus sine dubio procuratorem hunc amplectendum [e] esse et causas excusationum benigne audiendas et ⟨non summo iure, sed et aequitate quadam⟩ [f] admittendos esse. Nulli enim est dubium eos, qui tenentur ire ad concilium, si sint legitime impediti, ⟨nedum posse, sed et debere⟩ [g] excusatores mittere, c. [6] *Pervenit*, c. [9] *Episcopus* et seq. 18. D.; c. [1] *Si egrotans* [C.] 5 q. 3 cum similibus [5]. Quae decreta [h] licet loquantur in episcopis, ex eadem ratione idem erit in abbatibus, si de iure seu consuetudine tenentur ad concilium accedere.

⟨Similiter si⟩ [i] mandatum non est ad excusandum tantum, sed ad subscribendum
59v se eorum nomine et subiiciendum se definitioni sacri generalis concilii legitime | celebrati etc. et ad recipiendum ea, quae in eodem gesta et decreta fuerint, idem dicimus, nempe sine dubio benigne admittendum esse. Nam videmus ita pluries factum fuisse tum in antiquis, cum etiam in recentioribus [k] conciliis; mandatum enim speciale ad hunc actum omni ratione admitti et commendari debet. Quod in concilio Constantinopolitano sexto apparet [6], ubi in pluribus subscriptionibus unum pro alio absente subscripsisse et tres

[a] *add. manu auctoris; ita omnes sequentes emendationes sunt autographi.* [b] *corr. ex* quod suprascriptum dubium… positum multas patitur distinctiones [c] *corr. ex* et qui sint in forma probanti et cum omnibus aliis requisitis [d] *corr. ex* et tunc [e] *del.* admittendum [f] *del.* secundum iustitiam et aequitatem faciliter [g] *corr. ex* possunt et debent [h] *del.* iura [i] *corr. ex* Si vero [k] *del.* modernis

[1] Die 12. Nov. 1561 Stanislaus Falenscius abbas Suleoviensis, procurator archiepiscopi Gnesnensis et duodecim abbatum Polonorum, Tridentum advenit, *Conc. Trid.* II 360; III 1, 15. Cuius adventu moti legati archiepiscopo Rossanensi, qui 14. Nov. Tridentum applicuit, et forsan aliis iurisperitis dubium proposuisse videntur, an sit admittendus ad votum decisivum ut procurator illorum 12 abbatum et cum quantis suffragiis. Eodem tempore etiam Romam scripserunt. Quibus card. Borromaeus 3. Dec. 1561 respondit: *Quanto a l'abbate Polono S. Sta non vuole che s'admetta di poter comparere a nome di quelli, per i quali ha portata cura* (*Šusta* I 120); paulo post bulla *Ad universalis ecclesiae* data 31. Dec. 1561 bullam Pauli III *Decet nos* renovavit, praelatos per seipsos et non per procuratores concilio interesse debere, *Conc. Trid.* VIII 270 l. 30 sqq., iisdem fere verbis, quibus usi sunt Iacobatius, Campegius et Castagna. Quae omnia fugerunt *St. Ehses* in: Dritte Vereinsschrift der Görresgesellschaft 1917 (Köln 1917) 41 sqq. de his rebus tractantem.

Auctor Io. Bapt. Castagna, archiepiscopus Rossanensis 1553-1573, cum Paleotto inter praecipuos consiliarios legatorum in rebus iuridicis numerabatur; inprimis autem cardinalis Simonettae erat familiarissimus. Factus est anno 1583 cardinalis et denique die 14. Sept. 1590 electus est pontifex maximus nomenque Urbani VII accepit, sed obiit iam 27. Sept. eiusdem anni. *Pastor* X 503-518.

[2] Vide adn. praec.

[3] *Friedberg* II 1086.

[4] *Friedberg* I 235; 427 sq.

[5] *Friedberg* I 55 sq. 547.

[6] *Mansi* XII 639 sqq. 687 sqq.; *Hefele* III 249 sqq. A synodo Romana a. 680 celebrata missi sunt epp. Portuensis, Corinthi, Gortynae.

episcopos retulisse et professos fuisse constat definitionem 125 episcoporum in synodo Romana existentium eorum loco in concilio receptas fuisse; quod etiam in omnibus fere conciliis actum esse facile videri potest.

⟨Sin autem⟩[a] mandata praefata sunt ad eorum nomine ferendum sententiam decisivam, tunc iterum distinguendum putamus. Aut enim isti sexdecim abbates sunt ex iis, qui soliti sint constituere corpus aliquod, ut universitatem aut collegium vel capitulum vel quid simile, adeo ut, cum ipsi omnes non ut singuli, sed ut universitas quaedam teneantur accedere, propterea constituunt dicti collegii nomine talem procuratorem; et eo etiam casu similiter admitti debet, et vox istius procuratoris erit vox dicti collegii seu capituli seu communitatis. Ratio est, quia cum universitas sit quaedam persona ficta, l. [22] *Mortuo* ff. de fideiusso. [XLVI 1] [1], non potest personaliter quod aiunt citari nec personaliter comparere, ut dicit Bal[dus] in l. [39] *Nam ita* ff. de adopt. [I 7]; et ideo pro dictae universitatis interesse, si iure aliquo in concilio dicere potest sententiam, non aliter quam per procuratorem id fieri valet. Igitur procurator iste seu sindicus admitti debet, c. fin. [X] de his quae fi. a prel. [III 10]; glossa in c. fi. in verbo *si alii* [X] de maior. et obed. [I 33] cum similibus[2]. Et hoc modo tres illi episcopi in concilio Constantinopolitano sexto repraesentarunt 125 episcopos non quidem ut singulos, sed ut unam synodum et unum corpus, a quo destinati fuerunt, ut referrent concilio, quicquid in synodo Romae celebrata definitum fuerat.

⟨Quod si⟩[b] dicti abbates non faciunt inter se collegium seu universitatem, sed quilibet pro suo monasterio potest in concilio | interesse cum voce definitiva, tunc intrat quaestio 60r principalis, de qua agitur. In ea autem reperimus plures doctores ⟨clare asserentes⟩[c] episcopum absentem et legitime impeditum posse nuntium vel procuratorem constituere vel alteri episcopo vices suas committere. Ita abbas Panor[mitanus] in c. [40] *Scriptum* in octava not[atione] [X] de elect. [I 6o]; Petrus de Monte in sua Monarchia q. 3 versiculo *Si qui autem*[3], Rossellus in tractatu de concilio in forma voca[tionis] concil[ii] versiculo sexto n. 15[4], quem refert et in hac parte videtur sequi Famagustanus in sua Sinodia in quaestione: Qui procuratores vel locatenentes mittere possint ad concilium, et quaestione sequenti[5]. Idem videtur tenere praepositus Alexandrinus[6] in dictum c. [9] *Episcopus ad synodum* 18. D., ubi quaerit an procurator absentis habere debeat vocem diffinitivam pro absente, et respondet negative, quia absens non potest procuratorem constituere extraneum a collegio per dictum c. *Quia propter*[7], unde videtur innuere non extraneum constitui posse. Et ita doctores praefati non satis rem ipsam discutiendo cum hac opinione simpliciter consentiunt. Moventur omnes per textum in c. *Quia propter* de elect[8] et

[a] *corr. ex* Aut [b] *corr. ex* Si autem [c] *del.* tuentes quod

[1] *Mommsen-Krueger* 790.

[2] *Friedberg* II 505 sq. 202.

[3] *Petrus de Monte*, Monarchia (Romae 1537) f. C 6ʳ: *Si qui autem essent, qui legitime impediti venire non possent et mitterent legatos vel procuratores suos, tales debent admitti ad actus concilii... Possunt etiam vocem suam committere alteri prelato vel existenti in concilio.* Cfr. *A. Zanelli*, Pietro del Monte: Arch. storico Lombardo Ser. IV 7 (1907) 317-378; 8 (1907) 46-115.

[4] *Antonius de Rosellis*, De conciliis ac synodis generalibus q. 6 n. 15 (Tractatus ex variis iuris civilis interpretibus collecti II [Lugduni 1549] f. 23ʳ): *Ex quibus concludo episcopos ad concilium citatos debere personaliter comparere, si non sunt impediti legitimo impedimento. Alii vero inferiores ab episcopis possunt per procuratores comparere, praesertim collegia et capitula cathedralium ecclesiarum et communitates.* Idem tenet quoad ceteros clericos et laicos, non autem quoad episcopos, *quia in eis videretur electa industria personae, cum debeant in concilio sedere iudices.* Si sunt impediti legitimo impedimento, *tunc debent se excusare propriis litteris.* Ex his apparet Antonium de Rosellis non omnino Abbatis partes sequi. Adverte, quod opus Ant. de Rosellis hic non sicut alias « Monarchia » inscribitur. Cfr. *K. Eckermann*, Studien zur Geschichte des monarchischen Gedankens im 15. Jh. Berlin 1933).

[5] Synodia Ugonia ep. Famagustani de conciliis [Romae 1534] f. 70ʳ-71ʳ: « Qui, quales et quot nuntii vel procuratores mitti possint ad concilium », discussa sententia Abbatis et praesertim Antonii de Rosellis ibid. f. 71ʳ ait: *Quidquid autem dicatur per Rosellum, ego istam quaestionem principalem adhuc per praemissa non bene video expeditam, tum quia considerata primaeva ratione et institutione conciliorum video quod concilium generale universalem ecclesiam omnium christicolarum repraesentat, in qua comprehenduntur non minus laici quam clerici.* Et paulo post: *Item in multis conciliis contrarium servatum fuisse apparet, prout etiam constat fuisse ultimo loco in concilio Constantiensi, quia multi abbates et clerici inferiores pro episcopis admissi fuerunt et laicis vox decisiva communicata fuit. Cum autem in aliis conciliis nonnisi episcopi admissi sint, quando casus occurreret, ad utramque partem argui posset. Et pro parte contraria faceret ratio, quam supra adduxi, quia hoc magis a iurisdictione quam ab ordine dependere videretur*, praeterea consuetudo, etiam concilii Lateranensis quinti.

Ex his patet, quo sensu ep. Famagustanus Abbatis partibus annumerandus sit.

[6] Io. Ant. de S. Gregorio, qui scripsit Commentaria super decretorum volumine; cfr. *Schulte*, Quellen u. Literatur II 340.

[7] C. 42 X de elect. I 6, *Friedberg* II 88 sq.

[8] Vide adn. praec.

c. penultimo [46] § *Porro* eodem tit. in Sexto [1]. Pro quibus facit, quod cum dare votum sit actus iurisdictionis et non ordinis, demandari potest, quia regula est ea, quae sunt iurisdictionis, demandari posse, adnot. in l. 1 ff. de offi. eius [I 21] cum vulg. [2]

Sed tamen cardinalis I a c o b a t i u s [3], qui solus, quod viderim, ⟨plene ac serio discutit⟩ [a] hanc quaestionem, quem novissime secutus R. T h o m a s ep. Feltrensis in suo tractatu de concilio c. 12 [4] videtur contrariam sustinere opinionem, sub hac tamen limitatione, nisi per papam vel concilium id ei tacite vel expresse concedatur. Movetur ea ratione, quod, cum sit electa industria personae episcopi in ⟨proferendo definitive⟩ [b] in concilio, non potest |
60v id alteri subdelegari per regulam, de qua in c. fin. [43] *His* [!] *autem, cui* [X] de offi. deleg. [I 29] [5]; in c. *Is cui* eodem tit. in Sexto [6]. Est enim electa industria personae episcopi [c], cuius proprium est consulere et definire in concilio. Nam in eo tractantur plura diversa et maxime ardua negotia, in quibus requiritur iudicium non alienum, sed proprium episcopi, c. [4] *Ubinam* D. 96 et c. primo D. 18 cum similibus [7]. Nam ubi natura causae requirit praesentiam [d], non sufficit procuratorem mittere, ut apparet in causis criminalibus et similibus ad c. [15] *Veniens* cum vulg. de accusa. [V 1] [8]. Item quia esse posset, quod si episcopus adesset, traheretur in alienam sententiam alios audiendo vel etiam alios in suam traheret ad l. [18] *Si in tres* cum similibus ff. de arbitris [IV] [9]; glossa in c. fin. in verbo *iudices et assessores*, in quo requiruntur praesentia et consilium copulative, adeo ut deficiente praesentia debet deficere etiam consilium, quia consilium unius non est consilium alterius.

Per haec igitur et alia late discussa tenent Iacobatius et Feltrensis episcopum vocatum et impeditum teneri quidem mittere procuratorem, sed non posse eidem committere vocem suam definitivam nisi de consensu tacito vel expresso papae vel concilii. Ita I a c o b a t i u s in suo tractatu de concilio lib. II art. 4 in quaestione, an vocati ad concilium possint comparere per procuratorem, usque ad finem quarti articuli; et episcopus F e l t r e n s i s ubi supra [10].

Haec opinio mihi ⟨summopere probatur⟩ [e], ⟨non quidem, quod hic cardinalis meus fuerit avunculus magnus [11], sed quod firmioribus ac gravioribus rationibus eius sententia fulciatur⟩ [f]. Considero enim in his, quae sunt tanti momenti, quemadmodum est causa fidei, reformationis universalis, expeditionis contra infideles et similia, quae ut plurimum tractari solent in concilio, ⟨quae omnia sunt gravissima negotia⟩ [g], non videri esse tutum committere votum
61r suum | alterius conscientiae et quodammodo ⟨sententiam ferre in fide aliena⟩ [h], etiamsi procurator ille sit valde doctus et recti iudicii. Nam videmus pluries ab aliquo, qui et doctrina et experientia minime pollebat, multa bona et aliis meliora dicta fuisse et fructum attulisse, ut de simplici sacerdote habetur in concilio N i c e n o et in aliis pluribus.

Et cum materiae tractandae sint nedum graves, sed etiam diversae et episcopo mandanti incognitae, in quibus onerata est conscientia episcopi, ut quae recta sunt consulat, non potest animi sui motum alteri committere, glossa in l. [18] *Sicut* ff. de arbitr. [IV] 8) [12], ut in simili ait Bal[dus] de arbitris, tutoribus, curatoribus et simili[bus] in l. [4] [*Cum*] *magistratus* C. quando provoc. non est necess. [VII 64] [13].

Non obstat in pluribus conciliis reperiri subscriptiones locatenentium, quia responderi potest cum Iacobatio et Feltrensi, ⟨quod, cum supradictis rationibus pro eorum parte deductis nulla possit dari vera solutio⟩ [i], verisimiliter credendum est id permissum fuisse per concilium vel per papam tacite vel expresse, unde videmus tales locatenentes quandoque semel

[a] *del.* discutit ad partes [b] *del.* dando vocem definitivam [c] *del.* in dando vocem definitivam in concilio [d] *del.* personalem comparationem [e] *del.* magis placet [f] *add. in calce* [g] *del.* quae sunt graviora negotia quae tractari possint in mundo [h] *corr. ex* dare votum in fide parentum [i] *del.* ad effugiendas supradictas rationes pro ista parte deductas, quoad

[1] *Friedberg* II 970.

[2] *Mommsen-Krueger* 45 sq.

[3] *Dominicus Iacobatius,* De concilio l. II art. 4 (in ed. Romana a. 1538 p. 99-111). Ex quo articulo auctor omnes fere allegationes necnon suam solutionem desumpsit.

[4] *Thomas Campegius,* De auctoritate sacrorum conciliorum (Venetiis 1561) f. 37r (c. 12): *De absentium procuratoribus, an sint admittendi?*

[5] *Friedberg* II 182. Secretarius scripsit *His autem,* putans auctorem more italico pronunciantem verba *Is autem.*

[6] C. 3 *Is qui* X de procur. I 19 in Sexto, *Friedberg* II 991.

[7] *Friedberg* I 53 sq. 338.

[8] *Friedberg* II 737.

[9] *Mommsen-Krueger* 98. Initium *Si in tres* secundum Vulgatam allegatum est; Florentinus habet ut infra adn. 12 *Sicut.*

[10] Vide supra adn. 3 et 4.

[11] Castagna, ortus ex familia Ianuensi, matre sua Constantia cum familia Iacobatiorum coniunctus erat; nepos erat card. Hieronymi Veralli. *Pastor* X 511.

[12] Cfr. supra adn. 20.

[13] *Krueger* 326.

tantum, quandoque pluries subscripsisse, ut videri potest in concilio Florentino in subscriptionibus Graecorum, maxime Bessarionis archiepiscopi Nicaeni, qui bis subscripsit,[1] alii vero semel, quia ita permissum est a concilio. Et si haec solutio videtur quodammodo divinare, dici posset illos fuisse procuratores ad subscribendum tantum ac acceptandum et percipiendum decreta concilii, vel ad excusandum tantum, ut legitur in ultimo Lateranensi sub Iulio II et Leone X in sessione X versiculo *Fuerunt*, et in sess. VI versiculo *Demum Rev.*[2], et ubique in dicto concilio legitur procuratores produxisse mandata ad excusandum. Et licet in aliquo mandato diceretur etiam ad interessendum concilio[3] loco sui, nullibi tamen reperitur mandata scripta fuisse | expresse[a] ad definiendum, nec etiam ⟨illa, 61v quae ad interessendum scriptae erant, interpretata unquam fuisse, ut definitive pronunciare possent⟩[b]; stant enim ista simul praesentes esse posse ⟨et nihilominus non alia causa praesentes quam⟩[c] pro eorum interesse, ut imperator, reges et similes, non tamen cum voto decisivo. Hoc autem sumi potest ex eodem concilio Constantinopolitano sexto, in actione XVII[4] ibi in subscriptionibus, ubi incipit: *Theodorus humilis* etc. In quibus leguntur tres species subscriptionum: una, quando episcopus se vocat alterius locumtenentem, subscribit per haec verba: *Ego N. episcopus etc. et locumtenens N. episcopi etc. definiens subscripsi;* secunda, quando procurator non est episcopus, tunc nunquam apparet ibi talem definiendo subscripsisse nisi pro episcopis praesentibus in concilio, absentibus tamen a loco sessionis propter impedimentum; tunc enim subscribebant hoc modo videlicet: *Ego N. episcopus definiens subscripsi per manus N. secretarii mei propter infirmitatem qua detineor*, quo casu ille, qui scribebat loco alterius, non procurator seu locumtenens, sed solummodo scriptor seu secretarius appellari poterat; tertia est, quando episcopus pro seipso et non alterius personam gerens subscribebat, quo casu *definiendo* semper subscriptum reperitur. Unde datur intelligi, quod tales locatenentes non subscribunt pro absentibus definitive, nisi sint episcopi, quo casu propter vocem suam et non mandantium definiunt. Non enim bis, sed semel tantum subscripserunt.

Cui etiam obstare non videtur c. *Quia propter* de electo [I 6] et c. pen. eodem tit. in Sexto, quia loquuntur in electione, et actus electionis est actus unicus voluntarius et inductus ad favorem eligentium, et ideo facile quis potest illud ius eligendi in alium transmittere. Nam cum unicum, ut diximus, sit negotium, facile principalis praedicere ac nuntiare potuit suo procuratori, quem potius eligi cupiat, et valde diversa est ratio in electionibus similibus, in quibus vertitur negotium illius capituli et ecclesiae tantum, in concilio vero non unum, sed plura negotia tractantur, et episcopus non voluntate, sed necessitate adesse tenetur, et inductum non est ad favorem privatum, sed fidei[d], | in quo honor Dei et sta- 62r tus totius ecclesiae versatur. Hinc videmus in electione papae, in qua vertitur negotium magni momenti et interesse universalis ecclesiae, unum cardinalem etiam legitime impeditum non posse suam vocem seu suffragium alteri etiam cardinali committere. Philippus Franc[hus] in c. [3] *Ubi periculum* § *sane* in princ. de elect. [I 6] in Sexto post Anca[ranum] ibi[5].

Non obstat etiam dictum Abbatis in c. [40] *Scriptum* de elect. [I 6], quia ibi non loquitur expresse de voto decisivo et ⟨nullam adducit rationem seu auctoritatem⟩[e], quia non erat propria quaestio, de qua quaerebatur. Et similiter Petrus de Monte non restringit se ad votum decisivum[6]. ⟨Itaque eorum dicta⟩[f] intelligi possunt de consultivo tantum [voto] ad evitandum supradictas contrarietates et rationes, quae vere stringunt.

Rossellus vero expresse loquitur de voto decisivo, quem tamen reprobat Iacobatius ibi per multas rationes et certe se fundat solum in dicto capitulo *Quia propter* et in dicto c. penultimo, quae loquuntur de electione, ubi est maxima ratio differentiae, ut supra dictum

[a] *add. in marg.* [b] *corr. ex* quod illa ad interessendum intellecta fuerint ad dandum votum definitivum [c] *add. supra lin.* [d] *del.* quod ad totum orbem pertinet [e] *del.* nihil allegat [f] *del.* adeo ut

[1] *Mansi* XXXI 1037 sq. 1039.

[2] *Mansi* XXXII 915 sq. (sess. X); 794 (sess. VI).

[3] Sess. III (*Mansi* XXXII 717): *Et ven. vir D. Franciscus Insart, solicitator literarum apostolicarum, dedit mandatum Rev. patris D. Petri de Costa episcopi Portugalensis dioecesis, in quo ipse D. Franciscus principaliter nominatur ad interessendum sacro concilio.* Similiter sequentes. Quorum procuratorum intuitu ep. Famagustanus f. 71r ait: [*Minores et inferiores clerici*] *in ipso concilio Laterano Iulio II pont. max. praesidente et astante mandata pro episcopis ad interessendum eidem concilio produxerunt admissique fuerunt.*

[4] *Mansi* XI 639 sqq. Est revera actio XVIII. In qua decretum celebre contra Monotheletas publicatum est. Rossanensis usus est editione conciliorum Coloniensi, in qua decretum et subscriptiones in actione XVII leguntur (II 390-396). Cfr. *Hefele* III 283.

[5] Philippus Franchus de Franchis († 1471) scripsit Lecturam super Sexto, *Schulte*, Quellen u. Literatur II 342.

[6] Vide supra p. 553 adn. 3.

est. Nec credimus Rossellum esse multae auctoritatis in tractatu praedicto, qui non admodum probatur, ut videri potest in indice librorum Pauli IV [1].

Nec obstat, quod regulariter ea, quae sunt iurisdictionis, demandari possunt, quia respondetur primo, ⟨ius dicendi sententiam decisive⟩ [a], etsi principaliter sit iurisdictionis, exerceri tamen adminiculo ordinis, immo dici forte posset ⟨minime posse⟩ [b] exerceri sine ordine vel in actu vel in potentia propinqua, ut in episcopo electo. Et certe si nihil operaretur ordo, qui nullam habent iurisdictionem sed solum ordinem, nullam vocem haberent, cuius contrarium videmus in episcopis titularibus vel qui renuntiarunt episcopatum. Hi enim iurisdictionem vere non habent actu, licet dici posset habitu tantum habere in universali
62v ecclesia, ut videri potest in I a c o b a t i o, | qui alios allegat in dicto tractatu lib. II art. 2 col. pen. versiculo *Sed de praedicta* [2]. Secundo respondetur etiam in his, quae sunt iurisdictionis, subdelegationem minime [c] admitti, ubi est electa industria personae et in valde arduis, ut per doctores in dictum c. fin. § *Is autem cui* [X] de offic. deleg. [I 29] et in c. *His cui* eodem tit. in Sexto. Quae decreta loquuntur in iudicibus delegatis et sic in materia iurisdictionis, ut dicit glossa in dictum c. pen. § *Porro* de off. deleg. in Sexto. Itaque ab ista regula receditur et iam propter arduitatem causae, ex qua arduitate censetur electa industria personae. Habetur in c. [3] *Si pro debilitate* [X] de off. deleg. [I 29] [3]. Ponit F e l y - [n u s] in c. fin. § *Is autem* col. pen. eodem titulo post Innocentium [IV] et alios ibi, ubi limitantur praedicta et multae aliae regulae similes, ut locum non habeant in rebus magni momenti, ut in casu nostro.

Et haec ratio industria personae maxime in causa ardua non cessat propter impedimentum personae, ut constat in procuratore constituto ad lites, qui quovis modo sit impeditus, non potest alium substituere. Contrarium est in procuratore constituto ad negotia, nisi forte negotium sit magni momenti; tunc enim etiam substituere prohibetur. Rationes differentiae duae sunt. Prima, quia in iudiciis est electa industria personae, ut per Bar[tolum] in l. pen. § *Concessit* de diver. et tempo. perscript. [XLIV 3]; secunda, quia in eis ut plurimum tractatur de gravi praeiudicio. D o m i [n i c u s] [4] in c. praedicto § *Procurator* de procur. [I 19] in Sexto, dicens quod, licet regulariter procurator ad negotia possit substituere, tamen fallit, si negotia sunt ardua. Ponderandae sunt praedictae duae rationes, quae ambo et earum quaelibet facit cessare omnes regulas permittentes substitutiones seu subrogationes, quae tamen ambo militant in casu nostro.

Dicimus ergo videri iuri communi convenire magis opinionem Iacobatii, videlicet episcopum legitime impeditum mittere debere procuratorem ad se excusandum et ad subscribendum eius nomine gestis et diffinitioni concilii, non autem ad reddendum [d] in quolibet
63r negotio decisivum suffragium, prout praesentes faciunt, | et credimus in omnibus conciliis, in quibus reperiuntur procuratores huiusmodi subscripsisse, intelligendum esse vel ex permissione concilii, ut de Chalcedonensi dixit I a c o b a t i u s ibi fol. 106 col. 2 versiculo *Adde tamen*, vel quia procuratores habeant mandatum speciale, puta ad definiendum contra Arium et eius fidem, ut in Niceno, vel ad condemnandum doctrinam Euticis et Dioscoris, ut in Chalcedonensi, vel ad recipiendum et subscribendum se definitioni concilii, ut videri potest in decreto concilii B a s i l i e n s i s sess. XV versiculo *Celebretur quoque* [5]; et licet ibi loquatur de provinciali, eadem ratione, imo tanto magis in generali. ⟨Et tandem credimus id accidisse ex aliqua tantum⟩ [e] accidenti causa, non tamen, quod iure communi id sit permissum. Quod suadetur etiam ex eo, quod episcopi teneantur praesentes [f] interesse concilio, quod habetur in c. [4] *Ego N.* [X] de iureiur. [II 24] [6]; ubi Panormitanus et alii: non ad episcopi vel alterius particularis favorem statutum est, sed ad favorem universalis ecclesiae. Unde ipsius universalis ecclesiae et sic concilii consensus requiritur ad immutandum et tollendum hunc favorem, ut habetur in dicto c. fin. § *Is autem* [X] de off. deleg. [I 29], ubi: Si quid committatur alicui, ut personaliter exequatur, non potest alteri subdelegare nisi de consensu

[a] *del.* quod dare votum decisorum [b] *del.* quod non potest [c] *add. supra lin* [d] *corr. ex* dandum ... vota [e] *add in marg; del.* vel ex quacunque alia causa [f] *del.* personaliter

[1] Monarchia Antonii de Rosellis non tantum in indice Pauli IV, sed etiam in omnibus qui illum secuturi erant indicibus Romanis invenitur. *Reusch*, Der Index I 58 sqq.

[2] L. c. p. 85.

[3] *Friedberg* II 158.

[4] Scil. de S. Geminiano, in Commentario in Sextum. *Schulte*, Quellen u. Literatur II 295.

[5] *Mansi* XXIX 75 sq.

[6] *Friedberg* II 360.

eorum, ad cuius favorem seu petitionem commissum est, ut personaliter expediatur, ut Panormitani ibi in principio verbis utar [1].

Redeundo igitur ad quaestionem nostram de abbatibus, inferimus ex supradictis idem esse dicendum de eis, quod dictum est de episcopis; imo minus abbates ipsi debent admitti ad vocem decisivam per procuratorem, quo eos non de iure, sed ex consuetudine vel privilegio habere talem facultatem multi insignes doctores tenuerunt, et in specie Io. de Turrecremata in c. *Generalia* 17. D. q. 4 ad tertiam [2]. Nam ius speciale facilius minuitur et tollitur quam commune, l. [34] *Eius militis* § *Militia missus* ff. de mil. test. [XXIX 1] cum vulg. [3].

In casibus autem, in quibus episcopus, abbas vel alius potest committere votum suum decisivum, dicimus inter doctores non reperiri, qui contradicat | Panormitano in dicto 63v
c. *Scriptum* in octavo not. [X] de elect. [I 6], ubi ait in concilio generali vel provinciali unum procuratorem posse habere decem voces et plures, nempe quod sunt illi, quorum vices substinet. Faciunt dicta Innocentii [IV] et Abbatis in c. [12] *Cum olim* in predicto de re iud. [II 27], et Iacobatius confirmat in loco praedicto, dum refert episcopum procuratorem alterius episcopi ad dandum vocem decisivam in casibus sibi permissis posse habere duas voces, ibi fol. 107 col. 2 in pr[aedict]o.

Intelligendum tamen est id, non quod diversa vota dare possit, sed, si esset plurimorum procurator, eandem sententiam, idem suffragium, quod pro seipso [et] pro omnibus reddere tenetur, nisi in alicuius mandato aliquid speciale haberetur; quo casu mandati formam sequi debet, ut per Iacobatium ibi.

Non tamen omittam ⟨ad memoriam reducere hanc quaestionem hodie terminatam esse⟩ [a] per litteras apostolicas Pauli III [4], qui praevidens [b] supradictas difficultates prohibuit recipi et admitti procurationum mandata praeterquam ad excusandum tantum. Hoc tamen non statuit, quasi aliter fuerit a iure statutum, sed quia ex dictis multorum scribentium [c] iam in dubium revocatum erat. Ad maiorem igitur declarationem et ad tollendum omne dubium id prudenter statuit. ⟨Haec dicta sint sub censura cuiuslibet melius sentientis⟩ [d].

87.

Ex tractatu de reformatione D. Vendovillii [5].

[Paulo ante 7. Ian. 1562].

Romae Arch. Universitatis Gregorianae *cod. 621* f. 93, excerptum coaevum, forsan pro Lainio generali exaratum. Cfr. M H S I: *Lainii* Mon. VI 213-218.

Pro bono successu concilii ubique terrarum precationes aliaque opera pia fidelibus mandanda, in quibus clerus ceteris antelucescat.

Primum omnium describit miserum statum hominum in tanta multitudine infidelium, haereticorum, schismaticorum, cum inter ipsos catholicos tantum viciorum ac peccatorum in quavis regione, gradu, condicione, aetate inveniatur, et tam pauci, qui legem Domini observent, et in his descendit ad particulares considerationes. *Cod. Gregor. 621 f. 93r*

2. Horum malorum, quae Deus permittit, prima quasi causarum causa peccata sunt catholicorum; licet enim eorum, qui praesunt aliis et alios, praeficiunt indignos, culpa multa

[a] *corr. ex* quod haec quaestio hodie terminata est. [b] *del.* cognoscens [c] *del.* supra relatorum [d] *add. manu auctoris*

[1] *Panormitanus* l. c. haec habet verba (in ed. Lugdunensis a. 1536: I f. 105r): *Unde si papa committit negoti m alicui et mandat, ut personaliter exequatur, si ibi versatur utilitas publica non poterit iste commissarius alteri subdelegare, etiam de consensu partium.*

[2] Quod opus praesto mihi non est.

[3] *Mommsen-Krueger* 438.

[4] Bulla *Decet nos* data 17. Aprilis 1545, *Conc. Trid.* IV 404 sqq.

[5] Summarium est hoc amplioris tractatus de reformatione, quem Io. Venduilius litteris die 7. Ian. 1562 datis Lainio transmisit; de quo ait: *Itaque his feriis nataliciis, cum a publica mea iuris pontificii professione feriarer et tractationi prophanarum causarum ad dies aliquot ferias indixissem, ego ex pluribus mediis, quae mihi in mentem venerant, unum aut alterum elegi, quod et perfectissimum et efficacissimum videretur et ad exequendum facillimum, in eiusque perscriptionem incubui. Et quod ea de re scripsi, quale quale illud est, in praesente mitto tuae dignitati, illud humillime submittens probandum vel improbandum iudicio tuo et singulari tuae prudentiae.* Mon. hist. Soc. Iesu: *Lainii* Mon. VI 215.

De auctore, tum iuris canonici professore in universitate Lovaniensi, postea in Duacensi et consiliario regis Catholici, demum episcopo Tornacensi (1588-1592) cfr. *Iöcher* IV 1511; *van Gulik-Eubel* III 336; *I. Cousin*, Histoire de Tournay l. IV (Tournai 1866) 336-339.

mala evenerint, propter populi peccata id permisit Deus, ut tales praeessent, et nec tentata ab eis remedia successum habuerint. Unde timendum est, ne concilium dissolvatur, ut alias, quod praecipuum remedium est hodie ad mala ecclesiae depellenda.

3. Summa remedii in hoc posita est, ut primo quoque tempore tota ecclesia vel bona eius pars serio convertatur ad Dominum et deploret peccata ac poenitentiam agat proponatque emendationem ardenter orando pro bono successu concilii, idque quamdiu illud durabit, et uno vel altero anno post eius finem, dum praecipua eius decreta sint executioni mandanda[a].

4. Explicatur hoc remedium et ad praxim deducitur hoc modo: Ut summus pontifex et concilium praecipiat strictissime omnibus episcopis et absentium vicariis, ut quisque serio iniungat pastoribus suae dioecesis et idoneis aliquot concionatoribus, ut ad exemplum Ionae[1] et Ioelis[2] clament et populum ad poenitentiam hortentur et emendationem et orationem, ostendantque, in quibus calamitatibus versetur ecclesia, populi peccata describendo et cleri et magistratuum (parcius tamen haec), quae causa sunt omnium malorum, et mala impendentia, nisi convertatur etc.

5. Iterandae essent huiusmodi contiones secundo vel tertio quoque mense et singulis Dominicis et festis solemnioribus aliquid de his repetendum esset, quamdiu durat concilium et post aliquamdiu, et boni concionatores verbo et exemplo vitae essent eligendi, quae eadem in pluribus parochiis dicerent, et parochi repetitiones facere possent.

6. Auctoritate concilii pro tempore praedicto essent litaniae omnibus parrochiis iniungendae, i. [e.] supplicationes, et admoneant, quomodo se gerere in illis debeant, ut serio id faciant.

7. Ieiunium et eleemosynae indicantur ad hoc ipsum, vel hortentur ad ea concionatores (pro tempore iam dicto) diebus mercurii et veneris, et quidem subducendo corpori pabulum et in eleemosyna, quod edendum fuit, convertendo.

8. Frequens confessio, i. [e.] 15. quoque die, et communio saltem singulis mensibus per concionatores proponatur, et ad eam nomine pontificis et concilii populum hortentur (tempore praedicto) et ad remedium efficacissimum; et confessorum delectus esset habendus et forte praecipi posset ad tempus confessio, non communio

9. Ut hoc populus exequatur, summus pontifex et concilium litteras dare posset ad principes, sui consilii rationem reddendo et obtestando, ut alios exemplo praeirent, et missis litteris ad senatus suos (qui ad eos, qui praesunt pagis, alias mittant) curarent ab omni populo id praestari. Ad confessarios principum etiam scribi posset, ut eos hortentur ad hoc ipsum, et repeti litterae possent nec difficile impetraretur, quod ita universaliter faciendum esset Et ut sine sumptu confessarii audirent confessiones populi et inde in eleemosynam convertere[n]t, quod solet dari confessariis, posset pastoribusaliquid dari pro ipsis et coadiutoribus ex abbatiis aut collegiis canonicorum iussu pontificis, et ante confessionem et communionem et etiam concionem commode ieiunium praecederet.

10. Ut clerus et regulares convertantur serio ad Dominum, a summo pontifice et concilio iniungatur episcopis, ut dioecesanam synodum convocent, et ita collegiis ac monasteriis, et habeatur ad eos concio seorsum a populo, ubi peccata ipsorum commemorentur et ad poenitentiam excitentur, expositis gravibus periculis imminentibus. Et expedient, ut sint probatae vitae concionatores.

11. Sacerdotes canonicos et alios hortentur ad crebram celebrationem et confessionem, et non sacerdotes ad octavo quoque die confitendum et crebro communicandum, saltem dum ⟨concilium celebratur⟩[b]; et uno vel duobus annis post finem eius praeceptum duret. |

93r 12. Quod attinet ad monasteria, collegia et alia corpora exempta ab episcopis, his[c] ut delegatis a sede apostolica cura eorum committi deberet. Sic de omnibus [?] exemptis, licet ipsis principibus per litteras, ut supra diximus, esset commendandum. De mendicantibus ipsorum generales curam suscipiant, ut ipsi adiuti poenitentia magis alios adiuvent.

13 Cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis magnae auctoritatis praelatis seorsum agant concionatores, vel litteris concilii id agatur cum episcopis, et ipsi cum aliis in synodum vocatis ⟨rem transigent⟩[d], ut se mutuo exhortentur ad poenitentiam et crebram confessionem et communionem etc.

14. Catholici, qui sunt sub principibus haereticis, sponte idem praestarent et amicorum litteris excitari possent ad hoc ipsum.

[a] *Cod.* mandandi [b] *supra lin., del.* congregatio durat [c] *corr. ex* ipsis [d] *add. in marg.*

[1] *Ionas* 3, 4 sqq [2] *Joel* 2, 12 sqq.

15. Haec eadem Tridenti et Romae exactissime fieri debent, tam quae ad populum, quam quae ad clerum spectant. Qui ⟨si id fecerint⟩ [a], multum valebit eorum oratio et alios suo exemplo inflammabunt, et deligi utrobique oporteret virum aliquem pietate et eruditione insignem, qui de talibus aliquando concionaretur.

16. Hac ratione universae partes ecclesiae catholicae iuvari possent et sua conversione multum a Deo impetrarent et ad malorum remedium et ad gratiae augmentum; et melius in concilio procederetur et decreta maiorem haberent auctoritatem apud catholicos, imo et apud haereticos minus perversos, et forte in concilium ipsi venirent.

17. Si hac vel alia ratione non adducitur populus et clerus ad poenitentiam, timendum est, ne concilium non habeat progressum, ut iam non habuit ab initio pontificatus Pauli III, quo coeptum est agi de eo indicendo et rursus anno D[omini] [15]42, quod ne incipi quidem potuit usque ad [15]46 et imperfectum mansit tunc, et sub Iulio III, cum resumptum est anno [15]51, vel si finitur modo, non multum iuvaret, quia executio impediretur, vel alia ratione. Licet autem emendatio vitae secutura concilium dicatur, etiam praecedere debet [b], ut bene in eo procedatur.

18. Non est praetermittenda alioquin [b] tanta occasio ⟨congregati concilii ad⟩ [b] omnes ordines ecclesiae iuvandos iis mediis, quae Christus docuit, scil. concionibus crebris diebus festis [c], sacramento poenitentiae et communionis, oratione, ieiunio et eleemosina, quae efficacissima media sunt ad sanctitatem etc. Et non difficile obtineri possent omnia praedicta, cum tantis premamur calamitatibus, si litteris instent et exemplis praelati et principes etc. Quae autem primis 2 vel 3 mensibus viderentur difficiliora, sequentibus redderentur faciliora, ut confiteri etc. Unde forte magna ecclesiae pars experta utilitatem spiritualem in posterum retineret spiritualia haec exercitia.

19. Aliqui ergo patres, qui zelum Dei habeant, enixe apud summum pontificem et praesides concilii agere deberent, ut superius dicta fierent et alia, si occurrerent, efficaciora.

20. Post primum remedium praedictum, scil. conversionis ad Deum, ⟨secundum efficiatur [?]⟩ [d]. Curent patres, qui auctoritate et gratia valent apud pontificem vel eos, quorum ipse audit consilia, ut nulla ratione permittat concilium dissolvi, donec illa confecta sint, propter quae congregatum est, eximia, inquam, et non vulgaria etc. Et ad id legatos et episcopos hortetur litteris et ad principes scribat, ne qua dissidii ansa cursum concilii interrumpi sinant. Cohortentur etiam mutuo seipsos patres concilii, et qui valent auctoritate cum principibus, idipsum cum eis agant et alii hos excitent; pauci enim multos permovere ad haec poterunt, si zelum et pietatem insignem habent et e suggestu vel unus id faceret.

[a] *add. supra lin* [b] *add. supra lin* [c] *del.* dominicis [d] *add. supra lin.*; *del.* curare deberent

VII.

Tractatus ad sessiones XVII-XXII spectantes

(a 18. Ianuarii ad 17. Septembris 1562).

88.

Thomas Campegius: Difficultates, quae incidere possent in celebratione concilii, et quibus mediis illis occurri possit [a] [1].

[Post 18. Ianuarii 1562].

Parisiis Bibl. nationalis *cod. lat. 1582* f. 76^r-87^r, or. [= P]; Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 3916* f. 13^r-15^v; 10^r-11^v, autogr.; formam continet priorem et breviorem [= V_1]; *Vat. lat. 6792 II* f. 370^r-373^v, cop. coaeva; eandem continet formam priorem, sed mutato alicubi stilo [= V_2]; Arch. Vat. *Concilio 13* f. 1^r-4^v; 10^r-11^r, cop. coaeva, sed mutilata in fine, cum *Vat. lat. 6792 II* convenit; f. 5^r-9^r tractatus n. 74 et n. 75 continent.

I. *Difficultates*, quae incidere possent in celebratione concilii: 1. Germani protestantes concilio interesse detrectant catholicosque accedere non permittunt. 2. Postulabit forte Caesar communionem sub utraque specie et coniugium sacerdotum. 3. Sintne decreta concilii Tridentini recipienda an denuo examinanda? 4. Galli annatas solvere refutant. 5. Controversia de superioritate concilii supra papam impendet. 6. Si concilio durante sedes apostolica vacet, schisma imminet. II. *Media*, quibus occurri possit difficultatibus: 1. Ne detur occasio discordiae inter legatos et patres; ne concilium diutius protrahatur. 2. In titulo concilii «universalem ecclesiam repraesentans» patribus indulgeri possit. 3. Item, ut destinentur a concilio litterae regis et principibus christianis. 4. Quoad ius propositionis: Liceat patribus proponenda legatis exponere; deputentur sex, octo vel duodecim ex patribus consiliarii praesidentium, quibus proponenda scripto deferantur. 5. Ne fiat mentio decreti de superioritate concilii supra papam; sin autem, confirmetur decretum sess. IV Constantiensis concilii. 6. Ne contendatur, utrum praesens concilium sit novum an prioris continuatio. 7. Tollatur suspensio decreti sess. VI c. 4. 8. Officiales deputati a pontifice approbentur a patribus. 9. Ne tempus frustra perdatur, vota patrum recitentur voce, non ex scripto. 10. Retineantur congregationes theologorum minorum. 11. An expediat renovare decretum de synodis provincialibus et episcopalibus. 12. Providendum, ne in electione pontificis durante concilio aliquid innovetur. 13. Si fieri potest, confirmetur decretum Florentinum de primatu Romani pontificis. 14. Abstinendum ab iracundia et iurgiis. 15. Imperatore ad concilium accedente, sex vel decem cardinales Tridentum deputentur. 16. Declinanda controversia de potestate praesidentium. 17. Si concilium claudere oportet, pro causis levioribus, quae restent, decem vel duodecim patres deputentur.

I.

[Difficultates, quae incidere possent in celebratione concilii].

Dubitavi saepius, plusne boni vel mali afferre possit christianae reipublicae generale concilium. Hinc enim spem bonam affert, quod teste Augustino [2] in evidenti ecclesiae necessitate recurrendum est ad concilium, et Ioannes Chrysostomus ait [3], per generale concilium conservari christianam in fide unitatem eoque dissidia et controversias in fide et ceremoniis dirimi [b]. Legimus per concilia dubia in fide dilucidata, confutatas haereses [c], collapsos mores restitutos, vindicatas Romanis pontificibus illatas iniurias, pacem post atrocia bella conciliatam, sanctas insuper expeditiones contra fidei hostes susceptas. Cum itaque nec appareat nec reperiri possit ulla via aut ratio magis accomoda seu oportuna liberandi christianam rempublicam hoc gravissimo et pernitiosissimo schismate, non exiguam spem sumere possumus, concilio sanctam matrem ecclesiam reduci posse ad pristinam quietem et Cod. Paris. 1582 f. 76^r

[a] *In cod. V2 prima pars inscribitur:* Quae censeat episcopus Feltrensis ponenda in consultationem pro celebratione sacri concilii; *secunda:* Alia consideranda et super quibus capiendum consilium in progressu concilii. [b] *V1 V2 add.* Quod nil aliud est nisi malorum metus, proborum spes, errorum eiectio, seges et restitutio virtutum; quo sensus et illecebrae auferuntur, ratio amissam arcem recipit, terris e caelo iustitia restituitur, redit ad nos Deus. Qui si dixerat: Ubi duo vel tres nomine meo convenerint, ad eos venio interque eos sum; quanto libentius se conferet, quo non duo vel tres, sed multitudo ecclesiae procerum convenerint. *Quae verba in codice V1 postea sunt deleta.* [c] *V1 V2 add.* schismata sublata

[1] Priorem huius tractatus formam, quam codices Vaticani exhibent, ante 12. Martii 1561 scriptam esse puto, cum quia auctor opusculum suum de auctoritate sacrorum conciliorum *propediem in lucem edendum* (vide infra p. 567 nota a) dicit, tum praesertim, quia die B. Gregorii tractatui ultimam imposuisse manum ipse palam confitetur (vide infra p. 566 nota a). Eodem fere tempore haec forma facta est, quo duo illi tractatuli de praeparatoriis concilii deque agendis in prima sessione, quos supra inseruimus (n. 74 et 75). Coacto deinde et aperto concilio (18. Ian. 1562), cum primae surrexissent difficultates, Campegius opusculum suum auctum temporumque condicionibus accomodatum pontifici obtulisse videtur.

[2] Nec in ep. 54 c. 1 (*Migne* 33, 200) nec in libro de baptismo contra Donatistas l. II c. 3 et 4 (*Migne* 43, 128 sq.), ubi de conciliis agit, Augustinus supradictis usus est verbis.

[3] Cfr. quae Io. Chrysostomus in oratione III adv. Iudaeos de conc. Nicaeno scripsit. *Migne gr.* 48, 865 sq.

tranquillitatem, quam cernimus tot dissensionum procellis agitatam, ut propemodum obruta videatur [a].

Inde vero me deterret, quod videre videor nos longe plus difficultatis in actione, plus
76v periculi in | executione habituros, quam maiores nostri olim in sanctissimis illis conciliis habuerint.

[1.] In primis Augustanae confessionis professores et alii, qui a veritate declinarunt, non agnoscunt auctoritatem concilii a Romano pontifice indicti, nullum asserunt unquam fuisse Tridenti concilium; proinde illius decreta reiiciunt, somniant suum nescio quod liberum publicum generale concilium, in quo nec Romanus pontifex nec illius legati ullam habeant praesidentiam, nullam auctoritatem, in quo eorum pseudotheologi cum episcopis consideant, vocem etiam habeant decisivam, archiepiscopi, episcopi et alii excludantur, nisi absolvantur a iuramento Romano pontifici praestito [1]. Quibus conditionibus vel potius deliriis plane cognoscere possumus, quid sperandum de eorum resipiscentia. Quod si forte suae haeresis fautores et participes electores et principes oratores suos Tridentum destinabunt, non id facient, ut concilii auctoritatem agnoscant, non ut eius canones et decreta recipiant, sed ut quas diximus concilii condiciones proponant, quibus non admissis abeant, alibi antiquorum haereticorum exemplo conciliabulum habituri eo scilicet proposito, ut inter se tot sectis
77r divisi in unam conveniant Augustanam confessionem, | quod esset tam difficile, quam quod nobiscum conveniant [2].

Quod si ipsi ad concilium non venerint aut, si qui venerint, non perstiterint, facile suspicari possumus, nec catholicos accessuros aut, si qui venerint, non permansuros, ne ipsi damnationis adversariorum sua praesentia participes videantur, conclament adversarii violatam pacem Pattaviensem [3], moxque ad arma concurrant atrocique et exitiali bello universam Germaniam repleant. Qui etiam, si catholici non interfuerint, novas contingent belli causas, ut illius metu dissolvatur concilium: tanta est eorum iniquitas et perfidia.

[2.] ⟨Praeterea afferre potest concilio difficultates et patrum contentiones, quod Caes. M^tas et forsan nonnulli episcopi et principes antiquae et verae religionis professores censent pro bono pacis et concordiae nonnihil remittendum de severitate canonica et indulgendam laicis communionem sub utraque specie et sacerdotibus coniugium, quorum pluribus in locis tolerantiam dedere, non permittentes etiam aliquem desuper ab episcopis molestari [4]. Quae res quanti sit momenti quantique periculi, si concederetur, facile perspici potest. Quibus
77v etiam per indulgentiam permissis non propterea certi esse possumus in aliis se eccle|siae consensuros⟩ [b].

[3.] Non parva videtur futura controversia, an canones et decreta concilii Tridentini recipienda sint, an denuo examinanda et discutienda, pluribus asserentibus [c], Tridenti non fuisse concilium, sed conventum quendam, ansam etiam ex hoc suscipientes, quod apostolicae sedis legati concilio praesidentes permittere noluerunt apponi illius inscriptioni titulum *Universalem ecclesiam repraesentans*, multis etiam ex patribus usque ad contentiones et iurgia id efflagitantibus [5], quodque Romani pontifices Paulus III, Iulius III et S^mus D. N. Pius IV nonnulla eiusdem concilii decreta nec pro conciliaribus admisere nec ab aliis recipi permiserunt, quin potius, ne observarentur, sub poenis et censuris inhibuerunt [6].

[a] *V1 V2 add.* depravatosque et corruptos bonos mores omnemque ecclesiasticam disciplinam plane restaurari et restitui posse. *Quae verba in V1 postea sunt del.* [b] *V1 V2 loco huius sectionis haec habent verba, quae in V1 postea sunt deleta:* Germanis non accedentibus vel non persistentibus in foribus aderunt et aliae controversiae, quae utinam in contentionem non deducantur. Praetensuri Galli, Hyspani et alii forte plures transferendum concilium ad locum commodiorem, in cuius electione variantibus pro unius cuiusque commodo sententiis non facilis erit deliberatio. [c] *V1 V2 add.* etiam [*V1 corr.* ex] Gallis et [*V1 add.* nonnullis] ex his Germanis, qui ab antiqua religione et institutis non recesserunt.

[1] Cfr. « Deliberationem super concilio die 6. Februarii 1561 Naumburgi factam a Lutheranis » *Conc. Trid.* VIII 144 sqq., inprimis 146.

[2] *Il disegno commune*, scripsit Commendonus 24. Maii 1561 Borromeo, *de' principi è, che fatta questa unione si mandino ambasciatori a tutti gli regni et stati o già divisi dalla sede apostolica o in gran parte alienati, per essortar tutti ad unirsi seco in una sola confessione. Conc. Trid.* VIII 213.

[3] Cuius pacis locis allegatis adn. 1 et 2 saepius mentio fit.

[4] Ex. gr. Ferdinandus I imperator; cfr. *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 88 sq.; alia exempla: *Constant*, Concession à l'Allemagne de la communion sous le deux espèces 41 sqq.

[5] Cfr. *K. D. Schmidt*, Studien zur Geschichte des Konzils v. Trient (Tübingen 1925) 52 sqq. 74 sqq.

[6] Cogitat auctor sine dubio de contentione, quae in Hispania inter episcopos et capitula de validitate decreti sess. VI c. 4, *Conc. Trid.* V 804, (quo capitulorum exemptio sublata est) sub Iulio III orta est. Cfr. quae Hist. Jahrbuch 54 (1934) 411 sqq. hac de re egimus, et infra n. 95 sect. X c. 91; etiam *Conc. Trid.* VIII 622 sqq.

[4.] Stomachum movet et nauseam, quod Galliarum episcopi, qui assertores semper fuere auctoritatis apostolicae sedis [a], in dubium revocant annatarum solutionem et alia pleraque, tamquam sapiant simoniacam pravitatem [1], ansam praebentes Hispanis et aliis nationibus [b] idem expostulandi non sine gravi concilii turbatione [c].

[5.] Accedit, quod, postquam in Constantiensi concilio primum orta est de iurisdictione et superioritate cum summo pontifice contentio, quae sacra fuit fluctuantis ecclesiae naviculae anchora, facta est syrtis et scopulus pe|riculosissimus. Quod exemplo didicimus Basi- 78r
liensis concilii; ea enim controversia pacem a Constantiensi concilio ecclesiae datam sustulit, novum peperit schisma, et, ut divi Antonini Florentini archiepiscopi verbis utar [2], *Basilea peperit basiliscum;* ut taceam pragmaticas sanctiones [3], quae a constitutis in Basiliensi concilio ortum ducentes mirum in modum debilitarunt Romani pontificis authoritatem. Hinc *Frequens* illa constitutio in Constantiensi concilio sancita, in Basiliensi repetita [4], infrequentiora reddidit concilia. Hinc Paulus II et Xystus IV etiam a magnis regibus ad habendum concilium excitati illud indicere constantissime recusarunt [5]. Hinc Iulius II etiam iuratus et voto astrictus tamdiu distulit, quoad indicto ab his cardinalibus, qui ab eo secesserant, Pisis conciliabulo, ut clavum clavo pelleret, concilium ad Lateranum indixit [d] [6].

[6.] Postremo, ut alias plures difficultates praetereamus, quae ex sequentibus colligi poterunt: Si forte, quod Deus non permittat, concilium rebelle foret S^{mo} D. N. et ea attentaret, quae temere praesumpserunt patres [e] Basilienses [f], horrendi schismatis occasio praestaretur, et si ad plures annos protraheretur concilium, et interim (quod Deus avertat) vacaret apostolica sedes, praetendente concilio ad se spectare Romani | pontificis electionem et 78v
eligeret, sacrum vero cardinalium collegium iure suo eligeret, iam monstrum duorum capitum foret in ecclesia schismaque detestabile, quod non facile tolli posset, variantibus sententiis, quis foret verus pontifex. ⟨Nec etiam iuvaret, quod S^{mus} D. N. decerneret, electionem ad cardinales pertinere, si eo vesaniae venirent, ut praetendentes concilium esse supra papam contrarium decernerent exemplo Basiliensis concilii⟩ [g].

Hae difficultates atque pericula, nedum me dubium et ancipitem, sed prope attonitum reddunt, videorque videre concilium simile potenti et scamoneatae medicinae, quam periti medici propinare formidant, a qua si abstineant, vident aegrum properare ad mortem, si exhibeant, incerti, an aegri vitalis virtus eius vim sufferre possit, ⟨utcunque rem Deo et eventui committunt necessitate adacti, quemadmodum etiam in sacra tempestate merces in mare proiicere nautae coguntur, ne pondere pressa navis naufragio pereat⟩ [h].

[a] *V1 V2 add., V1 postea del.* etiam antequam in concilium conveniant. [b] *V1 V2 add.* qui hucusque non solum de cathedralibus et consistorialibus, sed etiam de inferioribus beneficiis annatas persolvunt. [c] *V1 V2 add.* non animadvertentes, quod antehac etiam post Constantiense et Basiliense concilia nulla fuit cum Romanis pontificibus controversia aut contentio, quae etiamsi fuisset, hoc maxime tempore seponenda foret, cum nobis sit de religione et fide cum adversariis disceptatio, id natura ipsa dictante. Si enim duo eiusdem speciei animalia inter se pugnent, superveniente alterius generis animali [*V1 postea add.* velut reconciliati] a pugna cessant, ut iunctis viribus cum communi hoste se tueantur. [d] *V1 V2 hic sectionem 2 ponunt, post verba* desuper molestari *add.*: praeter id, quod admiserunt adversarios ad iudicium camerae imperialis remisso iuramento, quod prius iudices praestare consueverant. [e] *V1 V2 add.* si eo nomine digni sunt. [f] *V1 V2* Basiliensis concilii vel potius conciliabuli et malignantium consilii. [g] *V1 V2 om.* [h] *V1 V2* Quo in ancipiti iudicio positi, si viderint pharmaco, si quae [*V2* ea, quae] purganda fuerint, purgari et aegrum bene ferre, bonum pronosticum sumunt, aegrum salvum fore [*V1* sanitatis recipiendae]; sin autem [*V2* minus] interiturum vel graviori morbo implicitum futurum [*V2* vel aegrum ipsum interiturum vel graviori morbo laboraturum].

[1] Quae doctrina, iam in concilio Constantiensi defensa, tum praesertim in Gallia renovata est. Cfr. *Šusta* I 184sq. II 517 et passim.

[2] *S. Antoninus*, Chronicon tit. XXII c. 9 § 4 (in editione Lugdunensi a. 1587: III 525). Cfr. *I. B. Walker*, The « Chronicles » of St. Antoninus (Washington 1933) 90 sq.

[3] Praesertim sanctio pragmatica Bituricensis anno 1438 a rege Christianissimo et clero Gallicano recepta, *Hefele* VII 762 sqq.; *N. Valois*, Histoire de la Pragmatique Sanction de Bourges sous Charles VII (Paris 1906).

[4] Sess. XI c. 1, *Mansi* XXIX 52 sq.; cfr. etiam *Hefele* VII 531 sqq.

[5] Galli et Veneti annis 1466 et 1468 postularunt, ut Paulus II concilium convocaret (*Pastor* II 368, 373, 442); anno 1482 Andreas Zamometič, archiep. Craynensis concilium Basiliense resuscitare tentavit, *Pastor* II 580 sqq.; *I. Schlecht*, Andrea Zamometič und der Basler Konzilsversuch vom Jahre 1482 (Paderborn 1903) 73 sqq.

[6] *Pastor* III 2,, 80 sqq.; *A. Renaudet*, Le concile de Pise-Milan (Paris 1922). Inter capitula conclavis a Julio II iurata hoc invenitur: *Promittet, iurabit et vovebit intra biennium a creatione sua illud [scil. concilium generale) et cum effectu incipere in loco libero et tuto determinando per eum et duas partes Rev^{morum} DD. cardinalium... Raynaldus* ad a. 1503 n. 6.

Cum [a] itaque eo ventum sit, ut concilium honeste declinare nequeamus, necesse etiam sit onustam navim minus pretiosis mercibus exonerare, nullique magnarum rerum conatus periculis careant, danda est opera, ut, quoad fieri potest, minore cum periculo | res transigatur. Nam, ut recte admonet divus Gregorius [1], si murorum ambitu, ne fugiat, quis clauditur, ibi se in fugam praecipitat, ubi brevius murus ingeritur. Quod ut assequamur, subiit desiderium vel potius cupido, ut aliqua annotarem, quibus et maiora pericula evitari et minora facilius subiri possint. Qua in re si plus fortasse audere visus fuero, quam parvitatem meam deceat, tu in causa fuisti, B^me^ Pater, qui alias naenias meas approbasti, hortatus ut alia ederem, pollicitus etiam me remuneraturum. Proinde memento verbi tui, Domine, *in quo mihi spem dedisti* [2].

II.

[Media, quibus occurri posset difficultatibus.]

[1.] Pro bono et felici progressu et absolutione sacri concilii duo praecipue censerem omni studio et diligentia procuranda:

Primum, ne detur occasio contentionis et discordiae inter legatos et patres concilii. ⟨Quod fiet, si ipsos patres legati in officio continuerint, si quandoque in his, quae magni non sint praeiudicii, voluntatis et desiderii illorum ratio habeatur et, si non potuerint eos in suam sententiam deducere, se trahi ab illis permittant; recte enim consultum videtur, si declinent suspitionem omnem, se velle imperio et quasi virga ferrea eos regere. In his
79ᵛ vero, quae alicuius forent momenti, iudicarentque non esse neque conceden|da neque sancienda, reclament, protestentur et appellent ad S^mum^ D. N. vel ad eandem synodum melius informandam, non tamen perseverantius repugnent, quominus vota colligantur; quorum si maior pars legatis steterit, sublata erit omnis discordia; si secus, non concludant iuxta recepta vota, sed profiteantur in suspenso se illa habituros, quousque S^mus^ D. N. ea approbaverit vel ipsi maturiori consilio e sententia priori discesserint⟩ [b].

Alterum est, ut quantocius absolvatur concilium. Septima enim synodus duobus tantum mensibus est absoluta [3]. Gregorius VII uno eodemque anno duo celebravit concilia. Viennense concilium septimo mense finem accepit, tribus in eo habitis sessionibus [4].

[2.] ⟨Quoniam in prioribus actionibus concilii Tridentini pluries fuit controversum, an in praefatione decretorum dici debeat: *Sacrosancta synodus Tridentina in Spiritu Sancto legitime congregata universalem ecclesiam repraesentans*, censerem super hoc minime digladiandum, etiam si titulus ille non sit necessarius, cum datus fuerit titulus oecumenici concilii, nec illo usa fuerint superiora concilia ante Constantiense. Et hoc unum esset ex his, quae patribus id maxime cupientibus condonari posset. Neque enim per eam inscriptionem datur
80ʳ aut praesumitur data superioritas aliqua con|cilii supra Romanum pontificem, cum fateantur omnes reipsa concilium repraesentare universalem ecclesiam, et ipsi cardinales legati hoc ingenue professi sint [5]. Cum igitur ex hoc, quod repraesentet, non colligatur superioritas, minus colligitur ex ea inscriptione superioritatem ipsam admitti aut concilii autoritatem maiorem fore, quin potius minuit, quasi dubium sit, verum fore concilium; additum aut[em] in Constantiensi et Basiliensi conciliis, quia dubitarent, an vera essent concilia, hoc ob dissolutionem ab Eugenio pontifice factam, illud ob recessum Ioannis XXIII; propterea opus

[a] *In cod. V2 conclusio hanc habet formam:* Quapropter iterum dicam me incertum, an plus boni vel mali afferre possit concilium catholicae ecclesiae. Non propterea, quae diximus, in tantum me retrahunt aut cogunt, ut censeam non habendum concilium, si honeste declinari non possit, propterea cum eo pervenimus, ut vachoneste recusare valeamus nec sine periculo celebrare, iam saepius edocti nulla maximarum rerum consilia vacare periculis. Danda est opera, quonam modo cum minori periculo res transigi possit, moniti a B. Gregorio, cuius hodie festivitatem celebramus, quod, si murorum ambitu, ne fugiat, quis clauditur, ibi se in fugam praecipiat, ubi brevius murus ingeritur. Quod ut assequamur, subiit desiderium nonnulla adnotare, quibus maiora pericula evitentur, minora facilius subeantur. *In cod. V1 nonnulla sunt postea mutata, quae ad posteriorem i. e. nostram formam transigunt; in fine add.* et uberiores fructus pro temporum et rerum qualitate ex concilio assequamur. [b] *om. V1 V2*

[1] Nescio, utrum Gregorium Nyssenum an Nazianzenum vel Magnum in animo habuerit auctor.

[2] *Ps.* 118, 49.

[3] Scil. a 24. Sept. ad 23. Oct. 787, *Hefele* III 460 sqq.

[4] Gregorius VII anno 1074 et tempore Quadragesimae et die 30. Novembris synodum celebravit, *Hefele* V 23.30. Concilii Viennensis prima sessio die 18 Oct. 1311, tertia et ultima 6. Maii 1312 est habita, *E. Müller*, Das Konzil v. Vienne (Münster 1934) 84 sqq. 649 sqq.

[5] Scil. card. de Monte die 4. Ianuarii 1546, *Conc. Trid.* I 14; IV 543. Opinionem cardinalis S. Crucis vide *Conc. Trid.* I 376 sq.

erat illo titulo, ut ostenderent se constituere generale concilium, quemadmodum iudex pronuntiat se iudicem competentem, cum de eius iurisdictione dubitatur. Quod latius disseruimus in opusculo nostro [a] de auctoritate concilii⟩ [b] [1].

[3.] Ex his, quae indulgeri et permitti possent, censerem, ut nomine concilii destinarentur litterae ad reges et principes christianos, quibus hortarentur ad mittendum oratores et excitandos praelatos suae dictionis ad veniendum ad concilium, quod decreverant patres in privata congregatione, sed propter controversias oratorum, quae prius recitandae forent, regisne Romanorum an regis Francorum, non fuerunt missae [2]. Quod aegre tulerunt plures ex patribus, suspicantes | id factum, ut minor haberetur concilii auctoritas.

[4.] Quoniam in sessione nuper Tridenti habita 18. huius mensis Ianuarii 1562, cum in publicato decreto diceretur: *Quae proponentibus legatis ac praesidentibus* etc., visum est nonnullis ex patribus per verba illa detrahi libertati concilii, quasi non liceret cuiquam proponere, et propterea postularunt illa verba addi: « dummodo proponant, quae synodo videbuntur licita et honesta » [3], volentes invicem coarctare praesidentium auctoritatem, cogitandum foret, quonammodo consuli possit dignitati et auctoritati ipsorum legatorum et patribus persuaderi illis verbis non detrahi libertati concilii, ne renovaretur controversia, an liceat unicuique proponere, an solis praesidentibus, quae magnis contentionibus alias acta fuit inter cardinales de Monte et Giennensi in congregatione habita 10. Maii 1546 [4].

Cui duplex remedium et moderamen adhiberi posset: Primum, ut reciperetur, quod ad declarationem priori[s] sententiae proposuit idem cardinalis de Monte, cum dixit [5], quod munus volentis proponere erat adire legatos et proponenda eis exponere; quae si viderentur legatis proponenda, ab eis proponerentur, sin minus, reiicerentur; quo tamen casu, si volentes proponere se gravatos putaverint, arbitrii eorum foret, ut eadem ipsi in synodo proponerent; et hoc modo nulli adimeretur propo|nendi libertas, et debitus honor et reve- 81r
rentia praesidentibus servaretur. Alterum, quod sex, octo vel duodecim ex patribus deligerentur, qui essent tanquam consiliarii et coadiutores praesidentium, quibus proponenda scripto defferrentur et cum ipsis praesidentibus statuerent, quae recipienda, ut proponerentur,

[a] *V1 V2 add.* propediem in lucem edendo. [b] *V1 V2 sectionem 2 post sect. 5 inserunt, sed forma multo breviore, sect. 3 om., sect. 4 post 6 ponunt, sed alia forma breviore.*

[1] *Th. Campegius,* De auctoritate sacrorum conciliorum (Venetiis 1561) c. 20: *An in inscriptione decretorum synodi dici debeat « Ecclesiam sanctam repraesentans »* (f. 53v-55r) primo demonstrat concilium universale revera ecclesiam universalem repraesentare; deinde, quos ipsa concilia priora se dederint titulos percurrens de synodis generalibus saec. xv haec addit: *Ex recentioribus etiam Pisana synodus, quae Constantiensem septem annis praecessit, ea non est usa inscriptione, sed « Sancta universalis synodus » aut « Sancta et venerabilis synodus Pisana ». Quin etiam Constantiensis synodus sess. III, quae prima fuit post recessum et fugam Io. XXIII se inscripsit « Haec sancta synodus sacrum generale concilium Constantiense nuncupata », licet postea in quarta sessione et deinde in pluribus aliis, ne putaretur ob recessum papae et plurium S. R. E. cardinalium et praelatorum concilium fore dissolutum, additum fuerit « ecclesiam catholicam repraesentans in Spiritu Sancto legitime congregata »; quod tamen omissum fuit in XXXIII., XXXIV. et XXXV. sessionibus ob compactata cum Hispaniarum regibus et praelatis, qui censebant ante eorum unionem nec fuisse concilium nec repraesentare universalem ecclesiam, et propterea necessariam fore novam concilii vocationem, quae et facta fuit sess. XXXV. Et deinde reassumpta usque ad assumptionem Martini V in pontificem et saepius omissa, quasi post adhaesionem Hispanicae nationis nullum superesset dubium, quin ecclesiam universalem repraesentaret. Post autem Martini assumptionem omnia acta fuere sub nomine pontificis, cum non a synodo, sed pontificis nomine omnia agerentur, hac tamen adiectione: « Sacro approbante concilio ».*

Cum itaque Constantienses patres necessitate adacti id adiecerint, cessante necessitate omitti potest, nec sequendum Basiliensium exemplum, qui seditiosi fuere, et pro maiori temporis parte nec fuit concilium nec ecclesiam universalem repraesentavit.

Unum puto non praetereundum: falli egregie, qui petunt eam adiectionem, quod putent ex eius omissione detrahi auctoritati sacri concilii, cum id adiecerint Constantienses non ausi absente Romano pontifice et inclyta natione Hispaniarum non agnoscente eos constituere universale concilium, universalis concilii denominationem suscipere nisi addito « catholicam ecclesiam repraesentare (!) », cum longe minus sit asserere se repraesentare catholicam ecclesiam quam absolute se inscribere universale seu generale concilium. Et quemadmodum non semper opus est, iudicem se pronunciare competentem, nisi cum de sua iurisdictione haesitari potest, sic non semper opus fore eo titulo « ecclesiam universalem repraesentans », sed cum dubitari potest, an repraesentet, sicut dubitari poterat de Constantiensi concilio post recessum Romani pontificis et ante unionem nationis Hispanicae, ut diximus.

[2] In generali congregatione die 22. Ian. 1546 habita statutum est, ut *litterae conscriberentur imperatori, regi chr^mo et aliis regibus et principibus christianis* (*Conc. Trid.* I 23 sq. 384. 474; IV 572), quae lectae sunt die 29. Ian. 1546, sed non missae, tum quia *orta est inter patres maxima dissensio circa praecedentiam regum Galliae et Romanorum* (*Conc. Trid.* I 474, 36 sq., cfr. 398, 16 sqq.), cum propter alias causas, cfr. *Conc. Trid.* I, 25, 40 sqq.; 475, 42 sqq.; II 426, 34 sqq.

[3] Episcopi Legionensis et Almeriensis sessione XVII hoc dederunt votum: *Placet, dummodo legati proponant, quae visa fuerint concilio digna proponi. Conc. Trid.* VIII 291.

[4] *Conc. Trid.* V 135; I 55 sq. 546.

[5] *Conc. Trid.* V 135, 34 sqq.

et quae reiicienda; proponenda tamen per ipsos praesidentes, cum in quacunque populi vel collegii congregatione iure ipso proponendi onus ad magistratus et illos, qui praesunt, pertineat. Quo etiam vitaretur confusio, si plures eodem tempore assurgerent, ut pro arbitrio proponerent, et forsan minus utilia aut necessaria. Qui delecti etiam haberent auctoritatem examinandi causas excusantium se aut volentium a concilio recedere, reddendique ius, si quae altercationes, lites aut controversiae privatae inter patres concilii, eius officiales aut familiares orirentur; quod officium bimestre aut trimestre foret. Quibus adiutoribus Rev^{mi} praesidentes magno | onere levarentur [1].

[5.] Ne detur contentionis occasio, provideatur pro viribus, ne qua mentio fiat confirmationis Constantiensis concilii superioritatis concilii supra papam [2]. Foret enim periculum confirmationis, cum Parisienses et Galli omnes eius sint sententiae, concilium | esse supra papam, in quam etiam inclinant Hispani, et alii plures magnae auctoritatis et doctrinae viri scripto asseruerunt et multis rationibus comprobarunt. Nec exspectandum concilium contra suam autoritatem decernat, cum maxime concilia ad libertatem anhelent, et quo magis fieri potest, satagunt cohercere usum supremae potestatis Romani pontificis; conclamant enim: « Tollantur abusus, maneat auctoritas ». Nec in praesentiarum talis innovatio necessaria foret, quoniam concilium illud praecipue congregatum ad [fuerit] tollendum antiquatum schisma trium pontificum, et cum dubium foret, quis esset verus pontifex, necesse fuit, ut iudicio subiicerentur concilii. Quod nequaquam in praesentiarum est necessarium, cum unum habeamus verum et indubitatum pontificem. Quod si contentio praeteriri non posset, danda opera, ut saltem declaretur, quod aequissimum foret, ne sub praetextu, quod papa teneatur parere concilio in his, quae spectant ad generalem reformationem ecclesiae exemplo Basiliensis, Tridentinum concilium sibi ascribat omnem pontificiam iurisdictionem, quasi omnia spectent ad generalem reformationem. Quapropter consultanda declaratio, quae omnes tollat | difficultates, de qua disseruimus in nostro opusculo de auctoritate Romani pontificis cap. 24 [3]. ⟨Unum tamen in praesentiarum non praeteribo. Quod si ultima necessitate coacti essemus, ut innovaretur, danda esset opera, ut solum decretum quartae sessionis Constantiensis concilii innovaretur, quo decernitur [4], quod *synodus in Spiritu Sancto legitime congregata concilium faciens catholicam ecclesiam repraesentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status et dignitatis, etiam papalis, obedire tenetur in his, quae pertinent ad extirpationem schismatis et reformationem ecclesiae in capite et in membris.* Quibus verbis nulla datur cohertio in Romanum pontificem, nec verbum *immediate* excludit, quin concilium a papa dependeat, et verbum *tenetur obedire* interpretandum est, quod eo modo parere teneatur, quo ex aequitate princeps tenetur observare leges etiam ab eo promulgatas. Excluderetur autem, quod additum fuit in quinta sessione [5], *quod quilibet cuiuscunque conditionis, status, dignitatis etiam papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus et praeceptis huius sacrae synodi et cuiuscunque alterius generalis concilii legitime congregati super praemissis | seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur et debite puniatur*, ut scilicet, qui se pro pontificibus gerebant et dubii pontifices erant, parere tenerentur; alias enim inane fuisset iudicium⟩ [a].

[6.] Quamvis praesens Tridentinum concilium non sit novum concilium, sed prioris continuatio, non deerunt tamen [6], qui censeant fuisse dissolutum, non suspensum. Et si ex eo id assererent, quod Sypontinus et Veronensis cardinali Crescentio praesidenti assistentes

[a] *V1 om. Etiam in priore sectionis parte multa verba mutata sunt.*

[1] Iam in tractatu ante concilium scripto (anno 1545 exeunte) Campegius proposuerat, ut *deputentur quattuor, qui de absentium excusationibus et de volentium recedere causis cognoscant;* alii quattuor deligi deberent, *qui cum Rev^{mis} praesidentibus praescribant modum procedendi in generalibus congregationibus et sessionibus per patres concilii approbandum.* Arch. Universitatis Gregorianae *cod. 632* p. 158 sq. Hic sapienter consulit unam deligendam esse deputationem, quam dicamus generalem, quae praesidentes adiutura sit.

[2] Sess. IV et V, *Mansi* XXVII 585 sq. 590 sq.

[3] *Th. Campegius,* De auctoritate et potestate Romani pontificis (Venetiis 1550) f. 90^{v}: *Examen et interpretatio decreti Constantiensis concilii de auctoritate concilii supra papam.* Ubi f. 95^{r} contendit declarandum esse decretum *et conceptis verbis finienda controversia haec superioritatis inter papam et concilium, ut omnes intelligerent, cohercionem datam concilio fore, cum, pluribus se gerentibus pro Romano pontifice, iustis de causis dubitatur, quis eorum sit pontifex, et cum pontifex in haeresim damnatam lapsus foret et monitus in ea perseveraret. Similiter habere concilium potestatem reformandi ecclesiam in capite et in membris duobus iam dictis casibus, non autem, cum unus foret catholicus et indubitatus pontifex etc.*

[4] Apud *Mansi* XXVII 585 finis decreti hac legitur forma: *cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis (et reformationem generalem ecclesiae Dei in capite et in membris).*

[5] *Mansi* XXVII 590.

[6] Scil. Caesarei et Galli.

caruerint absente cardinali facultate decernendi concilium ad biennium suspensum, et ex consequenti Iulii III ad beneplacitum prorogationem nullam fuisse [1], super hoc censerem non contendendum, modo non asserant, priora acta nulla esse et de novo discutienda vel decernenda. Quod si qui praetenderent, id nequaquam admittendum; ea enim ratione suspecta redderentur omnia alia concilia, et in dubium revocarentur etiam ea, quae fidei sunt ab eis determinata, quod impium foret dicere. ⟨Si qui tamen forent, qui pie cuperent, super canonibus et decretis iam sancitis edoceri, quod tunc non interfuerint, censerem condescendi posse eorum desiderio, et per delectos | et eruditos viros instruendos, dummodo ad 83r contentiosas disputationes non deveniatur⟩ [a].

[7.] Difficultates [b] et contentiones inter patres oriri possent, quod, si firma manent decreta, quae ad politiam spectant, tollenda foret suspensio illorum decretorum, quibus sancitum fuerat [2], ordinarios tamquam apostolicae sedis delegatos habere facultatem visitandi exemptos. Quod si fieret, profecto id pro magno beneficio reciperent omnes episcopi, faciliusque eis persuaderi posset, ut sententiae et iudicio praesidentium in ceteris acquiescerent nec tam facile sese opponerent *ad aquas contradictionis* [3]. Quod si S[tas] V. huius foret sententiae, ut prius audirentur exemptorum procuratores, quod ante decretum faciendum fuerat, ex eo quod plura cathedralium et collegiatarum ecclesiarum capitula vel a primaeva erectione, vel quia ex regularitate ad saecularitatem traducta fuere, nunquam sub iurisdictione episcoporum fuerint, ea discussio longiori egeret tempore, interim exacerbatis remanentibus animis episcoporum Hispaniarum, qui aegre ferunt huiusmodi suspensionem. Quod profecto officere posset concilii absolutioni et difficultates afferre in aliis decernendis.

[8]. Quoniam alias referente cardinali de Monte, se habuisse | literas S[mi] D. N., quibus 83v inter cetera significabat se destinaturum officiales pro concilio, non defuere, qui dicerent, ad concilium, non ad S[tem] S., cum abest, spectare officialium deputationem, et a cardinali fuit responsum, quod mitterentur approbandi patribus [4], forte non ab re foret, quod huiusmodi officiales deputati a S[te] V. vel praesidentibus a patribus approbarentur. Nec enim ex hoc detraheretur supremae auctoritati suae, quemadmodum nec in prima sessione habita Tridenti 18. Ianuarii ex hoc, quod interrogati fuerunt patres, an placeret, *sublata quacunque suspensione iuxta formam et tenorem litterarum S[mi] D. N. Pii IV pont. max. celebrari* [5], non est in aliquo

[a] *V1* Si qui autem praetenderent, canones et decreta egere declaratione, aut quod in compendium redigi possint, ne in immensum volumen crescant, censerem condescendi posse eorum desiderio, quin etiam putarem expedire, si canones in tot capita non dividerentur nec super singulis verbis contenderetur, sed canones super rebus controversis edere similes his, quos edidere Parisienses et Lovanienses, auditis etiam adversariis, si ad concilium accedere voluerint, ut super iam editis instruantur et doceantur et super edendis audirentur. *Inveniuntur haec etiam in V2, sed, ut alibi, mutatis nonnullis verbis. Uterque codex post hanc sectionem 6 insert quaedam de clausula «proponentibus legatis», quae nos codicem P sequentes supra sect. 4 exhibuimus, quae tamen ab hac nostra forma non tantum verbis, sed sensu quoque differunt:* Quia forte plures ex patribus praetendere possent omnes pro arbitrio posse ea proponere, quae opportuna sibi viderentur, quod magnam confusionem pareret, praetendentibus id ad eorum officium spectare, super quo aliqua discordiarum semina vidimus in eodem concilio, censerem via media incedendum, quodque quattuor aut sex per patres eligendi deputarentur, quibus cum praesidentibus quisque referre posset, quid videretur proponendum, iudiciumque foret praesidentium cum electis, quid proponendum foret aut reiiciendum. [b] *Quae sequuntur usque ad finem, in V1 et V2 desunt; in quorum locum haec tantum addita sunt:* Si quae perperam per concilium fierent, etiam in causa fidei et religionis, censerem omnia potius tolleranda et dissimulanda quam in contentionem descendere dissolvendo aut transferendo concilium sine patrum consensu, modo praesidentes non consentiant, sed modeste protestentur et appellent ad S[mum] D. N. cum maturiore concilii consilio, ne incidamus in controversiam, an possit Romanus pontifex invitis patribus concilium transferre aut dissolvere, sed expectandus videtur concilii exitus, et deinde ad emendationem male gestorum aliud indicare exemplo Leonis I, qui ad emendationem secundi Ephesini concilii habuit Chalcedonense et illius male acta irrita fecit et revocavit. — Censerem concipiendam atque dictandam bullam reformationis a concilio approbandam, tum ut S[mus] D. N. omnem exuat suspicionem se reformationem diffugere, tum etiam, ut iam discussa ulteriori discussione et examine non egeant, vel saltem, si quae in difficultatem venirent, facilius expediantur. Accedente Caesare ad concilium, censerem destinandos ad concilium octo aut decem ex Rev[mis] cardinalibus et ex his aliquos sibi gratos, qui eum, si forte ab adversariis in transversum traheretur, in officio retineant labantesque patres in officio retineant tribuantque concilio maiorem dignitatem et auctoritatem.

[1] Etsi Iulius III die 15. Aprilis 1552 suspensionem concilii ad beneplacitum pontificis decrevisset (*Le Plat* IV 544 sq.), concilium Sebastiano Pighino archiepiscopo Sipontino et Aloysio Lippomano episcopo Veronensi (aegrotante legato card. Crescentio *Conc. Trid.* II 496 sq.) praesidentibus in congregationibus generalibus habitis 24., 26. et 27. Aprilis 1552 statuit suspensionem ad biennium decretumque super hoc sess. XVI (28. Aprilis 1552) publicavit. *Theiner*, Acta genuina I 654 sqq.

[2] Sess. VI c. 4, *Conc. Trid.* V 804. Vide supra 564 adn. 6.

[3] *Num.* 20, 24.

[4] Quae acta sunt in congregatione generali 4. Ian. 1546 habita, vide *Conc. Trid.* I 12, 27 sqq.; IV 542, 13 sqq.

[5] *Conc. Trid.* VIII 291, 17 sq.

detractum auctoritati S[tis] V., quasi concilium haberet auctoritatem amovendi suspensionem a pontifice factam, quoniam per approbationem, quam etiam inferiores facere possunt, nihil detrahitur, et in pluribus decretalibus in conciliis editis dicatur *sacro approbante concilio*. Et ista approbatio istorum officialium (ni fallor) unum est ex his, quae condonari possent patribus, ut videatur eorum haberi rationem.

[9.] Quoniam in dandis votis in congregationibus privatis plures tam episcopi quam theo-
84r logi, imo eorum maior pars ex scripto vota proferunt, plura ab his, | qui priores dixere, repetentes; quo fit, ut multum temporis absumatur et quandoque oporteat statutum sessionis publicae diem prorogare, expedire censeo, ut moneantur et exhortentur patres, ut voce, non ex scripto dicatur sententia, et si omnia memoriae mandare non possint, conclusionem solum dicant, addita una vel altera ratione sententiae suae; quod vero scriptis disseruerunt, porrigant secretario sitque singulis facultas post congregationem illa legendi et exemplum sumendi. Et profecto a magno praelatorum numero, si copiose sententiae dicantur, diutius proteretur concilium quam expediret.

[10.] De inferioribus episcopis et abbatibus admittendis in concilio fuit controversia in concilio Constantiensi, sed sine controversia in Basiliensi fuerunt admissi [1]. At cum resolutum sit praesens hoc concilium esse continuativum prioris, servandum censeo, quod prius fuit observatum [2], quod scil. fierent congregationes theologorum et inferiorum episcopis, quibus interessent qui voluerint episcopi, et seorsum congregationes episcoporum et aliorum omnium habentium vocem, exclusis inferioribus. Sit tamen arbitrii praesidentium, de consensu patrum admittere aliquos praelatos et insignes viros doctrina et auctoritate ad votum
84v consul|tativum, modo sint in sacris ordinibus constituti et graduati in sacra theologia aut utroque iure.

[11.] Capiendum est consilium, an expediat innovare decretum de synodis provincialibus et episcopalibus [3], et si innovandum foret, non tamen permittendum, quod fiant nationalia, quae quandoque pragmaticas contra apostolicae sedis auctoritatem pepererunt, et prohibendum, ne quid contra ius decerneretur.

[12.] Etsi iura sacri collegii adeo firma, clara et diuturna sint, ut in dubium verti non possint, quin Romani pontificis electio ad solos cardinales pertineat etiam durante concilio, si (quod Deus avertat) sedes apostolica vacare contigerit, expediret tamen, ut id speciali decreto per litteras apostolicas statueretur, quemadmodum, quod in Urbe Roma fieret, vidimus fecisse Clementem VII et Paulum III, cum se Marsiliam, Niciam, Lucam et Bononiam contulere [4], quod ultro pollicitus est Paulo III pontifici Carolus V imperator per cardinalem Tridentinum ea causa destinatum, ut procuraret concilium Tridentum reducendum, quod fuerat Bononiam translatum [5].

[13.] Si patres concilii induci possent, ut confirmaretur decretum Florentinae synodi
85r de suprema Romani | pontificis auctoritate [6], multa eis possent indulgeri, cum plane constaret, concilium non anhelare, ut summi pontificis auctoritas coarctaretur; quin etiam audeo dicere — dicamne an sileam? — dicam me audere dicere, quod si hoc assequi non possumus, non ab re futurum permittere confirmationem decreti quartae sessionis Constantiensis concilii,

[1] De controversiis Constantiensibus vide *I. Hollnsteiner*, Studien zur Geschäftsordnung am Konstanzer Konzil: Festgabe Finke (Münster 1925) 240 sqq. In concilio Constantiensi praeter episcopos et abbates etiam procuratores capitulorum, universitatum, monasteriorum et conventuum religiosorum necnon doctores theologiae ad vocem decisivam admissi sunt, in Basiliensi praeter dictos alii quoque clerici, de quibus cfr. *P. Lazarus*, Das Basler Konzil (Berlin 1912) 30 sqq.

[2] Scil. a die 20. Febr. 1546, *Conc. Trid.* V 11; I 847, de quibus congregationibus cfr. quae « Ordo celebrandi s. concilii Tridentini » apud *Theiner* I 9 sq. affert.

[3] Editum est in concilio Lateranensi V sess. X, *Hefele-Hergenröther* VIII 650.

[4] Constitutionem *Cum charissimus*, quam Clemens VII edidit, antequam Bononiam discessit Carolum V coronaturus, vide apud *Raynaldum* a. 1529 n. 75; aliam, quae incipit *Licet variae* editam ante conventum Massiliensem 1533, *Bull. Rom.* VI 132 sq. Similiter Paulus III die 29. Maii 1536, i. e. priusquam concilium Mantuae indixit, in consistorio decrevit, *quod si Sua Sanctitas tempore concilii* (*quod Deus avertat*) *moreretur, electio futuri pontificis spectet ad cardinales tantum et non ad concilium*, *Conc. Trid.* IV 2, quod decretum 30. Oct. 1542 renovavit. Denique 19. Nov. 1544 idem pontifex Bullam *Ad prudentis patrisfamilias* eiusdem tenoris edidit, *Conc. Trid.* IV 338. Cfr. *I. B. Sägmüller*, Die Papstwahlen u. die Staaten 1447-1555 (Tübingen 1890) 12 sq. et de conventibus supradictis *Pastor* IV 1, 374. 447 sqq.; V 197 sqq. 456 sqq.

[5] In instructione Caroli V pro cardinale Madrutio (10. Nov. 1547) legitur: *Podreis dezir a Su S[d]. y affirmar de nuestra parte, que nunca fue nuestra intençion que aquella non se hiziesse en Roma, ni que haviesse mudança en la forma y manera guardada per lo passado. Nuntiaturberichte* I. Abt. X 444. — Nescio, cur Campegius bullae de obitu pontificis durante concilio 22. Sept. 1561 editae, *Conc. Trid.* VIII 248 sq., mentionem non faciat.

[6] Scil. in Bulla *Laetentur coeli* (6. Iulii 1439), *Mansi* XXXI 1031.

modo excluderentur addita in quinta sessione, his rationibus, quas antea deduximus [1]. Quae res tam obsequentes redderet patres concilii, ut de eis omnia nobis possemus promittere, qui forte etiam aliquam admitterent moderationem. Sed dicet quispiam: Quis nos reddet securos, ex hac nimia indulgentia obsequentiores futuros et non potius magis elatos et maiora praesumentes? Huic respondendum censeo, quod etiam, si mea me falleret opinio, cum hoc *adimere* non possit, ut non liceat S^{ti} V. conciliaribus decretis derogare, quod semper integrum fuit praedecessoribus suis a Niceno concilio usque ad praesentia tempora; nihil mali expectandum a decreto illo, quoniam in confirmatione actorum concilii adeo per S^{tem} V. explanari et declarari posset, ut nihil officeret. Vereor hanc meam sententiam, si a multis audiretur, forte exploderetur et [a] | exsibilaretur. Eam tamen proponendam censui, ut saltem 85v ex ea colligatur, me huius esse sententiae, indulgenter et benigne agendum cum patribus, nec in singulis verbis scrupum ponendum, quasi semper timeamus, ne laedatur auctoritas apostolicae sedis, quae tam firma et solida existit, ut ex his detrimentum recipere non possit. Et ut mei similis sim, libere, quae sentio, non tamen mordicus retinendo proferam. Existimo sacrum concilium simile generoso equo, qui sola virgae umbra regitur, quem si freno et calcaribus urgeas, excusso sessore infrenis, hinniens et calcitrans non nisi multo labore et insequentium sudore ad dominum reduci potest. Rides forsan, B^{me} Pater, rides, cum haec legis aut perlegis, sed hoc aequo animo feram, modo non derideas; nec tamen hoc metuens abstinere potui, cum sentiam, quod dixi, et dixerim, quod sentio. Tuae clementiae erit boni consulere et in bonam partem accipere, et existimare haec ex bono zelo processisse meque zelum domus Dei comedisse [2].

[14.] Si quae exortae fuerint contentiones et ex sententiarum varietate dissensiones, cohibenda est omnis iracundia, abstinendum a iurgiis et nimis severa reprehensione, in qua quandoque erratum | est [3]. Sed paterno affectu plura toleranda, et si praesidentes in sententiam 86r patrum descendere nollent, sicut antea diximus, sat sit eis suum non praestare assensum et ea tanquam pendentia et non conclusa reservare iudicio et beneplacito S^{tis} V. Quae postquam plura huiuscemodi forent cumulata, posset et forte expediret destinare particulares nuntios ad concilium, viros probos, graves, integrae famae et eruditos tam in sacra pagina quam in utroque iure, qui sua oratione persuadere possent patribus, ut a priori sententia discederent, exemplo Eugenii IV, qui pluries particulares nuntios ad Basiliense concilium destinavit pro emergentibus difficultatibus et controversiis, etiam post illius dissolutionem [4], et exemplo Gregorii XII et Benedicti XIII, qui nuntios suos miserunt ad Constantiense concilium, quamvis indictum fuisset a Ioanne XXIII et in loco extra eorum obedientiam [5].

[15.] R^{mi} cardinales se conferre non debent nec possunt nisi mandante aut permittente Ste V., cum ei assistere debeant in regimine universalis ecclesiae nec ab eo sine licentia discedere. Si tamen imperator sese ad concilium conferret et cum eo tanquam invitati accederent ex his, qui ab obe|dientia sedis apostolicae se subtraxerunt, censerem destinandos sex, 86v octo vel decem ex eis, qui sua auctoritate una cum R^{mis} praesidentibus Caesarem in officio retinerent, ne in concilio proponeret, quod dudum a Ste V. postulavit, pro bono scilicet pacis et concordiae remittendum aliquid de severitate canonum, cuiusmodi est de communione sub utraque specie et coniugio sacerdotum, quamvis de communione sub utraque specie exaudiri posset, de coniugio sacerdotum nequaquam, his rationibus, quas deduxi in opusculo meo de non abrogando coelibatu sacerdotum [6]. Optarem tamen, ut ei persuaderi

[a] *Constructio, ut videtur, non recta*

[1] Supra sect. 5 et uberius in opusculo Campegii ibi allegato.

[2] Cfr. *Ps.* 68, 10.

[3] Praesertim a cardinale de Monte, ex. gr. *Conc. Trid.* I 25, 42 sqq.; 56, 16 sqq., II 426, 37 sqq.

[4] Etsi concilium Basiliense ab Eugenio IV die 18. Dec. 1431 dissolutum erat (*Mansi* XXIX 564 sqq.), idem pontifex paulo post nuntios Basileam misit, qui 21. Aug. 1432 a concilio sunt recepti (Conc. Basiliense II ed. *I. Haller* 198 sq.; orationem archiepiscopi Colocensis apud *Mansi* XXIX 468 sqq.). De aliis nuntiis Eugenii IV ad concilium vide *Hefele* VII 528 sqq. 553 (archiep. Spalatrensis) et 600 sqq. (Ambrosius Traversarius).

[5] Legati Benedicti XIII et regis Aragoniae 12. et 13. Ian. 1415 a concilio sunt admissi; Gregorii XII legatus, card. Ioannes Dominici, 22. Ian. 1415 Constantiam advenit. *Mansi* XXVII 549 sq.; *Hefele* VII 78 sq.; Acta concilii Constantiensis II edd. *Finke-Hollnsteiner* 206 sqq.

[6] *Thomas Campegius*, De coelibatu sacerdotum non abrogando (Venetiis 1554, opus card. Polo dedicatum) c. 81 sqq. opinionem eorum impugnat, *qui media quadam via incedere volentes in ea sint sententia, quod cum in tanto sacerdotum numero rari admodum sint, qui caste vivant,... ecclesiam posse et debere antiquata priori lege statuere, ut qui vellent ex sacerdotibus permanere nuptiarum immunes, permitterentur uti libertate... Qui vero frustra tentatis remediis vincere carnis rebellionem non possent, permitterentur etiam post ordinationem ducere uxorem..., culpantes tamen eos, qui privata authoritate spreto legis praescripto et ecclesiae authoritate id praesumpsere.*

Nobis, ait Campegius c. 84, *placere non potest*

posset, ne accederet ad concilium. Eadem ratione optarem, ut benigne et clementer, non severe nec cum imperio ageretur cum patribus, ne irritati procurarent adventum Caesaris ad concilium, qui partes eorum susciperet adversus praesidentes; foret enim metuendum, ne cuncta nutu suo gererentur.

[16.] Illud etiam metus, ne, si nimium urgeantur patres, in controversiam cum praesidentibus veniant, ut ipsi velint praesidentes deligere, vel solum permissa legatis apostolicis loci et dirigendi concilii praeeminentia, coactivam negent superioritatem exemplo Basiliensis, 87r qui post reconciliationem cum Eugenio et restitutam | eis conciliarem auctoritatem praesidentibus apostolicis expresse denegarunt coactivam iurisdictionem [1]. Quae causa praecipua fuit secundae dissolutionis, inobedientiae, contumaciae et tot discordiarum et perturbationum. Proinde quantum fieri posset, declinanda esset huiusmodi controversia, atque ideo communicanda videretur auctoritas cum delectis a concilio, ut praesidentes cum illorum consilio omnia peragerent. Quod minime absonum foret, cum is sit mos conciliorum partiri onera cum delectis a concilio, nec propterea minuatur praesidentium auctoritas, sed et ea certe minus invidiosa et onus divisum levius redderetur.

[17.] Si forte diutius duraret concilium, quod taederet patres tam diuturnae morae, et praecipua ad fidem et morum reformationem spectantia absoluta forent, restarentque leviora quaedam, quae breviori tempore absolvi non possent, vel si bellorum aut pestis suspicio esset, cuperem a concilio decem aut duodecim ex patribus deligerentur, quibus auctoritas impartiretur, ut,* quae restarent, cum S[te] V. absolverent actorumque concilii confirmationem impetrarent, quod observatum legimus a Milevitana synodo [2].

89.

Rev[mi] [archi]episcopi Granatensis difficultates quaedam super decreto celebrationis concilii S[mo] D. N. scriptae [3].

[Post 18. Ian. 1562].

Romae Arch. Universitatis Gregorianae *cod. 653* f. 285v-287v, copia saec. XVII, multis locis mendosa

Sententiam suam de potestate legatorum in proponendis materiis directiva exponit, addens formulas emendandi decretum.

Cod. Gregor. 653 f. 285v

Cum intellexissem, Pater B[me], non sine aliqua molestia paucis quibusdam non placuisse quaedam verba decreti, quod in concilii exordio promulgatum fuit, coniecturae [a], nisi fallor, assecutus decreti mentem et dissensionis causam, operae pretium facturum esse existimavi rem ipsam explicatius aperire (quam si recte considerassent, facile profecto acquievissent) et aliquot praeterea subnectere non adversus verborum formas, quae pro controversis reponi possunt, quibus non receditur a publicato decreto, sed magis in futurum concordiae consulitur. Quae facile poterit resarciri, si in proxime celebranda sessione et in eodem repetito

[a] [illegible]

haec sententia. Nec enim in controversiis religionis et fidei dividere aut moderari debemus sententias, quemadmodum arbitri aliquid utrique parti condonantes. Easdem rationes, propter quas indicta fuerit lex coelibatus, adhuc vigere, neque legem ideo esse abrogandam, quod a pluribus violetur, et propterea, asserit, *quod non licet, quod non decet, quod non expedit legem coelibatus sacerdotum abrogare* (c. 93), licet in casibus specialibus papa possit dispensare.

[1] Sess. XVII (26. Aprilis 1434) concilium Basiliense admisit praesidentes a pontifice nominatos *cum infrascriptis condicionibus et clausulis plenissimum robur et effectum per omnia habituris: videlicet sine ulla iurisdictione coactiva, salvo etiam modo procedendi in hoc sacro concilio hactenus observato. Mansi* XXIX 90; Monumenta conc. gen. saec. xv, II 647 sqq.; cfr. *Lazarus*, Das Basler Konzil 88 sqq.; *N. Valois*, Le pape et le concile I (Paris 1909) 318 sqq.

[2] Conc. Milevitanum V, can. 27 (*Mansi* IV334) *Item placuit, ne diutius universi episcopi, qui ad concilium congregati sunt, tenerentur, ab universo concilio ternos iudices de singulis provinciis eligi.*

[3] Archiepiscopus Granatensis, Petrus Guerrerus, cum ante sessionem aperitionis tum in sessione ipsa tum post eam verba decreti *proponentibus legatis* (*Conc. Trid.* VIII 291 l. 18 sq.) acerrime impugnabat. Cfr. narrationem Seripandi *Conc. Trid.* II 472; Paleotti *Conc. Trid.* III 1, 247; acta sessionis *Conc. Trid.* VIII 291 l. 28 sqq.; litteras legatorum *Šusta* I 163 sqq.; II 26 sqq. Hae autem nostrae « Difficultates » non eaedem esse videntur ac « Oppositiones » illae, quas card. Borromaeus die 4. Februarii 1562 Crivello nuntio ad regem Catholicum transmisit, *Šusta* II 392. Etiam orator Vargas verba *proponentibus legatis* impugnavit litteris ad Granatensem directis 31. Ian. 1562, *Döllinger*, Beiträge I 387 sqq.

decreto eisdem verbis aptius locatis vel aliis aptioribus ex propositis formulis [1] desumptis res fiat dilucidior, ut habitent omnes unius moris [2] in domo synodali. Deus enim, in cuius nomine convenerunt, non est auctor dissensionis, sed pacis [3], et subiicit prophetis spiritus prophetarum. Ad hoc autem faciendum addidit mihi animum et pietatis studium, et quod non alienum a meis partibus existimavi, ut quam sententiam eram in synodo de hac re dicturus, eam ex scripto S[tis] Vestrae, cui maxime mentem meam cupio exploratam, declarare. Quod pergam facere de cetero, si S[ti] Tuae hoc meum qualecumque officium gratum esse intellexero. Cuius clementia[e] et benignitati multis nominibus sum addictus, quem video hac | concilii 286r
cura, ut bonum decet pastorem, maxime tangi et in eam totum incumbere.

Decretum itaque huiusmodi, quantum arbitror, eo consilio sub ea forma a prudentibus quidem viris conceptum est, ut ad duo maxime respiciat: Primum, ne se synodus arctaret ad continuationem vel eam praeferret (quae exigebat, ut de reliquis sacramentis, ordinis scilicet et matrimonii, ageretur, de quibus per consecutam [a] concilii suspensionem decerni non licuit, quamvis iam diligens conquisitio et tractatus praecessisset); alterum, ut astrueretur tamquam ex voto perspicuo potestas directa DD. legatorum in synodalibus, quae, sicut negari non potest, etiam fatendum videtur non defuisse alias forte aptiores formas ad eam insinuandam et a controversia et invidia vindicandam, quibus etiam singuli quoque de synodo omni suspicione fuissent liberati, quia neque ablativis (quod aiunt) absolutis utendum erat, cum de propositione legatorum agebatur, ne videretur a synodo tolli eiusmodi facultatem [!], cum eam satis esset re ipsa et usu a legatis vendicari, et sufficeret expressisse, quod ipsi possent nec innuere, quod synodus non posset. Praeterea, ubi legitur *ad horum temporum levandas calamitates* et reliqua usque ibi *ad pacem conciliandam, quae sunt causae congregationis concilii* videntur superflue repetitae, cum in litteris apostolicis, de quibus paulo ante fit mentio [4], | expri- 286v
mantur et ab eis religio est non recedere; non enim aliae plures vel pauciores tractari debent aut possunt, quam ob quas concilium extitit congregatum, alias nihil ageretur (ut praeteream non alio ordine, quam quo praescripta sunt, tractari debere); validum est enim argumentum ab ordine litterae, quod si repetere causas placebat, praestitisset uti verbis bullae, non enim meliora poterant succurrere, praesertim cum imponant necessitatem ita procedendi. Et quod additum est de linguis dolosis, videtur supervacaneum, et parum abest, quin legenti occurrat illud ex *Psalmo* [119, 3]: *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*, cum non desint sagittae acutae potentis synodi!

Et ut redeam ad potestatem directivam, unde mea defluxit oratio: Sicut non est ullo modo consideranda synodus ut divisa a catholico et indubitato pontifice, qualem a Deo datum et coronatum te, Pium IV, habemus et adoramus, ita duo directores consistere non possunt, scilicet legati sui et synodus. Debet enim interesse discrimen inter directum et dirigentem. Unde ad legatos pertinet dirigere et influere (cum sint capitis instar), ad synodum vero dirigi et influxum recipere, maxime quia iurisdictio, secundum quam synodica iudicia explicantur et proferuntur, a te fluit atque derivat, qui caput existis, et sicut unguentum descendit in barbam | Aaron [5], id est sacerdotum; et sic synodus directionis indiget, ut per assensum 287r
cooperetur apostolicae auctoritati ad instar naturae et gratiae, quae comparantur secundum A u g u s t i n u m equo et sessori [6], currui et aurigae, et hoc proprie vocatur et est auctoritative proponere. Et huiusmodi proponendi modum synodus sibi non arrogat.

Tamen, si ad singulos respicimus, de synodo dubium non videtur, quin possint, immo et debeant ex sententia digna horum, quae sentiat, pro ea Spiritus libertate, qui disciplinae effugit fictum [7], in quo et congregati sunt (nempe Sancto), quia *ubi Spiritus ibi libertas* [8], et sic non solum circa, sed ultra proposita excurrere, quia si sedenti, i. e. minori, secundum A p o s t o l u m [9], aliquid fuerit revelatum, prior taceat, quod potius est aperire desideria et mentem suam per modum optantis quam proponentis, quia viri desideria sunt et esse debent ac mentem sanctam ac spontaneam ad tam salutare opus afferre ad Dei honorem et ecclesiae libertatem tuendam. Et certe, dum per illa verba decreti interpretantur praecludi sibi viam ad exponenda vota sua, et si proponere non liceat, ad dissentiendum inducuntur,

[a] *Cod.* conceputam

1 Vide infra in fine tractatus.
2 Cfr. *Ps.* 67, 7.
3 Cfr. *1 Cor.* 14, 33.
4 Scilicet indictionis bullae, *Conc. Trid.* VIII 104 sqq.
5 Cfr. *Ps.* 132, 2.
6 En. in Ps. 32 II n. 22 sq. (*Migne* 36, 272) et Ps.-Augustinus, Hypomnesticon l. III c. 11 n. 20 (*Migne* 45, 1632 sq.). Cfr. *H. Iedin*, Des Ioh. Cochlaeus Streitschrift de libero arbitrio hominis (Breslau 1927) 77 sq.
7 Cfr. *Sap.* 1, 5.
8 *2 Cor.* 3, 17.
9 Cfr. *1 Cor.* 14, 30.

forte in munere suo hoc non distinguentes, quod dum respondent per synodicum placitum[a] ad proposita per DD. legatos, tunc et ipsi quoque et auctoritative et decisione [!] concurrunt
287v in condendo canone. Cum autem | ultra proposita loquuntur, nihil agunt, sed magistraliter et consultive se habent, quod sane per huiusmodi decretum eis non tollitur nec prohibetur.

Praeterea vero falluntur opinione, qui asserunt, quod vox illa decretalis *praesidentibus* nova sit in conciliis, cum sit receptissima, praesertim in ipso Tridentino [1], ut videantur eius decreta non legisse vel eorum penitus esse oblitos, ne dicam durius, quod contradictioni student. Nec mireris, quod de iam constitutis et decretis loquar, de quibus non est iudicare, sed secundum ea, cum agam apud te, S[me] pontifex, qui de omnibus semper iudicas et a nemine iudicaris, quique synodica decreta pro summa tua divina potestate et confirmas et infirmas arbitrio apostolico, quod ratum est in coelo [2], cui praedicta omnia corrigenda humiliter submitto [3].

F o r m u l a e vero dicendi aptandique decreti a loco controversiae ibi, ubi legitur *et in eo*, sunt huiusmodi:

[1.] Et [b] in eius prosecutione debito etc. illa inprimis tractanda proponi a praesidentibus apostolicis legatis, quae ad schismahaeresesque tollendas et reformandos mores, ut in his apostolicis praedictis expedire magis ...

[2.] Et in eodem ex in praefata apostolica bulla contentis ab his potissimum exordiri tractandaque proponi a praesidentibus etc., quae convenire [c] magis... [d].

[3.] ⟨Et in eodem illa inprimis tractari proponique a praesidentibus, quae acta magis ex re ipsi synodo⟩... [e].

[4. Et in eodem] ex proponendis per praesidentes apostolicos legatos illa praesertim tractari, quae aptiora sanctae synodo videbuntur.

90.

Otto Truchsess cardinalis Augustanus: Ein einfältig trewhertzig bedencken der jetzigen gefährlichen leuff halben [4].

Romae, **24. Ian. 1562.**

Monachii Arch. status princip. [Hauptstaatsarchiv] *Staatsverwaltung 2780* [antea Bayerische Religionsacta tom. III] f. 264r-269r, cop. coaeva, ex qua etsi epistola iam edita erat a *M. Goldast*, Politische Reichshändel 599-601, denuo ed. *Knöpfler*, Ein Schreiben des Kardinals Otto von Augsburg über das Konzil von Trient: Hist. Jahrbuch 10 (1889) 555-560. In linguam Italicam versa sub titulo: « Simplice et cordiale consideratione del cardinale de Augusta sopra il pericoloso essere di questi nostri tempi, mandata alli principi et stati di Germania l'anno 1562 li 24 di Gennaio di Roma » invenitur in Arch. Universitatis Gregorianae *cod. 246* p. 63-67, cop. saec. XVII. — Similis tenoris ac epistola nostra est illa, quam cardinalis Augustanus die 5. Ian. 1561 Gervico Blarer abbati Weingartensi scripsit, *H. Günter*, Gerwig Blarer, Briefe und Akten II (Stuttgart 1921) 460-463.

Pontificem statusque catholicos minime contra protestantes bellum parare nec in animo habere, concilium armorum vi executioni mandare. Admonentur status protestantes, ne seditiosis hominibus aures praebeant communemque patriam prorsus interimant.

Staatsverwaltung 2780 f. 264r

Wir haben mit grossem schmerzen und laid vernommen, wie vast durch das gantz Teutschlandt, unser betruebts vatterland, bei schier allen hohen und niedern stenden ohne allen grund und mit unwahrheit ausgegossen werde, als solte die Bapstlich H[t] unser allergenedigister Herr, das concilium zu Trient mit dem schwert anfahen und mit blutiger execution

[a] *Codd. add.* ad propositum placitum [b] *Cod.* Ut [c] *supra lin.; del.* acta [d] *del.* ipsi synodo [e] *add. inter lin*

[1] Usa est Tridentina synodus hoc verbo in decretis sessionum II-VII, IX et X, XII-XVI.

[2] Cfr. *Matth.* 16, 19.

[3] Eiusdem auctoris litteras ad Franciscum Turriani directas de formula « Ecclesiam universalem repraesentans », respondentes ad litteras quasdam illius, simulque replicam Turriani, quae omnes in *cod. IX A 49* f. 17r-31r Bibliothecae nationalis Neapolitanae inveniuntur, cum ceteris litteris edemus.

[4] Saepius iam anno 1560 cardinalis Augustanus pontifici explicaverat, *in was gefor die Catholisch stendt und Religion der sorglichen stattlichen pratick halb standen*, scil. ex parte statuum protestantium Germaniae (ita scribens Alberto, duci Bavariae, 18. Martii 1560, apud *A. Steichele*, Archiv für die Geschichte des Bistums Augsburg 2 [1859] 154); propterea confoederatione catholicorum opus esse, qua contra adversarios se defendere ipsumque concilium, si congregatum esset, tueri possent (idem 18. Maii 1560, *Steichele* 166 sq.; similiter p. 177. 191. 205), praesertim cum Galliae, Angliae Germaniaeque protestantes in dies magis inter se conveniant (*ain satten verstandt mitt*

vollenden wollen, dass sich auch dasshalb Ihre H[t] sampt allen derselben verwandten zu solcher vollziehung gefasst mache. Darumb, wie die unruewigen leuth furgeben, lassen sie sich allenthalben unverholen merken, sie seien getrungen, den pfaffen und allem ihrem anhang vorzukomen, und kundte man ihnen nit verargen, dass sie sich zum vorstraich ruesten missten.

Bedenken[1] darneben falschlich alles menschlichen und unmenschlichen ubels wider die Bapstlich H[t] und alle, so der wahren, alten, christenlichen, catholischen religion anhängig, damit sie jederman zu empörung, aufruer und thätlichen vergewaltigung wider sie anraitzen und ihr unchristenlich, blutdurstig gemueth durch jämerliche verderbnus und onwiderbringlichen schaden wider die unschuldige under dem schein der defension genueg thuen mögen. |

Darauf kunden wir, der lauter göttlichen wahrheit zu steur, als ein geborner unverletzter 264v
Teutscher aus christenlicher lieb und treu gegen Gott, unsern nechsten und unserm gantzen vatterland nit underlassen, diesen unsern wahren einfältigen bericht zu geben.

Sagen also mit grund der wahrheit, dass die Bapstlich H[t], unser allergnedigister Herr, sobald sie von Gott zu diesem höchstem ampt erfordet, all ihr gedanken, sinn und gemueth dahin standhaftiglich gewendt hat, dass alle schwere obligen der gantzen christenheit, alle zwitracht, missverständ, missbrauch und was die geliebte ainigkeit verhindern möchte, zeitlich durch guetliche mitl und wege hingelegt und guete, christliche, beständige, einhellige vergleichung angericht werden möcht.

ain anderen haben, idem 22. Iunii 1560, *Steichele* 177) variasque « practicas » adhibeant, ut catholicis bellum inferant, simulantes se catholicorum minis ad id esse coactos. *Ist nitt zu erbarmen*, 20. Iulii 1560 scribit (*Steichele* 190 sq.), *das si also erdichten, als practicier man wider si Krieg, welchs entlich fir war bissher nitt beschehen?* Et paulo post: *Wer kan inen trauwen, wan si so beharlich sovil onwarhaytt zu verbitteren den ainfeltigen, gemainen man allenthalb onverschembt aussgiessen und nitt auffhoren, biss si die ubrige Catholicos och undertrucken kinden?* (*Steichele* 191; cfr. etiam 237).

Quanta inde pericula communi patriae imminerent, cardinalis Alberto duci semel atque iterum exposuit, ex. gr. 16. Nov. 1560 (*Steichele* 222): [*Die confessionisten*] *wurden sich und das gantz Teutschland in eusserist gefor bringen, das fremb Nation gezwungen wurden, irem vorhaben nitt also stillschweigen*[*d*] *zuzusehen; dergleichen och wurden dardurch Moscoviter, ja och Türken gelegenhayt ersehen und bekommen, mitt irer auslendischer grosser macht unns all, Catholische und Confessionisten, zu uberziehen.*

Quibus de causis idem cardinalis Augustanus 5. Ian. 1561 abbatem Weingartensem admonuit, ut pro defensione catholicorum cum duce Bavariae se coniungeret nec minime de bona voluntate pontificis dubitaret, *Günter* l. c. supra 460-463.

Nec minus quam catholici protestantes quoque Germanici variis quibusdam rumoribus timoribusque terrebantur, ac si pontifex, cum rege Hispaniarum ceterisque principibus catholicis coniunctus, bellum contra eos esset paraturus, ut decreta concilii armorum vi executioni mandaret, praesertim cum mense Decembri 1561 folium quoddam (« Zeitung ») in Germania divulgaretur huius tenoris: Papam, regem Hispaniarum, principem Pedimontis, ducem Urbini, Venetos inter se coniunctos esse, ut Galliam religionis causa debellarent; eosdem « practicas » habuisse cum praelatis Germaniae et cum confoederatione Landsbergica hac fine, ut principes Germaniae protestantes aggrederentur eosque sic impedirent, ne Gallis succurrerent. *In summa: es ist ein grosse Kriegsrustung vorhanden wider Frankreich und Deutschland.* Hoc folium duci Wolfgango Neoburgensi 10. Decembris 1561 a Cypriano quodam Leovicensi transmissum est. *A. Kluckhohn*, Briefe Friedrichs des Frommen I (Braunschweig 1868] 211 adn. 1. Die 20. Dec. 1561 Fridericus elector Palatinus Ioh. Fridericum ducem Saxoniae certiorem fecit, adversariorum practicas in dies crescere (*ibid.* 231), et Canisius Hosio 29. Ian. 1562 scripsit: *Vulgo nunc adversarii persuaserunt, Pontificem et magni nominis principes catholicos in synodum ita conspirasse ac novis foederibus conglutinatos esse, ut igne et ferro persequi velint Lutheranos, qui decreta synodi noluerint recipere atque approbare.* P. Canisii epp. et acta ed. *Braunsberger* III 361.

Quibus rumoribus commotus cardinalis Augustanus iam 17. 1562, iussus a pontifice, duci Alberto scripsit, concilium die Dominica sequenti esse aperiendum nullumque periculum esse tantum, ut eum ab incepto deterrere posset. *Ir H[t] welle sich och in kain krigsristung sorg halb begeben; wel verhoffen, es sol niemants on ursach on grunt onbilliche sedition, rebellion... wider Ir H[t], das hl. concilium oder die catholischen stendt sich gebrauchen, dieweil jedermann clarlich sehe, das Ir H[t] und alle des concili verwante anderer waffen dan gaistlicher weren nit gebrauchen wellen. W. Goetz*, Beiträge zur Geschichte Herzog Albrechts V und des Landsberger Bundes (München 1898) 233 sq.

Eiusdem tenoris ac illae litterae 17. Ian. 1562 scriptae hoc nostrum « Manifestum » est, quod Otto octo diebus post Albertus Bavariae duci transmisisse videtur ea mente, ut inter principes statusque protestantes divulgaretur.

Sed rumores illi et « practicae » non desierunt; 3. enim Martii 1562 tres electores ecclesiastici litteris ad Caesarem directis denuo de eis conquesti sunt *als ob man durch sollichen weg des concilii dem gemeinen friden zugegen ichtes zu erpracticieren vorhette, welches misstrauen desto mer sich sterken wurde uf die bishero im heiligen reiche auszgebraitte und durch böse menschen erdichte zeitungen, als solten practicken gegen gemelten confessions verwanten vorgewesen sein. Th. Sickel*, Zur Geschichte des Concils von Trient (Wien 1872) 274; S. Petrus Canisius mense Februario 1562 Hosio misit *capita conspirationis, quam ibi palam circumferri significat* (*scil. Canisius*), *in qua perscripta est ratio, qua rex Navarrae loco moveri et heretici ex Germania exterminari possint.* P. Canisii epp. et acta ed. *Braunsberger* III 374.

[1] Versio Italica: *Si vanno imaginando tutto quel male che può imaginarsi la humana natura contro la S[ta] di N. S. ...*

Das ordenlicher weise zu erlangen, hat Ihr Ht je keinen bessern, bequemern und verhoffenlichern weg dann das allgemein concilium befinden künden, wie dann zuvor allwegen in gleichen nöten von allen unsern voraltern beschehen

Haben also [1] ausschuld ihres tragenden ampts alle christenliche gaistliche und weltliche häupter und obrigkaithen, soweit ihr nuntii zugelassen, ordenlicher, rechtmässiger weiss mit väterlicher liebe, mitaller guetig- und sanftmuetigkeit, mit wahrer, göttlicher treu, friedlich und schiedlich zu dem concilio gein Trient berueft. |

265r Haben zeitlich [2] ihr volmechtig gewalthaber und legaten etlich furtreffenliche, gotsfurchtige, gelerte, aufrechte, friedliche und guethertzige cardinäl [3] mit viel dapfern theologen und darzu gehorigen personen zeitlich abgefertiget, haben auch alle prälaten, deren Ihr Ht mechtig sein mögen, in groser anzal dahin verordnet, haben auch nunmehr jar und tag auf die auslandischen beruefnen prälaten und der christenlichen haupter potschaften und gesandten gantz guetig und dultiglich gewartet.

Dieweil aber derselben ankunft sich je hat zulang wöllen verweilen und mitler zeit an mehr örtern die zwitracht in religion, ja sogar wider die haylig Dreifaltigkeit [4], und sonsten onerhörte greuel zu grossem nachtheil der gantzen christenheit eingerissen und mit täglicher neuer weitleufigket hin und wider ueberhandnehme, hat Ihr Ht einmal nit länger also muessig stehen und das ubel also wachsen [a] zulassen zusehen kunden, und haben also in dem namen Gottes mit beharrlicher friedmuetigkeit das concilium ohne weitern verzug aufzuthun bevolchen [5]

Es [b] hat auch Ihr Ht sich guetwilliglich erklärt [6], dass siedem concilio seinen freien gang wie billich lassen wöllen, dass sie auch ihr selbs eigenen personen nit verschonen wölle, alles zu thun und zu lassen, das gemainer christenhait zu gutem reichen möge [7]. |

265v Ihr Ht wollen auch alle stend und jederman, er sei was religion er seie, gnugsamlich und notturftiglich versichern, verglaiten und verhören, auch was Gott der allemechtig durch eingebung des Hailigen Gaists einhelliglichen vergleichen wurdt, annehmen, bestet[ig]en und befurdern [8].

Bevor aber mögen wir in göttlicher wahrheit beteuren, das Ihr Ht gegen unser Teutscher nation ein gerecht treues, guethertzigs gemueth und sonderliche väterliche naigung hat, dann Ihr Ht vilmals in unser nation gewesen [9], auch vil Teutschen chur- und fürsten und stenden wol bekannt und in allen furfallenden sachen, so Germaniam oder das Hailig Römisch Reich antrift, furwahr ubertreffenlichste, innerlichste wahre lieb erwiesen und noch täglich erweiset, wie allen gesandten, so allhie gewesen, bewust.

[a] *Knöpfler* als wachsam [b] *Knöpfler* des

[1] Versio Italica: *Cosi per l'obligo che S. Sta tiene come buon pastore et padre ha mandato li suoi nuntii con buon ordine, con charita et pieta christiana per tutte le parti de' christiani alli capi spirituali et temporali et con paterno amore gl'ha chiamati al concilio di Trento.*

[2] Versio Italica: *per tempo.*

[3] Cardinales de Mantua et Seripandus 16. Aprilis 1561 Tridentum ingressi sunt; 20. Augusti 1561 Hosius card. Varmiensis, 9. Decembris 1561 card. Simonetta ibidem advenerunt, *Conc. Trid.* III 1, 7. 11. 18; auctor diarii, Astolfus Servantius, praelatorum quoque et oratorum adventus optime adnotavit. Quae fuerint legatorum indoles ac mores, ex *Pastor* VII 188 sqq. discas.

[4] Ex. gr. Michael Servetus, qui anno 1553 Calvino instigante propter errores contra SS. Trinitatem Genevae igni traditus est. Die Religion in Geschichte und Gegenwart V 447 sq.

[5] Card. Borromaeus 14.-15. Dec. 1561 legatis scripsit concilium in festo Epiphaniae esse aperiendum, *Šusta* I 132 sq. Paulo post, scilicet in consistorio 17. Dec. 1561, *Smus D. N. fecit verba de die, in qua deberet celebrari missa de Spiritu Sancto pro aperiendo concilio, et cum vota Revmorum essent, ut celebraretur quam primum, decrevit Sua Stas rem remittere ad legatos et ad patres congregatos Tridenti* (*Conc. Trid.* VIII 122). Qui cum sessionem primam aliquantulum (ad medium Ianuarium) differendam esse censerent, respectu oratorum Caesaris, quos ille 15. Ian. adventuros promiserat, papa consensit (*Šusta* I 139), et ita concilium 18. Ian. est apertum.

[6] Die 21. Dec. 1560 card. Augustanus Alberto duci haec scripsit: *Darzu lassen sich ir Ht ausstruckenlich bestendiglich vernemen, das sie dem concilio sein freyen firgang on ainiche hindernus lassen well, das sie och alle würckliche befürderung in allen puncten irs thayls, ja och mitt darstreckung irs leybs und lebens zu thuen gantz willig begirig und bereytt sey. Steichele* l. c. 234.

[7] Versio Italica: *che non vuole havere rispetto alla propria sua persona in fare et lasciare tutto quello che ridonda in bene de' christiani.*

[8] Propositio Delphini nuntii 5. Febr. 1571 in conventu Naumburgensi facta... *concilium omnes quacumque de re non modo auditurum, sed in rebus iustis exauditurum est...;* et postea: *Cum praesertim paratus sit idem Summus Pontifex publicam dare fidem in ea forma, quae vel umquam data est vel legitime dari possit amplissima. Conc. Trid.* VIII 143.

[9] Ioannes Angelus de Medicis, cuius soror Clara comiti de Altaems nupserat, anno 1531 dietae Badensi in Helvetia interfuit; anno 1542 commissarius generalis auxilia pontificia in Hungariam est secutus (*Pastor* VII 61 sq. 64); in sinu Germaniae versatus est annis 1546-47, cum in bello quod dicitur Schmalcaldico copiarum pontificis rebus frumentariis intendebat; nonnullas ipsius litteras *W. Friedensburg* libro suo *Nuntiaturberichte* I. Abt. IX inseruit (vide indicem sub verbo *Ragusa*).

So hat auch endlich Ihr H[t] sich des concilii halb so unverdächtlich erzaigt, dass niemand ursach schöpfen kann, als wollte Ihr H[t] (wie ihre widerparthei fälschlich ausgeben) mit gwaltiger execution was furnehmen, sondern onangesehen, dass Ihr H[t] von mehr orten gewarnet, sie soll also bleiben und unversehen das concilium nit anfahen, dan die widerparthei feire nit, rüste sich, practiciere in und ausserhalb des Reichs [1], das concilium zu vergewaltigen | 266r hat sie sich mit wahrheit bis auf diese stund nit bewegen lassen, sondern beharren, das concilium in göttlicher lieb und guete anzufahen und zu vollenden, des verhoffens, es soll niemand so unchristlich sein, der one ursach und grund sich wider Ihr H[t] friedsam furnehmen empören solle.

Und stehet die sach also einmal beschaffen, dass Ihr H[t] gar zu keiner gegenwehr, wie notturftig sie von vielen geachtet wirdet, gefasst sein, auch sich gefasst zu machen [a] gedenken, sonder pie, iuste, simpliciter et confidenter handlen und Gott das ubrig vertrauen will.

Derhalben so ist grösslich zu erbarmen, dass unsere chur- und fürsten, auch alle stend im reich durch etlich christlos, unruewige, blutdurstige leuth sollen also unwahrhaftiglich bericht werden, als sollt die Bapstlich H[t] und die gaistlichen zu kriegsempörung und vergewaltigung ursach geben, dann von Bapstlich H[t], auch allen gaistlichen in diesen landen stehet es nit anderst, dann wie wir jetzt oben wahrhaftiglichen berichtet.

So kan auch niemands mit wahrheit sagen, das die geistlichen in Teutschlandt etwas unruewiges practicieren, auch im sin haben, dann sie alle | 266v zumal gern den geliebten frieden halten und darbei ruewig bleiben wollten. Und wer sie [b] das widerspil furgibt, der thuet es aus unruewigem gemuet und aus lauter verbittertem hass, neid und feindschaft und, Gott weiss, aus lauter geitz und unchristlicher begirde, so sie zu den gaistlichen guetern haben, denen sie zuvil holt und den leuthen darumb zuvil feind seind.

O wievil ubels hat zu allen zeitten, bei allen völkern die guetgeitzigkeit und eigennutzigkeit verursacht! O wie gefährlich stehet unser armes vatterland! O wie wenig betrachten solche aufruerer, anhetzer und rebellische, wie sie nichts anders dann ein unverantwortliche und unwiderbringliche verderbnuss dem gantzen Teutschlandt anrichten! O wie unevangelisch und unchristlich ist solch furnehmen, wie grösslich beleidigen sie alle göttliche, natürliche und menschliche gesatz, ordnung und ruhe, dass sie under dem schein eines vorstraichs ihr bosshaftig, guetgeitziges, rachgirigs vorhaben in das werk bringen mögen!

Ist nit zu erbarmen, dass sie mit erdichten aufruerischen reden, gemein schreien und schreiben und mit | 267r allem, was sie nur erdenken mögen, nit aufhören, ein grossen jammer und not in unser vatterland anzurichten. Man weiss auch gar wol, was fursörglich practicken desshalb sie sogar bei ausländern hin und wider practicieren, und niemand weiss, was es fur einen ausgang gewinnen kann, dann Gott im himmel wurd solch mutwillen, wie die alten historien clar anzaigen, ongestraft nit lassen kunden.

So ist es unmüglich, dass ihnen all ihr anschläg furgehen mögen, wiewol verdorben leuth nichts darnach fragen; aber die so verlieren, billich bass erwegen soleten, was daraus mit der zeit entstehen mag. Dann wann die unschuldige betrangte sich in den nöten sollten wenden, so wurden sie dann auch aus der not ein untugend machen und etwan mannshertz fassen und mit Gott und gueter leuth zuthun zu der gegenwehr letztlich, und wan es je anderst nit sein kundt, greiffen muessen und als dann were ein jeglicher entschuldiget. Was dann daraus fur gewiss undergang des gantzen Hailigen Römischen Reichs, was fur elend und greulichkeit darunder mitlauffen, kann nit genugsam betracht werden. Sälig werden die sein, [die] solches nit erleben, wie wir auch Gott treulich bitten, uns nit zu erleben lassen. | 267v Es sollen uns ander leuth und vor augen schwebende exempla [2] zu fried und einigkeit billich bewegen.

Hiemit wollen wir alle from, friedliebende, guthertzige Teutschen ermanen, dass sie zu allen theilen die verbitterte gemueter in christenliche, catholische und evangelische hertzen richten wöllen, dass sie sich nit also durch martialische, bluetdurstige, eigennutze leuth

[a] *Knöpfler add.* nit [b] [illegible]

[1] De tractatibus principum protestantium cum Gallis vide *A. Kluckhohn*, Briefe Friedrichs des Frommen von der Pfalz I (Braunschweig 1868) 153. 177. 193 sqq. 208. 232 sqq; *W. Goetz*, Beiträge zur Geschichte Herzog Albrechts V und des Landsberger Bundes (München 1898) 227 sqq., in primis autem, quae *A. Heidenhain*, Die Unionspolitik des Landgrafen Philipp von Hessen (Halle 1890) 291 sqq. 352 sqq. docte et ample disseruit. Paulo ante (10. Decembris 1561) theologi Suevici ex colloquio Pissiaco revertentes Stuttgardiam adierant. *G. Bossert*, Die Reise der württembergischen Theologen nach Frankreich im Herbst 1561: Württembergische Vierteljahrshefte für Landesgeschichte N. F. 8 (1899) 351-412.

[2] Scilicet tumultus, quibus Gallia tum vexabatur.

in einander hetzen lassen wöllen, sondern dass man friedlich des concilii anfang, mitl und ausgang erwarte, dass ein jeder sein notturft furbringen, dass man alles auf erdrich verzuche, ehe man zu den waffen komme.

Wir mögen auf unsere seligkeit und mit grundlicher wahrheit sagen, dass vor der Bapstlichen Ht und uns allen catholischen in gantzer christenheit sich kein krieg religion halben zu versehen, sondern dass Ihr Ht und alle catholici arma spiritualia, geistlichen waffen, das ist demut, gedult, liebe, christenliche treu endlich und gewisslich brauchen werden.

Wo ihr aber unserem gegentheil, den aufruerischen anhetzern, lugentreibern, geldsuchtigen, verwegnen, unchristenlichen leuthen mehr glauben wollt als der hellen grundwahrheit, so [1] betrachten sie das andere und sehen zu, dass sie der scherz nit reue, denn untreu trift gemeinlich seinen herrn und den maister. Gott wurdt unbillich gewalt nit lang zusehen kunden, es kann nit bestehen. |

268r Darumb bitten wir umb Gottes willen alle guethertzige beider seits, dass sie beständiglich beim frieden beleiben und die teuflische kriegspractic alle aus dem gemuet schlagen. Sollte aber unser widerparthei, wie man sagt, jedoch wir nit glauben kunden, mit wueten, tirannisieren und unbillicher vergewaltigung uns angreiffen, bekriegen und engsten wollen, so ist die gegenwehr von natur erlaubt und werden dannocht unsere unterthanen und nachbauren sich nit in also unschuldiglich verderben lassen.

Verhoffen auch, Gott werde den unschuldigen wunderbarlichen schutz und schirm schicken, und werden auch sogar die ausslander solcher furi nit wolzusehen mögen und ihr selbs sorg halben dahin bedacht sein mussen, wie man sicher und ruewig bleiben kunde vor solchem vermessnen ubermueth.

Wir erkennen vil schiedliche, fromme, lobliche stend im reich, wann sie schon nit unsers glaubens sind, das dannocht ihnen garnicht gefällt, dass man das evangelium, wie sie es nennen, mit dem schwert verthaidigen, dass man also unchristenlichen jammeranrichten, dass man in- und ausslandischen erwecken und zur gegenwehr nötige, durch uberzug tringe [2]. Es kann kein bestand haben. Nil violentum perpetuum.

Wir woleten, welcher in teutscher nation zu krieg riethe, dass er offentlich als ein ver-
268v räther des vatterlandes solt gericht werden. | Es wurds kein verstendiger, er sei, welcher parthei er wölle, [nit] gutheissen kunden. Es ist auch vilmehr zu verhoffen, durch die gnad Gottes in gedult und sanftmuetigkeit in vorstehendem concilio was nutzliches zu gemeinem vertrag und wolfart zu erhalten, dann so man mit erdichten practicken, mit erlognem furgeben und mit unrechtmässigem gewalt einander uberziehen wollte. Darzu dann von unser parthei niemand ursach gibt anderst, dann dass der wolf das schaf darumb fressen wolet, dass er sagt, es hette ihm das wasser oben betruebt. Hetten aber die abgefallne stend ein bestendigen verdacht oder ursach, so zaigten sie es an, schickten ihre gesandten, erfueren ein ding recht, liessen sich durch falsche kundschafter und anhetzer, die sich mit lügen und betrügen nähren [3], nit verfueren, versuechten alles zuvor, vas müglich, ehe sie sich mit greulichen kriegen und gewisser verderbung unsers allgemeins vatterland verdieften.

Wir sagen und beteuren mit höchster wahrheit, dass die jetzig Bapstlich Ht nit allein kein ursach gibt zu kriegen, sondern vil lieber und begiriger alles, was verantwortlich, thun wirdet, das zu gemainer ruhe und wolfahrt dienstlich sein mag. Will man aber unsern worten nit glauben, so erfahre man es im werk, man schicke, man handle, wie sich gebuert,
269r man informiere das concilium, darauf | sovill frommer, gottfurchtiger und guethertziger manner schon erschienen sein [4] und dahin noch taglich mehr ankommen, die allein Gott fur augen haben. Handlet man allda nit recht oder gibt man ursach, so ist dannoch noch zeit genug zu unfrieden und notwendiger fursehung.

Wir wollen auch unsern leib zupfandl setzen, wann wir nur sovill gluck hätten, dass alle theil zusammen kämen, und dass unsere chur- und fürsten und stend hören möchten, wie und was man handlete, wie ihre predicamten gefasst wären etc., so wurde noch wol mögen zu christenlicher vereinigung weg getroffen werden.

[1] Versio italica: *Considerino prima il fine et guardino bene, se il scherzo non si facci da senno, percioche la perfidia cade facilmente, come in proverbio si dice, sopra il proprio signore.*

[2] Ex. gr. elector Saxonicus.

[3] De auctore folii illius famosi (supra p. 574 adn. 4) et aliis huius farinae hominibus loqui videtur cardinalis. Qui saepius mendacia comminiscebantur, ut patronis suis aliquid novi scribere possent. Cfr. *P. M. Baumgarten*, Von den Kardinälen des sechzehnten Jahrhunderts (Krumbach 1926) 24 sqq.

[4] Primae concilii sessioni 18. Ian. 1562 celebratae praeter praesidentes 3 patriarchae, 11 archiepiscopi, 91 episcopi, 4 abbates et 4 generales, multi quoque theologi et iurisperiti intererant. *Conc. Trid.* VIII 299 sqq.

Diess alles zaigen wir treuhertzlich an und bewegt uns nichts darzu dann dass wir, sovil an uns ist, gern wollten, dass der allgemein fried in unserm vatterland erhalten wurde. Dann aus den trucken, zeitungen, schreiben und practicken, so jetzt furgangen, sicht es ihnen fast gleich, als wolt durch etliche unruewige ein unnötig krieg angefangen werden. Dafur behutt uns und das löblich Teutschlandt der herr Iesus Christus, unser erlöser und seligmacher, und gebe uns sein göttliche friedliche benedeiung. Amen.

Datum zu Rom am tag Thimotey den 24. Ianuari anno 1562.

Ottho cardinal zu Augspurg.

91.

Ludovicus Beccadellus: Memoriale de quibusdam abusibus in ecclesia corrigendis

cum aliis Rev. patribus collatum, ut demum Rev^mis cardinalibus in sacro concilio Tridentino praesidentibus afferatur pro salute ecclesiae [1].

Tridenti 1562 die 29. Ianuarii.

Ed. [*L. Morandi*], Monumenti di varia letteratura tratti dai manoscritti di Mons. Ludovico Beccadelli II (Bologna 1804) 191-195

[1.] Primo, ne praelati a suis ecclesiis abessent. Hinc enim clerici dissolutiores, monachi audaciores, laici vero omnium contemptores. Quare si residentia de iure divino est, id declarandum; sin minus, poenae et remedia urgentia adhibenda, ut resideatur omnino.

[2.] Item providendum, ne copia clericorum ecclesiam labefactet. Qui cum multi sint et pannosi et ignorantes, ad omne ministerium quantumvis vile se applicant et ecclesiam vituperant. Copia enim res vilescunt et raritate in pretio sunt. Et hoc sacrificium missae esset conscribendum [a], ita ut nullibi nisi in ecclesiis Deo dicatis celebraretur nec etiam frequentibus missis, quo convenirent laici, et ea reverentia, quae tanto convenit sacrificio.

[3.] Item ut seminarium clericorum institueretur, qui possent, ut decet, ecclesiae inservire, essent ab episcopo et a capitulo magistri praeficiendi, qui illos erudirent tam in litteris et moribus quam in ecclesiae cultu exercendo.

[4.] Item providendum omnino, ut sacramenta ea qua decet reverentia tractentur nec quaestus causa, ut fit, exerceantur, sed gratis et pie.

[5.] Item modus esset adhibendus defunctorum sepulturis, ut non mundi triumphus aut pedagium pro religiosis videatur. Illis enim tamquam vultures inhiant, multaque indigna quotidie fiunt, nec sine scandalo laicorum. Et si etiam extra ecclesiam in coemeterio sepelirentur, ut olim fiebat, non esset nisi salutare et decorum.

[6.] Item quod parochi suas ecclesias ipsimet curent, Deo et pastoribus rationem reddituri de cura illarum; hinc enim maxima populi dissolutionis occasio.

[7.] Item cavendum, ne praetextu privilegiorum seu consuetudinum capitula, fraternitates etc. se ab ordinario eximant, sed illo praesidente, quae agenda sunt, peragant.

[8.] Item videretur sancta et necessaria provisio ad cultum divinum frequentandum, si ordinarius distributiones quotidianas posset constituere pro iis, qui ecclesiae inserviunt, de praebendis ociosorum, maxime in illis ecclesiis, in quibus nullae sunt distributiones.

[9.] Item danda est opera, ut ordinarii intelligant, quomodo in excommunicationibus procedere debeant, quibus nunc homines ita obsurduerunt [b], ut eas nec intelligant nec curent. Et temperandae meo iudicio essent nonnullae, quae in Coena Domini proferuntur contra arma

[a] sic! [b] Morandi absurduerunt

[1] Ex actis Paleotti (*Conc. Trid.* III 1, 285 sq.) apparet Beccadellum unum fuisse ex quinque praelatis, quibus Seripandus negotium colligendi reformationis capita dederat. Hoc « Memoriale » videtur eos comprehendere articulos, quos ipse Beccadellus collegit; qui postea cum ceterorum articulis coniuncti partem illius « libelli reformationis Italorum » fecerunt, quem infra n. 95 exhibebimus.

De auctore, olim secretario cardinalis Contarini (*F. Dittrich*, Regesten u. Briefe des Cardinals G. Contarini [Braunsberg 1881] 1 sqq..) archiepiscopo Ragusino 1555-1564 (*van Gulik-Eubel* III 299), fusius agendum est ab editore epistolarum; vita eius *scritta* da Antonio Giganti da Fossombrone, continetur in collectione *L. Morandi*, Monumenti di varia letteratura I 1, 1-68.

deferentes ad infideles [1]. Nam hodie commercium cum illis est frequens, et nautae saepe commutant in regionibus eorum gladios, rudentes et similia; non enim ut milites cum Turcis, sed ut mercatores conveniunt, huiusmodique commercium aegre tolli potest, ut optime sciunt Veneti et alii, qui Egyptum et Syriam petunt.

[10.] Item praecipua cura in matrimoniis contrahendis esset adhibenda, ut scilicet in faciem ecclesiae celebrarentur, clandestina tollerentur; hinc enim maxima quotidie nascitur caribdis malorum.

[11.] Item illud advertendum maxime, ne lites immortales fiant, quae quaestu illicito saepe animas illaqueant, rixas serunt, dispendiosaeque litigantibus sunt. Quare si fieri posset, iuris canonici multiplicitas et varietas esset in compendium redigenda [2] methodoque breviore et dilucidiore tradenda.

[12.] Item monacorum multitudo et privilegia essent recte animadvertenda. Confusionem enim in ecclesiam attulerunt, nedum ordinariis repugnando, sed inter semetipsos altercando, disputationibus et sectis variis dissidendo. Quare crederem optimum fore, eos in pauciores ordines redigere illosque una et stabili regula conservari. Bonumque foret, ne ordinarii auctoritatem privilegiis excederent in confessionibus audiendiset peccatis absolvendis, sed illi potius in iis, quae ad salutem animarum pertinent, obtemperarent, ita ut neque confessores neque concionatores instituerent nisi de licentia ordinarii missasque nisi in sua propria ecclesia non celebrarent nec etiam ordinarios a suis ecclesiis excluderent, ut vidi quandoque fieri, quando scilicet devotionis causa vel aliqua alia ratione exigente vellent ipsi ordinarii in suis ecclesiis celebrare. Indignum enim videtur pastorem in sua dioecesi a sacris locis religionis causa prohiberi.

[13.] Item illud considerandum, quo de piorum redituum temporalium redundantia saepe monachos et religiosos a pietate et Dei cultu avertit animarumque saluti officit, essentque eiusmodi redditus, qui superabundant, inter pauciores distribuendi, maxime monasteriis mulierum; egestas enim saepe illas ad multa indecora perducit.

[14.] Item et illud magna animadversione dignum; monasteria enim mulierum hodie ut plurimum, ne quid turpius proferam, ergastula sunt, ita ut magis diabolo quam Christo famulentur. Hoc maxime provenit ab infinito luxu huius aetatis, quia, dum patres filias omnes non possunt nuptui tradere, ad hoc satanicum remedium perfugiunt, ut illas teneras adhuc nec scientes, quid faciant, vel invitas etiam in monasteria detrudant. Quare providendum, ne illae reciperentur nisi adulta aetate et diu probatae, an libenter et sponte monachatum profiteri velint, curandumque esset, ne necessariis egerent, quae ad victum pertinent, et ut in communi caste et religiose viverent.

[15.] Item domini temporales admonendi, ut se a personis et bonis ecclesiasticis abstineant, ut quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo reddantur [3].

[16.] Item providendum, ut ludimagistri, qui publice pueros docent, sint catholici et probi, doctrinaque catholica iuvenes erudiant auctoresque iis praelegant, qui eos ad virtutem provehant.

[17.] Item procurandum, ne passim per urbes tabernae, lusus et artesmeretriciae exerceantur, *modicum enim fermentum totam massam corrumpit* [4].

[18.] Item nec illud in postremis reponendum, ut [a] Maranis haereticis et Iudaeis comercium catholicorum omnino interdiceretur; quinimmo, si auctoritate potestatis saecularis ex urbibus expellerentur, non esset nisi reipublicae christianae salutare [b] [5].

[19.] Item dies festivi essent ab ecclesia declarandi, in quibus scilicet mercenarii ab operibus abstinerent. Qui sane dies non multi esse deberent, cum multorum egestas eos ad

[a] *Morandi* ac [b] *Marandi* saeculariae

[1] Ab anno 1557 canon hanc habuit formam: *Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas et alios christiani nominis inimicos deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filium ferri, stannum, chalybem omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes tam ex ipso canabe quam ex quacumque alia materia, et ipsam materiam aliaque huiusmodi, quibus christianos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus in christianorum perniciem et damnum ipsos Turcas et christianae religionis inimicos certiores faciunt illisque ad id consilium quomodolibet praestant.* Röm. Quartalschrift (1930) 38 sq. Advertendum est Beccadellum, qui archiepiscopus Ragusinus erat, incommoda et varias difficultates, quas canon ille mercatoribus attulit, facile intelligere posse.

[2] Quod negotium aggressus est *Ioh. Paulus Lancelottus*, Institutiones iuris canonici, quibus ius pontificium singulari methodo libris quattuor comprehenditur (Perusiae 1563), liber compositus sub Paulo IV, dedicatus Pio IV, sed auctoritate publica carens. Cfr. *Schulte*, Quellen u. Literatur III 451 sqq.

[3] Cfr. *Marc.* 12, 17 et parall.

[4] 1 *Cor.* 5, 6.

[5] De Pauli IV edictis cfr. *Pastor* IV 515 sqq.

cibum quaerendum adigat, curandumque esset, ut omnes, ut par est, iis diebus ad ecclesiam convenirent, et non tabernas, aleas et trivia frequentarent.

[20.] Item ut haec rata et firma sint, supplicandum erit S^mo^ D. N. pontifici maximo, ut manus huic tam sancto operi porrigat, episcoposque in vinea Domini laborantes adiuvet, ut in beneficiis maxime curatis bonos possint instituere parochos; ministrisque et officialibus suis, qui in curia resident, iniungat summus pontifex, ne appellationes eorum, qui ab ordinario mulctantur ob eorum scelera, admittant, ne perfugio appellationis, quae data est ad sublevandum oppressos, iustitia deprimatur et scelesti impunes evadant. Rogandaque est et supplicanda S. B^do^, ut Romae mandet, expeditiones aliquas non fieri in favorem alicuius clerici, quae statum ecclesiae [a] personae tangant seu bona ecclesiastica, nisi prius loci ordinarius de re illa admoneatur vel illi committatur executioni mandanda, quatenus iusta sit. Sic enim multa tollerentur scandala.

[21.] Pro observatione autem omnium, quae in hoc sacrosancto concilio Tridentino oecumenico determinabuntur, et aliorum etiam, quae in aliis anteactis conciliis decreta sunt, nulla videtur melior ratio inveniri posse, quam restituere ecclesiasticam disciplinam in mores pristinos, ut scilicet concilia provincialia saltem singulis trienniis celebrarentur, generalia vero non ita diu silerent, sed convocarentur saltem singulo quoque iubilaei anno [1].

Quod si mihi obiiciatur, ea quae supra commemoravi, esse factu difficilia et longa, respondebo illud: Nihil difficile volenti, praesertim tam celebri et ornato concilio oecumenico, ubi tot docti et sancti patres convenerunt. Huc enim accessimus non mundo placituri, sed ut salutem ecclesiae Christi procuraremus, reddituri rationem ante divinum tribunal de omnibus actibus nostris et praesertim de hoc tam magno et necessario, in quo nos divina maiestas dirigat et ad salutem aeternam perducat.

92.

Theologorum a Parisiensi theologiae schola deputatorum sententia [de imaginibus]

dicta et approbata in conventu, qui fuit in regis Franciae palatio ad divi Germani XI. Februarii 1561 [1562] [2].

Romae Arch. Vat. *Concilio 41* f. 287^r^-288^r^, cop. coaeva cum rubrica f. 288^v^: *De imaginibus secundum scholam Parisiensem.* Ed. apud *Rayn*aldum a. 1561 n. 96 ex eodem codice

Primo doctrinam catholicam imagines esse retinendas et venerandas exponit, deinde quae sint abusus abolendae, tertio quomodo populus de imaginibus docendus sit.

[1.] Iesu Christi sanctorumque et sanctarum facere et habere imagines easque ponere in templis et oratoriis minime pugnat cum Dei praecepto. Ita venerari et honorare imagines, ut qui eis habetur honor, referatur ad id, quod ipsae repraesentant [b], ex traditione et usu ecclesiae non est superstitio nec idololatria nec repugnat sacrae scripturae, quae solum *Concilio 41 f. 287^r^*

[a] *Sic Merandi; videtur legendum ecclesiasticae; hic neque post verbum* ecclesiae *virgulam habet.*

[b] *Ita virgulam ponendam esse existimavi; cod. neque*

[1] Scil. vicesimoquinto quoque anno.

[2] Anno 1562 (more Gallico 1561), ab 28. Ian. ad 11. Febr., S^ti^ Germani prope Lutetiam, a regina matre Catharina de Medicis requisiti, Calvini asseclae Theodorus Beza, Augustinus Marlorat et alii cum quinque theologis catholicis a Sorbonica facultate ad hoc deputatis de imaginibus disputaverunt, sed minime inter se convenerunt, ita ut denique a cancellario Michaele Hospitali iussi duas componerent doctrinae suae formas, quomodo populus de imaginibus instruendus esset. Composuerunt ergo doctores Sorbonici hanc formam, reiicientes aliam, quae 8. Febr. ab alii theologis, inter quos erat Claudius Espencaeus, eis erat oblata. Auctores huius « sententiae » erant: Nicolaus Maillard, decanus Sorbonae, Antonius Demochares, Ioannes Pelletier, Simon Vigor, Robertus Fournier, qui omnes postea concilio Tridentino interfuerunt; cfr. *Conc. Trid.* IX 381 et saepius; III 1, 568. 571. 579. 583. 588.

De colloquio ipso referunt: Hippolytus card. Estensis scribens card. Borromaeo 12. Febr. 1562, *Baluze-Mansi*, Miscellanea IV 385 sqq.; Theodorus Beza Calvino 1. et 26. Febr. 1562, *Corp. Ref.* XLVII 273 sqq. 297 sqq.; Catharina regina episcopo Redonensi 29. Ian. et Ferdinando imper. 16. Febr., Lettres de Cathérine de Médicis ed. *La Ferrière* I 273 sqq. Calvinistarum sententiam vide apud *Th. Beza*, Histoire ecclésiasiastique des églises reformées I 715, germanice *I. W. Baum*, Theodor Beza II (Leipzig 1851) 539 sq.; ex sententia « neutralium », gallice edita apud *Duplessis-d'Argentré*, Collectio iudiciorum II 332 sq., quaedam commentariis nostris inseruimus. Quoad doctores Sorbonicos cfr. *P. Feret*, La faculté de théologie de Paris: Epoque moderne I 237 sqq.; II 51 sqq. 218 sqq.

Quomodo quibusque de causis patres concilii Tridentini pro decreto sess. XXV conficiendo hac sint usi sententia, explicavimus Theol. Quartalschrift 116 (1935) 143-188. 404-429.

prohibet idololatriam. Prosterni ante Iesu Christi imaginem in eo adorando, qui per ipsum repraesentatur, ut ait S. Gregorius [1], et ante sanctorum imagines inclinari et geniculari et eiusmodi alia agere, quae sunt externa signa decentis reverentiae, sunt actiones pii et religiosi animi, non autem idola colentis aut superstitiosi. Thure item suffire, cereos et candelas accendere, Deo vovere et aliquid offerre ante D. N. Iesu Christi et sanctorum imagines, quae sunt collocata in ecclesiis, hymnos et cantica in honorem Dei canere sanctorumque laudabilem facere commemorationem, dum honorantur et orantur, sunt in ecclesia catholica semper fieri solita et sanctorum patrum sententiis approbata. In processionibus et supplicationibus crucem ferre sanctorumque reliquias et memorias, ut fiebat tempore sanctorum Chrysostomi et Augustini [2], res est pia et laudabilis [3]. Quod autem ad S^{tae} Trinitatis imaginem attinet et effigiem, quamvis Deus in tribus personis sit spiritus, qui comprehendi non potest nec effingi debet, non [a] tamen videri alienum et reprehendendum, si pingantur aut aliqua alia ratione repraesententur signa et figurae, in quibus sacra declarat scriptura eum apparuisse et sic manifestasse hominibus [4], ut contineatur et exerceatur populus in fide articuli S^{tae} Trinitatis, qui est praecipuum fundamentum christianae religionis, quomodo per picturas, effigies,
287^{v} imagines et historia mysteriorum | nostrae redemptionis instituitur et confirmatur in coeteris articulis nostrae fidei, nempe nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis [5]. Quo fit, ut sit perspicuum, bonum esse retinere imagines propter fructum et utilitatem, quae ex eis capitur, tum ut admoneatur populus beneficiorum et donorum, quae a Christo accepimus, tum ut eius sanctorum dona et salutaria exempla nobis repraesententur, ut pro iis Deum laudemus et eorum etiam virtutem imitemur et eadem ratione excitemur ad Deum diligendum vitamque corrigendam exercendamque pietatem, eosque honoremus et eorum auxilium invocemus, ut pro nobis apud Deum intercedant.

[2.] Neque tamen inficiamur, quin in iis acciderint aut possint accidere nonnulli abusus adversus ecclesiae doctrinam et mentem. Eiusmodi esset abusus plane intolerabilis, si in imaginibus existimaretur esse aliqua divinitas aut virtus, propter quam essent venerandae aut honorandae, et quamvis sit laudabile, pietatis et religionis instinctu ire ad aedes sacras easque visere in memoriam sanctorum, propterea quod Deus sua inscrutabili voluntate ac providentia nobis aliquando suam magis ostendat operationem et virtutem in uno loco quam in alio

[a] Cod. non debet

[1] Cfr. *Gregorius*, Epp. IX 52 (*Migne* 77, 991): *Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam* [scil. imaginem Salvatoris] *prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur.* Similiter Epp. XI 13 (*ibid.* 1128).

[2] *Chrysostomus*, In ep. ad Eph. c. 4, hom. 10, 2, *Migne gr.* 62, 77 sq. *Augustinus* venerationem imaginum testatur quidem, sed abusus quoque vituperat De moribus eccl. cath. l. I c. 45 n. 75 (*Migne* 32, 1342); Contra Faustum Manichaeum XXII 73, *Migne* 42, 446. Cfr. *H. Koch*, Die altchristliche Bilderfrage nach den literarischen Quellen (Göttingen 1917); *W. Elliger*, Die Stellung der alten Christen zu den Bildern in den ersten vier Jahrhunderten (Leipzig 1930).

[3] Inter articulos a facultate theologica Parisiensi 10. Martii 1543 praescriptos 16. erat: *Nec ullo modo addubitandum est, quin genu flectere coram imagine Crucifixi et B. Mariae et sanctorum ad rogandum Christum et sanctos opus sit bonum ac pium. Duplessis-d'Argentré*, Collectio iudiciorum II 323.

Espencaeus autem eiusque socii in scripto suo (supra adn.) de cultu imaginum haec dicunt: *Nous disons que, ce qui n'a esté reçu par expresse ordonance de l'église, soit aboli et du tout ôté, comme couronner les images, les habiller, les porter en procession, leur presenter vœux et offrandes. Et quand à les adorer ou non, puisque les colloquer sur les autels, leur presenter des chandelles, les encenser, les saluer et s'agenouiller devant soit partie de l'adoration, qui se fait pour le respect que* [?] *pour la religion, nous desirons que toutes images hormis la Sainte Croix soient déplacées des autels et mises ès parois en tels lieux qu'on ne les puisse plus adorer, saluer, baiser, vêtir, couronner de fleurs, bouquets, chappeaux, leur offrir vœux, les porter par les rues et temples, sur les epaules ou bâtons, comme même l'a n'a gueres defendu le concile de Sens tenu à Paris. Duplessis-d'Argentré*, Collectio iudiciorum II 333.

[4] De « theophaniis » quae dicuntur vide *C. Brunus*, De imaginibus (Moguntiae 1548) 19 sqq.

[5] Quibuscum conferas Espencaei scriptum (*Duplessis-d'Argentré* II 333): *Nous desirons qu'on puisse obtenir que l'image et peinture de la Trinité soit ôtée des églises et de tous autres lieux publics et privez, attendu qu'elle est defendue par l'écriture sainte, par les conciles et par plusieurs grands personnages en doctrine et en sainteté de vie, et qu'elle n'a été reçûe que par la negligence et paresse des pasteurs.*

Contra imagines SS. Trinitatis *Caietanus* dubia quaedam moverat in commentariis suis ad Summam theologicam p. III q. 25 a. 3 (in ed. Patavina a. 1698: IV 209); similiter *Martinus Peresius* [ep. Guadicensis], De divinis apostolicis et ecclesiasticis traditionibus (Parisiis 1562) f. 222^{v}: *Quod vero in nonnullis templis Dei patris aut spiritus sancti aut rerum aliarum spiritualium imagines depingantur, ut sanctorum angelorum, certe quantum ad duas saltem personas attinet et maxime patrem, non admodum probo picturas. Ambrosius* autem *Catharinus*, De cultu et adoratione imaginum (Romae 1552) 134 ait *posse Deum et ipsam S. Trinitatem et b. Angelorum spiritus picturis nobis significari.* Eandem sententiam *Conradus Brunus*, De imaginibus (Moguntiae 1548) 21 tenet. De imaginibus SS. Trinitatis cfr. *K. Künstle*, Ikonographie der christlichen Kunst I (Freiburg 1928) 221 sqq.; *I. E. Wessely*, Ikonographie Gottes u. der Heiligen (Leipzig 1874) 3-21.

et aliqua magis ratione quam ulla alia, magis tamen ad unam quam ad aliam currere imaginem eamque pluris facere et magis venerari, quod sit ex ditiori et pretiosiori materia, aut sit eius forma speciosior ac recentior aut antiquior aut ornatior et elegantior ac concinnius expressa, id vero plane est abusus et superstitio. Est etiam abusus, si quispiam in imaginibus suam collocet fiduciam, ut olim gentes in suis idolis. Non parvus quoque est abusus, si pingantur et effingantur imagines forma impudica et lasciva et quae non conveniat castitati et integritati sanctorum et sanctarum, quos repraesentant. Est etiam abusus minime tolerandus, sicubi falsa et commentitia excogitentur miracula et eiusmodi imposturae [1].

[3.] Ut his autem in similibus occurratur abusibus, nobis videtur expedire, ut frequentibus praedicationibus et exhortationibus de his erudiatur populus. Qui est etiam docendus alium honorem deberi Christo D. N., alium vero sanctis, quos honoramus videntes eorum imagines, ex quo sequitur, ut alio etiam modo sint orandi: Ad Christum quidem dirigendae sunt preces nostrae tamquam ad eum, qui est author totius nostri boni utque solus noster redemptor et servator; ad sanctos autem tanquam ad intercessores nostros, ut id, quod nobis opus est, a Deo impetremus per charissimum suum filium Iesum Christum, ut mos est solemnis ecclesiae, ad Deum suas preces dirigere cum sanctorum commemoratione et per Iesum Christum eas terminare. Est etiam erudiendus populus, ne [a], cum orat, mentem et cogitationem suam defigat in imagine, sed in eo, quod ipsa repraesentat, et totum ad Deum referat. Providendum est etiam, ne cui privato liceat ullam erigere aut erigendam curare imaginem absque authoritate episcopi, neque ulla admittantur miracula, nisi quorum legitime facta fuerit fides, et quae non fuerint approbata ab episcopo. Prohibeatur etiam aufferre et frangere imagines, propterea quod id valde adversetur honori Dei et eius sanctorum et religioni christianae magnum afferat detrimentum.

Definiendae autem et decidendae huius controversiae et aliarum, quae ad fidem pertinent, et totius reformandae ecclesiae non est alia melior et commodior ratio, quam si ad oecumenicum referatur concilium aut ad sanctam sedem apostolicam.

92a.

[Iacobus Laynez: Sententia de imaginibus] [2].

[Mense Febr. 1562 ineunte].

Romae Arch. Univ. Gregor. *cod. 621* f. 174, min; f. 175v rubrica: *In Gallia dicta vel scripta*.

Cum V. M^{tas} nobis iniunxerit, ut scriberemus, quid sentiamus circa usum imaginum Christi D. N. et sanctorum eius atque angelorum, quidque nobis videatur populis esse proponendum, ut abusus removeantur et maneat verus ac bonus usus earum, libenter hanc provinciam suscepimus, tum ut fidem nostram hac in parte confiteremur ad Dei gloriam, tum etiam, ut morem geramus M^{ti} V^{ae}, tum etiam, quia magnopere optamus, ut, qui a nobis recesserunt, ad gremium sanctae et catholicae ecclesiae redeant. Cuius diffinitiones omnino sequentes, ut veri eius filii tam nos [b], qui nostro nomine et facultatis theologiae [!] Parisiensis hic versamur (praeter duos, qui aliam viam a nobis et ab adversariis diversam sequuntur), quam theologi etiam omnes Ill^{mi} ac Rev^{mi} legati confitemur unanimiter ea quae sequuntur:

In primis, quod facere imagines Christi D. N., gloriosae virginis Mariae, angelorum ac sanctorum eius [c] et easdem collocare in templis ⟨et altaribus⟩ [d], non est prohibitum christianis [e] per sacram scripturam vel traditionem ecclesiasticam nec ulla ratione naturali, quin

[a] Cod. nec   [b] *del.* omnes   [c] *add. supra lin.*   [d] *del.* super altaria   [e] *del.* fidelibus

[1] Scriptum Espencaei (*Duplessis-d'Argentré* II, 333): *Le semblable* [scil. ut de imaginibus SS. Trinitatis] *disons de plusieurs images faites en forme lascive, deshonnête et étrange et de celles qui represent les saints et saintes, la legende desquels est rejettée par l'église comme apocriphe.*

[2] Ex « Sententia » ipsa apparet, eam pro colloquio S^{ti} Germani mense Februario ineunte esse compositam. Quod Iacobus Laynez eius fuerit auctor, verisimile saltem est, quia inter eius scripturas invenitur. Laynez ut theologus cardinalis legati Hippolyti Estensis colloquio intererat. Cf. Mon. hist. Soc. Iesu: *Lainii* Monumenta VI p. VI sqq.; de colloquio vide relationem card. Ferrariensis: *Baluze-Mansi*, Miscellanea IV 385 sqq. et *H. Jedin*, Entstehung und Tragweite des Trienter Dekrets über die Bilderverehrung: Theol. Quartalschrift 116 (1935) 178 sq.

potius, quod ea res sit licita ⟨et a sanctis patribus comprobata, ut quae ultra templorum ornamentum⟩[a] ad utilitatem spiritualem ⟨non parum conferat⟩[b], nempe[c] ad eruditionem indocti populi et[c] ad res repraesentatas in memoriam etiam sapientium reducendas et[d] ad pios affectus movendos, ⟨scilicet dilectionem⟩[d], compunctionem, ⟨devotionem[e] ac⟩ etiam imitationem D. N. I. Chr. et sanctorum eius ⟨atque ad⟩[f] honorem eorum, qui per imagines repraesentantur, quorum gesta praeclara ea ratione in hominum memoria vivunt et conservantur.

S e c u n d o affirmamus prohibitum esse imagines adorare et iisdem inclinari vel quodvis reverentiae signum exhibere tamquam Deo vel rei, quae divinitatem aliquam ⟨in se ullo modo⟩[g] habeat. Hunc enim honorem qui sistit in imagine, prohibet scriptura sacra et ratio ipsa naturalis.

T e r t i o asserimus non esse contra scripturam sacram nec contra ullam diffinitionem ecclesiasticam nec contra communem sensum doctorum aut rationem ipsam imagines adorare, id est ante ipsas prosterni vel quodvis congruum reverentiae signum versus illas facere, dummodo adorantis intentio sit[h], huiusmodi honorem vel cultum prototypo per imagines repraesentato exhibere. Qui si Deus est, ut Deus honorari et agnosci debet, si sanctus vel angelus, ut servus et filius ac membrum Christi, ita ut totus interior cultus immediate dirigatur ad rem repraesentatam, ad quam etiam exterior dirigi debet, licet ante imaginem et versus illam exhibeatur. Quod autem huiusmodi adoratio non sit contra scripturam sacram, constat ex eo, quod omnia concilia et pontificum decreta, quae diffiniunt licitum esse adorare imagines, simul etiam declarant atque diffiniunt non esse contra secundum praeceptum nec locum alium scripturae hanc adorationem.

Q u a r t o asserimus[i] nec in modo loquendi nec in re ipsa recedere oportere ab eo, quod diffinitum est per ecclesiam sanctam et quod ab ea universaliter usitatum, ut quid bonum ac pium observatur[k]. Unde quia in conciliis dicitur adorandas esse imagines et re ipsa consuetum est se prosternere ac reverentiam exhibere prototypis in earum praesentia (ut S. G r e g o r i u s et alii testantur)[1], non est intermittendus hic modus loquendi vel agendi. Et licet ille et alii sancti affirment imagines adorandas non esse, sic accipiendum est, quod adorari non debeant ut Deus, alioquin dicta eorum factis repugnarent, cum constet, quod se ante imagines et signum crucis inclinarent.

Q u i n t o dicimus, quod, licet sentiamus aliquos abusus irrepsisse et eorum correctionem optemus, inprimis tamen constare oporteret, quod [!] sint abusus, qui corrigendi dicuntur et postea per eos, penes quos legitima potestas est, removeantur ⟨Nullo autem modo censendus est abusus, imaginibus modo suprascripto uti et ad doctrinam et ad cultum; ideo illum removere non esset pium, sed scandalo et seditione plenum⟩[l] Instructio autem populi circa ea, quae dicta sunt, per pastores et praedicatores catholicos fieri debet.

P o s t r e m o[m] dicimus[n], quod nec circa rem propositam nec quamvis aliam, quae ad catholicam fidem pertineat, debet hic fieri ulla diffinitio, quin potius, quidquid hic agitur, iudicio sedis apostolicae submittendum est, vel sacri concilii, quod nunc Tridenti[o] apertum est; ⟨ipsum enim⟩[p] diffiniet et[q] ⟨declarabit illa omnia, de quibus nunc controversia est⟩[r]. ⟨Illuc ergo M^{tas} V. dirigere quamprimum curet tam catholicos episcopos quam eos, qui se a nobis segregarunt, humillime⟩[s] supplicamus et ut aequi et boni consulat, quidquid de negotio proposito scripsimus, tum ut pareremus mandatis M^{tis} V^{ae}, tum ut iuvaremus quoad eius fieri possit sine Dei offensa et nostrae conscientiae detrimento eos[t], qui a grege Domini recesserunt, ut[u] ad ecclesiae catholicae ovile redeant[2].

[a] *add. in marg.* [b] *supra lin.; del.* pertineat (unde et a sanctis patribus antiquitus approbatus est). [c] *add. supra lin.; del.* tum [d] *add. supra lin.; del.* ad devotionem [e] *add. supra lin.* [f] *add. supra lin.; del.* tum et templorum ornamentum et [g] *add. in marg.; del.* in materia vel in forma aut figura [h] *del.* est [i] *add. supra lin.* [k] *corr. ex* observamus [l] *add. in marg.* [m] *del.* Sexto [n] *del.* praeterea [o] *add. supra lin.* [p] *supra lin.; del.* quod [q] *del.* si opus est declaratione [r] *add. supra lin. del.* quod oportet [s] *add. in marg., partim del., partim ex errore relictum* Et hoc ut M^{tas} V. faciat [t] *corr. ex* eorum [u] *add. supra lin.*

[1] Vide supra p. 582 adn. 1 et 2.

[2] Romae in Bibliotheca Nationali Victor Emmanuel, *cod. lat. 2769* [antea Fondo Gesuitico cod. 640] f. 130r-139v inveniuntur eiusdem auctoris Iacobi Laynez « Testimonia de usu imaginum ex historicis » quae eodem tempore collecta esse videntur aut post mensem Iulii 1563, quo generali societatis Iesu cum aliis theologis a legatis mandatum est, ut, quae ad doctrinam de purgatorio, de indulgentiis, de votis monasticis, de veneratione sanctorum, reliquiarum, imaginum pertinerent, praepararent. *Šusta* IV 134; *Baluze-Mansi*, Miscellanea III 482.

93.

Franciscus Torres: Circa decretum primae sessionis [1].

[Mense Februario 1562].

Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 48* f. 65^r-67^r, cop. coaeva.

Quod est in prooemio decreti sanciendi [2] *catholicae fidei doctrinam multorum inter se dissidentium opinionibus alicubi obscuratam*, fortasse sic dicere non licet, sed potius « depravatam ». *Cod. IX A 48* f. 65^r Neque enim nobis dissensio est et pugna cum haereticis de iis, quae perspicua et facilia sunt ad intelligendum, ut de eo accusemus eos, quod, quae clara sunt, obscura efficiant, et quae facilia, difficilia, imo vero in iis dissentimus, ex quibus non pauca obscura esse et ad intelligendum difficiliora confiteri licet, sicut B. Petrus de epistolis Pauli scripsit [3]: *In quibus*, inquit, *sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Non dicit « quae indocti et instabiles obscurant », sunt

[1] Franciscus Torres (vel Turrianus), codicum antiquorum inprimis graecorum diligentissimus investigator sanctorumque patrum et conciliorum peritus, scriptor quoque foecundus, biographo, quem meretur, adhuc caret. Pauca quaedam de eius vita et scriptis narrant *Schulte*, Quellen u. Literatur III 719 sq.; *Hurter*, Nomenclator III 281 sqq.; elenchum librorum impressorum (numero 58) exhibet *Sommervogel*, Bibliothèque de la Compagnie de Jésus VIII 113-126.

Natus erat Herrerae in Hispania a. 1504 (*Sommervogel* 1509), circa a. 1541 venit Romam, ubi a. 1547 familiaris card. Salviati fuisse videtur (*Conc. Trid.* X 953 l. 29), manuscriptorum codicum investigationi in bibliothecis Urbis semper intentus (cfr. ex. gr. *M. Lossen*, Briefe von A. Masius [Leipzig 1886] 89). Anno 1554 pontificem supplex adiit, ut Hebraeorum libros comburerentur, a Masio propterea *homo multae lecturae, sed iudicii plane nullius* appellatus (*Lossen*, Masius 149-154; cfr. litteras Neapoli in Bibl. Nat. *cod. XIII AA 59* f. 96^r conservatas). Ab eodem an. 1554, quo ei librum suum « De commendatione perpetuae administrationis ecclesiarum vacantium et de residentia pastorum extra ovilia sua » (Romae 1554) dedicavit, cum Seripando, archiep. Salernitano, amicitia erat coniunctus, ut mutuae eorum litterae in codd. *XIII AA 49, 54, 59 et 61* Bibl. Nat. Neapolitanae testantur; quem Salerni a. 1559 visitavit. Anno 1555 lecturam s. scripturae in universitate Romana obtinuisse videtur, paulo post consultationibus de reformatione sub Paulo IV institutis in tertia classe interfuit (supra p. 337). Autumno anni 1559 familiaris Hosii ep. Varmiensis factus (*cod. XIII AA 48* f. 153^r), Tridenti, quo 5. Oct. 1561 a pontifice missus advenit, ab eodem, tum cardinali et legato, in domum suam receptus est, ut Sirleto litteris 27. Oct. 1561 datis narrat (*Vat. lat. 6189* f. 68^r). Quae eius fuerint partes in consultationibus conciliaribus, et acta *Conc. Trid.* VIII et IX (vide indicem sub verbo *Torres*) et legatorum litterae (*Šusta* II 35 et saepius) demonstrant, in primis autem codd. Bibl. Nationalis Neapolitanae *IX A 48* et *49*, in quibus, quae Seripando tradidit vota, tractatus etc., continentur; quoad primam editionem Constitutionum apostolicorum ab eo a. 1563 curatam vide infra nostras de Indice librorum proh. adnotationes, similiter de partibus eius in contentionibus de residentia deque sacrificio missae.

Anno 1566 Societatem Iesu ingressus, studiis nunquam intermissis (cfr. *Hosii* Opp. [Coloniae 1584] II 225. 239. 331 sqq.; Hist. Jahrbuch 17 [1896] 84 sqq.; *P. M. Baumgarten*, Neue Kunde von alten Bibeln I [Rom 1922] 48 sq.) die 21. Nov. 1584 Romae obiit.

Tractatus noster se refert ad priorem formam decreti de indice libr. prohib., *Conc. Trid.* II 477 sq., quam ostenderat Turriano cardinalis Varmiensis; directus erat cardinali Seripando, ut ex litteris sequentibus elucet, quae in *cod. IX A 48* f. 68 immediate tractatum sequuntur:

Ill^{me} et Rev^{me} Domine! Tametsi illi duo Eldad et Modad ex numero 70 non essent, non tamen prohibuit eos Moyses in castris extra tabernaculum prophetare, imo optabat omnibus spiritum prophetiae. [Num. 11, 26 sq.]. *Et Apostolus: Potestis, inquit* [1 Cor. 14, 31], *omnes per singulos prophetare, ut omnes discant et omnes exhortentur. Deinde subiungit: Et spiritus prophetarum prophetis sunt subiecti. Significat, quod tradit* Διατάξις *apostolica lib. VIII* [c. 2 n. 8 sq.] *Clemen*[*tis*] *de charismatibus, prophetas minores non se fecisse pares maioribus, et Silam et Agabum non se aequasse apostolis; non enim, inquit, transierunt modos suos neque mulieres prophetissae se extulerunt in viros suos. Perinde itaque est, ac si dixisset Apostolus: Potestis per singulos prophetare, ita tamen, ut quisque meminerit servare modestiam et ordinem suum seque intra modum suum contineat, cedens qui minor est maiori. Est enim ordo in ecclesia Dei et sunt in ea spiritus prophetarum prophetis subiecti, idest prophetae prophetis subordinati. Hoc enim significat verbum graecum* ὑποτάττεται, *ut verbum verbo reddatur.*

Utinam in hoc decreto componendo adhibiti fuissent doctores theologi et doctores iuris canonici periti ad prophetandum non quidem in | tabernaculo, ubi patres plus quam septuaginta, imo quam centum sedent, sed extra tabernaculum in castris ecclesiae catholicae! Fortasse non ita laboratum esset et adhuc laboraretur in eo corrigendo, limando et expoliendo. Aliquid enim fortassis accommodate ad rem prophetassent. Scriptum est in Sapientia Salomonis [6, 26]: *Multitudo sapientium sanitas orbis terrarum.*

Quae scribo, testis est conscientia mea, non propter me scribere, qui sum satis occupatus, sed propter eos, quorum querelas et obtrectationes audivi. Quos ego quantum potui placavi et quibus quantum mihi [*contigit*] *vos Rev^{mos} excusavi. Ostendit mihi Rev^{mus} card. Varmiensis decretum, in quo quid animadverti, tuo acri iudicio subiicio.*

[2] *Conc. Trid.* II 477 l. 42.

[3] *2 Petr.* 3, 16.

enim alioqui nonnulla eorum obscura et difficilia intellectu, sed *depravant*. Itaque non opponimus haereticis neque hoc in libris eorum accusamus, quod doctrinam veram catholicae fidei obscurent, sed quod depravent et a recto sensu ad perversum detorqueant. Quare quod
65v dudum quidam episcopus catholicus Germanus scripsit, desiderari magis lucem | explicationis quam veritatem in plerisque aut certe nonnullis dogmatibus, de quibus haeretici nobiscum contenderent, non assentior. Non enim deest lux explicationis nunc post tot ecclesiae sanctae doctores et scripturarum interpretes sanctos, sed illi potius noluerunt, sicut Apostolus ait [1], *permanere in fide fundati stabiles et immobiles ab spe evangelii, quod audiretti et praedicatum est in universa creatura, quae sub caelo est*. Qui, sicut de similibus ait B. Petrus [2], *derelinquentes viam rectam erraverunt secuti viam Balaam ex Bosor;* ille enim, quantum in se fuit, verba divinae benedictionis depravare voluit et in contrarium vertere, quod haeretici et cogitatione et reipsa efficiunt. Hi sunt, quos Apostolus prophetavit [3], *novissimis temporibus discessuros a fide attendentes spiritibus*.

Nusquam in Novo Testamento ista obscuratio doctrinae exprobrata est haereticis, sed corruptio, depravatio, mendacium, error, viae rectae derelictio et alia huiusmodi. Cum haereticiiactent, scripturas esse claras, si nos illis et eorum libris obiicimus obscurationem doctrinae, videbimur non multum iam ab iis dissentire, qui perspicuitatem scripturae sanctae praedicant. Vellem, ut in decretis synodicis, quae perpetuo mansura sunt, ad eruditionem omnium
66r saeculorum frequens esset | verbum Dei vel propter haereticos huius temporis, qui nihil magis nobis exprobrant quam verbi Dei ignorantiam, ut, sicut Apostolus ait [4], cum omni tempore, tum hoc maxime abundanter habitaret verbum Dei in nobis.

Deinde vellem, ut ad decreta componenda magis stilus gravis et ecclesiasticus quam elegans et computus adhiberetur. Bona sunt Ciceroniana suo loco, sicut scriptum est in *Eccl.* 3, [11]: *Omnia bona tempore suo*.

Decretum [5].

Cum sacrosancta synodus etc. non suis quidem viribus confisa, sed Domini Nostri Iesu Christi, a quo omnis nostra sufficientia est [6], ope et auxilio freta hoc unum sollicite curet, ut verbum veritatis multorum inter se dissidentium opinionibus depravatum recte tractet [7] et aurum, quod habent, omni terra et aerugine alieni dogmatis extersa splendeat [8] et *illuminatio evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei, illis fulgeat* [9], ut *ad veritatem evangelii* incedentes [10] idipsum dicant omnes *et non sint schismata, sed sint omnes perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* [11] et iuxta prophetam Malachiam [12] corda patrum ad filios et filiorum ad patres convertantur. Cumque cognoscat hoc tempore numerum librorum, qui huic unitati fidei
66v et iis, qui sunt *unius moris in domo* Dei [13] et ambulant | in consensu [14], nocere possunt, nimis excrevisse etc.

Scholion.

2 Tim. 2, 15: *Sollicite cura teipsum exhibere operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana vaniloquia* etc. Videtur mihi gravissimum verbum et complecti, quaecumque circa dogmata fidei hic agenda sunt, carereque omni invidia, quod interpres bene vertit *recte tractare*, et nimiam diligentiam ac studium, quod a Timotheo in hoc requiritur, vocat etc., interpres latinus *sollicite curare*.

Hieremias in epistola, quam scripsit ad Iudaeos, qui habitabant inter Babylonios, hortans eos ad permanendum in veritate et perseverandum in lege et admonens eos, ut caverent, ne deciperentur ab idolorum cultoribus, quia illi quoque aliquid verum aliquando tradebant; ait Hieremias *Baruch* cap. 6, [23]: *Aurum etiam, quod habent, nisi aliquis exterserit eruginem, non fulgebit*. Hoc mihi videtur recte et apposite ad haereticos accommodari posse, qui ceu idola sua falsa dogmata colunt et colendo proponunt, ita ut, quamvis habent evangelium, de quo gloriantur, illud propter aeruginem falsorum dogmatum non splendeat; detracta |

[1] Cfr. *Col.* 1, 23.
[2] *2 Petr.* 2, 15.
[3] Cfr. *1 Tim.* 4, 1.
[4] Cfr. *Col.* 3, 16.
[5] Sequitur forma decreti a Francisco Turriano proposita.
[6] Cfr. *2 Cor.* 3, 5.
[7] Cfr. *2 Tim.* 2, 15.
[8] Cfr. *Baruch* 6, 23.
[9] *2 Cor.* 4, 4.
[10] *Gal.* 2, 14.
[11] *1 Cor.* 1, 10.
[12] *Mal.* 4, 6.
[13] *Ps.* 67, 7.
[14] Cfr. *Ps.* 54, 15.

autem aerugine fulgebit illis, sicut Apostolus:[1] *Illuminatio gloriae Christi evangelii, qui est imago Dei.* 67^r

Locus *Malachiae* 4, 6 valde accommodatus est, si integer ponatur. Quem locum Theodoretus[2] et Theodorus Antiochenus[3] de mutuo inter homines consensu et studio caritatis in una religione et fide interpretantur, ut praedicante Elia ante secundum adventum fiat, ut non dissentiant patres a filiis et filii a patribus, ut nunc licet in deceptis ab antichristo Luthero.

94.

[Documenta de indice librorum prohibitorum reformando][4].

[A mense **Februario 1562** ad mensem **Novembris 1563**].

Romae Arch. Vat. *Concilio 103* f. 28^r-55^r, maiore ex parte copp. coaevae provenientes ex haereditate Gabrielis Paleotti; sectio II ibidem *Concilio 73* f. 66^r-68^r, min. cum emendationibus autoris; sectio X ibidem *Concilio 74* f. 81, cop. coaeva; sectiones VII et VIII Bibliotheca Angelica *cod. 425* f. 208^v-214^v, or.

I. Capita dubitationum proposita iurisperitis. II. Votum archiepiscopi Rossanensis de citatione auctorum. III. Votum ignoti de citatione. IV. Votum ignoti de citatione. V. Franciscus Forerius de ratione servanda in examinandis libris. VI. Abbas Stephanus de modo servando in examinandis libris. VII. Christophorus Patavinus: An haereticorum libri haeresim non continentes sint abolendi. VIII. Christophorus Patavinus: An iidem libri sint prohibendi. IX. Libri, de quibus videndum, an possint permitti. X. De libris Aeneae Sylvii Piccolomini et Iacobi Almani. XI. De constitutionibus apostolicis. XII. Prima forma regularum generalium. XIII. Adnotationes in regulas de indice.

I.

Haec sunt capita, de quibus dubitatur circa examen librorum, et videndum est in iure, quomodo procedendum[a].

Primo: An sit necessaria citatio eorum omnium, quorum libri sunt reprobandi. *Conc. 103* f. 66^r

Secundo: Posito, quod sit necessaria: An tunc sufficiat generalis citatio contra omnes interesse putantes, an vero requiratur specialis contra certas personas.

Tertio: Quae debeat esse formula huius citationis sive generalis sive specialis.

Quarto: In quo loco sit exequenda ista citatio tam generalis quam specialis.

[a] *Cod.* procedant

[1] *2 Cor.* 4, 4. [2] *Migne gr.* 81, 1985 sq.

[3] *Migne gr.* 66, 631 sq.

[4] Documenta, quae de indice librorum prohibitorum ex codice *Concilio 103* exhibemus, minima ex parte explent lacunam, quae scatet de laboribus patrum 17. Febr. 1562 deputatorum super reformando indice (*Conc. Trid.* VIII 328 sq.), quibus circa mensem Iulium 1563 additi sunt 7 praelati et duo theologi (*Concilio 9 f.* 52^r, cfr. *Conc. Trid.* IX 1104 adn. 1, ubi corrigas, quod in elencho deput. *Conc. 9* loco ep. Arianensis archiep. Panormitanus est nominatus). Omnibus, quae ex aliis fontibus hauriri potuerunt, a *Pastor* VII 299-302 collectis *St. Ehses*, Zur Vorgeschichte des Trienter Index verbotener Bücher: Erste Vereinsschrift der Görresgesellschaft 1921 (Köln 1921) 68-83 haec nostra documenta illustravit, quem in omnibus fere sequimur. Adhibenda tamen sunt semper de indicibus ipsis duo opera *H. Reusch:* Der Index der verbotenen Bücher I (Bonn 1883) 258 sqq. et: Die Indices librorum prohibitorum des sechzehnten Jahrhunderts (Tübingen 1886) 176-208 (Index Pauli IV) et 243-281 (Index Tridentinus).

Praeter cod. *Concilio 103* etiam *Concilio 74* f. 167^r-222^v: « Memoriali dati dalli Ebrei e da altri al S. Concilio di Trento et alla S. Sede, accioche non fossero prohibiti alcuni libri » documenta quaedam de indice libr. proh. continet, quae tamen maiore ex parte ad indicem Pauli IV sunt referenda; de indice Tridentino notes: f. 168^r libellum supplicem Iacobi de Bonaventura Hebraei ad praesidentes concilii (vide infra p. 594 adn. 4); f. 177^r-179^r supplicatio Ioachim Zasii, theologi et praepositi Montis Oliveti, et Io. Udalrici Zasii ad Pium pp. IV s. d. de libris patris eorum Udalrici Zasii iuris consulti et professoris Friburgensis; f. 180^r: Excerpta ex Cathalogo haereticorum Bernardi Lutzenburgensis de Raymundo Lullo cum testimonio Claudii de Valle notarii dato 28. Oct. 1562, de quo Franciscus Forerius, secretarius deputationis f. 185^v notavit: *Decretum tamen est a patribus deputatis, ut amoveretur de cathalogo* [supple: Pauli IV, ubi invenitur, *Reusch*, Die Indices 204] *et in prima regula universali comprehenderetur, si dignus esset;* f. 181 de commentariis Aeneae Silvii et de libro Iacobi Almain, infra X; f. 183^r-184^r: Excerptum ex Directorio inquisitorum Nicolai Eymerici de Raymundo Lullo cum testimonio Claudii notarii dato 10. Oct. 1562.

Praeterea ex codice *Concilio 73* votum archiepiscopi Rossanensis et ex *cod. 425* bibliothecae Angelicae duo vota Christophori Patavini de materia indicis tractantia huic nostrae collectioni inseruimus.

Ad illustrandam rationem examinandi libros adhibenda denique esset « Censura et emendationes in librum, qui inscribitur I capricci del Bottajo di Giovanni Battista Gelli, idest dialogi imaginarii Io. Baptistae Gelli Florentini, in quibus animam cum corpore colloquentem inducit, impressum Florentiae 1552 in 8. Ab ipsomet auctore collectae et a fr. Camillo Campegio ord. Pr. Tridenti 1563 », [*Morandi*], Monumenti di varia letteratura II 195-198. De causa Gelli vide *Reusch*, Der Index I 393

Quinto: Quo tempore sit facienda ista citatio: an nunc, antequam revideantur libri, an vero, postquam revisi fuerint, ante tamen quam publicetur decretum de eorum reprobatione.

Sexto: An satius fortasse esset in decreto, quod nunc publicabitur, invitare humaniter omnes ad concilium ⟨etiam ex causa librorum⟩ [a], data illis fide publica, et omittere citationem, ne pariat aliquem tumultum inter haereticos et magis provocentur ad iram contra nos.

Respondeant RR. DD. canonistae, quod [!] sibi de iure videbitur [1].

II.

[Io. Bapt. Castagna, archiep. Rossanensis]:
Votum extra congregationem circa citationem [2].

Conc. 73 f. 66r Adeo favorabilis est citatio, ita omni iure probata, ut difficile sit non statim ⟨in eam ruere sententiam⟩ [b] omni casu, in quo de citatione controvertitur, necessariam esse, cum sciant omnes, qui leges profitentur, de unoquoque negotio praesentibus omnibus, quos causa contingit iudicari oportere. Sed quia ex generalibus regulis difficile est omnes casus comprehendi, non est mirum, si ⟨aliqua, quae etiam secundum regulam sunt⟩ [c], aliquo casu cessent. Id apparere potest in praesenti quaestione, in qua, ne singularis ⟨in contraria opinione⟩ [d] absque ratione 66v appaream, praemitto, | quod si sacrum concilium vult hodie doctrinas in pluribus libris traditas examinare illasque tanquam haereticas vel scandalosas una cum eorum authoribus principaliter condemnare vel saltem aliquam doctrinam expresse damnando necessitatem authori imponere, vel ut illam abiuret, vel ut haereticus damnari possit. Et absque dubio non est laborandum, an necessaria sit citatio, quia nunquam magis requiritur, quam cum aliquem principaliter condemnare proponimus; et hoc casu non solum necessaria est, sed ipsi personae coram intimari debet, si fieri posset et pateat tutus accessus; sin minus, praemissis quibusdam solemnitatibus sufficeret per edictum publicum in locis vicinioribus aut aliter iuxta formam a iure traditam. Ita (ut antiquiora omittam) factum est in concilio Constantiensi, quando damnati fuerunt articuli Io. Wichlef, Io. Hus, Hier. de Praga et eorum personae et sequaces [3]. Ita in Basiliensi in condemnatione doctrinae et librorum Augustini de Romanis archiepiscopi Nazareni [4]. Ita et in Lateranensi ultimo pro condemnatione pragmaticae sanctionis [5]. Et ita Deo dante fiet tempore suo etiam in hoc sacrosancto concilio, si ita fratribus videbitur.

Constituo igitur mihi hanc conclusionem, quod, quando tractamus principaliter de condemnando, tunc requiritur citatio.

Si vero sancta synodus de praesenti non sibi proponit, ut credo, condemnare aliquem, nec alicuius doctrinam, exspectans fortasse principum legatos et aliorum nationum qui accessuri sunt praelatos, sed pro animarum salute iuxta breve S^mi D. N. super hoc specialiter emana- 67r tum | et in publica congregatione lectum [6], curare vult, ne falsa, ne dubia, ne scandalosa neve obscoena et inhonesta legendo Christifideles labe et malis moribus inficiantur, sed omnes, si fieri possit, nonnisi libros legant, qui sanam doctrinam et optimos mores docent; et etiam quia ex indice sub Paulo IV edito multi censuris innodati existunt (quippe qui nimis rigorosus passim iudicatus sit), ut eorum conscientiis et illius rigorositati provideatur. Et hac de causa sibi proponit prohibitionem seu constitutionem quandam per viam cuiusdam [e] provisionis edere tantum [e], ne fideles, ⟨ut dictum est⟩ [e], quosdam libros legant, quos mala doctrina vel obscoenis moribus legentes instruere posse iudicaverit. Et in summa: [Si] finis istius actus sit, non ut ex eo puniantur haeretici, sed ut non inficiantur fideles, tunc certe audacter dico nec citationem esse necessariam nec aliquem iudiciarium ordinem servari oportere. Et hoc pluribus mediis probatur:

Primo, quia iste actus contra neminem principaliter dirigitur; ergo nemo citandus est, per allegata per Marian[um] Sozi[num] [7] de citatione in rubrica de dilati. art. 7 n. 66 vers. *Tertius*. Non obstat, quod in quandam consequentiam sequitur interesse authorum

[a] *add. supra lin* [b] *add. supra lin.; del. infra* non statim applicare animum ad credendum [c] *corr. ex* quae regularia sunt [d] *add. supra lin* [e] *add supra lin*

[1] Ex his apparet, istas dubitationes iurisperitis fuisse propositas. Ex responsionibus tres exhibemus, quae sub II, III et IV sequuntur.

[2] De auctore, archiep. Rossanensi 1553-1573, postea cardinale (1583) et papa Urbano VII (1590) vide supra n. 86 cum adn. Tractatulus continetur in libro primo votorum Castagnae, qui *Concilio* 73 conservatur; compositus est, ut ex adn. 6 elucet, post 30. Ian. 1562.

[3] *Mansi* XXVII 611 (citatio Hieronymi Pragensis).

[4] *Mansi* XXIX 108 sqq. (sess. XXII); cfr. votum Io. de Turrecremata, *Mansi* XXX 979 sqq.

[5] Sess. IV, *Mansi* XXXII 750 sqq.

[6] Scil. 30. Ian. 1562, *Conc. Trid.* VIII 306; breve ipsum *ibid.* 279.

[7] Marianus Sozinus († 1467) tractatum scripsit de citationibus. *Schulte*, Quellen u. Literatur II 320.

librorum propter honorem et famam, quia, quod in consequentiam venit, non attenditur circa citationem, sed solum id, quod principaliter interest, saltem quoad validitatem actus A l e x[a n d r i n u s] in l. [47] *De unoquoque* in ultima fal. [D.] de re iudicata [XLII 1] et in Consilio 86 visis dubitationibus col. 1 vol. 2 [1]. Ita F e l y[n u s], qui alios adducit [a] in c. fi. [17] [X] de maio. et obed. [I 33] et in c. [19] *Exhibita* in praedicto de iudici. [II 1]. |

S e c u n d o: Ubi actus est talis, qui solet extraiudicialiter agi, et non reditur ius inter contendentes, non requiritur citatio. A b b [a s] in c. fi. col. 4 n. 12 de presumptio. A l e x[a n d r i n u s] in dicta l. *De unoquoque* in 4. Et exemplum poni potest in his et similibus, quae ponuntur per glossam in Cle[m.] prima in verbo *generalis* de iudiciis [II 1] [2]. Sed huiusmodi est actus, de quo quaeritur; ergo etc. Alias destruerentur mille constitutiones, mille statuta, quae si fiunt principaliter ad bonum publicum, etiam si in damnum particularium verterentur, valent et tenent absque eo, quod illi conqueri possint. Adno. per F e l y [n u m] in c. [6] *Cum omnes* in pr. [X] de constitu. [I 2] [3]. 67v

T e r t i o: Ubi ex lectione librorum fit notorium synodo, quod expedit prohibere illos legi, statim absque aliqua citatione id prohibere potest. Doctrina est insignis [b] doctoris H e n r i c i R o[m a n i] hic in c. [7] *Ad nostram* de iureiur. [II 24] [4], ubi dicit in actu, in quo non requiritur condemnatio, sed solum quaedam inhibitio seu ordinatio, nullam requiri citationem. Ponit exemplum in statuto, de quo ibi. Idem F e l y [n u s] in c. [10] *Cum non ab homine* n. 17 de iudic. [II 1] [5]. Idem tenet expresse A n t o. R o s s [e l l i u s] in tractatu de concilio rubrica: Qui sunt principaliter vocandi ad concilium, n. 6.

Q u a r t o: Quod possum invito, possum et ignorante. Sed ita est in casu isto; ergo etc. M a r i a n u s ubi supra [6] versiculo *Septimus*.

Q u i n t o: Prudentiae suae innititur, qui patribus decretis praeponit ea, quae sibi agenda vel dicenda videntur. Ita H i e r o n y m u s, de quo in c. [5] *Ne innitaris* de consti. [I 2] [7]. Talis esset, qui librum suum legendum crederet, si generali concilio aliter videretur. |

S e x t o: Certum est, postquam concilium viderit, quos libros prohibere expedierit, nemini defensionem competere, quia factum non est dubium, sed est notorium ex eadem lectione librorum, in qua non potest cadere paliatio vel excusatio adeo, quod actum impedire quis possit; quo casu cessat citatio. F e l y [n u s] c. [10] *Ecclesiae S. Mariae* n. 21 de const. [I 2] [8] et c. [I 2] *Cum olim* n. 23 et seq. de re iudic. [II 27] [9]; M a r i a n u s S o z i [n u s] in rubrica de dilati. in tractatu de citatione art. 7 n. 66 vers. *Secundus*. 68r

S e p t i m o: Favore fidei et ubi vertitur periculum animae tum citatio tum etiam alia quaedam iudicialia acta omitti possunt, de quibus in c. fi. de haeret. in Sexto [V 2] [10]; ponit F e l y [n u s] in c. [15] *Quoniam frequenter* n. 34 et 35 ut lit. non contest. [II 6] [11]; facit textus in c. fi. in fi. ne sede vacante in Sexto [III 8] [12].

Et ⟨ultra hoc⟩ [c] multa alia ⟨scripta sunt⟩ [d] ab Alexandrino et recentioribus et maxime ab Hippolito de Marsilia in dicta l. *De unoquoque* et a Mariano ubi supra, quae faciunt ad casum nostrum, quarum plura loquuntur, etiam si iudicialiter quid agatur. At in casu, de quo agitur, non per viam iudicii, sed, ut supra dictum est, per viam provisionis et quasi legem ferendo [e] procedere decet, et ideo tanto minus citatio requiritur.

Per quae iura et alia, quae brevitatis causa omitto, concludendum videtur, citationem hoc casu non esse necessariam.

III.

An sint citandi [librorum auctores].

Quoad p r i m u m d i s t i n g u o: Aut agitur simpliciter de reprobandis libris, non ut in consequentiam veniant personae, sed aliis forte ex causis; aut vero agitur de libris ratione personae. *Conc. 103* f. 45r

Primo casu non videtur necessaria citatio; in secundo videtur necessaria. Id primum probo: p r i m o, quia liber ipse iam est publicus, quia publicatus et impressus. Unde cum

[a] *del.* allegat [b] *del.* notabilis [c] *add. supra lin.* [d] *del.* cum his ponuntur [e] *del.* tradendo

[1] Apud *Schulte* l. c. II 338 sqq. de Consiliis Praepositi Alexandrini nihil.
[2] *Friedberg* II 1143.
[3] *Friedberg* II 8 sq.
[4] *Friedberg* II 360.
[5] *Friedberg* II 242.
[6] Cfr. p. 588 adn. 7.
[7] *Friedberg* II 8. — Locus non est Hieronymi, sed ex glossa ordinaria in *Prov.* 3, 5.
[8] *Friedberg* II 12 sqq.
[9] *Friedberg* II 396 sqq.
[10] *Friedberg* II 1078.
[11] *Friedberg* II 263 sqq.
[12] *Friedberg* II 1041 sq. Est c. unicum.

materia eius ac usus sit publicus, potest de ea a principe statui absque alicuius praeiudicio. Sicut videmus licere prohibere comercium certi generis hominum in civitate, ut Aristoteles in Polit.[1], et nemo tunc citatur, quia nemo laeditur vere, cum possim ego nolle in regno meo admittere nisi cives meos.

Secundo: Ubi in concilio tractatur causa aeque communis laicis ac clericis in genere, ut in concessione privilegii vel rescripti, tunc non est necessario citandus is, ad quem causa pertinet, sicut nec in editione statutorum Iacobatius lib. II articulo 2 pag. 82C[2].

Tertio: Habemus glossam in c. fin. [10] [X] de his quae fiunt a prel. [III 10][3], quae dicit, laicos in concilio vocandos tribus tantum in causis: primo, ubi ante invitati; secundo, ubi de causa fidei; tertio, ubi de causa matrimonii. Et licet in his duobus ultimis casibus multi dissentiant, tamen quocumque casu satis est, hunc nostrum non comprehendi

Quarto: Quia isti libri ut plurimum sunt laicorum et agunt de causis fidei, quod est eis prohibitum, c. 2 § Inhibe[mus] de haeret. [V 2] in VI[4]; l. 3 C. de summa Trin. [I 1][5].

Quinto: Quia cum imperator sit caput laicorum, glossa c. [41] *In apibus* [C.] 7 q. 1[6], satis esteorumcaputvocatumesse, necpossuntconquerise esse indefensos. Iacobatius pag. 83B[7].

Sexto: Ubi generaliter citandi sunt tam clerici quam laici ad concilium, tunc concilium hoc non agit, sed metropolitanus intimat suffraganeis, ut faciant proclamata generalia. Quem ordinem citationis mandavit servari Gregorius VII in concilio Lateranensi[8]. Iacobatius [lib. II art. 3] pag. 90C.

Septimo: In bulla edita a S^{mo} iam sunt citati omnes, quorum interesse potest, et potest S^{mus} ita citare. Ros[ellus] in nov. 8[9]; [c. 10 X] de dol. et con. [II 14][10], ergo id sufficit.

Non obstat, quod eorum intersit, quia negatur, ut supra, vel interest in consequentiam tantum, vel satis iam sunt citati.

⟨Octavo: Videmus alias saepe fuisse reprobatos libros, et tamen non fuerunt citati. Theodoretus lib. II cap. 29[11], et Hist. tripartita lib. V cap. 43[12] de Aetio diacono, ut non legerentur tamquam *inutiles*, sed si ipse perseveraret, tunc anathematizaretur in concilio Constantinopolitano, et Theodoretus in concilio Chalcedonensi[13], idem de aliis libris; et Livius lib. XX[14] et Cornelius Tacitus lib. XIV⟩[15 a]. |

43v Nono: Facit l. 4 [D.] fam. herc. [X 2][16]. Nam si libri improbati non veniunt in divisionem nec sunt in numero, ergo nulli fit praeiudicium[b].

Ad contraria respondetur, hic non agi principaliter de persona aut eius praeiudicio, sed id tantum venire in consequentiam; unde tenet actus absque citatione. Verum est, quod quoad haec, ut deinde hic actus praeiudicet illi non citato, requiritur saltem citatio ex generali proclamate. Alex[andrinus] l. *De unoquoque* in IX. limit[17], Marsil[ius] ibi n. 57 et n. 97; faciunt etiam duae aliae limitationes n. 95 et n. 96 et n. 101[18].

a *add. in marg.* b *Post haec verba spatium in cod*

1 Hunc locum in Politicis non inveni.

2 Ad verbum fere desumpta sunt haec ex tractatu cardinalis Dom. Iacobatii de concilio (Romae 1538) p. 82 C.

3 *Friedberg* II 505 sq. — Glossa est haec: *Laici vero huiusmodi conciliis interesse non debent, nisi specialiter invitentur, 68. dist.* [c.] *Hadrianus in fine. Vel etiam nisi specialiter tractaretur causa fidei, 96. dist. versi. nam. Vel nisi tractaretur de matrimonio, quia, cum tales causae eos tangant, possunt interesse,* [c.] *35 q. 5* [c.] *ad sedem.*

4 *Friedberg* II 1070.

5 *Krueger* 5 sq. Est Theodosii et Valentiniani edictum contra Nestorianos a. 448 editum.

6 *Friedberg* I 582.

7 Iacobatius l. c. inter alia haec ait: *Cum in generali concilio sit tractandum de omnibus etiam laicis in universum, propter eorum iudicium convenit, quod saltem eorum superior vocetur,* scil. imperator, qui est *dominus universi et luminare minus et princeps et caput laicorum.*

8 Reg. I 42 ad Sighardum archiep. Aquileiensem, *Migne* 148, 322 sq.

9 Nec apud *Schulte,* Quellen u. Literatur II 303 sqq. nec in libro *K. Eckermann,* Studien zur Geschichte des monarchischen Gedankens im 15. Jh. (Berlin 1933) 22 sqq. de commentariis Antonii Roselli († 1466), « Monarchae iuris », in Authenticum aliquid inveni.

10 *Friedberg* II 297.

11 Recte l. I cap. 24. *Migne gr.* 82, 1069 sq.

12 *Migne* 69, 1021 sqq. (V 42 sq.).

13 Revera est edictum Theodosii II imp. contra Nestorium et Theodoretum, quod tamen habetur inter concilii Chalcedonensis acta, *Mansi* VII 495-498.

14 Allegatio sine dubio erronea, quia Livii lib. XX est deperditus. Nec *Th. Birt,* Das antike Buchwesen (Berlin 1882) 367 sqq. de libris a re publica Romana prohibitis aliquid refert.

15 Potius Agricola 2 (*Halm* 245 sq.): *In libros quoque eorum* [sc. Rustici et Senecionis] *saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.*

16 *Mommsen* 138.

17 Non mihi licuit adhibere, quae card. Alexandrinus, I. A. de S. Georgio, (*Schulte,* Quellen u. Literatur II 338 sqq; *Eubel* III 23) in l. 47 De unoquoque ff. de re iud. XLII 1 (*Mommsen* 668) scripsit.

18 Hippolytus Marsilius (vel de Marsilis) iurisconsultus et Pandectarum professor in universitate Bononiensi († 1529, cfr. *Schulte,* Quellen u. Literatur II 360 sq.) in repetitione sua super l. De unoquoque circa materiam citationis multa congessit, ut ipse in libro suo « Singularia » (Venetiis 1555) n. 633 dicit. Repetitio ipsa praesto mihi non est.

IV

[De citatione auctorum deque ratione servanda in examinandis libris][1].

Conc. 103 f. 46r

[1]. Ubi non est certa persona, tunc fit citatio generalis per edictum, sed haec citatio debet esse trina. Probatur c. fin. [47] de elect [I 6] [in] VI°[2]; quod intelligendum ad hoc, ut incurrat poenam contumaciae, glossa [in] c. [11] *Ex litteris* [X] de constit. [I 2];[3] alias ad hoc, ne possit dicere se neglectum; etiam in synodo sufficit unica monitio, glossa c. [13] *Si episcopus* 18. D.[4], Feltr[ensis] 17[5].

Ubi est adversarius certus, nunquam fit citatio generalis, sed tantum ubi incertus, c. [6] *Cum in tua* [X] qui matr. acc. poss. [IV 18][6], c. fin. [47] de elect. [in] VI°[7], Felinus c. 2 de constit. [I 2] n. 8 [et] 9.[8].

Hic tamen advertendum, quod proprie non adest adversarius, sed hae citationes fiunt honestatis causa et ex benignitate, unde sufficiunt quoquomodo denuntiatae. Libri enim ipsi, ex quo impressi sunt ac publicati, eorum materia iam facta est publica nec amplius censentur ut privati. ⟨Et ideo non prohibentur libri manu scripti, quia illi sunt privati.⟩[a]

Hinc videmus licere unicuique, qui habet iurisdictionem in loco, prohibere, ne certi libri ibi venum exponantur, sicuti prohibentur et monetae et alia similia. Aliud erit, cum fiet executio. Tunc enim ratione materiae ipsius et corporum librorum essent bibliopolae aut alii domini citandi.

Sicut etiam potest princeps interdicere civitati suae commercium aliquorum gentium, prout bene institutae respublicae semper fecerunt, nec necesse est eas citare cum illis iniuriam proprie non faciat, sic et magis potest librorum usum prohibere absque alia citatione.

Quod si in consequentiam librorum sit etiam improbandus author et declarandus tamquam haereticus, tunc necessarium erit eum citare non ratione librorum, sed haeresis, quae colligitur ex libris.

[2.] Quoad primum ergo caput laudandum est consilium Ill^morum^ legatorum, scilicet ut libri omnes examinentur. Quoad rationem autem eos discutiendi, cum finis huius examinis eo tendat, ut libri editi aut concedantur legi aut prohibeantur, et consequenter necessarium sit aut eos condemnare aut absolvere, non video, quo pacto id fieri possit, nisi prius omnes diligenter legantur, relegantur et intelligantur, quoniam ipsimet causam suam dicunt. Ideo ferri sententia non potest nisi ipsis auditis.

Verum id quidem est, quod posset sancta synodus prius statuere, an placeat, ut authores, qui ex professo sunt haeretici, eorum etiam libri statim intelligantur reprobati. Nam tunc antea statuendum esset de auctoribus, quia ita labor multus minueretur in eorum operibus legendis.

Quis modus autem adhibendus sit legendis his libris, infinitum est negotium primo in inveniendis, secundo in legendis, tertio in iudicandis, quarto in ratione invenienda executionis, ne fiat perturbatio rerum videlicet. |

Quoad primum caput de inveniendis libris: Hic multa sunt consultanda. 46v
Primo quomodo comparanda tam magna librorum multitudo; secundo, an magis expediat publicam bibliothecam instituere, ubi omnes condantur; tertio, an potius ex re sit, illos gratis donare iis, qui huius rei causa eos sunt lecturi, ut ita diligentius possint adnotare eos minio, virgulis, asteriscis; quarto, an potius rogandi omnes, ut unusquisque eos perquirat, qui sibi legendi erunt, cum plerique iam eos habeant et iam legerint; quinto, an perquirendi sint aere publico certorum tantum auctorum libri, qui non ita vulgares sunt, ceteri vero, qui solent apud omnes extare, eos unusquisque sibi reperiat.

Quoad secundum de legendis libris: Videndum primo, an sit fidendum diligentiae unius tantum, qui aliquos legat, partito inter plures onere, an vero idem opus

[a] *add. in marg.*

[1] Primo loco respondetur ad quaestionem, an librorum prohibendorum auctores citari debeant; secundo ad easdem quattuor, de quibus sequens tractatus. Cuius sit, nescitur.

[2] *Friedberg* II 970.

[3] *Friedberg* II 14 sq.

[4] *Friedberg* I 57.

[5] *Thomas Campegius*, De auctoritate sacr. conciliorum (Venetiis 1561) f. 17r: *Licet autem alias in iudicialibus trina requiratur citatio..., in synodali tamen vocatione sufficit una.*

[6] *Friedberg* II 719 sq.

[7] Cfr. supra adn. 2.

[8] *Felinus Sandaeus*, In V libros Decretalium I (Basileae 1567) 74: *Concluditur, quod, ubi est adversarius certus, nunquam sufficit citatio per edicta.*

plurium hominum diligentiam requirat, et quot hominum; secundo, an legendi etiam libri gentilium, an aliarum sectarum, an omnium linguarum, videlicet vulgaris, latinae, graecae, hebraicae; tertio, an legendi etiam libri incertorum auctorum, an vero omnes a 40 annis citra tamquam apocryphi reiiciendi, prout videtur in indice contineri; quarto, an haec cura legendi libros sit dividenda in varias classes secundum varias disciplinas, et quot classes constituendae, et singulis classibus quot personae decernendae.

Quoad t e r t i u m videndum primo, an ea tantum reprobanda, quae repugnant fidei, an etiam quae honestis moribus; secundo, an auctores haeretici ex professo illi omnino sint abiiciendi, id est omnia opera eorum quamvis alias sint honesta; tertio, quis dicendus sit quoad hanc materiam haereticus ex professo: an haeresiarchae tantum, an etiam alii et qui; quarto, quid de auctoribus, qui non fuerunt christiani et tamen de Christo turpiter loquuntur ac de fide; quinto, ubi liber aliquis continet plura mala quam bona, sunt tamen aliqua bona, an in totum ille sit reiiciendus, et quid ex converso; sexto, an in ferendo hoc iudicio de auctoribus standum sit illis tantum viris, qui ad hoc erunt delecti, an vero hoc cum tota synodo sit communicandum; septimo, an iudicandi sint etiam libri, qui fuerunt ante haereses Lutheri, an illi tantum, de quibus in indice; octavo, an reprobandi illi, qui loquuntur de geomantia, physiognomia, astrologia, divinatoria, prout in indice. |

47^{r} Quoad q u a r t u m d e e x s e c u t i o n e : Primo, an libri, ubi inserta sunt aliqua prava, sint adnotandi in margine, ut, qui eos legerint, ab ipsis possint cavere, an vero iubendum, ut de novo imprimantur illis erroribus sublatis; secundo, quid agendum, ubi aliquis [sit] haereticus ex professo, reperitur tamen citatus ab aliis bonis auctoribus; tertio in translationibus ex libris graecis, ubi multa quandoque deficiunt, multa sunt addita dolose: an expediat, eos libros de novo fideliter convertere, an vero notandum in margine tantum; quarto, an satius sit delere nomen auctoris non tantum in translationibus, sed etiam in aliis operibus bonis, scriptis tamen ab haereticis, propter multas praefationes et additiones, quae passim exstant inter bonorum auctorum opera.

V

[Franciscus Forerius Lusitanus?:]
Quae ratio servanda videatur in examinandis libris[1].

Con. 103 f. 31^{r} Cum, ut inquit *Ecclesiastes* [12, 12], faciendi plures libros nullus sit finis, negotium etiam eos qui extant libros scrutandi et diiudicandi est fere infinitum. Quoniam tamen debent catholici viri, ut auctor est D a m a s c e n u s[a 2], ita in legendis libris versari, ut imitentur trapezitas, qui aurum purum seligunt adulterinumque reiiciunt[b], propterea ineundum est etiam commodum aliquod consilium, qui, etsi non omnino, quod cupimus, simus assecuturi, aliquo tamen christianae reipublicae futurum sit adiumento[c]. Olim immensum videbatur opus, ut tot acervatae aliae super alias leges ad certam aliquam formulam redigerentur, et tamen Iustinianus paucis ad id viris prudentibus adhibitis id praestitit[3]. Videmus ethnicis populis hoc praecipue curae fuisse, ut libri, qui ad solvendam religionem pertinerent, ex civitate tollerentur, et inquit U l p i a n u s[4], improbatae lectionis libros esse corrumpendos: Cur nos, qui veram fidem profitemur, minus hoc Deo duce successurum esse diffidimus?

Quoniam autem in vasta hac librorum silva multa multis impedimenta occurrunt, quae ⟨primo aspectu perturbationem potius pariunt⟩[d] in hominum deliberatione, mihi veniebat in mentem ⟨ratio quaedam adhibenda exemplo apum, quae prius flores inveniunt, inde us

[a] *Min. A add.* lib. 4. [b] *Min. A add. et del.* et apes, quae ex magna florum varietate certos seligunt, ex quibus mel conficiant, [c] *Min. A* non desperandum est etiam Deo duce, quin ratio aliqua excogitari possit [*del.* si non operis huius omnino perficiendi], quae etsi non omnino opus hoc perfecte assequatur, magno tamen piis omnibus viris et fidelibus futura sit adiumento. *In marg. tres aliae formae sunt adnotatae.* [d] *Min. A* ita proposita perturbationem potius augent confusionemque pariunt

[1] *Ehses* l. c. 71 opinatur auctorem esse Mag. Franciscum F o r e r i u m ord. Pr., secretarium deputationis, tamen sine ullis probationibus. — Praeter cop., quam sequimur, duae prostant minutae, prior f. 39^{r}-40^{r} [= Min. A], posterior f. 38 et 41^{r} (= Min. B]; praeterea alia copia f. 37 et 42^{r}. Secundum *S. Merkle*, *Conc. Trid.* I p. XXXIV etiam in codice olim *Vindob. 5561* f. 1^{r}-2^{r} copia extat manu Nuccii exarata.

[2] De fide orthodoxa lib. IV c. 17 (*Migne gr.* 94, 1177-8).

[3] Iustinianus I Treboniano aliisque professoribus et advocatis commisit, ut ius vetus ex scriptis iurisconsultorum depromptum in unum volumen colligerent (scil. in Dig.) legesque imperatorum in alterum (scil. Cod.), quae una cum Institutionibus a. 534 publicavit. Vide praefationem imperatoris Institutionibus praemissam necnon rescripta, quae Codicem antecedunt, praeterea *R. Sohm*, Institutionen[17] (München-Leipzig 1933) 124 sqq.

[4] Vide supra p. 590 adn. 6.

insident, tum certos tantum delibant, et tandem mel conficiunt.〉 [a] Dico igitur, prius agendum esse de libris inveniendis, secundo de iis legendis, tertio de iis diiudicandis, quarto de opere ipso exequendo, ne rerum perturbatio oriatur [b].

Quoad primum caput de inveniendis libris considerabam, cum debeat sancta synodus certam legem praescribere quibuscumque libris, qui aliquando in controversiam vocari possint: ideo opus hic est magna librorum multitudine in omni scientiarum genere, ut illi possint accurate legi et considerari. Illi autem cum non adsint in hac civitate [1], sed aliunde sint advehendi, 〈idcirco in primis hoc statuendum erit, ut librorum omnium, qui in hac re erunt necessarii, sufficiens huc copia adportetur ad eorum usum, qui huic negotio erunt praepositi.〉 [c] Alias enim frustra torquebunt se patres in excogitanda ratione discutiendorum librorum, si eorum copiam non poterunt habere, cum res postulabit. Statuatur igitur hoc primum et firmetur. |

Secundum est caput de legendis libris. Nam cum finis synodi ille sit, ut 31v boni approbentur, alii condemnentur, necesse est, ut isti omnino legantur et intelligantur; ipsi enim sponte suam causam dicunt, et cum sententia de iis sit ferenda, non debet ipsis inauditis pronuntiari. Hic igitur erunt multa consultanda: Primo hoc onus legendi libros quibus sit mandandum, an classes aliquot eligendae peritorum veluti theologorum, canonistarum, philosophorum et diversarum professionum, et quot personae in singulas classes distribuendae; 〈qua in re praeter praelatorum ordinem alii etiam poterunt eruditi extrinsecus adhiberi, ut celerius negotium conficiatur.〉 [d] Secundo, an ex singulis classibus sufficiat, unum tantum legisse aliquod opus, ita ut fidendum sit illius diligentiae, an vero oporteat plurium oculis in eodem opere esse versatos. Tertio [e], an habenda sit nunc tantum ratio indicis sub Paulo IV, an vero etiam aliorum librorum, si qui in eo omissi sunt aut de novo editi, qui indigni videantur; item an omnium disciplinarum libri evolvendi; an omnium linguarum; an translationes omnes librorum, qui ad fidem pertinent, scrutandae sint, an fideliter factae.

Tertium caput est de iudicandis libris. Nam postquam lecti fuerint et adnotati, tunc erit de his iudicium ferendum. Et hic videndum erit primo, an in singulis rebus animadversis tota sit synodus consulenda; secundo, an opera omnia haereticorum ex professo sint abiiciendi, qualiacumque sint, et qui dicantur haeretici ex professo; tertio, quid de auctoribus, qui non fuerunt christiani, et tamen de Christo turpiter loquuntur ac de fide; quarto, quid de christianis, qui loquuntur de physiognomia, geomantia, astrologia divinatoria et similibus. Quid de [f] operibus, quae non repugnant fidei, sed bonis tantum moribus?

Quartum caput est de executione, quod separatim eget magna consultatione Postea quam enim libri lecti et iudicati fuerint, adhuc videndum est, quomodo ita de medio tolli possint, ne omnium scripta pervertantur. Nam primo consultandum erit, quid agendum, ubi aliquis est iudicatus haereticus ex professo, et tamen illius opiniones et auctoritates ita | reperiuntur insertae inter opera aliorum bonorum auctorum, ut amplius evelli 32r non possint nisi sublato toto opere; quid de praefationibus, additionibus, scholiis haereticorum, quae passim reperiuntur inter alios auctores [g]. Secundo quoad libros, qui non in totum improbantur, sed continent varios errores: an satius sit adnotare in margine errores, ut, qui eos legerint, ab ipsis possint cavere, an vero iubere, ut de novo imprimantur, illis erroribus sublatis. Tertio in translationibus factis ab haereticis de libris graecis, quae in multis sunt dolosae [2], et tamen alibi non reperiuntur: an expediat eos omnino tollere et curare, ut alius fideliter eos commentet, an vero adnotationes aliquas iis adiungere.

[a] *Min. A* ut in hac vasta rerum sylva, quam excolere et ad frugem reducere cupimus, exemplum traditum a Damasceno imitemur, nempe prius reperiamus materiam, inde eam rimantes perscrutemur, postea seligamus et discriminemus, tandem in opus aliquod producamus. *Postea huic formae pluries mutatae alia est substituta in marg. similis ei, quam supra damus, quae in min. B in marg. est addita.* [b] *Min. A del.* Itaque placeret imprimis, ut Ill^{mi} legati secum deliberent. [c] *Min. A* idcirco principio hoc videndum est, qui libri huc adferendi sint, et cuius sumptibus. Hoc si Ill^{mi} legati sponte statuent, ut hic adsit omnium librorum, qui erunt necessarii, copia, non necesse erit super hoc capite alios patres consulere. [d] *Min. B add. in marg.* [e] *In min. A haec deliberatio primo loco est posita.* [f] *Min. A del.* translationibus haereticorum [g] *Min. A hanc de praefationibus partem in fine sectionis ponit.*

[1] Quibus ex verbis minime concludi potest Tridenti novatorum libros fuisse ignotos; immo multa prostant argumenta in contrarium, ex. gr. mense Aprili 1563 unus ex praelatis vel theologis in concilio degentibus apud pontificem questus est de magno illo abusu *super lectura librorum haereticorum, quos omnes prelati sub pretextu, ut dicunt, quod debet agi de eorum correctione, legunt et cum maiori attentione quam libros catholicos. Šusta* III 323. Alia quaedam testimonia collegi in periodico Catholica 3 (1934).

[2] Ex. gr. Oecolampadii translationes ex Chrysostomo, contra quas Germanus Brixius scripserat. Cfr. *E. Stähelin*, Die Väterübersetzungen Oecolampads: Schweizerische theol. Zeitschrift 33 (1916) 57 sqq.; *idem*, Briefe u. Akten zum Leben Oekolampads II (Leipzig 1934) 145 sqq.

Haec sunt capita, quae existimarem, si ita singillatim coram patribus tractentur, negotium facilius ad exitum perduci posse. Cum enim viderem, in tam vasta materia hominum cogitationem quodammodo obrui, si uno aspectu omnia proponantur, ideo curavi hictantum ordinem referre, qui in executienda tanta re potest adhiberi.

Erunt fortasse et alia multa suo tempore deliberanda, sed satis est me rerum summam his paucis indicasse.

Atque haec quoad libros hactenus impressos. Nam de imprimendis satis est illis multis iam conciliis consultum.

VI

R. D. abbatis Stephani ex religione S. Benedicti modus servandus in examinandis libris haereticorum [1].

1. De libris haereticis. An libri omnibus interdicti sint omnino, etiam episcopis, abbatibus, inquisitoribus interdicendi.

An ullis interdici debeant sub iis omnibus censuris et poenis, de quibus in indice, et praesertim in « Coena Domini » reservatis [2].

An episcopis et praelatis sub iisdem poenis, quibus et ceteris.

An consciis tantum aut sine contemptu contravenientibus sub iisdem poenis, quibus contemptoribus et contumacibus.

An blasphemi Iudaeorum libri permittendi catholicis eruditis et piis, qui eorum blasphemias confutent [3].

2. De libris haereticorum non haereticis.

An condemnato haeretico omnia eius scripta condemnata intelligantur.

An ea etiam, quae omnino bona cognoscuntur.

An ea etiam, quae nihil de dogmatibus tractant omnino, sed de aliis rebus bonis rite ac recte.

An etiam scripta ab eo recte contra aliorum haereses.

⟨An contra suam ipsius, antequam in eam incideret.⟩ [a]

An etiam scripta ab eo, antequam haereticus fieret.

An omnia etiam, quae umquam scripturus sit.

An si haereticus ad ecclesiam redierit, bona eius scripta, quae prius eo pacto condemnata intelligebantur, deinceps non censeantur condemnata.

An etiam, si constiterit, haereticum sub mortem poenituisse aut reconciliationem desiderasse vel petiisse.

An nihil inter expresse et nominatim condemnatum et condemnatum in genere et notorie quidem haereticum, sed adhuc nullo modo condemnatum, et eum, qui nihil haereticum scripserit aut docuerit, sed tantum cum haereticis publice senserit et vixerit.

An recentium et perfidorum Iudaeorum bonae et fideles expositiones Veteris instrumenti fidelibus permittendae [4].

[a] *add. in marg.*

[1] Stephanus Catanius Novariensis, abbas S. Mariae Gratiarum Placentinae dioecesis († 1580), etsi in congr. generali 17. Febr. 1562 deputatis pro indice non est adnumeratus, postea erat cum eis. Qui 12. Febr. dedit votum, *Conc. Trid.* III 1, 264; VIII 324.

De auctore *M. Armellinus*, Bibliotheca Benedictino-Cassinensis II (Assisii 1731) 180: *Plura eaque insigniora congregationis monasteria administravit, Placentinum, Patavinum, Florentinum, Mantuanum, Venetum, Parmense...; fuit etiam bis congregationis praesidens.* Quoad scripta eius conciliaria idem Armellinus haec lectu digna adnotat: *Inter ea, quae in concilio Tridentino scripsit, haec numerantur: Dissertatio de celebratione Paschatis seu de corrigendo cyclo Paschali. Vota pro formandis decretis spectantibus ad fidem, mores et disciplinam. Reliqua sicut etiam titulum numerumque orationum hactenus scire non potui, etsi olim significatum mihi fuerit, in bibliotheca S. Mariae de Caesena in capsula sub imagine S. P. Benedicti ad pluteum operum sanctorum patrum extare manuscripta ea omnia, quae in Tridentino concilio dixit et discussit; itemque acceperim nuperrime, reperiri scil. eius manuscripta in bibliotheca S. Ioannis Ev. Parmensis. Sed utrobique, licet diligentissime perquisita, minime inveniri potuerunt; quod utique est argumento ex utraque bibliotheca a plagiariis fuisse sublata.*

[2] In indice Pauli IV contenti libri *sub censuris et poenis in bulla Coenae Domini et in decretis Lateranensis concilii expressis* erant prohibiti. *H. Reusch*, Die Indices libr. prohibitorum 176.

[3] Anno 1553 Inquisitio Romana libros Talmud comburi iusserat. *Pastor* VI 159 sq.

[4] In indice Pauli IV (*Reusch*, Die Indices libr. prohib. 203) prohibitae erant *Thalmud Hebraeorum eiusque glossae, annotationes, interpretationes et expositiones omnes.* Mense Febr. 1563 Iacobus de Bonaventura Hebraeus legatos supplicavit, ut *librum illum* [scil. Talmud] *denuo cum illius censura diligenter inspici et examinari mandent, neque illum ita absolute abolendum velint.* *Šusta* III 237.

3. Non omnes sacros libros vulgares omnibus auferendos[1].

An omnibus quibuscumque vulgaribus dialectis scripti quivis sacri codices omnibus omnino fidelibus auferendi sint.

An omnes dialecti vulgares appellandi sint praeter latinum, graecum et hebraeum.

An caldaica, arabica, aethiopica et ceterae gentium dialecti vulgares sint appellandae.

An etiam, si qua est alicui genti singularis dialectus et omnibus communis.

An Dalmatarum dialectus, quam sclavonicam appellant, et qua etiam in sacris utuntur, vulgaribus sit annumeranda.

An ceterae huiusmodi, quibus usus obtinuit, ut vulgi dialecto sacra peragantur.

An omnibus etiam hominibus piis, quos verisimile est fructum inde capturos.

An etiam hominibus doctis et in lingua latina aut graeca etc. exercitatis.

An tota omnino sacra Biblia vel aliqui eorum integri libri vel aliquae ipsorum librorum partes.

An omnes etiam vulgares libri, quae partem aliquam ex sacra historia veteri aut evangelica vel ex propheticis aut apostolicis literis vulgariter enarrent et exponant secundum catholicam fidem aut simpliciter referant idiomate vulgari transcriptum. ⟨Semen ex quarta solum parte foecundum.⟩ [a]

An sanctorum patrum et enarrationes in sacra Biblia, quae fideliter translatae sint in idioma vulgare.

An Psalmi vel cetera alia sacra poemata pie et eleganter vulgari poemate conscripta [2].

An eadem sacra historia a Philone [3], Iosepho [4], Sabellico [5] ceterisque huiusmodi graece aut latine pie conscripta et deinde in vulgarem fideliter translata.

VII.

Mag. Christophori Patavini [b]
votum, an libri haereticorum haeresim non continentes sint abolendi,
pronunciatum in concilio Tridentino MDLXII [6].

Ad primum, an haereticorum libri haeresim non continentes abolendi sint, sic satisfaciam: Primo aliqua de haereticorum libris haeresim continentibus dicam; secundo de iis, de quibus directe quaeritur. Cod. Angel. 475 f. 308v

[a] Sic! Videtur esse glossa marginalis illata in textum. [b] Cod. Eiusdem Rmi Patris Generalis etc.

[1] Index Pauli IV (*Reusch*, Die Indices libr. proh. 206): *Biblia omnia vulgari idiomate, Germanico, Gallico, Hispanico, Italico, Anglico sive Flandrico etc. conscripta nullatenus vel imprimi vel legi vel teneri possint absque licentia sacri officii S. Rom. Inquisitionis.* Et postea: *Novi Testamenti libri vulgari idiomate conscripti sine licentia in scriptis habita ab officio Sanctae Rom. et universalis Inquisitionis nullatenus vel imprimi vel teneri possint.*

[2] Ex. gr. 50 Psalmi a Clemente Marot († 1544) in linguam Gallicam translati, quorum partem auctor a. 1540 Carolo V imp., manuscriptam adhuc, tradiderat. Realencyklopädie XII 364 sq.

[3] Ex. gr. De Arahamo, de Iosepho, de vita Mosis, cfr. *W. v. Christ-W. Schmid*, Geschichte der Griech. Litteratur II 1 (München 1911) 492 sq. 498.

[4] In primis Antiquitates Iudaicae, *Christ-Schmid* l. c. 451 sq.

[5] Marcus Ant. Coccius Sabellicus (1436-1506) et in Ennead. VII (Opp. [Basileae 1560] II 235 sqq.) et in Elegiis in natalem diem Virginis (*ibid.* III 590 sqq.) sacram enarravit historiam. De auctore cfr. *V. Rossi*, Il Quattrocento (Milano 1933) 178; *G. Ellinger*, Italien u. der deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik (Berlin 1929) 89 sq.

[6] Ex inscriptione ipsa elicitur hoc votum in concilio Tridentino esse pronuntiatum. Sed non esse votum in congr. generali 13. Febr. 1562 datum, ex actis Massarelli apparet *Conc. Trid.* VIII 325. Itaque, cum deputatorum fiat mentio, coniicere licet, esse in congregatione deputatorum prolatum, quibus Christophorus Patavinus adnumeratus est, *Conc. Trid.* VIII 329.

Praeter hoc votum et scriptum sequens, quae exhibemus, in eodem codice duo alii tractatus de indice agentes conservantur. Prior f. 152r-158r, qui inscribitur « De modo conficiendi catalogi de auctorum libris taxandis vel interdicendis », sub Paulo IV est scriptus, et quidem ante a. 1558, quo exeunte index illius pontificis confectus est. In quo primo loco ex s. scriptura, patribus et conciliis probare nititur, libros haereticorum, in quibus haereses manifeste doceantur, comburendos esse; alios autem, in quibus non agatur de iis, quae ad fidem spectent, impune legi posse antiqui quidem censuisse, sed secus faciendum esse de modernorum haereticorum libris auctor contendit, *quia bona omnia in illis contenta in catholicis inveniuntur.*

Deinde animadvertenda quaedam in catalogo ipso conficiendo adnotat: 1. Libri haeresiarcharum ne examinentur denuo; constat enim eos in catalogo Parisiis vel Lovanii edito fuisse reprobatos. Sed tollantur ambiguitates quoad nomina titulosque, ne catholici doctores ac libri pro haereticis habeantur. 2. Notentur praeter auctorum nomina etiam loca et tempora, ut facilius libri discernantur. 3. Augustinus Romanus

Pro primo igitur respondeo per tres conclusiones:

Prima, quod nulla divina lege haereticorum libri simpliciter et absolute abolendi veniunt. Quia si talis haberetur, nunquam Hieronymus libros damnatorum haereticorum legisset; quod falsum est, quia legit Origenem, aliis etiam, ut caute legerent, consuluit,

(vel de Favaronibus, cfr. *Ossinger*, Bibl. Augustiniana 329 sqq.; *A. V. Müller* in: Bilychnis 3 [1914]) in catalogis Parisiensi et Florentino (revera in Veneto, cfr. *Reusch*, Die Indices 151) condemnatus deleatur, quia praeter quasdam propositiones multa alia egregie et catholice scripta reliquit ac catholicus in ecclesia catholica mortuus est. 4. Scrutentur libri in Germania ab haereticis editi sub nomine catholicorum. 5. Conferantur doctores graeci ab haereticis in latinum translati, ut Chrysostomus, cum exemplaribus graecis, vel de integro vertantur. 6. Item de conciliis in Germania impressis; verisimile enim esse, haereticos ea vitiasse, ut ex eis errorum suorum patrocinium sumant. 7. Latini quoque doctores ab haereticis, suppressis sententiis eorum catholicis, mutilati, ut Cyprianus, etiam cum archetypis conferantur. 8. Scholia fidei catholicae adversantia diligenter examinentur et errores notentur, ut studiosi, quid cavendum sit, intelligant. 9. Libros ab haereticis scriptos, etiamsi haereses manifeste non contineant, cavendos esse; nam s. scripturam ac patres saepius truncate allegant. *Quia haec omnia in praesentia et tam brevi tempore expediri nequeunt, idcirco, quae magis necessaria sunt, antea curare et perficere opus est, ut imprimis evitandorum librorum cathalogus, qui a piis fidelibus nunc desideratur atque instanter postulatur, inchoandus est et summa cura conficiendus. Quae res commode fiet, si diversi libri diversis theologis intra certum temporis terminum revisendi distribuantur* (f. 157^{r}).

Tertio: *Quia vero praesenti malo mederi non satis est, nisi et futuro caveamus, idcirco lege aliqua cavendum esset, ne libri aliqui, cuiuscunque lectionis sint, ullo in loco deinceps a catholicis imprimantur, qui antea ab iis, qui huic rei praefecti fuerint vel praeficientur, quos plures esse opus est, ut haec res diligentius agatur, diligentissime examinati non fuerint. Ceterum his omnibus incommodis obsisti et commode provideri posse putarem, si de cetero non amplius e Germania praesertim Lutherana peste laborante atque corrupta libri cuiuscunque lectionis, conditionis reciperentur, sed sub poenis et censuris etiam gravissimis recipi prohiberentur; sed eos multo castigatius et fidelius alibi impressos apud pios et eruditos viros emere liceret. Quod sane tunc foret, si apud catholicos essent, qui catholicorum libros fideliter cum suis originalibus pristinis collatos iterum imprimerent. Sic enim perniciosi errores clam ab haereticis in eos libros importati tollerentur atque ita sine offensa piarum aurium et citra animae periculum legi possent et ex eorum lectione solidae et ingentes, ut ante, utilitates capi. Utinam vero S. D. N. Paulus... in Italiam typographos ipse conduceret, qui libros magis ecclesiae necessarios sinceros atque integros imprimi facerent, eosque solos in manibus christianorum versari et haberi mandaret, quod reipublicae christianae universisque studiosis utilissimum foret.* De indice Pauli IV, quem hic tractatus antecedit, cfr. *Reusch*, Der Index I 258 sqq., *Pastor* VI 520 sq.

Tractatum alterum *ibid.* f. 164^{v}-168^{v}: « De reformatione indicis librorum editi a Paulo IV, an scil. reformari debeat et quomodo », etsi de iisdem fere quaestionibus agat, de quibus tractatus Stephani abbatis, tamen non anno 1562, sed iam 1561 ineunte scriptum esse existimo, dum Seripando praesidente de reformando indice Pauli IV Romae agebatur (*Conc. Trid.* II 463). Quomodo enim anno 1562 concilio iam aperto dicere potuisset: *Negotium hoc ad concilium minime reiiciendum existimo?* Anno autem 1561, concilio scil. iam indicto, non autem coacto, facile fieri potuit, ut Seripandus Christophoro aliisque tum vocatis ad reformandum indicem hanc quaestionem proponeret.

Quoad libros haereses continentes *nemini*, inquit, *dubium est omnino abolendos esse nec ulla ratione alicubi servandos, ne humana industria quandoque inveniret et sic extinctae reviviscerent.* Adducit deinde testimonia antiquitatis.

De libris vero haereticorum haereses non continentibus..., licet quispiam dubitare posset, scil. respectu Origenis et Eusebii, negari quoque non posset, haereticos multa vera et utilia in aliis facultatibus scripsisse, *tamen maiores nostri, ut illorum memoria peri[re]t, et eiusmodi libros penitus aboleri curaverunt. Libri etiam quoad omnem memoriam et facultatem ita in immensum numerum creverunt, ut tanta librorum copia percipiendae et contemplandae veritatis impedimentum afferat potius quam adiumentum. Ut quid igitur haereticorum libri admittendi sunt? Cum et catholicorum libri superflui videantur, quos imminui praestaret, quod aliquando futurum non dubito. Praeterea, si admittantur, in dies novi edentur libri haereses non continentes, quos admittere oportebit, immo hoc pacto ad scribendum in aliis facultatibus provocabuntur et egregie, et ita ecclesia pluribus haereticorum quam catholicorum libris abundabit, et gloriosi erunt apud catholicos illi, qui abominabiles esse deberent.*

De catholicorum libris, quorum scripta legi prohibiti sunt, quamvis ecclesiae non sint necessarii, *tamen ne quibusdam scriptoribus, qui multa digna scripserunt et quidem copiose, iniuria fiat, propter paucos errores non multum graves prohibendi eiusmodi libri non videntur, sed potius notatis erroribus, ut lector cautus sit, quemadmodum in marginibus Magistri sententiarum factum est, ubi dicitur: Hoc non tenetur communiter, tunc eiusmodi libros legendos esse absque ullo scrupulo censerem. Inter ceteros Iacobus Faber, vir doctissimus, mihi occurrit, qui bonum zelum in suis scriptis, paucis quibusdam non magni momenti exceptis, habuisse videtur. Idem et de multis aliis dicerem. Immo in damnandis quorundam catholicorum libris, ubi pauci et non graves errores continentur, eiusmodi erroribus non expressis catholica dogmata cum haereticis damnari videbuntur, cum, ob quam causam damnentur, non ita facile appareat, et sic haereticis favere videbimur.*

De aliis vero catholicorum libris, quacunque in facultate illi sint, prohibitionem aliqualiter moderari placeret, praesertim quoad illos, qui pauciores errores neque multum graves continent. Hoc ipsum de libris vulgaribus, qui facetias vel ridicula continent, quae non ita corrumpunt mores bonos et eorum, quae ad religionem spectant, dignitatem non minuunt neque, ut contemptibilia habeantur, faciunt. Illi vero, qui christianae vitae multum obesse videntur, prorsus interdicti maneant.

Curam tamen maximam circa Biblias et Novum Testamentum adhibendam esse censeo, nam in tantam angustiam res haec redacta est, ut vix Biblia aliqua inveniri possit, quae sub censura non sit posita; quo fit, ut multis doctis hominibus ac praedicatoribus Bibliae alicuius habendi copia non sit. Idem et de libris Novi Testamenti dico. Neque Biblias materna lingua editas idiotis ulla ratione concederem personisque simplicibus etiam religiosis, qui divinorum mysteriorum auditores et non lectores esse debent, neque maiorum, sed minorum haec licentia multorum spiritualium ruina fuit et perditio.

De libris etiam ab haereticis impressoribus excussis

ut Tranquillino [1]; historiam etiam ecclesiasticam Eusebii Caesariensis Arriani tenet, licet in primo libro defendat Origenis doctrinam, ut Gelasius 15. D. c. [3] *Sancta Romana ecclesia* [2]. Et Augustinus consulit, legi Ticonium Donatistam propter multam eruditionem, sed caute, quia ad sacras (inquit) [3] litteras intelligendas multum facit. Ex hac conclusione scil. quod aboleri non prohibentur aliqua divina lege libri haereticorum haeresim continentes, sequitur, quod minus haeresim non continentes prohibeantur. Consequentia clarissima est, quia, si non prohibet maius malum, nec minus.

Secunda conclusio: Secundum aliquos nulla lege ecclesiastica simpliciter libri haereticorum haeresim continentes aboleri mandantur, sed bene particularibus legibus particularium haereticorum libri aboleri | mandantur, ut per Constantium libri Arrii, per Sym- 209r
machum libri Manichaeorum, per Martinum libri Wifclech [!] et Ioannis Hus, per Leonem X Lutheri.

Probatur conclusio, quia, si qua lex esset, maxime esset, quae per c. [4] *Fraternitatis* ex Gregorio IX X de haereticis [V 7] [4] habetur, sed ut dicit Alphonsus de Castro tractatu de iusta haereticorum punitione lib. [a] [II c. 17] [5] non abolendos mandat, sed tantum nullam eos habere autoritatem, sicut eodem titulo habetur, quod instrumentum a notario haeretico non prohibetur legi, sed in iudicio autoritatem non habere. Ideo dicit nunquam statutum aliquod generale se de hoc legisse, sed expedire admodum legem generalem quandam hoc prohibentem ferri.

At ego credo talem haberi legem. Nam ex concilio Carthaginensi IV can. 16 [6] habetur, quod *episcopus libros gentilium non legat*, libros vero *haereticorum pro necessitate et tempore* legat. Ergo videtur extra necessitatem legi non debere. Casus autem necessitatis est, quando haereses vigent et noviter suscitantur, tunc episcopos (ad quos defendere fidem pertinet et contradicentes redarguere spectat, ut in fide catholica fideles manu tenere sciant) legere libros et apud se habere necesse est. Sed haeresi extincta aboleri illos prorsus oportet nec alicubi asservari, ne per aliquod tempus humana curiositate vel bellorum causa inveniantur, sicut accidisse videmus nostra tempestate de libris Ioannis Wiclef et Ioannis Hus, qui non erant prorsus extincti. A quibus moderni haeretici multa perniciosa dogmata hauserunt [7]. Si gentiles hac diligentia usi sunt contra libros adversus religionem, quae falsa erat, quanto magis nos uti debemus. Nam libros Protagorae, Numae Pompilii deleverunt; | *3 Reg.* 15, 209v
[12], *4 Reg.* 10, [26 sq.] destatuis gentilium, quas combusserunt Iudaei; *Act.* 19, [19] de libris eorum, qui curiosa fuerant sectati. Videatur tamen can. 9 septimae synodi [8], qui vult libros adversus imagines cum aliis haereticis libris dari episcopo Constantinopolitano reponendos, cum poena depositionis omnibus clericis, etiam si sint episcopi, si laici, sint excommunicati. Sed fortasse ideo vult reponi, ut collectis omnibus comburantur. Utcumque tamen sit, longe melius est illos deleri propter causam dictam quam asservari. Non nego tamen, quum, si bona aliqua in libris haeresim continentibus inveniantur, non probentur, non tamquam ab illis dicta, sed a Spiritu Sancto. Sicut ecclesia baptisma apud haereticos et alia sacramenta secundum formam ecclesiae tradita probat et defectum supplet, illos reconciliando ecclesiae [9], sic etiam probanda est illa veritas. Sed non ex hoc liber haereticorum, qui legitur a catholico, dum legit pro necessitate, illo perlecto, a quo veritatem accepit, conservari cum suis

[a] lacuna in textu

moderationem aliquam faciendam esse censerem, ut videlicet ab inquisitoribus recognoscerentur vel ab aliis ad hoc deputatis, et horum licentia recogniti retineri ac legi possent.

Negotium autem hoc ad concilium minime reiiciendum existimo. Nam cum tot ad illud confluant patres variis moribus et studiis assueti, multae difficultates et contradictiones circa hoc forent; celerius itaque per summi pontificis auctoritatem expediri posse video. Si vero moderatio huiusmodi aliquibus committenda sit, cum diligentia et labor in indice conficiendo illiusque publicatio et a multis principibus ipsius acceptatio difficultatem faciant, doctioribus prudentioribusque committenda est, qui rem ita tractent, ut conscientiis timoratis consulatur et sedis apostolicae dignitas servetur.

[1] Ep. 62 n. 2, *Migne* 22, 606.

[2] *Friedberg* I 38: *quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit.*

[3] De doctr. christ. l. III c. 30 n. 42 (*Migne* 34,81): [Regulae Tichonii] *non parum adiuvant ad penetranda, quae tecta sunt divinorum eloquiorum.*

[4] *Friedberg* II 779.

[5] Opp. (Parisiis 1571) 1331. — Alphonsus de Castro in hoc cc. 15-17 de libris haereticorum comburendis nec legendis tractat; cuius opinionem Christophorus Pat. in omnibus fere sequitur, necnon canones et patres ibi allegatos depromit.

[6] C. 1 D. 37, *Friedberg* I 135. Canon sicut ceteri synodo Carth. IV adscripti revera non illius sunt, *Hefele* II 68.

[7] Opinio illa, Lutherum dogmata sua ex libris Bohemorum hausisse, praesertim a Io. Cochlaeo propagata est. *A. Herte*, Die Lutherkommentare des I. Cochlaeus (Münster 1935) 296.

[8] *Mansi* XIII 751.

[9] Cfr. *Augustinus*, De Baptismo contra Donatistas, *Migne* 43, 107 sqq.

erroribus debet, sed aboleri, quamquam distinguendo tempora concordabitur scriptura, ut dicit divus Augustinus[1]. Nam ab exordio nascentis ecclesiae et aliquanto post usque ad tempora beati Hieronymi et Augustini, Ambrosii et aliorum eiusdem ferme temporis non erant multi divinarum scripturarum interpretes; idcirco legi eiusmodi doctores caute tamen permittebantur et aliquanto tempore permanere, ut si qua bona et vera dixissent, quae ab 210r aliis non habebantur, in usum ecclesiae acciperentur. Quibus acceptis | libri multas haereses continentes aboliti sunt, ut libri Origenis. Quod patet ex Gelasio c. *Sancta Romana ecclesia* D. 15[2]. Nam ait: Quos ex libris Origenis probavit Hieronymus, nos probamus; quos reiicit, et nos reiicimus. Theophilus etiam libros Origenis prohibuit[3], neque cum legendi permittebantur, omnibus hoc concedebatur, sed tantum iis, qui non facile falli erroribus possent; melioribus autem atque utilioribus dictis et sententiis ex Origene a Beato Hieronymo, Augustino, Chrysostomo et ab aliis collectis, iam non opus est libros illos, in quibus perniciosissimi errores erant, ultra legi vel permanere. Duabus enim de causis necessarium fuit tunc haereticorum libros diligenter legi permittere: Primum, ut errores illorum doctorum animadverterentur; secundo, ut bona seligerentur, quae usui ecclesiae deservire possent; quo facto eiusmodi libri abolendi erant. Nunc autem non idem est faciendum, cum omnia bona et vera a nostris percommode habeantur, nec ultra repurgandi sunt, nisi aliquis ita rarus esset et eruditus liber, ut paucissimos errores contineret, quem mutato seu abraso nomine autoris conservari utile ecclesiae admodum foret. Quod ad patres deputatos[4] videre pertinebit. Quamquam Gregorius IX et Innocentius IV Thalmud abolendum prorsus absque ulla repurgatione censuerint[5], qui tamen innumera sacrae scripturae secreta continet. Quamvis responderi posset, non esse simile de Thalmud et aliis haereticorum 210v libris haeresim continentibus, | quia liber Thalmud usque adeo obscoena de Christo Domino Nostro loquitur et indigna, ut nec nominare fas sit, quod non ita haeretici faciunt, qui omnes Christum fatentur et se noscere dicunt, licet factis negent. Ideo non est simile.

Tertium dico, quod libri haereticorum post tempora sanctorum doctorum nostrorum Hieronymi et Augustini et reliquorum haeresim non continentes omnes et in aliis facultatibus quam theologica, exceptis quibusdam paucis, qui singularem notitiam continent et ad instructionem pertinent (ut Gelasii verbis utar)[6], abolendi sunt. Primo ob immensum laborem, qui esset in eis legendis, si qua minus digna saltem exempla perniciosa invenirentur. *Nam os loquitur ex abundantia cordis*[7]. Et ita difficile erit, quod occasio illis in aliqua materia catholicae fidei detrahendi non offeratur vel occasionem saltem quaerant. Secundo: Usque adeo libri in omni facultate creverunt, ut catholicorum librorum numerus imminuendus potius esset quam haereticorum libris augendus, qui magnum ad contemplandam veritatem et item perscrutandam impedimentum praestat. De quorum librorum multitudine Basilius Magnus ep. 74 conqueritur[8]. Nam in multiloquio (ait) non deest mendacium, teste Salomone[9]. Vix sane tempus pro legendis tot libris sufficit, nedum ut ad veritatem ipsam medullitus contemplandam idonei simus, tantum aliorum recitatores, non autem veritatis contemplatores videmur. Tertio: Quicquid boni ab illis habetur, a nostris copiose habetur, ita ut superflui videbantur. Quarto: Ne etiam hac de causa haeretici ad scribendum in aliis 211r facultatibus applicent | animum et omnem industriam, quo fiet, ut brevi multo plures habeant Christifideles haereticorum libros quam catholicorum. Quin tamen insignis aliquis et rarus haereticorum liber eruditione plenus ex iis, qui haeresim non continent (modo non sit libri autor haeresiarcha), abraso nomine autoris conservetur, non usquequaque repugnaverim.

Sed me una contra hoc difficultas urget. Nam si autorum nomina ex libris auferantur, liber vero integer conservetur, nos veluti proditores et alieni usurpatores dicent. Sed fortasse dicetur, quod hoc de paucissimis haereticorum libros faciendum est, ut de admodum utilibus. Sed idem dicetur de uno, quod de omnibus dici potuisset, videlicet, quod erit alieni laboris usurpatio. Propterea ego ad hoc evitandum vellem, ut aliqua in eiusmodi servandis libris mutatio fieret, addendo vel minuendo, ut non amplius illius autoris factura esse appareat. Sic possent facile alterius autoris titulo praenotari.

1 Secutus est Augustinus hanc regulam saepius in libro de consensu evangelistarum, ex. gr. l. II c. 78 sq., l. c. 24, *Migne* 34, 1153 sqq. 1196 sqq.
2 Vide supra p. 597 adn. 2.
3 Theophilus Alexandrinus in synodo a. 399 habita Origenis libros damnavit. *Mansi* III 981 sqq.
4 Ex hoc loco coniicere velim, votum ad patres pro indice deputatos destinatum esse. Vide p. 595 adn. 6.
5 *Potthast*, Reg. pont. Rom. n. 10767 (20. Iunii 1239) et n. 11376 (9. Maii 1244). Cfr. *H. Vogelstein-P. Rieger*, Gesch. der Iuden in Rom I (Berlin 1896) 236 sq. *Reusch*, Der Index I 44 sq.
6 Vide supra adn. 2.
7 *Luc.* 6, 45.
8 Nunc ep. 263 n. 4, *Migne gr.* 32, 979.
9 Cfr. *Prov.* 10, 19.

Epilogus dictorum: Resolutio tota consistit in hoc, quod paucissimi libri tam haeresim continentes quam non continentes abraso nomine ob multam eruditionem mutatis mutandis asservari possent, modo autor non fuerit haeresiarcha. Licuit tamen aliquid de haereticorum eruditissimis libris ab exordio nascentis ecclesiae ob penuriam scriptorum, quod postea catholicis scriptoribus multiplicatis doctis sane illis non opus fuit. Et ita aliqui ex illis asservari potuerunt, quod modo non expedit, cum iam nunc libri ita in immensum excreverunt, ut vix legi possint, immo nec legi absque dubio possunt. |

VIII.

Eiusdem [Christophori Patavini]:
An libri haereticorum omnium tam haeresim continentes quam non continentes prohibendi sunt?

Quidam tenent quod sic: Cod. Angel. 113 f. 211v

Prima ratio, quia haereticus est infamis; igitur idoneus testis esse non potest.

2. Incauti offenduntur lectione horum librorum.

3. Nihil in eis invenitur boni, quod in catholicis non habeatur.

4. Concilium Nicenum Arii omnia scripta, qualiacunque essent, prohibuit [1].

5. Gelasius papa omnia scripta haereticorum damnat 15. D. c. *Sancta Romana ecclesia* [2].

6. Gregorius IX X de haer. [V 7] c. *Fraternitatis* ait [3]: *Damnato autore damnantur omnes libri.*

7. Leo X omnia scripta Lutheri simpliciter damnavit [4].

8. Concilium Constantiense actione VIII omnia scripta Vuichleph, quaecunque censeantur, damnat [5].

9. Signum, quod omnia prorsus tollenda sint, est, quod opera haereticorum, quae nihil erroris continent, non extant. Quos tamen multa talia scripsisse ex Hieronymo constat [6].

10. Ad exaggerandum crimen illorum hoc est faciendum, quod est crimen laesae maiestatis.

11. Deus simile praecepit non solum Hagag deleri, sed omnia, quae illius erant, usque ad mingentem ad parietem [7].

12. Christus daemones confitentes ipsum non sinebat eos loqui.

13. Marcellus episcopus ab episcopis depositus fuit, quia librum quendam comburere noluit. Hoc testatur Socrates lib. I c. 36 [8]. |

14. Item Irenaeus lib. III cap. 4 inquit [9]: Igitur *ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere veritatem apud alios, quam facile est ab ecclesia sumere.* 212r

15. Quidam etiam sumunt argumentum ex canone 2 concilii Lateranensis [IV] [10]. Argumentantur enim sic: Institutioni monasterii abbatis Ioachim non intendimus praeiudicare, quia submisit se et omnia scripta emendationi ecclesiae; ita quod ratio constitit in hoc: Submisit se et omnia scripta sua; igitur non est praeiudicandum institutioni illius. Ergo valet: Haereticus non submisit se ecclesiae correptioni, ergo omnia illius scripta damnabuntur.

Alii contrarium sentiunt [11]. Quod ex Augustino [lib.] III de doctrina christiana cap. 30 eliciunt [12], ubi libros Ticonii Donatistae utiliter legi posse dicit, sed caute.

2. Hieronymus ad Tranquillinum [13] libros Origenis legendos esse consuluit, secernendo bona a malis.

[1] Synodus Nicaena «Thaliam» Arii prohibuit, Constantinus imperator Arii scripta comburi iussit. *Socrates*, Hist. eccl. I 9, *Migne gr.* 67, 83. 87.

[2] Vide supra p. 597 adn. 2.

[3] Vide supra p. 597 adn. 4.

[4] Scil. in bulla *Exsurge Domine* (15. Iunii 1520). *Reusch*, Der Index I 66.

[5] *Mansi* XXVII 634.

[6] Scil. ex libris eius contra Helvidium, Iovinianum, Vigilantium; cfr. *O. Bardenhewer*, Gesch. der altkirchlichen Literatur III² 630 sqq.

[7] Cfr. *1 Reg.* 15, 3.

[8] Marcellus ep. Ancyranus librum suum scriptum contra Asterium Arianum comburere recusavit. *Socrates* l. c., *Migne gr.* 67, 174.

[9] *Migne gr.* 7, 855.

[10] C. 2 X de sum. trin. I 1, *Friedberg* II 6 sq.

[11] *Alphonsus de Castro*, De iusta pun. haer. II 16 (Opp. 1322) de fautoribus huius opinionis haec scribit: *Cum olim ante aliquot iam elapsos annos in Flandria versarer, frequens de hac re mihi disputatio fuit cum quodam viro docto et catholico, ut exteriora ostendebant, haeretico tamen, ut ego suspicabar. Et aliquos postea eiusdem classis homines Parisiis et alibi inveni, qui cum se Christianos videri optarent, haereticorum tamen libros non esse comburendos pertinacissime tuebantur. Sunt enim nunc multi passim tales.*

[12] L. c. n. 43, *Migne* 34, 82.

[13] Vide supra p. 597 adn. 1.

3. Augustinus [lib.] II de doctrina christiana cap. 18 et 40 [1] nos ubique invenire posse veritatem docet.

4. Item Balaam et Caipham peritissimos homines prophetasse legimus [2].

5. Item ex Moyse et prophetis multa e saecularibus scientiis desumpta videntur.

6. Tertullianus dicit: [3] *Legimus omnem scripturam aedificationi habilem divinitus inspirari.* Hoc autem libri aliqui haereticorum facere possunt.

7. Gennadius de viris illustribus [4] dicit Pelagium tres libros de fide Trinitatis necessaria [a] edidisse.

8. Gelasius [b] nonnulla opuscula Origenis legi permisit. |

212v 9. Christus *Luc.* 9, [50] eiicientes daemonia in nomine suo prohiberi noluit, dicens *Qui non est adversum nos, pro nobis est.*

10. Item ecclesia sacramenta ab haereticis data agnoscit, sicut dicit Augustinus lib. I contra Donatistas c. 1 [5].

11. Praeterea nullum periculum est legere libros haereticorum haeresim non continentes; igitur legi possunt.

12. Filii Israel vasa Aegyptiorum acceperunt et divino cultui applicarunt [6].

13. Templa idolorum Deo ac sanctis eius a summis pontificibus dedicata fuerunt.

14. Filii haereticorum, qui non imitantur patres, non occiduntur. Igitur libri haereticorum, qui haereses non continent, non sunt delendi.

15. Dominus docet separare zizania a tritico [7]; igitur legi etiam possunt libri haereticorum haereses continentes.

16. Leo ~~I apocrypho~~s libros tolli prorsus prohibuit propter errores in illis contentos [8].

Sed ad argumenta primae opinionis contrarium tenendo responderi facile potest.

1. Ad primum dicitur, quod licet legantur, non accipiuntur haeretici ut testes, sed tamquam conformia scripturis vel rationi consentanea quaedam scribentes. Etiam aliud est approbare libros, aliud legi permittere.

2. Ad secundum dicitur, quod libri haereticorum de rebus fidei non omnibus legi permittuntur, sed doctis et eruditis tantummodo.

3. Ad tertium dicitur, quod idem de multis catholicorum libris dici posset; sic illi quoque tollendi forent.

4. Ad quartum dicitur, quod vel nihil aliud scripserat quam de fide, vel si aliud, in dete-
213r stationem ipsius, quia maximus haeresi|archa fuit, id factum est.

5. Ad quintum dicitur, quod non est verum, quia aliqua opuscula Origenis legi permittit; similiter historiam ecclesiasticam Eusebii, qui Arrianus fuit.

6. Ad sextum dicitur, quod solum de libris, in quibus haereses continentur, loquitur textus; vel secundum alios legi non prohibet, sed autoritatem habere non vult.

7. Ad septimum dicitur, quod, quia haeresiarcha fuit, iure id factum est; vel quia nihil tunc scripserat nisi haeretica.

8. Ad octavum idem respondetur.

9. Ad nonum dicitur, quod non ex industria catholicorum vel ecclesiae perierunt eiusmodi libri, sed vetustate temporis, quemadmodum multi catholicorum libri perierunt et gentilium, ut Ciceronis liber Hortensius et de republica, quorum meminit Augustinus [9].

10. Ad decimum dicitur, quod alia via provideri potest absque hoc, quod prorsus omnes deleantur, [videl.] ut nomen autoris a libris haeresim non continentibus tollatur.

11. Ad undecimum dicitur, quod, si hic etiam accederet Dei praeceptum, hoc idemfaciendum esset; sed adesse non videtur nec etiam ecclesia expresse et simpliciter [praecepit]; ideo non est simile.

12. Ad duodecimum dicitur, quod non sinebat eos loqui, quia semper diabolus, etsi vera dicat, semper tamen intentione fallendi loquitur. Etiam, ut dicit Tertullianus [10],

[a] *Sic! Legendum est ut apud Gennadium* necessarios [b] *Cod.* Gelasii

[1] *Migne* 34, 49. 63.
[2] *Num.* 23, 7 sqq.; 18 sqq.; 24, 3 sqq.; *Io.* 18, 14.
[3] De cultu fem. l. I c. 3, *Migne* 1, 1308, ex *Tim.* 3, 16.
[4] L. c. cap. 42, *Migne* 58, 1083.
[5] *Migne* 43, 109 sq.
[6] Cfr. *Exod.* 12, 35.
[7] Cfr. *Matth.* 13, 29 sq.
[8] Ep. ad Turribium Astoricensem episcopum est spuria. *Migne* 54, 1239 sqq.
[9] Conf. l. III c. 4 n. 7, *Migne* 32, 685 sq.
[10] Adv. Marcionem l. IV c. 7, *Migne* 2, 372.

non sinebat eos loqui, quia videbantur quasi dicere, Christum solum propter daemones damnandos, non homines salvandos venisse. Vel dicendum, quod aliud est loqui de hominibus et de libris, quia homines fallere possunt admiscendo falsa veris; non sic de libris timendum est.

13. Ad decimumtertium de Marcello dicitur, quod merito fuit depositus, quia saepe admonitus fuit, et quia liber solum haereses continebat et | 213v nihil boni. Neque enim prohibitio particularis inducit generalem prohibitionem.

14. Ad decimumquartum. Ad illud de Irenaeo dicitur, quod Irenaeus non negat, quin veritas, si qua ab haereticis dicatur, non probetur, sed quod, cum veritas catholica maxima ex parte per traditionem habeatur, si quid ab haereticis pro veritate catholica teneatur, quod sit contra traditionem, non est ab illis accipiendum, quia ecclesiae standum est, non illis. Haec est vera intelligentia.

15. Ad decimumquintum respondetur, quod ratio non valet, quia est ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis. Etiam truncate allegatur canon, quia dicit canon, pro tanto non praeiudicari monasterii institutioni, quia sancta est et salubris; verumtamen addit, videlicet praesertim, quia submisit se. Ratio ergo concludet contrarium, cum libri haereticorum non continentes haeresim veri sint et boni, igitur non erit faciendum eis praeiudicium, licet mali reprobati sint, sicut etiam liber abbatis Ioachim contra Petrum Lombardum supra eodem canone. Etiam si valeret consequentia ista: Iste submisit omnia scripta correptioni ecclesiae, ergo non sunt damnanda, valeret etiam ista: Ista opera sunt damnata, ergo iste non submisit se, ab opposito consequentis; et tamen non valet, quia multi libri damnantur autorum, qui tamen submiserunt se correptioni ecclesiae, ut abbas Ioachim fecit, cuius tamen libri contra Petrum Lombardum damnati sunt. Tamen ipse submisit se et omnia sua scripta correptioni ecclesiae. Non ergo est illa consequentia Innocentii, sed ista: Institutio monasterii est salutaris, praesertim quia submisit se; ergo non est damnanda. Ita valet: Est damnanda, ergo non est salutaris. | 214r

Si quis tamen contrarium etiam secundae opinionis tenere vellet, posset etiam ad obiecta respondere:

Ad primum dicitur, quod omnia legi possunt librorum haereticorum, si bona aliqua contineant, sed non ab omnibus, sed ab iis tantum, qui sua peritia bonum a malo, verum a falso facile secernere possunt. Quod indicant verba eius, cum dixit, caute legendos esse, qua cautela imperiti uti nequeant.

Ad secundum et tertium idem respondetur.

Ad quartum, quod illi non fuerunt haeretici, sed vel infideles, vel si fideles, mali tamen in moribus fideles fuerunt, ut Balaam avaritia laborans maxima.

Ad quintum: Moses et prophetae non acceperunt ab haereticis, sed et... [a] ab omnibus prophetis accipere, qui falli non poterant sicut nos.

Ad sextum dicitur, quod paucorum hoc erit hanc scripturam ad aedificationem facientem discernere, ideo non omnibus facultas legendi hos libros conceditur.

Ad septimum dicitur, quod Gennadius verum dicit de Pelagio, quod nondum habebatur aliquod dignum scriptum de Trinitate, licebat illos Pelagii libros legere. At non sic modo, quo tempore innumera sunt scripta volumina.

Ad octavum dicitur, quod non passim omnibus, sed eruditis, quod conceditur ab ecclesia can. 16 concilii Carthaginensis [1] ut episcopis.

Ad nonum dicitur, quod in primitiva ecclesia licebat, ut nomen Christi, in cuius virtute non sequentes ipsum miraculosa faciebant, virtuosum appareret et amabile fieret. Hoc enim expediebat, sicut etiam est de baptismo facto in nomine Iesu [2]; postea autem non sic.

Ad decimum dicitur, quod verum est. Ita etiam non negat veritatem ab haereticis | 214v dictam, sed probat. Non ex hoc tamen integros libros eorum servare debet, ne incauti fallantur.

Ad undecimum dicitur, quod superflui sunt, et ne catholici haereticis amabiles fiant, prohibendi sunt, nisi nomen autoris auferatur et liber remaneat.

Ad duodecimum dicitur, quod Aegyptii ea vasa tollendo suum redemerunt gravamen in Egypto eis factum. Quod iussu Dei facientes sunt excusati; quod hic non est videre.

[a] *Textus corruptus.*

[1] Vide supra p. 597 adn. 6.

[2] Cfr. *Act.* 2, 38; 8, 16; 10, 48.

Ad decimumtertium dicitur, quod templa ipsa in se Deo vero et idolis dedicari possunt, cum dedicationem ipsam praecedant Non sic libri, qui a sui initio haeresibus [a] respersi sunt.

Ad decimumquartum dicitur, quod argumentum ex metaphora non concludit secundum Dionysium [1]. Ideo deleri possunt haereses non continentes libri, saltem quoad deletionem nominis autoris.

IX.

Libri, de quibus erit videndum, an possint permitti [2].

26. Februarii 1562.

Concilio 103 f. 43r

Ianni Cornarii Emblemata in Dioscoridem et commentaria in libros de compositione medicamentorum.

Leonardus Fuchsius de compositione medicamentorum et de historia plantarum cum figuris et Paradoxa eiusdem, et scholia in Nicolaum Myrepsium, et in sexto epidemiarum Hipocratis.

Othonis Brunfelsi Onomasticon seu vocabularium necessarium, cum nullam habeamus nisi ipsam.

Idem de simplicium historia cum imaginibus ad vivum expressis.

Munsterus de horologiis.

Conradus Gesnerus de quadrupedibus et piscibus cum figuris insculptis.

Euritius Cordus de plantis.

Georgius Agricola de ponderibus et mensuris, de fossibilibus et metallicis.

Erasmi Roterodami Proverbia.

Polidorus Virgilius de inventoribus rerum.

X.

[De libris Aeneae Sylvii Piccolomini et Iacobi Almani]

[Post mensem Nov. 1562] [3].

Concilio 74 f. 181r

Considerandum est de commentariis Aeneae Silvii, qui fuit papa Pius, de actis et gestis concilii Basiliensis. Si damnatur eius auctor, damnatur, qui fuit pontifex; et concilium Basiliense legitur et in volumine conciliorum est positum.

[Responsio]: Nec fuit unquam ab [i]is, qui indicem librorum prohibitorum a sancta Inquisitione ediderunt, insomniatum de auctore damnando. Nam si errores contineat, patres iudicent, asserere autem concilium Basiliense fuisse verum et legitimum concilium, est perinde ac dicere concilium Florentinum non fuisse verum neque legitimum, cum eodem tempore celebraretur. Nam duo oecumenica concilia non subalterata eodem tempore celebrari nec ratio admittit. Et si Basiliense concilium legitimum censeatur, et Eugenii IV depositio legitima censenda quoque erit; quae vero absurda scandalaque id dato sequantur, videant patres, nempe Eugenio, non Amadeo, Felici in antipapatu vocato, successit Nicolaus [V]; si dicatur Eugenium legitime ac rite depositum, non potuit legitime Nicolaus eidem successisse et maxima confusio appareret in ecclesia catholica. Quare (salvo semper saniori iudicio) vel

[a] Cod. haereticis

[1] Cfr. De coel. hier. c. 1. *Migne gr.* 3, 121 sq., cum commentariis Corderii p. 125 sq.

[2] Hunc elenchum Camillus Paleottus Bononiae moram faciens 26. Febr. 1562 Tridentum misit, ut cedula manu eius scripta *Conc. 103* f. 54r testatur. — Omnes isti auctores, Virgilio Polidoro excepto, in indice Pauli IV in prima classe ponuntur, ea scil. quorum opera omnia prohibita sunt (Ianus Cornarius sub nomine Ioannes Cannerius l. c. 190 invenitur); cfr. *H. Reusch*, Der Index I 263. Solus Polydorus secundae classi adnumeratus est, l. c. 200: *Polydori Virgilii De inventionibus rerum.* De omnibus istis fusius egit *St. Ehses*, Zur Vorgeschichte des Trienter Index 78 sqq.

[3] Hae duae responsiones (copiae sunt coaevae) videntur datae a theologo quodam Romano, s. Inquisitionis officio forsan addicto, qui indicem Pauli IV, in quo leguntur et Aeneae commentaria et Iacobi Almain liber contra Thomam de Vio (*Reusch*, Die Indices 178.192) defendere nititur. Datae videntur post mensem Novembris 1562, quia Gallorum tanta habetur ratio.

De commentariis Aeneae Silvii cfr. *G. Voigt*, Enea Silvio de' Piccolomini I (Berlin 1856) 288 sqq.; de Iacobi Almain «Libello de auctoritate ecclesiae seu sacrorum conciliorum...» contra Thomam de Vio (Paris 1512) vide *P. Feret*, La faculté de théologie de Paris: Epoque moderne II (Paris 1901) 86.

indicem indecisum infectumque relinquendum censerem, si maioris scissurae (ob Gallos) timendum est, vel cum librum cum suo similes prohibendum fore diiudico, utpote ecclesiae Dei perniciosissimos. Nam etsi commentaria praedicta videantur simplicem sonare hystoriam, tamen si per theologos, qui indici conficiendo praesunt, diligenter inspiciantur, reperientur in ea, quae simplices lectores a fide avertere possent.

Eadem ratione considerandum est de libro Iacobi Almain contra Thomam de Vio, qui fuit cardinalis et scripsit contra concilium Basiliense. Etiam iste Iacobus defendit concilium Basiliense, etiam ratione Gallorum, qui | tenent concilium ipsum Basiliense tamquam 181v verum et catholicum ac eius doctrinam profitentur.

[Responsio]: At Iacobum Almain diiudicent, quorum interest, an opus ipsius contra Thomam de Vio, quem nunquam ex professo, sed incidenter contra Basiliense concilium [a], dum de summi pontificis auctoritate haberet tractatum, scripsisse memini, inter manus catholicorum his praecipue calamitosis temporibus tolerandum sit. Nempe (ni fallor) de potestate summi pontificis et non de validitate concilii inter praefatos principalis controversia est, quae totius christianae veritatis in fide basis ac fundamentum (procul dubio) est. Nam primatu summi pontificis sublato tot erunt sectae, quot erunt seditiosi.

XI.

[Deputati super indice de Constitutionibus apostolicis] [1].

18. Sept. 1563.

Rogati fuerunt patres a sancta synodo ad indicem librorum prohibendorum conficiendum, numquid liber, qui nuper Venetiis fuerat excusus, constitutionum apostolicarum Clementis esset in indice ponendus propter quosdam obscuros locos et insuetas quasdam christianis auribus locutiones, aut etiam quia, an esset Clementis, non usque adeo certum erat. Qui auditis eorum, quibus examen commissum fuerat, sententiis iudicarunt, librum non esse in indice ponendum, quia quae obscura erant, ex parte iam ab interprete elucidata erant, et quae supererant, adhuc se ea illustraturum pollicetur, ut nihil iam periculi lectoribus ex lectione oriri possit, immo haud vulgare emolumentum propter multiplicem disciplinam auctoris, quisquis ille fuerit, [et] antiquitatem. Haec se sic habere affirmo. *Concilio 103* f. 54r

Ego frater Franciscus Forerius, regis Portugalliae theologus et praedictae deputationis secretarius Datum Tridenti 18. Septembris 1563

XII.

[Regulae generales] [2].

Ante 27. Nov. 1563.

1. Libri omnes, quos ante annum 1500 aut summi pontifices aut concilia oecumenica damnaverunt, eodem modo damnati esse censeantur, etiamsi in hoc catalogo non sint appositi. *Concilio 103* f. 28r

2. Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui haereses invenerunt vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita et duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Baldasar Passamontanus [3], Se[r]vetus [4] et his similes, cuiuscumque nominis, tituli aut argumenti existant, omnino damnentur.

[a] *Cod. hic add. falso* scripsit

[1] Quae deputatorum decisio, sicut ex litteris legatorum 20. Sept. 1563 datis elucet (*Šusta* IV 255 sq.), Bovio ep. Ostunensi petente facta est, qui paulo ante versionem latinam Constitutionum apostolicarum, eodem anno graece a Francisco Turriano Venetiis editarum (*Sommervogel* VIII 115), curaverat. Quam Bovii versionem publice vendi inquisitor generalis, Michael Ghislerius, inhibuerat. — De ultimo secretario deputationis M. Francisco Forerio († 1581), qui postea regulis generalibus Indicis Trid. praefationem praemisit, cfr. *Quétif-Echard* II 261 sqq.; antea in regno Lusitaniae censoris librorum munere functus erat.

[2] Facile apparet has regulas primam esse formam illarum, quae postea Indici Tridentino sunt praemissi (*Reusch*, Die Indices libr. prohib. 245-251). Quis eorum fuerit auctor, utrum Gabriel Paleottus, ut *Ehses* opinatur (Zur Vorgeschichte 73), an alius, item quando fuerint compositi, certo cognosci non potest. — Inveniuntur etiam *Concilio 9* f. 122v-125r, cop. coaeva. Quibus differant a forma definitiva, *Ehses* l. c. 74 sq. exposuit.

[3] Index Tridentinus rectius habet Pacimontanus, scil. Balthasar Hubmaier, natus in Friedberg prope Augustam, postea Anabaptistarum caput. Cfr. Realencyklopädie VIII 418 sq.

[4] Index Tridentinus Michaelis Serveti loco habet *Swenchfeldium* (Schwenckfeld).

3. Aliorum etiam haereticorum libri, qui de religione tractant, omnino damnentur; qui vero de religione non tractant, ab inquisitione generali, ubi est, vel in concilio provinciali recogniti, si inutiles non sunt, permittantur.

4. Si qui etiam haereticorum libri nihil non catholicum continere inveniuntur, qui haereticorum dogmata impugnant, in illorum confusionem et catholicorum quibusdam tantum viris doctis et piis ab ordinario episcopo vel inquisitore concedi poterunt.

5. Illorum vero libri, qui contra orthodoxam fidem aliquando scripserunt aut aliter in haeresim lapsi ad ecclesiae gremium redierunt, expurgati permittantur, si utiles universitatis catholicae alicuius iudicio aut inquisitionis generalis videbuntur. Idem iudicium fiat de iis, qui, dum erant catholici, scripserunt, antequam in haeresim laberentur. Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum permittantur, quamvis ab auctoribus primae classis haereticorum huius indicis factae sint. Circa versiones tamen sacrorum Bibliorum animadvertatur, ut librorum quidem Veteris Testamenti iudicio episcopi vel inquisitoris tantum viris piis et doctis concedantur, modo eis tamquam interpretationibus Vulgatae editionis aut paraphrasibus ad intelligendam sacram scripturam, non autem tamquam sacro textu utantur. Versio-
28v nes autem Novi Testamenti ab auctoribus haereticis | huius indicis factae prorsus a manibus fidelium tollantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum ex eiusmodi versionibus manare solet.

6. Si quae vero annotationes cum huiusmodi quae conceduntur versionibus circumferuntur, expurgatis locis suspectis ab universitate aliqua catholica aut inquisitione generali permitti eisdem poterunt, quibus et versiones; quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod Vatabli[1] vulgariter dicitur, seu partis eius concedi poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani[2] prologus et prolegomena praecidantur.

7. Libri illi, qui haereticorum opera interdum prodeunt, in quibus pauca aut nulla de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt lexica, concordantiae, phrases, apophthegmata, similitudines, indices: si quae habeant admixta, quae expunctione digna sunt, illis ordinarii episcopi vel inquisitoris aut universitatis catholicae iudicio sublatis aut emendatis permittantur.

8. Cum experimento manifestum sit, si vulgari lingua Biblia sacra vulgo indiscriminatim permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis emergere: hac in parte episcopi vel inquisitoris iudicio stetur, ut cum consilio parochi aut confessarii Bibliorum lectionem in vulgari lingua eis permittere ac concedere possint, quos intellexerint, ex eiusmodi lectione non damnum, sed fidei ac pietatis augmentum capere posse[a]. Qui igitur absque tali sui ordinarii licentia ea legere seu tenere praesumpserit, nonnisi Bibliis ordinario restitutis peccatorum absolutionem recipiat. Bibliopolae vero seu librorum venditores, qui ordinarii facultatem in scriptis non habent, Biblia vulgaria vendiderint vel alio quovis modo consenserint, librorum pretium in pios usus ab ordinario convertendum amittant aliisque poenis pro delicti qualitate pro eorundem ordinariorum arbitrio subiaceant. Regulares autem personae nonnisi facultate a praelatis suis habita ea legere aut emere possint. |
30r 9. Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et haereticos nostri temporis disserentes non passim permittantur, sed idem de his sit iudicium, quod circa Biblia vulgaria appositum est. Libri vero illi, qui vulgari lingua de ratione bene vivendi, orandi, contemplandi, confitendi ac similibus tractant si sanam doctrinam continent, non est, cur prohibeantur, sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quodsi aliqui hactenus in aliquo regno aut provincia prohibiti sunt, quod aliqua continerent, quae indiscriminatim ab omnibus legi non expediret, si eorum auctores catholici sunt, ab iisdem vel aliis emendati ab episcopo vel inquisitore adhibito theologorum catholicorum iudicio permitti poterunt.

[a] *in marg.* relinquatur, vel generaliter statuatur, ut in concilio provinciali statuatur

[1] Recte hic *vulgariter dicitur*. Nam adnotationes, quas Robertus Stephanus Bibliae anno 1545 editae, quasi Francisci Vatabli († 1547) essent, adiunxit, partim eius, partim autem Calvini, Munsteri aliorumque erant novatorum. Vatablus, Hebraicae linguae peritissimus, semper remansit catholicus. Adnotationes ab ipso nunquam sunt editae; anno 1584 Salmanticenses editionem Bibliae « Vatabli » curaverunt, in qua additiones Stephani minus orthodoxae sunt omissae. Vide *Vigouroux*, Dict. de la Bible V 2378 sq. Biblia Stephani sicut Is. Clarii, de quibus in adn. sequenti, in indice Pauli IV inter prohibita numerabantur. *Reusch*, Die Indices lib. proh. 205.

[2] Isidorus Clarius ord. S. Ben., 1547-1555 ep. Fulginatensis (*van Gulik-Eubel* III 215) in editione Vulgatae, quam anno 1542 curaverat, textum ad hebraicam et graecam « veritatem » emendaverat, addens praefationem, in qua de Vulgata nimis libere loquebatur. Huius quoque Bibliae editio emendata anno 1557 et denuo 1564 prelo est data. *Vigouroux*, Dict. de la Bible II 793 sq.; *Hurter*, Nomenclator II 1479 sqq.

10. Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed etiam morum ratio habenda sit eorum: qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, quales sunt aliqui Luciani dialogi, Petri Aretini dialogi, Celestina in quavis lingua[1], Martialis non expurgatus, de arte amandi Ovidii et similes, sub poena excommunicationis legi seu teneri prohibeantur, a qua nonnisi ab ordinariis traditis illis libris, si eos adhuc habent, absolvi possint. Qui vero similes libros vendiderit aut quovis modo alteri tradiderit, eandem excommunicationis sententiam statim incurrat et libros amittat. Qui autem sint similes libri, episcopus vel inquisitor cum consilio duorum theologorum diiudicet.

11. Libri haereticorum et aliorum infidelium ab erroribus studio catholicorum expurgati, qui de religione tractant, sub nomine auctoris nullatenus deinceps excudantur, sed cum librorum titulis eius, qui librum expurgavit, nomen aut cum episcopi et inquisitoris subscriptione vel mandato evulgentur

12. Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen aliquando admixta obiter sunt, quae ad haeresim aut impiam divinationem aut superstitionem | spectant, expur- 29v
gati ab aliqua universitate catholica vel a theologis ex commissione inquisitorum generalium concedantur Idem iudicium sit de prologis seu de praefationibus, summariis seu annotationibus, quae a damnatis auctoribus libris non damnatis appositae sunt

13. Quoniam libri, qui integrum haeretici cuiusvis nostri temporis opus continent, quamvis oppugnationem catholicam habeant appositam, non raro in catholicis auctoribus vocentur, tales libri sub hac forma fieri prohibeantur, cum aliis plurimis rationibus haereticorum errores fideliter ac diligenter impugnari possint; qui vero hactenus a catholicis viris editi sunt, etsi pia illorum studia laudari debent, non tamen ab omnibus passim legi aut haberi aequum esse censemus, sed eisdem conditionibus, quae supra, ubi de Bibliis vulgaribus agitur, appositae sunt, permitti poterunt.

14. Libri omnes et scripta chiromantiae, [a]ëromantiae, hydromantiae, onomantiae, pyromantiae, negromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes magicae artis vel astrologiae iudiciariae, divinationes circa futura contingentia, successus aut fortuitos casus, aut qui ab humana voluntate oriuntur, reiiciantur, naturalibus tamen illis observationibus exceptis, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis iuvandae gratia conscriptae sunt.

15. In librorum aliarum scripturarum impressione servetur, quod in concilio L a t e r a n e n s i sub Leone X statutum est[2], ut nemo librum aliquem sive aliam quamcumque scripturam, tam in alma Urbe Roma quam in aliis quibusvis civitatibus vel dioecesibus imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi quis in ipsa Urbe per vicarium pontificis et sacri palatii magistrum, in aliis locis per episcopum vel alium habentem peritiam scientiae libri aut scripturae impri|mendae, ab eodem episcopo deputandum, atque inquisitorem haereticae pravi- 34r
tatis eius civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, diligenter examinetur et per eorum manu propria subscriptionem gratis et sine dilatione imponendam sub poenis et censuris in eodem decreto contentis approbetur. Nec non et servetur decretum tertiae sessionis sub fe. rec. P a u l o III[3], ut nulli liceat imprimere aut imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nominibus auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint. [Religiosi] ultra examinationem et probationem huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur

16. Eos vero, qui scripto eos communicant vel evulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiicit, quibus impressores, et qui eos habuerint et legerint, nisi auctorem prodiderint, pro auctoribus haberi, ipsam vero huiusmodi librorum probationem in scripturis dari et in fronte libri vel scripti vel impressi authentice apparere probationemque et examen ac cetera gratis fieri praecipit.

17. His addendum esse existimavimus, ut in singulis civitatibus ac dioecesibus domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis idoneis ad id deputandis ab ordinario loci episcopo seu eius vicario atque etiam ab inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur aut vendatur aut habeatur. Omnes vero librarii habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium,

[1] La Celestina « Comedia de Calisto y Melibea », cuius auctor Ferdinandus de Rojas, primum impressa Burgi 1499; opus in toto mundo tum diffusum, sed minus honestum. Cfr. *I. Cejador y Frauca*, Historia de la lengua y literatura Castellana I (Madrid 1915) 425 sqq. Qui liber postea Indice Ulixbonensi a. 1581 est prohibitus. *Reusch*, Der Index 594.

[2] Sess. X, 4. Maii 1515 celebrata, constitutione quae incipit *Inter sollicitudines*. *Mansi* XXXII 912 sq.

[3] *Conc. Trid.* V 92 (hodie sess. IV).

quos habent, cum subscriptione dictarum personarum, neque alios libros habeant aut vendant
34r aut quacumque ratione tradant sine licentia eorundem deputandorum | sub poena amissionis librorum et aliis arbitrio episcoporum et inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores vel impressores eorundem arbitrio puniantur. Quodsi libri expresse prohibiti in hoc indice fuerint, tam ille quam librarii excommunicationis sententiam incurrant. Nemo praeterea libros quoscumque venales proscribat, quin prius eos aut indicem eorum exhibeat praedictis personis deputandis et ab eis habeat in scriptis licentiam. Quodsi aliqui libros quoscumque in aliqua civitate introducant, teneantur custodes portarum id requirere et domum aut personam, seu quo libri adducentur, et custodes illud eisdem personis deputandis annuntient, vel si locus publicus mercibus huiusmodi constitutus sit, qui duana[a] vulgo appellatur, ministri publici eius loci praedictis personis deputandis significent, libros esse adductos, et sine eorum licentia non permittant extrahi ex dicto loco. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui agendum tradere vel aliqua ratione alienare aut commodare, nisi ostenso prius libro et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum iam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab haeredibus et exsecutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos sive eorum indicem illis personis deputandis afferant et ab eis licentiam obtineant, priusquam eis utantur aut in alias personas quacumque ratione eos transferant. In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum vel alia arbitrio eorundem episcoporum vel inquisitorum pro qualitate contumaciae vel delicti[1]

XIII.

Adnotationes in regulas de indice librorum[2].

27. Novembris 1563.

Concilio 103 f. 35r

Hae omnes sunt regulae nimium generales, quae, praeterquam quod imponunt episcopis onus nimis grave, parient etiam magnam confusionem. Nam aliquis episcopus in sua dioecesi approbabit unum librum, et alius improbabit, vel iidem libri prodibunt in publicum cum diversis emendationibus et diverso episcoporum iudicio, quod absurdum est. Idemque eveniet in conciliis provincialibus et in universitatibus studiorum, si haec iis permittantur.

In 2., nisi aliud addatur, dubitari potest de Melanchthone, Oecolampadio, Bucero et similibus, an in hoc numero censeantur, et multi etiam ex his ignorantur.

3. Dubitari potest de iis libris haereticorum, qui tractant de religione recte et catholice, an hic comprehendantur. Aut quid, si tractent tantum incidenter aliquid?

5. Quod versiones factae etiam ab haeresiarchis simpliciter permittantur, non placet, sed si iidem libri ab aliis bene versi reperiantur, reiciantur aliae translationes; sin minus, tunc adhuc revideantur diligenter, quae factae sunt ab haeresiarchis, an sint fideles antequam permittantur

In eadem: Quid de historia sacra Philonis, Iosephi, Sabellici?

6. Mentio Isidori Clarii ita per se non satis videtur convenire, cum alii quoque exstent similes auctores.

Videtur addendum esse de Bibliotheca Gesneri et epitome eiusdem[3], quod opus hodie frequens est apud multos.

8. An idem etiam prohibendum sit, si unus tantum liber vel pars libri ex sacris Bibliis sit traductus An etiam, si una tantum historia conversa sit

In eodem: An omnes linguae praeter latinam, graecam, hebraicam dicantur vulgares, et etiam sclavonica, qua tamen multi utuntur in sacris. |

35r In eodem de regularibus cogitandum, an deceat, quia videtur hic significari, regulares imperitos esse latine.

9. Ibi *sermones populares* forte est error loco « sermones sacri vulgari lingua ».

[a] *Cod.* Duano, *scil.* dogana

[1] *Concilio 103* f. 50r haec leguntur: *His regulis nondum apposita est ultima manus. Deest prologus, in quo redditur ratio totius operis et instituti et, in quem finem ac quo consilio confectae fuerint istae regulae, explicandum. Conficiendum autem est documentum, quo praecipiat sancta synodus haec ubique observari.*

[2] Nescitur auctor. Observes autem eosdem sacrae historiae enarratores hic nominari qui supra p. 595 a Stephano abbate Cassinensi.

[3] Bibliotheca C. Gesneri Tiguri 1545-55 est edita; et Index Pauli IV et Tridentinus Gesnerum inter auctores primae classis ponunt.

10. Nominari in specie hos auctores nescio an deceat, maxime cum alii sint in eo genere forte deteriores. Praeterea in Luciano sunt alii dialogi non obscoeni, sed turpiter et impie de Salvatore nostro loquentes, qui etiam videntur prohibendi. Cogitandumque, an idem etiam statuendum sit in aliis ethnicis auctoribus, qui turpia de religione nostra scribunt.

12. Quia maior librorum recentiorum pars est in hoc numero, videndum est, an interim isti sint permittendi, et, si non permittuntur, nominentur, qui debeant ex his esse prohibiti. Nam quotidie occurrit multis aliquis scrupulus in libris omnium scientiarum ex variis additionibus, et exsecutio huius capitis protrahetur in multos annos, cum indigeat longo tempore.

14. Quid de iudiciis anniversariis, quae eduntur ab astrologis, et nominatim loquuntur de papa, imperatore? [a] [1]

Nulla fit mentio de libris apocryphis, veluti evangelio Nicodemi [2], Itinerario Petri [3] et similibus, qui tamen damnati sunt in indice Romano. Nihil etiam agitur de libris Iudaeorum blasphemis, de Alcorano et similibus. Et videntur deesse multa alia, ita ut considerandum valde sit, an sit opus concilio oecumenico dignum.

95.

Quae potissimum restituenda et emendanda videntur [b] [4].

[Ante 9. Martii 1562]

Romae Arch. Vat. *Concilio* 6 f. 241r-246v, cop. coaeva Romam transmissa a cardinale Simonetta 9. Martii 1562 [= C]; Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 48* f. 4v-14r, cop. coaeva proveniens ex haereditate Seripandi [= N]. Ed. *Bartholomaei a Martyribus* Opera omnia II (Romae 1735) 398-403, paucis mutatis et in fine mutilata [= M]; ex quo desumpsit *Le Plat* V 614-619. Ex variantibus textus M nonnisi, quae momenti alicuius sunt, adnotavimus. Cfr. *Šusta* II 47 et *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 133 sqq.

I. Circa ordinem sacrum. II. De collatione beneficiorum. III. De beneficiorum redditibus. IV. De obeundis ipsis ministeriis. V. De cultu Dei. VI. De disciplina ecclesiastica. VII. De matrimonio. VIII. De religiosis. IX. De monialibus X. De exemptis. XI. De curia Romana.

I. Circa ordinem sacrum.

[1.] Cum sacra ordinatio destinatio sit ad certum ministerium in ecclesia bona fide obeundum, non ferendum videtur, ut fiat ad inanes titulos. Primo itaque expediret, ut concilii Chalcidonensis sextus canon [5] observaretur, ne aliquis in quocumque ministerio ordinaretur nisi specialiter ad titulum alicuius ecclesiae. *Concilio 6 f. 241r*

[a] *Quae sequuntur, postea videntur addita.* [b] *C et N immediate prosequuntur* Et primo circa ordinem sacrum. *In C rubrica f. 46v*: Capitoli sopra la riforma dati in concilio da alcuni vescovi Italiani. Mandati dal cardinal Simoneta a 9 di Marzo 1562. *N praeterea habet* S. M. V. V. R. T. R. I. E. N. N. T. E. I. N. N. O. S. I. Capita XCIII de reformatione oblata mihi ab episcopis doctis et piis. *M* Postulata episcoporum Italiae in concilio Tridentino; *deinde prosequitur* Haec sunt quae ex parte aliquorum episcoporum Italicorum expedita fuerunt, ut in ecclesia reformarentur, anno Domini 1562 mense Februario in concilio Tridentino.

[1] Ex. gr. Indice Pauli IV prohibitus erat « Lucae Gaurici tractatus astrologicus, in quo agitur de praeteritis multorum hominum accidentibus. Item de astrologia iudiciaria ». *Reusch*, Die Indices 194.

[2] « Evangelium Nicodemi » vel etiam « Acta Pilati » saec. v ineunte composita sunt. *O. Bardenhewer*, Geschichte der altkirchl. Literatur I² 543 sqq.

[3] De actis Petri apocryphis, a Iacobo Fabro Stapulensi a. 1512 commentariis in epistolas adiunctis, cfr. *R. A. Lipsius*, Die apokryphen Apostelgeschichten II 1 (Braunschweig 1887) 85 sqq.; *Bardenhewer* l. c. 550 sqq.

[4] Hae episcoporum Italicorum petitiones non sunt collectae ab omnibus et singulis episcopis nationis Italicae, qui concilio intererant, nec a pluralitate, sed a paucis licet scientia pietate zelo egregiis, quibus Seripandus iam mense Ianuario 1562 hanc mandaverat provinciam. Qui fuerint, Seripandus ipse litteris illis S. M. V. etc. indicare voluisse videtur, quas in codice Neapolitano petitionibus adiunxit, nobis non amplius intelligendas. Quinque ex eis a Paleotto nominantur, scil. Surrentinus, Ragusinus, Iadrensis, Mutinensis, Sutrinus. *Conc. Trid.* III 1, 285.

Ex quibus petitionibus traditis sibi mense Februario exeunte Seripandus 18 excerpsit (*Conc. Trid.* II 482 sq.), quae ad proponendum idoneae videbantur, praeterea omnes 93 Simonettae monstravit, qui eas Romam transmisit 9. Martii (non 2., ut *Šusta* II 40 opinatus est). Deputati autem pro colligendis articulis reformationis ex 18 a Seripando excerptis 12 elegerunt, qui paucis mutatis in congregatione generali die 11. Martii 1562 propositi sunt, *Conc. Trid.* VIII 378 sq.

De historia huius propositionis praeter fontes iam laudatos consultandae sunt litterae Seripandi ad card. Borromaeum 17. Maii datae (*Sickel*, Römische Berichte II 109 sqq.; *Conc. Trid.* III 1, 182 sqq.); litterae card. Mantuani ad nepotem Franciscum Gonzagam die 16. Maii 1562 datae (*Šusta* II 146); Summarium Philippi Musotti (*Conc. Trid.* III 1, 126).

[5] *Mansi* VI 1226.

[2.] Expediret, ut revocare[n]tur in usum decreta Euaristi, Fabiani[a], Sylvestri[1], ut in qualibet ecclesia cathedrali septem essent diaconi, et ex ceteris ordinibus, quot ecclesiae necessitas exposceret[b]

[3.] Ut in particularibus ecclesiis observaretur canon, quo iubetur, ut parochus quilibet clericum habeat, qui iuxta profectum ad digniores assumeretur ordines[c].

[4.] Revocaretur in usum decretum Gelasii[d] papae[2], ut per interstitia temporum etiam minores ordines darentur[e].

[5.] Quod in hoc temporis intervallo in functione suae ordinationis se exercerent, ut eo absoluto iudicium fieri posset, an ad praestantiorem ordinem essent promovendi.

[6.] Ad lectoris ordinem non promoveretur, qui latinam linguam non calleret; alioquin munus suum exercere non posset

[7.] Describenda essent a sancta synodo munia cuiuscunque ordinis aliquanto diligentius, quam hactenus factum ab Isidoro[3] et Gratiano[4].

[8.] Non ordinaretur quisquam in ordine sacerdotali nisi ad certum titulum beneficii[f]

[9.] Parochia aliqua ob suam amplitudinem plures requirente sacerdotes in illa plures tituli institui possent.

[10.] Quod beneficia, quae idonea provisione victus sacerdotis carent, reformarentur, ut ex pluribus titulis unus tantum constitueretur. |

241v [11.] Capellae vetustate collapsae, quae fructibus beneficii ob paupertatem restaurari non possunt, in matrices ecclesias transferrentur.

[12.] Modus providendi victui horum ecclesiae ministrorum ⟨esset, ut⟩[g] deliberaretur in conciliis provincialibus, imposita poena, ut infra duos annos haec fieret deliberatio.

[13.] Esset in qualibet ecclesia cathedrali lectio theologiae ad horum ministrorum eruditionem; qui ad altiorem gradum non promoverentur[h], nisi sacris litteris profecissent.

[14.] In ordinationibus rigorosum servaretur examen, ut archidiaconus vere testari posset, cum rogatur[i], an sciat eos dignos esse.

[15.] Publice et in choro ecclesiae faciendae ordinationes secundum formam concilii Cartaginensis[5].

[16.] An interim, dum haec executioni mandantur, expediret, ut ociosorum sacerdotum multitudo, exclusis[k], qui adeo inepti sunt, ut nulla spes esse possit, eos unquam ecclesiae profuturos, exerceret munia inferiorum ordinum.

II. De collatione beneficiorum.

[17.] Primo, ut disertis verbis conditiones declararentur pastoribus necessariae, et hoc apostolicis regulis, idest quod compertum esset, illas esse iuris divini.

[18.] Si cui condiciones illae deessent, in usum revocaretur decretum concilii sub Martino[6], quod scilicet privarentur beneficio.

[19.] An opportunum esset, ut huius decreti executio praeterita etiam despiceret sic, ut pastores, qui nunc sunt, examinarentur et inepti excluderentur.

[20.] Beneficia omnia conferrentur alicui ex diaconis vel ecclesiae ministris, qui iam probati essent, etiam si beneficia vacarent per cessionem, nulla habita ratione voluntatis eius, qui cedit. |

242r [21.] Collatio canonicatuum et dignitatum ecclesiae, maxime archidiaconatus et archipresbiteratus, qui sunt vicarii episcopi, libere ad episcopos spectaret, reservata tamen summo pontifici confirmatione.

[22.] Uni plus quam unum ministerium ecclesiasticum non committeretur.

[a] *N add.* et [b] *M sequentem articulum cum hoc coniungit sub numero 2.* [c] *N* honores [d] *C* Zelasii [e] *M hunc articulum cum sequenti coniungit sub numero 3.* [f] *M add.* Quod ut servetur, oportet efficaciter interdicere, ne pro missa possit aliquid dari aut accipi, quoniam tunc non acciperent ordines nisi habentes beneficia vel aliqui clerici divites ex devotione, victum inde non exspectantes, uti frequenter ordinantur innumeri vel inepti, ut ex missa vivant. [g] *om. C.* [h] *N* promoveretur [i] N rogaretur [k] *N add.* primo; *M* primo illis adeo ineptis, ut

[1] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 87. 157.

[2] *Ibid.* 650 sq. (can. 3); — Epp. Rom. pont. ed. *A. Thiel* 363 (can. 2).

[3] Etymolog. lib. VII c. 12, *Migne* 82, 290 sqq.

[4] D. 21, *Friedberg* I 66 sq.

[5] Cfr. can. 1-9 eorum, qui concilio Carthaginensi IV adscribuntur. *Hefele* II 69 sq.

[6] Sess. XLIII de dispensationibus, *Mansi* XXVII, 1175.

[23.] Decretum concilii Lateranensis[1], cum excipiuntur doctores et nobiles, interpretandum esset.

[24.] Decretum concilii Tridentini de perpetuis unionibus hactenus factis[2] declararetur, ut, qui utiliores[a] non haberent causas, possent irritae declarari.

[25.] Ad decreta electionis episcoporum adderetur, quod non eligeretur in episcopum, qui in ordine sacerdotali per aliquot non vixisset annos et boni nominis esset apud eos, quibus praeficeretur.

[26.] Consecrarentur in propriis ecclesiis populo praesente.

III. De beneficiorum redditibus

[27.] Expediret, ut renovaretur canon Zelasii papae[3] et Triburiensis[b] concilii[4] de dividendis redditibus in quatuor partes, et declararetur, quaenam sit pars, quae pastori debetur, cum debeat esse modesto victu modestoque vestitu contentus

[28.] Quod sacerdotes et beneficiati de fructibus sui beneficii rationem episcopo reddere tenerentur, cogerenturque eos iuxta Zelasii decretum dispensare[c].

[29.] Provideretur forsan per hoc[d] immani sacrilegio, quod hodie viget in ecclesia. Nam aliqui nobiles procurant, ut sordido alicui beneficii titulus conferatur, cum ipsi omnes redditus obtineant.

[30.] Providendum abusui pensionum secundum formam, quam cardinales a Paulo III electi descripserunt[e] [5].

[31.] Decimae non solverentur de quotidianis distributionibus vel de | stipendiis mis- 242v
sarum vel de his, quae necessaria sunt ad victum.

IV. De obeundis ipsis ministeriis.

[32.] Declarandum esset residentiam esse de iure divino, si certum aliud remedium non inveniretur ad hoc, quod resideant.

[33.] Cum pastorum praecipuum sit docere, tales sint, qui pastores designantur, ut per se ipsos illud officium praestare possint.

[34.] Quia mutatio frequens concionatorum plurima incommoda saepe affert ecclesiae, an expediens videretur, ut si episcopi per se nequeant praedicare, perpetuum eligerent[f] concionatorem.

[35.] Quia frustra evangelium[g] legeretur in missa cathecumenorum, si populus non intelligat, saltem quolibet Dominico die haec a pastore exponantur[h].

[36.] Quia frustra praeciperetur[i], ut missae doctrinam explicarent, si non essent, qui audirent, opportunum esset, ut provideretur, quod parochiani festis diebus suas adirent parochias, ut vetusti canones iussere. Nam sine observantia huius[k] non est possibile, ut populus doceatur, et quod pastor vultum sui pectoris agnoscat[l].

[37.] Verum hoc difficile a populo impetrabitur, nisi provideatur, quod in ecclesiis collegiatis illis diebus privatae missae non dicantur populo praesente.

[38.] Provideretur, ut pastores in exhibendis sacramentis vim energiamque ipsorum inculcarent ac illorum ritus omnes populo explicarent

[39.] Ad tollendam omnem avaritiae notam et simoniae suspicionem providendum esset, ne pro ullo sacro ministerio ⟨sacerdotes eleemosinas⟩[m] peterent, nec pro missis nec pro sepulturis[n].

[40.] Nonnulli episcopi vel visitatores loco procurationum pecunias accipiunt, quas etiam exposcunt[o]. Huic abusui providendum esset.

[41.] Facilius procuraretur salus animarum, si ordinarii facultatem dispensandi | habe- 243r
rent super irregularitates et super impedimenta matrimonii ⟨et super copula illicita⟩[p]; tandem in foro conscientiae possent absolvere ab omni censura.

[42.] Provideretur, ut canonici essent vel doctores canonum vel theologiae vel saltem serio studiis vacarent.

[43.] Notariatus ecclesiastici officium non venderetur nec annua pensione locaretur.

[a] *N* utillimas; *M* utilissimas [b] *C* Avorniensis; *N* Vormaciensis; *M add. post* « concilii » decimus tertius. [c] *M hunc articulum cum sequenti coniungit* [d] *N add.* remedium [e] *C* rescripserunt; *M* scripserunt [f] *N* eligant [g] *N M add.* et epistola [h] *N* exponerentur [i] *N add.* pastoribus [k] *N add.* canonis [l] *M hunc articulum cum sequenti coniungit.* [m] *M* eleemosynas avidius [n] *C* sepulchris [o] *M add.* et exigunt [p] *M* ex copula illicita

[1] Scilicet c. 28 *De multa* X de praeb. III 3, *Friedberg* II 477 sq., editum in conc. Lateranensi IV.
[2] Sess. VII de ref. c. 6, *Conc. Trid.* V 998.
[3] Epp. Rom. pont. ed. *A. Thiel* 378 (can. 27).
[4] *Mansi* XVIII 139 sq. (can. 13).
[5] Cfr. *Conc. Trid.* XII 137.

V. De cultu Dei.

[44.] Tam breviaria quam missalia reformanda essent et a multis ineptiis purganda[a].

[45]. Ut officium novum[1] in totum inhiberetur illis, qui chorum frequentant[b].

[46.] Quod certiores aliqui canones et rubricae ordinarentur, quibus horae canonicae recitandae essent; qui ab ecclesiis omnibus observarentur.

[47.] Prohibendum, ne tempore vel sacrificii missae vel ceterarum precum actus capitulares ⟨per canonicos⟩[c] celebrarentur.

[48.] Sancta esset provisio ad cultum Dei frequentandum, ⟨distributiones quotidianas⟩[d] prohis constituere, qui ecclesiae inserviunt, de praebendis ociosorum, maxime in illisecclesiis, in quibus nullae sunt distributiones.

[49.] An adhibendus esset aliquis modus numerositati dierum festorum.

[50.] Quia sacratiores sunt dies Dominici, saltem in his diebus nundinae, spectacula et cetera illa, quae a cultu Dei homines avocare possunt[e], prohiberentur.

[51.] Tremenda misteria non celebrarentur in privatis domibus.

[52.] An expediret, ut omnes ministri altaris, quiqui essent, diebus Dominicis communicarent in missa, cui servirent, ut sic excitaretur populus ad apostolici canonis[2] observationem, ut praesentes sacrificio missae communicarent omnes. |

243v [53.] In die autem Iovis Sancti ut expressius coenam Dominicam imitaretur ecclesia, an statuendum esset, ut omnes tam in minoribus quam in maioribus ordinibus constituti ex manu episcopi vel alterius celebrantis sacram sumerent eucharistiam.

VI. De disciplina ecclesiastica.

[54.] Observarentur regulae, ut publice peccantes ad publicam redigerentur poenitentiam[f].

[55.] Si possent innumerae excommunicationes ad potiora[g] et ad certa capita redigi.

[56.] Moderandae, quae in Coena Domini leguntur [excommunicationes], ut est illa, quae contra deferentes arma ad infideles lata est[3].

[57.] Excommunicationes non concederentur nisi pro rebus maximi momenti[h], renovareturque canon, quod excommunicatus in una diocesi in altera non reciperetur.

[58.] Nullus in ecclesiastico ordine constitutus a propria diocesi discedens in aliam recipiatur[i] sine literis formatis.

[59.] Modus esset sepulturis adhibendus, cum hodie cadaveribus ut vultures multiecclesiastici ordinis inhiant.

[60.] Renovarentur[k] canones de non sepeliendis laicis in templo.

[61.] Providendum, ne per urbes passim tabernae, lusus et artes meretriciae exercerentur.

[62.] Canones antiqui circa Iudaeos[4] renovarentur de comercio et de habitu.

[63.] Commodum[l] esset ordinare, ne inter christianos morarentur, nisi vel serviendo vel in mecanicis laborando victum sibi acquirerent, usura penitus illis inhibita.

[64.] Quia sine mutuo politiae subsistere nequeunt, nec facile invenitur, qui gratis mutuet, an aliqua ratio inveniretur pecunias depositandi apud Montes pietatis cum eius etiam lucro, qui depositat, ex quibus egentibus mutuo succurri posset. |

244r [65.] Canon concilii Lateranensis[5] revocaretur in usum, ut medici aegrotos non curarent, si prius sacramentum poenitentiae non suscepissent.

[66.] Ad decretum concilii Lateranensis[6] de imprimendis libris addendum videretur, quod hactenus impressi vendi non possent, qui in primo margine testimonium non

[a] *C* purgandae [b] *C hunc articulum cum priore coniungit.* [c] *NM add.* [d] *NM* si ordinarius distr. quot. posset [e] *N* possent. [f] *C hunc articulum cum sequenti coniungit.* [g] *M* pauciora [h] *M hic novum incipit articulum.* [i] *C* non recipiatur; *M* non reciperetur; *N* reciperetur [k] *M* Si aliqua ratione renovari possent [l] *M* An commodum

[1] Scil. breviarium card. S. Crucis, critice editum a *I. Wickham Legg*, The second recension of the Quignon breviary, 2 voll. (London 1912). Cfr. *S. Bäumer*, Geschichte des Breviers 391 sqq.

[2] Can. 10, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 28.

[3] Vide supra n. 91.

[4] Conc. Lateranense IV can. 67 et 68, *Mansi* XXII 1054 sq; etiam in decretalibus: c. 18 *Quanto amplius* X de usuris V 19 (*Friedberg* II 816) et c. 16 *In nonnullis* X de Iud. V 6 (*ibid.* 776 sq.). Cfr. *H. Vogelstein-P. Rieger*, Gesch. der Iuden in Rom I (Berlin 1896) 226 sqq.

[5] Conc. Lateranense IV can. 22, *Mansi* XXII 1010 sq.

[6] Conc. Lateranense V sess. X, *Mansi* XXXII 912 sq.; *Hefele-Hergenröther* VIII 650 sqq.; *Reusch*, Der Index I 55 sq.

haberent manu vel ordinarii vel inquisitoris, quod essent expurgati. In illis, qui imposterum imprimendi essent, in prima statim pagina ordinarii vel inquisitoris ⟨licentiae excuderentur⟩ [a]. Qui hanc non haberent, ut suspectae [b] malaeque doctrinae haberentur.

[67.] Concilia provincialia ab apostolis [c] ordinata in usu[m] revocarentur, in quibus specialiter episcopi rationem de proventibus suae ecclesiae redderent, atque etiam de suis ordinationibus.

[68.] Quia ex constitutis plurimis archiepiscopis provinciae suam amiserunt amplitudinem, in hoc concilio provinciae denuo constituendae essent.

[69.] Decretum concilii Constantiensis [1] de concilio celebrando quolibet decennio confirmandum esset et executioni mandandum.

VII. De matrimonio.

[70.] Renovaretur contra clandestina matrimonia Euaristi decretum [2] et declararetur haec irrita esse et nulla.

[71.] An expediret tollere quarti gradus affinitatem et consanguinitatem. Item impedimenta spiritualis consanguinitatis. Item impedimenta publicae honestatis.

[72.] Moderanda [d] esset lex de tempore, quo nuptiae prohibentur [e], ac declarandae conditiones requisitae ad hoc, ut matrimonium non sit clandestinum, sed in facie ecclesiae factum diceretur.

VIII. De religiosis.

[73.] Religiosi claustrales [f] nulla [g] sacramenta ministrarent nec praedicarent, nisi habita prius ordinarii licentia. |

[74.] Qui facultatem habuerit confessiones audiendi, observaret regulas et canones illius 244'
ecclesiae, et absolutione casuum reservatorum abstineat [h].

[75.] Conventuales, si ad rationem vivendi, quam professi sunt, reddi non possent, abolerentur [i].

[76.] Interim ab illis cura monialium auferretur et committerentur vel reformatis vel ordinariis.

[77.] An aliqua ratio inveniri posset, ne tot conventibus gravarentur civitates; sunt enim parvulae quaedam civitates, quae duodecim habent coenobia.

[78.] Religiosi functi officio vel praedicandi vel confitendi in aliquo loco, inde discedentes obtinerent gratis ab ordinario testimonium, quod [k] recte et fideliter munus suum implevissent.

[79.] In monasteriis et abbatiis aliquibus commendatis Dei cultus manuteneretur, et pars [l] fructuum in usum pauperum illius loci distribueretur.

IX. De monialibus.

[80.] Renovaretur antiquorum conciliorum institutio [m], quod monasteria monialium non instituerentur, nisi sufficienter de bonis monasterii sustentari possent [n].

[81.] In monasteriis, quae iam instituta sunt, non admitteretur aliqua supra numerum illarum, quae in illo sustentari possent, et quoadusque redactae fuissent ad numerum illum, nulla reciperetur.

[82.] Et quia ob illam rationem recipiuntur frequenter, ut dote vel eleemosina possint monasteria sustentari, princeps, magistratus, cives tam ecclesiastici quam saeculares hortandi essent, ut aliqua excogitata ratione victui earum provideretur, ne cogerentur aliquam recipere.

[83.] Exploranda esset, cum aliqua recipienda fuerit, diligenter puellae voluntas.

[84.] An expediret, ut nulla votum professionis emitteret vel sacrum velum susciperet ante vigesimum aetatis suae annum. |

[a] *N* licentia excuderetur; *M* licentia concederetur [b] *N M* suspecti [c] *M* apostolicis viris [d] *M* An moderanda [e] *M hic novum incipit articulum.* [f] *M add.* sine speciali sanctae sedis privilegio [g] *C* ulla [h] *N* abstineret [i] *C hunc articulum cum sequenti coniungit.* [k] *N add.* ibi [l] *C* par [m] *M* constitutio [n] *Quae sequuntur, omnia in M desunt.*

[1] Sess. XXXIX, *Mansi* XXVII 1159 (*Frequens*) [2] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 87 sq

[85.] Nulla gubernandi sanctimoniales commodior ratio, quam ut hominibus adimerent commodum eas frequentandi. Unde renovandum decretum Alexandri [1], quod clericus monasteria frequentans beneficio privetur et saecularis graviter puniatur.

[86]. Provideretur, ut nullam ob causam ex monasterio exire possint [a].

X. De exemptis.

[87.] Concessum est aliquibus [b] ecclesiis, quae curam animarum non habent, ut possint advenientibus ex vicinis parochiis in die Paschatis sacramenta conferre. Procurandum, ut haec privilegia revocentur [c].

[88.] Itidem provideretur de ecclesiis, quae in variis dioecesibus annexa sunt hospitali [d] S[ti] Spiritus vel basilicae S[ti] Ioannis Lateranensis [e].

[89.] Quia quaelibet civitas sua propria habet onera suosque pauperes, quos alere oportet, an expediret prohibere quaestores quoscumque vel pro templorum aedificatione vel pro hospitalium necessitate.

[90.] Si admittendi esset cum indulgentiis iam concessis, an expediret, ut illae indulgentiae examinarentur a theologis eruditis.

[91.] Capitulo concilii Tridentini [2] de visitatione exemptorum addendum videretur, ut extra tempus visitationis possent corrigi et puniri, si non essent correpti ab ipsorum superioribus infra decem dies a commisso crimine.

XI. De Romana curia.

[92.] Utinam, quae cardinales delecti a Paulo fel. me. III | excogitarunt [3], executioni mandarentur.

[93.] Spolia seu bona clericorum mortis tempore reperta plene et libere ad haeredes suos spectarent vel ad ecclesiam, secundum formam in antiquis conciliis traditam [4].

[a] *N* possent [b] *N* quibusdam [c] *N* revocarentur [d] *N* hospitalibus [e] *N* Laterani

[1] C. 8 *Monasteria* X de vita et hon. cler. III 1, *Friedberg* II 450.

[2] Sess. VI de ref. c. 4, *Conc. Trid.* V 804; videntur non cognovisse auctores sess. XIV de ref. c. 4.

[3] Scilicet « Consilium delectorum cardinalium de emendanda ecclesia », *Conc. Trid.* XII 131-145.

[4] Cfr. c. 19 *Episcopi* C. 12 q. 1 (conc. Agatense c. 8); c. 20 *Manifesta* ibid. (conc. Antiochenum c. 4); c. 1 *Placuit* C. 12 q. 3 (conc. Carthag. III c. 49). De his canonibus deque iure decretalium in materia spoliorum vide *F. Heiner*, Kath. Kirchenrecht II (Paderborn 1909) 471 sq.; *Ferraris*, Prompta Bibliotheca VII 579-594 sub verbo « spolium ».

His episcoporum Italicorum articulis de reformatione adiungantur quaedam ex opere Ludovici Maiorani, « De optimo reipublicae statu oratio, quam misit ad patres in concilio Tridentino », edito in appendice alterius libri eiusdem auctoris, qui inscribitur « Clypeus militantis ecclesiae » (Romae 1575). « Oratio » illa ab auctore Herculi card. Gonzagae Tridentum transmissa est, qui 7. Martii 1562 gratias egit iudiciumque Ricardi Vercellensis de opusculo illi communicavit.

Divisa est oratio in quattuor partes: 1. De utilitate et necessitate conciliorum, praesertim autem huius Tridentini hoc turbulentissimo tempore (p. 253-261). 2. De corruptelis extirpandis deque lapsa disciplina in pristinum statum restituenda (p. 261-270), ubi patribus Tridentinis exemplum patrum illorum antiquorum in animum revocat, qui *non dominatum, sed Dominum quaeritabant*, et tyranni animorum, non hominum, non divitiarum, *sed animarum erant* (p. 266). 3. De modo, quo evangelicae doctrinae et religionis quae nunc vigent controversiae dirigendae atque sedandae sint (p. 270-285), scilicet si omnes consuetudini universali ecclesiae concordique patrum sententiae atque per totum christianum orbem omnibus saeculis iam inde a temporibus apostolorum ad haec usque tempora perpetuo et quasi per manus traditis institutis se subiiciunt (p. 275). 4. De pace et concordia ecclesiae (p. 285-295), ubi pacem et concordiam animam reipublicae christianae esse contendit, eum autem, qui illam laeserit, *etsi penitus extra christianum imperium non sit, penitus tamen extra ecclesiam Dei, penitus extra veram religionem censendus* sit (p. 291).

De auctore, canonico reg. Lateranensi, cfr. *Hurter*, Nomenclator III 50 sq.

96.

[Franciscus Cordubensis O. F. M. de observ.: Considerationes de ecclesia reformanda et de concilio][1].

Anno 1562 ineunte.

Vindobonae Arch. status *Religionsakten fasc. 13* f. 134r-136v, or. nonnullis in locis alia manu correctum.

I. Prima consideratio: Respondetur ad quinque quaestiones de reformatione deque concilio. 1. Incipiendum esse concilio a reformatione. 2. Leges humanas variari posse. 3. Concedenda haereticis omnia, quae non adversentur fidei regulae neque morum integritati. 4. Renuntianda ecclesiae bona ab haereticis occupata. 5. Concilium liberum esse oportere. II. Secunda consideratio: De reformatione. 1. Clerus ecclesiae bonis moderate utatur. 2. Sit bonorum pauperum dispensator fidelis. 3 Ipso negligente magistratus ea distribuat. 4. Ne praelati per vicarios regant ecclesias. 5. Quibus conferenda maiora beneficia. 6. Qui ordinatus fuerit, statim participetur bonorum ecclesiae. 7. Dentur gratis confirmationes episcoporum, dispensationes etc. 8. Tollantur beneficia servitio ecclesiastico carentia. 9. Maiora beneficia dividenda. 10. Canonicorum munus infimum in ecclesia. 11. Parochi praeferendi canonicis. 12. Praelati non idonei deponendi ab officio. 13. Diebus festis clerus populusque fidei doctrinae det operam. III. Tertia consideratio: De libertate concilii

I.

[1.] Quoniam *tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei*, *1 Petr.* 4, [17], incipiendum est a reformatione. Religionsakten 13 f. 134r

Duo sunt[2], quae maxime a b ecclesia Christi desiderantur, propter quae ex patrum traditione ecclesiastica sunt congregata concilia: Primum est, ut omnes unam teneant fidem; secundum est, ut mores iuxta fidei regulam componantur. Istud secundum primo in concilio est definiendum a patribus, quia in hoc nostro saeculo ex malis clericorum operibus haereses ortae sunt. Cum enim ecclesiastici, maxime praelati, ut Christus inquit *Matth.* 5, [14], sint lux mundi, et aliqui eorum non solum non illuminant, quia sunt ignorantes, sed scandalizant populum male operando, oportet, ut clerus incipiat facere et docere *Act.* 1, [1]: *Coepit Ihesus facere et docere.* Primum est facere, hoc ad mores pertinet; secundum est docere, hoc ad fidem et dogmata pertinet. Mala enim opera haeresibus aperiunt ianuam. Nam dicit Sapiens[3]: *Excaecavit eos*[a] *malitia eorum*, et Paulus, postquam narravit peccata gentium ad *Rom.* 1, [24] inquit: *Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum.* At bona opera etiam parant ad fidem, et bona opera non solum fidelium, sed etiam infidelium ipsorum aedificant. Inquit enim *Iacobus* 2, [18]: *Ego ostendam tibi fidem meam ex operibus.* Hoc faciat clerus, maxima ecclesia; ostendat operibus fidem, quam habet et quam vult docere haereticos. Christus dixit[4]: *Luceat lux vestra coram hominibus*, et ut ostenderet, quid per lucem significaret, protinus addidit: *et*[b] *videant vestra bona opera.* Non dixit: « Videant fidem vestram », quia fides latet et operibus manifestatur, et fides sine operibus mortua est;

[a] *Vulg.* illos   [b] *Vulg.* ut

[1] « Considerationes de reformatione deque concilio », ut ex contextu (p. 614 adn. 3) apparet, post 4. Martii 1562 scriptis sunt datae; nihil tamen suadet, magnas illas de concilii auctoritate controversias, quae post adventum Gallorum sunt ortae, iam premere. Propterea vix dubitari potest, quin ad praeparationem Petitionum Caesaris (infra n. 104) pertineant; eaedem enim materiae tractantur quae ibi, sc. reformatio in concilio dogmatum definitioni praeferenda, libertas concilii, restitutio bonorum ecclesiasticorum etc. Cfr. *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil von Trient (Münster 1911) 172.

Quis fuerit auctor, ex codice non elucet. Cogitari posset eas esse votum illud a secretario Caesaris, Georgio Gienger, atque ab episcopo Gurcensi post 17. Martii 1562 datum, de quo ille in litteris suis ad Caesarem 26. Aprilis 1562 datis loquitur (*Th. Sickel*, Das Reformationslibell des Kaisers Ferdinand I vom Jahre 1562 bis zu seiner Absendung nach Trient: Arch. für österreichische Geschichte 45 [1871] 19. 21), quod usque adhuc non inventum est. Sed certum est aliter rem se habere; neque enim loquuntur « Considerationes » de concessione calicis deque coniugio sacerdotum, de quibus Gienger (*Sickel*, Das Reformationslibell 19), neque de exemplo Sigismundi imperatoris quoad bona ecclesiastica restituenda, cuius Seldius mentionem facit (*Sickel*, Das Reformationslibell 49).

Pro investigando auctore notanda sunt loca, quibus cum « Consilio de reformanda ecclesia ad imperatorem Ferdinandum » conveniunt, quod non est Staphyli, ut Schelhornius et Le Plat editores putaverunt, sed Francisci Cordubensis ord. Min. (*H. Loewe*, Die Stellung des Kaisers Ferdinand I zum Trienter Konzil Okt. 1561 - Mai 1562 [Bonn 1887] 43 sqq.). Tanta sunt et talia, ut devia esse non possit opinio, Franciscum esse etiam auctorem nostrarum « Considerationum », ipsasque esse votum vel partem voti, quod ille una cum Gurcensi et Giengero mense Aprili 1562 de concilio ac de reformatione conscripsit.

Negari non potest Cordubensem in his considerationibus multo esse mitiorem in sedem apostolicam et in cardinales quam in « Consilio ». Sed quid prohibet suspicari, eum, ut rebus sicuti erant consuleret, ab utopicis illis postulationibus aliquantulum discessisse? Praesertim cum litterae eius ad cardinalem Mantuanum 14. Aprilis 1562 datae optime cum his nostris considerationibus conveniant. *Nuntiaturberichte* II. Abt. III 37-40.

[2] Cfr. « Consilium » c. 7, *Le Plat* V 216 sq.

[3] *Sap.* 2, 21.

[4] *Matth.* 5, 16.

etiam fides sine operibus non solum non aedificat, sed etiam scandalizat. Si enim clerus rediret ad patrum antiquorum mores, non est dubium, quin haeretici relicto proprio sensu amplecterentur communem ecclesiae sensum; etiam et pagani verum fidei lumen reciperent. Haec de primo. |

134ᵛ [2.] De humanis legibus abrogandis.

Proprium est naturali legi esse invariabilem et nunquam posse abrogari, quia eius rectitudo et iustitia quodammodo est ab ipsarum rerum natura, quam Deus illis indidit. Sicut enim haec veritas « Bis tria sunt sex » est invariabilis, ita legis naturae iustitia non potest variari, ut istius legis [1]: *quaecunque vultis faciant* [a] *vobis homines, eadem facite illis.* At cuicunque legi non naturali, etiam si sit divina, non repugnat variatio. Hoc clarissime constat in lege divina Veteris Testamenti, quae abrogata est per evangelium, ut lex de circumcisione, quae ante Christi adventum sancta erat, modo autem est mortifera. Haec enim legum mutatio a Deo facta est, nec per hoc levitatis aut inconstantiae venit Deus arguendus. Simili modo de humanis legibus tam civilibus quam ecclesiasticis sentiendum est. Nam istarum legum humanarum est tanta varietas, ut lex, quae praeterito saeculo fuit iusta, in praesenti saeculo sit iniusta, quia earum iustitia non est naturalis, sed adventitia, quia videlicet, quod secundum rectam rationem nunc conducit hominibus, postea temporis successu obest illis, et sic omnis lex humana tam civilis quam ecclesiastica est variabilis. Tamen sicut respublica civilis ultra legem naturalem indiget lege humana, et sine legibus humanis respublica non stabit, ita religio christiana ultra divinam legem indiget lege humana, quae cum sit variabilis, quando expedit ecclesiae, varianda est aut abroganda, cum sine tali lege christianismus in sua puritate permaneat quantum ad fidei veritatem et morum integritatem. Si tamen istorum alterum per humanae legis abrogationem aut variationem tolleretur, talis humana lex non est abroganda, cum sit necessaria ad continendos populos in vera religione. Unde Augustinus ep. 119 Ianuario [2]: *Omnia itaque talia, quae neque sanctarum scripturarum authoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniantur, nec consuetudine universae ecclesiae roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter va-*

135ʳ *riantur, ita ut vix aut omnino* | *nunquam inveniri possint causae, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim nec hoc inve[ni]ri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordiam Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudaeorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subiiciuntur. Sed ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta multa tolerat, et tamen, quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat nec tacet nec facit.* Haec de secundo.

[3.] ⟨In quibus respondere licet et expedit haereticorum desideriis⟩ [b].

Ut ex historiis ecclesiasticis constat, in conciliis generalibus haeretici comparuerunt, et ad hoc congregantur concilia, ut, qui a fidei unitate dissident, reducantur ad eam. Ideo expedit, ut adsint concilio per se aut per suos legatos, et si ad comparendum in concilio satis videtur illis et ecclesiae consultum per fidem publicam, quam salvum conductum appellant [3], tamen, ut ecclesia sequens Christi vestigia dicere possit illud *Isaiae* 5, [3 sq.]: *Nunc ergo habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei?* expediret, ut concilium generale concederet haereticis omnia illa, quae flagitant, quae olim servabantur in conciliis generalibus legitime congregatis, etiam alia plura, si quae sunt postulata ab illis, dummodo non adversentur fidei regulae neque morum integritati, et ecclesia Pauli praeceptum exequatur ad *Gal.* 6, [1]: *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris;* et ad *Col.* 3, [20], cum praecipit filiis obedientiam erga parentes dicens: *Filii, obedite parentibus per omnia,* protinus addidit: *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros,* quia non solum propter eos, qui sunt nostrae |

135ᵛ communionis fidei, congregatur concilium, sed etiam propter eos, qui per schismata et haereses separati sunt ab ecclesia. Nam Christus, quem imitatur ecclesia, non solum fuit mortuus

[a] *cod.* faciam *Vulg.* ut faciant... et vos facite illis [b] *alia manu scriptum*

[1] *Matth.* 7, 12.

[2] Nunc ep. 55 c. 19 n. 35, *Migne* 33, 221 sq.

[3] Salvus conductus datus est Germanis aliisque nationibus in congr. gen. 4. Martii 1562, *Conc. Trid.* VIII 372 sqq. Quem auctor huius tractatus iam cognovisse videtur.

pro gente, sed etiam pro filiis Dei, qui erant dispersi, ut congregaret eos in fidei unitatem et ecclesiae communionem. Haec de tertio.

[4.] Ecclesia cedat bonis terrenis propter coelestia bona.

Dominia rerum sic sunt distincta in republica legitime instituta, ut rebus assignentur domini proprii, sive sit communitas ipsa dominus, sive aliquis homo. Nam non est referendum dominium in Deum, quia hoc modo [1] *Domini est terra et plenitudo eius*, nec etiam est dominium in aliquo indeterminato et confuso, sed in aliquo aut aliquibus determinatis dominis. Unde ecclesiae bona habent verum et determinatum dominum. Iste dominus non est papa nec alii praelati ecclesiae. Nam religiosissimi principes non donaverunt bona praelatis, sed ecclesiae. Unde ipsi praelati sunt dispensatores bonorum ecclesiae, ipsa tamen ecclesia est domina bonorum illorum; ecclesiam voco non parietes templi, sed hominum congregationem. Hinc manifeste colligitur, quod ecclesia, cum sit domina, potest donare bona sua aut invadenti remittere, quae abstulit, et praelatus ut dispensator poterit dispensare illa bona ad ecclesiae utilitatem. Cum ergo concilium generale repraesentat ecclesiam universalem, poterit donare haereticis et schismaticis bona ecclesiae, quae iniuste detinent. Poterit hoc etiam papa facere ut supremus dispensator. Nam multoties bona ecclesiae dantur laicis, cum id postulat ratio et iuste fit. Ita etiam ratio postulat, quod, ut reducantur, qui dispersi sunt, ad ecclesiam, remittentur illis bona, quae ab ecclesia abstulerunt iniuste, et non est sumendum pro velamine avaritiae, quod praelati tenentur ecclesiae bona conservare. Nam hoc est verum non occurrente necessitate, in qua non solum temporalia, sed etiam | 136r
animam praelati ecclesiae debent ponere pro ipsa ecclesia. Neque melius potest consuli ecclesiae quam quod ipsius bona expendantur in congregando filios dispersos, et iste sumptus est supremus ecclesiae quaestus. Neque timendum est, quod deerunt ministris ecclesiae alimenta et quibus tegantur; nam iis contenti esse debent, qui evangelium annuntiant. Haec de quarto [2].

[5.] De concilii authoritate.

Etsi papa promisit, se daturum legatis apostolicis praesidentibus in oecumenico concilio Tridentino liberam et plenam authoritatem definiendi ea, quae ad fidem et mores pertinent, tamen nondum dedit [3], et cum hoc sit pernecessarium, ideo oecumenicum concilium nomine ecclesiae totius, quam repraesentat, oret exoretque papam, ut tantam authoritatem concedat legatis et concilio Tridentino, quantam habuerunt legati et concilium Nicaenum, et quantum habuerunt cetera concilia generalia, quae celebrata sunt legitime in Oriente, videlicet ut legati instituti vicarii papae cum plenitudine potestatis simul cum patribus canonice congregatis possint inconsulto papa et non requisito, ut fuit mos in antiquis conciliis, definire omnia, quae ad fidem et mores pertinent, et quae sic fuerint definita, sint firma et rata ab ecclesia universali et maxime ab ecclesia Romana, ut habetur C. 25 q. 1 [4]: *Decreta vero sanctorum conciliorum* [a] *neminem magis quam Apostolicum servare oportet. Unde Gelasius papa ait: Confidimus, quod nullus iam veraciter christianus ignoret uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis ecclesiae probavit assensus, nullam magis exequi sedem prae ceteris oportere quam primam, quae*

[a] cod. canonum

[1] *Ps* 23, 1.

[2] *Religionsakten 13* f. 138r alia eiusdem capitis forma invenitur: *Matth. 5*, [40]: *Ei qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Etsi clerus male dispenset ecclesiae bona, tamen, qui invadit et occupat illorum bona, furtum aut rapinam committit, quia ecclesia non solum iuxta civilem legem, sed etiam iuxta divinum iure et iuste bona possidet temporalia. Nam iure divino 1 ad Cor. 9*, [14]: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere, et humano iure* [scil.] *donationis titulo ecclesia bonorum temporalium est domina, quae sibi a fidelibus donantur. Si vero aliquis princeps occupavit ecclesiae bona et non paenitet rapinae, neque vult restituere ecclesiae, quod abstulit, expedit ecclesiae tempore hoc, quo schismata et haereses grassantur, in Christi ecclesia remittere aut donare illi invasori bona, quae abstulit, hoc autem non propter illum, qui occupavit bona, sed propter subditos, quos habet, ne timore amittendi bona temporalia impediat spiritualia eorum bona, sicut Ieroboam 3 Reg. 12*, [28], *qui praecepit populo Israel, ne ascenderet in Ierusalem adorare Dominum, timens amittere regnum. Ecclesia enim non iniuste concessit aliquibus saecularibus decimas propter rationabilem causam. Quae autem causa rationabilior ista inveniri potest, videlicet ut tollantur schismata et haereses? Etiam schismatici et haeretici animadvertentes super capita sua carbones ignis congestos ab ecclesia, quam ipsi immaniter infestant (hoc est opera charitatis, ut Apostolus ad Rom. 12*, [20] *docet, erga inimicos) convertentur ad fidem et ecclesiae unitatem.* |
Omnia usque ad locum *3 Reg.* 12, 28 ad verbum fere conveniunt cum Francisci « Consilio » c. 55, *Le Plat* V 229.

[3] Quo ex loco certo coniici potest concilium tempore, quo tractatus noster est compositus, iam fuisse congregatum, aegrum autem ferre, legatos auctoritate sua (cfr. *Conc. Trid.* VIII 177) non uti.

[4] *Friedberg* I 1007. Epistolam Gelasii allegatam vide apud *A. Thiel*, Epp. Rom. pontificum 395.

et unamquamque synodum sua authoritate firmavit et continuata moderatione custodit. Hic mos 136v fuit antiquitus, et quia nunc non servatur, datur ansa haereticis ad contemnendum | concilia generalia ecclesiae, cum videant, quod concilium generale, quod ecclesiam repraesentat, nihil definiat, nisi prius requisito et consulto papa, quod non fecit concilium Nicaenum neque cetera concilia. Derident enim ecclesiae inimici concilia generalia dicentes, quod cum Romano cursore Spiritus Sanctus in concilium venit [1]. *Ab initio non sic erat* [2] in ecclesia. Ab ista ergo infamia cavere debet concilium, et tollendum est etiam hoc scandalum.

Ista omnia sunt velut ianua ad diffinienda ea, quae sunt fidei et morum, et primum locum tenent ea, quae ad concilii libertatem et authoritatem pertinent, deinde ea, quae ad ecclesiae reformationem attinent. Etiam statim agendum est de convocatione et invitatione haereticorum ad concilium, qui licet indigni, donandi sunt ab ecclesia muneribus, ut ipsi honorent Christi ecclesiam se illi subiiciendo, et iuxta Pauli praeceptum ad Timotheum [3]: *Insta* [a] *opportune, importune, argue, obsecra, increpa.* Sic congregato et aperto, ut aiunt, concilio, quia in eo repraesentatur tota ecclesia, sine cunctatione instandum est, obsecrando et increpando, si expedierit. Nam Paulus ⟨in faciem⟩ [b] restitit Petro, quia reprehensibilis erat, ad *Gal.* 2, [11].

II.

140r [1.] Clerus ecclesiae bonis moderate utatur.

Temporalium bonorum usus et possessio ex Christi institutione est in ecclesia propter duo: Primo ad alendos ministros religionis; nam Christus sic instituit, ut refert Paulus *1 Cor.* 9, [14]: *Et Dominus similiter ordinavit his, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere*, et hoc ministerium supremum divina expressit scriptura, ut doceret, quod omnes ministri christianae religionis, quorum officia ad evangelii praedicationem ordinantur, etiam de evangelio debeant vivere. Secundo ista temporalia bona sunt in ecclesia propter pauperes, de quibus non vulgaris cura fuit Christo et apostolis; *Io.* 12, [5] dixit Iudas: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis et datum est egenis? Dixit hoc, non quia de egenis ad eum pertinebat;* Hieronymus super Matth. c. 17 [4]: *Sed et simpliciter intellectum aedificat auditorem, dum tantae paupertatis Dominus fuerit, ut, unde tributa pro se et apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis obiicere voluerit: « Et quomodo Iudas et in loculis portabat pecunias? », respondebimus: Rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.* Hactenus Hieronymus. Hanc pauperum curam, quam a Christo didicerunt, apostoli solicite executi sunt, ut testatur sacra scriptura *Act. apost.* [4, 34], et Paulus [5]. Et sicut per evangelicam doctrinam docemur, quod ex bonis ecclesiae non sunt ditandi pauperes, sed sublevanda est eorum indigentia, ita ministri ecclesiae ex iisdem bonis non sunt ditandi, sed alendi; nam *Matth.* 10, [10]: *Dignus est operarius cibo suo*, et Paulus inquit de evangelio vivere [6]. In his locis sacra scriptura expresse docet, quod ex bonis ecclesiae ministri evangelii tantum ea, quae sunt necessaria, debent accipere, et in hoc conveniunt omnes doctores sacri; ex bonis enim ecclesiae non debet minister religionis indui purpura et bisso et quotidie epulari splendide, sicut ille dives, qui *sepultus est in inferno* etc [7]. |

140v [2.] Clerus bonorum pauperum dispensator.

Bona ecclesiae, quae alendorum ministrorum causa possidentur, ab ecclesia sunt debita ministris divino iure, quia populus tenetur alere ministros religionis ex Dei ordinatione. Nam, ut Paulus ait [8], non est qui militet suis stipendiis, et: Qui seminat spiritualia, non est magnum, si metat carnalia. At bona, quae clerus habet superflua, videlicet illa, quae superessent, si moderatos faceret sumptus, secundum regulam evangelii libere donata sunt a fidelibus pro pauperibus alendis, et commissa sunt clero tamquam fideli dispensatori, ut distribuat illa bona pauperibus. Et propter ista bona est antiquum illud et verissimum axioma: Bona clericorum bona pauperum sunt. *Act. apost.* 4, [34 sq.]: *Quotquot ergo possessores agrorum et domorum erant, vendentes* [c] *offerebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant*

[a] *cod.* iuxta [b] *cod.* infantiam [c] *cod.* vendentis

[1] Est nota illa locutio illusoria, de qua Caesar oratori suo 16. Iulii 1562 Romam scripsit: [*Hinc autem fieri, quod...*] *multi ... ex utraque parte rideant et detestentur talem procedendi modum, dicentes quotiescunque in concilio aliquid sit decernendum, id fieri non posse nisi prius Spiritu Sancto ex Urbe per dispositos equos evocato. Th. Sickel*, Zur Geschichte des Concils von Trient (Wien 1872) 356. Inventor locutionis erat Lansac, primus orator Gallus.

[2] Cfr. *Matth.* 19, 8. [3] 2 *Tim.* 4, 2.

[4] *Migne* 26, 132. [5] Cfr. *Rom.* 15, 26.

[6] 1 *Cor.* 9, 14.

[7] Cfr. *Luc.* 16, 19. 22.

[8] 1 *Cor.* 9, 7. 11.

ante pedes apostolorum, et Paulus accipiebat fidelium elemosynas non pro se aut suis condiscipulis, sed ut eas distribueret pauperibus [1].

[3.] Magistratus pauperum patronus.

Urbanus papa primus [C.] 12 q. 1 [2]: *Videntes autem sacerdotes et reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si haereditates et agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus praesidebant episcopi, traderent, eo, quod ex sumptibus eorum tam praesentibus quam futuris temporibus plurima et elegantiora possent ministrare fidelibus, quam ex pretio eorum, coeperunt praedia et agros, quos vendere solebant, matribus ecclesiis tradere.* Chrisostomus aliam causam adducit hom. 36 super Math. c. 26 [3]: *Nunc autem agros, domos etc. multaque alia huiusmodi propter vos et vestram crudelitatem ecclesia possidet; oportebat enim hunc ecclesiae thesaurum vos retinere. Modo autem duo quaedam mala com|mittuntur. Nam et vos, quasi nihil dare debeatis, nihil con-* 141r *fertis, et Dei sacerdotes a sacerdotio aliena pertractant.* Hucusque Chrisostomus [a]. His duabus de causis auctae sunt divitiae ecclesiae, videlicet ut pauperibus melius consuleretur per annuos proventus praediorum, et propter negligentiam et avaritiam divitum clerus coepit bona pauperum curare. Quae autem fuerit causa, quod, cum istorum bonorum ecclesiasticorum facta fuerit divisio et appropriatio, nulla portio cedat pauperibus, cum saltem quarta pars assignata sit eis per antiqua concilia, hoc imo [b] est, quod quaedam pars est assignata episcopo et alia clericis, qui per beneficia et praebendas, ut aiunt, divisa est. Si quis tamen dicat, quod illa quarta, quae assignanda est pauperibus, iam est appropriata illis in hospitiis peregrinorum et infirmorum pauperum, hoc non constat ex hospitiorum fundatoribus et patronis, qui saeculares sunt, ut in plurimum. Immo animadvertentes saeculares, quod clerus non est fidelis dispensator bonorum pauperum, non committit illis elemosinas, sed potius populo aut rectoribus civitatis, et cum ad principes reipublicae spectet [c] providere, ne civibus non fiat iniuria et maxime pauperibus, per eos agendum esset, ut saltem quarta pars bonorum ecclesiae assignaretur pauperibus et per magistratus distribueretur in pauperum usus, cum clerus non sit fidelis dispensator etc.

[4.] Ecclesiae praelati pascant Christi oves non per vicarios etc.

De residentia praelatorum expresse continetur in sacra scriptura. Christus enim dicit [4]: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos;* et alibi Petro dixit [5]: *Pasce oves meas.* Similiter Paulus [6]: *Dominus ordinavit eis, qui evangelium annuntiant, ut de evangelio vivant.* Qui non residet, non laborat, non annuntiat evangelium, non pascit oves, nullum ministerium agit, quod sit proprium ministri religionis [d]; imo contra legem Dei est, | quod qui non annuntiat [e], 141v vivat de evangelio. Nec satis est, quod habeat possessionem beneficii a papa, ut licite accipiat bona ecclesiae, quod humana lex non potest contra Dei legem, nec vero sufficere illi hoc, quod communiter dicitur, quod satis est illi canonicas horas persolvere. Nam cum beneficium sit publicum munus, opus est, ut non private, sed in ecclesia exequatur illud. Hinc fit, quod nihil melius posset statui pro ecclesiasticorum residentia, quam quod saeculares principes resisterent praelatis, non dando illis bona temporalia, qui [f] non resident, et quando non ministrant, quia populus non tenetur alere nisi eos, qui sunt ministri opere et opere pascunt gregem Christi per seipsos, quia non est satis ministrare per vicarios. Non tamen est in dubium vertendum, quod [g] papa possit in aliquo casu dispensare in residentia; sed non dispensandum est pro quacunque causa nec universaliter cum omnibus; tunc enim rationabilis [est] causa dispensandi in residentia et pluralitate beneficiorum, cum melius est magisque expedit ecclesiae, quod praelatus non resideat, quam quod resideat, et cum etiam est utilius ecclesiae, quod unus habeat plura beneficia, quam quod habeat unum. Quodque raro ista contingunt, tam frequentes [h], quae apparent, dispensationes sunt dilapidationes, quia in his non tam attenditur, quod magis expedit bono communi ecclesiae, quam quod convenit alicui particulari personae.

[5.] Quibus conferenda maiora beneficia.

In concilio Lateranensi definitum est [7], quod *circa personas sublimes et literatas, quae maioribus dignitatibus sunt honorandae, cum ratio postulaverit,* papa possit dispensare

[a] *cod.* Christus [b] *supra lin., del.* videlicet, *quod tamen meliorem dat sensum.* [c] *cod.* expectet [d] *Supple* mercede non est dignus [e] *cod. add.* est [f] *cod.* quin [g] *cod.* quando [h] *cod.* frequenter

[1] Ex. gr. *1 Cor.* 16, 1 sqq. — Totum cap. 2 et cap. 3 conferas cum « Consilio » c. 53, *Le Plat* V 228.

[2] L. c. c. 16, *Friedberg* I 682.

[3] *Migne gr.* 58, 761 sq.

[4] *Matth.* 28, 19.

[5] *Io.* 21, 17.

[6] *1 Cor.* 9, 14.

[7] Conc. Lat. IV c. 29, in Corpore iuris c. 28 X de praeb. III 5, *Friedberg* II 478.

circa pluralitatem beneficiorum. Aliqui interpretantur hoc concilium et dicunt, quod ratio [a] sufficiens dispen[san]di est nobilitas aut eruditio, quod non dicitur ex verbis concilium, imo 142r oppositum. Nam ratio, quod alicui conferatur maius beneficium, est nobilitas | aut eruditio, quia praesumitur, quod isti utilius laborabunt in ecclesia, quia [b] sunt digni duplici honore, ut dicit Paulus [1]; non tamen ex hoc infertur, quod sit ratio sufficiens, ut dentur alicui duo aut plura beneficia, nisi sit maior utilitas ecclesiae, quod innuit textus, cum ait: *si ratio postulaverit.*

[6.] Bona ecclesiae distribuenda sunt universo clero.

In lege Moysi [2] distribuebantur decimae omnibus sacerdotibus et Levitis, itaque omnes erant participes decimarum, unusquisque iuxta gradum suum; et tribus Levi non accepit inter alias tribus sortem. Haec omnia iam sunt evacuata, quia in figura contingebant illis [3], et sic in lege evangelica licitum est clero, possidere agros et similia, et christianus populus licet teneatur alere ministros evangelii secundum legem divinam, non tamen tenetur solvere decimas secundum divinam legem, et ubi solvuntur, secundum legem humanam dantur, qui obligat eos, a quibus est recepta. In lege ergo evangelica oportet [c] servare istam aequitatem, ut bona ecclesiae dividantur inter eos, qui sunt de clero, ita ut, cum primo aliquis ordinatur, statim sit particeps bonorum ecclesiae, sicut est particeps libertatis ecclesiae, et unusquisque in suo gradu honoretur. Et tollerent[ur] tituli beneficiorum, ex quibus oriuntur plures lites circa beneficia ecclesiastica quam circa bona temporalia, quia circa beneficia, ex quo sunt distincta, vix possunt numerari contractus, licet quasi-contractus [sint]. Sunt enim in beneficiis postulationes, praesentationes, electiones, collationes, confirmationes, renuntiationes, permutationes, resignationes, pensiones, fructus, regressus, reservae, exspectativae aut gratiae et alia plura, quae sic appellantur. Expediret ergo, ut, qui modo inventi sunt in sacris ordinibus, alerentur ab ecclesia, quod sunt de clero, et deinceps qui ordinabuntur, reciperentur ad bona ecclesiae. |

142v [7.] Quod gratis accepistis, gratis date [4].

Mirabile est, quod de episcopis conqueritur ecclesia, quod ipsi et eorum officiales et notarii pro ordinatione accipiunt aliquid, et non conqueritur ecclesia de papa, quod pro ordinatione, pro confirmatione, pro dispensatione finaliter non potest reperiri unum, pro quo papa aut eius officiales non accipiant pecuniam, et quia papa vendit officia, ipse accipit pecuniam. Opus [est] ergo, ut papa det gratis, quod gratis accepit; opus etiam, ut non vendat officia nec accipiat [d] pecuniam pro confirmatione episcoporum nec pro consecratione nec pro dispensatione nec pro aliquo negotio ecclesiastico. Cum enim certum sit, secundum evangelium licere ministris evangelii recipere et vivere de evangelio, non tamen licet illis, ultra necessaria imponere populo alia onera. Si enim papa non advocaret ad se tot negotia, non indigeret tot ministris, et si non venderet officia, non exigerent notarii tantum pretium pro charta et similibus. Expedit ergo, ut episcopi, maxime papa, sint contenti suis stipendiis et nihil amplius exigant quam ea, quae constituta sunt a patribus, qui gratis dabant, quae et ipsi gratis acceperant per potestatem clavium. Cum enim clerus ultra moderatum stipendium exigit pecuniam pro quacunque administratione spirituali et ecclesiastica, non potest non habere speciem [e] mali, quod non gratis dat, quod et ipse gratis accepit.

[8.] Nullum beneficium sit sine servitio [5].

Humana lege constitutum est, quod sint quaedam beneficia compatibilia, quaedam incompatibilia; quaedam habent ministerium annexum, quaedam nullum habent ministerium. Ista distinctio beneficiorum credendum est, quod fuit iusta, et ecclesia habuit iustam et legitimam causam dividendi sic beneficia. Quae causa, si quae fuit, modo non militat. Nam beneficia, 143r quae servitia non habent, destruunt | modum et ordinem reipublicae ecclesiasticae. Nam illa beneficia, quae non habent servitia aut minora servitia, communiter habent maiores redditus quam illa, quae habent maiora servitia; et a beneficiis, quae habent annexa ministeria, auferuntur redditus, et faciunt [!] beneficia sine ministerio, et ille, qui laborat verbo et doctrina, minus habet de honore quam ille, qui non laborat. Expediret ergo, ut in Christi ecclesia omnes, qui habent beneficium, haberent aliquod ministerium publicum annexum.

[a] *corr. ex* non [b] *cod.* r[illegible] *i. e.* ratio, *quod destrueret constructionem* [c] *cod.* epum [d] *cod.* accipiant [e] *cod.* spem

[1] Cfr. *I Tim.* 5, 17.
[2] *Num.* 18, 20 sqq.; *Ios.* 13, 14.
[3] Cfr. *I Cor.* 10, 11.
[4] *Matth.* 10, 8. — Cfr. « Consilium » c. 56, *Le Plat* V 229.
[5] Cfr. « Consilium » c. 46, *Le Plat* V 226.

Nam beneficium propter officium datur. Illa etiam beneficia, quae habent annexum ministerium, propter papae dispensationem sunt sine ministerio, et sic bona ecclesiae consumunt[ur] per eos, qui non ministrant, nec sunt qui ministrant nisi mercennarii, quibus cum non detur iustum stipendium, a quibus substituuntur, imponunt onera populo et exigunt aliqua pro administratione sacramentorum. Unde fit, ut populus solvat duo stipendia, et non est, qui doceat Dei verbum.

[9.] Maiora beneficia dividenda.

Christus ⟨redemptor cum⟩[a] in illa parabola seminantis inquit[1]: *Semen aliud cecidit inter spinas et simul exortae spinae suffocaverunt illud*, ipsa veritas exposuit, quod sollicitudo divitiarum suffocat verbum Dei, quod iam videmus fieri in ecclesia Dei, maxime in clero. Nam qui habet maiores redditus et proventus in ecclesia, non ministrat per seipsum, sed per conductitios sacerdotes. Sunt enim tales occupati negotiis saecularibus et putant, quod magis aedificant Dei ecclesiam curando bona illius temporalia quam doctrina evangelica pascendo Christi oves. Expediret ecclesiae Christi, ut episcopatus, qui habent plures redditus, dividere[n]tur in duos aut plures, et per singulas civitates iuxta Pauli praeceptum[2] constituerentur episcopi; et similiter beneficia, quae | habent maiores redditus, dividerentur in plura, 143v et sic ecclesia haberet plures ministros et meliores. Nam divitiae suffocant verbum Dei etc.

[10.] Canonicorum munus infimum in ecclesia.

In maioribus ecclesiis, quas cathedrales vocant, in quibus sunt sedes episcopales, et in aliis ecclesiis collegiatis sunt clerici, quos canonicos vocant, qui parum aut nihil aedificant in ecclesia. Nam eorum officium est cantare in choro[b] et ad hoc etiam quaerunt conductitios ministros, et isti canonici habent maiores redditus quam parochi, quibus incumbit ministratio verbi Dei et sacramentorum. Hoc expresse est contra iustitiam et destruit Christi ecclesiam. Expediret ergo, ut canonici omnes essent viri eruditi in sacris litteris et studiosi, et quod eorum officium esset Dei verbum annuntiare etc.

[11.] Parochi praeferendi canonicis.

Inter ministros religionis christianae episcopi tenent primum locum, et secundum tenent presbyteri, qui appellantur parochi, qui sunt coadiutores episcoporum ad pascendas Christi oves, et isti sunt in minori pretio quam canonici in ecclesia; canonici enim honoratiores habentur. Expediret, quod parochi essent viri literati ad docendum populum, et ad hoc oporteret ipsos habere maiora beneficia, quam canonicos constat habere; et iuxta populi frequentiam in una ecclesia essent plures parochi, qui per[c] suas vices aut simul populo ministrarent etc. |

[12.] Praelati non idonei deponendi ab officio. 144r

Illi, qui non sunt idonei ad evangelii administrationem, in perniciem christianismi creantur praelati. Quod quidem etsi malum sit, tamen, postquam ad dignitatem ecclesiasticam sunt assumpti et eorum insufficientia omnibus nota est, sequitur aliud malum etiam peius priori, quod sc. ab ecclesia tolerantur; cedit enim in magnam iacturam ovium Christi et in infamiam non minimam ecclesiae. Nam respublica civilis non crearet huiusmodi homines in minores magistratus, quales ecclesia habet in maioribus dignitatibus. Nec tamen ipsi promoti ad talem dignitatem quoquo modo excusari possunt, quia eorum culpa est proveniens[d] ex malitia; oportebat enim eos dare operam, ut post susceptum onus ecclesiasticum fierent idonei ad tantum munus, ad quod indigni et contra iustitiam assumpti sunt. Ex eo enim, quod isti non deponuntur ab officio, manifestatur peccatum gravissimum acceptionis personarum eorum, quibus incumbit ex officio tales deponere, quia magis consulere volunt honori illius indigni quam honori Christi et ovium utilitati. Tales ergo expellendi essent ab ecclesiasticis dignitatibus cum ignominia, quia isti sunt, qui Christi gregem dispergunt, cum prorsus ignorent congregare eundem cum Christo. Non sic divus Ambrosius, qui cum invitus[e] creatus esset episcopus et esset eruditus in humano iure, ut fieret idoneus ad gubernationem episcopatus, sic dedit operam sacrae scripturae, quod evasit doctor celebris ecclesiae Christi[3].

[13.] In diebus festis clerus populusque fidei doctrinae det operam. 148v

Inter ministrorum religionis christianae munera praedicandi munus primas obtinet, *I Cor.* 1, [17]: *Non enim misit*[f] *me Christus baptisare, sed evangelizare.* Per ista verba Paulus[g]

[a] *Sic legendum esse puto; cod.* R. enim [b] *cod.* clero [c] *cod.* pro [d] *cod.* perveniens [e] *cod.* invictus [f] *cod.* missum [g] *cod.* Pauli

[1] *Luc.* 8, 7. — Cfr. « Consilium » c. 57, *Le Plat* V 229.
[2] Cfr. *Tit.* 1, 5.
[3] Cfr. vitam S. Ambrosii operibus eius praemissam n. 16 sq. *Migne* 14, 79 sqq., et quae ipse De off. l. I c. 1 (*Migne* 16, 27) narrat.

non negat se esse missum ad baptizandum, nam ad apostolorum officium utcunque pertinet,
149r *Matth.* ultimo [28, 29]: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc., sed his verbis | praefert munus praedicandi aliis ministeriis aliisque muneribus religionis. Nam et ipse Paulus baptizavit aliquos, ut *1 ad Cor.* 1, [16] patet: *Baptizavi*, inquit, *et Stephani domum*, tamen evangelii praedicatio principalius erat illis iniuncta. Sed hoc opus iam non tanti fit in ecclesia, quia beneficia ecclesiastica distribuuntur discolis et indoctis, quibus nec est eruditio ad doctrinam nec, ut decebat, mores, et sic pauci exequuntur officium praedicandi evangelium, ut par erat. Hinc est, quod oriuntur multa mala quotidie in ecclesia et in republica. Nam ad ministerium ecclesiae putant hi satis idoneum esse eum, qui novit cantare et utcunque scit legere, cum istis (quae tamen non sunt reprobanda) doctrina semper sit praeferenda. Unde cum hac de causa non desint cantores, non deessent certe theologi, si et illis beneficia conferrent; honor enim alit artes. Deinde, cum hoc munus in religione sit supremum, est etiam maxime necessarium, ad *Rom.* 10, [14 sq.]: *Quomodo audient sine praedicante, et quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Christus, quos misit ad praedicandum gentibus, ipse docuit, et ut ostenderet, quod ad hoc ministerium non sufficit eruditio vulgaris, praecepit illis, ut non illud exequerentur, donec super eos veniret Spiritus Sanctus, qui eos omnem veritatem doceret [1], sicut dicit Paulus [2]: *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Oportet ergo, ut papa et ceteri ecclesiae praelati, qui ecclesiae beneficia distribuunt, prius doceant eos faciantque idoneos ad praedicandum, quoniam cantare infimum munus est, imo nec est proprium ministrorum ecclesiae, sed omnium christianorum. Quod si populus christianus statutis diebus religiose vacat ab operibus servilibus et agit sabbatum, illis tamen diebus pauci vacant Deo, ut oportebat, sunt enim dies festi instituti, ut hi, qui implicati sunt negotiis saecularibus, festivis diebus ab illis abstineant, ut fidei doctrinae dent operam in ecclesia, quia non nascuntur christiani, sed fiunt, et prima introductio ad christianismum est cathecismus, qui in illis, |
149v qui baptisantur in aetate adulta, baptismum debet praecedere, secus in his, qui ante rationis usum sunt baptizandi, in quibus sequitur cathecismus baptismum. Videant ergo ecclesiae praelati, quomodo, quando et ubi et per quos cathechizantur, qui ante usum rationis perceperunt baptismum. Pernecessarium est enim, ut populus instanter et perseveranter doceatur, quia cum sit intentus negotiis plurimis, minor est ad fidem sensus. Non autem instruendus est solum, ut credat, sed ut operibus fidem manifestet, quam tenet. Nam concionatoris officium est et docere et animum auditoris movere. Expediret ergo ecclesiae, ut suis ministris munus praedicandi per praeceptum imponeretur, et qui semel aut bis hoc non exequeretur festivis diebus, a gradu ecclesiae deponeretur. Expediret similiter, ut populo praeciperetur conciones audire, ut sciret per hoc recte diem festum observari, nec satis sibi esse missam audire, sed necessarium esse fidei doctrinam; utrumque enim est necessarium, missam videlicet et concionem audire. Nam in missa repraesentantur et traduntur divina ministeria non per modum doctrinae, quia nec fidelibus praecipitur missam audire, ut per illam doceantur, sed ut mente contemplentur mysteria divina, quae tanto a fidelibus devotius et attentius contemplantur, quanto illis magis latent illa mysteria. Nocet autem maxime abusus hic christianis, scil. quod populus diebus festivis culpa sua et incuria defectuque cleri non vacat doctrinae fidei. Nocet et reipublicae; nam pauperes fiunt pauperiores, quod quidem tollerandum esset, si hac de causa fierent meliores vacando Deo diebus illis, quibus cessant ab operibus servilibus, sed fiunt deteriores, quoniam ebrietatibus et commessationibus operam semper indulgent faciuntque maiores sumptus, quam sint lucra atque proventus totius hebdomadae; cumque otiositas nimis in dies augeat malitiam, inimicitiae et seditiones his diebus foventur in populis, quae omnia et pacem et tranquillitatem perturbant reipublicae [3].

III.

Supremum concilium supremam exigit libertatem.

146r Haud unquam apud fideles de conciliorum fuit authoritate dubitatum. Nam quamvis divina scriptura culmen obtineat authoritatis, tamen et generalia et legitime celebrata concilia primas post sacram scripturam in ecclesia semper obtinuerunt [4], ut de illis quatuor celebratissimis conciliis, scil. Niceno, Constantinopolitano, Ephesino et Calcedonensi constat, quae omnium consensu ecclesiarum sunt et recepta et approbata, et non solum illa, sed etiam

[1] Cfr. *Io.* 16, 13.
[2] *2 Cor.* 3, 6.
[3] De huiusmodi vitiis cfr. *Ianssen-Pastor*, Gesch. des deutschen Volkes VIII 256 sqq.
[4] Cfr. « Consilium » c. 26, *Le Plat* V 220.

alia generalia concilia sunt recepta, quae celebrata sunt secundum formam et regulam illorum priscorum conciliorum. At concilia, quae non sunt celebrata iuxta antiquorum normam conciliorum, non sunt ab universali ecclesia recepta; et inter multa, quae in priscis a patribus observata sunt conciliis, hoc est unum in primis, quod sit liberum concilium. Haec autem libertas, quae in antiquis erat conciliis, et in praesenti concilio exigitur [1], ut ab universali ecclesia acceptetur et approbetur, multa concernit:

P r i m o, quod in concilio sit libertas proponendi et inquirendi ea, quae ad fidem et mores pertinent. Non enim papa aut eius vicarii praescribere debent numerum, qualitatem et materiam eorum, quae in concilio proponenda sunt, maxime circa fidem et mores, cum in istis duobus sit summa christianae religionis et circa ista duo concilium habeat censendi potestatem. Haec omnia divina authoritate et ecclesiae traditione constant. Nam *Act.* 15, [5] simul cum Paulo et Barnaba ascenderunt Hierosolimam illi, qui affirmabant circumcisionem cum baptismo esse necessariam; *surrexerunt quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderunt,* quod sine circumcisione non poterant salvari; *convenerunt apostoli et seniores*: ecce | congre- 146v gatio concilii; facta est inquisitio magna: ecce quomodo haeretici in concilio sunt audiendi, etiamsi proponant et confirment argumentis errores, quibus pertinaciter adhaerent. Hoc factitatum fuit postea in conciliis. Nam Arius et eius sectatores in concilio Niceno proposuerunt sua falsa dogmata et nitebantur ea confirmare authoritate et ratione; idemque factum est in sequentibus conciliis, imo ad hoc congregatur concilium, ut lites, quae circa fidem et mores insurgunt, dirimantur. Concilium enim agit iudicem, iudex autem sine praevia litigantium allegatione et sine causae cognitione non potest ferre sententiam legitime. « At de illis (dicet aliquis), quae semel in conciliis definita sunt, non est fas, ut in controversiam veniant, nec quod iterum definiantur ». Fateor; tamen si haereticus aut philosophus, quae fidei sunt, calumniatur, quid agendum sit animadvertamus, iuxta Petri et Pauli sententiam *1 Petr.* 3, [15]: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe* et fide; et ad *Titum* 1, [7 sqq.]: *Oportet enim episcopum* (sententiae usque ibi) [a] *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sane* [!] *et eos, qui contradicunt arguere*. Haec enim, quae ab apostolis praecipiuntur, scilicet reddere rationem fidei, exhortari et arguere contradicentes, illis convenit, quos Deus dedit ecclesiae pastores et doctores, et si hoc ad episcopum pertinet, multo magis, quando episcopi sunt legitime congregati in concilio, cui Deus assistit speciali modo, ne in illis, quae sunt fidei et morum, possit errare concilium.

In concilio ab apostolis celebrato Hierosolimis *Act.* 15, [28 sqq.] non solum de fidei dogmatibus definitum est, sed etiam de moribus; praecipitur enim ibi, ut abstineant [se] a fornicatione, et sic ad concilium etiam pertinet determinare de moribus. Unde, si est lis et controversia de moribus, ad concilium etiam pertinet definire | de illis, quia, sicut fidei est 147r reddenda ratio a concilio, ita etiam et morum, et cum generale concilium sit supremum ecclesiae concilium, ad ipsum sunt referendae omnes causae, et nulla causa est excipienda ab illo. Nam si est aliud superius concilium, ubi definiendae sunt causae fidei et morum, quid opus est congregare concilium generale, in quo congregando tanta est difficultas, ut vix possit plenum congregari. Omitto alia, quae magnam afferunt difficultatem in hac re. Concilium ergo generale oportet quod sit liberum quantum ad hoc, quod, sicut lites fidei de Christi divinitate et de sacramentorum virtute et efficacia deferuntur ad ipsum, ut in eo definiantur, ita omnes lites, quae oriuntur de papae potestate et aliorum ecclesiae praelatorum et de saecularium principum potestate, quae ad religionem pertinent, sunt deferendae ad concilium nulla causa excepta, ut in eo a patribus definiantur, quia hoc est religionis christianae supremum concilium esse.

S e c u n d o libertas in concilio requiritur in conferendis suffragiis. De Christo enim dictum est: [2] *Non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominis*. Haec enim est summa libertas in conferendis suffragiis, ut nullius respiciatur persona neque papae neque imperatoris, sed tantum iustitiae et aequitatis habenda est ratio. Et huic libertati in conferendis suffragiis non obstat iuramentum neque obedientia episcoporum, quibus addicti sunt et astricti papae. Nam papa non praecipit contra fidem et contra bonos mores, et si praeciperet, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis neque obedientia, episcopi non tenentur papae obedire in illis, quae sunt contra iustitiam, et sic ad bonum ita liberi manent

[a] *Haec verba auctoris per errorem amanuensis in textum videntur esse introducta.*

[1] Cfr. supra p. 615

[2] *Matth.* 22, 16.

147ᵛ post iuramentum, sicut erant, antequam iurarent; nec est reus periu|rii neque [in]obedientiae, qui contra praeceptum pro iustitia et aequitate confert suffragium.

T e r t i o: Libertas, quae in concilio requiritur, est libertas in diffiniendo, *Act.* 15, [28]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Hoc verbum *nobis* ecclesiam Dei repraesentat, quae una est in orbe terrarum, et in multitudinis numero significatur ecclesia, quia non in uno solo, sed in multis est, etiam si ille unus sit papa. Sic tamen ecclesia est in pluribus, quod est una congregatio fidelium, et haec est Christi corpus. Sic concilium debet definiendo dicere: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Non dicit: « Visum est Spiritui Sancto et papae et nobis », quia papa non est aliquis distinctus et separatus ab ecclesia. Unde in concilio legitime congregato oportet, quod sit papae authoritas ita, quod vel ipse sit praesens vel eius vicarii, ut in concilio Nicaeno et in aliis conciliis generalibus, quorum nullum celebratum fuit sine vicariis Romani episcopi. Illa tamen concilia fuerunt generalia ecclesiam Christi repraesentantia, et in definiendo ea, quae ad fidem et mores pertinebant, non miserunt ad personam papae, quia satis erat legatorum papae potestas ad definiendum, et ad continuandum concilium [a] non miserunt ad papam, quia sufficiebant legati papae, et ad consumandum concilium non petierunt, ut papa faceret eis copiam finiendi concilium, quia satis erat legatorum authoritas ad omnia haec perficienda. Hanc ergo libertatem definiendi, quam habuerunt illa sacra concilia, hoc Tridentinum concilium desiderat. Quam si haberet et hoc schismaticis et haereticis innotesceret, haud dubium, quin ad concilium venirent. Et quia hanc libertatem istis in temporibus non habent concilia, ab haereticis contemnuntur, et inter catholicos oritur contentio de conciliorum authoritate, unde concilii Tridentini laborat authoritas, quia ultra definitionem concilii requiritur papae confirmatio [1]. Debet enim esse tanta authoritas generalis concilii, quod ea, quae definita | sunt in prima sessione, sint firma, etiamsi non sequatur secunda sessio.

148ʳ

Q u a r t o: Libertas, quae desideratur in concilio istis calamitosis in temporibus est, quod habeat concilium liberam et plenam potestatem reformandi ecclesiam tam in capite quam in membris. Hanc autem potestatem corrigendi papam esse apud ecclesiam, quia nondum definitum est, non attribuo generali concilio. Nunc autem desideratur ab ecclesia Christi sponsa, ut papa, qui est Christi vicarius et minister et servus ecclesiae, subdat se iudicio universalis concilii amore illius, cuius vicarius est, et exemplo eiusdem, de quo *1 Petr.* 2, [22 sq.]: *Qui peccatum non fecit*, et infra: *Tradebat autem se iniuste iudicanti.* Sic Leo IV pont. max. imitatus est Christum; qui voluit iudicari a legatis Ludovici imperatoris, ut [b] G r a t i a n u s C. 2 q. 7 c. [41]: [2] *Nos si incompetenter aliqui degimus et in subditis iustae legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum* [c] *cuncta volumus emendare iudicio, quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, peiora* [d] *committimus certe non veritatis discipuli, sed, quod dolentes dicimus, erimus prae ceteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestrae magnopere clementiam imploramus, ut tales ad haec, quae diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, et cuncta, quemadmodum si praesens fuisset vestra imperialis gloria, diligenter exquirant, et non tantum haec sola, quae superius diximus, quaerimus, ut examussim exagitent, sed minora sive maiora etiam illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ex eis indiscussum vel indefinitum remaneat.* Haec refert Gratianus de Leone IV pont. max. De isto enim vere possimus dicere [3]: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.* Quid enim ma|gnum faceret summus pontifex, si submitteret se iudicio generalis concilii, ut schismaticos et haereticos congregaret ad fidem et ecclesiae unitatem, quando Christus Dei filius crucis tormentum subire dignatus est, ut filios Dei congregaret [4]. Haec enim esset certior via reducendi omnes ad unam fidem, essetque hoc Deo gratissimum et angelis iucundum hominibusque valde officiosum, cunctis saeculis memorandum laudandumque, nec a quoquam humanius tractaretur Christi vicarius nec magis honoraretur quam a Christi ecclesia, si subiiceret se generalis concilii iudicio.

148ᵛ

Et si Leo papa subdidit se imperatori, non tamen fuit ex necessitate alicuius legis, sed potius, ut dicit G r a t i a n u s [5], *ex humilitatis dispensatione*, hoc est ex bono et aequo, quod

[a] *cod. add. iterum* concilium [b] *cod.* et [c] *cod.* admissorum nostrorum [d] *cod.* maiora

[1] Cfr. « Consilium » c. 9, *Le Plat* V 217.
[2] *Friedberg* I 496.
[3] M i s s. R o m a n u m in Epistola et in Graduali missae *Statuit* in Communi confessoris pontificis; B r e v i a r i u m R o m a n u m in Laudibus Communis confessoris pontificis.
[4] Cfr. *Io.* 11, 52.
[5] L. c. supra adn. 2.

quidem est supra legem et melius quid, quam servare legem. Sic papa ad consulendum saluti fidelium in tanto periculo constituta ecclesia melius faceret, si ex aequo et bono subderet se oecumenico concilio, quam si, ut consulat authoritati pontificiae, velit se esse liberum a concilii iudicio. Omnes tamen tam catholici quam haeretici non *ex humilitatis dispensatione*, sed divinae legis necessitate in omnibus, quae ad fidem pertinent, etiam papa ipse, tenentur subiicere se oecumenici concilii legitime congregati definitionibus, quia una est ecclesiae fides, quam oecumenicum concilium confitetur [1].

[1] Cetera omnia, quibus auctores libelli Caesarei usi sunt, scripta, quia iam edita, brevitatis causa praetermittere cogimur. Sunt autem illa:

a) Responsa Ferdinandi I imperatoris circa concilium indicendum, *Conc. Trid.* VIII 39-51 (26. Junii 1560); 79-85 (9. Oct. 1560); cfr. *Eder* l. c. 43 sqq.

b) Consilium de emendandis monasteriis (Aug. 1561), quod deperditum est. *Sickel*, Das Reformationslibell 24 sqq.; *Eder* l. c. 86 sqq.

c) Deliberatio de instauranda religione in archiducatu Austriae, facta ab ep. Merseburgensi Michaele Helding et archiepiscopo Pragensi Antonio Brus, Staphylo formam praestante ineunte Sept. 1561. Ed. *I. G. Schelhorn*, Amoenitates hist. eccl. et lit. II 616-678 sub nomine Staphyli; cfr. *Eder* l. c. 90 sqq. Cuius « Deliberationis » summarium pro commoditate lectoris in fine huius adnotationis dabimus.

d) Fridericus Staphylus, Ratschlag an Pabst Pium IV. wegen Fortsetzung des Trientischen Concilii, Sept. 1561 exeunte. Vide supra n. 78.

e) Votum episcopi Gurcensis et D^ris Georgii Gienger, una cum voto Cordubensis Caesari transmissum ante 24. Aprilis 1562, nunc deperditum. Cfr. *Eder* l. c. 174 sqq.

f) Duo vota Cithardi ord. Praed., confessoris Caesarei, et Georgii Seldii vicecancellarii, mense Aprile exeunte. Ed. a *Sickel*, Das Reformationslibell 46-56; cfr. *Eder* l. c. 178 sqq.

Adnecti hic liceat Summarium « Deliberationis » (supra sub *c*) ex Hannoverano Arch. status *Erskin'sche Sammlung Cal. Br. 32 I n. 107* f. 5^r:

Scriptum, in quo enumerantur defectus in doctrina religionis et cultu divino, item in vita et moribus, postremo in administratione bonorum ecclesiasticorum.

Consulitur de remediis: 1. *ut procuretur editio bibliorum iuxta interpretationem Septuaginta;*

2. *ut in concilio conscribatur certa methodus christianae doctrinae confutatis adversariorum opinionibus;*

3. *ne contra devios summo rigore iuris procedatur;*

4. *Procuretur, ut coniugati possint ad sacerdotium promoveri;*

5. *item ut sacramentum altaris administretur petentibus sub utraque;*

6. *ut proponantur quaedam cantilenae Germanicae plebi in templo cantandae.*

7. *Proponatur parochis cum autoritate pontificis seu Caesaris certa forma catholicae doctrinae, a qua non recedere audeant.*

8. *Exterminentur ii, qui noluerint oboedire, et sumatur alius praetextus, si opus fuerit.*

9. *Interim dum alii idonei reperiuntur, unus catholicus parochus praesit pluribus ecclesiis.*

10. *Diligentia adhibeatur aliquos parochos minus obstinatos in viam reducendi et Viennam ea gratia ad aliquot mansuetiores theologos vocandi.*

11. *Instituatur schola theologica ad numerum 80 scholasticorum iustae aetatis.*

12. *Edatur catalogus autorum, qui parochis legendi sint.*

13. *Praescribatur ludimagistris, quos libros in religione pueris praeponere debeant.*

14. *Exterminentur professores sectarii ex academia Viennensi.*

15. *Erigantur plures episcopatus in Austria.*

16. *Sumptus remittantur Maiestatis Sacrae arbitrio.*

17. *Frequententur deinde visitationes ecclesiarum, item synodus tam dioecesanae quam provinciales.*

18. *Edatur doctrina de sacrificio missae.*

19. *Item ratio illustriorum rituum ecclesiasticorum.*

20. *Restituantur pedetentim illi ritus.*

21. *Coerceatur ebrietas sacerdotum, luxus in vestibus et vagae libidines.*

22. *Conniveatur ad coniugium a sacerdotibus contractum.*

23. *Indagentur iura eorum, qui se advocatos parochiarum esse iactant, et circumscribantur illa iura ad certos limites, vel si nulla sunt, illi repellantur.*

Cfr. etiam *K. Eder*, Glaubensspaltung u. Landstände im Österreich ob der Enns 1525-1602 (Linz 1936) 91 sqq.

97.

Reformatio ab Hispanis concepta Tridenti sub Pio IV [a] [1].

[ante 6. Aprilis 1562].

Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 49* f. 42^r-54^r, cop. coaeva

I. Petitiones communes. II. Articuli archiepiscopi Bracharensis. III. Articuli cuiusdam praelati Hispanici. IV Articuli episcopi Dertusensis.

[I. Petitiones communes]

Cod. Neap. IX A 49 f. 42^r

[1.] Ut regulae cancellariae, quae omnibus pontificibus paucis immutatis renovantur, perpetuae fiant et nullam varietatem obtineant. Illae vero, quae ad alicuius incitationem ob commodum privatum emanant, nullas vires habeant [2].

[2.] Confidentiae omnes beneficiorum et pensionum tollantur neque unus pro alio nominetur aut fructus aliquos exigat sub poena amissionis ipso facto omnium beneficiorum et officiorum, et fiat ad alia obtinenda inhabilis tamquam vere simoniacus. Et contra eos, qui transferunt in alios ius confidentiae propter aliquod commodum severe procedatur [3].

[3.] Datae parvae [4] tollantur et resignationes in favorem certae personae cum pactis et reservationibus, et confirmationes concordiarum in beneficialibus nisi ex gravissima causa.

[4.] Tollantur omnes compositiones cum datario, sive propter dispensationes, quae ex iusta causa gratis fieri debent, sive propter absolutionem, ut ⟨propter multam peccatorum⟩ [b],
43^v ne videatur vendi absolutio, sive aliae om|nes, quae piis hominibus sunt offendiculo, totaque illa datarii nundinatio (si numeres, dabo) [c] penitus amoveatur [5].

[5.] Dentur coadiutoriae prout de iure sine futura successione. Non dentur regressus neque accessus neque mandata sive reservationes tam mentales quam aliae quaecumque, non aliae gratiae ad vacatura, non etiam exspectativae sub qualicumque [d] forma aut nomine, quae lites nutriunt et hominum causa, non ecclesiarum introductae sunt [6].

[6.] Tollantur omnia genera reservationum beneficiorum, etiam illa, quae iuris adminiculum obtinent, ut de vacanti apud sedem vel exsecrabilis vel de mente [e] vel affecto vel commendato, sive quocumque alio nomine nuncupentur [7].

[a] *Inscriptio manu propria Seripandi* [b] *Scripta alia manu alioque atramento* [c] *add. alia manu alioque atramento* [d] *cod.* qualiacunque [e] *cod.* mense

[1] Iam mense Ianuario 1562 episcopis Hispanis a legatis erat mandatum, ut articulos reformationis colligerent, Papiers d'état de Granvelle ed. *Ch. Weiss* VI 510. Qui tamen inter se non concordarunt, *Šusta* II 40, ita ut episcopus Dertusensis, qui Simonettae cardinalis partes secutus a ceteris nationis suae praelatis dissentiebat, alios conficeret articulos (vide infra partem IV). Non solum autem ii, sed illi quoque articuli, qui parte III continentur, a praelato Hispano separatim videntur esse collecta; qui tamen non Salmanticensis fuit, ut opinari quis posset, quia saepius ille quoque episcopus a ceteris Hispanis dissentiebat sicut Dertusensis, adhaeret enim, ut art. 23 testatur, sententiae residentiam episcoporum esse iuris divini, quam Salmanticensis impugnabat, *Šusta* II 90; *Conc. Trid.* II 638. Nescimus ergo, quis eos collegerit. Quod partem II attinet, facile fieri potuit, ut Bracharensis Lusitanus articulos suos Hispanorum articulis adiunxerit, et hanc fuisse rationem putarim, cur ex uberrimo reformationis libello plures non excerpserit articulos.

Petitiones Hispanorum a cardinale Simonetta die 6. Aprilis 1562 Romam missi, ceteris legatis, ut videtur, nescientibus, pontifici valde displicuerunt, *Šusta* II 71. 91, ut etiam ex glossis marginalibus apparet, quos parti eorum adiecit, cum per Fridericum Pendasum articulos quosdam reformationis Tridentum tractandos misit 3. Maii 1562, *Šusta* II 107 et 113 sqq.; qui tamen articuli omnes fere ex petitionibus Hispanorum erant desumptae.

Nos pro maiori lectorum commoditate adnotabimus primo articulos, qui cum illa « Riforma Romana » conveniunt, quam Pendasus mense Maio ineunte Tridentum portavit; secundo glossas pontificis ad singulos huius « Reformationis Romanae » articulos, quae in eodem codice Neapolitano *IX A 49* f. 9^r-18^r in margine illis sunt adscriptae, non tamen ut *Šusta* II 113 putavit, manu cardinalis Seripandi, sed Vopisci eius secretarii, qui domini sui manum optime imitari didicerat.

Meminisse liceat nonnullos articulos Hispanorum ab archiepiscopo Bracharensi esse insertos collectioni suae de reformatione, quam sub inscriptione « Varia statuenda ab aliis scilicet patribus proposita et a fr. Bartholomaeo collecta atque notata » legis inter eius Opera omnia II 391-396. Ab articulo 12 incipiendo omnes fere cum his articulis Hispanorum paucis mutatis conveniunt; propterea illos omisimus. Alias Hispanorum petitiones infra exhibebimus.

[2] Art. 1 = Riforma Romana art. 85. Glossa pontificis: *Istud capitulum et omnia sequentia pertinent ad S^tem S. et per ipsam providebitur opportune.*

[3] Art. 2 = Riforma Romana art. 1. Glossa pontificis: *Fiet hic Romae.*

[4] Vide supra p. 238 adn. 3. — Art. 3 = Riforma Romana art. 86. — Glossa pontificis ut supra ad art. 1; item ad art. 4-7 et 10, 12, 13.

[5] Art. 4 = Riforma Romana art. 87.

[6] Art. 5 = Riforma Romana art. 88.

[7] Art. 6 = Riforma Romana art. 89.

[7.] Et fiat unica tantum et certa provisio ad similitudinem provisionis ecclesiarum cathedralium, ut cessent lites beneficiales, ita ut sit certum, quae beneficia pontifex, quae vero ordinarii provideant, et possunt duae primae dignitates in cathedralibus et una maior in collegiatis ⟨aut duo canonicatus et praebendae in singulis cathedralibus et unica in collegiatis⟩ [a] certi designari, qui semper pontifici maximo reserventur, etiam si vacent | 44r sede Romana vacante. Cetera beneficia simplicia ad ordinarios tantum libere pertineant, exceptis patronatibus laicorum ex dotatione et fundatione vera et non per privilegium. Curata vero conferantur ab episcopis praemisso examine inter oriundos ex ea diocesi doctioribus et digrioribus, cui examini praesint certae personae ad id deputatae ab episcopo et capitulo singulis annis eligendi [1].

[8.] Tollantur omnes exemptiones personales et locales, etiam quorumcunque corporum et collegiorum, etiam capitulorum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, etiam regularium utriusque sexus, et redeant omnes ad plenariam obedientiam ordinariorum, etiam si ex immemorabili tempore vel ex fundatione vel ex concordia confirmatae a sede apostolica vel alio privilegio exceptae sint [2].

[9.] Decreta concilii Tridentini mandentur executioni etiam auctoritate apostolica [3].

[10.] Plur[al]itates ecclesiarum et beneficiorum, cum unum sufficiat ad victum unius personae, tolla[n]tur, neque super ea re fiat dispensatio, | 44v praesertim in duobus curatis, etiam si quis nobilis sit vel literatus [4].

[11.] Non proponantur personae incognitae ad ecclesias cathedrales, sed maxima diligentia fiat in examine vitae, morum et doctrina [5].

[12.] Gratis omnia expediantur concistorialia et non concistorialia ubique [6].

[13.] Cardinales praeter titulos suos censeantur inhabiles ad ecclesias quascunque et beneficia ecclesiastica et pensiones, sed habeant singuli certos et aequales redditus ex patrimonio S. Petri nullique regi aut nationi aut reipublicae sint addicti, sed ex omnibus nationibus optimi quique eligantur. Ita fiet, ut liberius consilium dent pontifici, et cessabit ambitio; numerus quoque eorum coerceatur, et resideant semper in Urbe [7].

[14.] Causae in prima instantia non educantur ex provinciis ad Romanam curiam, praesertim in beneficiis minoribus 24 aureorum summa et aliis rebus modicis, nec appellationes in eisdem admittantur [8].

[15.] Non ordinentur in Romana curia clerici vel laici sine litteris suorum episcoporum [9]. |

[16.] Omnes dispensationes committantur ordinariis, ut videant, si preces veritate nitan- 45r tur vel aliquod dicendum non fuerit expressum [10].

[17.] Concedatur ordinariis, ut in foro conscientiae absolvere et dispensare possint quoscunque etiam in casibus reservatis, etiam in irregularitate, etiam in incestuosis vel cum contrahentibus in voto simplici castitatis et religionis consumato matrimonio ita, ut maior poenitentiarius in foro conscientiae potest, praesertim super impedimentis occultis [11].

[18.] De matrimoniis clandestinis: adhibeatur a concilio certa forma, ut consensus annulletur nisi illa certa forma [b] fuerit observata [12].

[19.] Confessionalia et altaria non sunt passim concedenda [13].

[20.] Examinetur vita et doctrina eorum, qui praeficiuntur confessionibus ⟨a regularibus⟩ [c] de mandato episcopi, neque stetur simplici relationi praepositorum [14].

[a] *add. in marg.* [b] *del.* observetur [c] *add. in marg.*

[1] Art. 7 = Riforma Romana art. 90.

[2] Art. 8 = Riforma Romana art. 2. – Glossa pontificis: *Videtur satis provisum per concilium Tridentinum; tamen si aliquid videbitur providendum in hoc concilio, provideatur habita ratione (si legatis videbitur) privilegiorum ex fundatione et donatione et concessorum de iure communi vel consuetudine, cuius non sit memoria in contrarium.* — De hoc articulo et sequenti vide, quae Hist. Jahrbuch 54 (1934) 411 sqq. egimus.

[3] Art. 9 = Riforma Romana art. 3. — Glossa pontificis: *Mittentur executioni.*

[4] Art. 10 = Riforma Romana art. 91.

[5] Art. 11 = Riforma Romana art. 4. — Glossa pontificis: *Placet; pertractentur in concilio.*

[6] Art. 12 = Riforma Romana art. 92.

[7] Art. 13 = Riforma Romana art. 93.

[8] Art. 14 = Riforma Romana art. 5. — Glossa pontificis: *Provisum est iam per concilium Lateranense.*

[9] Art. 15 – Art. 62 conveniunt cum articulis 6-54 reformationis Romanae, sed ita, ut art. 49 ibi in duos dividatur, scilicet art. 40 et 41. Propterea nonnisi glossas adnotabimus. — Glossa pontificis ad art. 15: *Non ordinantur nisi curiales.*

[10] Glossa pontificis: *Provisum est in reformatione poenitentiariae.* Cfr. *Bull. Rom.* VII 193 sqq.; *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie II 1, 126 sq.

[11] Glossa pontificis: *Communicabuntur casus concessi religiosis per « Mare magnum ».* Quoad facultates cfr. *L. Mergentheim*, Die Quinquennalfacultäten I 69 sqq. Sed advertendum est, facultates, de quibus hic, pro solo foro interno impetrari.

[12] Glossa pontificis: *Placet.*

[13] Glossa pontificis: *Non concedentur passim.*

[14] Glossa pontificis: *Placet.*

[21.] Archiepiscopi inhibendo post appellationem ad eum [!] interpositam et in deferendo appellationibus teneantur servare ius commune et decreta concilii Tridentini quacunque |
45v consuetudine non obstante [1].

[22.] Si appellatur ab inferiori in causa fiscali, hoc est, ubi fiscus episcopi vel inferioris est actor vel reus, si procurator fiscalis episcopi non compareat, defendatur causa per procuratorem fiscalem metropolitani, nisi de contraria voluntate episcopi vel eius fiscalis constet, et quicquid ab eo fiat, expensis episcopi fiat [2].

[23.] Concilia provincialia et synodalia temporibus debitis celebrentur secundum iuris communis dispositionem, quacumque consuetudine sublata [3].

[24.] Tertia pars praebendae cuiuscunque canonicatus vel dignitatis detur tantum interessentibus in singulis horis totius anni [4].

[25.] Confirmetur forma celebrandi divina officia posita in concilio Basiliensi sess. XXI [5].

[26.] Capitulum ordinarium fiat semel tantum in hebdomada et non tempore divinorum officiorum. Idem servetur in aliis, ne malint in confabulationibus tenere tempus in capitulo quam interesse divinis; aliter facientes amittant distributiones illarum horarum [6].

46r [27.] Detur capitularibus et ceteris residentibus | tempus recreationis certum, puta duorum mensium, neque possit prorogari aut omissionis poenae remitti, ne altero alteri gratificante cultus divinus diminuatur.

[28.] Deambulatio per ecclesias clericis et laicis ab episcopis prohibeatur sub poena excommunicationis, et circuli ac confabulationes vetentur, dum divina peraguntur.

[29.] Quacunque consuetudine sublata servetur iuris forma, ut nemo vocem habeat in capitulo, qui non sit in sacris constitutus.

[30.] Canonici et portionarii, qui habent praebendas et onera distincta, ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas cantent, teneantur ordines suscipere, cum primum ad eam aetatem pervenerint, et non aliis fiat provisio, nisi tamen aetate et habilitate constitutis, alias provisio irrita sit [7].

[31.] Nullus residens in ecclesia cathedrali cum sufficienti praebenda obtineat aliud beneficium curatum, et ponantur vicarii perpetui pro his, qui hodie ea obtinent, cum congrua
46v sustentatione, nisi malint ipsi in curatis | residere [8].

[32.] Ubi sunt plures canonicatus tenues, reducantur ad certum numerum ab ordinariis [9].

[33.] Locationes possessionum mensae capitularis et aliorum beneficiorum non excedant triennium, non obstante quacunque consuetudine, et in omnibus contractibus alienationum servetur forma iuris et extravagans Pauli II [10].

[34.] Capitulum sine episcopo non possit statuta facere, sed fiant ab episcopo de consilio capituli [11].

[35.] Administratio fabricae pertineat ad episcopum et capitulum, quacunque consuetudine non obstante [12].

[36.] Obtinentes dignitates cogantur residere et interesse divinis, et incorporentur reditus mensae capitulari, postquam vacaverint; ex eis certa portio detur dignitatibus si resederint [13].

[37.] Religiosi non habeant canonicatus et praebendas vel alias dignitates [et] beneficia saecularia, nec saeculares regularia, etiam in commendam, nec episcopi habeant canonicatus vel beneficia curata extra suam diocesim [14].

[1] Glossa pontificis: *Placet.* — De appellationibus vide sess. XIII de ref. c. 1.

[2] Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi videbitur.*

[3] Glossa pontificis: *Placet.*

[4] Glossa pontificis: *Provideat concilium prout sibi videbitur.*

[5] *Mansi* XXIX 105 sq. — Glossa pontificis: *Tractetur, nulla tamen facta mentione concilii Basiliensis.*

[6] Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi videbitur.* Item ad articulos 27, 28 et 29.

[7] Glossa pontificis: *Placet prima pars, non virgulata* (scilicet usque ad verbum *pervenerint*).

[8] Glossa pontificis: *Serventur ius commune et decreta concilii Tridentini.* — Vide sess. VII de ref. c.5, *Conc. Trid.* V 997 sq.

[9] Glossa pontificis: *Fiet per S. Stem, cum per ordinarios supplicabitur.*

[10] *Bull. Rom.* V 194 sq. — Glossa pontificis: *Placet, quod provideatur per concilium.*

[11] Glossa pontificis: *Tractetur in concilio.*

[12] Glossa pontificis: *Provideatur saltem, quod quicunque administratores fabricae teneantur reddere rationem ordinariis.*

[13] Glossa pontificis: *Consideretur in concilio, an expediat, quod omnes praebendae reducantur ad distributiones quotidianas, quemadmodum Stas S. iam fecit in omnibus collegiatis hic Romae; et tamen provideat concilium, prout sibi videbitur.*

[14] Glossa pontificis: *Provideat concilium in futurum, ubi monasteria adhuc extant* (scilicet ubi a monachis non sunt penitus derelicti).

[38.] Beneficia curata iurispatronatus ex dotatione et fundatione (neque enim ex alia causa servandum est) rigoroso examine praemisso ad | praesentationem patroni conferantur 47r ab episcopis tantum et non ab aliis inferioribus [1].

[39.] Palliatae dispensationes unionum ad vitam et commendarum perpetuarum et aliae similes, praesertim ad duo curata, aboleantur [2].

[40.] Sine licentia episcopi nemo curatus se absentet a diocesi, et cogantur sub poena amissionis fructuum residere maiore parte anni, et a principio Adventus usque ad octavam Corporis Christi nemo possit extra locum beneficii se absentare sub poena privationis beneficii [3].

[41.] Decernantur gravissimae poenae contra laicos usurpantes reditus ecclesiasticos, praesertim qui per supposita personas clericorum eis fruuntur, et si videbitur, singulis annis excommunicentur nominatim, et clerici suspendantur ab ordinibus et beneficiis, et si laici patroni fuerint, perdant ius patronatus [4].

[42.] Quacunque consuetudine vel statuto non obstante mortuo beneficiato haeredes defuncti non possint habere ultra ratam eius temporis, quo defunctus servivit [5].

[43.] Danda esset facultas episcopis dividendi pinguia | beneficia et, etiam si essent 47v iurispatronatus praesertim ecclesiastici, uniendi tenuiora, et aliis patronis posset assignari recompensa [6].

[44.] Ut quaecunque beneficia, quae administrationem sacramentorum habent, etiam regularia, censeantur esse curata [7].

[45.] Ubicunque laici gaudent decimis, episcopi provideant de vicario, qui habeat congruam sustentationem, et ecclesia sit bene aedificata et ordinata, et ad id per censuras ecclesiasticas et retentionem decimarum cogat saeculares, nisi aliunde haberet ecclesia, unde haec fieri possent [8].

[46.] [a] Supplicetur papa, ne confirmet locationes cum fructibus anticipatis vel quae transeant ad successores [9].

[47.] De praestimoniis et pensionibus abusus essent tollendi [10].

[48.] Filii presbyterorum, nisi essent graduati et simul non paternae incontinentiae imitatores, non essent ordinandi [11].

[49.] Videatur, an expediret unum breviarium et unum missale fieri, quod ad omnes ecclesias deserviret, exceptis sanctis cuiusque dioceseos, de quibus in brevi libello posset notari varietas. | Tollatur abusus eorum, qui resident et utuntur alio genere horarum, quam 48r ut in choro cantant.

[50.] Extendatur canon 7 sessionis VI sub Paulo III [12] ad annexa, quae actu sunt regularia, et ad ea, quae habebant vicarios perpetuos, quibus congrua portio est assignanda.

[51.] Extendatur canon 6 eiusdem sessionis [13] ad ea loca regularia, ubi non adest conventus monachorum, licet si[n]t unus vel duo monachi [14].

[52.] Decretum Tridentinum [15], quod loquitur de exemptis regularibus extra monasterium vagantibus, habeat etiam locum, licet resideant in uno prioratu vel abbatia nuncupato, sed sine conventu [16].

[53.] Loca, quae dicuntur nullius dioceseos, visitentur a metropolitanis saltem singulis trienniis, non obstantibus privilegiis suorum ordinum, et cultus divinus in eis conservetur, et ubi curata beneficia sunt, magna diligentia curet, ut sacramenta ab idoneis personis administrentur [17].

[a] *In codice* 45 b, *et proinde articulus sequens* 46 *etc.*

[1] Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi visum fuerit.*

[2] Glossa pontificis: *Provisum est per ius commune et per concilium Tridentinum.* — Cfr. sess. VII de ref. c. 4, *Conc. Trid.* V 997.

[3] Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi videbitur.*

[4] Glossa pontificis: *Placet.*

[5] Glossa pontificis: *Servetur ius commune vel provideatur, prout concilio videbitur.*

[6] Glossa pontificis: *Habebitur ratio per S^tem S. illorum, qui supplicabunt, et interim non videtur alterandus status beneficiorum.*

[7] Glossa pontificis: *Nihil videtur innovandum, et tamen concilium consideret.*

[8] Glossa pontificis: *Servetur ius commune nisi aliter concilio visum fuerit.*

[9] Glossa pontificis: *Supplicent.*

[10] Glossa pontificis: *Explicent abusus.*

[11] Glossa pontificis pro articulis 48, 49 et 50: *Provideat concilium, prout sibi videbitur.*

[12] *Conc. Trid.* V 998 (Est sess. VII, quia sessio aperitionis, ut plurimum fiebat, non numeratur).

[13] *Ibid.*

[14] Glossa pontificis: *Videatur canon.*

[15] Sess. VI de ref. c. 3, *Conc. Trid.* V 803.

[16] Glossa pontificis: *Placet quoad eos, qui non habent abbatem aut alium superiorem.*

[17] Glossa pontificis: *Provideatur in concilio quoad saeculares.*

[54.] Supplicetur papae, ut officiales episcoporum non citentur ad comparandum per-
48v sonaliter in Romana curia sine legitima informatione coram | ordinario viciniori vel metropolitano facienda, vel uni ex eis causa criminalis committatur [1].

[55.] Fabricis ecclesiarum parrochialium, quae carent redditibus, ad fabricas deputatis assignetur ab episcopis certa portio ex decimis, etiamsi pertineant alicui laico vel monasterio vel collegio [2].

[56.] Adhibenda est moderatio ad coercendos abusus [a], quae est variorum, praesertim cruciatae et fabricae B. Petri [3].

[57.] Gradus consanguinitatis et affinitatis et cognationis spiritualis possent minui, ut tollantur tot dispensationum causae [4].

[58.] Scribantur nomina patrinorum in baptismo et confirmatione in libro auctentico, et sit unus tantum patrinus, qui contrahat impedimentum; non plures fiant uno masculo et una femina [5].

[59.] In singulis ecclesiis cathedralibus fiat archivium publicum, in quo conserventur omnes scripturae ad episcopum et capitulum pertinentes. Cui praesint duo archivarii, quibus assignetur certum salarium, et non sint de capitulo; et omnibus teneantur ostendere scripturas illic contentas, sed nemini dent originalia, sed sumptum collationatum.

49r [60.] Aboleatur in toto orbe christiano monomachia et | renoventur poenae a multis pontificibus in exercentes statutae, et domini temporales id permittentes amittant dominium suorum locorum, quod ad occupantes deferatur, et spectatores et ministri maiori excommunicationi subiaceant.

[61.] Aboleantur taurorum spectacula vel aliarum ferarum, in quibus multa foeda perpetrantur.

[62.] In diebus Dominicis et festis apostolorum vel aliis quibuscunque, et diebus ieiuniorum nulli fiant ludi publici neque spectacula neque nundinae aut mercatus in diebus festis [6].

[63.] Supplicetur S^mo D. N., ut fructus ecclesiarum sede vacante in tres partes dividantur, quarum una detur camerae apostolicae; altera fabricae ecclesiae, si indiget, alias in alia pia opera erogetur; tertia vero successori reservetur. Spolia vero quoruncumque clericorum et episcoporum defunctorum ad ecclesias, de quorum fructibus vivebant, pertineant, excepta quarta parte, de qua possint disponere in pios usus vel ad exsolvenda debita contracta; et si decesserint ab intestato, in eadem debita quarta pars expendatur [7].

[64.] [b] Canonicatus et dignitates in ecclesiis cathedralibus non conferantur minoribus annis 18 [8].

49v [65.] Mutationes ultim[ar]um voluntatum non fiant nec | permittantur nisi ex maxima causa, et tunc si fiant, committantur commissarie ad episcopum, ut videat, si preces veritate nitantur [9].

[66.] Sublata quacunque consuetudine episcopi sint omnium piarum voluntatum executores, et visitent omnia pia loca et exigant ab administratoribus rationem suarum administrationum [10].

[67.] Dissolvant collegia minora auctoritate ordinaria coacta in ecclesiiscathedralibus, si ex eis sequatur aliquod damnum episcopo vel cultui divino

II. Rev^mi Bracharensis [11].

[1.] [c] Quoniam sunt multi delinquentes, qui appellant a suis ordinariis ad curiam Romanam, vel vice illius fungentes imperant, ut suorum delictorum cognitio committatur iudicibus apostolicis, quorum sunt multi, qui vel precibus convicti vel muneribus corrupti [d] vel

[a] *Hoc loco videntur omissa quaedam verba.* [b] *In codice* 62 b. [c] *in marg.* Decretum est hoc in concilio Tridentino, quod non rescribatur nisi ordinariis. [d] *cod.* obrupti

[1] Glossa pontificis: *Providebitur hic in reformatione curiae, ne fiat nisi ex maxima causa.*

[2] Glossa pontificis: *Provideatur per concilium aliquo iustiori modo.*

[3] Glossa pontificis: *Quoad fabricam provisum est. Quoad cruciatam provideatur per concilium, si ab Hispanis episcopis petitum fuerit.*

[4] Glossa pontificis: *Placet, quod removeatur quartus et impedimenta publicae honestatis ac coitus illiciti necnon cognationis spiritualis praeterquam inter levantem et levatum et inter compatres, prout concilio visum fuerit.*

[5] Glossa pontificis: *Placet in omnibus.* Item ad art. 59 et 60: *Placet.*

[6] Glossa pontificis ad articulos 61 et 62: *Placerent, nisi essent difficilis observationis.*

[7] Art. 63 = Riforma Romana art. 95. Quoad glossam vide adn. 2.

[8] Art. 64 = Riforma Romana art. 56. — Glossa pontificis ad articulos 64-67: *Placet.*

[9] Art. 65 = Riforma Romana art. 55.

[10] Art. 66 et 67 = Riforma Romana art. 57 et 58.

[11] Vide supra n. 84 et ea, quae p. 624 de hac parte adnotavimus.

alia quavis affectione detenti in multos annos detentionem causae dilatant, reis per illud tempus ita vagantibus et incedentibus, ac si inculpabiles et irreprehensibiles essent in perpetrato crimine. Necessario statuendum videtur, quod si iudices apostolici per spatium sex mensium vel unius anni non dederint ultimum finem causae, | ordinarii deinceps accipiant illius 50r
cognitionem et imponant diffinitionem.

2. Quoniam sunt multi delinquentes et contumaces, qui volunt contestare lites, et sic processus, praecipue criminales, in longum tempus differuntur, ex quo resultat magnum praeiudicium et scandalum: decernendum videtur, ut iudex causae in contumaciam non comparentis possit litem contestare et in illa usque ad diffinitivam procedere, attento etiam, quod in foro saeculari sic fieri solet.

3. Quoniam sunt multi notarii apostolici idiotae et latinae linguae ita ignorantes, ut, quid legant et faciant, non intelligant, ex quo saepe oriuntur multae fraudes et inordinati processus: statuendum videtur, quod ordinarius possit illos examinare, et quos inhabiles iudicaverit, reiicere et penitus officio privare, appellatione remota [1].

4. Quod canonici, archidiaconi et ceterae dignitates Bracharensis ecclesiae et aliorum quorumcunque, quae solent visitare certum numerum ecclesiarum parrochialium, non possint per substitutos, sed per semetipsos id officium exequi, considerata talis oneris et periculi gravitate. Nam ut pluri|mum substituunt clericos non approbatae vitae, et hoc non obstan- 50v
tibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus.

[III. Aliae petitiones Hispanicae].

[1.] [a] Iudaeis, dum convertuntur, non auferantur bona, sed dispensetur cum eis per viam compositionis aut alias [2].

[2.] Irregularitates contractae ex peccatis non intelligantur incurri, nisi dum constiterit mortale esse peccatum, sicut nec maior excommunicatio sit, quod praedictae irregularitates veniant nomine censurarum.

[3.] Nullus sacerdos saecularis nec regularis possit in diocesi mea concionari, administrare sacramenta absque mea licentia et examine praeviso [b] [3].

[4.] Nullus ordinetur in subdiaconum, nisi attigerit annum vigesimum, neque in diaconum, nisi attigerit vigesimum quartum, neque in presbiterum citra tricesimum annum.

[5.] Sint inquisitores haereticae pravitatis ubique terrarum ad formam et modum Hispaniae [4].

[6.] Indulgentia seu bulla eligendi confessorium [!] intelligatur de confessoriis positis et approbatis per | episcopos. Revocentur alias datae indulgentiae seu facultates. 51r

[7.] Non possint sacerdotes mutuo audire confessiones, nisi sint omnes approbati ab episcopo seu ordinario tamquam idonei confessores [5].

[8.] Nequeant erigi nova coenobia aut hospitalia aut fraternitates sine consensu et licentia ordinarii, et erectas iam confraternitates possint, si ordinariis visum fuerit, abolere.

[9.] Non concedantur heremitoria etiam [c], nisi de licentia episcopi [6].

[10.] Praefigatur terminus conversis et Iudaeis seu Mauris seu Saracenis, quo transacto censeantur idonei ad omnia [7].

[11.] Super ieiunio et observatione festorum fiat aliqua declaratio [8].

[12.] Excommunicationes rarius fulminentur et ob graviores causas quam hactenus.

[13.] Dies festi non multiplicentur, imo diminuantur.

[14.] Indulgentiae non dentur nisi ad tempus et moderatius, ne revocentur cum scandalo, sicut fit.

[15.] Nequeant profiteri religionem nec viri nec | feminae ante vigesimum annum. 51v

[a] *In codice a manu moderna huic articulo et sequentibus numeri 66 etc. adscripti sunt, numerationem partis primi reassumentes.* [b] *sic cod. Videtur legendum* praemisso [c] *add. supra lin.*

[1] Art. 4 = Riforma Romana art. 67. — Glossa pontificis: *Placet, quod episcopi tanquam delegati apostolici possint amovere inhabiles.*

[2] Art. 1. = Riforma Romana art. 68. — Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi videbitur, absque tamen compositione, ut etiam factum est in bulla Pauli III.* Quam bullam, quae conversis Iudaeis bona sua intacta relinquit, datam die 21. Martii 1542 vide in *Bull. Rom.* VI 336 sq.

[3] Art. 3. = Riforma Romana art. 70. — Glossa pontificis: *Provideat concilium.*

[4] Art. 5 = Riforma Romana art. 71 — Glossa pontificis: *Placet, sunt inquisitores ubique terrarum.*

[5] Art. 7 = Riforma Romana art. 72. — Glossa pontificis: *Placet.*

[6] Art. 9 = Riforma Romana art. 73. — Glossa pontificis: *Placet, quod non concedantur ab inferioribus nisi de voluntate episcopi.*

[7] Art. 10 = Riforma Romana art. 69. — Glossa pontificis: *Provideat concilium.* Similiter ad articulos 11-13.

[8] Art. 11-13 = Riforma Romana art. 74-76.

[16.] Declaretur decretum Martini V in concilio Constantiensi *Insuper ad vitanda scandala*[1], maxime in his, quae spectant ad excommunicatos, an peccent et in quibus, ingerentes se divinis citra denunciationem; et quando quis est excommunicatus, vel an per declarationem seu denuntiationem declaretur, sive prius sit excommunicatus, quam denuncietur.

[17.] Nulli praelati viri nec feminae religionum sint perpetui[2].

[18.] Praeceptum confitendi et sumendi eucharistiam possit impleri tota quadragesima et quindecim diebus postea

[19.] Non ambulent sacerdotes inter missarum solemnia ad sumendas oblationes.

[20.] Nihil possint recipere confessores a poenitentibus neque directe neque indirecte, sic quod in administratione huius sacramenti tollatur spes omnis quaestus[3]

[21.] Non induantur imagines vestibus.

[22.] Affinitas per copulam fornicariam tollatur; maneat, quae per matrimonium contrahitur

[23.] Declaretur residentia praelatorum et curatorum esse iuris divini

[24.] Declaretur aetas et qualitas requisitae, ut eligantur in cardinales.

[25.] Conveniret fieri aliquando declarationem super legibus humanis, quae et quomodo obligent sub poena mortalis [peccati].

[26.] Iuramenta mulierum super dotium alienatione et minorum evitare est necesse, quia, cum in plurimum sunt [!] periuria, forte expediret potius coram iudice publice tractari, conveniat ne aut non tales res vendi, alienari aut permutari[4]

[27.] Mercennarii aut conducti de mercede illi non solvant decimas.

[28.] Imagines Christi aut sanctorum non pingantur in locis profanis aut sordibus.

52v [IV. Martinus de Corduba ord. Pr., ep. Dertusensis][5]: Sequentia capita videntur pertinere ad veram ecclesiae universalis reformationem[a].

[1.] Cum status episcoporum omnibus ecclesiae statibus sit et dignior et perfectior, videtur ipsis assignandus habitus condecens, religiosus et gravis talisque dignitatis ac sanctitatis repraesentativus adeo tam in figura quam in colore, ut incedere absque huiusmodi habitu extra domum censeantur apostatae. Assumpti etiam ex religionibus, etsi habeant suae religionis habitum deferre, assignentur eis in exteriori habitu aliqua insignia, quibus dignoscantur non solum esse religiosi, verum etiam episcopi[6].

[2.] Vacante sede cuiuscunque episcopatus per annum continuum solum habeat capitulum manu tenere omnia ita, ut nihil innovetur, nec aliquem possint ad sacros seu initiales ordines promovere, sed solum circa lites occurrentes considerare ac determinare, ac etiam pro matrimoniis contrahendis licentiam dare et vacante aliqua rectoria seu beneficio curam animarum habente, loco illius instituere vicarium, clericos etiam insolentes punire. ⟨Si vero electio sive nominatio episcopatus ultra annum completum a die obitus episcopi differatur, capitulum poterit providere⟩[b] in omnibus, quae pertinent ad veram administrationem dictae ecclesiae[7].

53r [3.] Sede vacante cuiuscunque ecclesiae capitulum provideat de officiali | seu vicario, qui sit doctor aut saltem licentiatus in iure canonico, qui ex ipsis capitularibus assumatur aut ex aliis. Quod si secus factum fuerit, provisio dicti officialatus ad metropolitanum devolvatur; si vero fuerit metropolitana, ad episcopum illius provinciae pertinebit providere, qui propius dictae ecclesiae metropolitanae habuerit ecclesiam matricem suffraganeam[8].

[4.] Antistites ecclesiastici seu capitulares cuiuscunque ecclesiae aut rectores curam animarum gerentes ex bonis ecclesiasticis maioricatus non instituant.

[a] *in col. sequitur postea add* Ea quae praesentantur ab Dertusensi [b] *add in marg.*

[1] Sess. XLIII, *Mansi* XXVII 1192 sq.

[2] Art. 17 et 18 = Riforma Romana art. 77 et 78. — Glossa pontificis: *Provideat concilium.*

[3] Art. 20 et 21 = Riforma Romana art. 79 et 80. Glossa pontificis: *Provideat concilium.*

[4] Art. 26-28 = Riforma Romana art. 81-83. — Glossa ut in adn. praec.

[5] Vide supra p. 624 adn. 1. — De auctore vide *Doc. inéditos* IX 24; *ibid.* 216 sqq. 276 sqq. litteras eiusdem.

[6] Art. 1 = Riforma Romana art. 59. — Glossa pontificis: *Placet, quod servetur habitus consuetus episcoporum; quo vero ad religiosos episcopos fiat, prout concilio visum fuerit.*

[7] Art. 2 = Riforma Romana art. 60. — Glossa pontificis: *Provideatur, prout concilio visum fuerit, in his, quae ad episcopum pertinebant, dum viveret.*

[8] Art. 3 = Riforma Romana art. 61. — Glossa pontificis: *Placet.*

[5] Reditus cuiuscunque canonicatus si excesserint in quantitate quingentorum ducatorum, dictae praebendae dividantur et aliae de novo instituantur in eadem ecclesia. Hoc idem fiat in beneficiis simplicibus, cuius reditus excedunt quantitatem trecentorum ducatorum [1].

[6.] Pensiones ecclesiasticae non dentur habentibus sufficientem modum vivendi secundum decentiam sui status [2].

[7.] Nulli beneficio seu dignitati aut abbatiae imponatur pensio annualis ultra tertiam partem redituum. Quae quidem pars debeat iudicari secundum annatam, quae solvitur pro dicto beneficio in dataria curiae Romanae [3].

[8.] Non permittatur archiepiscopis aut episcopis pacem in missis privatis seu publicis deferre alicui personae, quantumcunque fulgeat dignitate ecclesiastica seu saeculari, ex|[53v]ceptis regibus et imperatoribus [4].

[9.] Nullus promoveatur in aliqua dignitate seu canonicatu aut comensalia nec simplici beneficio, qui prius non examinetur ab episcopo vel eius officiali saltem in gramaticalibus, ita ut competenter calleant latinam linguam; sint insuper instructi in cantu, cum ad hoc munus deputentur in ecclesia.

[10.] Cum tot et tam varia sint instituta monachalia et mendicantia ac plura alia in sancta ecclesia, et ex eiusdem plurima non solum circa ordinem instituti aut utilitatis, verum etiam in modo vivendi inveniantur incognita et ob hoc in oculis fidelium quasi ridiculamenta: quapropter censerem ea omnia, quae non sunt a sede apostolica approbata, examinanda fore, et quae fuerint digna approbatione, approbentur, quae vero minus utilia reipublicae christianae aut in observantia seu in figura habitus inveniantur, ad alia reducantur.

[11.] Insuper quod modus vivendi conventualiter videtur esse non solum contra ceremonialia et positiva ipsius instituti, verum etiam contra eiusdem essentialia. Reformentur a praepositis eiusdem instituti observantialibus simul cum episcopo aut eius vicario, | [54r] in cuius diocesi habuerint suos conventus. Si vero super praemissa proclamaverint, non gaudeant privilegiis observantialibus ordini concessis, quin potius ad commune reducantur. Id etiam non esse praetereundum, ut cuilibet ordini assignaretur locus praecedentiae iuxta ordinem et tempus suae approbationis, ut tollantur e medio illorum in processionibus seu in aliis simultatibus locorum disceptationes, de quibus fideles escandalizantur, et de cetero non eis permittatur locus super hoc litigandi [5].

[12.] Nullus admittatur ad votum solemne in religionibus sive tacitum aut expressum ante vigesimum quartum annum exceptis feminis, quae citra duodevigesimum suae aetatis annum non admittantur.

[13.] Concubinarii ecclesiastici cohibeantur iuxta decretum concilii Basiliensis [6] promulgatum in XX. sessione. Nam ex talium insolentia et abhominabili consuetudine universus coetus fidelium valde et periculose escandalizatur [7].

[1] Art. 5-8 = Riforma Romana art. 62-65. — Glossa pontificis ad art. 5: *Habebitur ratio per S^tem S., quando aliquis ordinarius supplicabit.*

[2] Glossa pontificis: *Non dabuntur pensiones nisi benemeritis.*

[3] Glossa pontificis: *Servetur concilium Lateranense, ita tamen, quod in parochialibus ecclesiasticis remaneant parochiano quinquaginta ducati.*

[4] Glossa pontificis: *Placet.*

[5] Art. 11 = Riforma Romana art. 66. — Glossa pontificis: *Provideat concilium, prout sibi visum fuerit.*

[6] *Mansi* XXIX 101 sq.

[7] Annecti hoc loco velim articulos de reformatione Ferdinandi Velosilli, qui in eodem *cod. IX A 49* f. 36r inveniuntur, rubricatos a Seripando f. 37v: « Ferdinandi Velosilli de reformatione Hisp. »:

1. *Quod nullus possit retinere nisi unicum tantum beneficium, cui sit annexa cura animarum, et praevio examine digniori provideatur.*

2. *Quod pensio non possit assignari supra beneficium, cui est annexa cura animarum, et quod pensiones assignatae extinguantur et pensionibus in futurum assignandis modus et forma tradatur.*

3. *Quod primitiae omnes eveniant parrochiis servientibus aut loco eorum ministrantibus.*

4. *Quod canonicatus concessi iuxta vices ecclesiarum a Sixto IV et a Tridentino concilio et cathedrae theologiae regnorum Hispaniae non possint provideri his, qui originem ducunt a Iudaeis vel Saracenis.*

5. *Quod episcopi instituentes maioricatus vel qui cognatorum mutaverint statum, ipso facto sint privati dignitate episcopali.*

6. *Quod in ministerio Sanctae Inquisitionis unus saltem ministrorum sit magister vel licentiatus in sacra theologia in quacunque iudicatura; et minor quadraginta annis non possit ad huiusmodi ministerium assumi. Qui gradus* [cod. gradum] *licentiae vel doctoratus sit in universitate universali regnorum Hispaniae assecutus.*

7. *Quod promotiones episcoporum sine gravi et evidenti necessitate et utilitate ecclesiae non permittantur, iuxta sacrorum canonum et conciliorum dispositionem.*

8. *Quod ecclesia restituatur in tertia parte decimarum et ex nunc in defensionem fidei et ecclesiae applicentur, et dominis temporalibus sine hoc onere nullatenus possint evenire.*

Auctor Ferdinandus Velosillus Hispanus 1544-1550 Salmanticae, deinde 1550-1566 Seguntini sacras professus est litteras; anno 1567 ep. Lucensis (Lugos in Hispania) nominatus ibidem anno 1587 obiit. *Hurter*, Nomenclator III 145 sq.; *van Gulik-Eubel* III 246.

98.

Scrittura data dall'ambasciatore di Portogallo [1].

[Missa Romam 14. Aprilis 1562].

Romae Arch. Vat. *Concilio 150* f. 291v-294r, cop.

Concilio 150 f. 291v [1.] Praecipiendum esset praelatis, ut continuo in suis ecclesiis residerent [2] atque circa gregem suum invigilarent, quoniam compertum est, ex absentia illorum defectuque doctrinae, cum mercennarii curae demandatur, miseras oves a lupis dilaniari et incidere in nefandos execrandosque errores. Quapropter statuendum esset a sacrosancto concilio, ut nemini, cuius[cun]que gradus dignitatisque existeret, conferretur ulla vel cathedralis vel, cuiuscunque qualitatis existeret, curata ecclesia, nisi in loco resideret et per seipsum curam valeret exercere. Aliter autem facta collatio seu provisio irritetur omnino, et hoc quod ad omnes cuiuscunque qualitatis ecclesias declaretur. Minimeque illis conferantur, qui aliqua dignitate, officio 292r aut impedimento ita detenti sunt, ut | aut non possint hanc curam per se exercere et ministerium suum in omnibus implere. Oporteret etiam reges aut principes summopere admonere, ne cuiusquam qualitatis praelatos praefectos facerent negotiis saecularibus, aut quocumque modo aut occasione impedirent, ne continue custodiae ovium suarum, quarum sanguis de eorum manibus a supremo iudice requirendus est [3], semper incumbant.

[2.] Expediret etiam, ut cathedralium ecclesiarum regimen nullus nisi ex legitimo matrimonio natus et aetate matura, gravitate morum literarumque scientia promoveretur. Et quoniam ecclesiarum regimen onus est angelicis humeris formidandum, declarare deberet, ut ultra superius requisitas circumstantias sic promovendi doctores essent aut saltem licentiati in iure divino vel humano gradum consecuti in illis scholis, ubi generale regitur studium, exceptis filiis, fratribus aut nepotibus regum, in quibus solum superiores circumstantiae, quae de iure alias sufficiebant, requirentur.

[3.] Convenit etiam, ut nemo, quacumque etiam dignitate, gradu aut praeeminentia praefulgeat, plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias in titulum sive commendam aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta recipere et simul retinere praesumat. In inferioribus autem beneficiis etiam serventur iam decreta, et ut solum in suo rigore ser-292v vetur constitutio | Innocentii III in c. *De multa* [4], et eiusmodi dispensationes committantur ordinariis, ut ab illis probentur, veraene sint causae nobilitatis aut scientiae, quas impetrantes retulere.

[4.] Oportet etiam, ut omnimodo servetur, ut beneficia, quae obtinebant [a] promovendi in episcopos, vacent habita consecratione illorum, neque cum illis dispensetur, ut simul cum episcopatibus obtineant monasteria aut ecclesias parrochiales sive in titulum sive in commendam, sive sint in suis sive in alienis diocesibus.

[5.] Necessarium est etiam, ut moneantur praelati, ut attendentes sibi et gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei [5], suum ministerium per se impleant et curam per se exerceant, utque decreto anteacto [6], quo absentes illos ultra sex menses continuos extra suam diocesim poenis prosequebantur, (cum videamus iis turbulentissimis temporibus satis longam et nocivam esse tanti temporis absentiam) illud addatur, ut minime etiam ex

[a] cod. obtinebant

[1] Facile intelligi potest has petitiones, ab oratore Lusitano, Ferdinando Martino Mascarenhas, legatis concilii traditas paulo ante 13. Aprilis 1562 (*Šusta* II 83) ad articulos reformationis 11. Martii 1562 propositos se referre (*Conc. Trid.* VIII 378). In quibus conveniunt cum articulis regis Lusitaniae (supra n. 83) exhibitis, infra adnotabimus. Orator ipse die 5. Maii 1562 regi Lusitaniae de articulis haec scribit (*Corpo diplom. Portuguez* IX 501 sq.): *Antes que partisse de Trento* [scil. ut Venetiis cum oratore Romano Laurentio Pires conveniret], *pareceo que conforme aos artigos que os legados deram para se averem de ver, vinha a preposito apresentar lhe 14 capitolos dos que traguo na instruçam de Vosa Alteza e asi o fiz, com dizer ao cardeal de Mantua que os apresentava áquelle sagrado concilio para verem que o proprio que elles qua tratavam, Vosa Alteza com o zello que tem do servizo de nosso Senhor me tinha mandado que o lembrasse, quando me parecesse tempo. Que asi o fazia e nam para insistir nelles, quando parecesse que outra convinha ao serviço de nosso Senhor.*

Adverte oratorem hoc loco 14 articulorum facere mentionem, in codice autem nonnisi 12 tantum legi.

[2] Pro art. 1-5 cfr. supra « Articuli Sebastiani regis Lusitaniae » sect. I art. 18, 27, 30, 33; sect. II art. 16.

[3] Cfr. *Ez.* 3, 18.

[4] C. 28 X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[5] Cfr. *Act.* 20, 28.

[6] Sess. VI de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 803.

causis iustis et necessariis possint ultra quattuor menses abesse in quocunque anno, et si amplius necessarium fuerit, eam facultatem postulent a summo pontifice, quae non nisi iustis, honestis, necessariis et ecclesiae catholicae utilibus causis concedi debet. Alios vero ultra praedictos quattuor menses in alienis dioecesibus commorantes sine summi pontificis facultate dimidietatem fructuum computandorum ex tempore absentiae pro rata in foro conscientiae teneantur restituere pauperibus suae dioeceseos. |

[6.] Iniungi etiam debet praelatis, ut intra quinquennium [1] personaliter visitent et visi- 293r
tationem absolvant suae dioeceseos; finito autem quinquennio synodum constituant. Qua in re non fiat dispensatio, nisi causa senectutis aut aegritudinis. Statui etiam debet, ut, cum episcopi finito quinquennio synodum constituerint, solum in prima synodo causa subiectionis et oboedientiae synodaticum accipiant; et ut metropolitani [a] intra quodlibet decennium teneantur necessario concilium provinciale constituere. Quod decretum inviolabiliter sine dispensatione fiducia [b] observetur.

[7.] Licet autem praelati memores propriae salutis et ministerii sibi iniuncti non deberent nunquam abesse a cura sibi commissa, et vel sola illa ratio, quod sanguis ovium de illorum manibus a supremo iudice est requirendus [2], eos debuisset deterrere, ut tamen ad iniunctum sibi munus facilius invitentur, operae pretium erit, residentes ultra indulgentias ac praerogativas iam concessas etiam aliis favoribus prosequi. Unde aequum esset, ut in hoc sacrosancto concilio statueretur, ut praelati haberent in civilibus ad eorum iurisdictionem pertinentibus quoad certam quantitatem declarandam arbitrio sacrosancti concilii supremum tribunal, ut ab eorum sententia non posset appellari. Idemque quod [ad] criminalia statueretur, declarata circumstantia poenarum et personarum, atque eodem modo in archiepiscopis |
superioribusque declararetur iuxta casus, qui ad illos et ex sua iurisdictione et per appella- 293v
tionem devolvuntur [3].

[8.] Decet etiam, ut succurratur periculo animarum, ut omnes casus in foro interiori committantur ordinariis, exceptis contentis in bulla Coena Domini [4]. Expedit etiam, ut in quascumque ecclesiasticas personas curam animarum obtinentes, quamvis sint cuiuscunque religionis aut militiae, iurisdictionem obtineant, iuxta iam decretum [5], et renoventur privilegia exemptionum, neque exempti sint nisi religiosi degentes in monasteriis reformatis et in conventibus militiarum, ubi vivunt in communitatis modum.

[9.] Ut minime concedatur nec dignitatibus nec capitulis ecclesiarum cathedralium, ut nec cumulative nec privative possint visitare suas ecclesias, sed revocatis praeteritis privilegiis omnia spectent ad ordinarii visitationem.

[10.] Quo autem ad clericos obtinentes curata beneficia serventur et executioni mandentur, quae statuta sunt [6]. Et iniungatur praelatis, ut invigilent in examine ordinandorum, et decernatur, ne fiant dispensationes cum derogatione beneficii, patrimonii, grammatices. Quod si aliqua ex iis in forma brevis fuerint concessa, committantur ordinariis [7].

[11.] Et quoniam ex periculo quotidiano intelligitur multos promoveri ad minores ordines in executionem delictorum et ut a committendis sceleribus liberentur, ex quibus grave oritur in ecclesia Dei scandalum, deberet statui, ut non | promoverentur ad minores nisi 294r
qui simul vellent ad subdiaconatum ordinari, exceptis religiosis degentibus in monasterio et iis, qui actu fuerint [c] deputati ad ministeria ecclesiae et ea de causa habent illius stipendia, si ea aetate fuerint, ut ad subdiaconatum ordinari non possint.

[12.] Quo autem ad matrimonia clandestina [8], ex quibus multa solent oriri scandala, statui deberet, ut clandestinus consensus filiarum vel illarum, quae fuerint sub parentum, matrum aut propinquorum aut aliorum custodia, minime valeat sub consensu praedictorum, sitque matrimonium ipso iure nullum. Et hoc locum obtineat, quousque dictae mulieres volentes contrahere attingant aetatem 25 annorum. Post autem illud tempus valeat matrimonium, si ab illis contrahatur, quoniam et aetas capax est consilii, et in poenam negligentiae parentum aut superiorum, qui usque ad illud tempus circa eam rem non sunt usi remedio opportuno.

[a] *cod.* metropolitanum [b] *sic codex. Praeferenda videtur lectio* fideliter [c] *del.* ordinati

[1] In « Articulis » sect. I art. 34 legitur intra singulos annos episcopos dioecesim obire debere.
[2] Cfr. *Ez.* 3, 18.
[3] Cfr. « Articulorum » sect. I art. 31.
[4] Cfr. « Articulorum » sect. I art. 32 et 36 sq.
[5] Sess. VII de ref. c. 8, *Conc. Trid.* V 998.
[6] Sess. VII de ref. c. 3, *Conc. Trid.* V 997.
[7] De articulis 10 et 11 cfr. supra in « articulis » sect. I art. 38 sq.
[8] Cfr. « Articulorum » sect. VI art. 4.

99.

Thomas Campegius: De residentia episcoporum [1].

[Exeunte mense **Aprili** vel ineunte **Maio 1562**].

Romae Bibl. Vatic. *Vat. lat. 3916* f. 226r-227v, autogr.

[illegible]

Vat. lat. 3916 f. 226r Cum nudius tertius oratorem Vargam officii causa visitarem, quem aliquot ante annos, dum Caesaris procuratorem ageret, Tridenti et Bononiae familiariter noverim et ob eius doctrinam, animi vigorem et solertiam et diligo et amo, incidimus in sermonem de his, quae Tridenti in concilio agerentur [a]. Qui subridens: « Nonne accepisti », inquit, « 74 ex patribus in eam sententiam contra tuam assertionem convenire, residentiam episcoporum fore de iure divino» [2]. «Admiror», respondi, «quonam modo in eam sententiam devenire potuerint, nisi latiori vocabulo, quod sit iuris divini, interpretentur». Idque conatus sum confirmare his rationibus, quae tunc occurrebant, in opusculo meo iam ante deductis [3]. Quibus satis tenuiter ab eo confutatis eo controversiam deduxit, ut ad id quod dixerat, residentiam fore iuris divini, quia a iure divino deducta et derivata sit, bifariam diviserit, ut alia diceret deduci a iure divino necessario, alia vero contingenter; quae necessario, vere esse divini iuris, quemadmodum id, a quo deducerentur alia; nequaquam residentiam vero ex his fore, quae necessario censerentur ius divinum. Ex eo scilicet quod dicit D o m i n u s Petro [4]: *Pasce oves meas*, et ex eo quod dicit [5]: *Qui intrat per ostium, pastor est ovium, huic ostiarius aperit et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim et educit eas*, et quae sequuntur.

At ego more dialecticorum locutus dixi, me negare maiorem, me negare minorem, et propterea sequelam seu consequentiam nullam. Maiorem scilicet: omnia necessario deducta ex iure divino fore iuris divini; minorem: residentiam necessario | 226v subsequi ius divinum; proinde et sequelam sive consequentiam, nullam residentiam fore iuris divini. Plura enim fore in sacris canonibus decreta ex iure divino necessario deducta, quae iuris positivi sunt. Residentiam non necessario ex iure divino deductam, quoniam statim mandatum divinum de pascendis ovibus non fuit subsecutum, cum per annos 270 ante Dionysium pontificem non fuerint divisae dioeceses, in quibus episcopi haberent residere [6]. At etiam mandatum factum Petro et successoribus eius Romanis pontificibus de pascendis ovibus non adeo coarctatum fuisse, ut ipse per se ipsum pascere deberet, quoniam onus impossibile imposuisset; potuit igitur et per alios facere, quod et facit mittendo alios per universum orbem ad annuntiandum verbum Domini, sicut et Dominus apostolos, qui et ipsi pauci erant operarii ad tantam messem, nec poterat Petrus nec ipsi apostoli ubique adesse. Addidi non putare residentiam iuris

[a] *del* et a me percunctatus, quid esset, quod accepissem agi de residentia episcoporum, an divino iure praeceptum foret an iure positivo, et subridens respondit 74 fuisse, qui censuerint contra tuam sententiam

[1] Hanc relationem Thomae Campegii collectioni inserendam duximus, non quia ultra tractatum eius de residentia episcoporum novum aliquod argumentum afferat, sed quia, quam acriter Romae mense Aprili exeunte et Maio de residentiae iure disceptatum sit, optime demonstrat. De auctore vide supra n. 9; Quoad oratoris Hispani de residentia sententiam vide eiusdem litteras 4. Maii 1562 datas ad Philippum II, *Documentos inéditos* IX 152 sqq.; *Döllinger*, Beiträge I 421 sqq.

[2] In congregatione generali habita 21. Aprilis 1562 65 patres responderunt: *Placet* (scilicet *declarandum esse, residentiam esse iuris divini*); 9 responderunt: *Placet, habita prius intentione Smi D. N. Conc. Trid.* VIII 464; cfr. etiam elenchum Paleotti *Conc. Trid.* III 1, 317 sq.

[3] Tractatus T h o m a e C a m p e g i i De residentia episcoporum invenitur inter eiusdem auctoris opuscula, edita Venetiis 1555, f. 147r-156v. Ex quo sententias principales, quae ad nostram quaestionem attinent, adnectimus: *Si quis autem quaesierit, an episcoporum residentia iuris sit divini, respondebimus, eo modo posse de iure divino dici, quo Romani pontificis et sacrorum conciliorum decreta de iure divino dici possunt, quia scilicet instinctu Spiritus Sancti unanimi patrum consensu fuere sancita* (f. 140v).

At sumendo ius divinum in suo proprio significatu, quod scilicet institutum sit a Deo et Salvatore nostro in veteri aut nova lege, cuiusmodi sunt articuli fidei, sacramenta ecclesiae et decem legis praecepta, episcoporum residentia nequaquam de iure divino dici debet, quoniam, etsi episcopatus sit de iure divino, et Salvator noster instituerit apostolos suos episcopos..., tamen prout habet praeeminentiam super alios clericos fuit ad tollenda schismata postea institutum (f. 151r).

[4] *Io.* 21, 17.

[5] *Io.* 10, 3 sq.

[6] Cfr. Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 196. Canon allegatus non de episcopatibus, sed tantum de parochiis loquitur.

divini, quoniam, quae iuris divini sunt, non commutantur nisi ex magna necessitate aut utilitate ecclesiae; et propterea tam difficilem fore dispensationem cum solemniter voventi religionem, quod vix reperiri possit aequivalens bonum, permisisse autem sacros canones dispensationem de non residendo ad septennium ex causa studii ipsis episcopis. Permisit[a] cum nobilibus et graduatis dispensationem ad duo incompatibilia, ex consequenti de non residendo in altero eorum. Permisit in beneficiis unitis praebendis curam animarum habentibus deserviri per vicarium; eadem enim est ratio de inferioribus habentibus curam animarum quae de episcopis. Permisit Sardicense concilium[1], episcopum abesse a sua ecclesia, si a pio principe vocatus fuerit, ex consequenti vocato a Romano pontifice, qui in eum iurisdictionem habet. Concessit Gregorius Magnus[2] uni duas cathedrales ecclesias; duas etiam cathedrales ecclesias invicem univit[3]; Paulinus Nolanus episcopus a Gregorio commendatus relicta sua ecclesia se dedit in servitutem impio regi pro pretio viduae[4]; Remigius cum Remensi ecclesia simul | regimen desumpsit Lugdunensis, dum Genebaldus 227r
Lugdunensis episcopus poenitentiam ageret reatus sui[5]. Quonam modo si de iure divino foret residentia, iuri divino, quod magnam requirit compensationem, potuisset ex tam levibus causis et tam faciliter praeiudicium fieri. Non igitur asserendum, residentiam nisi latiori vocabulo fore iuris divini.

Haec cum disseruissem, pluribus interpolationibus hinc inde deductis cum iam advesperasset, in eo perstitit orator Vargas, me et quicumque fuerint hoc asserentes, fore haereticos, et S^{tem} Vestram eius fore sententiae, quod residentia sit iuris divini[6]; hanc etiam fuisse sententiam S^{tis} Vestrae Tridenti in episcoporum coetu asseruit episcopus Veronensis[7] pro suae assertionis confirmatione.

At ego cum Augustino dixi[8]: «Errare possum, haereticus esse non possum», nec enim pertinax futurus sum, si S^{tas} Sua hoc censeat, si concilium hoc decreverit.

Sed etiam si fuerit residentia iuris divini, non video, quae necessitas sit hoc decernendi, cum magna illa et sacratissima concilia, quae aequalitatem et consubstantialitatem Filii cum Patre, aequalitatem Spiritus Sancti cum utroque declararunt et statuerunt, et alia plura, quae dubia in fide emergentia enuclearunt, non usi sunt hoc vocabulo aut decreto, quod iuris divini esset, cum tamen vere essent iuris divini, quae decreverant.

Id etiam minus in praesentiarum est necessarium, cum patres venerint in hanc sententiam, quod praesens Tridentinum concilium idem sit quod prius et continuationem, cumque in eo decretum factum sit de episcoporum residentia, et licet disceptatum fuerit, an residentia esset de iure divino, idque iustis ex causis praetermissum, supervacaneum censerem et inutile, id in controversiam deducere nimisque expedire, ne ansam suscipiant, qui nobiscum dissentiunt, non sufficere ad stabiliendam residentiam ius humanum, nisi statueretur, id fore iuris divini.

Censerem itaque, Beatissime Pater, expedire huic controversiae silentium imponere; quod si difficile foret, id saltem agere, ut taliter concipiatur decretum, ut utrique parti videatur satisfactum, et ne qua ansa tribuatur disceptandi de Romani pontificis auctoritate et facultate, si quando praelatorum opera et praesentia uti voluerit, quae res forte altiores habet radices, pro enervanda auctoritate Romani pontificis ad alia transituri, si hoc pervicerit[9].

[a] *Supple* ecclesia

[1] Can. 7, etiam c. 28 C. 23 q. 8 (*Friedberg* I 963). — Hoc exemplum et quae sequuntur omnia in tractatu De residentia episcoporum f. 152^r allegata sunt.

[2] C. 5 *Relatio* C. 21 q. 1, *Friedberg* I 853.

[3] C. 48 *Et temporis* C. 16 q. 1, *Friedberg* I 776.

[4] Quae *Gregorius Magnus* in Dial. lib. III c. 1 narrat, *Migne* 77, 216 sq.

[5] Campegius ipse in tractatu suo De residentia episcoporum f. 152 reiicit ad Summam S. Antonini Florentini p. III c. 1 n. 21.

[6] Non mentitus est Vargas. Cfr. *Conc. Trid.* II 343 l. 4; 347 l. 35; VIII 7 l. 1; 66 l. 17.

[7] Hieronymus Trivisanus ord. Praed., ep. Veronensis 1561-1562, *van Gulik-Eubel* III 352.

[8] Cfr. Sermo 165 c. 10 n. 14, *Migne* 38, 901 sq.; de haer. 1, *Migne* 42, 23.

[9] Tractatus Christophori Patavini ord. Erem. S. Augustini generalis de residentia episcoporum, qui invenitur Romae in Bibl. Angelica *cod. 405* f. 119^v-130^v, certo ante concilium est scriptus; mentionem enim facit bis concilii Tridentini (f. 122^r-130^r), tamen non ut praesentis, sed ut peracti, nec ullo loco denuo synodum apertam esse meminit. Quia tamen Thomae Campegii argumenta impugnat (tacito eius nomine), post annum 1555 compositus esse debet; quocum bene congruit eum in codice, qui alias ordinem chronologicum sequitur, tractatum de simonia, qui sine dubio anno 1556 ineunte scriptus est, immediate praecedere.

Recitata opinione Feltrensis, episcoporum residentiam non esse de iure divino (f. 122^r-123^r), ita prosequitur: *Sed his non obstantibus oppositum mihi tenendum videtur idque sacris scripturis magis consentaneum esse credo, licet illud probabile sustineri posse putarim, oppositum tamen verius esse existimaverim* (f. 123^r). Locum Io. 20 non solum de Petro, sed etiam de aliis intelligi posse

100.

Fr. Hieronymus Vielmius ord. Praed.
[ad cardinalem Carolum Borromaeum de residentia] [a] [1].

[Circa mensem aprilem 1562].

Romae Bibl. Vatic. *Vat. lat. 3916* f. 133^{r}-135^{v}, or

Respondet ad duas quaestiones sibi a cardinale Carolo Borromaeo propositas.

I.

Vat. lat. 3916 f. 133^{r} In quaestione, num expediat ecclesiae, quod per synodum terminetur haec controversia, respondetur, quod non, tum quia plura extant exempla in oppositum, quibus apparet, quod anteacta concilia abstinuerunt a terminandis controversiis, quae salva fide inter catholicos vertuntur, et incubuerunt extirpandis haeresibus, tum quia melior ratio est, ad retinendos in officio episcopos poenis et eorum executione decernere, quam statuere, quod divino iure teneantur.

Tertio quia, quodcumque statuat synodus, parere poterit aliquod monstrum; nam si statuat, quod sit iuris divini, haeretici ansam captabunt lacerandi ius ecclesiasticum, si vero, quod ecclesiastici tantum, timendum est, ut frigere residentia et paulatim abrogari incipiat.

Quarto: Praesens concilium est prosecutio et continuatio prioris, atque illud semel decrevit et explicavit facto [2], abstinendum esse a terminatione talis controversiae. Igitur nulla debet fieri novatio talis controversiae.

Quinto: Si semel decreta vel etiam titulo interpretationis retractari et discuti patiantur, omnia decreta conciliorum paulatim evertentur, et ita fundamenta fidei convellentur. |
133^{v} Ob id mihi probaretur ad evitanda haec, ut, posteaquam res integra non est, sed ad controversiam usque progressa, vel S^mus^ D. N. rem ipse declaret litteris ad concilium datis, aut saltem, quod addo in praesenti, si concilio terminare permiserit, curaret, quod per patres tale edatur decretum, ut obviam eatur omnibus hisce inconvenientibus. Quod eorum prudentiae forte non erit difficile.

⟨S^mi^ D. N. humillima creatura et Caroli Borromaei cardinalis Amplissimi et Illustrissimi servulus

F. Hieronymus Vielmius ord. Praed.
in gymnasio Romano theologiae de mandato professor⟩ [b].

[a] *In capite manu auctoris* Summa ut fieri potuit brevior. *Similiter ante alteram partem f. 134*^{r} Summa quam brevissima est. [b] *manu propria auctoris*.

(f. 125^{v}), episcopos autem apostolis successisse (f. 127^{v}); si oves non pascant, evidentissimum signum esse, quod Christum non diligant (f. 128^{v}), non idoneos autem esse deponendos (f. 129^{v}). Et concludit: *Haec sunt, quae mihi episcopum ad residentiam iure divino teneri sufficienter probare videntur; licet multa alia afferri etiam possent, ad praesens tamen haec sufficere volo.*

Ad quaesitum: *An officium cardinalatus et episcopi sint compatibilia* (f. 130^{v}) respondet idem auctor, quod non, *ex eo quod cardinales perpetuo summo pontifici assistere debent et hoc ipsum officium commode per alios sapientes viros quam per episcopos fieri potest* (f. 131^{r}). Tamen posse pontificem cum eis dispensare, modo illi *cardinalatus munere sincere ac legitime fungerentur neque in rebus agendis, quae ad universam ecclesiam pertinent, ad dexteram vel ad sinistram declinent, sed ad id tantum, quod utile et honestum est, agendum* (f. 132^{r}). *Sic etiam Rotae auditores et clerici camerae excusati veniunt, licet non resideant, cum causis publicis sint occupati, modo de vicario viro idoneo suis ecclesiis provideant et, quid circa oves sibi creditas agatur, scire curent; nonnumquam etiam exploratorem mittere debent, qui audiat et intelligat, si quae sint de vicariis suis querelae et murmurationes; tunc de alio providere studeant* (f. 133^{r}).

Votum Christophori Patavini super primum articulum propositum ex eodem codice f. 169^{r}-172^{r} lege *Conc. Trid.* VIII 460 sqq. Alterum tractatum, an episcopatus sit de iure divino, infra exhibebimus.

[1] Tractatum, etsi datis careat, post ortam in concilio Tridentino de iure residentiae controversiam scriptum esse perspicuum est. Non est integer, sed summa quaedam amplioris tractatus ab auctore ipso facta, ut ex contextu secundae partis, praesertim autem ex rubricis autographis sequitur.

Auctor Hieronymus Vielmius (vel Vielmus) ord. Praed. Venetus Pataviae 1554-1560 theologiam professus a Pio papa IV anno 1560 Romam vocatus est, ut in universitate Romana sacras interpretaretur litteras (*F. M. Renazzi*, Storia dell'università degli studi di Roma II 169 sq. 273 sq.) pauloque post card. Borromeo favente ep. Argolicensis est nominatus (*van Gulik-Eubel* III 108-130) concilioque interfuit Tridentino, *Conc. Trid.* IX 1193. Obiit Venetiis 7. Martii 1582. Cfr. *Quétif-Echard* II 264 sq.; *Hurter*, Nomenclator II 265.

[2] Sess. VI de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 802 sq.

II

In quaestione de iure residentiae quatuor capita proponuntur: 134r

Et in primo declaratur, quod ius divinum seu lex divina scripturarum sumitur a theologis primum, ut communissime et latissime ea vox patet, et ita complectitur sacram scripturam, traditiones pontificumque atque conciliorum decreta. S. Thomas II-II q. 57[1] et luculentius opusculo 73 cap. 5[2]. Secundo pressius, et ita significat id tantum, quod ad novam vel veterem legem spectat et ex eo per necessariam consequentiam educitur, S. Thomas, Quodl. 4 art. 13[3]. Tertio propriissime, et id dumtaxat est, quod non prophetae aut apostoli eorum auctoritate praeceperunt vel consuluerunt, qualia pleraque sunt in scripturis et traditionibus, sed id quod Dominus ipse vel suo ore praecepit vel tamquam ab eo specialiter mandatum apostolus quispiam vel propheta eius nomine praecepit. Origenes super Num. cap. 16[4]; Hieronymus super Matth. cap. [a][5]; S. Thomas, Quodl. 4 art. 13[6].

Rursum, quod residentia sive cura episcopalis duo dicit: corporalem praesentiam episcopi in sua dioecesi et executionem per se ipsum propriorum munerum, ex concilio Lateranensi sub Alexandro III[7]. Ratio huius est, quia episcopus est minister, non rex aut dominus, cui satis sit disponere et per alios exequi faciat; ex qua ratione habet inferiores se ministros, potest per illos munera, quae cum eis illi communia sunt, exequi, | ut baptizare, 134v absolvere a peccatis, porrigere eucharistiam etc.; ut vero quaedam propria illi sunt, quae exercere per inferiores eo ministros nequit, videtur, quod per se ipsum exequi ea teneatur. Haec autem, quae illi propria sunt, duo sunt, providere animo, id est recte sibi commissum populum ordinare et disponere ad beatitudinem et exequi eum conceptum, etiam ubi per inferiores se exequi non potest, ut docere arcana sacrarum scripturarum, cum opus est, publice et privatim visitare, conferre chrisma et sacros ordines, compescere, imo vero arcere haereticos et alia quaedam.

Tertio, quod aliud est residentia, hoc est, obligatio ad corporalem sui praesentiam et executionem propriorum munerum, aliud est modus residentiae, id est, quod in hac dioecesi magis quam in illa, hoc tempore et non alio, et huiusmodi.

In secundo capite ponuntur quatuor conclusiones, quarum tres affirmant, residentiam esse iuris divini iuxta tres illas significationes, quibus ea vox usurpari solet, et probatur secunda et tertia auctoritatibus tantum sacrarum scripturarum distributis in suis classibus; prima vero, quia conceditur, brevioribus attingitur. Loca scripturarum pro secunda conclusione sunt *Prov.* 27[b], [23]: *Cognosce vultum pecoris tui*, qui examinatur ad Hebraicam veritatem[8]; *Act.* 20, [28]: *Attendite vobis* etc.; *1 Timoth.* 3, [2]: *Oportet* | *episcopum esse* 135r *irreprehensibilem*, *1* divi *Petri* [5, 2]: *Pascite eum qui in vobis est gregem*. Tertia vero duobus Domini locis stabilitur: *Io.* 10, [11]: *Bonus pastor* etc.; et 21, [17]: *Pasce oves meas*. Quarta conclusio est modus residendi, id est locus, tempus et circumstantiae reliquae[c], non sunt de iure divino. Hoc probatur multipliciter: Primum, quia papa est, qui assignat loca et dioeceses et mutat. Secundo, quia dantur plures causae, quibus non tantum potest abesse episcopus a suis ecclesiis, verum etiam peccaret, si non abesset, ut patet de Athanasio[9]. Tertio episcopus comparatus papae est ovis, ergo debet illi oboedientiam; comparatus suae ecclesiae est pastor, ergo debet illi pastum. Sed prius est ovis et a papa habet proxime, quod sit pastor, ergo quoque uno iure divino et papae et populo teneatur, gradatim tamen, hoc est, ut primum papae, quia primum et per se est ovis, deinde populo. Quare a papa modus, tempus et circumstantiae residentiae eius pendent. Quarto exemplis sanctorum cumulatissimis et ob id laudabili ecclesiae consuetudine probatur.

a Lacuna in textu b [illegible] c *corr. ab autore ex* temporis et loci

1 Art. 2 ad tertium.

2 *Thomas* l. c. De usuris c. 5: *Et voco legem divinam, quae in canone sacrae scripturae et in decretis sanctorum patrum et conciliis continetur.*

3 *Thomas* l. c. ait: *Ius autem divinum est, quod pertinet ad legem novam vel veterem.*

4 *Migne gr.* 12, 690 sqq.

5 Omisit auctor numerum capitis, quia locus allegatus in Commentariis S. Hieronymi super Matth. (*Migne* 26, 15 — 218) non invenitur.

6 Vide supra adn. 3.

7 Can. 13, c. 3 X de cler. non resid. III 4, *Friedberg* II 460.

8 Vulgata habet: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

9 S. Athanasius fugit, cum a Constantio imperatore Ariano persecutionem pateretur; qua de fuga scripsit apologiam, *Migne gr.* 25, 643 sqq., praesertim 658 sqq. (c. 11 sqq.) et 666 sqq. (c. 17 sqq.). Cfr. *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Literatur III 50 sq.

In tertio capite ponuntur decem argumenta, quibus probatur, residentiam esse tantum iuris ecclesiastici. |

135v In quarto solvuntur, et ostenditur, quod papa numquam dispensavit super residentia, hoc est, super illa obligatione, sed super tempore, super causis, super modo. Et nulla potest afferri ratio, quae probat oppositum.

⟨Humillima creatura S[mi] D. N. et Caroli Borromaei cardinalis Amplissimi et Illustrissimi servulus

Fr. Hieronymus Vielmius, ord. Praed.,
in Romano gymnasio theologiae publicus de mandato professor⟩ [a].

101.

De residentia [1].

[Post mensem Aprilis 1562].

Frauenburgi Arch. capituli cathedralis *cod. A b 5* f. 42 sqq.; cop. coaeva.

Tria dubia solvere conatur auctor: I. An episcopi in ecclesia sint a Christo immediate instituti? II. An aliquod Dei praeceptum extet, quod munus episcopale per se ipsos et non per vicarium praestare teneantur? III. Posito quod sic, an propterea consequens omnino sit, ut illis residentia tamquam medium necessarium praecepta esse putetur?

Cod. Frauenburg A b 5

Quaestionem a nonnullis patribus in Tridentina synodo propositam de residentia episcoporum tractaturus, an sc. ea iuris divini sit, illud in primis statuendum censeo nos hoc loco divinum ius accipere pro Dei institutione praeceptoque, quod vel verbis eius expressis, vel eiusdem verborum virtute necessaria quadam consequentia contineatur. Nam si de illo iure divino sermo est, quod nobis vel conciliorum vel summorum pontificum decretis vel alia quavis apostolica vel ecclesiastica institutione et traditione revelatum est, iuxta illud: [2] *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*, et illud: [3] *Si sermonem meum servaverint, et vestrum servabunt;* et alibi: [4] *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*, nempe ut quemadmodum Christi redemptoris nostri verba non Christi, sed eius qui miserat eum Patris, ita etiam ecclesiae verba non ecclesiae, sed Christi esse dixerimus: Si, inquam, in hunc sensum divinum ius accipiamus, utique nullam video esse inter patres ea de re controversiam; hoc enim iure, idest ecclesiae praecepto, episcopos ad residendum teneri nemo est, qui non fateatur. Priore autem illa ratione, an sc. Dei ore expressa, vel saltem verborum eius virtute necessario comprehensa residentia inveniatur, id vero est, quod maxime controvertitur. Quod meo iudicio propterea accidit, quoniam ecclesiastica quidem mutabilia sunt, divina vero praecepta, ut sunt, quae in concilio iuris divini esse declarantur, a nemine teste divo Thoma [5] nec ab ipsa etiam sede apostolica mutari queunt, quod etiam sacris canonibus non uno loco [6], et a catholicis doctoribus traditum est. Igitur, ut hoc planum fiat, tria nobis explicanda erunt: Primum, an episcopi in ecclesia sint a Christo immediate instituti; satis enim constare videtur, quod nisi sint saltem in universum a Christo instituti, non satis intelligi poterit, quomodo eis a Christo fuerit residentia praecepta. Alterum est, quatenus a Christo fuerint instituti, an aliquod Dei praeceptum extet, quod munus episcopale per se et non per vicarium praestandum expresse teneantur; nisi enim id praeceptum extet, non satis video, quonam pacto residentia haec a Christo instituta dici possit. Tertium et postremum est, quatenus episcopis a Deo praeceptum sit, ut ipsi per se munus suum praestent, an propterea consequens omnino sit, ut illis residentia quoque tanquam medium, sine quo nullo modo munus ipsum exequi possit, praecepisse putetur.

[a] *manu propria auctoris*

[1] Tractatus iste De residentia, conservatus hodie inter scripturas cardinalis Hosii, nomine auctoris caret; tamen verisimile eum vel a theologo Tridenti morante scriptum esse, vel etiam ab externo et Hosio postea transmissum, dum controversia de iure residentiae adhuc vigebat.

Auctor in margine saepius loca sacrae scripturae praesertim et iuris canonici allegat, non semper exacte. Quas allegationes praetermisimus, reiicientes lectorem ad commentaria nostra.

[2] *Luc.* 10, 16.

[3] *Io.* 15, 20.

[4] *Io.* 20, 21.

[5] Cfr. supra p. 637 adn. 2.

[6] Ex. gr. c. 6 *Sunt quidam* C. 25 q. 1, *Friedberg* I 1008.

I.

Quoad primum, an ipsi fuerint a Christo immediate instituti in ecclesia, quamquam variae ea de re extiterint sententiae, nec defuerint, qui Petrum solum a Christo institutum episcopum asseveraverint, quippe cui soli prae ceteris oves omnes commissae fuerint [1], cum apostoli legatorum potius quam episcoporum munere fungerentur, ut nomen ipsum apostolorum prae se fert atque praeceptum Domini etiam innuit [2], quo euntes iubet per universum orbem praedicare evangelium; tamen quod ad praedictam quaestionem attinet, potius nunc crediderim episcopos fuisse a Christo immediate in ipsis apostolis institutos, in quorum, ut tradunt Clemens, Anacletus et Sixtus [3], locum successerunt, cum verba illa Redemptoris nostri apostolis dicta: [4] *Et eritis mihi testes* per universam terram, teste Augustino [5], successoribus quoque dicta censeantur, quemadmodum et illa: [6] *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, praesertim vero accedente autoritate divi Pauli [7], qui apostolos, profetas pastoresque a Deo datos esse testatur.

II.

An autem episcopis verbo Dei divino vel praecepto iniunctum sit, ut episcopale munus per se, non autem per substitutos praestent, id vero, quantum ego percipere [possum], difficultate vel maxima non caret, nam pro affirmativa parte innumeri paene scripturae loci adferuntur, qui id expresse testari videntur, velut illud Ezechielis [8]: *Vae pastoribus Israel pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri eo, quod non esset pastor, qui requireret;* et infra: *Propterea requiram gregem meum de manibus eorum et cessare faciam, ut ultra non pascant gregem meum.* Item *Hieremias* [3, 15]: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Item *Ezechiel* [33, 7] alibi: *Speculatorem dedi domui Israel.* Item et illud *Lucae* [2, 8]: *Et erant pastores vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Item Paulus ad *Hebraeos* [13, 17]: *Ipsi*, inquit, *pervigilant, quasi rationem redituri pro animabus vestris.* Item Petrus [9]: *Pascite illum, qui in vobis est gregem*, et quae sequuntur. Quin et ex illo Pauli loco [10]: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, arguitur quod, cum episcopatus opus sit cumque episcopi vita sit activa, non contemplativa, cumque doctorem esse episcopum oporteat [11], cum verbo Dei expresso praeceptum sit apostolis [12] (quorum, ut dixi, episcopi successores sunt), ut praedicarent ipsi ac sibi testes essent per universum orbem; quae utique verba Augustinus ad successores etiam pertinere, ut diximus [13], est autor, satis perspicuum esse videtur, episcopos divino praecepto teneri ad episcopale munus per se praestandum, non autem per substitutum seu vicarium. Atque ut multa alia omittam, quae ab aliis copiosissime in hanc sententiam allata sunt, quibus idem plane effici videtur, movet me summopere locus a nemine quod sciam hactenus adductus. Is autem est exemplum, autoritas, praeceptumque Redemptoris ac veri doctoris nostri. Ipse enim verus episcopus et *pontifex futurorum bonorum* [14], ut ecclesiam suam praesentia et persona sua visibili, non autem per angelum aut per profetam fundaret regeretque, humanam carnem hominumque consortium non despexit, quin et verbis suis aliquando docuit, bonum pastorem ponere animam suam, non alienam pro ovibus suis [15], quod et mox opere praestitit, cum se ipsum, non alium humiliavit, factus pro omnibus suis obediens usquead mortem [16]. Quodsi omnis Christi actio nostra est institutio, quod magis perspicuum quaerimus et apertum exemplum, ut quemadmodum ipse fecit, ita et faciamus? Si praeceptum expectamus, quid significantius et apertius dici potuit? Quomodo enim animam pro ovibus ponet, qui illas non vidit? Quod si quid ulterius etiam quaerimus, nonne eo modo, quo Pater illum misit, ita ipse suos misit apostolos? Si eo modo ergo, ut personaliter et non per alium pascerent, quemadmodum igitur ipse praecepta Patris servando in Patris dilectione manebat, ita et apostoli et apostolorum successores servando eius mandata in dilectione sua manebunt [17]. Qui cum coelum ascensurus esset post suam resurrectionem a mortuis, nonne

[1] Cfr. *Io.* 21, 17.
[2] Cfr. *Marc.* 16, 15.
[3] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 39.75 08.
[4] *Act.* 1, 8.
[5] Ep. 199 c. 12. n. 49, *Migne* 33, 923.
[6] *Matth.* 28, 20.
[7] Cfr. *1 Cor.* 12, 10; *Eph.* 4, 11.
[8] *Ez.* 34, 2 et 8-10.
[9] *1 Petr.* 5, 2.
[10] *1 Tim.* 3, 1.
[11] Cfr. *1 Tim.* 3, 2.
[12] Cfr. *Act.* 1, 8.
[13] Supra adn. 5.
[14] *Hebr.* 9, 11.
[15] Cfr. *Io.* 10, 11.
[16] Cfr. *Phil.* 2, 8.
[17] Cfr. *Io.* 15, 10.

Petrum loco sui substituit, ut Chrisostomus testatur [1], quod antea nondum fecerat, quasi expresse docens ecclesiam non sine visibili personalique pastoris praesentia regi posse.

Quibus certe rationibus plane intelligitur pastoralem functionem omnino pastoris [praesentiam] requirere. Licet ex adverso non desint, qui multa adducant. Quorum primum illud est, quod praeceptum, quo Petrus pascere iubebatur oves Christi [2], nullo modo per se ipsum exequi poterat, nisi cooperatorum ope adiutus. Quo fit, ut pascendi munus delegabile videatur esse, quin et apostolos alios, praecipueque Paulum idem fecisse legimus, qui Corinthiis inquit [3]: *Misi ad vos Timoteum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quae sunt in Christo Jesu*, et alibi [4]: *Rogavi Titum et misi cum illo fratrem*, scil. Barnabam vel Lucam. Item ad *Titum* [1, 5]: *Huius rei gratia reliqui te Cretae*, et quae sequuntur. Quodsi apostolus Paulus munus apostolicum sibi non ab homine nec per hominem, sed a Deo demandatum per vicarios et substitutos exequebatur, id multo magis episcopis licere debere dicendum videtur. Quod et ipsum sacris canonibus sancitum legimus [5], quibus praedicandi, absolvendi, ad sacerdotium promovendos instruendi, aliaque tam iurisdictionis quam ordinis delegandi facultas conceditur. Quod ipsum quoque usu diuturno ecclesiae comprobatur, in qua S. R. E. cardinales tum sex illos episcopatus per substitutos et vicarios, tum et alias sibi commissas ecclesias gubernare ab immemorabili tempore citra soliti sunt. Satis enim constat cardinales omnes ad titulum aliquem animarumque curam, si presbiteri sint, promoveri, quo fit, ut aut titulos, i. e. parrochias, per substitutos necessario regant, dum aliis ecclesiis operam navant, aut aliasdeserant, dum parrochiis ipsis assistunt, cum fieri non possit, ut uno tempore duobus dominis serviant. Nec obiiciat mihi quisquam hanc esse recentem Romanae curiae abusum, quia scil. cardinales prisci suas tantum parrochias et titulos obtinerent, quoniam hoc idem tempore Gregorii [6], tempore postmodum Innocentii III etiam accidisse legimus [7], quo etiam plures uni parrochias ex causa concedendas a generali illo Lateranensi concilio statutum fuit. Quo pariter concilio permittitur [8], ut qui curam habet annexam dignitati vel praebendae, possit per vicarium curae vacare. Quod ipsum usque adeo verum esse asserunt quidam, ut possit scil. quis episcopatum per vicarium licite regere, ut non modo ad tempus breve aliquod, sed perpetuo etiam liceat in eo coadiutorem obtinere vel etiam episcopatum ipsum omnino renuntiare, quia scil. super huiusmodi cura episcopali tanquam super voto quodam a summo pontifice, ut inquit divus Thomas [9], dispensari possit. Quae quidem delegationes, dispensationes et pluralitates satis repugnare videntur personali illi functioni, quae per substitutam personam ab episcopo praestari divino iure prohiberi dicunt.

Quo autem ad supra scriptas autoritates, quae pro altera parte adferantur, non desunt, qui illis omnibus unica responsione satis factum putent, negando scil. ex illis effici, ut episcopi prohibeantur per idoneos vicarios et substitutos ecclesias gubernare vulgari illa regula, quod, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, cum, ut Antherus Papa et martir epistola sua testatur [10], sedem non mutet is, qui non mutat mentem. Quibus inhaerendo posset et ad exemplum per me allatum Salvatoris nostri responderi, quod illud ad perfectionem spectans magis consilium quam praeceptum appellari posset, quemadmodum et illud [11]: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Quamquam et obiter replicari posset statum episcoporum esse statum perfectionis, iccirco ab eis exigi perfectionem tanquam debitam et ex praecepto sibi iniunctam.

His atque aliis argumentis secunda haec proposita quaestio dubitabilis omnino redditur, cum ex altera parte personarum industria electa sit, episcoposque doctores, irreprehensibiles et unius uxoris viros cum esse oporteat [12], cumque ex illis ovium ipsis commissarum sanguinem sit Deus perquisiturus [13], ipsique et oves suas cognoscere et ab ovibus cognosci oporteat [14]; ex altera vero, cum munus ipsum episcopale delegari, per coadiutorem et vicarium exerceri in

[1] Cfr. hom. 88 in Io., *Migne gr.* 59, 477 sqq.
[2] *Io.* 20, 21. [3] *1 Cor.* 4, 17.
[4] *2 Cor.* 12, 18.
[5] Allegat auctor in margine c. 15 *Inter cetera* X de off. iud. ord. I 31, *Friedberg* II 192; c. 13 *Excommunicamus* X de haer. V 7, *Friedberg* II 788.
[6] C. 5 *Relatio* C. 21 q. 1, *Friedberg* I 853.
[7] C. 28 *De multa* X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.
[8] Ibid. c. 30 *Extirpandae, Friedberg* II 478.
[9] Summa theol. II-II q. 185 art. 4: *Soli enim papae licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum astrinxit episcopatum suscipiens.*
[10] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 152.
[11] *Matth.* 19, 21.
[12] Cfr. *1 Tim.* 3, 2.
[13] Cfr. *Ez.* 3, 18.
[14] Cfr. *Io.* 10, 14.

multis casibus posse constet, immo cum et ipsemet G a e t a n u s fieri posse fateatur [1], ut quis absens melius et exactius per substitutum ecclesiam regat, quam alter praesens: Quod et tenet I n n o c e n t i u s [2] arguendo, quod illustris et literatus melius reget decem ecclesias quam alius unam.

III.

Sed tamen esto, quod affirmativa pars vera sit, ut scil. episcopus docere, sacra ordinesque ministrare aliaque episcopalia exercere per se iure divino teneretur (id enim mihi magis omnino pium, si sane intelligatur, videtur esse), adhuc tamen, quoniam residentia non praecipitur nisi ut medium quoddam ad ea praestanda munia, n o n o m n i n o c o n s e q u e n s e s s e v i d e t u r, u t r e s i d e n t i a a b s o l u t e i u r i s d i v i n i e s s e d i c a t u r.

P r i m o quia, cum medium hoc non sit per se absolute et simpliciter necessarium, sed ut necessarium secundum quid, praesupposita scil. prius institutione ecclesiastica, qua episcopi in certis terminatis residentes diocesibus non vagantes pastorale munus exercere iubentur, pariter residentia non per se absolute iuris divini esse intelligetur. Qua ex re evenit, ut mutata, moderata vel quomodocumque alterata ea institutione sive ad tempus sive perpetuo sive pro loco sive pro persona ipsa intelligatur. Nam si episcopatuum distinctio et divisio, si unio et erectio et extinctio illorum non iure divino, sed positivo instituta est, et iccirco arbitrio summi pontificis penitus subiacet, consequens est etiam, ut in illis residere vel non residere illosque per episcopi personam vel per vicarium regere perpetuo vel ad tempus totum pendeat [ab] arbitrio eiusdem. Cui enim, quod plus est, licet, licere etiam intelligitur, quod minus est. Si enim summus pontifex unum episcopatum unit alteri, ex qua unione sequitur, ut unicus episcopus duos episcopatus perpetuo regat, si unire potest tria aut quattuor, si plura curata similiter sub uno titulo redigere potest, multo facilius concedendum ei est, ut ad tempus vel durante etiam vita unus episcopatus aliquis aut curatum beneficium regatur per vicarium. Quo fit, ut non sit mirum, si G r e g o r i u s uni duos dederit episcopatus [3], et si I n n o c e n t i u s III in concilio Lateranensi pluralitatem curatorum conferendam arbitrio suo et sedis apostolicae reservaverit [4]. Item si idem renuntiationes episcopatuum concesserit, ut supra recensuimus; quodque divus T h o m a s super huiusmodi praelatorum obligatione et vinculo a papa dispensari posse dixerit [5]. Item quod cardinales S. R. E. plures semper ecclesias obtinuerint; qui enim plures esse statuit, facile poterit plures in unam ad tempus redigere, et qui potuit statuere, ut illae per episcopos vel curatos regerentur, facile poterit, ad tempus ut per vicarium regantur, decernere. Quod si quis hanc episcopatuum distinctionem gubernationemque fuisse ab ecclesia, non autem divino institutam praecepto dubitet, legat, quae in concilio N i c a e n o [6], quae in canonibus apostolorum [7], quae in C a l c e d o n e n s i [8], quae in A n t i o c h e n o [9] et S a r d i c e n s i [10] ea de re tradita sunt, legat concilium C o n s t a n t i n o p o l i t a n u m primum, ubi, postquam Alexandrinum ab orientalibus episcopis Asianaeque a Ponthi Thraciaeque diocesibus distinctae essent, legentur haec verba [11]: *Ecclesias autem in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit iuxta consuetudinem, quae est a patribus observata.* Quibus plane verbis intelligitur rationem hanc regendi ecclesias per distinctas episcoporum residentias hominum consuetudine et instituto, non divino praecepto fuisse inventas. Ideoque illas non ita omnino perpetuas et immutabiles esse ut ea, quae iuris divini sunt. Animadvertat etiam, quod apostoli, quorum successores sunt episcopi, ut diximus, non una in diocesi residere, sed euntes praedicare per universum iubentur. Legat item C y p r i a n u m de simplicitate praelatorum [12], dicentem episcopatum unum esse indivisum, cuius partes in solidum a singulis episcopis, non distincte tenentur. Legat I n n o c e n t i u m hoc idem in proposita quaestione de residentia tenentem expresse [13], legat et C l e m e n t i s epistolam ad Iacobum fratrem Domini, cuius haec sunt verba [14]: *Episcopos autem per singulas civitates, quibus ipse Petrus non miserat, per doctos et prudentes sicut serpentes, et simplices sicut*

[1] *Thomas de Vio Caietanus* in Com. ad II-II q. 185 art. 5 ad 2.
[2] Quod argumentum in Com. Innocentii IV ad loc. non invenio.
[3] Cfr. supra p. 640 adn. 6.
[4] Cfr. supra p. 640 adn. 7.
[5] Cfr. supra p. 640 adn. 9.
[6] Can. 15 et 16, *Hefele* I 418 sqq.
[7] Can. 14, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 28.
[8] Can. 5, *Hefele* II 510.
[9] Can. 3, *Hefele* I 514.
[10] Can. 3-5, *Hefele* I 560 sqq.
[11] Can. 2, *Hefele* II 15 sqq.
[12] De unitate eccl. c. 5, *Migne* 4, 501.
[13] Allegat auctor c. fin. X de cler. non resid. [III 4], quod nec Innocentii est nec ad rem facit.
[14] Ep. 1 cap. 27, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 39.

columbae (iuxta Domini praeceptum) nobis mittere praecepit. Legat et alia permulta in decreto Gratiani relata [1].

Altero praeterea argumento confirmatur residentiam non esse medium adeo absolute necessarium ad episcopalia praestanda, ut sine eo illa exequi nullo modo possint, ut Gaetanus affirmat [2]. Episcopalia etenim, ut notum est, duabus continentur facultatibus, altera scil., quod ordinis potestas dicitur, altera quae iurisdictionis. Quantum ad ordinem attinet, certum est residentiam non esse necessariam, cum et praedicare, quod mixtum est, et ordinare sacraque facere in aliena diocesi de consensu alterius episcopi, ut canones apostolorum docent, liceat cuique episcopo. Quod ipsum etiam de S^{mi} D. N. licentia in Urbe et ubique ab episcopis titularibus vel pauperibus fieri videmus, quibus certe casibus episcopus personalem functionem praestat, et tum non residet.

Quantum vero ad iurisdictionem, si quis diceret residentiam esse necessariam, huic ego duplici ratione responderem: altera, quod cum iurisdictio non sit episcopis divino iure, sed a summo pontifice tributa, ut omnes fere in sancta synodo fatentur, et docet divus Thomas [3], cardinalis a Turre Cremata [4], et ipsemet Gaetanus apertissime tradit [5], qui huius rei tot esse argumenta testatur, quot ad probandum Petri primatum cumulari possent, mirum videretur, si divino iure ad illam personaliter exequendam episcopi astringerentur. Magis enim consonum videtur, ut, quo iure tribuitur et conceditur ipsis episcopis iurisdictio, eodem quoque illa exerceatur, cum plane constet eandem iurisdictionem augeri, diminui et tolli posse ab eomet, qui eam dedit, i. e. summo pontifice.

Altera via respondeo, quia scil. usu longo ecclesiae, optimo interprete, videmus electum, qui nondum ordinatus est episcopus, iurisdictionem obtinere, eamque alteri delegare, quin imoet vicarios ipsos episcoporum, qui superiurisdictione tantum constituuntur, adeo receptos et approbatos ab ecclesia legimus, ut etiam in corpore iuris canonici tanquam ordinarios esse videamus [6]. Itaque si nec ad ordinis nec ad iurisdictionis facultatem exercendam residentia medium absolute necessarium dici potest, consequens est, ut neque absolute de iure divino dici possit, ex ipsa etiam Gaetani ratione. Quinimo (ut modum tandem aliquando faciam), si residentia haec indistincta et absoluta, quae proponitur, pendet, ut demonstravimus, ex ecclesiastica institutione, si hominum voluntate formata in dioceseon distinctione, hominum etiam voluntati saltem quod ad illam et arbitrio subiacet. Imo si grex (qui episcopo committitur et cuius cura residentiam postulet) a papa et sic ab homine illi commissus est, non autem a Deo immediate, item si eiusdem gregis cura papae commissa a Deo ab eiusdem moderatione, ne et arbitrio omnino pendet, quid magis absurdum considerari potest, quam residentiam in eo grege episcopi alicuius absolute necessariam appellare? Satis enim notum est, quod cum humanarum rerum causae aliae necessariae, aliae contingentes nominentur, solae, quae ex hominum voluntate proficiscuntur, contingentes et non necessariae dicuntur; valde enim pugnant duo haec, ut voluntati summi pontificis et sanctae sedis apostolicae subiaceat distinctio distributioque dioceseon, illarumque principalis et praecipua cura et regimen in illisque terminata etiam propria certaque episcoporum residentia, et quod eadem residentia sit medium ad divinum praeceptum exequendum omnino ipsis episcopis necessarium, quasi id illis mandatum sit, quod ex alterius magis quam ex suo pendet arbitrio.

Quod si quis urgeat adhuc et hoc utatur argumento (quam in eo maxima ex adverso fieri vim intelligo): Scimus ecclesiam omnem uni Petro Petrique successoribus fuisse commissam illis verbis [7]: *Pasce oves meas*, scimus eandem ecclesiam ab eodem per episcopos regendam esse arbitrio suo, i. e. norma et regula ab ipso statuenda, sed tum, sive per distinctas dioceses sive indistincte illam regere episcopis iusserit summus pontifex, dicimus tamen, quod, cum episcopatus opus sit, et episcopus a Deo institutus, quoquo modo et quaqua forma illi opus suum sit ex praescripto papae exequendum, ad id semper exequendum divino praecepto tenebitur. Ut enim papae instituto peragrando potius quam alicubi residendo teneatur episcopus munus suum praestare ad instar apostolorum, tamen quoniam divino praecepto id

[1] Allegat auctor in marg. c. 1 *Provinciae* D. 99; c. 1 *Urbes*, c. 3 *Episcopi* D. 80; c. 1 *Ecclesias* C. 12 q. 1, *Friedberg* I 350. 279 sq. 717 sqq.

[2] *Caietanus* in Commentariis ad II-II q. 185 art. 5 tria distinguit genera actuum episcopalium: Primo, qui exigunt certum et determinatum tempus, ut collatio ordinum et confectio chrismatis; secundo, qui sunt indeterminati temporis, sed non frequenter occurrunt, ut consecrationes et benedictiones; tertio, qui sunt temporis indeterminati et frequentis, ut est actus pascendi Christi gregem. *Et ratione eorum tenetur episcopus continue in episcopatu residere, quoniam tanta temporis frequentia continuam exigit residentiam.*

[3] S. th. II-II q. 39 art. 3.

[4] De potestate papae et concilii generalis ed. *I. Friedrich* (Oeniponti 1871) 67.

[5] De auctoritate papae et concilii c. 19: Opuscula (Venetiis 1588) 20 sq.

[6] X de off. vicarii I 28.

[7] *Io.* 21, 17.

praestare tenetur, peragrare etiam divino praecepto tenebitur, quemadmodum et hodie residere tenetur.

Ad hoc ego respondeo, quod in hac thesi duo termini considerantur: Finis, qui est pascendi, et medium, quo finis consequitur, quod est residentia. Finis quidem, idest pascere, Dei praecepto continetur, medium autem, idest residentia (cum alia quoque excogitari possint) ecclesiae et summi pontificis iudicio permittitur. Si igitur medium, quod est hodie residentia quaeque mutationi subiacere potest, divini iuris esse declaraverimus, utique veritatem huius ecclesiasticae institutionis obscurabimus, et quod voluntarium est, necessarium, quodque mutabile est, perpetuum et immutabile faciemus. Itaque episcopis praeceptum esse, ut quantum per eos fieri poterit munia omnia praestent episcopalia, doceantque et invigilent super Christi gregem, id mihi divini iuris esse summopere probatur. Sed quo potissimum loco, quave ratione, sive peragrando sive residendo sive in aliena potius quam in propria diocesi (cum propria cuiusque diocesis summi quoque pontificis diocesis esse dicatur) quando omnino per se, quando etiam per alium, et in summa: quo medio, quave forma id exequatur, illud totum ecclesiastica contineri institutione et ex cura moderationeque Romani pontificis prorsus pendere existimo.

102.

Ioannes Carolus Bovius ep. Ostunensis: De residentia [a] [1].

[Mense Maio exeunte vel Iunio 1562].

Mediolani Bibl. Ambrosiana *cod. D 181 inf.* f. 131ʳ-139ʳ, cop. saec. XVI [= M]; Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 48* f. 222ʳ-244ʳ, cop. coaeva [= N]; ex qua fluxit cod. antea *Vindob.*, nunc *Neap. 6017* f. 27ᵛ-42ᵛ; cfr. *M. Denis*, Codices manuscripti theologici bibl. Palatinae Vindob. II 2332 sqq.; *Conc. Trid.* II p. XCV sqq. Parmae Bibl. Pal. *cod. 997 fasc. 8*, cop. coaeva; Venetiis Bibl. S. Marci *cod. L V 28* f. 117ʳ-129ʳ, cop. saec. XVI. Edd. [*L. Morandi*], Monumenti di varia letteratura tratti dai manoscritti di L. Beccadelli II 201-223 ex cod. Parmensi [= P]; *F. A. Zaccaria*, Excursus literarii (Venetiis 1754) 337-351, ex cod. quodam Cremonensi [= Z].

Introductio: Status quaestionis; auctoris propositum. I. Declaratio residentiam episcoporum esse iuris divini non minuit auctoritatem sedis apostolicae: 1. Non praebet eius adversariis errandi occasionem aliter ac haereticis praebuit occasionem ipsum evangelium. 2. Quomodo intelligendum sit, potestatem episcoporum esse immediate a Christo: quae sint pontificis maximi partes in applicatione et usu eiusdem potestatis. 3. Comparatio potestatis episcoporum cum sacerdotali. II. Declaratio residentiam episcoporum esse iuris divini nec ius canonicum evertit nec acta pontificum rescindit: 1. De natura legum, canonum, dispensationum. 2. De singulis canonibus, qui ab adversariis obiiciuntur. 3. De actis pontificum. 4. De auctoritate legum ecclesiasticarum comparata cum illa praeceptorum divinorum. 5. De exemplis conciliorum III. Declaratio iuris divini nunc ecclesiae est cum necessaria tum salutaris tum unicum praesentium malorum remedium

1. Cum nuper in conventu patrum de episcoporum officio deliberantes rationem iniremus, quatenus episcopi sine vacatione ulla aut muneris sui intermissione in ecclesiis manere cogerentur, necessarium multis est visum, ut in primis de legis authoritate quaereretur, quod et rei ordo ita postulare videbatur et ad continendos in officio episcopos valde pertinere, si Christi mandato ac divinae legis vinculo se astrictos esse intelligerent. Quidam vero legem hanc ecclesiasticam potius iudicantes mentionem divini iuris fieri nolebant. Alii cum non dubitarent, totum hoc ius ad leges evangelicas divinasque pertinere, tamen censuerunt minime expedire, ut synodi decreto haec lex sanciretur. Ambros. D 181 inf. f. 131ʳ

[a] *M inscriptione caret. N manu saec. XVII habet titulum* Bononiensis episcopi Austunensis de residentia; *P* De residentia Ioannis Caroli Bovii, episcopi Ostunensis

[1] Ex ipso tractatu apparet scriptum eum fuisse, dum quaestio iuris divini Tridenti vehementissime agitabatur, i. e. postquam ibi innotuit defensores iuris divini Romae pro inimicis sanctae sedis haberi; propterea censemus eiusdem fere temporis esse, quo litterae 31 praelatorum ius divinum defendentium ad summum pontificem (6. Iunii 1562), in quibus se operam daturos promiserunt, ne sanctae sedis auctoritas aliqua ex parte laedatur nec ecclesiasticae hierarchiae ordo perturbetur (*Morandi*, Monumenti di varia letteratura II 223 sqq.). Quibus etiam ep. Ostunensis subscripsit.

Auctor, Io. Carolus Bovius ex clara familia Bononiensi, filius Andreae, Ferrantis Gonzagae locumtenentis, in universitate Bononiensi discipulus Romuli Amasei et laureatus a. 1552, a patruo iam a. 1546 in episcopatu Ostunensi coadiutor assumptus eidem postea successit; a. 1564 Brundisium translatus obiit a. 1570. *Van Gulik-Eubel* III 282. 156; *Fantuzzi*, Scrittori Bolognesi II 342 sqq. Tridentum advenit 3. Febr. 1562, *Conc. Trid.* III 1, 23. Anno 1563 Venetiis Constitutiones apostolicas latine versas edidit, cfr. *F. X. Funk*, Die apostolischen Konstitutionen (Rottenburg 1891) 366 sqq.

Ego tum rectissimam, ut arbitror, sequutus sententiam iis assensus sum, qui divinam sanctionem postulabant [1], respondique iis, qui legem ad ius pontificium revocabant. Contra autem eos, qui minus expedire censebant, ut id decerneretur, non est data facultas in conventu dicendi, quod qui ita sentirent, tunc obscure locuti sunt tantumque id attigerunt, quod postea in privatis congressionibus distincte aperteque explicaverunt. Nam quaerentibus ab iis nonnullis, quidnam esset causae, cur, quod verum existimarent, abditum et quasi in profundo demersum silentio obrui mallent, quam in lucem exire atque omnibus palam fieri, ita sententiam suam defendebant, quod videre se dicerent magnam confusionem oriri hoc decreto; beneficia a pontificibus concessa rescindi, iura tolli, decreta antiquari, quidquid pontifices Romani per annos trecentos egissent, id omne irritum nefariumque iudicari, denique hoc ius constitui, ut, quo iure est pontifex Romanus in universa ecclesia, eo iure sit episcopus in sua diocesi. Repetent igitur episcopi hoc iure stabilito, quae a pontificibus erepta sibi putabant, et sedi apostolicae leges ipsis praescribenti vel ad synodum eos evocanti non parebunt, cum lex Christi, cui magis obtemperandum sit, eos sedibus suis affixos destineat atque omnia eis tribuat, quae ad munus officiumque suum absolvendum pertineant. His atque huiusmodi rationibus decreti huius sanctionem dissuadent, qua suppressa sedis apostolicae dignitati et existimationi se consulere arbitrantur.

Atque ii quidem, qui haec dicunt, mihi multo minus ferendi videntur iis, qui contrariam sententiam tuentur. Illi enim ea defendunt, quae vel a magistro erroris didicerunt, vel scientiae, quam profitentur, principiis consentanea existimant. Hi contra animi sui sententiam loquuntur et veritati tenebras obiiciunt atque, ut Philistaei puteos ab Abrahami servis effossos iniecta humo obstruebant [2], sic ii veritatis fontes confictis rationibus praecludunt, quos e gesta erroris mole pro nostra virili parte patefacere debemus, quo fontem illum perennem invenire possimus, unde flumina divinorum praeceptorum manant et aquae vivae scatent salientes in vitam aeternam [3].

2. Afferam igitur ad hoc aliquid operae et laboris ego, et quantum mea tenuitas patietur, respondebo ad eorum rationes brevissime, hoc tamen in primis constituto, mihi non esse propositum, modo de sanctione divina disputare. Sumo enim pro certo atque ab eis concesso, iure divino et auctoritate impositam episcopis residendi necessitatem. Quod autem, si ea
131v decreto patrum sanciatur, detrimento fraudique sedi apostolicae | futura haec res sit: id vero nego et ab omni ratione ac veritate alienum esse contendo. Quod si probatum erit, spes est, iuris peritos aut in veram sententiam adductum iri aut certe eos aequiores nobis futuros. Illi enim, si sibi persuasum fuerit, se hoc decreto edito suos canones tueri posse, non dubito, quin ab ea opinione discessuri sint, quam consuetudine scientiae et usu rerum Romanarum imbiberunt.

I.

1. Ac primum quidem valde miror hos homines, cum sedis apostolicae causam defensionemque susceperint, non videre nihil tam dici posse sedi apostolicae contrarium, quam quod ipsi ratione sua concludunt. Nam si sanctio divini iuris (ut ii contendunt) sedis apostolicae existimationem laedit, potestatem extenuat, maiestatem minuit, profecto sedes apostolica eo quidem statu, quo nunc est, adversatur et repugnat iuri divino; humana igitur lege nititur, non divina; per immoderatam pontificum potentiam aucta est; per vim, per iniuriam vires accepit. Quo quid excogitari potest execrabilius et haereticorum sententiae convenientius! Quare duci non possunt ista tam falsa, tam absurda ex divini iuris fontibus; et cum illa summa sedis apostolicae auctoritas iure divino stabilita sit, qui fieri poterit, ut eodem iure convelli aut concuti possit? Aut quomodo verum pugnabit cum vero, dogma cum dogmate, religio cum religione?

Sed forte dicat aliquis, ista non effici per se, sed ex iure divino, sed occasionem praeberi nonnullis episcopis nimium suo iuri sententiaeque addictis, ut illa ex decreto concludant. Ego vero existimo non aliter ex hac sanctione ista incommoda oriri posse, quam si dicamus ex evangelio haereses manasse. Non debuit igitur promulgari evangelium; quoniam futuri erant, qui eius verba pervertentes perniciosas haereses inducerent. Occultanda fuit Christi divinitas propterea, quod Arius verba, quibus illa notatur, ita fuerat interpretaturus, ut Trinitatis essentiam divideret. Reticendae fuerunt geminae utriusque naturae proprietates, scilicet ne Apollinaris, Eutyches, accepta inde ansa erroris, ex duabus naturis unam constarent. Eadem

[1] Scil. in congr. generali die 15. Aprilis 1562, *Conc. Trid.* VIII 446

[2] Cfr. *Gen.* 26, 15

[3] Cfr. *Io.* 4, 14

ratio est Macedonii, Nestorii, Elvidii, Pelagii, haereticorumque denique omnium, qui nihil defendunt, nisi quod ex scripturae sententiis colligere se arbitrantur. Quare quamvis concedamus, quorumdam improbitate plerumque depravari rectissimam legis sententiam, non ideo tamen in arcano servanda veritas est, cum eam proferre et in aperto esse usum utilitatemque habet. Nam qui se intra catholicae veritatis fines continere volet, numquam talia committere audebit; si quis vero sit, qui secessionem facere expetat, et transire fines, quos posuerunt patres sui, studeat, non solum eum ecclesiasticas leges depravaturum, sed ipsa evangeliorum sanctissima oracula violaturum existimem.

Quae in eam partem disputo, quasi idem in hac sanctione fieri possit, quod dixi in evangeliis et in reliquae scripturae verbis usu venire, in quibus si aliquando ab haereticis erratum est, similitudo quaedam fuit et umbra ex scripturae verbis temeritate quadam expressa, quam cum quidam magis sequerentur, quam quod a maioribus acceperunt, in illam | fraudem in 132r
ecclesia inciderunt. Hoc vero quod simile habet, quod consequens, ut, si iuris divini sanctio fuerit episcopi in ecclesia mansio, sedes apostolica magnum detrimentum patiatur.

2. Si decernatur, inquiunt, episcoporum pascendi officium a iure divino manasse, consequens erit, ut non sit a pontifice Romano eorum potestas, sed immediate a Christo. Huic coniuncto occasionem dedit erroris illud «immediate», quod cum duo significet, magni refert, utro modo sumatur. Immediata uno modo dicuntur ea, quae cur alicui insint, altiorem causam non habent. Eiusmodi sunt principia prima, quorum praedicata immediate haerent suis subiectis, nec habent medium terminum, quo probentur, cum ex terminis suis subiectis pateant, et ipsa per se satis intelligantur. Alio modo postrema causa immediata dicitur, inter quam et eius effectum nulla alia causa media interiecta est, veluti cum multae causae ad effectum gignendum ordine quodam dispositae sunt, infima, quae effectum attingit, immediata dici consuevit. Primo modo episcopi officium immediatum authorem habet Christum, a cuius fonte episcoporum functiones fluxerunt. Si ad reliquum ordinem causarum respicias, nefas est, negare episcopatum eiusque munera ab episcopo Romano provenire. Ad eius enim officium spectat episcopos eligere atque instituere, ita tamen, ut, cum hoc agit pontifex Romanus, id agere existimetur, quod Christo authore est institutum. Quare actio, qua fiunt episcopi, et a pontifice geritur et a Christo; a pontifice tamquam a praecipuo atque summo omnium ecclesiasticorum munerum ministro, a Christo tamquam ab authore totius ecclesiasticae dispensationis, quod idem ad sacramenta eorumque officia transfertur. Eodem enim ordine Christus, omnis ecclesiastici ordinis author, ecclesiae hierarchiam descripsit, quem in coelesti omnium rerum conditor Deus servavit. In ea enim angeli collocantur a Deo omnes ita distinctis inter se muneribus conditi, ut inferiorum ordinum officia a superioribus pendeant. Prima hierarchia secundam purgat, illustrat, perficit, secunda deinceps tertiam. Idem ordo in choris servatur, quae tamen officia sunt propria angelorum, ut Deo tributa esse intelligantur, qui sic angelos condidit, ut eos sua officia inter se absolvere et exequi voluerit. Par ratio est episcoporum, quos cum Dominus instituit, tum eos per summum pastorem eligi voluit, qui, cum episcopatus munera mandat, Christi videlicet mandatum exequitur.

Sed ut rem universam explicemus, intelligendum est, potestatem episcoporum tribus modis considerari: uno modo, quatenus ipsa per se intelligitur universa quadam et absoluta ratione, non habendo respectum ad personas, quibus applicatur et confertur, secundo modo consideratur haec potestas, quatenus iure legitimo huic vel illi confertur, quod fit consecratione vel electione, quae dicitur potestas quo ad applicationem, et consistit in pastorum institutione tam activa quam passiva. Attenditur tertio loco in hac potestate eius usus et executio, quoniam vana est potestas, quae nullum actum habet.

Episcopatus, prout natura sua constat, immediate a Christo manavit, ita ut nullus Christo excepto | potuerit huiusmodi potestatem instituere. Nec assentiendum est Hiero- 132v
nymo [1] aliquando eius muneris originem communi christianorum tribuenti. Huius autem potestatis ratio ac natura functiones pastoris ita comprehendit, ut ab iis separari nequeat. Functiones porro, cum referantur omnes ad usum, ad laborem, ad opus necessarium, residendi officium inducunt, immo sua sponte hoc adeo flagitant, ut opus laborque impositus episcopo sine residendi necessitate omnino intelligi non possit. Quae omnia scripturis et rationibus facile possem probare, si mihi esset propositum, nunc de huius instituti authoritate disputare. Hoc autem allatum est, ut cognita natura eius perspicuum fiat, quid iuris in eam pontifex Romanus habet. Ad reliqua igitur pergamus.

[1] Com. in Tit. 1, 5, *Migne* 26,562. Cfr. *L. Sanders*, Etude sur S. Jerôme (Paris 1903) 296-344

Quantum attinet ad applicationem potestatis ad singulas personas, res haec voluntate arbitratuque fit pontificis Romani, qui cum sit pastor gregis christiani a Christo institutus, non certam christiani orbis partem administret, sed ut universae ecclesiae praesit, inter alia, quae pro suo munere procurare debet, hoc est sibi praecipuum, ut proprios pastores det ecclesiis, transferat de una ecclesia in aliam, mulctet etiam, si usus ita postulet, non solum extenuando potestatem, sed etiam auferendo, quod fit, cum ob aliquid crimen episcopus deponitur. Denique cum res ecclesiastica sit et politica, de pontificis maximi sententia regitur, cuius consilium cum in omnibus rebus, tum in hac maxime Spiritu Sancto duce atque authore dirigi debet. Sed fit plerumque temporum vitio, ut hoc negotium minus commode ac prorsus humano more administretur.

Venio ad usum, in quo regnat pontificis maximi authoritas. Subest enim eius moderationi et certis limitibus coercetur, suisque temporibus, locis, causis, rebus concluditur et definitur, quam quidem iure divino potestatem habet pontifex. Nam cum mandatum divinum vagum sit, communi universa ratione generique praeceptum lege ecclesiastica ad proprios casus contrahitur, quod ideo factum existimo, ut in ecclesia sicuti in omni optime constituta republica ordo et disciplina servaretur. Quod cum fit, praeposito et reliqui privati homines intelligunt, quantum sibi impositum sit muneris, quo loco, quo tempore, qua ratione et modo unumquodque agendum sit. Ita usus ecclesiasticae potestatis suis se tenet finibus, nec ultra assignata sibi spatia progredi debet. Huiusmodi autem moderatio usus duo habet fundamenta, quibus sustinetur. Unum est principatus Petri. Nam quamquam Dominus apostolos pastores constituit successoribusque eorum claves et pascendi officium continuavit, tamen in similitudine honoris fuit quaedam discretio dignitatis. Est igitur in una atque eadem societate pascendi intelligendus ordo, ut omnes, qui pascendi munus acceperunt, uni summo pastori subsint, qui non unum certum gregem pascit, quod faciunt alii, sed universam pastorum omnium curam complectitur. Alterum fundamentum est pastorum in peccando proclivitas et in abutendis davibus (ut sunt res humanae) summa facilitas. Quare oportuit, usum potestatis earum ab eo, qui summam potestatem haberet, dirigi et certis finibus concludi, denique ita gubernari, ut confusio et peccati omnis occasio tolleretur. |

133r Hinc factum est, ut, quanquam in mandando aliis apostolis pascendi munere non fuit a Christo certis finibus deffinita pastorum potestas, tamen iidem ipsi apostoli, auctore, ut par erat, Petro, usum potestatis moderati sunt, ut non unusquisque in quodvis potestate uteretur, sed certae essent ecclesiae, quibus singuli praeessent episcopi. Itaque Hierosolimis praepositus est Iacobus, Caesareae Zachaeus, Alexandriae Marcus, Epheso Timotheus, Titus Cretae. Eodem modo reliquae dioeceses suos habuerunt pastores. Servatum quoque est apostolorum temporibus, ut provinciis praeessent archiepiscopi, qui episcoporum causas cognoscerent et quaedam maiora negotia administrarent, iique rursum maiori cuidam authoritati suberant. Ipsa autem apostolica sedes fons et origo omnis ecclesiasticae potestatis hoc eximium et praecipuum ius habuit, ut esset magistra moderatrixque omnium ecclesiarum. Mos enim fuit christianis ab ultima ecclesiae origine, ut causae graviores in universo orbe pontifici Romano essent reservatae, cuiusmodi sunt episcoporum institutiones, provocationes, querelae, damnationes, restitutiones, negotia fidei omnia, ut praeteream sacra, cerimonias, ritus, qui potius ad ordinem pertinent quam ad potestatem iurisdictionis, de qua nunc agitur.

Perspicuum est autem, usum potestatis conciliorum decretis saepe fuisse astrictum, quod primum factum est in Nicaeno concilio[1], quod episcoporum iurisdictioni certos fines dedit eamque multis in rebus pontificum Romanorum moderationi subiecit. Idem habent alia concilia, quae fere omnia ecclesiasticam disciplinam ita constituunt, ut praescriptum sit episcopis, in quod potestatem habeant, quod superiori episcopo sit reservatum. Hinc vel ex conciliorum vel ex pontificum decretis ortum habuerunt exceptiones certorum criminum, dispensationum, indulgentiarum.

Eiusdem generis sunt reservationes maiorum et electivarum dignitatum, collationes aliorum beneficiorum, quae non solum iure administrationis universali pontificiae ad pontificem pertinere potuerunt, sed etiam aliqua alia propria causa, sive ratione materiae subiectae, utpote, quando inferiores electores in electionibus et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus potestate sua abutebantur et per laicorum potentiam saepe iure suo non libere uti permittebantur, sive aliqua alia singulari oeconomia, prout ecclesiae status et temporum

[1] Can. 6 et 14; cfr. *Hefele* I 388 sqq. 418 sqq.

rationes tulerunt. Quae cum ita sint, non est verendum, cum usus officii episcoporum varietur ex praescripto pontificis, ne minus liber sit pontifex, si id iure divino stabilitum fuerit.

Sed dicat aliquis: Abusus est pontifex iure suo, qui revocata ad se paene omni iurisdictione, in angustum redigit episcoporum potestatem. Quare si decernatur munus residendi iure divino constare, petent episcopi relaxari id, quod pontifices plus quam oportuit astrinxerunt. Peccasse in eo pontifices, quod episcoporum potestatem nimis extenuarunt, non colligitur ex iuris declaratione, quod divinum sit. Ostendi enim pontifices certis temporibus et causis ius divinum moderari posse licereque ipsis usum potestatis episcoporum cohibere. Sed si in eo transierunt modum, quatenus id damnabile est et medicina | eget, ad aliud 133v pertinet, non ad ius divinum. Nam etsi residendi munus non ad divinum, sed ad ecclesiasticum ius spectaret, tamen si qui in eo abusus evenirent, tollendi essent et reddenda episcopis omnia, quae faciunt ad fructuose et utiliter residendum. Sive igitur iure divino resideas sive ecclesiastico, tamen, quae recte non fiunt, semper in malis habenda erunt. Non igitur hoc facit sanctio iuris divini, ut episcopi aliquid desiderent, sed rei natura et conditio temporum, quae maxime requirunt, ut ordo ecclesiasticus in pristinam dignitatem restituatur.

Nolo autem silentio praeterire, etsi ad rem non multum pertinet, id, quod authoritate episcoporum cogitanti mihi in mentem venit. Considerabam enim, quam contraria ratione usi sunt pontifices Romani in iure ac potestate principibus et episcopis tribuenda. Illis enim privilegia dederunt et iura propria concesserunt, episcopis multa, quae ii legibus et iure consueto obtinebant, subtraxerunt. Ita effusio in principes sedis apostolicae magnitudinem exinanivit, in episcopos alieni iuris detractio vel potius proprii conservatio illorum authoritatem extenuavit. Quo evenit, ut tam in capite quam in membris ecclesiastici corporis magna sit facta dignitatis imminutio. Sed haec pontificis consilio et prudentiae relinquamus. Nos ad institutum nostrum redeamus.

3. Quoniam autem hic locus iurisdictionis et potestatis pernecessarius est ad rei propositae explicationem, et in eo arcem oppugnandae veritatis collocaverunt adversarii, quamvis de hoc sit satis dictum, tamen non videtur alienum, eandem rem alia via pertractare, qua perspicuum fiat, veritatem ex omni parte sibi consentire. Nemo dubitare debet, cum, qui sit episcopus, eum divinitus accipere potestatem exercendi ea in corpore mistico Christi, quae episcoporum sunt propria, idque e o d e m m o d o f i e r i in e p i s c o p o, q u o f i t in s a c e r d o t e, cum solemnibus precibus a b episcopo institutus accepit potestatem conficiendi corpus Christi verum. Ac quemadmodum sacerdos non potest suum munus absolvere, nisi ea materia praebeatur, quae ad consecrationem corporis et sanguinis Christi necessario requiritur, ita non potest episcopus munus officiumque suum absolvere, nisi ei materia praebeatur, in qua id exerceat. Et si contingeret, ut totius panis et totius vini, quod in orbe reperiatur, unus esset dominus, certe ab eo petenda esset materia, qua unusquisque sacerdos sacrum facere posset. Materia igitur sacrificii arbitratu illius distribueretur, et ea pars, quam dominus dedisset, in sacrificium veniret, sed tamen cum sacrificium fieret, iure divino conficeret sacerdos, quanquam materiam arbitratu hominis accepisset. Ita episcopus rite institutus habitu consequitur potestatem pascendi iure divino sibi tributam. Materiam autem, in qua illa potestate utatur, praebet pontifex maximus, qui cum sit universalis pastor et dispensator cunctorum, ad eum spectat unicuique pastori gregem proprium assignare in eoque id ius constituere, quod temporibus congrue iudicabit. Episcopus, qui gregem pascendum accepit, etsi id factum est tribuente pontifice, tamen oblata materia iure divino pascit; ita evenit, ut exhibitio materiae consilio fiat humano, functiones in ea iure divino exerceantur. Neque magni refert, quo ordine et num simul a pontifice administretur episcopi institutio et dioecesis assignatio. Non enim quaerendum est, quid fiat, sed quid ordo rei velit, | cum plerumque coniungat effectio, quod intelligentia dividit. Neque mihi obiicias 134r materiae exhibitionem, hoc est dioecesis assignationem, minime arbitratu humano fieri, cum potius ea pertinere videatur ad ius divinum, quo pontifex tenetur id facere. Dico enim, quamvis in universo genere et iure divino fiat, tamen in hac vel illa dioecesi, in hoc vel illo homine, id arbitratu humano fieri, quod patet ex iis, quae de applicatione dixi.

Quod in episcopo contingit, idem valet et in sacerdote. Qui etsi in consecratione una cum ordine potestatem accipit iurisdictionis, qua potest in foro interiori remittere peccata, tamen de necessitate sacramenti subiiciendi sunt superioris authoritate potestati eius aliqui, in quos illam potestatem exerceat. Quae assignatio quamquam libera et iure fiat humano, tamen in assignatis et attributis sibi subiectis sacerdos exequitur potestatem suam iure divino.

<Sed inter sacerdotis et episcopi institutionem hoc interest, quod in sacerdote materia, tam ea, quae ad conficiendum corpus Christi, tam quae ad exercendam iurisdictionem necessaria

est, ab ipso se iungitur potestque sacerdos esse et intelligi, qui propria materia careat. Episcopo vero dioecesis assignatio atque sui muneris in aliqua materia functio ita intima est, ut sine ea neque officium neque nomen episcopi omnino existere valeat. Quo fit, ut episcopus institui non possit, qui aliquam pontificii muneris curam atque administrationem non habeat. Quod demonstrat praxis instituendorum episcoporum exposita in Actis apostolorum atque etiam in Pauli epistolis scriptis ad Timotheum et ad Titum[1]. Ac quamquam in episcopo necessario coniuncta est institutio et gregis attributio, atque effectione, ut dixi, et re ipsa utraque in eius personam cadit, tamen natura separantur haec duo et a diversis oriuntur principiis⟩[a].

Ex iis omnibus facile intelligitur, in episcopatus institutione ac pascendi munere quid ad ius divinum pertineat, quid ad pontificium, et quemadmodum residendi officium iure divino stabilientes non auferimus sedi apostolicae id, quod eius summae authoritati debetur.

II.

Sed urgent adversarii affirmantes everti ius canonicum atque pontificum acta rescindi. Constat enim pontifices ex beneficiis curam animarum habentibus concedere solitos plura uni. Quod cum faciunt, certe solvunt illum, cui illa dant, residendi legibus, cum is non nisi in uno loco residere possit, idque pontificis ius esse legimus non solum in pontificio iure, sed etiam in conciliorum oecumenicorum decretis. Quin etiam aliquando pontifex eum, qui uni tantum sacerdotio praeest curam animarum habenti, solvit legibus, quo scilicet in academia aliqua theologiam doceat; etiam praepositi animarum curis habent dispensante episcopo vacationem septennii, quo tempore possint operam theologiae dare. His atque horum similibus, quae infinita in iure pontificio reperias, effici putant, residendi legem esse ecclesiasticam, cum saepe pontificis dispensatione dissolvatur, quod fieri non posset, si ea ad ius divinum pertineret.

1. Ad haec ut respondeamus, necesse est praemitti quaedam commmunia; quae postquam proposita fuerint, ad canones sigillatim[b] descendemus.

Et primum illud est considerandum, quod humanae actiones et officia morum non versantur in materia necessaria, quae semper eodem modo eveniat, sed sunt contingentia et
134v varietati obnoxia, ut quamvis certa regula de iis statuatur, tamen, cum | rei natura sit mutabilis, non possumus omnia ad illam normam dirigere, sed deflexio a regula est necessaria. Quae res facit, ut leges, quae de moribus et politicis sunt actionibus, saepe deficiant, ut quamvis universaliter sint latae, tamen non universaliter servari debeant, cum aliqui casus aliquando contingant, in quibus servari legem non expediat. Propterea lex id semper spectat, quod magna ex parte accidit, neque ignorat, aliqua praeter legem posse existere. Nec id vitio datur legi neque legislatori, sed naturae rei, materia enim humanarum actionum sua sponte est huiusmodi. Quare cum lex omnis feratur propter communem hominum utilitatem, commodum, salutem, si qua forte tempora incidant, in quibus lex hoc fine excidat, certe tunc servanda non erit.

Huiusmodi autem defectus legis subsunt correctioni eius, qui reipublicae praeest. Ad eum enim spectat, cum singulares casus incidunt, eos definire atque excipere, potestatemque facere, ut in iis lex non observetur, quod proprie dicitur dispensare in lege.

Dispensatio vero ea est, quam oeconomiam graeco verbo dictam nostri ad verbum de graeco vertentes dispensationem dixerunt, frequensque est in patribus utriusque vocis usus. Cuius ea ratio est, ut inquit Thomas[2], quod dispensatio significat *commensurationem alicuius communis ad singula*, atque ut paterfamilias dispensator et oeconomus dicitur, quatenus unicuique de familia ratione et iudicio distribuit opera et ea, quae ad necessarios usus pertinent, sic in quocumque hominum coetu dicitur dispensare, qui praescribit, quemadmodum aliquod commune praeceptum sit a singulis observandum.

Antiquissimi patres oeconomiam fieri dixerunt per submissionem, ita enim interpretor συγκατάβασιν, quae ideo sic dicta est, quod, qui ea utitur, praeter rerum ordinem ad quaedam propria consilia descendit. Qua ratione patres salutis nostrae mysterium dispensationem secundum carnem appellant. Nam Iesus Christus Salvator noster superatis naturae legibus se ad ima deiiciens ac demittens suamque immensitatem nostrae tenuitati accomodans, mandatum sibi in terris a Patre munus absolvit. Ab hac vero summa et praecipua oeconomia,

[a] *om. Z* [b] *sic!*

[1] *Act.* 20, 28; *1 Tim.* 3, 2 sqq.; *Tit.* 1, 5. [2] Summa theol. I-II q. 97 art. 4 in corp.

quas modo tractamus, manarunt non secus, quam ab illa aeterna paternitate omnis paternitas, quae in coelo est et in terra, nominatur [1].

Est autem intelligendum, dispensationem, cuius nunc suscepta est disputatio, duobus modis fieri: Uno modo, ut dixi, corrigendo legem et definiendo in aliquo casu, legem non servandam; alio modo relaxando et solvendo vinculum legis. Prima dispensatio in superioris lege fit, cum casus declaratur, quem dominus lege complexus non existimatur, et quem, si ipse adesset, a mandato exciperet. Relaxatio autem sit semper in humana lege, quae dispensatoris auctoritate nititur. Nam is, qui legem condidit, potest eam solvere, cum in casu, in quo lex deficit, potestatem facit non servandi praeceptionem legis, quod non pro voluntate, sed ratione recta facere debet, ut non reperiatur infidelis et imprudens in dispensatione fuisse; infidelis, si publicum bonum non spectaverit, imprudens, si dispensandi rationem ignoraverit. Propterea Dominus dicit [2]: *Quis putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

Ac si humanarum legum dispensationes subtiliter considerare velimus, inveniemus forte eas, cum recte et prudenter administrantur, non solvere vinculum legis, sed potius ex aequo et bono interpretari et declarare sententiam legis, | cum magis illa spectanda est quam eius 135r
verba. Quod uno vel altero exemplo manifestum faciam. Lex est apostolica in conciliis frequenter approbata, prohibens neophitum episcopum fieri [3]. Ambrosius, cum esset neophitus, creatus est episcopus; datum est id summae eius sanctitati et doctrinae. Num propria lex soluta est? Minime, sed potius declarata; nam causa, propter quam neophitus ordinari prohibetur, ea est, *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli* [4]. Quare cum electus est vir sanctus et humilis atque omnium iudicio probatus, non soluta est propria lex, sed exposita et correcta, cum id, quod communiter prohibitum erat, non aequum fuit in aliquo homine servari. *Ubi* enim *causa non haeret* (ut de se idem Ambrosius dicit) [5], *vitium non imputatur.* Item bigamus ordinari prohibetur [6], quod statutum est propter opinionem intemperantiae. Da mihi bigamum continentissimum, eundem virum optimum et ecclesiae utilissimum. Non solvetur (meo quidem iudicio) lex, si is ordinabitur. Sed de verbo non contendamus, nam sive interpretatio sive relaxatio dicenda sit, hoc tamen constat interpretationem idem in lege humana valere, quod valet relaxatio, videlicet, cum ad eam aliqua gravis et necessaria causa accedit.

Potest tamen dispensator in lege humana, cum ea eius authoritate nitatur, aliquanto [a] laxius moderari dispensationes, neque adeo ad vivum resecare causas, neque causas requirere, cum ratificandi locus sit supplicantibus, in iis praesertim, quae publicae utilitati et bonis moribus non adversantur. In lege autem divina interpretanda non est locus voluntati ullus, sed omnia semper agenda sunt in concilio, ratione, causa, neque quicquam omnino movendum, nisi cogat necessitas, utilitas, honestas; propter has enim atque huiusmodi causas lex divina, morum atque actionum moderatrix, alioquin locum relinquit interpretationibus, exceptionibus, correctionibus, quas non lex, sed rei praeceptae natura necessario inducit.

Est etiam animadvertendum, quod praeceptio Domini accedens iis, quae pertinent ad mores et humanas actiones, non tollit conditionem et naturam moralis materiae, sed eam relinquit eo statu, quo sua sponte et natura constat; gratia enim non destruit naturam, sed perficit.

Praeterea considerare oportet, quod propter hominum cupiditatem molestis precibus pontificum auribus obstrepentium prolixamque illorum in concedendo indulgentiam saepenumero a pontificibus quam plurima collata sunt in unius personam sacerdotia; quae tamen in foro contentioso militantis ecclesiae valida censenda sunt, cum ab eo profecta sint, qui superiorem in terris non habet.

Unde in hac frequentia dispensationum, cum orirentur quotidie lites, controversiae, difficultates, pontifices coacti sunt condere canones, quibus diffinirent et statuerent [b], quid in emergentibus difficultatibus et perplexitatibus de iure fieri debeat. Quare iudicium de dispensationibus, quod licitae sint et rectae vel secus, aliunde petendum est, non a canonibus, qui alioquin disponunt et statuunt de re, quam in usu positam inveniunt, eamque in sua natura relinquunt, nullum iudicium de ea ferentes, nisi quatenus eam legitimam censent in foro contentioso, ad quos ius canonicum immediate dirigitur. |

[a] *Z* alioquin [b] *Z* statuerunt

[1] Cfr. *Eph.* 3, 15.
[2] *Luc.* 12, 42.
[3] Can. ap. 80, *Hefele* I 824; similiter conc. Nicaeni can. 2, *ibid.* 377 sqq.
[4] *1 Tim.* 3, 6.
[5] Ep. 63 n. 65, *Migne* 16, 1270.
[6] C. 11 D. 34, *Friedberg* I 128; cfr. can. ap. 17, *Hefele* I 805.

135v Ex hoc sequitur iura, quae in iis diiudicandis versantur, ex hypotesi iura esse; posito enim et concesso usu talium dispensationum, existit iustum legitimum, quemadmodum post indulgentiam a S. Gregorio Anglis concessam [1], ut duae uxores uni nubere possent, iudicia, quae de eis fiebant, ex hypotesi iusta et legitima censenda erant. Pari ratione controversiae, quae a libello repudii Iudaeis permisso oriebantur, cum iure legitimo iudicatae erant, ex hypothesi ad ius pertinebant. Quo fit, ut si ob restituendam ecclesiae disciplinam moderatio aliqua daretur huic nimis laxae dispensandi consuetudini, nulla fieret canonibus iniuria, nulla eorum authoribus, cum sublato ex aliqua parte eo, propter quod iura necessario excogitata sunt, ipsa una cessarent.

2. His ita constitutis aliquot canones proferamus et [a] eos sigillatim pertractemus. In quibus primus occurrit canon Leonis IV [2], praecipiens eum, qui plures retinet ecclesias, unam titulatam, aliam commendatam habere. Commendationum usum fuisse olim in ecclesiis utilem ac necessarium ostendunt divi Gregorii epistolae [3], in quibus legimus, eum saepe huiusmodi oeconomia usum, veluti cum civitas episcopi clade aliqua affecta incolis destituta erat, episcopo illi propinqua ecclesia dabatur, quam ut proprius sacerdos gubernaret, ita ut suae ecclesiae praeesse non desineret. Monasteria etiam civitatum episcopis commendabantur non in perpetuum, sed quoad viri idonei invenirentur, qui illis praeessent. Tales erant veterum commendationes, quas Leo approbat, cum is a Gregorii temporibus non longe abfuerit. Quarum consuetudinem Gregorius X in concilio Lugdunensi aliquo modo restituit [4]. Quae si omnibus temporibus servatae fuissent, floreret Dei cultus et tantam ecclesiarum vastitatem non videremus.

Proferunt praeterea canonem sanctorum editum in quodam concilio ab Urbano Placentiae congregato [5], affirmante, episcopi dispensatione unum pluribus praeesse posse ecclesiis. Primum canon non loquitur de ecclesiis curam animarum habentibus. Deinde: quis negat vel propter hominum sive sacerdotum etiam paucitatem vel ecclesiarum tenuitatem, accedente praeterea locorum propinquitate ac commoditate vel aliis huiusmodi causis, duas ecclesias cum animarum cura oeconomice uni committi posse? Recolamus enim frequenter animo ea, quae de natura legum mortalium et divinarum et de earum interpretationibus et correctionibus diximus.

Par ratio atque sententia est illius celebris canonis concilii Lateranensis [6] *De multa*, quo maxime nituntur adversarii, in quo tamen illud est in primis notandum, quod cum canon duo capita contineat, unum contra recipientes plures parochiales ecclesias, alterum contra eos, qui duas dignitates in una ecclesia obtinent; id quod addit de dispensatione, adiunctum est, et continuatur [b] cum iis, quae de pluribus dignitatibus postremo loco praecepit. Quare dispensatio ad illa ultima referenda est, non ad id, quod in principio statutum fuerat. Sed concedamus, dispensationem ad utrumque referri. Attendamus tamen, quid canon velit. Primum complectitur solos sublimitate vel doctrina praeditos. Ac merito quidem; ii enim singuli binis ecclesiis utilius praesunt, quam singuli alii singulis. Sed hoc non satisfuit concilio. Aliquid praeterea desiderat; rationem ad dispensationem vult adhiberi. Quae tandem haec est ratio? Scilicet, si ecclesiarum vicinitas, si opportunitas, si insignis utilitas atque commoditas ecclesiastica, si denique necessitas oeconomiae id fieri patietur, si casus incidat, in quo servari legem sit durum, atque adeo ecclesiae inutile, poterit pontifex legem ita interpretari, ut illum casum a lege remotum atque alienum declaret. |

136r Ad canonem eiusdem concilii *Extirpandae* [7] facile respondemus, cum is potius sententiae nostrae faveat. Statuit enim, ut, si quando dignitati ecclesia parochialis sit annexa, is, qui dignitatem obtinet, maiori ecclesiae inserviat, in parrochiali perpetuus vicarius canonice instituatur, qui certe proprius pastor ecclesiae censetur, et cura animarum ad eum pertinet.

[a] *Z* ut [b] *Videtur legendum* contrariatur

[1] Quod S. Gregorius Magnus numquam concessit, licet S. Augustino ad septimam interrogationem inter alia haec responderit: *In hoc enim tempore sancta ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, ut saepe malum, quod adversatur, portando et dissimulando compescat, Migne* 77, 1191. Quam sequens normam Augustinus divortia, si ex causa fiebant, dissimulabat.

[2] C. 3 *Qui plures* C. 21 q. 1, *Friedberg* I 853. — Cfr. *Th. Campegius*, De commendis: Opuscula (Venetiis 1555) f. 183r-185v.

[3] *Ibid.* c. 5 et 6; c. 49 *Postquam* C. 16 q. 1, *Friedberg* I 776.

[4] *Aliquo modo*, scil. quoad ecclesias parochiales ad 6 tantum menses, c. 15 *Nemo* in Sexto de elect. I 6, *Friedberg* II 954.

[5] C. 2. *Sanctorum* D. 70, *Friedberg* I 257.

[6] C. 28 X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[7] *Ibid.* c. 30.

Non obstat c. 54 *Dudum* [X] de elect. [I 6][1], quod permittit duas ecclesias ita obtineri, si altera sit commendata, plures vero in titulum nisi cum apostolica dispensatione omnino detineri vetat. Nam de commendationibus iam dixi, quales antiquitas probaverit. Quae vero postea in ecclesiam irrepserunt, utinam sicut illarum nomen et similitudinem, ita vim atque naturam essent assecutae. Dispensationum vero quoties fit mentio, si in memoriam revocemus, quae de natura legum et de iure huiusmodi canonum dicta sunt, facile suppetet, quod ad omnia canonum dicta respondeamus.

Quod attinet ad theologiae magistros ad studia evocandos et de potestate facta rectoribus per certum tempus theologiam discendi: utilis est oeconomia. Quid enim, quaeso, ecclesiae Dei esse potest tam fructuosum, quam ut in ecclesiis constituantur doctores, ad quos de dioecesi clerici confluentes scripturas et rerum divinarum disciplinam hauriant? Poterunt, credo, illae parochiae brevi tempore rectorum absentiam pati, praesertim si interea recte administrabuntur, ut tales ministros perpetuo habeant, qui non modo iis, sed toti ecclesiae sint fructuosi. Nonne idem nobis nunc fit, qui ob publicam utilitatem ab ecclesiis absumus? Qui minus, poterunt illi a paroeciis abesse, cum ob propriam illarum tum ob communem utilitatem ecclesiae.

3. Condemnabimus (inquiunt) nostra sententia a c t a tot p o n t i f i c u m. Qui cum episcopos Romae vivere permiserint atque voluerint, usum dispensationum et consuetudinem pervulgaverint, plures ecclesias, quamvis praepositorum praesentiam flagitantes easque longe inter se distantes, uni saepe tradiderint, ita ut aliquando et plures episcopatus uni commendaverint, cumque in omni memoria veterum temporum pontifices haec libere egisse comperiantur, nunc videlicet [a] hoc decreto, iis omnibus rebus damnatis, pontifices illarum authores iniusti ac nefarii fuisse iudicabuntur. Meminerint, qui haec dicunt, Christum rogasse pro Petro, ne illius fides deficeret, de charitate nihil ei praecipuum promisisse. A pontificibus religionis institutum, praescriptam vivendi rationem, christianam disciplinam, fidei normam expectare debemus, quae omnia illa sanctissima sedes omni tempore firma sanctaque servavit et praestitit. Quantum attinet ad vitae actiones et ad negociorum administrationem, obnoxii sunt pontifices more ceterorum hominum negligentiae, imbecillitati, errori et reliquis animi affectionibus, quae humanam vitam perturbari et a recta ratione abducunt. Quocirca mirum videri non debet, eos, cum homines fuerint, multa vitio temporum condonasse, multa cupiditatibus hominum concessisse, quaedam eos latuisse clam, dolo, fraude expressa, in plerisque etiam ipsos connivisse. Itaque omnia quidem pontificum facta, cuiusmodi ea sint, submisse recipienda sunt iisque parere et obsequi debemus, illa autem uti sacrosancta veneramur, quae more maiorum fiunt et apostolicis institutis legibusque sunt consentanea. G e l a s i u s | de Petri Alexandrini absolutione scribens [2], tunc denique (inquit) pontificum acta rite 136v
administrari, si secundum ecclesiae regulam celebrata, si paterna traditione profecta, si more maiorum prolata, si competenti examinatione deprompta.

Propterea pontifices plerumque et sua et superiorum pontificum acta corrigunt, quod in hac ipsa dispensationum causa et in liberioribus beneficiorum indulgentiis saepe factum legimus. I n n o c e n t i u s III [3], connumeratis infinitis malis, quae ab hac commendationum consuetudine proveniunt, commendata beneficia sustulit, exceptis, quae cardinales obtinebant. B o n i f a t i u s VIII [4] revocatis omnibus non residentium dispensationibus eos detractione fructuum multavit. Quanto sanctius C l e m e n s V, cum esset praefatus in canone *Ex superne* [5], quanta pontificum effusa liberalitas in principio praesertim pontificatus largiatur, quanta importunae preces soleant impetrare, omnium ecclesiarum et monasteriorum commendationes antiquavit iisque cardinalium indulgentias comprehendit, neque destitit commemorare damna, quae huiusmodi beneficia ecclesiis attulerunt. Sequutus magna ex parte eius sententiam I o a n n e s XXII connumeratis multo acrius incommodis, detrimentis, ruinis, calamitatibus tali dispensationum licentia ecclesiae allatis, eas aliqua ratione cohibuit. Legant qui velint constitutionem *Execrabilis* [6]. Quomodo igitur obiici poterit, ea

[a] om. Z

[1] *Friedberg* II 93 sq.
[2] De anathematis vinculo (seu «Tomus») c. 12, Epp. Roman. Pontificum ed. *A. Thiel* 568 sq.
[3] Non extat prohibitio commendarum facta ab Innocentio III. Cfr. *Hinschius*, Kirchenrecht III 109 sqq.
[4] C. 21 *Non potest* in Sexto de praeb. et dign. III 4 (*Friedberg* II 1028) dispensationes super pluralitate nemini prodesse decernit, qui in supplicatione aliquod beneficium subticuit.
[5] C. 2 Extravag. com. de praeb. et dign. III 2, *Friedberg* II 1257 sq.
[6] C. unic. Extravag. Io. XXII de praeb. et dign. tit. 3, *Friedberg* II 1207 sqq.

nos damnare, quae pontifices maximi egerunt, cum illi ipsi, qui fecerunt ea, multo ante damnaverint, gravissimisque sanctionibus ac poenis e medio tollenda esse decreverint?

Praeterea dicunt, muniri viam superbis et sedis apostolicae imperia detractare volentibus. Qui cum a pontifice acciti erunt vel ad aliquid munus publicum destinati, ea excusatione utentur, quod sibi a Christo praeceptum est, ne ab ecclesiis discedant. Hi mihi non satis considerare videntur pontificis maximi authoritatem neque episcoporum subiectionem neque hierarchiae a Christo dispositae ordinem neque divinae legis naturam neque moralis materiae conditionem, varietatem, impedimenta, neque Christi mandatorum inter se consensum et convenientiam. Quare ne in his reiiciendis eadem repetens frustra laborem, nihil dicam separatim. Responsum id, qui acumen habent, ex iis, quae dixi, eliciant. Moneo autem eos, quoquomodo res sit, nihil sint de isto solliciti; reddo enim eos securos, pontificem multo plus ad compellendos episcopos ad ecclesias quam ab eis evocandum negotii habiturum. Erunt nimirum episcopi in isto addicti [a] sedi apostolicae, praesto aderunt vocati, erunt dicto obedientes, atque alteram iussionem non expectabunt.

4. Alii de residendi mandato cum recte sentiant, tamen ab hac sententia declaranda sunt alieni, verentes, ne propterea in periculum adducantur ecclesiasticae leges et existimentur ad obligandum parum roboris atque auctoritatis habere.

Etsi fuerunt non obscuri theologi, qui negaverunt, legem ullam humanam quemque mortalis culpae reum facere posse, cum nemo eam poenam lege sua statuere valeat, quam non possit in foro suo inferre, tamen reiecta illorum sententia concedimus, leges ecclesiasticas in foro conscientiae obligare et violatores interdum mortis aeternae reos facere. Sed non propterea eandem quam divinae vim habent, neque ut illae perpetuo vigent. Nam consuetudine obsolescunt et temporibus variantur et hominum arbitratu mutantur atque indulgentia solvuntur, quae omnia perspicuum est a divinis legibus esse remota. Deinde quamvis
137r peccet, | qui humanam legem violat, tamen non aeque peccat atque is, qui legi divinae non paret. Hoc, inquis ego non curo; satis est, me perinde damnari, atque si divinam legem violassem. Quid? Non curas, parumne an multum Deum offendas? Utrum in prophetam pecces, an in Deum? Si vir in virum peccaverit, fortasse ignoscet illi Dominus, sed si in Dominum peccaverit, quis pro eo oraverit? [1] Et Dominus Samuel: *Non te*, inquit [2], *reliquerunt, sed me, ne regnarem super eos.*

At scriptum est [3], inquiunt, *qui vos audit, me audit.* Recte; nam qui ecclesiam non audit, peccato obnoxius est, ita tamen, ut levius tollerabiliusque peccet, quam si Dei mandatum contemneret. Loquor de praeceptionibus ecclesiasticis, quae externam vitae ac morum disciplinam continent. Nam dogmata fidei ab ecclesia exposita ita sequi et amplecti debemus, atque si Christi voce nobis tradita essent, cum in illis definiendis ecclesia nihil novi excogitet ipsa, neque humanae prudentiae ope utatur, sed quae Spiritu Sancto authore ex scripturarum interpretatione, orthodoxorum patrum consensu, perpetuo catholicorum usu traditione que accepit, ea suo decreto declaret et quasi e coelo delapsa credenda omnibus proponat. Lex igitur ecclesiastica vivendi rationem continens non aequatur divinae legi eadem praecipienti, quamvis utraque obliget et necessario servanda sit. Qui vero ad praecipiendum aut prohibendum aliquid sufficere legis humanae authoritatem existimant, solum ad peccatum respectum habent legemque ex contemptu atque omissione metiuntur, nihil autem cogitant de authoritate praecipientis, quam quidem praecipuam servandae legis rationem arbitror. Quid enim esse potest tam efficax ad excitandum atque commovendum nos, quam sii cogitemus, Deum esse, qui iussit, cuius minimum mandatum omnibus rebus nostris et commodis anteponere debemus, cum illum patrem, dominum, conditorem agnoscamus et in eo vitae salutisque nostrae spem collatam habeamus? Idcirco Moyses, cum Hebraeis leges dabat, illud praefabatur [4]: *Haec dicit Dominus*, iudicans, ita maxime populum dictis obediente futurum. Moysem imitatus Paulus, quoties inculcat illud: [5] *Non ego dico, sed Dominus*, et in epistola ad Hebraeos conferens evangelium cum lege, tunc, inquit [6], Deum diligentius esse audiendum, cum per praestantiorem loquitur, ideoque in evangelio, cum per Filium sibi aequalem et angelis praestantiorem loquutus sit, eo concludit verba eius in evangelio loquentis attentius esse audienda. Hoc idem considerans Ioannes [7]: *Non mandatum novum* (inquit) *do vobis, sed quod audistis ab initio*

[a] Z adiecti

[1] Cfr. 1 *Reg.* 2, 25 [2] 1 *Reg.* 8, 7. [3] *Luc.* 10, 16. [4] Ex. gr. *Exod.* 5, 1 [5] Cfr. 1 *Cor.* 7, 10 [6] Cfr. *Hebr.* 2, 1 [7] 1 *Io.* 2, 7.

5. Revocant quoque nos ad huius ipsius concilii exempla, in quo dicunt cum multa alias de natura peccati originis, de conceptione Virginis, de vi ac facultate sacramentorum sint disputata, tamen nihil certo fuisse deffinitum, ea maxime de causa, ne, cum opiniones utrinque egregios deffensores haberent, si quid esset declaratum, alteri parti iniuria fieret. Idem dicunt factum in concilio Viennensi [1], in quo pontifex Clemens ita sententiam affirmantium, parvulis gratiae et virtutum habitum in baptismo infundi, approbavit, ut secus sentientibus et tantum peccatorum remissionem in illorum baptismo concedentibus locum reliquerit.

Optimum fuit consilium, quo harum rerum quaestiones vel hoc modo diffinitae fuerunt. Nam sive | doctorum ex utraque parte authoritatem spectes, sive rationum pondus et eviden- 137v tiam, non erat, cur approbatis quorumdam sententiis contrariae reiicerentur, praesertim in his propositionibus, quae, si uno modo vel alio intelligerentur, nihil intererat, et ecclesiae ex eo nulla utilitas accedebat. In hac vero sententia si quaeras doctorum numerum atque authoritatem, insignes theologi, qui hanc quaestionem explicaverunt, omnes constantissime in eandem sententiam conveniunt [2]; si rationum pondus ac vis consideretur, nulla sententia adeo aperta et evidens in scripturis reperitur, neque ulla est, quam principia naturae et morales rationes magis comprobent; si utilitas ponderetur, dogma hoc ad mores pertinet et ad constituendam ecclesiae disciplinam; quod si iure divino stabilitum fuerit, iacta erunt praeclara fundamenta, in quibus reliquam ecclesiastici aedificii substructionem excitare poterimus.

Quanto melius considerassent horum ipsorum conciliorum in duobus dogmatibus utilissima decreta. Nam cum in concilio Viennensi usurae prohibendae essent, quo homines ab illis magis abducerentur, declaratum est [3], eas iure divino esse prohibitas. In Tridentino patres cum viderent, non defuisse canonistas, qui confessionem universali statuto ecclesiae inductam dicerent, eam iure divino praeceptam esse declaraverunt [4], iudicantes ita maxime christianos sacramento confessionis obligatum iri, si sublato illo pernicioso errore, iuris divini in illo sacramento authoritas sanciretur. Haec in duobus conciliis proponuntur nobis simillima et prope eadem exempla ad imitandum, quae tamen ii homines studio defendendae sententiae suppresserunt, proferentes subtiles quasdam et inutiles quaestiones, quas illi prudentissimi patres scholasticorum otio et disputationi consulto reliquerunt et ad statuendum utilissima decreta animum applicaverunt.

Neque vero nos movere debet id, quod a nonnullis dicitur, ecclesiam per tot saeculorum aetates nihil huiusmodi statuisse. Ex quo effici volunt sententiam hanc minus veram vel certe eius sanctionem superfluam iudicatam.

Primum Basilius [5] et Gregorius Theologus [6] auctores sunt, ecclesiam non continuo universam fidei disciplinam percipere, sed paulatim pro temporum necessitate a Spiritu Sancto institui. Quare mirum non esset, si iis extremis temporibus Dominus noster, qui se nobiscum futurum usque ad consummationem saeculi promisit [7], aliqua ecclesiae indicaret et patefaceret, quae olim non ita explicata fuerunt. Deinde affirmare possumus, hoc ita certum fuisse illis priscis patribus, ut de eo dubitare nunquam iis in mentem venerit; tantum re et factis id praestabant, quod sibi a Domino mandatum esse sciebant, contra vero eos, qui negligenter officio fungebantur, eas poenas statuebant, quas mos fuit statui in eos, qui Dei legem violarent. Itaque deponebantur episcopi et a coetu fidelium removebantur, si ultra definitum tempus, quod erat brevissimum, ab ecclesiis aberant. Qua severitate non essent usi in episcopos, qui tantum ecclesiasticam legem | violassent. Sed crevit in ecclesia ve- 138r teri aliquando hoc malum. Nam pontifice Damaso, luxuriante, credo, ecclesia nimia laetitia, quam principum pax effecerat, coeperunt episcopi ecclesiis negligenter praeesse. Itaque chorepiscopis in suum locum suffectis, ipsi otio et delitiis operam dabant [8]. Ad quorum negligentiam reprimendam Damasus nullam rationem iudicavit utiliorem, quam si sublatis

[1] De decreto *Fidei catholicae fundamenti* cfr. *E. Müller*, Das Konzil v. Vienne (Münster 1934) 352 sqq.

[2] Affirmatio ita falsa sicut contraria, meliores theologos concilii ius divinum oppugnasse. Ex. gr. Ambrosius Catharinus ius divinum residentiae impugnaverat libello « Tractatio quaestionis quo iure episcoporum residentia debeatur » (Venetiis 1547); cfr. *I. Schweizer*, A. Catharinus (Münster 1910) 185 sqq.; item Thomas Campegius in opusculo de residentia pastorum (Venetiis 1555). Vide infra p. 655 adn. 2.

[3] C. un. *Ex gravi* Clem. de usuris V 5, *Friedberg* II 1184; cfr. *E. Müller*, Das Konzil v. Vienne 618 sqq.

[4] Sess. XIV de poen. can. 6.

[5] Cfr. *Basilius*, De Spiritu Sancto c. 1 n. 2, *Migne gr.* 32, 70.

[6] Saepius S. Gregorius Nazianzenus docet dogmatum formulas successu temporum Spiritu Sancto ducente esse inventas; cfr. Ep. 102 et Carm. I 3, *Migne gr.* 37, 193. 409.

[7] Cfr. *Matth.* 28, 20.

[8] Chorepiscopi in Oriente curae villarum habendae, in Occidente, ut episcopi vices gererent, sunt destinati. Lexikon f. Theol. u. Kirche II 893 sq.

chorepiscopis, episcopos doceret, eos divinis legibus Christi doctrinam exemplo, mandato apostolorum institutis teneri ad residendum[1]. Quod idem antea **L i b e r i u s** pontifex fecerat in epistola[2], qua confirmavit episcopos ob persecutionis metum proprias ecclesias deserentes. A t h a n a s i u s, patriarcha Constantinopolitanus, cum revocavit ad ecclesias episcopos, qui desertis gregibus in cohorte imperatoris sedebant, nil tam eis opposuit quam praeceptum Domini et divina mandata[3]. Quare et agnoverunt hoc remedium prisci patres, et quantum opus fuit, eo sunt usi. Quod si hanc sententiam concilii authoritate non confirmaverunt, non tanta fuit necessitas, ut synodi decreto opus esset, praesertim ad id declarandum, quod verissimum esse intelligebant. Debuerunt, credo, in synodo declarare meridie clarius?[a] Quod tamen nunc (tantae sunt nonnullis tenebrae) negatur et contrarium ingenti plausu defenditur! In tanta igitur huius nefarii atque execrati moris deformitate, accedente praesertim defensorum audacia, quod reperiri potest aptius remedium quam id, quod illi sanctissimi patres ad idem malum opprimendum excogitaverunt, quodque tantam vim habet, ut non ramos solum amputet, sed ipsam etiam mali radicem excidat?

III.

Quare quo magis haec pestis viget, et quo plures adiutores invenit, eo magis succurrendum est veritati, et divina lege id sanciendum, quod perditis iam ac prope desperatis rebus salutarem medicinam afferat. Hoc enim declarato certum erit, nullam temporis diuturnitatem huic legi obfuturam, cum praescriptio humanas leges antiquare soleat, non divinas. Quare neminem excusabit usus, neminem consuetudo, quin sibi in ecclesia assidue manendum esse intelligat.

Deinde qui maioribus officiis occupati aut patronorum obsequiis aut proprio negotio impediti ab ecclesiis perpetuo abfuturi sunt, post hanc sanctionem scient sibi impositam necessitatem deponendi ecclesias vel omnino eo commorandi, nisi fuerint adeo perditi ac profligati, ut post ius divinum omnibus propositum et palam factum velint privati commodi causa ius fasque omne pervertere.

Statuetur aliquis modus exitiabili beneficiorum multitudini, quam omnino natura odit, ratio reiicit, divina atque humana lex detestatur. Nam etsi pontifex maximus pro sua summa potestate oeconomia uti potest, tamen parce, considerate, consulto id aget, iusque divinum ita tractabit, ut non nisi gravi causa, summa ratione adductus ad eius moderationem descendat.

Videbimus ecclesias propriis episcopis destinari, eos vero non detinebit in curia ambitio, sed omisso clientum atque asseclarum officio, quo in Urbe funguntur, patronorum et pastorum in ecclesiis partes suscipient. Uni parrochiali ecclesiae unuserit praepositus, isque illam admi-
138ʳ nistrationem ita | suscipiet, ut intelligat, eam se non nisi violatis divinis legibus deserturum. Quo fiet, ut ad locorum incolas et indigenas magna ex parte ecclesiae deventurae sint, cum nemo fere sit, qui sacerdotium longinquum, quamvis fructuosum, habere velit ex conditione, ut relictis propriis sedibus sibi eo migrandum sit. Quaerimus enim sacerdotia, quamvis remota atque ubivis gentium posita accessuque difficilia, modo copiosas mercedes afferant. Ex iis veniunt quotannis domum vectigalia, quasi ex praediis possessionibus longinquis, quibus villicos praeficimus, ipsi vero otio et quieti indulgentes domi manemus.

Reprimetur et illorum hominum cupiditas, qui in quaestu et mercede ponentes sacerdotiorum adeptionem, modo rem habeant et quotidie cumulent, omnia sibi licita esse existimant. Quod si singuli singulis sacerdotiis praeerunt iique se ad ea conferent, omnia moderate et iuste fient; cessabunt infinitae lites, iurgia, invasiones. Illi vero vultures, qui semper alicuius mortui nuncium expectantes cadaveribus imminent, alio avolabunt vel sibi alium vivendi morem rationemque instituent. Haec sunt commoda, hae utilitates, quas lex divina continet, a quibus neminem, qui modo christianum nomen reipsa profiteri velit et religionem suis commoditatibus obsequi et famulari nolit, discrepaturum arbitror.

Atque antea quidem summa erat huius sanctionis necessitas, sed tamen huiusmodi, ut si esset praetermissa, tantum medicina malo defuisse videretur. | Nunc autem eo adducta res est, ut, nisi de hac re referatur, magna confusio totiusque christiani orbis offensio sit metuenda. Nam cum perspectum sit, hanc explicationem a patribus expetitam, ea neglecta homines

[a] *Ita legendum esse puto; codd.* lucere

[1] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 200 sqq.

[2] *Ibid.* 494 sqq.

[3] *Migne gr.* 142, 514 sqq. Desumpsit auctor ex appendice opusculi *Francisci Turriani*, De residentia episcoporum (Florentiae 1551).

existimabunt, libertatem in concilio desiderari[1]. Neque illud hominum opinioni satisfaciet, quod plures in coetu nostro sint futuri, qui hanc relationem non requirent vel in aliud tempus reiicient. Nam cum intellectum sit, universos fere alios praecise, nonnullos cum exceptione, omnes tamen eos idem censuisse atque animi sui sententiam declarasse, cui probari poterit, eos postea mutata sententia suum iudicium secutos? Quae res faciet, ut concilium, ad cuius exitum omnes christianorum animi sunt erecti, et quod unicum ad tanta mala remedium est iudicatum, vires, auctoritatem, existimationem amittet. Hinc occasionem arripient haeretici calumniandi nos ac dicendi, se ad concilium propterea non venire, quod in eo non propriae sententiae decreta, sed alienae voluntatis praeiudicia expectant. Illud autem erit frequenter in ore non modo ipsorum, sed etiam catholicorum omnium, nos veritatem iniustitia detinere et nolle intelligere, ut bene agamus, blandiri nobis, nolle nostra peccata detegi, abusus fovere, cum primum admota manus est ad eos, exclamatum esse atque magnos motus excitatos. Illud autem omnino erit intollerabile, quod cum homines in hac controversia viderint sedis apostolicae nomen interpositum atque eius potestatem iactatam, si nihil postea de hac re erit actum (ut sunt hominum mentes ad errorem propensae), aliquid indignum illa eximia potestate suspicabuntur. Nam (ut in principio dixi) qui contra opinantur, eo excusandi sunt, quod id defendunt, quod sibi videtur probabile. Qui vero hanc sententiam non ipsam per se expendunt, sed ea sola considerant, quae ex illa effici et colligi arbitrantur, magnam hominibus praebent occasionem minus commode de rebus sanctis opinandi. Quare ut haec offensio tollatur, nihil tam expediens tamque necessarium hoc tempore existimo, quam id decreto synodi declarari, quo patefacto persuasum omnibus sit, nihil esse illa sede stabilius, nihil potestate illa sanctius, quae neque a calumnia insidias neque a veritate periculum formidare possit.

Haec habui, quae pro defendenda veritate et pro meo perpetuo erga illam augustam sedem studio atque observantia his scriptis consignata atque testata esse volui, quae tamen omnia apostolicae sedis et huius sanctae synodi iudicio et correctioni subiicio et committo[2].

[1] Illo ipso tempore, scilicet 26. Maii 1562, oratores Caesarei legatis explicaverunt se valde mirari quia omnia negotia, quae alicuius momenti essent, statim Romam ad summum pontificem referri. *Haec et quae ad tuendam concilii libertatem spectare visa sunt, breviter et modeste attigimus. Sickel*, Zur Geschichte 320.

[2] Epistolas Francisci Torrensis de statuendo iure divino ad Seripandum directas et Aegidii Foscararii, ep. Mutinensis, ad card. Moronum ([*Morandi*], Monumenti di varia letteratura II 327 sqq.) eiusdem argumenti, quo Bovii libellus, cum ceteris dictorum auctorum litteris edemus. — Anno 1562 Remigius Florentinus ord. Pr. Venetiis apud Iordanum Ziletum librum edidit « De summi pontificis auctoritate, de episcoporum residentia et beneficiorum pluralitate gravissimorum auctorum complurium opuscula », in duos tomos divisum. Quorum primo de residentia continentur:

Thomae de Vio Caietani card. de pastorum residentia tractatus.

Bartolomaei Carranzae de Miranda archiep. Toletani Controversia de necessaria residentia personali episcoporum et aliorum inferiorum pastorum Tridenti explicata.

Iacobi Naclanti ep. Clugiensis Tractatus de episcoporum residentia ex divinis litteris (editus primo a. 1554, dedicatus cardinali Cervino); invenitur etiam inter eius Opera I (Venetiis 1567) 610-624. Cfr. *Lauchert*, Die italienischen literar. Gegner Luthers 607.

Dominici Soti ord. Pr. de residentia quaestiones, desumptae ex decimo libro de iustitia et iure (ed. primo Salmanticae 1556).

Tomo secundo continentur:

Thomae Campegii de residentia pastorum tractatus (editus primo Venetiis 1555).

Ambrosii Catharini tractatio quaestionis, quo iure episcoporum residentia debeatur, edita primo a. 1547, cfr. *I. Schweizer*, A. Catharinus (Münster 1910) 297 n. 32.

Francisci Torrensis de residentia pastorum iure divino scripto sancita (ed. primo Florentiae 1557; cfr. *Sommervogel*, Bibliographie VIII 114 n. 3).

Ambrosii Catharini Confirmatio doctrinae de personali residentia episcoporum contra quendam novitium oppugnatorem (i. e. Torrensem; ed. primo Romae 1552); cfr. *Schweizer* l. c. 302 n. 48-XXIV.

Francisci Torrensis Antapologeticus pro libro suo de residentia pastorum iure divino scripto sancita, cfr. *Sommervogel* l. c. 115 n. 11.

Francisci Torrensis de commendatione perpetuae administrationis ecclesiarum vacantium et de residentia pastorum extra ovilia sua (ed. Romae 1554, dedicatus Hieronymo Seripando archiepiscopo Salernitano; cfr. *Sommervogel* l. c. 114 n. 6).

Dominici Leonardi ord. can. reg. tractatus de residentia episcoporum, an sit de iure divino.

Ex his auctoribus Catharinus et Campegius tenent residentiam episcoporum esse iuris ecclesiastici, ceteri tuentur esse iuris divini; Naclantus via media ingreditur.

103.

Franciscus Cordubensis ord. Min.: Considerationes de personali residentia episcoporum [1].

21. Maii 1562.

Vindobonae Arch. status *Religionsakten fasc.* 7 f. 33r-36v, or.; f. 37r in calce rubrum: *Confessor reginalis*; f. 36v praeter titulum et diem suprascriptos manu Seldii: *Bei den Actis dess Concilii aufzuheben. S.* In calce invenitur manu librarii *21. Maii.*

1. A Christo magistratus ecclesiastici instituti. 2. Potestas ecclesiastica instituta propter operationem. 3. Habens potestatem astringitur ad operandum. 4. Residentia praelatorum continetur in praecepto evangelizandi. 5. Praelati non ut dominentur instituti a Christo, sed ut ministrent. 6. Praelato ministranti debetur stipendium. 7. Ex evangelio Christi praelatorum residentia. 8. Populus continua pastoris indiget residentia. 9. In sacra scriptura episcoporum residentia est inquirenda.

Religionsakten fasc. 7 f. 33r

[1.] A Christo magistratus ecclesiastici instituti.

Etsi civilis res publica suos magistratus instituat varietque, quando rei publicae bono expedire videtur, tamen ecclesiastica res publica non habet potestatem variandi magistratus, quos Christus instituit. Nam rei publicae civilis magistratus temporalem habent potestatem, quam a re publica acceperunt; est enim potestas in populo creandi magistratus ad conservandam temporalem rei publicae pacem. At potestas spiritualis, quae est in episcopis et sacerdotibus, non potest esse in ecclesia, nisi collata sit a Christo, quia haec potestas principaliter ordinatur ad aeternam pacem, quae superat omnem sensum, et sic non ab hominibus, sed a Deo instituta est, ad *Eph.* 4, [11 sqq.]: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei.* Deus enim est, qui instituit episcopatus et sacerdotii potestatem, quamvis hominum ministerio permoveantur homines ad istas potestates spirituales.

[2.] Potestas ecclesiastica instituta propter operationem.

Istae ecclesiasticae potestates, quae a Deo institutae sunt, non sunt nomine tenus; non enim creavit Christus apostolos titulares neque evangelistas titulares, quia cuilibet potestati ecclesiasticae annexuit suum ministerium; unde Paulus ad *Rom.* 12, [4 sq.] ministros ecclesiae comparat membris corporis, et sicut in corpore oculus et manus suos habent actus ex propria eorum natura, et hoc habent a Deo creante naturam — nam qui fecit oculum, fecit eum ad actum videndi, alias frustra esset oculus creatus, si aliquem actum non haberet proprium — ita, qui instituit episcopos et presbiteros, ad pascendum Christi oves instituit eos; alias frustra sunt in ecclesia. Hoc est, quod ait Paulus [2]: *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Ecce quomodo ad ministerium sunt instituti praelati. Et sic Paulus se et alios apostolos evangelii vocat ministros [3].

[3.] Habens potestatem adstringitur ad operandum.

Ex his duobus praecedentibus, videlicet quod Christus instituit potestates ecclesiasticas, et quod hae potestates ex divina ordinatione sunt ad pascendum Christi oves, manifesto sequitur, quod, qui accipit honorem episcopatus, debet subire etiam onera eius, et ad hoc divino iure adstringitur, ut scilicet pascat Christi oves. Nam ad hoc instituti sunt omnes ecclesiastici magistratus, quia, sicut oculi natura est ad videndum, ita institutio episcopatus est ad Christi oves pascendas, et quod in oculo valet rerum natura, in episcopatu valet divina lex. Unde eodem praecepto, quo apostoli tenebantur Dei annuntiare evangelium, eodem etiam tenentur omnes episcopi ad praedicandum et ad pascendum Christi gregem, quia eandem potestatem episcopalem habent cum apostolis; episcopi enim sunt apostolorum successores.
33v Hoc quidem princeps apostolorum Petrus declaravit, quando ordi|navit Mathiam in apostolum allegans scripturam *Ps.* 108, [8]: *Et episcopatum eius accipiat alter.* Et sicut illa verba

[1] Franciscus Cordubensis (de quo vide, quae supra ad n. 79 adnotavimus) hunc tractatum scripsit, cum Tridento nuntiatum esset maximam ibi controversiam de iure divino residentiae vigere. *Sickel*, Zur Geschichte 302. Postea opusculum auctum edidit sub inscriptione « De ecclesiasticorum praepositorum ministerio ac residentia libellus, denuo recognitus atque auctus », qui continetur in opere *Francisci Cordubensis* Minoritae, Annotationes catholicae in religionis articulos a sectariis controversos, quibus candidus lector dogmatum dissidia haud facile sedare poterit (Coloniae 1572) 805-834. Noster tractatus cum capitibus 2-9 illius opusculi multis in locis ad verbum congruit, sed addita sunt ibi c. 1 introductorium et capita 10-16, quibus nova argumenta pro iure divino comprehenduntur, ex. gr. c. 12: Reipublicae ecclesiasticae constitutio praelatorum requirit residentiam; c. 14: Episcoporum munus ex iure divino est docere etc.

[2] *Eph.* 4, 12.

[3] Ex. gr. *1 Thess.* 3, 2.

Christi *Joh.* 20, [22 sq.]: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata*, hodie in ecclesia habent efficaciam — nam verbis illis traditur potestas sacerdotibus solvendi a peccatis — ita illa Christi verba dicta Petro *Joh.* 21, [17]: *Pasce oves meas,* dicta sunt omnibus ecclesiae praelatis. Et sicut Petrus per illa verba divino iure fuit obligatus ad annuntiandum evangelium personaliter, et non satisfecisset divino praecepto de pascendo Christi oves per vicarios, simili modo per illa verba omnes episcopi obligantur ad pascendum Christi oves personaliter, et non satisfaciunt per vicarios. Et quam districte Christus apostolis ovium curam praeceperit, Paulus *1 ad Cor.* 9, [16] declarat dicens: *Si enim evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas mihi incumbit, vae autem mihi est, si non evangelizavero.* Est ergo datum divinum praeceptum expressum omnibus praelatis de pascendis personaliter Christi ovibus.

[4.] Residentia praelatorum continetur in praecepto evangelizandi.

Cum ergo episcopi ex dignitate, quam in Christi ecclesia habent, divino iure teneantur pascere Christi gregem, et hoc munus non potest perfici sine residentia, sequitur evidentissime, quod eodem iure, quo tenentur residere, cum sine residentia non possint assequi munus, ad quod institutus est episcopatus. Et sicut divino iure tenemur diligere proximum, et eodem iure tenemur ei subvenire, quando indiget, si facultates suppetunt; nam *1 Joh.* 3, [17] inquit: *Qui viderit proximum necessitatem habere et clauserit viscera sua: quomodo charitas Dei manet in eo?* Ad praeceptum enim de proximi dilectione etiam elemosina pertinet, quia quotiescumque tenemur[ad] unum, quod praesupponit alterum, sine quo primum non potest legitime fieri, eodem praecepto tenemur ad secundum. Ita praelati ecclesiastici, cum teneantur divino iure Christi annuntiare evangelium, quod sine residentia fieri non potest, etiam divino iure tenentur ad residentiam. In hoc quidem multi decipiuntur opinantes, quod haec sunt duo praecepta distincta, scilicet pascere Christi oves et residentia, cum tantum sit unum praeceptum de pascendis ovibus, et istud includit in se residentiam. Nam residentia per se, hoc est mora et incolatus in dioecesi; quando episcopus non laborat verbo et doctrina, non solum non aedificat, sed Christi ecclesiam destruit. Talis enim praelatus in ecclesia est velut phocus inter apes, qui non mellificat et apum mel furatur et comedit. Unde tales a Christo non pastores, sed fures et latrones *Joh.* 10, [8] vocantur. Sunt etenim. Nam huiusmodi in ecclesia nullius frugi sunt et consumunt ecclesiae bona. Unde per talium praelatorum residentiam non adimpletur praeceptum de pascendis Christi ovibus. Praelatorum | enim resi- 34r
dentia, quam praestare tenentur ovibus Christi, oportet, quod sit instar solis praesentiae, quem comitatur lux et calor, sic praelatus debet docere legem Dei et movere animos subditorum ad Dei legem adimplendam. Hoc est, quod ait Paulus ad *Eph.* 4, [12] in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.

[5] Praelati non, ut dominentur, instituti a Christo, sed ut ministrent.

Quamquam in Christi ecclesia episcopatus sit munus publicum, tamen oportet, quod sit in aliquo homine particulari, qui fungatur hoc munere publico. Non enim potestas episcopalis est in ecclesiastica comunitate, sicut est potestas saecularis in re publica civili, scilicet in senatu vel in tota civitate, sed oportet, quod sit in aliquo uno determinato homine. Est enim potestas episcopalis quantum ad exercitium personalis potestas. Sic etiam actus huius potestatis, qui est pascere Christi oves, est onus personale et debitum personale. Hoc expresse continetur in sacra scriptura. Nam Christus *Matth.* 20, [28] inquit: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Hoc imitati sunt apostoli, qui verbo et opere fuerunt ministri evangelii *1 ad Cor.* 4, [1]: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* In hoc gradu constituti sunt a Christo, *Joh.* 21, [17]: *Dixit Petro: Pasce oves meas*, et *Marc.* ult. [v. 15]: *Praedicate evangelium omni creaturae. Math.* ult. [v. 19]: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos*, et infra: *Docentes eos servare*, et *Luc.* 22, [19]: *Hoc facite in meam commemorationem*, et multa alia his similia, in quibus exprimitur ministerium personale iniunctum apostolis a Christo et debitum personale, a quo non poterant liberari ministerio vicariorum. Christi enim apostoli eligerunt et ordinaverunt alios apostolos et episcopos et presbiteros, ut haberent socios in ministerio, quia iuxta Christi verbum *Matth.* 9, [37]: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*, rogaverunt Dominum messis apostoli, et Deus misit illis socios, qui simul cum illis facti sunt episcopi et operarii; non enim habuerunt apostoli hanc potestatem et licentiam, quam in hoc saeculo aliqui ecclesiae praelati usurpant, nullum ministerium exercentes per se ipsos, sed omnia per ministros conducticios. Aliud est enim assumere adiutores et consortes ad pascendas Christi oves, videlicet quando

episcopus, etsi ipse sit idoneus ad ministerium et per se docet populum, tamen solus non sufficit ad totum onus episcopale perficiendum, ideo indiget adiutore; et hoc fecerunt apostoli. Aliud vero est sufficere vicarium, ut quando episcopus ignorat Dei legem vel, si scit, non vult subire onera episcopatus, vel est occupatus aliis curis, quibus nemo militans Deo implicatur. Et iste abusus, qui est in ecclesia, tollendus est. Nam ex hoc innumera mala sequuntur. 34v Christus enim ministros et servos instituit | in sua ecclesia, non dominos, *Matth.* 20, [25]: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* His verbis Christus non damnat dominium politicum, sed declarat, quod magistratus ecclesiastici, quos ipse instituit, habent annexum ministerium personale, et propter hoc ministerium personale episcopus vocatur et est minister et servus, ut princeps politicus non est, neque vocatur servus rei publicae, quia non sic tenetur personaliter ministrare sicut episcopus.

[6.] P r a e l a t o m i n i s t r a n t i d e b e t u r s t i p e n d i u m.

Quando Christus instituit apostolos et presbiteros ministros evangelii, dedit eis accipiendi potestatem ea, quae sunt necessaria ad vitam degendam. Dedit etiam praeceptum populis, ut tribuerent temporalia ministrantibus spiritualia. De iure autem, quo populus clero ista temporalia tenetur solvere, non est controversia; nam omnes conveniunt, quod divino iure populus tenetur alere ministros ecclesiae. Et eodem iure clerus habet accipiendi potestatem ea, quae populus tenetur dare. Ex istomet iure evidenter sequitur, quod praelati per se ipsos tenentur pascere Christi oves, et quod non satisfaciunt huic praecepto per vicarios. Nam ex eo, quod praelati per se ipsos ministrant Dei ministeria, oritur ipsorum accipiendi potestas et subditorum debitum dandi temporalia; ad *Gal.* 6, [6]: *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Quo ergo iure episcopus, qui nullum ministerium agit, vult communicare in bonis populi? Habent enim se ista velut correlativa in evangelica lege, videlicet communicare spiritualia et communicare temporalia, ut docet P a u l u s *1 ad Cor.* 9, [9]: *Non alligabis os bovi trituranti*, et infra: *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt.* Et D o m i n u s ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere et *Matth.* 10, [10] et *Luc.* 10, [7]: *Dignus est operarius cibo suo, mercede sua.* In istis et in omnibus sacrae scripturae locis potestas accipiendi temporalia fundatur in ministerio personali. Et sic contra Dei legem est, quando ecclesiasticus, qui personaliter non ministrat spiritualia, habet legitimam potestatem accipiendi temporalia. Populus etiam christianus non tenetur communicare clero in bonis temporalibus, si non ministrat spiritualia, et contra legem naturalem et aequitatem est, ut stipendium lege divina constitutum ministrantibus detur non ministrantibus. P a u l u s ad *Phil.* 4, [15]: *Nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti nisi vos.* Paulus enim non est usus hac potestate accipiendi, et divino iure, qui poterat accipere temporalia ab illis, quibus evangelium annun- 35r tiabat, cessit. Et merito de hoc laudandus | est Paulus. At multae ecclesiae de suis pastoribus iuste possunt conqueri, quibus communicant bona temporalia, cum ipsi spiritualia per se ipsos non ministrant, quia numquam resident in suis ecclesiis, aut si resident, tamen non ministrant per se ipsos. Unde non bene cohaerent istae duae propositiones, scilicet: Praelatus divino iure habet potestatem accipiendi bona ecclesiae, et: Praelatus iure humano et non divino tenetur ad residentiam; neque istae duae bene consentiunt: Praelatus non tenetur divino iure, sed humano personaliter ministrare, et: Populus divino iure tenetur alere praelatum.

[7.] E x e v a n g e l i o C h r i s t i p r a e l a t o r u m r e s i d e n t i a.

Divina sapientia per verba translata et per illam pastoris parabolam *Joh.* 10, [1 sqq.] voluit explicare curam et sollicitudinem, quam praelati tenentur habere Christi ovium; est enim regula non solum apud doctores sacros, sed etiam apud profanos, quod scriptores utuntur verbis translatis, ubi desunt propria, vel quia translata plus significant quam propria verba. Itaque ad melius et significantius explicandam sententiam inventa est translatio. Quod vero sacra scriptura translatis verbis utatur, notissimum est. Etiam est certissimum, quod translationes sacrae scripturae magis explicant et significant rem a Spiritu Sancto intentam quam translationes humanae scripturae. Ergo per parabolam et verba translata, quae habentur *Joh.* 10. cap., scilicet *pastor bonus*, Christus plus voluit significare quam propria verba significant, scilicet « episcopus ». Pastor enim tantam curam habet ovium, ut die noctuque non deserat oves incolitque loca deserta, quia ibi sunt pascua; non conversatur inter homines, ut sit praesens ovibus; non quaerit suas delitias, sed ovium utilitatem. Talem quippe curam et sollicitudinem Christus voluit in hac translatione significare, quia nulla sit maior neque aequalis. Hoc C h r i s t u s expresse *Joh.* 10, [2-4] declarat dicens: *Qui autem intrat*

per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim et educit eas; et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit et oves illum sequuntur. Quid significantius dici potuit ad explicandam residentiam et curam personalem pastoris erga Christi oves? Quomodo autem oves audient pastoris vocem, si pastor est de illis, quibus *Esaias* inquit 56, [10 sq.]: *Speculatores eius caeci omnes, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam.* Hucusque Esaias. Qui non residet, quomodo vocabit nominatim oves, quas non cognoscit? Quomodo educet oves et quomodo eum sequentur oves? Quis haec non intelligit, quis in tam clara veritatis luce allucinatur? Nihil aliud quidem per parabolam pastoris Christus intendit declarare nisi supremam curam Christi ovium, quam praelati ecclesiae | debent habere. Per quid enim 35v expressius significari potuit residentia quam per haec verba: *Mercenarius autem videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves?* Si non esset necessaria residentia, quomodo relinquens oves argueretur? Pastoris quippe officium ex natura rei includit residentiam. Non enim est pastor ovium, qui incolit civitates et vivit in delitiis, quia ad pastorem pertinet minare gregem ad pascua et servare oves a ferarum incursione. Et sicut haec duo necessario exigunt pastoris praesentiam, sic populus semper indiget doctrina semperque indiget praesidio contra diaboli incursus. Ideo Christus *dedit pastores et doctores ad consummationem sanctorum,* hoc est, ut fideles spiritualiter perficiantur in charitate, *donec occurramus omnes in unitatem fidei* [1]. Nam in hoc mundo semper est charitas perficienda, semper *ex parte cognoscimus* [2]. Ideo praelatus semper debet agere pastorem et doctorem, usquequo populus perveniet ad perfectionem patriae.

[8.] P o p u l u s c o n t i n u a p a s t o r i s i n d i g e t r e s i d e n t i a.

Qui non est pastor ovium, videt lupum venientem et fugit [3]. Non proposuit Christus in parabola pastoris incursus latronum, sed luporum, quoniam latro invadit homines eorumque bona, lupus autem tantummodo nocet ipsis ovibus. Unde bonus pastor omnia damna propria sustinet, ut servet indemnes oves. Et ita perfectus exigit pastor in ovium comparatione, ut potens sit cum Dei gratia, omnia tela inimici extinguere [4] et non timere eos, qui corpus occidunt [5]. Et sic praelatus erga subditos debet se gerere ut medicus ad infirnos, ut fortis ad debiles, ut doctor ad ignorantes, velut asilum ad refugas, sicut consolator ad afflictos et minister reconciliationis ad peccatores. Ista omnia debet exercere pastor spiritualis, ad quae exigitur residentia, nam oves Christi continuo patiuntur luporum incursus, quamdiu peregrinantur a Domino; *1 Petr.* 5, [8]: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret.* Iste est lupus, qui variis modis nititur rapere Christi oves et dispergere, aliquando persecutione corporali, aliquando haereticorum fallacia, continuo vero per concupiscentiam carnis et oculorum et superbiam vitae. Non ergo solum est necessaria praesentia pastoris tempore tyrannorum et tempore haereticorum, sed etiam tempore pacis et ecclesiasticae unitatis, quia multitiens [!] sub pacis velamento magis grassantur vitia in Christi populo quam tempore persecutionis. Nullus enim praelatus veraciter dicere poterit: Hoc aut hoc tempore mea ecclesia non indiget praesentia pastoris, quia semper ovibus pastoris residentia est necessaria. Aliquando tamen aequum est, ut ecclesia toleret pastoris absentiam propter ecclesiae maius | bonum, ut quando patres con- 36r gregantur in concilio, aut quando tyrannus pastorem persequitur et non oves. Tunc praelatus, si non desunt alii ministri, faciat, quod C h r i s t u s praecepit [6]: *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite.* In hac fuga non attenditur principaliter bonum praelati, sed bonum ecclesiae; nam ut prosit illi sedata persecutione, fugit, et tunc non deserit oves, sed potius eas servat et magis eis consulit per suam fugam, quam si tunc resideret. Neque praelati excusantur a residentia per hoc, quod assumuntur ad alia munera sive civilia sive ecclesiastica, etiam si rei publicae expediat illorum officium, quia in re publica unus debet fungi tantum uno munere et non pluribus. Sicut in uno corpore membra singula habent proprium actum et omnia non habent eundem actum neque unum membrum plures actus, sic Christus instituit plures ministros evangelii, et apostoli creaverunt alios, quia ministrorum necessaria est residentia.

[9.] I n s a c r a s c r i p t u r a e p i s c o p o r u m r e s i d e n t i a e s t i n q u i r e n d a.

Sapientium huius mundi est mos ea, quae sunt legis divinae et traditionis apostolorum, si inter definitiones conciliorum aut inter statuta pontificum reperiantur, affirmare, quod sunt

[1] *Eph.* 4, 11 sqq.
[2] *1 Cor.* 13, 9
[3] *Io.* 10, 12.
[4] Cfr. *Eph.* 6, 16.
[5] Cfr. *Matth.* 10, 28
[6] *Matth.* 10, 23.

de iure humano et a Romano pontifice adinventa, ut facilius ab omnibus illa contemnantur. Hoc accidit aut ex ignorantia divinae scripturae aut ex malitia, qua volunt perturbare christianismum; verbi gratia aliqui ex haereticis affirmant, quod confessio sacramentalis, quae fit in aurem sacerdotis, est de iure humano, et in sui confirmationem erroris adducunt illud capitulum, quod habetur in iure canonico, titulo de penitentiis et remissionibus: *Omnis utriusque sexus*[1]. Isti si in sacra scriptura, maxime in Novo Testamento versati essent, non sic errarent; nam [neque] concilium generale neque papa potuit sacramentalem statuere confessionem neque potuit sacerdotibus dare potestatem absolvendi a peccatis; sed Christus confessionem sacramentalem instituit, cum apostolis tradidit potestatem ligandi et solvendi; quam potestatem sacerdos legitime exercere non potest nisi praemissa confessione. Tamen ecclesia statuit in illo c. *Omnis utriusque sexus*, quod illa confessio, quae a Christo est instituta, fiat semel in anno. Haec temporis determinatio est a iure humano et non a Christo instituta; sed ecclesia, prout expedire videbitur bono communi, potest definire et statuere temporis circumstantiam, cum hoc non solum non sit contra Dei legem, sed potius ut illa a fidelibus melius faciliusque servetur. Simili modo accidit circa residentiam praelatorum. Nam ecclesia divisit beneficia per titulos et aliquibus beneficiis maiora annexuit ministeria, scilicet animarum curam; aliis vero beneficiis annexuit minora ministeria. Ex hac partitione beneficiorum secuta est illa iuristarum divisio, scilicet beneficiorum quaedam sunt, quae non requirunt residentiam, scilicet illa, quae habent ministeria minora, et quaedam sunt, quae exigunt residentiam, illa scilicet, quae habent maiora ministeria. Hinc ortum habuit aliquorum ignorantia existimantium, quod | 36r residentia beneficiorum est de iure humano et non de iure divino, inducti hoc falsigrapho argumento, scilicet: Residentia est praecepta in iure humano, ergo non est de iure divino. Haec ratiocinatio nihil probat. Nonne furtum et homicidium prohibentur lege civili? Et tamen prohibentur divina lege. Multa enim, quae interdicuntur divina lege, etiam legibus humanis sunt interdicta. Et sapienter quidem factum est, ut homines, qui illa praecepta non capiunt per divinam legem, saltem in humana lege intelligant ea, et si Dei amore non adimplent legem, saltem timore poenae servent eam. Unde expediret ecclesiae, ut illa, quae sunt de iure humano ecclesiastico, distincte reponerentur in uno codice et secernerentur ab illis, quae mere sunt de iure divino, et illa, quae concernunt utrumque ius, qualia sunt beneficia et sacramenta, distincte explicarentur, ut dignotescerent, quid in illis ad ius divinum, quid etiam ad ius humanum pertineat. Nunc autem beneficia illa, quae humano iure non requirunt residentiam, sic credendum est ob aliquam causam fuisse sic instituta, etsi non omnibus notam; expediret autem ob ecclesiae bonum annectere illis residentiam, quia, quod omnia beneficia requirant residentiam, est magis consonum divinae legi et aequitati, quam quod sint aliqua beneficia sine residentia; et quod omnes beneficiati ecclesiastici resident in suis ecclesiis, melius est, quam quod aliqui non resideant; et facere, quod omnes, qui habent reditus ecclesiasticos, resideant, est iustum, et in hoc nulli fit iniuria. Concedere autem aliquibus, quod non resideant, si non adest rationabilis causa, videlicet quando est melius non residere quam residere, est in perniciem christianismi. Ideo residentia cleri eodem iure divino est in praecepto, quo iure potestatem habent metendi temporalia, qui seminant spiritualia[2].

[1] C. 12 X de poen. et rem. V 38, *Friedberg* II 887sq. [2] Cfr. *1 Cor.* 9, 11

104.

Petitiones a S. Caes. M[tis] consiliariis et aliis a S. M[te] deputatis exhibitae,

ut earum a s. synodo Tridentina aliqua habeatur ratio et consideratio [1].

20. Maii 1562.

V i n d o b o n a e Arch. status *Religionsakten fasc. 7* f. 94r-134r [= V], min. ab amanuensi Fr. Staphyli descripta cum emendationibus manibus Staphyli, secretarii Singkhmoser et Seldii vicecancellarii exaratis; Bibl. status *cod. 7581* f. 28r-51r, cop. coaeva facta in cancellaria Caesaris [= V¹]; *ibid.* f. 1r-27v, cop. coaeva missa ab archiep. Pragensi regi Romanorum Maximiliano [= V²]; *cod. 5637* f. 608r-636r, cop. coaeva inter scripturas archiep. Pragensis relicta [= V³]; M o n a c h i i Bibl. status *cod. lat. 11054* p. 283-316, cop. coaeva inter Fikleri scripta, qui petitiones inter gesta mensis Septembris 1562 insertas inscripsit: « Petitiones propositae circa diem 10. Sept. 1562 a M[tis] Caes. consiliariis et aliis a S. Caes. M[te] deputatis, ut earum a sacrosancta synodo Tridentina aliqua habeatur ratio et consideratio » [= M]; *cod. germ. 1329* f. 459r-480v, cop. coaeva [= M¹]; Arch. status *Staatsverwaltung 2725* [Antea *Acta consilii Tridentini* V] f. 74r-107r, cop. coaeva cum rubrica f. 110v: « Consilium S. Caes. M[ti] datum super articulis reformationis in concilio Tridentino propositis » [= M²]; R o m a e Bibl. Vat. *Vat. lat. 3944* f. 52r-72v, cop. saec. XVI mendosa [= R]; P a r m a e Bibl. Pal. *cod. 997 pacco 44 fasc. 9-10* f. 1r-22r, cop. coaeva [= P]; M e d i o l a n i Bibl. Trivultiana *cod. 588* f. 1r-30r, cop. coaeva inscripta « Consultatio ad concilium Tridentinum 1562 ». De copia coaeva, quae in castello comitum de Arco conservatur, proveniente ex haereditate Prosperi de Arce, tunc Caesarei in Curia Romana oratoris, cfr. *Th. Sickel* in: Archiv für österreichische Geschichte 45 (1871) 42.

E d. primus *I. G. Schelhorn*, Amoenitates historiae eccl. et litt. I (Francofurti et Lipsiae 1737) 501-575; *Le Plat* V 232-259; excerpta apud *Raynaldum* a. 1562 n. 59; *M. I. Schmidt*, Neuere Geschichte der Deutschen III (Frankenthal 1785) 169 sqq.; *F. B. Bucholtz*, Geschichte der Regierung Ferdinands I, VII 446 sqq.

D i s s e r u e r u n t de petitionibus: *Th. Sickel*, Das Reformationslibell des Kaisers Ferdinand I. vom Jahre 1562 bis zur Absendung nach Trient: Archiv f. österr. Geschichte 45 (1871) 1-96; *H. Loewe*, Die Stellung des Kaisers Ferdinand I. zum Trienter Konzil vom Okt. 1561 bis zum Mai 1562 (Bonn 1887) 22-42; *A. Kroess*, Kaiser Ferdinand und seine Reformationsvorschläge auf dem Konzil v. Trient: Zeitschift f. kath. Theologie 27 (1903) 463-490; 621-651. *Th. B. Kassowitz*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I. auf dem Konzil v. Trient (Wien-Leipzig 1906) 58 sqq. *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I. auf dem Konzil v. Trient I (Münster 1911) 153-232.

Introductio. Reformationis [illegible]. I. Articuli 15 de reformatione [illegible]. II. [illegible] modatae, scil. communio sub utraque specie, relaxatio ieiunii, coniugium sacerdotum. III. Remedia contra haeresim. IV. [illegible]

[Introductio: Reformationis necessitas.][a] — *Religionsakten fasc. 7 f. 95r*

Sacratissime imperator, clementissime Domine! Articulos eos, quos Rev[mi] in Christo patres S[mi] D. N. legati ceterique Rev[di] et venerabiles patres in concilio Tridentino congregati de reformatione ecclesiae proposuerunt [2], reverenter accepimus ac legimus attente animadvertimusque in primis necessarium esse et quasi faustum aliquod tam salutaris negotii esse exordium, si Rev[mi] patres a medicatione eius morbi, qui haud exiguam huic universo populari malo occasionem praebuit, tam sanctum opus auspicarentur, quandoquidem cum ipsum synodi feliciter absolvendi modum atque ordinem summopere multi pii viri et docti exoptarunt hactenus, nihil opportunius arbitrantes nunc in concilio fieri posse, quam si prius de morum abusuumque reformatione tractaretur, postea rectius posse de controversis dogmatibus tractari. At vero quoniam S. Caes. M[tas] Vestra petiit a nobis clementer, ut, quid de propositis

[a] *Introductio usque ad verbum* Primum *foliis separatis* (95r-96r) *ab amanuensi Seldii scripta Staphyli formae est in[serta].*

[1] P r i m a m libelli Caesarei f o r m a m Marcus Singkhmoser, imperatoris pro litteris latinis secretarius, post diem 2. Maii conscripsit (Vindobonae Arch. status *Religionsakten* 7, ed. a *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil von Trient 233-253, cfr. *Sickel*, Das Reformationslibell 57 sqq.; *Eder* l. c. 181 sqq.) utens inprimis scripto illo de reformatione, quod paulo ante secretarius Dr. Gienger et episcopus Gurcensis Maximiliano regi tradiderant (supra n. 96) necnon votis Cithardi ord. Praed., Caesaris a confessionibus, et Seldii vicecancellarii, quae ex fasciculo *Religionsakten* 7, ed. *Sickel*, Das Reformationslibell 46-56.

S e c u n d a forma opus est Friderici Staphyli, qui vocatus a Caesare ante diem 5. Maii 1562 in aula advenit. Qui non tantum priorem formam adhibuit, sed alia quoque scripta de reformatione agentia, quae ei transmissa sunt; cfr. supra n. 96.

Ex Staphyli forma atque ex voto Seldii, qui circa diem 15. Maii 20 loca eius emendanda assignavit (ex fasciculo *Religionsakten* 7 ed. *Sickel*, Das Reformationslibell 87-92, infra in adnotationibus sub signo S = Seldius), in consilio Caesaris secreto 17. et 18. Maii habito h a e c t e r t i a f o r m a exarata litteris 20. Maii datis, sed 22. expeditis oratoribus in concilio agentibus est transmissa (*Sickel*, Zur Geschichte des Concils von Trient [Wien 1872] 313 sqq.), qui eam legatis die 6. Iunii tradiderunt (*Šusta* II 183 sq.), sed Hosio cardinale movente eam statim concilio proponere destiterunt, *Šusta* II 190 sq.

[2] Capita 12 reformationis proposita patribus 11. Martii 1562 vide *Conc. Trid.* VIII 378 sq.

articulis sentiamus [explicemus], nunquid eos istiusmodi esse putemus, qui in hisce septen-
trionalibus provinciis ad extirpanda vitiosorum morum atque abusuum zizania satis efficaces
esse videantur: Proinde, Sacratissime Caesar, tametsi non obscure cognoscamus, quam hoc
arduum sit et quam grave negotium, neque etiam ignoremus, nobis neque tantum iudicii
98^{v} esse neque eam rerum Germanicarum | experientiam, ut, quid in hac miserabili rerum
conversione facta optimum sit, adamussim expendere possimus, maluimus [a] tamen inconsi-
deratius obedienter [b] quam cautius inofficiose egisse videri. Quam sane ob causam spera-
mus planeque confidimus, si quid vel parum circumspecte a nobis vel non satis prudenter
perpensum fuerit, id non in sinistram partem accipi oportere, praesertim cum ii simus, qui
leges sacri concilii accipere, non dare se paratos profiteantur.

Quod autem S. M^{tas} V. tantopere Tridentini concilii negotium urget et in omnes partes
oculos convertit eaque disquirit cuncta, quae felicem tam sanctae rei successum praebere
possint, et quae impedire, amovere connititur, facit se tamquam catholico imperatore dignum,
cum sit supremus catholicae ecclesiae advocatus, cuius hoc vel maxime officium esse videtur,
ut quoad eius fieri potest, laboranti religioni christianorum opem ferre conetur elaboretque
hoc sedulo, ut laceratae ecclesiae concordia sarciri queat et dissidia tolli, quibus iam non
paucis annis universus orbis christianorum perturbatus colliditur non absque ingenti detri-
mento humanae salutis nec sine blasphemia divini nominis. Istud quidem ardens studium
et hunc istum pium S. Caes. M^{tis} V. zelum scimus non eo dirigi, ut velit ullo modo quid-
99^{r} quam praeiudicatum vel sanctae sedi | apostolicae vel huic ipsi sacro Tridentino concilio, sed
ut eo ipso filium se sanctae matri ecclesiae et sacri concilii protectorem declaret.

Praeterea vero, cum S. Caes. M^{tas} V. (ut explicatius, quid in utramque partem deli-
berandum videatur, queat dispicere) idcirco nobis et plerisque aliis piis peritisque viris
id negotii dederit, ut fontes inquirantur, e quibus haec malorum lerna promanaverit, et quo-
nam modo averti posse existimetur, id sane eiusmodi nunc esse apparet, ut potius quid non
expediat quam quid expediat dicere nobis in promptu sit, quando eo haec lues progressa
sit, quo peccata meruerunt nostra. At ne nihil tamen egisse censeamur, ea sane omnia, quae
ab aliis doctis hominibus et rerum Germanicarum peritissimis in hanc deliberationem copiose
proposita atque disputata sunt, in breve aliquod contrahemus compendium, ne videlicet tam
nostris, quae exigui iudicii sunt, quam doctissimorum hominum, qui hoc saxum diu volutave-
runt, consiliis niti voluisse intelligamur. Sunt autem ea, quae illi attulerunt in medium, haec:

Primum [c] [1], ut initio accurata quaedam instituatur tam in populo quam in clero refor-

[a] *V*^{1} malumus [b] *S* inobedienter [c] *V Hinc incipit min. Staphyli, in qua introductio aliam habuit formam* (f. 94^{r-v}; 99^{r}): S. Caes. M^{ti}, clementissimo Domino nostro, cum superioribus diebus significatum esset Rev^{mos} in Christo patres, S^{mi} D. N. legatos ceterosque reverendos ac venerabiles patres nunc Tridenti in sacro concilio congregatos habita diligente totius concilii feliciter conficiendi deliberatione ante omnia necessarium iudicavisse, ut hoc sacrosanctum concilii celebrandi opus omnino a legitima quadam tam cleri quam populi catholici reformatione inchoaretur, de qua etiam articuli quidam ad id institutum perquam necessarii iam propositi sint, magnam sane ea ex re laetitiam percepit vel hoc nomine quidem, quod iudicat plurimum momenti in hoc praefinito celebrandi concilii ordine ac modo positum videri, quandoquidem eam ipsam synodi feliciter absolvendi normam omnes pii doctique viri hactenus semper efflagitaverunt. Quocirca Caes. M^{tas} oratoribus suis, quos Tridentum ad concilii celebrationem ablegavit, inter cetera hoc vel imprimis expresse iniunxit, ut id suscipiendae reformationis negotium acriter urgeant adiuventque pro virili parte sua. | Quia cum Romanorum imperator sit supremus catholicae ecclesiae advocatus atque defensor, hoc vel maxime sui esse muneris Caes. M^{tas} existimavit, ut, quantum in se fuerit, laboranti ecclesiae opem ferat elaboretque sedulo distractae religioni concordiam resarciri, dissidia tolli, quibus iam non paucis annis universus orbis christianorum perturbatus colliditur, non absque magno detrimento humanae salutis nec sine blasphemia divini nominis. Quod quidem ardens studium Caes. M^{tas} piumque zelum suum nullo modo sic vult intelligi, quasi velit ullas abs se oecumenico concilio leges praescribi, quod plane agnoscit ecclesiastici, non politici magistratus munus esse. At vero tamen, cum minime dubitet omnia ea, quae salutiferum illud institutum et sacrosanctum sublevare posse videantur, se in medium afferre debere, quando hoc ipsum ratio est Caes. dignitatis, sed etiam S^{mus} D. N. et ipsa etiam sacrosancta synodus Tridentina iampridem concupiverunt. | Eamque sane ob causam Caes. M^{tas} pressius ea de re, ne quid, quod prodesse queat, abs se neglectum censeretur, hoc negotii (quod exteros homines latere posset et domesticis notum esse) indigenis quibusdam rerumque Germanicarum peritis hominibus nimirum piis atque catholicis iniunxit, ut fomites eos, qui hoc exitiale incendium primo in Germania concitarint et mox in universum orbem christianorum sparserint, diligenter inquirerent simulque modum, quo restriguendum arbitrarentur, commonstrarent, siquidem verisimile videatur posse illos, qui praesentes huius mali originem videant, et quo usque progressum sit, ubi haereat, quonam modo inhiberi queat, commonefacere [*cod.* condocefacere]. Itaque cum non unus omnia, sed multi plura videant, diversis sane huius rei curam demandavit Caes. M^{tas}, quorum pene omnium consilia unanimi consensu in hosce duos sunt directa fines: Vicelicet, ut initio ...

[1] De Staphyli forma sub littera c) exhibita Seldius in scripto suo « Ein bedengk in materia concilii » haec adnotavit (f. 25^{r}):

1. Necessarium iudicavisse. *Cavendum erit, ne hoc in eam partem accipiatur, quasi expresse hoc ita sit decretum a patribus, de quo mihi non constat,*

matio morum, deinde ut eam reformationem subsequatur | solida quaedam ecclesiasticorum 99v
dogmatum, de quibus hac aetate nostra coeptum est controverti, explicatio. Etenim in his
duobus quantum fuerit rite feliciterque constitutum, tantum omnino labanti ecclesiae allatum
videtur auxilii vicissimque, quantum in eisdem vel erratum ignoranter vel peccatum temere,
tantum quoque cernitur coram praesentis exitii. Quapropter non quid maxime ipsimet
cupiamus, tam spectandum erit, quam quid recto consilio effici possit et ratione quadam obtineri.
Quam vero longe lateque pateat hoc reformandi cleri negotium et hic refutandorum
errorum labyrinthus, totius Europae ambitus (Italia fortassis et Hispaniae ⟨ab istis errorum
diverticulis⟩ [a] excipiuntur) [1] nos non ambigue [a] docere queunt.

⟨Quam sane quasi oecumenici orbis contagionem, si quis pensiculate consideret, non
obscure poterit, qua in angustia haec sacrosancta synodus Tridentina versetur, intelligere⟩ [b] [2]
Itaque viri prudentes censent eatenus praesenti concilio modum statui oportere, quoad possibilis
sit exequendi facultas. | Haec autem qualis nunc et quanta reperiatur, norunt omnes, 100r
qui, quid in orbe christiano agatur, non prorsus ignorant. Nimirum eo in statu iam res
catholicae ecclesiae sunt, ut duo proponenda videantur, quorum alterum iam conficiendum
in concilio Tridentino videtur, quippe ut reformetur clerus, abusus tollantur et confirmentur
reliquiae religionis catholicae; alterum, cum variae exortae sint de vero scripturarum
intellectu dissensiones, ut ratio ⟨tandem aliqua⟩ [c] ineatur, qua ⟨vel integre concordia sanciri
possit, vel saltem de praecipuis catholicae fidei articulis consensio statui⟩ [d] [3]. Quanquam vero
utrumque hoc vel imprimis eodem hoc tempore necessarium esset, siquidem neutrum potest
citra ingens christianae reipublicae dispendium omitti, tamen res ipsa ostendit vehementer
requiri, ut initio nostras partes emendemus atque confirmemus, quam ullam possimus cum
his, qui antiquae religioni adversantur, disputationem incipere. Proinde reformationis negotio
deque confirmandis catholicorum reliquiis principio aliquid admonebitur, postea nonnihil
de reducendis adversariis meditandum erit. | Sed erunt forsitan, qui doctrinae christianae ex- 100v
plicationem praecedere mallent, reformandi autem studium subsequi debere, ne, cum illa
regula morum sit, hi citra illam parum recte in ecclesiam introduci queant, parum efficaciter
in populo plantari, parum fructuose in tam diversis humanae vitae studiis in messem adolescere.
At vero quis poterit ire inficias, totam cleri vitam declisse his miserandis relapsi populi
diverticulis grandem occasionem? *Sal terrae* debebant esse sacerdotes, uti nos docet [4] ipse
vere sacerdos Iesus Christus. Sed quid evenit? Sal evanuit, inutilis factus est, foras eiicitur,
pedibus conculcatur. Sed quorum hoc factum culpa est? Eorum scilicet, qui cum
debuissent esse pastores gregis dominici, pascebant semetipsos, gregem autem Domini non
pascebant. Itaque iam tempus illud incidit, quo Dominus requirit oves suas de manibus
illorum facitque eos cessare, ut ulterius non pascant gregem ipsius [5].

Tametsi vero Dominus misericors est, ac | dicit [6]: *Convertimini ad me et ego convertar* 101r
ad vos; et alibi per Prophetam exclamat [7]: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Verum an
non tamen obdurent potius corda sua, cum hos sermones Domini audierint, quam sese vitamque
emendent suam, vita loquitur ipsorum, mores declarant, res ipsa per sese locuples testis

[a] *V add. in marg. a Singkhmoser.* [b] *V add. in marg. a Singkhmoser; del.* Quam sane huius difficillimi temporis angustiam, si qui recte pensiculentur, non obscure poterunt videre, quod Tridentini concilii modus nulla ratione possit legitimos oecumenici orbis terminos attingere nedum definire. [c] *V add. in marg. a Singkhmoser.* [d] *V add. in marg. a Singkhmoser; del.* sarciendae concordiae possit modus constitui.

et si ita esset, nihil opus foret laborare in re iam statuta et conclusa. Certe e converso palam est multos patres in eam sententiam inclinasse, quod tractarentur articuli de dogmatibus, incipiendo ab illis, in quibus proximo concilio Tridentino cessatum est. Melius ergo esset, sub illa generalitate transire, quod Caesar ex eo, quod articuli quidam ad reformationem pertinentes tractari coepti sint, praesumat eam esse mentem patrum, quod ab ipsa reformatione fiat initium.

2. Sed etiam Smus D. N. — *Nescio, an de hoc aliquid expressum in scriptis habemus; nisi enim hoc ita esset, potius fortasse haec verba omitterentur.*

3. Quod exteros homines. — *Ego ita ponerem: quod exteris hominibus non perinde ac domesticis notum esse posset.*

[1] Seldius f. 75r-v haec adnotaverat:

4. Italia fortassis et Hispania excipiuntur. — *Quod ad reformationis necessitatem attinet, Italiam vel Hispaniam nequaquam excipimus, imo Italia forte plus ceteris omnibus in hoc laborat, et glossatores iuris nostri ante aliquot saecula fassi sunt Romam esse sentinam malorum. Ideo videat D. Staphylus, an non melius sit exceptionem hanc hoc loco omittere; nam quod ego antea in scripto meo de Italia et Hispania attigi, id in alium finem factum est, habito scilicet respectu ad servatam hactenus dogmatum catholicorum constantiam.*

[2] Votum Seldii (f. 75v):

5. Quod Tridentini concilii. — *Mallem haec verba omitti, ne nimis videamur enervare auctoritatem ac potestatem concilii.*

[3] Votum Seldii (f. 75v):

6. Qua sarciendae concordiae. — *Lubenter adderem: « vel saltem firmandae doctrinae catholicae ».*

[4] *Matth.* 5, 13.

[5] Cfr. *Ezech.* 34, 8.10.

[6] *Zach.* 1, 3. [7] *Is.* 52, 11.

est Quod autem ista clericalis vitae labes[a] dederit huic tanto defectionis haeresiumque malo magnam occasionem, profecto nemo est qui negare possit, cum uno ore idem conquerantur universi homines, praesertim cordati ac pii, quando luce meridiana patet clarius, nulla re magis populum a clero animum alienasse suum, quam ob manifestam hanc ipsam impurae vitae turpitudinem, variosque alios ecclesiasticarum rerum abusus, qui diu socordia praelatorum dissimulati, nunc demum divino permittente iudicio, crudeliter vindicati sunt[b] furore populi. Habitant hae istae sordes in oculis hominum, cordibus principum infixae sunt, odio flagrant cunctorum catholicorum aeque atque adversariorum. Unde id iam evenisse 101v videmus, ut plerique praesertim adversarii oculis | omnem renuant cleri conspectum, auribus respuant omnem cleri autoritatem. Quam ⟨sectarum duces⟩[c 1] adepti occasionem, facile absque ullo negotio utramque populi aurem occuparunt, neutram reliquerunt clero, eoque causam perduxerunt suam, ut neque catholicae veritatis doctrinam defendendo, neque se purgando, si innocentes sint, aut si rei, deprecando, ullam queant audientiam apud adversarios obtinere.

Quapropter cum mali mores cleri ad hanc defectionem populi causae quaedam sint antecedentes, et quasi προκαταρξεις, censent viri graves, primum huius morbi medicationem a sanandis auribus oculisque aversi populi inchoari oportere. Quoniam vero duo cum sint malorum genera, quae istos populi sensus a catholica religione avertant[d], morum turpitudo et rerum ecclesiasticarum abusus, quae sic oculos populo aperuerunt, ut in vitia cleri sit oculatior quam Lynceus[2], sic aures occlusit, ut ad audiendam causam cleri sit aspide surdior[3], putant pii et catholici viri, si clerus suscipi velit magnique fieri, dum praeest ecclesiae, 102r si audiri libenter, dum populum[e] docet, omnino necesse | fore, ut autoritatem suam, quam turpiter vivendo amisit, inculpate honesteque agendo recuperet. Etenim hoc unicum est, ⟨si usquam ullum est⟩[f], et primum penitus tollendi huius oecumenici mali auspicium. Quia vero (quis enim inficietur) praebuit evidentem causam et gravem isthaec cleri spurcities non modo tot gentium christianarum defectioni ansam, sed eandem rebellionem etiam nunc eisdem morum contagiis et alit et fovet et auget in diem magis atque magis, idque adeo impudenter ac pertinaciter etiam, ut clerus[g] universum ecclesiae decus funditus everti malle videatur, quam unam inquinatae vitae maculam sibi abstergi permittere. Quot enim et quoties non inutiles reformationum formulae propositae sunt, cum a Paulo III Romano pontifice[4], tum a divo Carolo V imperatore?[5] Quem autem tulerunt hi tanti conatus fructum? Eum scilicet, ut *posteriora facta sint deteriora prioribus*[6]. Videt haec enormia vitia populus, notant principes, fremunt universi ordines christianorum, odiumque hinc tantum extitit, quantum satis esse potuit ad concitandam incredibilem populi in clerum invidiam, quae, 102v dum principum animos exulcerat, plebis aures avertit, dum cunctorum oculos | perstringit, manebit haec animorum disiunctio, valebit haec ista morum turpitudo plus in clero ad haereses nutriendas quam veritas doctrinae in ecclesia ad concordiam constituendam in christiano populo.

Quanquam vitiose hoc populus quidem [facit], cum fidei catholicae doctrinam non discernit ab impura vita cleri. Verum quid facias? Imperitum vulgus non facit secus, cuius hac in re infirmitatem clerus sua integritate sublevare debebat, minime ignorans, quod ecclesiae doctores ab ipsa luce *lux mundi* appellati sint[7], et hac lege peritus, ut luceat eorum lux coram hominibus, et cum hi illorum bona opera videant, glorificent coelestem Patrem[8]. Opportune quidem, nam videmus indoctam plebem citius honestae vitae bonorumque operum exemplis moveri[h], quam intricata illa ecclesiasticorum dogmatum subtilitate erudiri. Bona

[a] *V add.* non, *sed per errorem scriptum erat antea* nonnullam, *postea deletum est* nullam, *ita ut* non *remaneret; S M et ceteri codd. recte* non *om.* [b] *V add. a Staphylo in marg.* [c] *V supra lin. a Singkhmoser; del.* haeresiarchae [d] *S* avertunt [e] *V add. a Staphylo in marg.* [f] *M in marg.* [g] *V add. a Staphylo in marg.* [h] *P S* moneri

1 Votum Seldii (f. 75v):
7. Quam haeresiarchae. — *Hoc loco et aliis, in quibus de haereticis fit mentio, consultius esset mitiori aliquo vocabulo uti, ut puta sectariorum vel adversae partis. Cum enim scriptum hoc proculdubio per universum orbem christianum divulgabitur, nollem adversariis dari ansam vociferandi, quasi eos haereseos condemnaremus.*

2 Cfr. supra p. 459 adn. 2.

3 Cfr. ibid. l. 48.

4 Loqui videtur libellus de « Consilio de emendanda ecclesia » (*Conc. Trid.* XII 131-145), quod sane non a pontifice, sed pontifici est propositum.

5 Formulam reformationis in dieta Augustana 1548 ab imperatore propositam et a statibus receptam vide apud *Le Plat* IV 73-101; *I. Hartzheim*, Concilia Germaniae VI 741-767. Cfr. *Eder*, Reformvorschläge 211-214.

6 Cfr. *2 Petr.* 2, 20.

7 *Matth.* 5, 14.

8 Cfr. *Matth.* 5, 16.

autem opera cleri sunt primum, ut *sanam doctrinam* [1] ab apostolis profectam in universoque orbe christiano dispersam atque propagatam doceat populum, deinde hoc opere praestare [a], quod ore doceant, scilicet ut caste, ut sobrie, ut pie honesteque vivant in hoc saeculo [2], non minus morum honestate illustres, quam doctrina admirabiles. | 103r Quandoquidem ergo sic vulgus, sic populus, sic principes in clerum affecti sunt, tantoque in ecclesia odio proceres fragrant, estne verisimile, ut eos causae suae, alias per se non bonae, iudices fore patiantur, quos uti capitales hostes hominesque impuros sibi iam pridem persuaserunt? Non videtur. Quoties audiunt adversarii mentionem fieri sive reformationis morum sive explicationis dogmatum, tum illi confestim [3]: *Medice, cura teipsum.* Turpissimum enim aiunt esse eum, qui cum aliorum se medicum professus sit, ipsemet diversis scateat ulceribus. Itaque non absurde divus G r e g o r i u s [4], eos prius purgari oportere, per quos aliorum culpae feriri debeant. Quanti innocentis vitae opinio sit apud homines, variis solet ac diversis ostendit exemplis. Historiae tradunt Spartae civem fuisse, hominem ingeniosum quidem illum, at moribus plane impurum, qui cum difficili quodam reipublicae tempore salutare consilium se habere ostendisset, a populo auditum non esse, quod inusitatum putaret, ex vase obsoleto atque sordido liquorem sincerum promi solere [5]. Tanti nimirum momenti est in iudicio rudis populi opinio sinceritatis. |

Quamobrem putant viri graves, ineruditum populum, qui doctrinam a moribus doctorum non discernit, adduci non posse, ut sibi ullo pacto, vel aliquam credendi regulam vel legem vivendi tradi patiatur nisi eos, qui alios veritatis virtutisque disciplinam docere velint, ab omni vitiorum labe repurgatos videat. 103v Itaque redemptor C h r i s t u s non solum dixit: [6] *Qui* sic *docuerit*, sed addidit etiam: *Qui* sic *fecerit, magnus vocabitur.* Nam haec duo semper coniungi oportere suo declaravit exemplo [7]: *Coepit* enim ille et *facere* ⟨*et docere*⟩ [b]. Huius salutaris praecepti suum Timotheum admonuit divus P a u l u s [8]: *Forma*, inquit, *esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide.* Tanta quidem catholicae fidei evidentia inest, ut ipsa lux per se satis sit ad veritatis indicium. Sed cur haec ista evidentia nunc non apparet adversariis? Cur repugnantur? Cur tenebras eam lucem dicunt? Quia enim sic est, ut vir quidam non inscite dixerit, animi affectiones recto iudicio plerumque nebulas solere obfundere, ne queant lucem veritatis cernere. Ex cleri autem pravis moribus adeo pravae affectiones insederunt populo, ut cum huius iudicio crassa sit obducta caligo, | 104r nec possit, nec velit catholicae fidei nostrae evidentiam contueri, nedum perspicere. Quo autem enemate vitiosos istos affectus ex cordibus hominum elui, quo item collyrio caliginem recto iudicio offusam abstergi posse putamus? Profecto non alio, nisi ante omnem de dogmatum controversiis disceptationem clerus in moribus rite iuxta antiquos canones reformetur et ex ecclesia tollantur multiplices diversarum rerum abusus. Verisimile est omnino, si principes populusque seductus catholicum clerum videant ab his istis repurgatum sordibus, quin confestim, depositis animorum privatis affectibus, sint citra praeiudicium ipsam controversae religionis causam sincero iudicio aestimaturi, alteramque aurem catholicis praebituri, alteram suis.

Quanquam vero necesse est fieri scandala, sed vae homini, per quem fiunt [9], praesertim clero, qui sicuti supra dictum est [10], *sal terrae* esse debebat. At vero si sal insulsus, si emarcuit, si non modo inutilis, sed perniciosus etiam, quid consuetum aliud, nisi ut foras eiectus pedibus conculcetur? Eiici autem nunc | 104v clerum, conculcari pedibus, pro nihilo haberi et tanquam publicum offendiculum devoveri diris haud [c] paulo plus verum est quam minime falsum, esse cleri [d] mores insulsos, esse vanos, esse turpes, esse aeque ecclesiae perniciosos ac Deo execrabiles.

At quaerit forte quispiam, cuiusmodi hoc concilium futurum sit, in quo duntaxat morum censura exerceri debeat, doctrinae omitti, quando haec illorum semper corrigendorum fuerit regula. Si de reformandis catholicis hoc intelligendum est, nemo nostrum dubitare debet, quin doctrina apud nos integra sit, nec ulla admodum egeat disceptatione, sed eam sicuti antea semper, ita nunc quoque esse legitimam omnis christianae vitae canonem. Sin contra

[a] *S* praestat [b] *V add. in marg. a Singkhmoser* [c] *S* aut [d] *S* om

[1] *2 Tim.* 4, 3.
[2] Cfr. *Tit.* 2, 12. [3] *Luc.* 4, 23.
[4] Cfr. Reg. pastor. c. 48, *Migne* 77, 95.
[5] Cfr. *Plutarchus*, Praecepta gerendae reipublicae (*Bernardakis* V 68).
[6] *Matth.* 5, 19.
[7] *Act.* 1, 1.
[8] *1 Tim.* 4, 12.
[9] Cfr. *Matth.* 18, 7.
[10] Vide supra p. 663 adn. 4.

de corrigendis sectariorum moribus dicitur, nullam illi a nobis doctrinam quasi vitae honestae regulam receperint, nisi ipsi sacerdotes nostri prius correcti appareant. Quod etiam nonnulli fortasse conqueri possent, si morum censura ita, sicuti decet, integre tractari deberet, longo opus esse temporis spatio siquidem plerisque iam grave sit Tridenti[a] commorari diutius[1].
105^r Itaque morum censuram suspenden|dam videri et pergendum in dogmatum explicatione. Nulla haec ratio est. Tempus ad utrumque requiritur, et tantum omnino, quantum expediendo utrique negotio abunde satisfuerit. Atqui vero si ullum temporis fastidium tam sancto, tamque necessario in negotio locum habere deberet, satius fuisset, concilium non indici, quam indictum[b] non velle ad eum, quem res ipsa postulat, finem constanter perduci, cum absurdum censeri posset, si concilii negotia ex temporis spatio, et non temporis spatium ex concilii negotiis metiri vellemus[2].

I.

[Articuli de reformatione.]

Quapropter cum id ratio suadeat, cum haec tempora idem efflagitent, cumque omnes viri prudentes unanimi consensu idem statuant, ut necesse sit morum emendationem initio sic tractari in hac sacra synodo, ut deinceps de controversiis dogmatum disceptatio legitime institui posset: Confidimus itaque Rev^{mos} patres in hoc sacrosancto concilio congregatos nihil neque prius neque praestabilius ducturos esse, quam ut primo quoque tempore hoc emenda-
105^v tionis opus inchoetur | et ad optatum felicemque finem perducatur. Nec ⟨diffidimus etiam⟩[c], quin iidem Rev^{mi} patres, cum videant reformationis tractationem praecedere debere, eum pium zelum nostrum[d] non modo non reprehensuros, sed locum ei suum ex legitimis causis clementer[e] tributuros esse, ⟨si sincero animo et summa erga Rev^{mos} patres observantia ea, quae in eundem reformationis usum necessario adiicienda existimantur, breviter recenseamus[f], habita praesertim accurata quadam et perquam necessaria ratione huius corruptissimi saeculi, cuius morbum aeque propemodum difficile est recte cognoscere, quam arduum radicitus sanare conniti. Quae autem illa et qualia sint, quae adiicienda putantur, et quam longe fuseque pateant, ipsius negotii natura atque vis docet. Nam si id, quod catholici populi adhuc reliquum est, ut salvum maneat, tueri volemus (sicuti certe velle debebimus), principio necessarium erit, ut turpes cleri mores emendentur et amoveantur ab ecclesia multiplices abusus; deinde opus erit, ut nobis adversum populum reconciliare conemur ac profligemus ex provinciis catholicorum principum sectarios duces; tertio ut de bonis ecclesiasticis fiat mentio quaedam; postremo ut Rev^{mi} patres de nonnullis quaestionibus praecidendis[g] tempestive admoneantur. De prima autem parte initio, quae eiusmodi est, ut sequitur⟩[h].

[1.] Primo S^{mus} D. N. papa Pius per sacrum concilium exhortandus atque orandus est, ut sicubi forsan circa S^{tis} Suae personam, statum et curiam suam nonnulla esse perspexerit, quae emendatione egere videantur, ea in melius reformari benigne patiatur. Tunc enim
106^r S^{tas} Sua maiore cum auctoritate de aliorum erratis iudicare | poterit, cum semetipsum inculpatum iudicem[i] cunctis exhibuerit. ⟨Nam eiusmodi haec tempora esse videmus, quae eam nunc vitae morumque integritatem requirant[k] in proceribus, praesertim ecclesiasticis, ut vix satis esse videatur omnem cuiusvis flagitiosi criminis culpam praestare, sed etiam ut omnem (si tamen fieri posset) cuiusvis delicti suspicionem vitare oporteret. Metiuntur enim homines per sectarios seducti ex sanctitate primitivae ecclesiae mores praesentis saeculi. Quapropter dubium non est, quin Pius pontifex S^{mus} D. N., habita ratione paternae pietatis suae et infirmitatis in decepto populo, omnem sit rationem initurus, ut si quid tale in curia sua animadverterit, quod populum nationesque ceteras avertere posset atque ab amore obedientiaque

[a] *V add. in marg. a Staphylo.* [b] *V add. a Staphylo in marg.* [c] *V corr. a Staphylo ex* diffidit etiam sua S. Caes. M^{tas}. [d] *V rasura; antea sine dubio legebatur* suum. [e] *V add. in marg. a Staphylo.* [f] *S M* recenseantur [g] *P corr. ex* praevidendis [h] *V add. a Staphylo in marg.; del.* Qua quidem sincera fiducia Caes. M^{tas} freta articulos eos, qui super hoc reformationis negotio conscripti a Rev^{mis} patribus sunt, diligenter legit et perpendit. Cum autem animadvertisset non iis tantum, sed aliis nonnullis praeterea opus fore, dedit id negotii quibusdam piis planeque catholicis viris, ut ea, quae in eundem usum necessaria, praesertim hoc corrupto saeculo nostro sive emendatione potissimum indigere videretur, conscriberent. Quae quidem eiusmodi sunt ut sequitur. [i] *V add. in marg. a Staphylo.* [k] *M P S* requirunt

[1] Scilicet illis, qui aestate vel autumno anni 1561 Tridentum advenerant; quos enumerat Astolfus Servantius in diario suo, *Conc. Trid.* III 1, 7 sqq.

[2] Cum hac de necessitate reformationis narratione cfr. scriptum, quod oratores Caesaris die 6. Martii 1562 legatis tradiderunt, *Le Plat* V 102 sq.; *Sickel*, Zur Geschichte 276 sqq.; *Šusta* II 42. 46.

apostolicae sedis reddere alieniorem, primo quoque tempore emendetur atque amoveatur, cum hoc pium patrem vel imprimis deceat, qui non tam dura legum disciplina quam paternae virtutis exemplo filios suos instituendos corrigendosque arbitretur⟩ [a] [1].

2. Gravis quidem iam olim fuit et adhuc est multorum piorum querela, quod nimis illa | numerosa cardinalium multiplicatio onerosa sit et parum decora ecclesiae 106v
Opes enim ecclesiae a tam multis cardinalibus exhauriri, nec raro in eum ordinem parum idoneos cooptari, qui offendiculo potius sint quam necessariis ecclesiae functionibus apti. Itaque S^{mum} D. N. rogandum esse, ut hunc statum, si non ad duodenarium apostolorum, saltem ad duplicatum, nempe viginti quatuor ⟨cum duobus supernumerariis⟩ [b] cardinalium numerum pro gubernanda universali ecclesia sufficientem limitare et contrahere dignaretur, prout in concilio Basiliensi solemniter constitutum esse perhibetur [2].

3. Tametsi vero Romanus pontifex maximam habeat dispensandi potestatem [3], praesertim in his, quae iuris positivi sunt, tamen animadversum est, quod nonnunquam ex Urbe dispensationes ad exteras nationes adferantur, quae plenae publici scandali sunt, quaeque auctoritatem apostolicae sedis non imminuunt tantum, sed dedecorant etiam, efficiuntque tandem, ut omnes aliae dispensationes, etiam legitime factae, vilescant atque contemnantur. Pie itaque papa Pius S^{mus} D. N. ceterique Rev^{mi} patres in hoc concilio congregati diligenter provideant, ut scandalum hoc ex ecclesia submoveatur, | neque in posterum aliquid tale 107r
dispensetur, ⟨quod aut ipsos sacros canones sua penitus auctoritate orbare aut offendiculosam aliquam abusionem, ea ista dispensandi potestate indignam, prae se ferre videri posset⟩ [c] [4].

4. Eadem est ratio de exemptionibus contra iura communia passim concessis, ut scilicet auctoritate concilii revocentur, omnesque basilicae et monasteria utriusque sexus sub illius episcopi potestate consistant, in cuius territorio vel dioecesi posita sunt, ut sacri disponunt canones.

[a] *V emendatio Staphyli f. 68^r-69^r; del.* Nec dubium est, quin S^{tas} Sua id secum subinde meditetur neque divum Petrum neque ullos huius apostoli successores cum summam in ecclesia Dei dignitatem adepti sint, se simul omnem peccandi licentiam una cum tanto privilegio adeptos putare debere nec existimare satis esse sedere in cathedra Petri ac Pauli, opera autem et mores Petri et Pauli negligere, siquidem non statim sanctorum filii sint, qui loca tenent sanctorum, sed illi, qui opera sanctorum factis imitantur. Meminerit etiam S^{tas} S., sicuti Romana ecclesia aliarum ecclesiarum mater est, non domina, sic Romanus pontifex reliquorum episcoporum non dominum, sed et fratrem et patrem esse, qui filios suos non solum dura legum disciplina corrigendos, sed multo magis laudabilis vitae suae exemplo amanter instituendos atque fovendos esse arbitretur. Hoc enim modo ecclesiam a rugis mundabit, formosam reddet, quae merito queat unica charissima Christi sponsa dici. [b] *add. a Staphylo in marg.* [c] *V emendatio Staphyli f. 69^r iuxta votum Seldii n. 10; del.* quod contra expressum ius sit; sed hoc, quod iure fieri queat, id etiam in dispensatione licere velint.

[1] Votum Seldii (f. 75^v-76^r):
8. Nec dubium est. — *Valde dura sunt haec verba usque ad versum « meminerit », et ab imperitis vel malevolis in eam partem detorquebuntur, quod Caesar velit insimulare pontificem, quasi in omnem peccandi | licentiam sibi tribuat, et quasi negligat opera et mores Petri et Pauli; item quasi non sit filius sanctorum nec opera sanctorum imitetur etc., cum tamen hic pontifex de nullo praecipuo vitio notetur nisi de eo, quod omnium pontificum quasi commune est, videlicet quod in provehendis suis* [del. *nullum nec modum nec ordinem tenent*] *paulo sit diligentior. Ego autem multis rationibus nollem, quod ipse Caesar se accusatorem pontificis constitueret. Faciunt hoc et facient alii, quorum personae id magis congruit.*

[2] Votum Seldii f. 76^r:
9. Nempe viginti quattuor cardinalium. — *In conceptu deputatorum additum erat de duobus supernumerariis: Id, si ita in decretis concilii Basiliensis habetur (quod tamen nescio, liber enim non est ad manum), forte non esset omittendum, quamvis, si veritatem fateri licet, totus hic articulus ad reformationem ecclesiae Germanicae, quae hactenus vel de numero vel de authoritate cardinalium parum fuit sollicita, non admodum pertinet.*
Revera concilium Basiliense in sessione XXIII c. 4 decrevit: *Praedicto autem numero viginti quattuor pro magna ecclesiae necessitate vel utilitate duo alii, in quibus vitae sanctitas vel eximiae virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Graecis (cum Romanae ecclesiae uniti fuerint) insignes aliqui viri adiici poterunt. Mansi* XXIX 117. Cfr. *I. Birkner,* Das Konzil von Trient und die Reform des Kardinalkollegiums unter Pius IV: Hist. Jahrbuch 52 (1932) 340-355, praesertim 344; *H. Iedin,* Analekten zur Reformtätigkeit der Päpste Iulius' III und Pauls IV: Röm. Quartalschrift 43 (1935) 87 sqq.

[3] Quae fuerint consuetudines dispensandi in Signatura gratiae sub Iulio III et Paulo IV, ostendere conatus sum in: Röm. Quartalschrift 42 (1934) 311 sqq. Sed observes multa, quae sub Paulo IV sunt decreta, a Pio IV propter nimium rigorem fuisse sublata.

[4] Votum Seldii (f. 76^{r-v}):
10. Neque in posterum. — *Istud esset tollere omnino omnem dispensandi facultatem, cum dispensatio nihil aliud sit quam iuris communis ex probabili causa relaxatio. Id autem utrum consultum sit, vehementer apud me dubium est. Constat enim ipsos apostolos in pluribus dispensasse, habita scil. personarum, locorum et temporum | consideratione, et antiquorum canonum severitatem nostri huius temporis conditio in pluribus nequaquam admitti. Imo et supremi orbis monarchae ferre non possent, quod summo pontifici omnis dispensandi facultas praecideretur maxime, quando agitur de contrahendis matrimoniis in gradu prohibito. Dispiciendum itaque esset, an non magis expediret abusum quam usum dispensationum auferre.*
De natura dispensationum vide supra p. 648 sq.

5. Etsi autem in superiore Tridentina synodo saluberrimae sanctiones promulgatae sint de abroganda pluralitate dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum, de personali residentia, de incorporationibus [a] ac congruarum partium assignatione et id genus aliis, videmus tamen eiusmodi statuta hactenus suum non sortiri effectum [1], sed plane negligi prorsusque contrarium fieri. ⟨Videmus enim etiam nunc non uni unum beneficium conferri, sicuti decretum fuit, sed a singulis etiam plures episcopatus, plures praelaturas, plures canonicatus, plura denique curata beneficia, si non directe, per indirectum
107v tamen, malis quibusque artibus impune impetrari atque teneri⟩ [b] [2]. | Quae sane dignitatum beneficiorumque pluralitas, eorundemque sive uniones sint sive incorporationes sive reservationes sive commendae ac generis eiusdem similia, profecto non extrema causa sunt, quod tot passim haereses exortae vagantur, totque schismata ubique christianarum gentium ecclesiam Dei miserabiliter vexant atque dilacerant. Quia enim nonnulli partim simoniacis artibus pinguiora ecclesiarum emolumenta ad se rapiunt ac ipsa ministeriorum onera in vicarios reiiciunt, fit plane, ut mercenarii ita faciant, quemadmodum de eis dixit ipse Dominus [3], hoc est, quoniam praeter conducti laboris mercedem nihil spectant, gregem Domini vel negligenter pascunt vel omnino obiiciunt lupis, quos non tam ipsi fugiunt, quam cum eis communem ineunt societatem. Ac si qui tamen in tali genere hominum probiores sunt, certe ob tenuitatem assignatae mercedis saepius aut fame coguntur functionem deserere aut inviti sese ad sectarios conferre. Interea pingues illi et simoniaci cauponatores nulla cura tanguntur commissi gregis, salvusne hic sit an pereat, bene ne an male pascatur a mercenariis,
108r nihil id putant ad se pertinere, nihilominus sedulo lanam et lac, et quid [c] praeterea | emolumenti est, avide exposcunt, ut sit, unde omni generi libidinis ac vitiorum copiae et opes queant suppetere. Hinc defectus ille ministrorum piorum in ecclesia; hinc neglectus et diminutio praedicationis verbi Dei, omissio cultus divini, prophanatio sacramentorum, desertio ecclesiasticorum officiorum. ⟨Hinc etiam tantus studiorum bonarumque literarum et imprimis sacrarum contemptus enatus est, ut in universis Germaniae gymnasiis nunc vix tot studiosi adolescentes, quot olim in singulis erant, reperiantur [4]. Quis enim plantat vineam, et non cupit fructus eius concedere? Quis pascit gregem, et lac de grege non desiderat? [5] Qui altari servit, de altari vivat, inquit Apostolus [6], et Moses [7]: *Non ligabis os bovi trituranti.* Quid autem nunc fit? Certe per simoniacas artes cunctis studiosis doctisque viris omnis aditus ad legitima virtutum praemia praecluditur. Quin pleraeque cathedrae in Germania quasi ex lege constitutum habent, ne ullum habeant in capitulo suo doctorem [8]; cum iam non solum docti viri, ubi desunt, summis praemiis, ut adsint, accersiri deberent, sed etiam studiosi adolescentes in diversis ali academiis, ut deinceps illorum eruditio hisce praesentibus ecclesiae ruinis opem ferre posset. Quamobrem sacri concilii fuerit primum, ut antiqui canones serio renoventur, qui iubent singulis singula beneficia conferri [9], et haec quidem non nisi idoneis personis, plura autem uni eidemque non idoneo, non vetant tantum, sed solebant

[a] *V del.* examinandis [b] *V emendatio Staphyli f. 69r iuxta votum Seldii n. 11; del.* Videmus enim etiam nunc non uni unum sicuti decretum est, sed singulis etiam plures episcopatus, plures praelaturas, plures canonicatus, plura denique curata beneficia, si non directe, tamen per indirectum malis quibusque artibus impune | conferri ac possideri. [c] *V² M S* si quid

[1] Quae nondum erant a pontifice confirmata. Immo cum rex Lusitaniae et episcopi Hispaniarum decreta quaedam executioni dare vellent, pontifex conatui se opposuit. Cfr. *H. Jedin*, Kirchenreform und Konzilsgedanke: Hist. Jahrbuch 54 (1934) 401–431, praesertim 411 sqq.

[2] Votum Seldii f. 76v:

11. Impune conferri ac possideri. — *Magis hoc loco placent verba prioris concepti « impune impetrari et retineri ». Maius enim proculdubio peccatum est impetrantis quam conferentis. Qui conferens ut plurimum vel malis artibus circumvenitur vel saltem errore aut ignorantia labitur.*

[3] Cfr. *Io.* 10, 12 sqq.

[4] Quas perpessae sint iacturas universitates Germaniae illis temporibus, ostenderunt *F. Paulsen*, Geschichte des gelehrten Unterrichts I³ (Leipzig 1919) 195 sqq.; *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes VII¹⁵ 147–179; *L. Cardauns*, Zur Geschichte der kirchlichen Unions-u. Reformbestrebungen 1538–42 (Rom 1910) 55 sq.

[5] Cfr. *1 Cor.* 9, 7.

[6] Cfr. *1 Cor.* 9, 13 sq.

[7] *1 Cor.* 9, 9 et *1 Tim.* 5, 18, iuxta *Deut.* 25, 4, ubi verba differunt.

[8] Iisdem fere verbis Staphylus in libro suo « De corruptis moribus utriusque partis », quem sine loco et anno sub nomine Sylvestri Czecanovii 1561 edidit, de canonicorum nobilium crassa ignorantia vitaque saeculari et impura conqueritur: *Quasi ex lege constitutum habent, ne ferant in collegio suo ullum doctorem aut theologum. Putant enim divinitus sibi deberi, quicquid in ecclesia lucrosum est, quicquid laboriosum, vicariis* (f. M 1r).

[9] C. 1 D. 89 (*Friedberg* I 311) Gregorii Magni loquitur de officiis; generaliter cumulatio quae dicitur beneficiorum prohibita est in concilio Lateranensi III, c. 3 *Quia nonnulli* X de cler. non resid. III 4 (*Friedberg* II 460), iterum in concilio Lateranensi IV, c. 28 *De multa* X de praeb. III 5 (*Friedberg* II 477 sq.), deinde saepius, sed frustra; cfr. *Hinschius*, Kirchenrecht III 249 sqq.

etiam olim poenis ulcisci. Deinde dent Rev^mi patres operam, ut secundum decreta Lateranensis concilii [1] singula collegia, si parva sunt, parvas scholas, si magna, magnas erigant, statuantque omnino, nec ullum se catholici cleri seminarium posteritati relicturos esse, nisi sic singulis singula distribuantur beneficia, ut et doctores praeterea complures ali queant et mediocris multitudo studiosorum adolescentum pariter sustentari necessariis ecclesiae opibus. Provideant itaque diligenter, ne posthac clerus connumeretur in duabus ecclesiis, cum hoc negotiationis illicitae sit turpisque lucri potius, quam ullus laudabilis mos venerandae antiquitatis in ecclesia⟩ [a] [2]. Ac denique conductitiis presbyteris non committantur ecclesiae, sed unaquaeque, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem. Ideoque ad cavendum technas et fraudes simpliciter statuatur, quemlibet archiepiscopum solo et unico suo archiepiscopatu, quemlibet episcopum solo suo episcopatu, quemlibet praelatum sola sua praelatura, itidemque canonicum solo suo canonicatu, et parochum | 108v sola sua parochia contentum esse debere, cessantibus interea nec obstantibus iuribus, consuetudinibus, exemptionibus, dispensationibus, incorporationibus, reservationibus et commendis quibuscunque; nisi enim omnis ecclesiasticarum dignitatum et beneficiorum nundinatio prorsus sublata fuerit, singulisque ecclesiis singuli non quidem mercenarii nec conductitii, sed proprii ministri, ad quos proprio iure oves spectent, sine personarum acceptatione, sed solius virtutis duntaxat probitatisque ac eruditionis ratione habita, et qui perpetuo residere velint, constituantur, nullam omnino spem esse, religionem catholicam vel conservari vel instaurari unquam posse, omnes [b] pii et periti homines catholici palam profitentur.

6. Cum dignitates et beneficia ecclesiastica dentur propter officia, ac iura statuant canonica, episcopos in locis cathedralium ecclesiarum residere eaque, quae ordinis ac officii sint episcopalis, per se exercere debere; cumque tamen haec a pluribus non observari constet [3], sacrosancta synodus Tridentina merito hac in re vigilare debebit, ut in posterum omnes episcopi in locis cathedralium ecclesiarum fixam teneant residentiam, nec quoquam temere expatientur, nisi id suprema exigat necessi|tas ecclesiae, nec officium, quod suum cuiusque 109r episcopi proprium est, in vicarios transferant; sed cum episcopi munus sit confirmare baptisatos, examinare atque ordinare initiandos, iudicia ecclesiastica exercere, celebrare synodos, visitare dioeceses, ac si quae eiusdem generis alia, debebunt episcopi haec officia tanquam [c] propria et sua non deponere, vicissimque nec imponere vel suffraganeis vel officialibus suis, sed ipsimet haec officia administrare per se. Quod si vero haec omnino sive propter graviorem aetatem adversamque valetudinem sive ob alia quaedam nimis ardua negotia, sive etiam propter imperitiam suam obire per semetipsos non possint, detur opera, ne eae episcopales functiones qualibuscunque, sed hominibus aptis ac singulari doctrina, industria ac probitate praeditis, nec unico vicario seu officiali quantumvis idoneo (quemadmodum plerumque solet) totius dioeceseos administratio in causis spiritualibus committatur, sed aliquot diversis personis discriminatim, quarum aliae ob aliam eruditionis commendationem insignes sint, ut theologis theologica, canonistis canonica assignentur negotia. Quin et neglectas passim visitationes, dioecesanasque synodos singulis annis haberi man|109v dentur, cum sine his neque veritas ecclesiae consistere neque ulla disciplina cum populi tum cleri retineri possit.

7. [d] Quoniam vero cum ecclesiae passim tam luculenter dotatae atque fundatae sint, ut ex earum proventibus facile queant omnia onera, quae illis imponi consueverunt, sufferri, cumque ab ipsa catholica ecclesia graviter sancitum sit, mysteria Dei gratis absque

[a] *V emendatio Staphyli f. 69r iuxta votum Seldii n. 12; del.* Hinc etiam tantus studiorum et scholarum contemptus, ut in universis Germaniae gymnasiis vix tot studiosi adolescentes, quot olim in singulis erant, reperiuntur. Quamobrem sacrum concilium huic malo succurrat veteresque canones in usum ecclesiae revocet ac det operam, ut singula ecclesiastici iuris officia singulis, sed tamen idoneis personis sigillatim committantur provideatque, ne posthac clericus connumeretur in duabus ecclesiis, cum negotiationis hoc sit et turpis lucri proprium et ab antiqua ecclesiae consuetudine penitus alienum. [b] *V² M S* omnesque [c] *V add. in marg. a Staphylo.* [d] *Le Plat art 7 cum priore coniungit ita, ut 14 tantum numeret.*

[1] Concilium Lateranense IV renovans augensque canonem 18 concilii Lateranensis III (c. 1 X de mag. V 5) decrevit in cathedralibus aliisque ecclesiis idoneis magistrum grammaticae, in metropolitanis theologum esse alendum, c. 4 *Quia nonnullis* X de mag. V 5, *Friedberg* II 770.

[2] Seldius f. 76v:

12. Hinc etiam tantus studiorum. — *Cuperem hunc locum paulo fusius explicari, ita ut intelligatur, quam calamitatem haec beneficiorum nundinatio studiis et scholis invehat, videl. quod nemo amplius sacras literas amplectatur, cum videat se ex ea re proventum nullum posse capere, occupantibus nimirum ecclesiae beneficia iis, qui tanquam fuci apum labores depascere solent.*

Ne clericus in duabus ecclesiis conscribatur, iam c. 10 concilii Chalcedonensis vetuit, c. 2 *Clericos* C. 21 q. 1, *Friedberg* I 853.

[3] Superfluum videtur, pro re nota immo notoria testimonia afferre, sufficiant, quae in hoc ipso opere collecta sunt *Conc. Trid.* V 209 sqq. 839 sqq.; XII 580 sqq. (1546/7); VIII 402 sqq.; III 1, 291 sqq.

ullo pretio dispensari debere, sub excommunicationis poena, magnopere desiderandum videtur, ut horum canonum antiquus rigor in ecclesiam revocetur. Non enim a baptisandis vel consignandis fidelibus, non pro chrismate vel eucharistia, non pro conferendis sacris ordinibus, non pro dedicandis basilicis, non pro benedictionibus nubentium, non pro sepultura, non pro exequiis mortuorum, non pro investituris ecclesiarum vel aliis id genus spiritualibus pretia vel praemia ulla exigenda, atque adeo gratiam Spiritus Sancti pro nullo pretio vendendam esse, ⟨canones antiqui vetuerunt, et ipsa ecclesiae maiestas postulare videtur⟩ [a], non obstante quacunque consuetudine in contrarium introducta [b], cum diuturnitas temporis non minuat, sed augeat peccata, prout haec omnia conciliorum decreta et sacri ca-
111r nones testantur [1]. Quorum autoritate iam pridem violata, coeperunt | paene omnia sacra et prophana in ecclesia pretio venire, non absque turpissimi quaestus avaritia. Quapropter sacri concilii accurata inspectione admodum opus erit, ut haec ad normam veterum canonum, quoad eius fieri potest, revocentur. Si quae autem fuerint ecclesiae passim, quarum adeo tenues annui reditus sint, ut absque talibus quotidianis emolumentis ministeria ecclesiastica sustinere non queant: hae igitur ab opulentioribus ecclesiis sublevandae sunt, ne cum aliae abundent, aliae squalleant inopia, parum aequali conditione iugum Domini supportare cognoscantur. ⟨Quam ad rem fortasse non inconsultum videri posset, si curatis beneficiis, quae tenuiora sunt, quam ut necessaria ecclesiae munera obiri queant, aliqua non curata beneficia incorporarentur. Quandoquidem alias in comperto sit, plerosque hisce beneficiis, quae animarum curam non habent annexam, pessime abuti solere⟩ [c].

8. Cum simoniaca haeresis totum ecclesiae corpus ita occuparit, ut morbus illefere incurabilis esse videatur, itaque quo periculosior haec pestis est, eo magissacrosancto concilio enitendum erit, ut ab ecclesia sancta quam latissime pellatur, constitutionesque canonicae tam veteres quam recentiores contra simoniam editae [2] innoventur eorundemque transgressores, semota omni misericordia, severissime puniantur.

9. Vetus querela est ac a diversis repetita doctoribus, in nimis magnum crevisse acervum
111v humanas pontificum et praelatorum constitutiones, | et hac quidem obligatione promulgatas, ut, si quis has quoquo modo vel saltem mediocriter transiliisset, mortalis peccati reus censeretur. Unde multorum tales voces auditae sunt de levi iugo Christi ac de lege libertatis iugum ferreum factum esse onusque supra modum grave, duriter premens cervices christianorum idque adeo etiam [d], ut et tolerabilior sit Iudaeorum conditio, qui duntaxat sexcentis (aut circiter) legibus obstringebantur, quam christianorum, qui gravantur infinitis [3]. Inter tot autem tamque diversas leges ac varias quis christianorum potest absque perpetuo cordis tremore et excarnificata conscientia securus versari? Deliberent Rev^mi patres in concilio, an non expediret, ut haec humanarum sanctionum multitudo nonnihil contraheretur, resectis abolitisque supervacaneis; an item recte fiat, cum praelati suas constitutiones, quae iuris positivi sint, aequent obligationi iuris divini.

10. Quanquam vero sacri canones prohibent, ulla [e] excommunicationis censura in quenquam temere ex quavis levi causa animadvertendum esse, cum sint certa quaedam peccatorum genera expressa, ob quae hoc ecclesiae fulmen eiaculandum censeatur, nihilominus
112r tamen compertum | est, plerumque leviculis de rebus et prophanis quidem, nimirum ut quia decimae persolutae non sint, vel quia debitor non solverit usuram, et similia, non absque maximo offendiculo in miseros homines fulminari solere. Erat autem hic excommunicationis gladius in primitiva ecclesia quadam veneranda raritate formidabilis, nunc vero per abusum in extremum venit contemptum. Est enim excommunicatio (seu anathema) aeternae mortis damnatio nec nisi pro mortali crimine imponenda et illis quidem solummodo, qui aliter corrigi non poterant. Omnis enim christianus, qui a sacerdotibus excommunicatur et ab ecclesiastica communione removetur, Satanae, qui extra ecclesiam est, traditur, unde et illos, quos Apostolus Sathanae esse traditos praedicat [4], excommunicatos a se esse declarat. Erit ergo salubriter per sacrum concilium prospiciendum, ne pontifices ac praelati aut alii

[a] *V add. in marg. a Staphylo.* [b] *V add. in marg. a Singklmoser* [c] *V add. in scheda separata, hodie signata f. 110.* [d] *P S om* [e] *V corr. ex* ullam .. censuram

[1] Ex. gr. c. 8 *Non satis* X de sim. V 3, *Friedberg* II 750 sq.
[2] Quos collegit *Hinschius*, Kirchenrecht V 709 sqq.
[3] Non solum Lutherus cum sequacibus de multitudine humanarum constitutionum (Menschensatzungen) conquestus est (*Luthers* Werke VI 507-553) catholici quoque [deploraverunt eam, [ut Guidiccionius et Nausea, *Conc. Trid.* IV 471; XII 249 423.
[4] Cfr. *1 Cor.* 5, 5.

ecclesiarum gubernatores hoc terribili excommunicationis gladio extra casum peccati mor-
talis et notoriae incorrigibilitatis abutantur.

11. Gravis videtur abusus omnem divinum cultum [a] ridicule et negligenter sine
devotione et reverentia peragi, tantaque praecipita|tione preces effundi, ut orantes seu psal- 112v
lentes ne seipsos quidem intelligere queant, nedum quam pie et devote psallant canantve
expendere, quando id curant unice, ut quam ocius absolvant, quidvis potius libentiusque
acturi, quam hisce divinis officiis studiose animum adiicere. Qui abusus et Deo ingratus est
et multis praebet occasionem, ut minus libenter sacris cantionibus [b] intersint, confestim ex
tali contemptu facti ab omnibus ritibus ecclesiae alieniores. Cogitent ergo Rev^mi patres
modum quendam eiuscemodi, quo haec vitia corrigi possint, ne videlicet, quae divina sunt,
tam leviter praecipitentur. Adsit devotio, adsit animus divinis rebus vacans, et quae can-
tantur aut leguntur, pronuntientur apte, distincte, tractim, quo servetur pia gravitas, ne plus
ore quam corde Deus coli intelligatur neque illud propheticum nobis exprobrari queat [1]:
Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Quid enim prodest strepitus
verborum, ubi cor mutum esse apparet?

12. Cum negari nequeat temporum vitio multa inepta, apocrypha, parumque ad sincerum
cultum pertinentia in cantiones et preces | ecclesiae irrepsisse, sacro concilio 113r
enitendum erit, ut libri missales, graduales, antiphonarii, agendae et breviaria [c 2] religiose et
diligenter recognoscantur et repurgentur, utque nihil in ecclesia legendum, canendum, oran-
dum seu populo proponendum permittatur, quod non sit ex divinis litteris desumptum, ⟨aut
hisce omnino consentaneum, prout vel ex sanctis patribus vel probatis historiis ecclesiasticis
demonstrari possit⟩ [d 3], prout antiquis conciliis cautum esse cognoscitur? Et cum isthaec prae-
cipitatio maxime per preces et cantus plus aequo prolixiores causetur, quibus ad fastidium
usque clerus gravatur, expediret utique hanc taediosam prolixitatem habito delectu resecari,
cum melior sit quinque Psalmorum decantatio cum cordis [e] serenitate et hilaritate spirituali,
quam totius modulatio Psalterii cum cordis anxietate atque tristitia.

13. Denique cum imperita utriusque sexus populi multitudo in cultus divini ac sa-
cramentorum administratione linguae vernaculae usum magnopere urgeat, cumque e
multorum tam recentiorum quam veterum ecclesiae doctorum et scriptorum monumentis
utique constet, eundem aliquando morem in usu ecclesiae fuisse, et etiamnum alicubi, utpote
in regno Granatae [4] | et in Croatia [5] esse, posset hic articulus quoque in concilio proponi
atque deliberari, an non ecclesia tanquam piissima mater pro praesentis temporis conditione
permittendum existimaret, ut liceret alicubi latinis canticis ⟨vernaculas pure omnino et fide-
liter versas intermiscere, suo tamen loco et tempore, et eas saltem, quae populi devotioni con-
veniant nec prophanent divina illa et arcana sacrorum bibliorum mysteria⟩ [f 6].

[a] *V del.* satis [b] *S* concionibus [c] *V del.* iam tandem [d] *V emendatio Staphyli f. 70r ex voto Seldii n. 13; del.* aut illis consentaneum seu ad fidei aedificationem accomodatum. [e] *V del.* puritate ac [f] *V emendatio Staphyli f. 70r ex voto Seldii n. 14; del.* vernaculas ex latino versas intermiscere, siquidem non tam cuius linguae idiomate exprimantur res sacrae, quam quo sano intellectu animoque devoto pertractentur, ponderandum sit.

[1] *Is.* 29, 13.

[2] Reformatio librorum liturgicorum iam saec. XV saepius est postulata, saec. XVI coepta ab hominibus privatis, ut a Ferrerio, a cardinale S. Crucis, Io. Petro Carafa et aliis. Quoad missale vide *P. Batiffol*, Leçons sur la messe; *Cabrol-Leclercq*, Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie XI 2, 1485 sqq.; quoad breviarium *S. Bäumer*, Geschichte des Breviers (Freiburg 1895) 383 sqq. et *I. W. Legg*, The second Recension of the Quignon breviary II (London 1912) 1-84.

[3] Seldius f. 76v: 13. Ex divinis litteris. — *Adderem lubenter «sanctis patribus et probatis historicis ecclesiasticis».*

[4] Videntur putasse auctores liturgiam quae dicitur Mozarabica, restitutam a cardinale Ximene Toleti, vernacula lingua uti, quod falsum. Cfr. *M. Férotin*, Le liber Mozarabicus sacramentorum (Paris 1912).

[5] Cfr. *Conc. Trid.* I 503 adn. 3; adde, quae *L. Eisenhofer*, Kath. Liturgik I (Freiburg 1932) 153 sqq. de libris liturgicis glagolice scriptis collegit.

[6] Seldius f. 76v-77r haec adnotaverat:
14. Vernaculas ex latino versas. — *Adiiciendum esset «pure tamen ac fideliter versas», | ne scil. approbemus psalmos aliquot hoc nostro saeculo ex Davide non solum inepte, verum etiam infideliter ac in eum sensum versos, de quo propheta ne somniavit quidem. Et si verum fateri licet, totus hic articulus non parva consideratione indigebit. Nam si populus devotionem suam canendo excitare voluerit, poterunt forte sufficere cantilenae illae antiquae simplices quidem, sed valde sincerae, quae inter conciones decantari solent, puta: Der Tag [der] ist so freudenreich; Christ ist erstanden; Komm heiliger geist; Mitten unsers lebens zeitt, et si quae sunt eiusmodi. Nam etiam si totum psalterium in linguam vernaculam vertas, quomodo intelliget imperita multitudo mysteria illa ardua, cum tamen doctissimi quique legendo psalterium latinum vix centesimam eius partem intelligant, nisi commentariis sanctorum patrum quasi praeceptoribus seu interpretibus utantur? Nolo commemorare, quam horrendi abusus hodie ex nimia illa canendi consuetudine in ipsas sectariorum irrepserint*

14. Dolendum profecto est universum clerum (proh dolor) a semitis et vestigiis patrum ita enormiter degenerasse, ut omnis illorum et vita et mores et conversatio cunctis sacrorum canonum decretis ex diametro adversetur. Stat apud ⟨clericos omne⟩ [a] vitium in praecipiti, versos scilicet in laqueum tortuosum et in omnibus locis ponentes scandalum, ut non immerito quaerere et dicere liceat: Ubi est Deus clericorum? Interim promiscua populi multitudo, pernitiosis istis offendiculis vehementer exacerbata, omnem catholicae fidei nostrae doctrinam ex cleri vitiis metitur, quasi ex fructu arborem aestimans. Eoque tandem progressa est impudentia cleri, ut flagitia, quae in laicis publicis poenis vindicantur, ea sibi sacerdotes
114r impune quasi optimo iure licere arbitrentur, | cum eorum tamen esset, quibus praeesse debeant, eos non modo, qui eiuscemodi crimina designarint, legibus et doctrina coërcere, sed suo etiam honestae vitae exemplo illis praeire, ne talia patranda esse unquam in mentem ducere velint. Quocirca sacro concilio cogitandum erit de rationibus, quibus clerus ad vitam puriorem [b] reducatur, ut, cum cleri vocentur, hoc est, qui sint in sortem Domini electi, id esse, quod dicuntur, elaborent tam vita quam habitu, tam exemplo quam doctrina, idque re ipsa, non verbis, haud immemores exempla plus quam verba movere [c].

15. Non minus utriusque sexus status monasticus ab institutis suis admodum graviter degeneravit. ⟨Quod enim⟩ [d] praelati et regulares olim orationibus, meditationibus, studiis et laboribus vacabant ac in humilitate frugaliter vivebant, et quae ultra necessitatem supererant, in pauperes et educationem studiosorum, quo possent ecclesiae Christi olim usui esse, utiliter expendebant. Iam vero quid fit? Neque ullam divini cultus rationem habent, neque ullam observant regularis vitae disciplinam. Praelati magna ex parte ore catholicam ecclesiam profitentur, corde sunt haereses amplexi, monastica bona surripiunt, coenobia
114v vastant, ut conventuales | habeant, non dant operam, et si quos habent, eos sic tractant, ut aut abbatum fiant in omni genere flagitiorum similes, aut si id non placet, aufugere cogantur, abiecto monastico habitu, professionis suae immemores; unde non raro plenae apostasiae crimen consequitur, unde itidem et hoc evenire videmus, quod in coenobiis, etiam opulentissimis, vix unum aut alterum reperias monachum, qui vel propter paucitatem confratrum vel propter rudem imperitiam peragendo divino cultui sufficere non [e] queant. Tales sunt patres familias plerumque illi, qui se ab episcopali iurisdictione exemptos gloriantur. Hi sane loco conventualium numerosam inutilium servitorum et equorum familiam ad fastum et pompam potius quam ad necessitatem nutriunt multosque otiosos et vanos faciunt sumptus, omnia vel nimio suo, cui indulgent, luxu audaciter decoquentes vel in privatam suorum amicorum, non publicam monasteriorum (ut deceret) utilitatem convertentes. Quae cum veriora sint, quam ut ulla tergiversatione celari queant, sacro concilio pensandum relinquitur, si qua ratione ordo ille monasticus vel ad primaevam suam institutionem redintegrari vel ad mitiores regulas relaxari, aut [f] aliis legitimis modis et mediis provideri queat, ne tanta monasteriorum bona
115r ac divitiae ⟨tam flagitiose⟩ [g] dissipentur, | sed in alios aeque pios et ecclesiae Dei utiles usus deputentur et convertantur [1].

Haec quidem sunt, quae pii viri et docti et catholici istis articulis, qui de reformationis negotio a Rev^mis patribus Tridenti propositi sunt, ut emendari clerus possit et abusus tolli, adiicienda putaverunt. In quibus licet multa, quae in specie pressius explicari potuissent, praeterita sunt, in genere tamen possunt aliquid eorum admonere, quae catervatim grassantur, praesertim in Germania ceterisque vicinis provinciis ac regnis. Nec dubium est, quin [h] sua quaeque natio habeat privata quaedam et propria vitia, quae tamen, cuiuscemodi sint et qualia, non aliunde rectius poterit quam ab eius gentis indigenis cognosci. Quid potissimum in clero Germanicae nationis desideretur [i], non plene quidem, at non inutiliter tamen poterit animadverti ex ea reformationis formula, quam D. Carolus V felicis memoriae quondam proponi imperii statibus curavit [2]. Extant etiam alia quaedam reformationum exempla ab aliquibus archiepiscopis Germaniae tentata potius quam in effectum perducta [3], quae non parum

[a] *V corr. ex* clerum esse [b] *S* priorem [c] *S* monere [d] *S* V^2 Quoniam [e] *S* V^2 *om.* [f] *S* V^2 ut [g] *V corr. a Staphylo ex* ita pessime [h] *S* quando [i] *S* desiderent

ubi saepenumero fit, ut muliercularum ac puellarum inter se cantillantium certamine libido potius quam devotio audientium accendatur.

Cantica supra nominata vide apud *W. Bäumker*, Das katholische deutsche Kirchenlied I (Freiburg 1886) 286-502 sqq. 640 sqq. 589; quae etiam S. Canisius valde laudavit (*illa pulchra et antiqua cantica*): Canisii epp. et acta ed. *O. Braunsberger* III 650 sqq.

[1] De visitatione monasteriorum a. 1561 habita cfr. *Eder* l. c. 66 sqq.

[2] Vide supra p. 664 adn. 5.

[3] In archiepiscopatu Coloniensi Hermannus archiep. a. 1536 et Adolfus archiep. a. 1549 concilia provincialia celebraverunt, quorum acta vide apud *Hartzheim*, Concilia Germaniae VI 235 sqq. 532 sqq.; cfr. *H. Förster*, Reformbestrebungen Adolfs III von

Rev^{mos} patres admonere poterunt de his, quibus clerus in Germania laborat [a]. | Atque vero 115^{v}
quo propius Rev^{mi} patres et clarius intelligere possint, qui in regnis ac provinciis Sacrae Caes.
M^{tis} V. immediate subiectis status religionis sit tam in clero regulari quam seculari, ⟨operae
pretium fore arbitramur, si S. Caes. M^{tas} V. ipsis faceret istius supplicis libelli copiam, qui
nuper oblatus est nomine praelatorum eorum, qui in illa parte archiducatus Austriae sunt,
quae est sita supra fluvium Anasum⟩ [b] [1]. Ex quo quidem supplice libello poterunt Rev^{mi} pa-
tres manifeste cernere, quid S. Caes. M^{ti} V. de instauratione catholicae religionis deque corri-
genda disciplina monasteriorum, nisi mature occurratur, sperandum sit. Quamobrem Caes.
M^{tas} V. Rev^{mos} patres pia quadam intentione summopere hortari atque obtestari debebit, hoc
necessarium reformationis opus ut sibi velint esse cordi atque sic omnino statuere secum, nisi
reformationis remedio hisce miseris afflictisque catholicae religionis reliquiis mature subven-
tum fuerit, in his septentrionalibus provinciis de universa fide catholica brevi actum iri;
moram enim haec res nullam fert ulteriorem, in | foribus periculum est, in ipsa penetralia 116^{r}
sese ingerit, partim dolo, partim manifesta vi.

Neque vero propterea, quod Caes. M^{tas} V. eam istam cleri reformationem tantopere urget, debent Rev^{mi} patres ullam concipere suspicionem, quasi S. Caes. M^{tas} [c] id laboret tantopere, ut reformationis censura tantum velit [d] vexari clerum, ac saecularem statum immunem praeteriri. Nequaquam hanc esse mentem M^{tis} ⟨Vestrae scimus, quando constet⟩ [e], haud paucioribus statum saecularem quam spiritualem vitiis scatere. Quin vero cum ad huius politici ordinis emendationem res deducta fuerit, adeo ⟨S. Caes. M^{tas} V.⟩ [f] neminem praeteriri volet, ut ne personam quidem velit suam exemptam videri, a qua tanquam a supremo capite initium sumendum statuit. ⟨Quocirca non dubitamus, quin Sacra Caes. M^{tas} V. parata sit omnium actionum suarum rationem reddere, ac si quid forte ab se (quae humanae conditionis fragilitas est) delictum fuerit, id ingenue fateri velit ac emendari serio, nec auxiliante Deo ab illo officio, quod pium, quodque christianum deceat principem et catholicum imperatorem, qui se sanctae matri ecclesiae semper [g] obedientem filium exhibeat, recedere velle unquam cogitarit⟩ [h] [2]. |

De reformatione quidem haec breviter Rev^{mos} patres admonendos ⟨esse arbitrati sumus⟩ [i] 116^{v}
idque ista lege quidem, ut hoc pio in catholicam religionem zelo nostro nihil autoritati vel
S^{mi} D. N. vel Sacrosancti Tridentini concilii ⟨praeiudicatum velimus, cuius iudicio sese aeque
summi atque infimi reverenter subiicere debent⟩ [k].

[a] *V del.* Eam | ob causam Caes. M^{tas} hoc in mandatis dedit suis oratoribus, ut has istas catholicorum virorum pias suggestiones primo quoque tempore Rev^{mis} patribus in concilio Tridenti congregatis offerrent. [b] *V add. a Staphylo in marg.; del.* non potuit S. Caes. M^{tas} omittere, quin copiam illis faceret cuiusdam supplicis libelli nuper M^{ti} Suae oblati ex parte praelatorum archiducatus Austriae supra Anasum flumen sitae. [c] *V add. a Staphylo in marg.* [d] *V corr. a Staphylo ex* debeat [e] *V corr. a Staphylo per rasuram et in marg.; del.* Venit enim sua Caes. M^{tas} [f] *V add. a Staphylo in marg.* [g] *S om.* [h] *V add. a Staphylo in marg.; del.* Itaque Rev^{mis} patribus de se potestatem Sua M^{tas} factura est, ut omnia ea, quae ipsa vel in cultu divino vel in fide catholica vel in moribus vel in administratione imperii ceterorumque regnorum ac provinciarum, quae ipsi divinitus commissa sunt, perperam gesserit, fecerit, designaverit, illis liberrime corrigere atque emendare liceat. Eo namque animo est | fuitque semper, ut nihil eorum, quae filium sanctae matri Romanae ecclesiae obedientem decent, sciens volensque nunquam velit omittere. [i] *V add. in marg. a Staphylo; del.* duxit Caes. M^{tas} [k] *V add. in marg. a Staphylo; del.* cuius aut quorum iudicio haec quemadmodum eius generis similia lubens sese et volens submittit.

Schaumburg in der Kölner Kirchenprovinz (Münster 1925) 40 sqq. Maguntiae Sebastianus, Treviri Ioannes archiep. anno 1549 concilia eiusmodi habuerunt, *Hartzheim* VI 563 sqq. 595 sqq.; reformationem Maguntinam anno 1542 conceptam, sed non decretam apud *L. Cardauns*, Zur Geschichte der kirchlichen Unions- u. Reformbestrebungen 1538-42 (Rom 1910) 210-276. Decreta conciliorum Salisburgensium anno 1537 et 1549 edidit *F. Dalham*, Concilia Salisburgensia (Augustae Vindel. 1788) 296 sqq. 344 sqq.; de illo, quod anno 1560 convocatum auctoribus libelli erat notissimum, vide *Sickel*, Das Reformationslibell 84.

[1] « Deliberatio de instauranda religione in archiducatu Austriae », scripta ex votis deputatorum pro reformatione a Staphylo 1561, edita a *I. G. Schelhorn*, Amoenitates historiae eccl. et liter. I 616-678; cfr. *G. Eder*, Die Reformvorschläge Kaiser Ferdinands I auf dem Konzil v. Trient 90 sqq. et supra n. 96.

[2] Votum Seldii f. 77^{r-v}:

15. Potestatem Sua M^{tas} factura est. — *Diligenter hoc loco cavendum, ne M^{tas} Sua nimis liberaliter polliceatur. Quid enim, si patres concilii hac occasione arrepta velint vel constitutionem de pace religionis vel alias huiuscemodi sanctiones Imperii aboleri? Certe | id M^{tas} absque insigni rerum publicarum perturbatione facere non posset. Satius ergo videretur haec verba nonnihil ad eum sensum restringere, quod M^{tas} Sua parata esset omnium actionum suarum, quatenus expediret, fidelem rationem reddere, et si quid a M^{te} Sua humana fragilitate, quam M^{tas} Sua ingenue agnosceret, peccatum esset, M^{tem} Suam ita correctioni ac emendationi paratam esse, ut ab officiis obedientis filii sanctae matris ecclesiae nunquam recedere velle videatur.*

II.

[Concessiones.]

Dictum superius fuit, id imprimis connitendum esse in Tridentino concilio primum, ut vitiosi mores cleri repurgentur tollanturque ex ecclesia abusus; deinceps restare, ut etiam cogitetur, quonam modo hae exiles catholici populi reliquiae saltem retineri in officio, si non adaugeri possint.

Quanquam vero, si quis, quam ardenter ad defectionem et ad haereses plerique omnes homines [a] ruant, contraque, quam difficulter perpauci queant in catholica fide retineri consideret, apparet omnino omnem conatum ea in re esse inanem. At viri tamen prudentes non penitus desperant, si opportuna adhibeantur remedia, quorum alia extrema dici consueverunt, quia extremis morborum periculis applicentur, alia molliora sunt et malagmata quaedam suis
117r attemperata morbis, | qui ignem ferrumque reformident mitiusque tractari velint. Solers medicorum regula est et verum axioma longoque usu receptum contraria contrariis curari oportere, atque hoc ita tamen, ne remedii maior minorve virtus sit, quam est vis atque malitia morbi. Itaque si suum ecclesiae ius esset integrum ac inviolatum, liceretque ei explicatis, non obsignatis tabulis rem tueri suam, non alia nobis nunc esset medendi ratio, quam extremis malis extrema adhiberi remedia, hoc est, quoniam falsa sectariorum doctrina est, anathemate feriatur, doceatur verior; quoniam vitiosae personae in clero sunt et inutiles, removeantur, collocentur utiliores; quoniam iniuria sunt bona ecclesiastica direpta, iure repetantur, suoque [domino] usurpentur et legitimo modo. At vero quia languent vires ecclesiae, incisi sunt iudiciorum nervi, deest exequendi iuris potestas, proinde necesse est, quod directi iuris fuit hactenus et rigidi, id mollioribus inflecti ambagibus, sed ea lege tamen, ne quid largiamur personarum favori, quod divini iuris est proprium, neve quod placide possit benevoleque componi, id temere atque acerbe dilaceretur.

Considerent haec Rev[mi] patres expendantque pariter, an non res ipsa efflagitet, nunc ali-
117v quid eorum, quae iuris positivi sunt, a | severitate ecclesiasticarum constitutionum relaxandum esse. Quamvis enim contra patrum statuta condere aliquid aut mutare velle auctoritas vetat apostolicae sedis, id tamen procul dubio de statutis canonibusque eis, qui iuris divini explicationem complexi sunt, intelligendum est, non de sanctionibus positivi iuris; hae etenim huiusmodi sunt, ut auctoritate sive Romani pontificis sive alicuius concilii et mutari queant et penitus aboleri etiam, si ita locus, tempus, personae ex necessariis causis postulent [b]. Quapropter ne ipsi quidem sacri canones reprehendunt, si humana statuta ratione temporum varientur [c], praesertim cum vel urgens quaedam necessitas vel evidens utilitas id exposcat, quemadmodum saepe usu venisse meminimus. Scimus enim ecclesiam frequenter ea sua usam autoritate, cum illa plerasque diversorum conciliorum sanctiones, quae ex certis causis et circumstantiis conditae fuerant, postea tamen aut correxit aut mutavit, aut ademit aliquid aut adiecit nonnihil. Estque hoc, ut sic fiat, nonnunquam valde necessarium; quia enim temporum vicissitudines variantur, nec mores hominum iidem sunt nunc, qui fuerunt superioribus saeculis, idemque fit, ut nec eaedem leges, quae de illis promulgatae
118r habentur, de hisce nostris haberi possint. Neque est [d] haec | nunc primum nata positivi iuris varietas. Legimus Mosen ex mandato Dei aeneum serpentem fabricasse, ut esset adversus serpentum morsus remedium [1]; eundem longo tempore post ⟨rex Ezechias⟩ [e] ex certis causis destruxit atque delevit [2]. Eadem autoritate potest Romanus pontifex seu generale concilium leges antiquas de priscis moribus latas mutare et inflectere ad normam praesentis saeculi, modo id diligenter caveat, ne quid in tali variatione, quod ad substantiam pertinet divini iuris, mutetur.

Stabilita igitur hac discretione inter ea, quae divini iuris sunt et mutari non queunt, et inter haec, quae iuris humani et mutari queunt, facilius erit forsitan hasce catholici populi reliquias conservari, ut maneant constantes, quam universam, quae defecit, multitudinem reduci, ut aliquando resipiscat. Eamque ob causam illud initio sibi velint esse curae Rev[mi] patres, ut primum nostra roborentur, hoc alterum deinceps tentari poterit, cum tempus benigniorem (sicuti speratur) occasionem obtulerit.

[a] *V add. in marg. a Staphylo.* [b] *S* postulant [c] *S* variantur [d] *S V[a]* etiam [e] *V add. a Staphylo in marg*

[1] *Num.* 21, 8 [2] *4 Reg.* 18, 4

Duplex autem genus hominum est in catholicorum principum provinciis, quibus opitulandum erit, si has catholicae religionis reliquias incolumes fore [a] cupimus: ineruditi et lascivi sa|cerdotes 118v et populus ad haeresin valde proclivis. Quod vero ad populum attinet, sperant viri prudentes ac pii, posse illum in disciplina catholicae fidei retineri, si ea concederet sacra synodus Tridentina, quae iure concedere potest, vi retinere non potest [b]. Non quod Caes. M^{tas} V. [c] pro se personaque sua cupiat ullum priscae ecclesiae ritum mutari, satis enim ipsa est in fide catholica divino auxilio confirmata; sed quicquid hac in re consulit, facit id omnino publicae tranquillitatis causa, nulla habita ratione privati [d] sive commodi sive affectionis ullius. Fundamentum autem eius sui consilii putant isti pii viri esse, quia populus uti rudis est, ita minus intelligit subtiles illas haereticorum assertiones, sed crassiores aliquos articulos, qui veritatis speciem aliquam prae se ferre videantur, pertinaciter arripere solet [e] ab iisque se nullo modo divelli permittere. Eiuscemodi autem articuli sunt, de utraque specie in coena Domini, de esu carnium, de coniugio sacerdotum, ac si quid rerum similium. Haec quoniam in sacris scripturis aliquam veritatis evidentiam habere putantur, ob eosdem articulos, cum ad vulgi illecebras explicati sint, credit populus etiam reliqua sectariorum prava dogmata, etiamsi ea non intelligat, recta esse atque salutaria. | 119r Norunt has affectiones populi sectarum duces. Quocirca cum hi se a catholicis magistratibus peti animadvertunt, tum illi continuo ad populum se et ad nobilitatem convertunt, vociferantes mutilari testamentum Domini, dum altera species denegatur, stabiliri doctrinam daemoniorum, dum sacerdotibus coniugium non permittitur et populo interdicitur esuscarnium. Credit vulgus haec scripturarum verba per se satis clara esse, accuratis illis catholicorum explicationibus opus non esse. Ea de causa imperitus populus, quoniam hos tres articulos putat se recte in scripturis sacris intelligere, recte etiam a suis sectariis explicari, itaque et cetera dogmata suorum seductorum, quae non intelligit, pari defendit pertinacia.

Viri talium rerum gnari ipsoque usu edocti arbitrantur, non facile multitudinem populi in catholicorum principum provinciis seductam ad viam reduci posse, nisi aut ipsi seductores parochi a pravis opinionibus revocentur aut ab his arte quadam et industria subtrahatur vulgus. Si populus ea possit, quae se de tribus illis articulis in scripturis sacris credit recte intelligere, obtinere a catholicis praelatis, haud magnopere illum pro subtilioribus illis suorum ducum dogmatibus, quae non intelligit, pugnaturum esse ⟨verisimile est⟩ [f], cum in plerisque locis plebs alias studium novitatis pertaesa iam suos coepit | 119v sectarios parochos propter omne flagitiorum genus aversari, ob solum coniugii usum adhuc amplectitur, vicissimque in catholicis sacerdotibus cetera ferre potest, impurum vero coelibatum extreme odit semper. Quod sane homines literati, qui honestioris vitae esse student, utrumque coeperunt pressius ad limam ducere, eoque fit, ut eorum multi idcirco ducant uxores, quia turpem in sacerdotibus nostris coelibatum detestantur, contraque a Lutheranicarum ecclesiarum functionibus abstinent, ne se coinquinent contagione haeresum. Itaque existimant graves viri ac docti, si laicis sub utraque specie communio et doctis piisque maritis sacerdotium posset concedi, fore ut populus in officio catholicae fidei retineretur et multi viri docti allicerentur ad sacerdotium catholicae ecclesiae.

Populus vero, sicut antea dictum est, nulla re magis devincitur ad sectariorum nova instituta, quam quod legit scriptum esse [1]: *Accipite comedite, accipite bibite.* Haec verba textus de utraque specie adeo fixe tenaciterque insederunt animis vulgi, ut decies mori mallent homines atque extrema perpeti, quam ullam admittere de una specie restrictionem. | 120r Vidimus passim multos homines, qui cum cetera essent christiani, tamen ob hoc tam expressum Dei verbum, ut ipsi loquuntur, ad sectarios a nobis transire maluisse, ut liceret utraque specie uti, quam manere apud nos una contentos. Audiuntur etiam haud raro passim in mediis gregibus sectariorum versantes, qui palam confitentur, se recta [g] ad Papistas velle transire, si apud hos integrum esset sub utraque specie eucharistiae sacramentum sumere. Movet istos homines devotio expressi textus, et quod audiunt apud Graecos utriusque speciei usum inde usque ab initio fuisse. Quin etiam ipsum Constantiense concilium testatur [2] diserte, eum fuisse morem communicandi sub utraque in ecclesia primitiva, a quo nec alii scriptores graves dissentiunt [3]. Multa solent a multis in hanc sententiam afferri, quae consulto praetereuntur;

[a] *S* esse [b] *S V*[2] *om* [c] *V corr. a Staphylo ex* sua [d] *S om* [e] *V add. in marg. a Staphylo.* [f] *V add. in marg. a Seldio.* [g] *Supple* via

[1] *Matth.* 26, 26
[2] Sess. XIII, *Mansi* XXVII 727.
[3] Cfr. *G. Constant*, Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces I (Paris 1923)

⟨non enim disputandi, sed reverenter admonendi causa haec a nobis dicuntur, ut eo
diligentius cogitetur, quid pro sananda infirmitate seductorum hominum expedire possit⟩ [a].
Hoc autem certum est, ipsam quidem communionem Dominici corporis esse institutam ex
iure divino, laicum vero vel sub una communicari vel sub utraque, non divini, sed positivi
iuris esse res ipsa docet, nec hoc dissimulavit Basiliense concilium, cum affirmat [1], |
120v ecclesiam ordinare posse, *quomodo ipsis non conficientibus* eucharistia *administraretur, prout*
pro reverentia ipsius sacramenti et salute fidelium viderit expedire, sive enim sub una specie, sive
sub duplici quis communicet secundum observationem seu ordinationem ecclesiae, proficiat digne
communicantibus ad salutem. Nec dubium est, quin eo quoque respexerit Paulus III Romanus
pontifex, cum omnibus per Germaniam episcopis concessit eam facultatem sub utraque specie
communicandi hos, qui devotionis suae causa sub utraque mallent quam sub una communi-
cari [2], minime profecto eam facultatem largiturus, nisi utramque vel alterutram speciem in
laica communione indifferentem iurisque humani, non divini statuisset esse.

Quod cum ita est, cur non posset uti sua potestate mater ecclesia? Quanta infirmitas
sit in plerisque hominibus etiam catholicis, argumento esse potest vel hoc ipsum utriusque
speciei tam ardens desiderium. Cui si mater ecclesia consulere posset aliarum consensu
nationum, spes magna fore videretur, hac tam benigna concessione pontificis titubantes in
officio retineri et relapsos erigi paulatimque ad gremium sanctae matris ecclesiae [b] posse
121r reduci. Sunt qui arbitrentur, eadem ista occasione et Bohemos | et Ruthenos et Graecos
ad unitatem catholicae ecclesiae sponte redituros esse, quandoquidem et ipsi tot haereses
sectasque pertaesi ad concordiam christiani orbis aspirare videantur. Quod omnipotens
Deus *Pater misericordiarum* [3] aliquando perficere dignetur.

De esu carnium et ieiuniis non secus olim Aeriani adversus ecclesiam atque nunc Lutherani debachabantur; dixit enim Aerius [4]: Ieiunium non est praeceptum, sed est Iudaicum quiddam et iugum servitutis; iusto enim non est lex posita, sed patricidis ac matricidis atque similibus. Si autem volo ieiunare, inquit, quamcunque diem meo arbitrio mihi delegero, ieiuno per libertatem. Plane nunc sectarii eodem modo eisdemque pene verbis [5]. At vero dubium non est, quin divina lex sit, ut ieiunent christiani, tametsi, quonam tempore et quo modo id faciendum, iuris positivi esse videtur, quando in primitiva ecclesia neque idem modus observatus sit neque idem tempus ubique. Quidam enim ante Pascha septem hebdomadas, quidam tres ieiunabant [6], quidam ad horam nonam, quidam ad occasum

[a] *V add. a Staphylo in marg.; del.* non enim disputatores hic esse volumus, sed deliberatores ad hoc negotium vocati in medium consulere, quid pro sananda infirmitate seductorum hominum expedire censeamus.
[b] *V add. in marg. a Staphylo.*

1 sqq.; *P. Polman*, L'Elément historique dans la Controverse religieuse du XVIe siècle (Gembloux 1932) 439 sqq.

[1] Sess. XXX, *Mansi* XXIX 158.

[2] Non episcopi, sed Pighinus, Bertanus et Lippomanus nuntii 31. Aug. 1548 inter alias hanc acceperunt facultatem (*Nuntiaturberichte* I. Abt. XI 458 sq.): *Praeterea iis, qui hactenus contra statutum ecclesiae communionem sub utraque specie sumere praesumpserint, si, ut id eis concedatur, humiliter devotionis causa petierint, sublatis a se antea singulis erroribus et haeresibus, vestigiis patrum in concilio Constantiensi tunc existentium ac aliquorum predecessorum nostrorum inherendo, facta prius per eos confessione in ecclesia coram catholico sacerdote tempore sumptionis sacrae eucharistiae, tantum sub una quantum sub utraque specie verum videlicet Christi Domini nostri et integrum corpus contineri, catholicamque ecclesiam non errare, quae sacerdotibus celebrantibus dumtaxat exceptis ceteros tam laicos quam clericos sub una tantum panis specie communicare statuit, quod sub utraque specie ut praefertur ad eorum vitam vel ad tempus, de quo vobis videbitur, communicare valeant, separatim tamen loco et tempore ab ea, quae iuxta statutum ecclesiae huiusmodi sub una tantum specie datur, etiam concedendi et indulgendi.*

Ex his apparet longe aliter rem se habere ac supra in libello continetur; de cetero neminem adivisse nuntios pro communione sub utraque specie concedenda ex litteris ipsorum nuntiorum *ibid.* 138. 144. 150 elucet. Cfr. *G. Constant*, Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces I (Paris 1923) 36 sqq. Dux Cliviae de communione sub utraque permittenda sine nuntiorum auctoritate deliberavit, *O. R. Redlich*, Iülich-Bergische Kirchenpolitik I (Bonn 1907) 330 sq.

[3] *2 Cor.* 1, 3.

[4] Cfr. *Epiphanius*, Panarion haer. 75 (*Migne gr.* 42, 507; *Holl* III 335).

[5] Ex. gr. Lutherus in commentariis in ep. Pauli ad Galatas (Werke XL 1, 668) ait: *Quare populus seu ecclesia novi Testamenti est prorsus sine lege (quod ad conscientiam attinet)*; in « Propositionibus » adversus totam synagogam Satanae (Werke XXX 2, 425): *Die Christliche Kirch hat macht, sitten und weyse zu stellen, die man halte, in fasten, feyren, essen, trincken, kleider, wachen und der gleichen. Doch nicht über andere on yhren willen, sonder allein über sich selbs...*, et postea: *Solcher pharher odder Bischoff mag seine Kirche vermanen, das sie bewillige ettliche fasten, beten, feyren etc. und anliegender noth willen ein zeitlang halte und darnach frey wider fallen lassen.*

[6] Aliquibus locis, praesertim in Oriente, hebdomas maior quadraginta diebus non adnumerabatur (*F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen I 258 sqq.); *ibid.* 265 de usu ieiunandi tres tantum hebdomadas.

solis cibi sumptionem differebant. Fuerunt, qui non a carnibus solum, sed ab ovis etiam abstinerent, solis baccis contenti aut piscibus. Reperti | fuerunt, qui, quod ab elixis abstinerent, ieiunare ξηροφαγεῖν appellarent [1]. Qui quidem diversus ieiunandi mos non abstruse prae se fert, quod neque tempus ieiunii neque ipse modus sit divini iuris, sed humani [2]. Quapropter cum hoc Epicureum saeculum salutares illas de certo tempore et modo ieiunandi sanctiones pervicaci quodam contemptu iam pridem usque adeo violare coeperit, ut etiam catholicorum plerique ex conversatione eorum, qui eas leges aspernantur, non usque [a] stricte observent antiquos ieiuniorum canones: possit eam ob causam sancta Tridentina synodus aliquid de pristino rigore relaxare, ut mitioribus ecclesiae praeceptis plebs invitata in ceteris retineretur obedientior. Sed hoc sicuti reliqua pro sua prudentia non negligent Rev^mi^ patres, cum ea de re incidet deliberatio. 121v

Quod ad c o n i u g i u m attinet, certum est, quod plerique iuventutis ardore citius erroribus implicentur, quam possint, quid optimum factu sit, iudicare. Ducunt saepe adolescentes, literati quidem illi, sed rerum humanarum adhuc imperiti, uxores, et cum alendae familiae non suppetunt sumptus, paupertas impellit multos, ut etiam inviti [b] apud sectarios ecclesiasticas functiones | ambire cogantur. Qui [c] tamen ut posteaquam se ex eventu, stultorum magistro, agnoverint deceptos esse, nihil magis cupiunt [d], quam si possint se a sectariis extricari, ad catholicos redire. Sed obstat continuo, quia mariti sint, uxores habeant, ad munera ecclesiae obeunda apud catholicos non admittuntur, eaque de causa velint nolint coguntur apud sectarios manere et in haeresi consenescere, demumque perire una cum ceteris. 122r

Tametsi autem dubium non est, quin multa sanctius fecerit Romana ecclesia quam Graeca, quod illa castitatis votum spopondit ⟨atque ultro⟩ [e] obtulit, haec matrimonii consuetudinem concessit clero: verum tamen cum haec aetas ex istis duobus bonis non velit eligere, quod melius est, concedendum sane, sicuti quibusdam piis videtur [3], ut eligat, quod duntaxat bonum, praesertim cum maritum fieri sacerdotem nullo iure divino prohibitum esse existimetur, sed positivo iuri subiectum esse omnes fateantur.

Ex sacris literis et ex historiis ecclesiasticis notum est maritum fuisse divum Petrum et apostolorum plerosque alios. Quin et A n c y r a n a synodus [4] sancivit diaconis, si in | ipsa ordinatione protestati essent se velle uxores ducere, ac si postea duxissent, in ministerio permanere licere, qui autem tacuissent manusque impositionem accepissent, his ad nuptias nullum regressum dari oportuisse. Tandem Ancyranae synodi sententiam approbavit N y c e n a synodus suasore Paphnutio [5]. Quanquam vero postea eadem sententia saepius in aliis synodis partim concessa, partim retractata est, tamen vel hinc certum est, sive maritus sit sive coelebs, qui sacerdotium velit gerere, positivi iuris esse ⟨hoc negotium⟩ [f], non divini, eandemque ob causam integrum esse Romano pontifici et concilio, eam coelibatus legem, quam antea certis de causis tulisset, eandem quoque contrariis de causis dissolvere et hoc sponte sua cum bona gratia largiri, quod alias nulla vi prohibere [g] queat. Nam adeo invaluit etiam in clero catholico, qui adhuc relictus [h] est in Germania et passim, ⟨fervens illa contrahendi⟩ [i] matrimonii cupido, ut in parochiis vix inter centum reperias unum, qui non sit aut clam aut palam maritus [6]. Meminimus, quod nuper accidit in quadam visitatione reliquiarum in Hungaria [7]. Reperti sunt multi sacerdotes cetera catholici, nisi quod calicem 122v

[a] *S add.* adeo [b] *S* multi [c] *S* Fit [d] *S* cupiant [e] *V add. in marg. a Staphylo.* [f] *V add. in marg. a Staphylo* [g] *V corr. ex* retinere [h] *S* reliquus [i] *V add. in marg. a Staphylo*

[1] Xerophagia apud Clementem Alexandrinum et Athenaeum est arida saginatio; postea apud Epiphanium abstinentia a carne, a piscibus, ovis etc., et inter alia ab omnibus elixis. *I. Schümmer*, Die altchristliche Fastenpraxis (Münster 1933) 38 sq.

[2] Similiter Hieronymus ep. 71 (*Migne* 22, 672): *Unaquaeque provincia abundet in sensu suo et praecepta maiorum leges apostolicas arbitretur.*

[3] Ex. gr. Staphylo, Vicelio multisque in curia imperiali hominibus politicis.

[4] Conc. Ancyranum c. 10 (*Hefele* I² 230), receptus in corp. iuris c. 8 D. 28, *Friedberg* I 1021 sq.

[5] Socrates et Sozomenus narrant (*Mansi* II 906 sqq). Paphnutium dissuasisse, ne sacerdotibus uxoratis usus matrimonii prohiberetur, sicut concilium Elibertinum praeceperat. *Hefele* I 431 sqq.

[6] Quae dicta sunt supra, non pro omnibus locis aequaliter affirmari possunt. Ex. gr. in dioecesibus Bavariae 1558-60 inter 1906 sacerdotes 491 erant concubinarii. (*G. Pfeilschifter-Baumeister* in: Zeitschrift für bayerische Landesgeschichte 7 [1934] 404 adn. 62); in ducatu Iuliacensi 1559-60 inter 400 sacerdotes 103 (*O. R. Redlich*, Iülich-Bergische Kirchenpolitik II 2 [Bonn 1915] 42*); de sacerdotibus in Bohemia et Croatia existentibus Hosius dicit, eos esse continentiores Ungaricis nec coniugium petere. *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 78.

[7] De statu rerum Hungaricarum Stanislaus Hosius cardinali Borromaeo 31. Iulii 1560 haec scripserat: *In Hungaria fere omnes parochi sunt coniugati, adeo ut vix tres caelibes reperiri dicantur. Archiepiscopus ipse Strigoniensis sibi persuasum esse dixit aut esse tolerandos [concubinarios] aut eiectis illis defuturos, qui populo sacramenta ministrarent. Cui quaerenti, utrum destitui*

populo administrarant et ipsi duxerant uxores. Deliberatum fuit diu, pellendine fuerint, an
124r tolerandi potius. Si tolerandi, schismatis malum | metuebatur, sin pellendi, tria ingentia mala certo secutura videbantur: P r i m u m, quia alii catholici sacerdotes coelibes haberi non poterant, parochiae vastae et orbatae sine parochis relinquendae erant; s e c u n d u m, quia miseri sacerdotes coniugati aliunde sustentationem habere non potuissent, ad sectarios eos oportuisset transire coniunctisque viribus deinceps catholicos una oppugnare; t e r t i u m, quia cum parochiae catholicis praelatis necessariisque ministris destituerentur, necesse fuisset tandem episcopos diocoeseos suae iurisdictionem ipsumque denique Dominicum gregem penitus deserere. Cum igitur haec quaestio in positivo iure militans id quaerat, anne praestet maritos ad sacerdotium admitti cum aliquo exemplo novae rei, an potius parochias vacuas abiicere sine pastoribus, sine administratione sacramentorum, sine concionibus, populumque vagantem ac dubium relinquere, et ob hoc nomen mariti catholicos expellere et hos adversariis coniungere horumque factiones nostra expulsione iuvare ac denique occasionem praebere, ut hi vacuas diocoeses et episcopatus invadant, occupent ac demum ex populo catholico sectarium efficiant.

Quanquam [a] vero, quantum ad hos tres articulos, quos iam commemoravimus, attinet, non dubitamus ⟨aliquas christianae reipublicae nationes et provincias⟩ [b] nihil hisce in rebus desiderare, ut contra communes positivi iuris canones aliquid vel relaxetur vel dispensetur, cum gentes illae ab hoc septentrionis malo longius [c] absint; certum tamen esse constat, quod hae boreales provinciae tum morbis [d] aliis molestentur [e], tum aliis quoque remediis egeant. Quapropter quicquid in hac nostra consultatione de coniugio cleri, de laica communione aut de esu carnium rerumque in iure positivo indifferentium deliberandi gratia protulimus, nolumus id sic accipiendum, quasi omnino necessarium putemus, eius generis dispensationis seu relaxationis canonum ad ⟨omnes nationes, regna et provincias christianitatis pariter⟩ [f] extendi debere.

124v Iam igitur si benigna mater ecclesia hoc mu|nere gratificata esset et laicis et clericis, his permisso coniugio, illis concesso calice, spem bonam sibi plerique viri pii pollicentur fore, ut non modo residuus coetus catholicorum immunis ab haereseos labe reservari posset, sed adaugeri etiam in catholica religione nostra.

III.

[R e m e d i a.]

Putant autem hoc modo agendum esse: Principio, quoniam valde necessarium videtur, ut concinna quaedam extet c a t h o l i c a e d o c t r i n a e s u m m a [1], praecipua complectens capita eorum articulorum, qui nunc potissime in controversia agitantur. Quod doctrinae compendium populari stylo contextum esse et perspicuum oporteret, omissis subtilioribus theologorum spinis, sed plane eiuscemodi, quod congrueret captui indoctorum parochorum

[a] *V tota haec sectio in scheda scripta a Staphylo (f. 123) add.* [b] *V add. in marg. a Singkhmoser; del.* quin Itali et Hispani et Lusitani pariter. [c] *V corr. a Singkhmoser ex* longissime [d] *S* V^2 malis [e] *V add. in marg.; del.* langueant [f] *V add. in marg. a Singkhmoser; del.* Italos et Hispanos et Lusitanos.

sacerdotibus ecclesias an haec hominum portenta tolerari praestaret, Hosius se non habere, quid responderet, confiteri est coactus. *Nuntiaturberichte* II. Abt. I 77.

[1] Mirum videri possit imperatorem hic a concilio summam doctrinae catholicae ad usum parochorum conficiendam postulare, cum Petri Canisii summa ipso Ferdinando I compellente conscripta ab anno 1555 extiterit. Sed observandum est, illam summam privati fuisse hominis, Caesarem autem quod concilii auctoritate esset suffultum opus desiderare.

Praeter Canisii summam (S. Petri Canisii catechismi latini et germanici ed. *F. Streicher* I [Romae-Monachii 1933] 3-75 et introductionem 38*-49*) nonnulla similia pro parochis destinata compendia extabant: *Fridericus Nausea*, Catechismus catholicus, 1543 (*I. Metzner*, Fr. Nausea [Regensburg 1884] 76 sq.); *Michael Helding*, Institutio ad pietatem christianam, quae est appendix ad Constitutiones concilii provincialis Moguntini a. 1549 celebrati, 1549 (*N. Paulus* in: Der Katholik 74 (1894) II 428 sqq.); *Iohannes Gropper*, Institutio catholica, 1550 (*W. van Gulik*, I. Gropper [Freiburg 1906] 132 sq. 179 sq.).

Adiiciendae his catechismis pro parochis essent Formulae ordinandorum, quae sub diversis titulis (« Elenchus quaestionum sacrorum ordinum candidatis... proponendarum », « Examen ordinandorum » etc.) ab Adamo Kuchenmeister, Iohanne Fero, Georgio Wicelio, Iohanne Groppero, ab episcopo Argentinensi et a Wolfango Seidl ord. S. Benedicti 1543-1555 editae sunt; de quibus omnibus cfr. *G. Pfeilschifter-Baumeister*, in: Zeitschrift für bayerische Landesgeschichte 7 (1934) 379-386.

Deinde, quoniam variae passim circumferuntur dominicalium evangeliorum postillae (ut vocantur)[a] a diversis conscriptae autoribus, quorum aliqui parum sincere parumque catholice docuerunt[1], alii vel nimis obscuri, alii admodum prolixi sunt[2], operae pretium foret, si Rev^{mi} patres talem postillam ab aliquot doctis praesentiumque controversiarum peritis theologis conscribi curarent eo modo, ut in explicatione cuiuslibet dominicalis evangelii aliquis necessarius locus tractaretur de aliquo articulo ca|tholicae fidei nostrae nunc controverso. 125^r Et quia saepe sermones ad populum habendi aliis diebus sive festivis sive fastis esset valde opportunum et utile, seligi aliquot certos anni dies, in quibus alias de baptismi, alias de confirmationis sacramento, alias de coena Domini, alias de sacramento poenitentiae et ceteris sacramentis, itemque de ritibus et ceremoniis ecclesiae conciones praescriptae haberentur. Populus enim ignarus est, et cum non intelligat istarum rerum usum, contemnit ea omnia.

Postremo et hoc necessarium esset, ut nova agenda[3] quaedam componeretur, retentis antiquis ritibus et resectis novis quibusdam et non valde necessariis. Multis enim in locis angustiores ecclesiae ritus penitus obsoleverunt. Haec talia scripta ⟨auctoritate concilii et Romani imperatoris ceterorumque catholicorum principum (quippe ut metu horum minus resisteretur) edi oporteret⟩[b], et[4] tradi in cunctis provinciis catholicorum principum singulis parochis, sive isti catholici sint, sive sectarii sive schismatici, et tradi quidem cum hac severitate, ne in expositionibus illi per latum (quod dici solet) unguem recederent in disceptatione controversiarum a praescripta summa catholicae doctrinae, in concionibus a praescripta postilla, in administrandis ecclesiae sacramentis et ceremoniis a praescripta agenda. | Iam 125^v vero si qui parochorum aut ministrorum haec talia scripta aut non recipere vellent, aut recepta non fideliter et re ipsa exequi, tunc demum tempus esset, vocem una cum baculo adversus lupos erigere. ⟨Edicendum ergo simpliciter, ut qui se hisce tam salutaribus mandatis velint opponere, eos gravissimas et Deo et legitimis magistratibus suis poenas esse daturos⟩[c 5]. Ea talis expulsio non videtur ullo modo commotura populum, cum publice significari posset, non eos expelli propter puram doctrinam evangelii, quam apostolica sedes et Caes. M^{tas} sinceram proponi iussisset, sicuti communio utriusque speciei et coniugium sacerdotum testificentur, sed eos exterminari propterea, quod vel hanc vel illam haeresim professi sunt, quam haeresim nulli indigenae eius provinciae probare aut tolerare velint, quandoquidem si talis secta invalesceret, periculum non solum foret de infinitarum animarum salute, sed de ipso etiam statu et pace eius provinciae. Praeterea indagari posset, quae sua cuiusque talis sectarii parochi privata sit vita, an criminosa, an ob aliquod facinus vel ob factum aliquod turpe famosa, atque si tale quippiam deprehensum esset, id continuo insinuandum populo tanquam legitima

[a] *S* vocant [b] *V emendatio Staphyli f. 70^r ex voto Seldii n. 16; del.* authoritate apostolicae sedis et Romani imperatoris edi oporteret. [c] *V emendatio Staphyli f. 70^r ex emendatione Seldii n. 17; del.* Edicendum ergo simpliciter hac in re rebellibus, ut intra definiti temporis terminum sub poena capitis et amissione [*cod.* omissione] suorum bonorum excedant fines eius provinciae.

[1] Ex. gr. in visitatione, quam dux Cliviae anno 1559-60 fieri iussit, multi inventi sunt parochi alioquin catholici, qui postillis Antonii Corvini (ed. 1535-37) vel Ioh. Spangenbergii (ed. 1542) vel Ioh. Brentii (ed. 1550) utebantur. *O. R. Redlich*, Iülich-Bergische Kirchenpolitik II 1 (Bonn 1911) passim. De praecipuis evangelicorum postillis vide Realenzyklopädie für protest. Theologie u. Kirche XV 579. — Pars libelli, quae de catechismo, de postilla, de agenda deque catalogo scriptorum catholicorum agit, allegata est et enarrata ab *O. Braunsberger*, P. Canisii epp. et acta III 732 sqq.

[2] Ex catholicis postillas i. e. homilias de evangeliis, quae diebus dominicis et festis anni ecclesiastici leguntur, scripserunt *Ioh. Eckius*, Christenliche ausslegung der evangelien, tres complectens partes, 1530-31 et saepius (*I. Metzler* in: Corp. Cath. 16 p. CVII sqq.; ibid. CXIII versiones in latinum); *Frid. Nausea*, Centuriae IV homiliarum, Coloniae 1530-32, germanice 1535 (*I. Metzner*, F. Nausea [Regensburg 1884] 31-43); *Ioh. Hofmeister*, Homiliae in evangelia, duos tomos complectens, 1547 (*N. Paulus*, Der Augustinermönch I. Hoffmeister [Freiburg 1891] 388 sq.; usque ad annum 1562 decem editiones); *Ioh. Ferus* postillam 4 voluminibus comprehensam annis 1552-55 edidit. Hae quattuor postillae in mandato conventus Mühlbergensis 1553 commendatae sunt. *G. Knöpfler*, Die Kelchbewegung in Bayern (München 1891) 11.

[3] « Liber agendorum » seu « Agenda » tunc ille liber liturgicus vocabatur, qui ritus in dispensatione sacramentorum adhibendos, benedictiones etc. continens nunc « Rituale » inscribitur. *F. Cabrol*, Les livres de la liturgie latine (Paris 1930) 58 sqq.;

[4] Seldius f. 77^v haec adnotaverat:

16. Autoritate apostolicae sedis et Romani imperatoris. — *Autoritatem Romani imperatoris reliqui orbis christiani reges ac populi non agnoscent; authoritatem vero solius apostolicae sedis quid opus est praetendere, cum apertum iam sit concilium? Melius ergo meo iudicio haec simpliciter ad autoritatem concilii referentur.*

[5] Votum Seldii (f. 77^v):

17. Edicendum ergo. — *Mallem hanc periodum omitti; stabit enim in arbitrio principum catholicorum saecularium, quae poena iuxta conditionem personarum et causarum infligenda sit.*

126r causa amotionis. Non dubium est, quin, si populus audiret sibi communionem | utriusque speciei, parochis coniugium integrum relinqui, non modo eum talem impurum et sectarium parochum expelli impediturus sit, sed adiuturus potius, praesertim facta spe de successore probiore.

Iam hinc gravis incidit quaestio ac difficilis, cum forsitan tali modo, quo diximus, mali parochi passim citius expelli possint, quam substitui meliores, siquidem illorum magna copia est, horum ingens inopia[1]. Ad hanc difficultatem amovendam haec, quae sequuntur, valde necessaria esse existimantur:

Primum ut interea, donec plures personae colligerentur, unus catholicus parochus aliquot ecclesiis provideret.

Secundum, ut summa diligentia adhiberetur, an aliqui ex iis sectariis parochis possent ad obedientiam apostolicae sedis et ad veram catholicae fidei doctrinam reduci. Expediret forsitan eos, qui sanioris mentis spem praeberent, in proximam catholicam academiam mitti, eosque aliquibus theologis mansuetioribus erudiendos commendari, et quoad necessarium videretur, ad certum tempus suppeditari eis victum ab ordinariis. |

126v Tertium, quia nulla alia ratione personarum idonearum penuria sublevari potest, nisi publica gymnasia instaurentur, ubi collapsa sunt, et ubi adhuc quoquo modo vigent, iuventuti atque amplificentur maioribus privilegiis et opibus. Iniungendum igitur episcopis, ut, qui ipsi academias non habeant, in vicina academia eorum aliquot collegium quoddam pro theologiae studiosis erigant, alatque archiepiscopus in eo collegio viginti adolescentes, alii episcopi denos, capitulum cathedrale binos et quilibet monasticus praelatus totidem. Nec suscipiatur adolescens in tale collegium nisi annos decem et octo[a] natus, etiam in philosophiae praeceptis mediocriter eruditus. Stipendium sufficiens ordinandum cuilibet et in annos quinque, hac lege, ut se datis sponsoribus obliget, quod velit evoluto quinquennio maiores sacros ordines suscipere et patroni episcopi sui ecclesiae prae aliis inservire, aut si horum neutrum vel alterutrum non vellet facere, promitteret, acceptam pecuniae summam velle restituere. De particularibus scolis et domesticis eadem cura esse deberet. Sed de his alibi et commodius et fusius poterit dici.

Quartum, | quia vero plerumque homines imperiti nec satis firmato iudicio sunt nonnulli[b]
127r parochi, | qua de causa infirmitati illorum succurrendum erit; legunt enim hi citra iudicium diversos autores, probatine sint an improbati in doctrina catholicae fidei non diiudicantes, plerumque ad deteriores magis propensi quam ad bonos. Quapropter non importune fore videretur, si certus autorum catalogus[2] publica authoritate editus commendaretur.

[c] Compendium totius theologiae nullum extat concinnius quam Petri Longobardi, quem Magistrum[d] vulgo vocamus[3], et illa epitome, quae, incerto autore, theologicae veritatis compendium inscribitur[4]. Extant etiam huius temporis praeclari eius generis

[a] *R* viginti tres [b] *V add. a Staphylo in marg* [c] *Supple hoc loco* Quintum· [d] *S add.* sententiarum

[1] Episcopus Pataviensis 1533 Vergerio nuntio dixit *che nella diocesi in quattro anni ne sono ordinati* [*sacerdoti*] *cinque;* Labacensis, *che nella sua in otto anni sono stati ordinati credo che m'habbia detto 17 soli. Nuntiaturberichte* I. Abt. I 152. In dioecesi Wirceburgensi, in qua a. 1521 ordinati sunt 115 sacerdotes, a. 1530 fuerunt 5, inde ad a. 1545 numerus medius erat 22. *Ianssen-Pastor,* Geschichte des deutschen Volkes IV[15] 419 sq. In Eichstettensi, ubi a. 1520 39 neoordinati primitias obtulerant, ab a. 1529 ad a. 1548, ergo intra 20 annos, obtulerunt 50! *J. B. Götz,* Die Primizianten des Bistums Eichstätt aus den Jahren 1493-1577 (Münster 1934) 78. 105. Vide etiam *Conc. Trid.* XII 425.

[2] Quae sequuntur de libris commendandis, sumpta sunt ex Deliberatione de instauranda religione in Austria, *Schelhorn,* Amoenitates hist. eccl. et lit. I 662 sq. Iam a. 1533 Fr. Nausea edidit librum: Qui scriptores sub haec novissima tempora sint tam a clericis quam a laicis tuto legendi (Coloniae 1533); similem catalogum praebet instructio archiepiscopi Salisburgensis 1553, *A. Knöpfler,* Die Kelchbewegung in Bayern (München 1893) 16 sq.; cfr. etiam 83 sq. et reformationem inquisitorum Sonnii et Letmatii pro Frisia (1555): Archief voor de Geschiedenis van het Aartsbidom Utrecht 30 (1905) 366 sq.

[3] Petri Lombardi sententiae, quibus toto medio aevo in universitatibus pro institutione studentium theologiae professores usi sunt, etiam in concilio Tridentino saepius commendabantur. *Conc. Trid.* V 109 sq. 115. 118.

[4] Compendium theologicae veritatis, iuxta *H. Denifle,* Luther und Luthertum I[2] 545, *im Mittelalter stark gelesen,* compositum saec. XIII exeunte ab Hugone Argentinensi ord. Praed. (*L. Pfleger,* Der Dominikaner Hugo v. Strassburg und das Compendium theol. veritatis: Zeitschrift für kath. Theologie 28 [1904] 429 sqq.), diversis auctoribus attribuebatur, ex. gr. Alexandro Halensi, Thomae Aquinati, Bonaventurae.

scriptores: Roffensis [1], Clichtoveus [a] [2], Pighius [3], Eccius [4], Dominicus Soto [5], qui non modo arctioribus methodis complexi sunt controversias horum temporum, sed etiam ⟨eorum quidam⟩ [b] postillationes super evangelia et epistolas dominicales ediderunt [6]. Sunt et horum similes plerique alii, quorum delectus nominatim parochis publica autoritate iniungi debebat.

Eadem cura ludimagistris adhibenda, ne quid docerent vel in sacris vel prophanis autoribus, quod a catholicae fidei regula discreparet. Extant multi diversorum autorum catechismi ut Rev^mi Merspurgensis [7], ut Iesuitarum [8], ut Gropperi [9] et similium. Ex his unus aut | alter quasi ordinariae institutionis in puerilibus scholis semper proponi debe- 127v
ret, nec alii citra consensum ordinariorum usquam admitti [c] [10].

Sextum [d] huius negotii quasi complementum esset, si in latioribus catholicorum principum provinciis plures episcopatus erigerentur, quemadmodum ⟨Serenissimus Hispaniarum⟩ [e] rex Philippus fecit in Belgio [11]. Nam sunt passim episcopatus complures, quorum diocoeses ad 40, ad 50, ad 60 Germanica miliaria patent. Qui autem potest fieri, ut unus episcopus tam procul tamque circumfuse, quonam modo praesit clerus, quo pacto obediat populus, dispiciat? Estne verisimile, quod unus episcopus per unum | vel alterum vicarium 129r
tam longe fuseque patentem diocoesim legitime et cum fructu administrare queat? Compertum est, quod in aliquibus tam magnis diocoesibus intra annos sexaginta neque ullae visitationes

[a] *V* Clichtoneus [b] *V add. in marg. a Staphylo.* [c] *V hoc loco alium articulum habebat, qui ex voto Seldii n. 18 postea est omissus:* Sextum [*sic!*] valde expediret in academiis catholicis iuramentorum formulas reformari et professores sectarios exterminari penitus atque severe in posterum mandari, ne ullum ferant vel in senatu academico vel in numero [*hic desunt aliqua verba*] gereret vere catholicum. Nam reperiuntur qui iurent quidem se catholicos esse, cum tamen constet, eos et re et verbis esse sectarios. Quapropter expressioribus iuramentorum formis opus foret. [d] *V corr. a Staphylo ex* Septimum [e] *V add. a Singkhmoser in marg.*

[1] Iohannes Fisher, Assertionis Lutheranae confutatio (Paris 1523), opus praeclarum.

De theologis istis polemicis cfr. *H. Jedin*, Die geschichtliche Bedeutung der kath. Kontroversliteratur im Zeitalter der Glaubensspaltung: Hist. Jahrbuch 53 (1933) 70-97.

[2] Iodocus Clichtovaeus Flander († 1543) plures edidit libros contra novatorum doctrinas in communi: « Antilutherus » (Paris 1524); « Propugnaculum ecclesiae adversus Lutheranos » (Paris 1526); « Compendium veritatem contra Lutheranos ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum assertiones ex dictis et actis in Senoensi concilio » (Paris 1529); cfr. *P. Feret*, La faculté de Théologie de Paris: Epoque moderne II (Paris 1901) 30-41, praesertim 38 sq.

[3] Albertus Pighius († 1542) in libro suo « Hierarchiae ecclesiasticae assertio » (Coloniae 1538) Romani pontificis primatum, in « Controversiarum... explicatione » (Coloniae 1542) omnes fere quae impugnabantur doctrinas catholicas defendit; cfr. *H. Jedin*, Studien über die Schriftstellertätigkeit A. Pigges (Münster 1931) 24 sqq. 34 sqq.

[4] Ex multis quos Iohannes Eckius edidit libris contra novatores in primis « Enchiridion » nominandum est, qui liber usque ad annum 1562 71 editiones latinas habuit; cfr. *I. Metzler* in: Corp. Cath. 16 p. XCI-XCIX.

[5] Dominicus de Soto, qui 1548-50 fuit Caroli V confessor, « Summulas » edidit prolixiores a. 1529, contractas Salamanticae 1536; cfr. *Hurter*, Nomenclator II 1374.

[6] Vide supra p. 679 adn. 2.

[7] Michael Helding († 1561), 1537 suffraganeus Moguntinus, 1549 ep. Merseburgensis nominatus, duos edidit catechismos: unum germanice scriptum sub titulo « Catechismus. Christliche Underweisung und gegründter Bericht nach warer Catholischer lehr über die fürnemsten stücke unsers heiligen Christen Glaubens », Moguntiae 1551 et saepius, continens 84 contiones habitas 1542-44, quae anno 1562 latinitati fuerunt donatae; alterum inscriptum « Brevis institutio ad christianam pietatem » ad usum puerorum nobilium, Moguntiae 1549, germanice 1555. Quae « Institutio brevis » excerpta est ex alio libro maiori eiusdem auctoris, parochis destinato « Institutio ad pietatem christianam », qui an. 1549 Moguntiae una cum constitutionibus concilii provincialis Moguntini prodiit. Cfr. *N. Paulus*, Michael Helding: Der Katholik 74 II (1894) 410-430; 481-502, inprimis 415 et 428 sq.

[8] Petri Canisii catechismus minimus, excusus Ingolstadii 1556, auctoris nomine caret; catechismus minor, excusus Coloniae 1558 vel 1559 sub titulo « Parvus catechismus catholicorum », una cum illo critice est editus a *F. Streicher* l. c. supra p. 678 adn. 1, p. 209-271.

[9] Praeter « Enchiridion » (1558), « Antididagma » (1544-5), et « Institutionem catholicam » (1550) Iohannes Gropper edidit « Capita institutionis... in usum pueritiae » Coloniae 1546, germanice 1547. Cfr. *W. van Gulik*, Ioh. Gropper (Freiburg 1906) 131 sq. 178. — De ceteris catechismis saeculi XVI (G. Wicelii, I. Dietenberger etc.) cfr. *P. Bahlmann*, Deutschlands katholische Katechismen bis zum Ende des XVI. Jahrhunderts (Münster 1894) 3-33.

[10] Votum Seldii f. 77v-78r:

18. Sextum valde expediret. — *De hoc articulo memini aliquam magnam fuisse controversiam Viennae. Dubitabatur enim de iuramento professorum, utrum antiquum retinendum, an vero novum concipiendum esset, et res agebatur maiori contentione quam fortasse necessitas eius postulabat. Ideo videretur mihi non temere aliquid hoc loco nisi prius consulto D. D*re *Giengero esse movendum.*

Nescio, an Seldius hic alludat ad statutum in Viennensi universitate a. 1554, professores, antequam profitendi munus suscipiant, fide rectori data profiteri debere se esse orthodoxae religionis et S. R. E. communicatores et adhaerentes. *R. Kink*, Geschichte der K. Universität Wien (Wien 1854) I 300; II 385.

[11] Paulus IV 12. Maii 1559 Philippo II instigante in Belgio-Hollandia 14 novos episcopatus erexerat, *Pastor* VI 550 sqq. — Cogitare videntur auctores libelli inprimis de dioecesi Pataviensi, quae magnam partem Austriae continebat, deque Pragensi in Bohemia quae postea instigante card. Harrach in plures dioeceses est divisa.

habitae sint, neque ullae synodi diocoesanae celebratae[1]. Quae interea in istas dioecoeses irrepserint sectae, et quantam hae in populo animarum stragem dederint, absque ingenti dolore cogitari non potest, nedum cerni coram. Quam ob causam dubium non est, quin, si S^mus D. N. et haec sacrosancta synodus Tridentina hoc negotium quale sit, accuratius perpenderint daturi operam sint, ut plures episcopatus in iis locis, ubi maxime necessarii erunt, constituantur. Sunt passim opulenta coenobia, quae, cum alias partim penuria personarum, partim fraude et incuria praelatorum sensim intereant, ea sane in hunc usum pie possint fructuoseque converti. Nec plane haec transmutatio res nova est. Cognitum est enim, quod ante aliquot annos, cum ea haeresium pestis nondum ⟨ita, sicut nunc⟩[a], saeviret, Romanus pontifex non modo permiserit, sed adiuverit etiam in archiducatu Austriae ex monasteriis episcopatus erigi atque fundari[2]. Quae quidem complurium episcopatuum erectio non tantum nunc vehementer rem | catholicam sublevatura videretur, cum multi pastores lupinam fraudem tum indagare citius, tum avertere efficacius possent quam unus, sed etiam in posterum cavere vigilantius, ne tot luporum greges in sua ovilia irreperent adeo frequenter, sicut hactenus factum et adhuc fit. Consideret itaque hoc negotium sacrosancta synodus, et quid legitimum et in re et catholicae religioni opportunum iudicaverit, id pro sua erga ecclesiam pietate Caes. M^tas adiutura est.

IV.

[De bonis ecclesiae.]

Tertio loco dictum fuit aliquam de ecclesiasticis bonis mentionem iniiciendam esse, quando nonnulli forsitan, non malo quidem zelo, at parum tamen, ut res ipsa loquitur, tempestive clamitent, prius clerum restitui in integrum debere, quam ille teneatur ullam subire censuram de moribus. In eoque persistunt pervicaciter, rati hoc onus nulla nova lege imponendum sibi, nisi antea istud restitutionis antiquum ius obtinuerint. Quanquam, si in hoc genere contentionis ad amussim antiqui iuris res exigi deberet, nemo ita legum Romanarum ignarus est, quin mox in promptu habeat, quid censeat recte statui oportere. At vero secus suadet charitas christiana. Haec etenim *non quaerit, quae sua sunt, non exaspe-*
130r *ratur, non reputat malum*[3], caduca haec negligit, ut obtineat aeterna. Itaque | Salvator non tunicam modo, si quis eam petat, sed pallium quoque dandum praecepit, et si quis alapam in dextram impingat, eidem et sinistram praebendam esse[4]. Istiusmodi tempora nunc omnino esse videntur. Ecclesiastica bona erepta sunt: Est quidem haec in unam maxillam alapa gravis. Quid facies autem? Praebe et alteram, sinasque et morum in te censuram statui, siquidem haec christianorum patientia est ⟨et humilitatis exemplum, videlicet qua lege inferiores teneri velis, ab eadem te, qui sis superior, non solutum putare⟩[c]. Quapropter etiamsi temporalia bona[b] depereant vi quadam temporis, alias non semper mansura, ideone aeterna bona, quae perire non possunt, volumus sponte nostra abiicere? Atqui fieri potest, quod his temporalibus bonis aliqui impie usi sint, quae olim pie fuerant a maioribus nostris ecclesiae collata.

Negari non potest, quin parum iustis de causis ab his, qui Augustanam confessionem profitentur, sua ecclesiis bona erepta sint et in usus conversa prophanos, milleque iam modis distracta, divendita atque adeo variis artibus alienata, ut recuperatio vix possibilis, praesertim hoc tempore, credi possit[5]. Malle enim illi videntur ad obedientiam catholicae ecclesiae, nunquam reverti, quam unquam cogitare de restitutione. Itaque Rev^mis patribus paterne

[a] *V add. in marg. a Staphylo* [b] *V add. in marg.* [c] *V om.*

[1] Recte auctores libelli dicunt *in aliquibus... dioecesibus;* etsi enim constat nec decretum concilii Basiliensis de synodis dioecesanis (sess. XXV) ab omnibus observatum fuisse nec illud « Formulae reformationis » Augustanae 1548 c. 21 (*Hartzheim*, Conc. Germaniae V et VI passim, *Hefele-Hergenröther* VIII 5 sqq. 36 sqq., IX 576 sqq.), alicubi saepius synodi dioecesanae habeban ur; ex. gr. Coloniae ab anno 1480 ad annum 1515 quindecim fuisse celebratas *F. Gescher* in: Zeitschrift der Savignystiftung für Rechtsgeschichte, Kan. Abt. 21 (1932) 190-288 demonstravit; numerus quem *J. Janssen*, Gesch. des deutschen Volkes I 714 habet (1451-1515: *weit über 100*), sine dubio augendus est. Auctores dioeceses praesertim Austriacas respexisse videntur: Pataviae enim a. 1513 ultima syn. dioec. habita fuisse videtur. (*Hefele-Hergenröther* VIII 372). Salisburgi a. 1548 (*F. Dalham*, Concilia Salisburgensia 324 sqq.) synodus habita est. De conciliis provincialibus 1548-49 celebratis vide *G. Wolf*, Deutsche Geschichte I (1894) 440 sqq.

[2] Episcopatus Vindobonensis et Neostadiensis a. 1469 a Paulo II erectae sunt (*Pastor* II 426, *Bull. Rom.* V 195 sqq.); Neostadiensis ordini S. Georgii est unita.

[3] *1 Cor.* 13, 5.

[4] Cfr. *Matth.* 5, 39 sq.

[5] Cfr. *Janssen-Pastor*, Geschichte des deutschen Volkes III[19-20] 75 sqq. 484 sqq.

cogitandum relinquitur, an non praestet eas nunc dissimulari iniurias | nec id iam frustra 130v
iure repetendum putare, quod omnes prudentes viri nulla vi recuperandum cernunt, sed id enitendum potius, quonam modo, quibusve consiliis infinitae periclitantes animae, quarum una cunctis mundi thesauris pretiosior est, a sempiterno interitu liberari possint, quam quo iure rerum temporalium, quae universae quavis anima viliores sunt, vindicandae iniuriae. Nec dubium est, quin eo respexerit concilium Basiliense atque imprimis imperator Sigismundus christianissimus princeps, quando Hussitas passus est sibi reconciliari, facta amnistia eorum bonorum, quae illi ecclesiis ademerant tenentque in hunc usque diem[1]. Credibile autem est, quod eam cum Hussitis sarciendae concordiae conditionem pius imperator pactus non sit absque consensu apostolicae sedis sive expresso sive tacito. Quin et hoc non ignotum, quod sanctissima femina Maria regina Angliae, cum supra omnes humani ingenii vires et haereses regno suo divinitus expulisset et veterem restituisset catholicae religionis unitatem, restitutionem ta|men temporalium bonorum ita non ursit[2], quae minoris fecit, uti instau- 131r
rationem christianae fidei, quam semper fecit maximi, ursit non tantum, sed plane in integrum restituendam connitebatur. Imitanda haec exempla erunt nunc omnino S^mo^ D. N. ceterisque Rev^mis^ patribus in Tridentino concilio congregatis, quando aliqui fortasse ad receptionem catholicae fidei citius quam ad restitutionem ecclesiasticarum opum induci posse videantur.

Restant tandem ea, quae in fine huius scripti annectenda videbantur, quorumque Caes. M^tas^ ⟨V. forsitan⟩ [a] Rev^mos^ patres concilii ab se benigne admonitos esse volet [b]. Auditur enim spargiturque ea fama iam passim, non leve certamen increbuisse inter patres concilii, dum alii residentiam praelatorum divini iuris esse velint, alii contra humani, eamque contentionem, quandoquidem Tridenti non queat inter patres concilii componi, una parte consentiente, refragante altera, Romam ablegatam, ut ibi diiudicetur in consistorio[3]. Fuit eadem ista quaestio antea quoque Tridenti disputata inter theologos[4], et non ita multum post contrariis libris publice editis divulgata[5] | magno quidem cum dolore catholicorum, sed non absque 131v
singulari adversariorum [c] triumpho, videlicet iam esse etiam inter pontificios sectas atque dissensiones, quemadmodum quidam istorum ea de re scribens, vehementer id catholicis exprobrabat[6]. Quid futurum erit, si id certamen non inter unum vel alterum theologum, sed inter ipsos concilii primarios patres exarsisse adversarii intellexerint? Sunt viri pii, qui verentur, ne ex ea ista disceptatione mox alia secutura sit multo periculosior, cum, si altera pars, quae in Romanae curiae consistorium non consensit, auctoritatem concilii vel ipsi summo pontifici praeponendam [d] censeret, posset haec contentio (quod Deus clementer avertat) universi concilii fundamentum penitus labefactare. Concordia veritatis soror est, discordia dissipationis mater. Si theologi privatis dissentiendum scholasticorum doctorum opinionibus pro se quisque indulgere volent, quis erit rixandi finis? Quam definient absque contentiosa lite quaestionem? Confestim initio impingent, in medio haerebunt dubii, in fine discedent re infecta. Notum est enim, quam variae sint et quam perplexae disputationes de | iustitia originali, utrum protoplastus in sola iustitia creatus sit, absque gratia gratum 132r
faciente, an in utraque simul[7]. Tum vero in articulo iustificationis quam litigiose contendere solent theologi, sitne charitas an vero gratia iustificationis formale[8]. Itemque de certitudine gratiae, quam vehemens altercatio et plena offendiculi superioribus annis in eodem Tridentino concilio fuit excitata?[9] Has sane harumque consimiles tam contentiosas disceptationes cum audiunt sectarii inter patres exerceri, tum illi gaudere taciti atque excusare suas haereticas dissensiones exemplo litium nostrarum [incipient]. Quoniam vero animadvertitur, christiani

[a] *V add. a Staphylo in marg.* [b] *V corr. ex* volebat [c] *V corr. a Staphylo ex* haereticorum [d] *S* praeferendam

[1] Cfr. *A. Frind*, Kirchengeschichte Böhmens III (Prag 1872) 157 sqq.

[2] Immo omnes bonorum ecclesiasticorum possessores in iuribus suis confirmavit, *Pastor* VI 213.

[3] Post congregationem generalem 20. Aprilis 1562 habitam, qua pars patrum discussionem placere, altera non placere, tertia quaestionem ad pontificem esse deferendam sententiam tulit (*Conc. Trid.* VIII 464 sq. III 1, 315 sqq.), legati rem pontifici remiserunt. *Šusta* II 88 sqq. De illa memoriae digna congregatione cfr. *St. Ehses*, Eine bewegte Abstimmung auf dem Konzil von Trient: Miscellanea *F. Ehrle* III 224 sqq.

[4] Scil. 1546-47, *Conc. Trid.* I 71; V 210 et passim.

[5] Qui 1562 a Remigio Florentino Venetiis sunt reimpressi. Vide supra n. 102 in fine.

[6] Scil. Matthias Flacius Illyricus, contra quem Staphylus anno 1560 edidit: Responsio ad confictas dissensiones, quas inter Catholicos esse falso criminatur Matth. Illiricus. Cfr. *I. Soffner*, Friedrich Staphylus (Breslau 1904) 129 sq.

[7] Haec doctrina S. Thomae est, illa Scoti. Cfr. *I. A. Möhler*, Symbolik [7] (Mainz 1864) 31 sq. et omnia theologiae dogmaticae compendia.

[8] Cfr. *H. Rückert*, Die Rechtfertigungslehre auf dem tridentinischen Konzil (Bonn 1925) 120 sqq.

[9] Cfr. *Rückert* l. c. 191 sqq.

orbis incolumitatem ex unitate catholicae fidei pendere, bellumque sectariorum esse pacem ecclesiae et destructionem haereseos, eam plane ob causam perquam benigne Revmos patres concilio praesidentes ⟨monendos esse iudicamus⟩ [a], ut dent operam, ne istiusmodi quaestiones, quae offendiculosas contentiones parere possint, vel proponi omnino [b] vel si omitti nulla ratione queant, non in bilem effundi nec efferri in fabulam adversariorum patiantur. Non 132v enim illi quicquam eorum, quae pacifice atque salutariter istic | gerentur, audient libenter, sed quae perperam, quae litigiose, quae hostiliter, ut inde possint fumos aliquos arripere, quibus decepto populo lucem veritatis obscurent, errores suos tegant.

⟨Ob istas sane causas et propter gravissimas alias rationes, quae nunc consulto praetereuntur, mallent graves viri ab omni dogmatum eorum, de quibus hac aetate nostra cum sectarum primariis ducibus est ecclesiae controversia, penitus abstineri tantisper, donec primo quoque tempore opportuna occasio, quam pii viri brevi oblatam iri sperant, praeberetur⟩ [c] [1].

⟨Haec quidem sunt capita eius deliberationis, quam S. Caes. Mtas V. nos sibi conscribere voluit, quaeque plane eiusmodi est, Sacratissime Caesar, ut sicuti fortasse ulterius cogitandi occasionem Revmis patribus praebere posset, ita ut aliquid vel docere vel praescribere debeat velle videri, id nequaquam est cogitationis nostrae. Sed hoc operam dedimus potissime, ut tam sacrosancti instituti principium pio studio nostro incitare atque promovere

[a] *V add. in marg. a Staphylo; del.* hortatur sive monet [b] *V add. a Staphylo.* [c] *V emendatio Staphyli f. 70v ex voto Seldii n. 19; del.* Auditur praeterea Revmos patres in eo nunc occupari praecipue, ut primo quoque tempore novo edito catalogo omnes suspecti libri (in quorum numero etiam aliquot imperiales recessus aiunt recenseri) condemnentur, non obstante, quod adversaria pars in concilium etiam oblato salvo conductu perquam amice atque familiariter invitata sit et adhuc invitetur. Mirantur autem viri graves, quanam ratione haec inter se congruant, libros adversariorum prius quidem damnare velle, postea vero librorum authores ad causam de libris suis dicendam admittere. Caes. vero Mtas, quae geminum salutaremque sacri concilii fructum ex ipsis radicum fibris metiendum censet, admonet clementer Revmos Patres, ne in proferendis anathematibus praecipitent iudicium, sed ut hoc negotium quale sit, pressius ducant ad limam, ne, cum prius editi damnatorum librorum | catalogi satis duriter impegerint etiam in eos, qui postea innocentes reperti sunt, nunc in eundem lapidem iterum et multo forsitan periculosius quam antea impegisse iudicentur. Caes. Mtas gravissimis rationibus ducitur et causis, cur existimet, non solum ab ista intempestiva librorum damnatione omnino abstinendum esse, sed etiam nunc omni controversorum dogmatum tractationi (quantum ad rebelles adversarios attinet) supersedendum tantisper, quoad opportunior et locus et occasio offerretur, quemadmodum brevi sperandum apparet, et Sua Caes. Mtas ea de re non importune Revmos Patres admoneri curabit. Quodsi vero hanc Caes. Mtis tam salutarem tamque necessariam admonitionem non admittendam Revmi patres censuerint planeque decreverint velle et libros suspectos condemnare et mox pergere in dogmatum anathematizatione, vult Sua Caes. Mtas excusata esse, si quid peius quam speratur evenire contingerit. Ut autem interea prorsus abstineant ab omni censura imperialium recessuum, non tantum suadet Sua Caes. Mtas, sed monet etiam serio atque | hortatur necessario, quandoquidem reformatio eo nondum perducta sit, ut iam saecularis status emendationem ordo poposcerit.

[1] Adnotare hic liceat, quae Fridericus Staphylus in dialogo, quem sub nomine Sylvestri Czecanovii 1561 s. l. et a. edidit: «De corruptis moribus utriusque partis, pontificiorum videlicet et evangelicorum» eadem de quaestione scripsit:

[Sylvester:] *Verumtamen sic opinor, quod praepostere res suscepta sit tractari in concilio Tridentino. Non inficior: Solitum est prius doctrinam, quae morum regula est, corrigi quam emendari mores. Sed hoc tamen recte habuit semper, cum pravae illae affectiones ex pessimis cleri moribus natae non tantam circumfudissent iudicio populi caliginem. Hanc igitur nisi abstuleris, veritatis evidentiam in fide catholica vestra populus nunquam videre poterit. Nec illam caliginem nunquam tolles, nisi prius tanti mali causam, id est pravos mores cleri, radicitus evulseris, neque hosce evelles unquam, nisi aut severa concilii generalis disciplina clerum constrinxeris atque redegeris ad primaevae ecclesiae paupertatem, ut cum religio peperit divitias et haec filia perdiderit matrem, iam vicissim paupertas resuscitet religionem et haec denuo necessarios opes ecclesiae.*

Felix: *Ita prorsus fore videtur. Non enim tu haec, Sylvester, primus, sed multi alii ante te futurum praedixerunt. Quid autem inter ea fiet de puritate doctrinae catholicaeque fidei nostrae? Quale erit concilium, quod de moribus cleri emendandis ait tantummodo, de haeresibus extirpandis ne verbum quidem?*

Sylvester: *Tali concilio nunc opus est; de extirpandis haeresibus deinceps agendum. Hoc tibi velim ipsa certitudine certius persuadeas populum nunquam ab haeresi retractum iri, nisi prius hoc in universo clero palam et constanter appareat, quod Christus suis iniunxit discipulis, cum inquit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut bona opera vestra videant et glorificent coelestem patrem. Bona autem opera cleri sunt primum, ut sanam doctrinam evangelii ab apostolis profectam in universoque orbe christiano dispersam atque propagatam doceant populum; deinde, si hoc opere faciunt, quod ore docent; hoc est, ut caste, ut sobrie, ut pie honesteque vivant in hoc saeculo, non minus morum honestate illustres quam doctrina admirabiles. Si nunc aliquod habendum concilium est, tale omnino est habendum, quod, quia privatis cleri moribus medeatur, clericale vocari possit; deinde aliud quoddam celebrandum esset concilium quasi populare, quippe ut ab haeresibus tandem sectisque populus repurgaretur. Sed hoc posterius, si fructuosum mallemus quam tumultuosum fieri, illud prius concilium non solum rite praecedere debebat, sed etiam efficaciter duci in executionem, ut si rivulos viventis aquae in communem multitudinem populi ducere vellemus, initio populo certum sit de purgato fonte, unde rivulos duci oporteret. Etenim non est, o Felix, sibi ut Romani proceres ducant in mentem, populum ullos disciplinae canones acceptorum a Romano clero, nisi ipso meridiano sole cernant clarius vitam cleri integre solideque repurgatam esse.* Adducit deinde exemplum illud Demosthenis ex Plutarcho, Praecepta gerendae reipublicae 4 (*Bernardakis* V 68).

velle cognosceremur. Nihil enim hac in deliberatione quaeritur cupidius, nihil studetur ardentius, quam ut huius sacrosanctae synodi omnes conatus atque labores omniaque studia eo vergant atque dirigantur, quo veritas catholicae fidei defendi posset, errores refutari, enormesque tam populi quam cleri mores reformari, ac tandem sua pax restitui sanctae matri ecclesiae, ad gloriam divini nominis et ad aeternam salutem incolumitatemque generis humani. Ea quidem de causa, Sacratissime imperator, cum hanc nostram erga S. Caes. M^{tem} V. declaramus debitam obedientiam et sincero quodam et in catholicam religionem devoto et in sedem apostolicam observanti animo eam istam deliberationem nostram, licet ex infirmo iudicio, at ex christiano tamen certe pectore et catholico profectam offerimus. Speramus S. Caes. M^{ti} V. fore eam non ingratam, nec Rev^{mos} Dominos Tridentini concilii patres in malam partem interpretaturos esse, sed multo magis voluntatem nostram quam ingenii vires ponderaturos, atque id nunc unice eniti velle, ut tandem tot piorum, qui nunquam cessant pro felici successu istius sacri concilii ardentes preces ad Deum fundere, suspiriis atque sanctis votis aliquando satisfecisse videantur.

⟨Eiusdem Sacratissimae
Caes. V. M^{tis}

fidelissimi et humillimi
servitores
N. deputati ad consultationem de articulis reformationis
in concilio Tridentino propositis⟩ [a] [1].

[a] *V emendatio partim a Staphylo ipso, partim ut alias ab amanuensi scripta (f. 70^{v}-71^{r}); subscriptio ut iacet a Singkhmoser. In forma II Staphyli conclusio haec erat:* Haec quidem sunt capita eius deliberationis, quam Caes. M^{tas} suis oratoribus cum Rev^{mis} legatis ceterisque venerandis patribus in sacro concilio Tridentino congregatis communicare mandavit. Qua in deliberatione nihil quaerit cupidius, nihil studet ardentius quam ut omnes huius sacri concilii labores, omnes conatus, omniaque studia eo vergant atque dirigantur, quo veritas catholicae fidei defendi possit, errores refutari, enormesque reformari mores cleri ac tandem sua pax restituatur sanctissimae matri catholicae ecclesiae ad gloriam divini nominis et ad sempiternam salutem generis humani. Qua etiam de causa cum haec, qualiacumque sint, Sua Caes. M^{tas} tamquam catholicus imperator syncero et in sedem apostolicam observante et in catholicam religionem devoto animo Rev^{mis} patribus proponi curaverit, confidit ipsa omnino, non solum illos haec in sinistram partem non interpretaturos esse, sed multo magis etiam elaboraturos, ut tandem omnium priorum hominum, qui pro felici successu nunquam ad Deum clamare desinunt, expectationi ardentissimisque votis aliquando satisfecisse intelligantur.

[1] De ultimis libelli sectionibus Seldius haec adnotaverat (f. 78):

19. Auditur praeterea. — *In toto hoc articulo quadam animadversione opus est. Reperio enim ante aliquot menses legatos concilii in scriptis erga commissarios Caesareos diserte sese declarasse, quod de confessione Augustana statim ab initio condemnanda ne cogitatum quidem ab illis fuerit, et quod de librorum indice nisi sub finem concilii nihil decernetur. Quo stante cavendum esset, ne Caes. M^{tas} querimoniam aliquam proponeret de eo, in quo M^{ti} Suae iam esset succursum. Verisimile enim mihi est, etiam si nunc de libris prohibitis aliquid tractetur, id non tam in eum finem fieri, ut libri aliqui damnentur, quam potius ut distinctio librorum fiat, et ut in catalogo eximantur ii libri, quos constat antehac iniuria esse damnatos. Id vero tantum abest, ut prohibere debeamus, ut potius laudabile opus censendum sit. Quapropter suaderem, ut hoc tempore vel aquiesceremus literis, quas super Caes. M^{tas} hae de re ad archiepiscopum Pragensem scripsit, vel saltem ut ab ipso archiepiscopo amplior in hoc caperetur informatio.*

20. Quod si vero hanc. — *Posito quod alias totus hic articulus manere deberet, tamen | haec protestatio videtur mihi aliquanto durior, quam ut hoc loco et nomine M^{tis} Suae proponatur.*

21. *Postremo quoniam finis cuiuscumque orationis quantumvis asperae debet esse dulcedine quadam permixtus, ne aculeus in animis auditorum relinquatur, arbitrarer non abs re futurum, quod speciosis quibusdam verbis fieret contestatio, M^{tem} Suam haec non eo animo proponere, quod sacrum hoc concilium docere aut instruere, multo minus, quod eidem legem praescribere velit; scire enim M^{tem} Suam id muneris sui nequaquam esse; sat habere M^{tem} Suam, quod fideliter de his, quae summa horum temporum necessitas expostulare videatur, commonefecerit, quod reliquum sit, M^{tem} Suam rem totam ipsius concilii cognitioni et arbitrio permittere.*

105.

Sententia Seldii de propositione archiepiscopi Pragensis [1].

[Inter 14. et 24. Iunii 1562].

Vindobonae Arch. status *Religionsakten fasc. 8* f. 77r-91v; or. A tergo: *Ein bedengk in materia concilii Iunio 62.* Summarium vide *Nuntiaturberichte* II. Abt. III 85 sqq

De singulis negotiis, de quibus Pragensis in relatione egerat, sententiam suam auctor explicat, scilicet 1. de continuatione concilii Tridentini; 2. de libello qui dicitur reformationis eiusque propositione in concilio; 3. de mandato archiepiscopi Salisburgensis; 4. de custodia concilii; 5. de praecedentia ducis Bavariae; 6. de deputando comite de Luna oratore Catholici regis ad concilium.

Religionsakten fasc. 8 f. 77r S. Caes. M^tas^, D^ne^ clementissime. Super relationem, quam nuper M^ti^ V. diligenter tam voce quam scripto fecit Rev. D. archiepiscopus Pragensis de negotio concilii, ⟨item super scripto Rev^mi^ D. nuntii Delphini⟩ [a] [2], explicabo humillime et quam brevissime potero sententiam meam de sex illis principalibus articulis, quos in dicta relatione video esse comprehensos.

[1.] Et primo quod attinet ad difficilem illum articulum, de quo tantopere hactenus disputatum est [3], videlicet de continuatione concilii sive tacita sive expressa, apparet patres concilii nunc in re totos esse, ut materiam administrationis sacramenti eucharistiae explicent [4]. Qua quidem in re arbitror a M^te^ V. obstaculum nullum fieri debere. Quamvis enim M^tas^ V. antehac maluisset, seposita omni tractatione dogmatum de reformatione potissi-
77v mum hoc tempore tractari, donec de progressu concilii et maxime de adventu | protestantium aliquid certius habuissemus, tamen ego semper intellexi, M^tem^ V. in re non tam mordicus haerere, quin, ubi patres concilii aliud statuerent, M^tas^ V. tandem esset cessura, praesertim si negotium reformationis una cum ipsa tractatione dogmatum proveheretur. Id quod fortasse non incommode fieri poterit.

Praeterea cum M^tas^ V. tractationem dogmatum antehac praecipue ex ea causa suspensam esse voluerit, quod Gallica natio tum temporis nondum aderat, videre, quod nunc post adventum illius [5] M^tas^ V. tanto minorem causam habeat tergiversandi. Nec movere debet M^tem^V., quod incipiendo ab hoc eucharistiae articulo videatur quodammodo tacite inferri continuatio
78r concilii praecedentis. Id enim apud me adeo expeditum non est, quia, si recte | recordor, in proximo praeterito concilio deliberatum fuerat, ut immediate post articulos religionis praecedentes tractaretur articulus de sacramento non quidem eucharistiae, sed matrimonii [6]. Et posito, quod res sese aliter haberet, tamen per hoc, quod nunc de sacramento eucharistiae agitaretur, non sequeretur necessario, quod continuatio concilii fieret. Quod enim obstaret, quominus iuxta patrum arbitrium de hoc vel de illo articulo initium fieret, cum satis pateat [b], concilii authoritatem ad observationem huius vel alterius ordinis non adeo praecise esse adstrictam, stante praesertim trita illa et communi regula, quod praeposteratio ordinis non vetetur [c].

[a] *add. in marg.* [b] *del.* omnibus [c] *Cod.* vetiat

[1] Antonius Brus de Müglitz, archiepiscopus Pragensis (1561-1581) et orator Caesaris ad concilium, postquam 10. Iunii Tridento profectus 17. Iunii Pragam advenit, Caesari de statu concilii et inprimis de causa petitionum ore primum, deinde et scriptis retulit. Cuius tamen relatio integra non est conservata; fragmenta vide apud *Sickel*, Zur Geschichte 332 sqq. Propterea eam praetermisimus.

Ferdinandus I hanc Pragensis relationem duobus consiliariis examinandam tradidit: Seldio vicecancellario, iuxta Delphinum *vero moderatore de li pensieri dell'imperatore in cose simili* (*Nuntiaturberichte* II. Abt. III 73), deinde Cithardo. Quorum vota hic adnectimur, cum optime de mentibus auctorum suorum instruant originemque litterarum Caesaris ad legatos 22. Iunii 1562 datarum (*Le Plat V* 351 sqq.) illustrent.

De vita archiepiscopi Pragensis cfr. *A. Frind*, Die Geschichte der Bischöfe u. Erzbischöfe von Prag (Prag 1873) 180 sqq.; *S. Steinherz*, Briefe des Prager Erzbischofs Anton Brus von Müglitz 1562-1563 (Prag 1907) 5 sqq.

[2] Delphinus ea, quae legati litteris suis die 8. Iunii 1562 datis ei mandaverant (*Nuntiaturberichte* II. Abt. III 61 sqq.) quaeque imperatori oretenus diebus 18. et 19. Iunii communicaverat, scriptis quoque dedit; quae leguntur apud *Le Plat* V 328 sqq.

[3] De contentionibus, quae mense Maio inter oratorem Catholici regis, Marchionem Piscariae, et oratores Caesaris erant ortae, vide relationes et legatorum apud *Šusta* II 104 sqq. 121 sqq. 164 sqq. 172. 175 sqq. et oratorum Ferdinandi I apud *Sickel*, Zur Geschichte 302 sqq. 320 sqq.

[4] Quinque articuli de usu sacramenti eucharistiae propositi sunt die 6. Iunii 1562. *Conc. Trid.* VIII 528.

[5] Diebus 18., 19. et 22. Maii Tridentum advenerant tres oratores Christianissimi regis (*Conc. Trid.* III 1, 35), recepti in congregatione generali 26. Maii, *Conc. Trid.* VIII 504 sqq.

[6] Post sessionem XIV disputabatur de sacrificio missae et de ordine, quae materiae tamen non sunt conclusae, ita ut, si concilium erat continuandum, illae primae essent proponendae. De matrimonio Bononiae erat disputatum.

Certe M^{tas} V. tamquam discretus princeps et qui authoritati conciliari lubenter sese subiicit, non abhorret quemcumque modum tractandi, dummodo propter inanem quandam | verborum digladiationem non perveniamus ad maiora inconvenientia. Imo ut verum fateamur, 78v si quis alius articulus est in toto hoc controversae religionis negotio, iste de eucharistia potissimus est, a quo M^{tas} V. initium fieri desiderare debebat. Nullus enim ex omnibus est, per quem labentibus in Germania religionis rebus magis videretur posse consuli, adeo ut nisi ipsimet patres eum prae manibus sumpsissent, M^{tis} V. eos ad hoc summo studio urgere debuerit.

Ex quibus omnibus concludo, M^{ti} V^{ae} in hoc scilicet [a] nodum nullum esse quaerendum.

Ceterum quod deinceps ad continuationis expressam mentionem faciendam attinet, omissa omni verborum prolixitate existimarem, commissariis Caes. M^{tis} V^{ae} huiusmodi dandum esse mandatum, ut scilicet | DD. legatis M^{tis} V^{ae} nomine declararent, M^{tem} V^{am} lubentissime 79r audivisse, quod S^{mus} D. N. hoc negotium plane arbitrio illorum remiserit. Quod autem ipsi censeant, M^{tem} V^{am} super eo cum Ser^{mo} Hispaniarum rege transigere debere, idque intra diem, qui proximae futurae sessioni — nempe ad 16. Iulii — praestitutus est [1], id tam M^{ti} V^{ae} grave quam per se impossibile esse futurum; temporis enim brevitatem nequaquam permittere, ut ex hoc loco M^{tas} V. in tam brevi dierum spatio cum Ser^{te} S. regia in Hispania existenti aliquid tractet, nedum concludat [b]. Deinde valde durum M^{ti} V^{ae} videri, quod M^{tas} V. in huiuscemodi negotio mere publico, et in quo proculdubio tam animus M^{tis} V^{ae} quam Ser^{tis} S. regiae in effectu ad eundem finem tendant, M^{tas} V. se quodammodo adversarium regiae Ser^{tis} | S. 79v constituat, quam ipsa alias et merito dilectissimi filii habeat loco. Immo etiam, si de re ista speraretur inter M^{tem} V^{am} et regiam eius Ser^{tem} (de quo alias M^{tas} V. minime dubitet) facile transigi posse, tamen utrum id aliis orbis christiani principibus probatum esse possit, quod restanti momenti et adeo ipsis omnibus communes a tali M^{tis} V^{ae} et regiae Ser^{tis} S. compositione dependere debeant, id aestimatu perquam facile esse.

Interponant ergo ipsimet DD. legati operam suam atque ita vel tractent cum DD. praelatis Hispanis vel, si id minus successurum speraverint, utantur audacter authoritate sua, quam in hac parte a summo pontifice habent, ut tandem haec odiosa quaestio omnino sepeliatur, et postquam bulla huius concilii utroque modo intelligi potest [2], neque id sine diligenti praemeditatione S^{tis} S. factum | fuit, permittatur unicuique, ut eatenus in sensu suo abundet, aufe- 80r rantur omnes odiosae verborum pugnae, fiat rei ipsius prosecutio, idque tanto magis, quoniam compertum iam est (id quod M^{tas} V. semper existimavit futurum) Gallicam nationem ab huiuscemodi concilii continuatione vehementer abhorrere. Hisce ita propositis, si commissarii senserint, vel legatos ipsos in hac parte per se esse duriores vel saltem Hispanis contra sentientibus non velle refragari, laborent deinceps omnibus modis iuxta id, quod prius illis iniunctum est, ut haec tam odiosa et, si dicere fas est, frivola controversia usque ad finem ipsius concilii suspendatur. Postremo, ubi omnibus tentatis nihil impetraverint, sed viderint rem omnino in eo esse, ut iuxta Hispanorum sententiam ad expressam continuationis | mentionem proce- 80v dendum sit, curent omnibus modis, ne id adeo crude fiat, quemadmodum institutum fuit — ad id enim M^{tas} V. nequaquam posset connivere — sed referatur saltem ad debitam concilii consultationem et ponderentur rationes hinc inde militantes, fiatque desuper concilii ipsius determinatio, quemadmodum etiam in rebus minoris momenti fieri debet. Non autem inducatur haec consuetudo, ut huiusmodi negotia ad huius vel alterius arbitrium extra ipsum concilium et quodammodo inter privatos parietes decidantur.

Clarum enim hoc est, quod M^{tas} V., quod ad suam personam attinet, neque continuationi neque novae indictioni adeo mordicus nunc inhaeret, imo quemadmodum in prioribus litteris [3] declaratum est, prius concilium Tridentinum una cum omnibus eiusdem actitatis et decretis tamquam obediens ecclesiae filius lubentissime | amplectitur nec ab eo vel latum unguem 81r discedere cupit; modus dumtaxat huius rei ita tractandae M^{ti} V^{ae} displicet, ut quem M^{tas} V. existimet non ad confirmandam, sed potius enervandam [c] concilii authoritatem pertinere.

[a] *Cod.* scirpo [b] *corr. ex* conveniat [c] *Cod.* elevandam, *quod destrueret sensum*

[1] Oratores Caesaris cum legatis convenerant, *ut inter quartam et quintam sessionem, cuius dies 16. mensis Iulii indictus est, continuationis mentio sepulta maneret, cum hac conditione, ut interim inter M^{tem} imperialem et Catholicum regem de ea fieret conveniens compositio.* *Sickel*, Zur Geschichte 333. Pro qua, ut Seldius recte censet, tempus non erat sufficiens.

[2] Utitur enim verbis *indicimus* et *sublata suspensione quacumque. Conc. Trid.* VIII 105 l. 27 sq.

[3] *Conc. Trid.* VIII 44 l. 20; 83, l. 18 sqq.

Ubi tamen alias, si ista debito modo et mediante totius concilii deliberatione tractarentur, non solum eo firmiora essent futura, verum etiam M^{tas} V. erga omnes illos excusaretur, qui vellent cavillari, quod M^{tas} V. ad omnia quantumvis confusa et praeter rerum ordinem tractata sua sponte voluisset connivere.

[2.] Circa secundum articulum pertinentem ad prolixum illud scriptum, quod M^{tas} V. in negotio reformationis concilio exhibendum censuerat [1], placet mihi in effectu opinio Rev^{mi} D. archiepiscopi, ut M^{tas} V. ea de re litteras ad DD. legatos scribat,
81v copiosiores tamen et latius deductas, quam in scripto ipsius | D. archiepiscopi continetur [2].

Et primo facta relatione summaria eorum, quae ab ipsis legatis dicta sunt, quae quidem ex utroque scripto tam dicti archiepiscopi quam Rev^{mi} D. nuntii Delphini colligi debebunt, acceptet primo M^{tas} V. benevole id, quod ipsi legati dicunt, se in hoc negotio animum M^{tis} V^{rae} in meliorem partem interpretari; recte enim illos in hoc [a] facere, cum M^{tas} V. nullo penitus privato vel commodo vel affectu (id quod satis cuivis intelligere liceat) moveatur, sed nihil aliud quaerat quam Dei omnipotentis gloriam et afflictae ac propemodum oppressae ecclesiae salutem.

Quod autem M^{tas} V. scriptum illud a quibusdam piis et catholicis viris conceptum pro urgendo potissimum reformationis negotio patribus concilii oblatum esse voluerit, M^{tem} V^{am} nunquam certe existimasse, in re tam graviter peccatum iri. Agnosco enim M^{tem} V^{am} se tam-
82r quam Romanorum imperatorem supremum | ecclesiae esse advocatum ac defensorem; quapropter quicquid primo ad universalis ipsius ecclesiae decus attinet, id totis viribus [b] promovere ab officio suo nequaquam censendum sit alienum. Deinde cum peculiariter Germania tam nobilis tamque lata provincia M^{tis} V^{ae} curae ac fidei commissa sit, cumque constet in his rebus, quae ad reformationem cleri attinent, nullam proh dolor totius orbis christiani regionem illa magis laborare, si M^{tas} V. ei pro virili succurrere conetur, quis tandem futurus sit, qui de tam pio proposito M^{tem} V^{am} accusare velit? Praesertim ubi nemo alius nunc adsit, qui vulnera et morbos ecclesiarum Germaniae magis quam ipsamet M^{tas} V. detegere possit vel audeat. Non enim facile existimandum esse, quod ipse ecclesiasticus ordo hoc prompte facturus sit, cum ipsemet in hac parte potissimum taxetur [c], humanitus autem ita comparatum
82v sit, ut qui in alienis vitiis plus quam linceus sit, | in propriis ⟨ut plurimum⟩ [d] hallucinetur atque caecutiat. Neque ideo M^{tem} V^{am} voluisse imparitatem aliquam introducere, quin potius disertis verbis testatum reliquisse, se aequo animo laturum, quod rursus de vitiis saecularis status omnia ea proponantur, quae poterunt ac debebunt, et ut reformatio eiusdem status diligentissime instituatur. Qua in re M^{tas} V. ne propriam quidem personam exceperit [e].

Intelligere quidem M^{tam} V^{am} nunc aliquas causas, e quibus hoc M^{tis} V^{ae} institutum reprehendi posse videatur. Et primo, quod forte negetur M^{ti} V^{ae} seu cuivis alteri principi christiano id officii vel potestatis competere, ut aliquid in concilio proponere queant. Id quod M^{ti} V^{ae} nonnihil mirum accidat [f]. Sane [g], si M^{tas} V. ita aliquid proponere vellet, ut quodammodo praesidis partes sibi arriperet, conareturque absolutus esse director negotiorum, aut
83r etiam | iudicis seu diffinitoris personam induere, aut si M^{tas} V. ipsos patres quotidie inanibus quibusdam et frivolis naeniis vellet obtundere aliosque sanctissimos illorum labores interpellare, possent haec fortasse aliquem habere colorem. Sed si M^{tas} V. tanto tempore, quo nunc concilium duravit, semel tantum censuerit proponendum, id quod M^{tis} V^{ae} iudicio a tractatibus ipsius concilii minime sit alienum, imo potius ad rem quam maxime necessarium, atque ita proponendum, ut super eo per patres concilii deliberetur et quasi in commune consulatur, non videre M^{tam} V^{am}, quid in eo subsit peccati. Non enim credere M^{tam} V^{am} vel ipsi vel cuivis alteri principi christiano prohibitum esse, quominus necessitates suas vel eorum, qui fidei suae commissi sunt, ipsi concilio syncere et ingenue aperiat ac quasi in sinum
83v eiusdem effundat. | Imo arbitrari M^{tem} V^{am} eam esse rationem ac consuetudinem conciliorum, ut aliquando hoc etiam privatis hominibus id permissum fuerit. Certe satis constare, quod paulo ante nomine Ser^{mi} regis Hispaniarum non tam ipsi concilio quam S^{mo} D. N. proposita fuerint ea, quae de continuatione concilii disertis verbis facienda Rev^{mis} DD. praelatis Hispanis

[a] *corr. ex* hac parte [b] *Cod* iuribus [c] *in marg.; del.* tangatur [d] *supra lin. del.* lubenter [e] *corr. ex* excepit [f] *del.* esse videatur [g] *del.* Nam

[1] Sunt Petitiones Caes. M^{tis}, quas videas supra n. 104.

[2] Quae pars relationis ipsius archiepiscopi desideratur.

videbantur [1], quae tamen mere ipsum concilium concernebant, et neminem fuisse, qui hanc libertatem proponendi oppugnaverit.

Pari modo (si vera sint, quae narrentur) Chr^{mi} regis Franciae legatos nuper admodum magna libertate et forte nonnihil acrius sententiam suam de rebus concilii explicuisse [2], qua fecerint ii, a quibus scriptum illud, quod M^{tas} V. illuc transmiserat, conceptum sit. Imo vidisse M^{tem} V^{am} formulam salvi conductus ante aliquot menses in concilio decretum [3], qua etiam pro|testantibus et sic adversae factionis hominibus permittatur quidvis in concilio 84r proponendi. Sane in proximo concilio Tridentino cum iidem protestantes plurima proposuissent, quae tam a religione quam consuetudine catholica multum visa fuerint aliena, imo quae partim ad confusionem omnium rerum spectare existimata sint, ipsos tamen patienter et aequanimiter fuisse auditos.

Absurdum ergo M^{ti} V^{ae} videri id, quod illis et aliis tributum est, soli M^{ti} V^{ae}, quae tamen, quicquid facit, optimo zelo facit, denegari. ⟨Quod autem dicatur, si singuli principes vellent sibi proponendi potestatem sumere, nullam fore proponendi finem aut modum, id a M^{te} V. ita accipi, ut potius summis votis exoptandum esse videatur, tantam multitudinem principum vel adesse vel adfuturam esse concilio, quae patribus eum laborem exhibeat, quam quod quisquam ex eo, quod audientiam sibi denegari videat, in universum ab ipso concilio deterreatur⟩ [a].

Ceterum, quod in praefato scripto aliqua inesse debeant, quae ad cognitionem concilii non spectent, id apud M^{tem} V^{am} adeo expeditum non esse. M^{tem} enim V^{am} hactenus aliter non existimasse quam, quanto maiora et urgentiora totius christianitatis sint negotia, tanto magis tam ad cognitionem quam ad determinationem concilii spectare, nec facile in animum | inducere posse, quod ipsimet patres authoritatem concilii enervaturi sint, ⟨maxime cum M^{tas} 84v V. non semel certior facta sit, ipsummet S^{um} D. N. gravissimas quasque causas, quae ad S. S^{tem} delatae fuerint, ad ipsum concilium remisisse, quasi clare testatum relinquens, quod nolit universam concilii authoritatem a se uno dependere⟩ [b].

Porro [c] id quoque semper M^{tem} V^{am} intellexisse, quod inter alios articulos, qui ad tractationem concilii pertinent, ille non postremus sit, qui reformationem ecclesiae tam in capite quam in membris respiciat, et si recte recordetur M^{tas} V., fuisse aliquando a superioris saeculi pontificibus (ubi tamen res longe in minore confusione fuerint, quam nunc sint) concilia eius rei gratia indicta [4].

Demum posito, quod in illo scripto unus aut alter articulus insertus esset, qui alibi et non in concilio veniret agitandus, ipsos tamen legatos probe videre, M^{tem} V^{am} non adeo praefractae cervicis esse, ut mordicus hoc aut illud teneri suasque opiniones aliis praeferri aut sibi soli obtemperari velit; satis esse M^{ti} V^{ae}, si id faciat, quod sui muneris esse arbitretur, id est diligenter ac candide de singulis admoneat. Et hac ratione, dato etiam, quod | M^{tas} V. 85r repulsam in aliquibus pateretur, nihil subesse periculi. Non enim M^{tem} V^{am} id agere, ut se ipsum valde efferre vel magnificentius quid de se praedicari cupiat, aut plus authoritatis, quam eidem merito competat, sibi arrogare velit. Satis enim ex omnibus M^{tis} V^{ae} actionibus apparere, M^{tem} V^{am} hoc in loco tanquam catholicum imperatorem ac obedientem ecclesiae filium malle discere quam docere.

Porro M^{tem} V^{am} id sine summo animi dolore non potuisse percipere, quod Rev^{mi} DD. legati eum timorem prae se ferant, ne forte, si M^{ti} V^{ae} scriptum offeratur, res eo recidat, ut dissolvatur concilium. Nam si ex causa tam levi hoc timendum sit, nescire [d] M^{tem} V^{am}, quid de eiusdem concilii progressu universus propemodum orbis christianus sperare queat. Hactenus quidem semper M^{tem} V^{am} in ea fuisse opinione, quod huic concilio libertas sua salva esse debeat, id est ut unicuique, ad quem ea res | pertinet, permissum sit tam sine adulatione 85v quam sine malignitate ea proferre in medium, quae operi tam sancto visa fuerint esse necessaria. Si quis autem ex eo offenderetur, illum satis claram animi significationem praebiturum, quod forte veritatem, quae plerumque cum odio solet esse coniuncta, pati non posset.

[a] *add. in marg.* [b] *add. in marg.* [c] *supra lin.; del.* Imo [d] *del.* propemodum

[1] Litterae Philippi II regis ad pontificem 30. Martii datae de continuatione concilii deque verbis *proponentibus legatis* ab oratore Varga traditae sunt Pio IV die 19. Aprilis 1562, ut ille 4. Maii domino suo refert. *Döllinger*, Beiträge I 415 sqq.

[2] Loquitur de oratione Guidonis Fabri oratoris Gallici habita in congregatione generali die 26. Maii 1562. *Conc. Trid.* VIII 508 sqq.

[3] Salvus conductus datus Germanis protestantibus die 4. Martii 1562 concedit illis inter alia securitatem *libere... proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi* etc. *Conc. Trid.* VIII 373 l. 23 sqq.

[4] Constantiense scilicet et Basiliense concilia, necnon Lateranense V.

Id autem si eo usque procederet, quod etiam totum concilium inde abrumperetur, iudicium de hoc, nempe cuius culpa id fieret, penes totum orbem christianum esse futurum.

Optasse hoc loco M^{tem} V^{am}, quod ipsi Rev^{mi} DD. legati magis in specie declarassent, quaenam essent ea, quibus ipsi in praefato scripto fuerint offensi. Nam quod ad S^{mum} D. N. attineat, M^{tem} V^{am} nunquam fuisse illius animi, quod S^{tem} S. accusare velit, quin potius M^{tis} V^{ae} de Ste S. eiusmodi esse iudicium, ut M^{tas} V. et clare et frequenter apud multos testari soleat,
86r nos longa annorum serie meliorem ac publicae tranquillitatis et quietis | amantiorem pontificem non habuisse, ut interim taceat M^{tas} V. quam insigni et plane paterna benevolentia S^{tas} S. M^{tem} V^{am} hactenus semper amplexa sit, ita ut M^{tas} V. plane ingratissimus omnium mortalium censeri deberet, si praeter omnem rationem conaretur S^{tem} S. aliqua nigredine aspergere. Tactum quidem nonnihil esse in praenarrato scripto, quod reformationem curiae Romanae respiciat [1], sed tactum esse sub condicione tantum et adeo breviter ac modeste, ut M^{tas} V. opinari debuerit caelum potius ruiturum quam quemvis hominum ea re offensum iri. Adde, quod et M^{tas} V. universum articulum illum non in alium sensum acceperit, quam in quem ipsimet Rev^{mi} DD. legati accipiant, id est ut ipse pontifex, si et quantum opus fuerit, reformationis illius officium in sese suscipiat.
86v Quod autem alias M^{tas} V. reliqui ordinis | ecclesiastici reformationem tantopere urgeat, necessitatem in hoc praecipue, quod ad Germaniam attineret, longe clariorem esse, quam ut negari possit, ita ut, si quam in hac parte querelam M^{tas} V. habeat, ea M^{ti} V^{ae} non solum cum piis huius temporis hominibus, verum etiam cum superiorum saeculorum sanctissimis et eruditissimis viris plane sit communis.

Postremo quod M^{tas} V. in deliberatione censuerit esse proponendum, an quaedam, quae de iure positivo introducta sunt (quae tamen alias M^{ti} V^{ae} tamquam catholico principi nequaquam improbentur), propter alios nonnihil relaxari debeant [2], neminem non videre, quoniam miserrima ac deploranda horum temporum condictio huc nos non tam invitet, quam potius impellat.

Audire quidem M^{tem} V^{am} id nonnihil aegre ferri, quod scriptum illud iisdem fere verbis
87r utatur, quibus adversae partis homines opiniones suas contra ecclesiam | adstruere soleant. Id sane M^{tem} V^{am} nescire, ut quae huiusmodi altercationibus non multum se immiscere soleat [a]. Verum utcumque hoc sese habeat, M^{tem} V^{am} existimare, in eo non multum momenti esse positum. Si enim per se mala sint, quae in eo scripto comprehenduntur, M^{tem} V^{am} facile pati posse, ut habeantur pro non scriptis; si vero bona vel in totum vel pro parte, non adeo multum referre, a quo vel quibus verbis dicta sint, dummodo res ipsa maneat. Haec autem omnia non ideo commemorari, quod M^{tas} V. operosam aliquam disputationem cum ipsis DD. Rev^{mis} legatis ingredi proponat; id enim a sensu et rationibus M^{tis} V^{ae} multum esse alienum. Cupere dumtaxat M^{tem} V^{am}, ut qualiscunque huius M^{tis} V^{ae} facti ea ratio apud paternitates illorum constet, ne M^{tas} V. vel temere vel etiam dedita opera aliquid attentare |
87v voluisse videatur, a quo potius abstinere debuerit.

Quod superest M^{tem} V^{am} plurimum illorum tanquam praestantissimorum ecclesiae cardinum deferre prudentiae, deinde affectionem quoque illorum erga M^{tem} V^{am} ita habere perspectam, ut non nisi omnia optima et salutaria ac plane paterna consilia ab illis sibi polliceri possit. Rogare itaque illos summo studio, ut si intellecta hac M^{tis} V^{ae} excusatione adhuc existimaverint saltem ad finem provehendi tam necessarii reformationis negotii et ad salvandas saltem reliquias eorum, qui utcumque adhuc a catholica religione dependent, scriptum illud proponi posse, aequis animis patiantur fieri.

Si vero adhuc alia fuerit ipsorum sententia, et praecipue si existimaverint, id occasionem dissolvendi concilii praebiturum, absit, quod M^{tas} V. adeo magni mali autor esse velit, quae
88r potius pro incolumitate fidei | proque conservanda authoritate sanctae ecclesiae catholicae proprium sanguinem fundere esset parata.

Hoc autem casu, quod attinet ad reformationem Romanae curiae, quamvis illa procul dubio ad decorem universalis ecclesiae plurimum momenti esset allatura, tamen M^{tem} V^{am} de illa privatim non usque adeo curiosam esse, quin potius, cum nuper intellexerit (id quod antea eandem latuerit) ipsummet S^{mum} D. N. in ea nunc re omnem curam ac cogitationem

[a] del. debeat

[1] Vide supra p. 666 sqq.   [2] Vide supra p. 674 sqq.

suam [a] impendere [1], M^{tem} V^{am} penitus confidere, quod S^{tas} S. in hac parte diligentissimi pastoris functura sit officio. Itaque M^{tem} V^{am} Deum Opt. Max. ex animo precari, ut tam pios S^{tis} S. conatus secundet S^{tas}que | S. eam laudem ex tam sancto opere adipiscatur, quae multis 88v
S^{tis} S. praedecessoribus, utcunque aliqui ex illis similiter egregios aliquot conatus in ea re ostenderint, non potuerit contingere.

Quod vero ad reliquam ordinis ecclesiastici reformationem maxime in Germania attinet, M^{tem} V^{am} de ea ex causis in scripto allegatis non posse non esse vehementer sollicitam. Rogare ergo per misericordiam Dei, ne illa vel postponatur vel nimium negligatur. Non id agere M^{tem} V^{am}, ut nimium sapere velit videri, nec etiam de modo seu forma proponendi cum quoquam altercari cupere; sufficere id M^{ti} V^{ae}, si forte articuli illi, qui in scripto comprehensi sunt, in maiorem numerum excrevisse videantur, quam quod simul et semel de omnibus tractari possit (quod quidem M^{tas} V. non velit diffiteri), saltem tractetur de illis pedetentim et suo ordine iuxta id, quod materiae ipsae, quae in concilio discutiuntur, exegerint. |
Certe et alias M^{tis} V^{ae} iudicio rem in paucis et propemodum circa duo dumtaxat capita con- 89r
sistere. Quorum unum sit de defectu ministerii ecclesiastici, alterum de corruptis cleri moribus. In utroque autem praesentaneis remediis adeo opus esse, ut, nisi illa quam citissime adhibeantur, actum plane in Germania de religione fuerit. Quam late vero utrumque ex hisce capitibus pateat, id ipsos pro sua prudentia facile perspicere. Quare cum M^{tas} V. nunc intelligat, patres sua sponte in hoc negotium incumbere velle, M^{ti} V^{ae} id summae esse voluptati, rogare duntaxat ipsos legatos, ut in ea re non solum strenuos sese adiutores, verum etiam egregios [b] duces praebeant, ipsisque patribus quodammodo faces quasdam praeferant atque etiam currentibus calcar addant. Faciant tandem haec omnia ea diligentia ac severitate,
ne vel M^{te} V. vel quopiam alio admonitore | opus habere videantur. Hac ratione M^{ti} V^{ae}, 89v
quae nihil aliud quam cum modestia et ordine agi desiderat, facillime satisfactum iri. Iniuncturam autem M^{tem} V^{am} commissariis suis, ut ad singula diligenter aures et animum advertant, si quid forte occurrerit, in quo vel admonitio vel informatio ipsorum usui esse poterit, faciant in eo non solum, quod ipsos ex parte M^{tis} V^{ae} tanquam eiusdem ministros, verum etiam per se tanquam probos et catholicos episcopos decuerit. Id M^{tem} V^{am} sperare nec ipsos Rev^{mos} legatos, quo ipsorum insignis candor sit, nec quoscunque alios aegre esse laturos.

[3.] Tertius articulus de mandato Rev^{mi} archiepiscopi Salisburgensis [2] nulla, quantum video, indiget consultatione. |

[4.] Quartus articulus de custodia concilii [3], si hoc tempore omitti veldissimu- 90r
lari posset, id meo iudicio valde esset consultum. Posteaquam enim et duo praecedentia et hoc praesens concilium Tridentinum hactenus ita celebrata sunt, ut onus huiuscemodi custodiae vel M^{ti} V^{ae} vel D. Carolo imperatori non admodum fuerit impositum vel etiam iudicatum necessarium [4], non temere aliquid novi introducendum esset, maxime quia hoc infelicissimo saeculo, ubicumque vel minimus militum numerus conducitur, subito res in maius efferri solet, magnisque ex hoc tam clamoribus quam suspicionibus praeberi occasio.

Ceterum quoniam (nisi fallor) capitaneus ille, quem alias ordinarie M^{tas} V. Tridenti habere solet, custodiam illius urbis sub sua cura tenet, posset fortassis ei non incommode
mandari, ut ad singula intentum figeret oculum, et si | necessitas hoc expostularet, civibus 90v
quoque iniungi, ut praesertim diebus publicarum sessionum aliquot ex suis armatos destinarent, quibus cura incumberet providendi, ne quis tumultus oriretur.

[5.] Quintus articulus de duce Bavariae [5] similiter non adeo expeditus est. Quod enim ille Venetis quoad praecedentiam cedere non vult, habebit fortasse peculiares suas rationes, a quibus difficile erit eum dimoveri. Utcunque hoc sit, ego dissuadere non potero, quominus M^{tas} V. ad ipsum eo modo scribat easque vias proponat, quae Rev^{mis} DD. legatis

[a] *in marg.; del.* in hoc [b] *add. in marg.*

[1] Mense Maio 1562 pontifex bullas de reformatione poenitentiariae apostolicae, correctoris cancellariae apostolicae, tribunalis et auditoris camerae apostolicae ediderat; mense Iunio aliae constitutiones secutae sunt. Cfr. *Pastor* VII 333.

[2] Cum in congregatione generali 26. Maii habita mandatum Iacobi archiepiscopi Salisburgensis, quo absentiam suam excusans procuratores deputavit, lectum esset, oratores Caesarei *dixerunt causas, quae allegantur ob tumultus excitatos in comitatu Tirolensi non esse veras, propterea non admittendas. Conc. Trid.* VIII 506.

[3] Haec de custodia concilii materia in relatione Pragensis erat penultima. *Sickel*, Zur Geschichte 334.

[4] Ex. gr. sessionibus I et III interfuit comes Sigismundus de Arco, custos concilii, *Conc. Trid.* IV 533, 588.

[5] De controversia praecedentiae inter ducem Bavariae et rem publicam Venetorum, quae mense Maio Tridenti orta est, vide *Šusta* II 102, 157 sqq.; *A. Knöpfler*, Die Kelchbewegung in Bayern (München 1891) 101 sq. Etiam cum legatis Helvetiorum et cum oratore ducis Etruriae Bavarus de praecedentia tenaciter decertabat, sed frustra omnino.

commodae esse videntur. Id tamen fiat adeo leniter nec alio modo, nisi ad instantiam et intercessionem ipsorum legatorum, ne scilicet ex re, quae alias ad M^{tem} V^{am} non admodum perti-
91r net, duci moveatur stomachus, qui forte praetendere vellet M^{tem} V^{am} tanquam | ipsius dominum et parentem potius teneri ipsi duci in tali causa assistere ac iuribus ipsius favere quam Venetorum tanquam extraneorum in se suscipere patrocinium.

[6.] Ea, quae in postremo articulo de comite de Luna dicta sunt[1], nequaquam mihi (quod tamen bona pace dixerim) consulta esse videntur. Proculdubio enim ipsemet rex Hispaniarum ideo non tenet continuum oratorem Tridenti, ne odiosam et acerbissimam illam contentionem de praecedentia cum Gallis inire cogatur. Et ego hactenus non audivi, utrum vel quam viam Rev^{mi} DD. legati invenerint, quae sopiendae huic controversiae vel saltem inducendae alicuius tollerantiae conveniret. Itaque si comes de Luna vel quispiam alius nomine Ser^{mi} regis Hispaniarum Tridentum veniret, accenderetur procul dubio id, quod
91v praestaret omnino remanere | sepultum. Huc adde, quod fortasse nonnihil incivile esset, si M^{tas} V. praefatum Ser^{mum} regem in huiuscemodi rebus instruere vel etiam modum et formam Ser^{ti} eius praescribere conaretur. Melius ergo meo iudicio id erit omittendum, et si quid evenerit, quod M^{tis} V^{ae} commissariis cum Hispanis communicandum foret, fiat id cum ipsis praelatis Hispanicis, praesertim cum potioribus, qui absque omni dubio de mente principis sui abunde erunt edocti, et alias, ni fallor, eius sunt ingenii ac prudentiae, ut huiuscemodi negotiis non minus quam marchio Piscariae vel alius quispiam saecularis superesse possint.

106.

[Fridericus Staphylus:]
Sententia de propositionibus archiepiscopi Pragensis[2].

[Ante 27. Iunii 1562].

Vindobonae Arch. stat. *Religionsakten fasc.* 8 f. 67r-76r; min. Staphyli manu scripta; f. 94r-102v, or, quam sequimur, adhibentes conceptum, ubi oportebat.

De duobus prioribus negotiis, de quibus Seldius, sententiam suam auctor exponit, scilicet 1. De articulo continuationis concilii; 2. de scripto nuper Tridentum misso.

Religionsakten 8 f. 94r Quoniam iussi sumus, Sacratissime imperator, de nonnullis articulis, quos Rev^{mus} archiepiscopus Pragensis S. Caes. V^{ae} M^{ti} retulit, quid nobis videatur, brevi quodam scripto complecti: nos itaque, uti decet obedientes servitores, quantum pro tenuitate iudicii nostri haec in medium consulere volebamus, et quid de singulis articulis sentiamus, ordine referre.

[1.] De articulo continuationis.

Quanquam vero, quod factum est, infectum fieri non potest, sed tamen praeteriti erroris recordatio potest aliquando futuri temporis rectius formare consilium: si S^{mus} D. N. ante biennium salubribus consiliis S. Caes. M^{tis} V^{ae} obtemperasset[3], nunc minus laboraretur de continuatione concilii. Quae difficultates futurae essent, prudenter praevidit S. Caes. M^{tas} V. et admonuit serio. At vero aliud tum summo pontifici visum fuit, quam nunc re ipsa fieri posse experitur. Itaque nec perinde nunc potest efficaciter consuli, ac potuit tum, cum res ista adhuc erat integra, sed necesse erit, prout ipsa fert temporis occasio, ita quoque moderari consilium.

Quare siquidem in controversiam venit inter patres sacri concilii, continuandumne sit hoc concilium a Paulo III inchoatum et continuatum a Paulo IV[4], vel an sit inchoandum novum, est sane in utramque partem quaestio anceps. Nam si non continuandum videtur, quasi patres concilii tacite ipsimet decreta iam antea promulgata non⟨velint rata haberi⟩[a],

[a] om. del. velle rata haberi

[1] Cfr. *Sickel*, Zur Geschichte 334.

[2] Ex ipsa sententia apparet, eam ad relationem archiepiscopi Pragensis, de qua supra n. 105, se referre, adhibita sententia Seldii. Sed quaeritur, quis eius fuerit auctor. Etsi enim originale inscribatur *Cithardus*, minuta manu Staphyli est scripta, quem verba et sententiae sine dubio auctorem esse demonstrant. Inscriptio, quae confessorem reginae Bohemorum Matthaeum Cithardum indicare videtur, erronea est. Advertendum est Staphylum nonnisi 5 puncta distinguere, quod facile fieri potuit, cum Seldius quoque de tertio paene nihil afferat.

[3] Quae *consilia* in primo responso Ferdinandi I circa concilium indicendum, dato 26. Iunii 1560, vide *Conc. Trid.* VIII 44 sq.

[4] Corrige: *Iulio* III. Paulus IV enim quod in animo habuit concilium Lateranense revera non convocavit. Vide supra n. 61-65.

quod triplici nomine admodum catholicae ecclesiae periculosum vi|deri posset: Primo, quoniam 94v sacrosancti illi canones, quibus nihil poterit sanciri neque verius neque salutarius, in dubium vocari existimarentur; deinde vehementer minueret non praeteritorum modo, sed futurorum quoque conciliorum authoritatem, quam profecto omnes merito debent sanctam praestare atque incolumem; tertio esset res ista non minus indecora heroicis illis conatibus D. Caroli V quam perniciosa apostolicae sedi, quandoquidem partim ex ipsa indictionis bulla[1], licet obscure, partim satis expresse ex bulla indulgentiarum[2] constet, non ad novum concilium inchoandum, sed ad continuandum inchoatum convocari orbem christianum.

In oppositam partem haud minora incommoda verti apparet, si continuandum censeatur. Etenim Galli protestati sunt publice in illud se non posse concilium consentire[3]; nec aderunt Poloni nec Angli nec Dani nec Suedi nec aliae nationes complures, quas tamen iure adfuisse oporteret, si vere oecumenicum et non provinciale concilium appellari debuisset. Praeterea (quod longe periculosissimum fore videtur) certum est eas gentes, quae apostolicae sedi rebelles sunt, ad hoc concilium non venturas esse, in quo se et dogmata sua iam condemnata videant. Quid enim nomen continuationis aliud insinuet, quam rata esse debere decreta illa, quae in hac Tridentina synodo iam pridem promulgata sunt? Si haec pro ratis ac immutabilibus se habere velle ostenderit praesens ista synodus, intelligent rebelles nationes se non ad aliud accersiri Tridentum, quam ut audiant de se dogmatibusque suis damnatoriae sententiae declarationem, quam proxime executio subsequi oporteat. Tametsi vero simplices Germani sunt, nec forsitan ceterae gentes septentrionales | admodum argutae, dubium tamen profecto debet 95r esse nemini, alterutrum e duobus futuros esse, aut quia iam errores cognoscant suos, ideoque sponte velint venire Tridentum, ut errores detestentur, ut culpam deprecentur, aut certe, si obstinate persistere in sententia decreverint, nullo modo ad concilium, in quo iam condemnati sint, accessuros. Eligant R^mi^ patres, utrum sperent futurum; nos certe posterius eventurum obnixe veremur, quando non ambigue constat, protestantes nulla ratione ad ullum venturos concilium, quod Romanus pontifex indixerit, et cui Romanus pontifex velit praeesse tamquam iudex. Atqui in hoc eos pertinaces persistere, Neoburgensis principum conventus testatus est[4], nec aliud poterunt fortasse apostolici per Germaniam dimissi nuntii referre[5]. Quin immo, sicuti quaedam praeludia cernuntur, timendum omnino, si feroces istae et exacerbatae tot nationes intelligant, se doctrinamque suam, quam purum Christi evangelium esse credunt, publice et quidem iterato condemnatum iri in concilio, ne infestis armis exemplum Bohemici ducis Ziscae sint imitaturi[6], quod[a] Deus clementer avertere dignetur.

Ex hisce sane et quam plurimis aliis, quae brevitatis causa praeterimus, apparet satis manifeste, quam utrobique res plena periculi sit, sive continuandum concilium decernatur, sive inchoandum novum; etenim si hoc, metuendum, ne omnis in posterum pereat conciliorum sedisque apostolicae auctoritas; sin aliud, ne feroces gentes boreales[b] ad arma concitentur aut saltem, ne frustra omnis labor et sumptus in concilii celebrationem impensi frustranei sint; propter has enim morbidas[c] oves ista remedia instituta sunt atque suscepta. |

Quam porro difficile sit, ex hoc ancipiti bivio tutam aliquam reperiri viam, res ipsa per 95v se loquitur. Nos vero, qui nec principium huius negotii, quale sit, cernere possumus, nec finem aliquem praevidere, haesitamus omnino, cum utrobique par immineat periculum.

Verumtamen, quemadmodum in obscuris fieri debet, quod minimum est, sequemur, nimirum daturi operam, an eiusmodi possit inveniri remedium, quod utrique parti mederetur, neutram everteret. Quam ad rem vel in primis utile fuerit, certo quodam modo huius praesentis concilii fructum metiri et quasi definire.

Principio citra controversiam nihil certius quam protestantium principum legatos vel prorsus Tridenti nullos affuturos esse, vel, si affuturi sint, non tamen ullo[d] pacto consensuros in eam concilii formam, quae usitata fuit hactenus, sed excepturos confestim, quod cum

[a] *om. in orig.* [b] *orig.* Borentes [c] *orig. falso* madidas [d] *orig.* illo

[1] Cfr. *Conc. Trid.* VIII 105 adn. 2.

[2] Cfr. *Conc. Trid.* VIII 101 adn. 1.

[3] Guido Faber in oratione 26. Maii 1562 in congregatione generali habita hanc Tridentinam novam esse synodum asseruisse videtur, *Conc. Trid.* VIII 512 nota d; quae *St. Ehses* ibid. adn. 1 contra textum Iodoci Le Plat adducit, minime convincunt.

[4] De conventu Naumburgensi (mense Februario 1561 habito) vide *Conc. Trid.* VIII 142 sqq.; *Pastor* VII 172 sqq.

[5] Relationem I. Fr. Commendoni et Zachariae Delphini nuntiorum lege *Conc. Trid.* VIII 149 sqq.

[6] Iohannes Zisca († 1424) primus dux erat Hussitarum, qui exercitus Sigismundi imperatoris semel atque iterum fugavit. Cfr. *G. Grünhagen*, Die Hussitenkämpfe der Schlesier (Breslau 1872) 31 sqq.

Romanum pontificem pro reo habeant, se illum nequaquam pro ordinario iudice ferre posse [1]. Tum vero reliquos omnes episcopos, si qui causam controversae religionis cognoscere debeant, ab omni debere absolvi iuramento, quo Romano pontifici obligantur. Praeterea, ut et suis legatis potestas fiat non proponendi tantum, sed concludendi etiam, et similia, sicuti protestantium principum responsio, quae S. Caes. Mti Vae in proximis comitiis oblata est [2], demonstrat. Quamobrem sive veniant in concilium adversarii, sive non veniant, nihil ad speratum fructum huius concilii, nisi forsitan sperandum putetur, illos supplices fore ultroque
96r petituros commissi schismatis veniam, quod uti optandum quidem, ita nobis haud | sperandum videtur [a]. Rebellat enim universa Germania (paucas provincias excipimus), Anglia [b], Dania, Suetia, Norvegia regna penitus defecerunt; idem imitati sunt Pruteni, Livones, Lituani; Polonia nutat; Galliae in praecipitio stant. Quae restant ergo regna mediocriter salva nisi Hispaniae, Lusitania et Italica natio? Quid autem haec pauca regna ad comparationem eorum, quae obedientiam detrectant, rebellant hostiliter? Parum omnino. Tum vero si istorum regnorum morbis hoc praesens concilium mederi non poterit, quem denique eius fructum speramus? Profecto, si quid nostri tenuis iudicii est, Sacratissime imperator, nullus alius potest sperari fructus, nisi ut eae iuventur provinciae, quae obedientes sunt ac parent adhuc authoritati sedis apostolicae. Quae autem istae sint et quam multae, non est opus recensere. Hisce igitur praesens concilium opem ferre posset, si Rmi patres omnem huius concilii laborem in eum dirigerent finem, primum, ut hasce exiles miserasque catholicae religionis reliquias, quantum pro virili sua possent, tum conservare, tum amplificare eniterentur; deinde, ut occasione praetextuque huius concilii modus aliquis praepararetur, quo deinceps etiam rebelles possent ad saniora consilia reduci.

De utroque conatu quid nobis expedire videatur, et quibus rationibus feliciter confectum iri existimemus cum honore sedis apostolicae et cum fructu praesentis concilii, succincte explicabimus.

Ut hae exiles catholicae religionis reliquiae, ubicunque illae sint, confirmentur atque, si queat fieri, amplificentur, etiam in duplici genere studii positum esse videtur, quorum
96v alterum seriam | postulat reformationem ecclesiae, ut impuri mores cleri emendentur, ut abusus tollantur rerum ecclesiasticarum, ut novelli catholici cleri seminarium sedulo matureque plantetur; alterum in eo versatur, ut, si quid contagionis etiam invasit catholici gregis residui ovile, quod quoquo modo catholicae fidei doctrinam coeperit inquinare, tempestivis remediis mundetur. Quantum vero ad emendationem clericalis vitae attinet et de tollendis abusibus et purgandis [c] quibusdam doctrinae aspersis maculis, in proximo scripto eo, quod iam nuper a S. Caes. Mte V. Tridentum est missum [3], satis commonefactum esse intelleximus, hic repeti minime necessarium, nisi quod idem inculcamus denuo, nihil sperandum boni ex toto hoc concilio, si non serio aut severe potius et ante omnem quidem de dogmatibus tractationem reformationis negotium et susceptum ardenter et finitum feliciter fuerit. Frustra enim, frustra penitus, Sacratissime imperator, velle cum credendi tum vivendi legem praelatos populo praefinire, nisi ipsimet prius recte credendi formam in se honesteque vivendi exemplum cunctis palam exhibuerint [d].

Sed roget quispiam, quin doctrinae labes, quam alicubi haereticorum conversatio aspserserit ovili catholicorum, abstergi queat, nisi legitima praecesserit universorum dogmatum, de quibus controvertitur, explicatio. Haec etenim si necessaria in isto concilio est, non poterit tam solummodo reformatio institui, sed opus erit etiam et haeresium condemnatione et orthodoxorum explicatione dogmatum. Quarum neutrum rite poterit inchoari, nedum recte [e]
97r absolvi, nisi aut continuetur praesens concilium | aut, hoc inconvenienter abrupto, aliud inchoetur novum; quod nequaquam vel ex dignitate apostolicae sedis [f] aut pro sanctitate sacrorum conciliorum fieri posset.

Respondemus citra argutias. Novum concilium inchoari non potest absque pernitiosa desertione iam inchoati, nec inchoatum continuari in dogmatibus ulla spe optati fructus. Quid fiet igitur? Nobis quidem ita videtur, aliis prudentioribus fortasse secus: Quippe nihil

[a] *min. del.* Quis ergo sperandus ex hoc concilio fructus? [b] *min. del.* penitus defecit [c] *min. del. hic* catholicae fidei [d] *min. del.* Et quamvis adversarii angue peius oderint nomen concilii, nedum concilii censuram ac fulmen, tamen dubium non est, quin pacate ferre huius concilii progressum, si audiunt idcirco institutum esse potissime, ut sit morum clericalium castigatio rerumque ecclesiasticarum ab abusu ad legitimum usum conveniens instauratio. [e] *orig.* velle [f] *min. del.* futurum esset

[1] Revera ita «Deliberatio super concilio die 6. Febr. 1561 Naumburgi facta a Lutheranis», *Conc. Trid.* VIII 145 l. 30 sqq.

[2] De condicionibus protestantium in dieta Augustana a. 1559 oblatis vide supra p. 456 adn. 3.

[3] Scilicet in petitionibus supra n. 104.

exploratius, quam quod sectarii nullo modo queant ferre in concilio sua dogmata feriri anathemate. Ut alia tempora taceamus, cognitum est, quid huic eidem Tridentino concilio evenerit, etiam custode Carolo V in faucibus Tridentinarum alpium advigilante[1]. Quod futurum arbitremur, rebus nostris interea admodum diminutis, illorum vehementer adauctis? Vicissimque dubium non est, ut, quemadmodum se suasque haereses damnari non queunt pati, ita contra cleri mores taxari, vexari, emendari, abusus tolli, meliorem usum promitti et ferre queunt et infestare minime studebunt.

Interea vero dum in eo isto reformationis negotio Rev^mi^ patres versabuntur, poterunt aliquam sanae doctrinae catholicae formam conscribi curare, contextu simplici, haeresibusque huius saeculi nostri nominatim non expressis, vel saltem suppressis authorum nominibus, videlicet ne quid protestantes aut alii sectarii conqueri possent, se absentibus et indicta causa doctrinam suam in concilio damnatam esse. Vel si hic modus emendandae doctrinae nostrae non placeret, quilibet episcopus suis clericis inprimisque suis concionatoribus interdicerent, ne ullos habeant libros, nisi quos ex ordinariorum permissu sibi legere et habere liceat. Eam totius doctrinae nostrae (si haec alicubi aliquantum a veteri puritate deflexisset)repurgationem adversarii sibi nihil praeiudicare arbitrantes, aequioribus animis | tolerarent conti- 97^v^
nuari concilium Tridenti, idque eo magis etiam, quo studiosius de usu utriusque speciei in sacramento eucharistiae Rev^mos^ patres consentire intelligerent. Nam hic articulus videtur nunc ceteris in eodem concilio iam antea explicatis proxime subtexendus et continuandus esse[2].

Hac igitur via speramus concilium Tridenti utiliter continuari posse, et simul utrobique vitari ea de quibus supra dictum est pericula. Nam uberrimum huius concilii esse fructum existimare debemus, si haec synodus clerum reformaverit in moribus, in doctrina confirmaverit, si abusus sustulerit, instauraverit usum legitimum, si denique hunc reliqui catholici populi pusillum gregem defenderit, auxerit, corroboraverit. Deinde id commodi secum trahet ea talis huius concilii continuatio, quod integram praestabit authoritatem apostolicae sedis et tot sanctissimorum canonum, quos de multis necessariis catholicae fidei articulis ista synodus explicavit atque sancivit. Praeterea pacatiores reddet eadem ista continuatio adversarios, cum, quasi ad se illud concilium non pertinere arbitrentur, minus futuri videantur tumultuosi. Interim vero in eodem concilio meditari poterunt Rev^mi^ patres de aliquo conveniente modo, quo etiam adversarii in concilium sive hoc sive aliud attrahi atque allectari queant. De quo mox dicemus nonnihil.

At enim quidam ex patribus Tridentinis queruntur sibi tempus perire, suas gentes ab haeresium contagione immunes esse, itaque se concilii remediis non egere; adesse autem, ut iuvent aegris nationibus salutarem parari medicinam, quae nulla efficax futura sit, si non vel continuetur concilium, vel inchoetur | mox novum, ut explicatis veris dogmatibus et refu- 98^r^
tatis falsis finis tandem tot sectis queat imponi.

Tempus deperire dolendum est; aliquot nationes adhuc esse ab haeresium peste immunes, Deo agendae gratiae et habendae etiam patribus, quod aegris nobis opem ferre conentur. Quo autem modo concilium continuari possit, ut fructuosum sit, nec tempus, quod ei impenditur, depereat, ostendimus in eo versari, si opera detur, ut catholicae religionis reliquiae conserventur ac emendentur vitia cleri. Videant autem patres illi, ne, cum putent stare suas nationes, nimis confidenter, quasi in idem malum non queant cadere, praesumant. Atqui vero esto ab haeresium peste incolumes esse se ac suos, nunquid etiam a morum zizaniis? Vix credibile, praesertim cum homo ille nequam[3] non in una parte Dominici agri, sed ferme ubique ea turpis vitae zizania inter triticum disseminaverit. Non ergo prorsus infructuose ipsis tempus deperit, si nunc id iuvent in concilio, ne isthaec zizania morum paulo post etiam haeresium virus ad se pertrahant evertantque universam messem Domini. Nemo dubitet, quin clericalium morum offendicula magnam dederint ansam hisce tot tamque perniciosis sectis atque haeresibus.

Quid concilium absque doctrinae emendatione? Quid etiam concilium absque vitiorum extirpatione? Imo nisi haec praeverterit, illa nunquam cum fructu sequetur, praecipue in hoc statu ecclesiae. Nec sane ulla evidens aut saltem probabilis ratio apparet, quamobrem isti patres tantopere urgeant in explicatione dogmatum continuari concilium debere. Etenim si propter ad|versarios: hi ad concilium istud non venient; si propter Hispanos et Italos: hi, 98^v^

[1] Mense Aprili anni 1552, cum Mauritius elector Caesarem Oeniponte morantem aggressus est.

[2] Illis ipsis diebus, id est in congregatione generali 27. Iunii habita, oratores Caesaris et ducis Bavariae communionem sub utraque specie postulaverunt; 4. Iulii secuti sunt Galli. *Conc. Trid.* VIII 624 sq. 627 sqq.

[3] Cfr. *Matth.* 13, 24 sqq. 36 sqq.

quemadmodum patres aiunt, ab haeresi immunes sunt; sanis enim non opus est medico [1]. Non ergo extirpandae sunt haereses? Extirpandae, si fieri posset, radicitus, sed meliore occasione, leviori modo, mitiori medio [a], quod utinam aeque facile persuaderi Rev^{mis} patribus posset, quam plerique homines pii sperent fore christianae tranquillitati saluberrimum.

Sed enim hoc medium [b], quod et quale possit esse, quaeritur fortassis non intempestive. Varium id quidem et omnino multiplex, ⟨verum de hoc alias⟩ [c]. Nos simpliciter. Principio enim nullo modo vocamus in dubium, utrum summus pontifex Romanus debeat esse supra vel infra oecumenicum concilium, sed hoc opinamur, non tamen asserimus, pium [d] nobis videri, si Pius pontifex potius de summo iure suo nonnihil cedens quam omnia extreme urgens, ut infinitas animarum myriadas Christo lucrifaceret, paululum sese accommodaret necessitate temporis moveretque omnem lapidem, an quoquo modo posset adversarios in concilium adducere. Fieri autem id tum speraremus, si S^{mus} D. N. omnem oecumenici concilii potestatem ipsis concilii cunctis patribus pleno iure permitteret. Etenim hoc medio proposito spes aliqua foret, cum adversarii amplius obiicere non possent, ex unius nutu [e] hominis, quem ipsi reum agant, universi concilii pendere authoritatem. Deinde daret operam S. Caes. M^{tas} V. in proximis comitiis, ut aliqui ex concilii patribus et principes protestantes aliquot suos mansuetiores theologos convenire curarent, iuberentque inter se nihil disceptare aliud, quam quibus conditionibus protestantium theologi ac legati in concilium venire et in
99^{r} eo liberrime agere possint. Atque | non cessandum, quoad de modo habendi concilii inter utramque partem convenisset. Quis autem is modus esse existimetur, alterius loci consultatio erit. Nam hac de re cum Ser^{mo} catholico rege Philippo et aliis christiani orbis principibus antea communicandum esset, quam eius quicquam moliendum videretur.

[2.] De scripto nuper Tridentum misso.

Quoad scriptum illud, quod S. Caes. M^{tas} V. nuper Tridentum misit in reformationis negotio, attinet, satis omnino et prudenter omnia sunt, quae opportune dici possent, dicta a Magnifico D. Seldio [2], nec quid vel [f] demi possit vel addi quicquam videmus. Verumtamen ne nihil egisse videamur, pauca passim nobis occurrebant. Sed de toto scripto sic existimamus: Rev^{mos} DD. legatos non satis egisse perspicue, quod non expresse et nominatim quidem significent, in scripto illo quidnam desiderent [3], an totum displiceat, an eius aliquot capita, an modus proponendi, an denique censeant a S. Caes. M^{te} V. nihil penitus in concilio proponi debere [g]. Horum aliquid esse oportet aut forsitan omnia simul.

Ut breviter, quid nobis videatur, explicemus, de ultimo ordiamur. Obtendunt [h] Rev^{mi} patres legati: Si singuli principes vellent sibi proponendi potestatem sumere, nullum fore proponendi finem aut modum. Si id Rev^{mi} legati sic intelligunt, quasi propter multitudinem proponentium concilii cursus possit impediri, miramur, quae tanta sit principum multitudo, quae potius optanda esset quam moleste ferenda. Sin etiam ita accipiunt Rev^{mi} DD. legati,
99^{v} quod nolint a principibus suarum provinciarum | morbos concilio tanquam universali medico opponi, omnes homines merito quaerent, quem in finem concilium vel institutum vel apertum sit. Tum vero quis dolorem morbi sui rectius poterit, quam qui ipsemet eum sentit, explicare? Verisimilius est unumquemquem principem, quid in provincia agatur sua, cognoscere quam homines peregrinos. Nobis eam ob causam videbatur, quod potius omnes principes ad proponendum suas aegritudines invitandi essent quam repellendi.

Obiiciunt etiam Rev^{mi} DD. legati, quemadmodum S. Caes. M^{tas} haud permissura sit, ut se sui reforment subditi, ita nec Romanus pontifex queat, cum sit universale caput, reformari a suis episcopis. Minime dubitamus, si S. Caes. M^{tas} V. universalem Romani imperii reformationem certis quibusdam principibus demandasset, quin non aegre latura esset, si quid etiam circa imperialem curiam reformandum videretur, sed ultro hoc esset permissura. Cur hoc tale reformandi studium non posset ferre summus Romanus pontifex, siquidem ipsemet rescripserit ad patres concilii, nolle a se pendere concilium, cui haud dubie universalis ecclesiae (a qua caput excludi non potest) reformandae potestatem commisit? Ea modestia

[a] *min. del.* consilio. [b] *min. del.* consilium [c] *min. add. in marg.* [d] *In min. sequentia usque ad verba* Fieri autem *sublineata sunt.* [e] *Hinc usque ad finem sectionis in min. omnia sunt sublineata.* [f] *om. in orig.* [g] *min. del.* Ut vero ordiamur ab ultimo [h] *or. falso* ostendunt

[1] Cfr. *Luc.* 5, 31.

[2] Scilicet in sententia sub n. 105 inserta; quae auctori una cum relatione Pragensis erat transmissa.

[3] Legati licet in litteris suis ad Delphinum 8. Iunii datis quaedam in libello Caesaris contentorum vituperaverant, tamen nondum in specie indicaverant; rationem ipsi adducunt: *Il volume non è stato per ancora da noi tanto accuratamente letto et considerato, quanto ricerca l'importanza della cosa.* *Nuntiaturberichte* II. Abt. III 63.

est nunc optimus pontifex Pius IV, qua semper omnes alii pii ac boni pontifices fuerunt. Scimus Sixtum III a quodam Basso accusatum fuisse, ⟨adeo tamen eum publicum de se iudicium fieri⟩ [a] non refugisse, quin a Valentiniano Augusto petiverit synodum congregari, cui de persona sua iudicandi potestatem non invitus permisisse legitur [1]. Quamobrem igitur, si ita nunc (ut integritas optimi pontificis [b] palam innotesceret) idem postularetur, non facturus esset hoc Pius pontifex? Facturus procul dubio, quandoquidem | Rev^{mis} DD. legatis 100^{r} omnem dedit celebrandi concilii liberam potestatem, quam scribit a se nolle pendere. Nec profecto vix alia poterit causa permovere protestantium principes vehementius, ut suos etiam mittant legatos aliquando ad concilium, quam si audiant Romanum pontificem nolle a se pendere concilium. Quid enim hactenus ab adversariis clamatum scriptumque est acerbius (quo etiam plerique principum aversi sunt), quam universam celebrandi concilii potestatem ex nutu solius Romani pontificis pendere? Quid autem futurum putamus, si intelligant, id Pium IV nolle? Quid contra, si idem Rev^{mos} legatos omnino velle audiant ab aliis? Ponit *bonus pastor animam suam pro ovibus suis* [2]. Si animam, cur non etiam dignitatem, quae tamen vel hac unica via recuperari posse creditur? *Charitas enim non aemulatur, non quaerit, quae sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum, sed omnia sperat, omnia tolerat* [3]. Et Apostolus: [4] *Liber cum sim ab omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut plures lucrifaciam. Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, ut aliquos salvare queam.* Quocirca minime dubitandum, quin optimus pontifex Pius IV nihil pietatis, nihil studii, nihil ullius humilitatis intermissurus sit, si videat, exemplo suae personae labenti christianae reipublicae efficacem opem ferri posse.

Mansuetudinem Constantini Magni non solum miratur S. Caes. M^{tas} V., sed etiam semper imitata est, neque Caes. M^{tas} V. aliud studet in hoc ipso scripto, quam quod exhortatur sacerdotes, ut ipsimet lites causasque suas diiudicent, mores componant atque reforment, omnem tollant ex sese popularis offendiculi occasionem. Atqui in concilio cum sic episcopos quasi obiurgans hortaretur Constantinus Caesar, proponendi potestatem non habuit? Quid | cum 100^{v} synodos sua authoritate Caesarea convocavit [5], cum ordinem celebrandi concilii proposuit [6], nullaene ipsius partes erant in concilio? Quid imperatoris Gratiani constitutio, qua concedit, ut quam quis velit religionem sequi liceat, praeterquam Manichaei, Photini et Eunomii? [7] Quamquam, an hoc omnino probandum fuerit, iam non disputamus, sed quam in religionis negotio potestatem habuerint prisci imperatores, hinc cerni licet. De Theodosio scribunt historiae, quod ille non solum congregabat synodum, sed ipse et modum disputandi praescripsit et victam partem damnavit, et qua lege puniendi sint pertinaces, publice decrevit [8]. Idem Theodosius, cum papa Damasus et alii occidentales episcopi accusarunt Flavianum episcopum Antiochenum, hortatus est eos, subiiciens se ipsum esse Flavianum et velut syndicum et patronum eius designatum. Atque ubi illi cum imperatore iure non contendendum esse dicerent, suasor illis fuit, ut ecclesias postea per concordiam coniungerent, contentionem tollerent et inutile dissidendi atque iurgandi studium extinguerent [c] [9].

Nunquid etiam in sedem apostolicam aut in dignitatem papae Honorii commisit Sisenandus rex Hispaniarum, cum in Toletanum concilium intravit [10], synodum exhortans, ut paternorum decretorum memores ad conservanda iura ecclesiastica studium adhiberent praelati et illa corrigerent, quae per negligentiam in usum venissent contra ecclesiasticos mores, et licentiam sibi de usurpatione fecissent. Talibus igitur eius [d] monitis congaudentes necessarium extitit eos tractare, quae conveniebant. Ea talis admonitio si cum gaudio suscepta

[a] *add. in marg.* [b] *min. del.* id postularet [c] *min. del.* Infinita eius generis exempla proferre possemus, si esset necessarium, quibus non obscure edoceri queat, cuiusmodi potestas christianis imperatoribus olim fuerit in conciliis et negotiis christianae religionis. [d] *or. falso* iuris

[1] Narrationem huius facti vide: Liber pontificalis ed. *L. Duchesne* I 232.

[2] Cfr. *Io.* 10, 11.

[3] *I Cor.* 13, 4-7 (nonnulla sunt omissa).

[4] *I Cor.* 8, 19 et 22.

[5] Concilium Nicaenum ut ceterae synodi universales antiquitatis a Caesare est convocatum. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen I 57 sq.

[6] Secundum Eusebii narrationem (Vita Constantini l. III c. 12, *Migne gr.* 20, 1067 sqq) Constantinus Magnus synodi primam actionem oratione sua aperuit; deinde disputationibus patrum interfuit; non autem legitur eum concilio ordinem agendi praescripsisse. Cfr. *Hefele* I 300 sqq.

[7] Cfr. *Socrates*, Hist. eccl. l. V c. 2, *Migne gr.* 67, 567 sq.; *Sozomenus*, Hist. eccl. l. VII c. 1, *ibid.* 1417 sq.

[8] Videlicet Constantinopolitanam I, de qua cfr. *Sozomenum*, Hist. eccl. l. VII c. 9, *Migne gr.* 67, 1437 sqq.

[9] Vide *Theodoretum Cyrensem* in Hist. eccl. l. V c. 23, *Migne gr.* 82, 1249 sq.

[10] Acta concilii Toletani IV (633), quibus narratio de Sisenandi regis exhortatione ad synodum praemittitur, legas apud *Mansi* X 615 sqq.; cfr. narrationem facti apud *Hefele* III 79.

a patribus Toletani concilii tum fuit, cur nunc cum indignatione consimilis suscipitur? Infi-
101r nita eius generis exempla in medium afferre possemus, si res | postularet, quibus non obscure, non ambigue edoceri queat, cuiusmodi potestas christianis imperatoribus olim fuerit in conciliis negociisque catholicae religionis. Extant adhuc Caroli Magni variae diversaeque sanctiones ecclesiasticae [1], extant Ludovici primi decreta quaedam, quae ipse proposuit atque sanxit in Aquisgranensi synodo [2]. Quae omnia non modo proponendi facultatem, sed ulterius etiam agendi quippiam in conciliis concedunt christianis imperatoribus.

Qua libertate etiam Christianissimi regis Galliarum admodum nuper in eadem ista Tridentina synodo legatos usos esse cognovimus [3]. Quo magis mirandum est, quamobrem Rev^{mi} DD. legati eum istum S. Caes. M^{tis} V. pium conatum tantopere culpent, quasi quid semper omnibus imperatoribus et regibus integrum fuit, id soli Caes. M^{ti} V^{ae} licere non debeat.

Quid ex hoc colligent protestantes? Salvi conductus formula ipsis concedit libertatem proponendi, loquendi una cum ipsa synodo, de quibuscunque negociis tractandi, examinandi, discutiendi et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ad articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi [4]. Adversariis haec omnia liberrime esse debent, S. Caes. M^{ti} V^{ae} non debent.

Reliqua argumenta Magnifici D. Seldii [cum sint] praeclara, non repetimus illa.

Minantur Rev^{mi} legati in multis articulis S. Caes. M^{tem} V^{am}, si velit omnino proponendi potestatem suis oratoribus [a] concedendam urgere, repulsam pati oporteret, quae S. Caes. M^{tis}
101v V^{ae} authoritatem posset imminuere. Dictu [b] quidem hoc incredibile, | at ita nihilominus Rev^{mi} patres [c]. Sed enimvero, cur minas isto in loco potius quam causas eius repulsas adducunt? Quinam isti articuli sunt? Aut enim necessarii ad reformationem sunt: admitti debent omnino; aut inutiles: causa ostendenda. Verum haec cur non ostensa est? Divinare non libet. Utinam adversarii, cum isthaec audierint, non gravius quippiam suspicentur!

Atque vero tandem una haec ratio redditur pro universis: concilium mox dissolutum iri, si istud scriptum proponatur. Dolendum sane vehementer, ne summum quidem concordiae studium nomen reperire concordiae. Quando S. Caes. M^{tas} V. hortatur proceres, ut seriam suscipiant tam in capite quam in membris reformationem, siquidem abusus in ecclesia et in clero morum licentia huic exitiali schismati gravem causam dederint: Quid aliud monetur clerus, nisi ut obstacula sarciendae paci amoveat, et quam praebuit ansam discordiae turpiter vivendo, eandem honeste [d] agendo auferat ex conspectu exacerbati populi? Quid in toto illo scripto est, quod seditionis non dicimus, sed alicuius amaritudinis habeat notationem? Quare igitur in publica sessione proponi prohibetur? Obstiterunt seditiosorum hominum voluntates atque conatus. At enim qui seditiosi isti homines in concilio nunc sunt? Num protestantes? Nulli adhuc venerunt, nec, sicuti apparet, unquam in hoc concilium venturi. Num Calviniani? Nec adhuc ii quidem adsunt. Quinam igitur? Catholici enim sunt, quotquot adsunt universi. Qui propius rem istam ducunt ad lineam, viri graves et pii, sunt in ea opinione, quod reformationis nomen plerisque seditiosum videatur, abhorreat enim res ipsis morte formidabilior. Obtexitur nomen summi Romani pontificis, quasi is non modo in
102r curia sua reformationis | censuram ferre non velit, verum si quis eius faciat mentionem, eum et seditionis reum et dissoluti concilii authorem habendum esse. Opinantur enim boni illi viri, pontificiae dignitatis oppressionem esse, si se eo humiliet Pius pontifex, ut oecumenici concilii censurae submittat emendationem curiae suae. Pius pontifex per se nihil aliud potest quam esse vere pius; verum an huius verae pietatis piae instigationes sint, quae tantae pietatis studium remorentur alioque divertunt, ipsi suasores viderint. D. Petrus princeps apostolorum idcirco apostolici primatus honorem non amisit, cum ei in faciem obsisteret homo inferior, collega Paulus [5]; cessit ille huic, hoc est maior minori se ad tempus subiecit; inferior correxit maiorem, caput permisit se emendari a membro. Seditiosus ergo fuit Paulus? Petrus ergo desiit esse pontifex? Sedis apostolicae dignitas eviluit? Authoritas Romanae ecclesiae oppressa est? Sixtus III Romanus pontifex cum se causamque suam ei synodo, quam indixerat Caesar Valentinianus, subiecit [6], ideone posthac primatus Petri eversus est? Seditiosa autem quaestio est, monere patres in pleno concilio, ut S^{mus} D. N., si quid eiusmodi esse

[a] *or.* autoribus [b] *or.* dictum [c] *Constructio non omnino perspicua.* [d] *min. del.* casteque vivendo

[1] De variis ordinationibus ecclesiasticis (capitularibus) Caroli Magni vide *A. Hauck*, Kirchengeschichte Deutschlands II 200 sqq.

[2] Quae synodus celebrata est anno 817; cuius decreta in collectionem conciliorum Coloniensem (II 638 sqq.) erant recepta.

[3] Cfr. supra n. 105.

[4] Cfr. supra n. 105.

[5] Cfr. *Gal.* 2, 11.

[6] Vide supra p. 697 adn. 1.

in curia sua animadvertat, quod emendatione egeat, paterne velit repurgandum iubere: quasi vero, si hoc fiat, continuo necesse sit concludi, oecumenicum concilium tanquam corpus esse supra ipsum pontificem, tanquam supra universale caput. Quamquamvero in utramque partem hac de re disceptatum est, non in istis Tridentinarum alpium angustiis, sed in ipso orbe christianorum editis publicis scriptis![1] Quis autem hactenus idcirco est | perduellionis accersitus? Quin forsitan concilium Basiliense ne huius quidem criminis possit immune videri. Verum quid isthaec quaestio ad scriptum hoc, quod S. Caes. M^{tas} V. Tridentum misit? In eo si quis candide mavolet quam livide mentem S. Caes. M^{tis} V^{ae} rimari, comperiat illius controversiae ne somniatum quidem esse tum, cum illud scriberetur. In genere dumtaxat facta mentio est reformationis, et omnino ex permissu vel praescripto potius S^{mi} D. N. Atqui esto etiam, quod studio honestioris vitae clericae S. Caes. M^{tas} V. aliquanto ferventius scribi quippam passus esset: nonne decuisset, in meliorem partem hoc interpretari patres? Ita quidem se fecisse scribunt, sed aliud relatio prae se fert Rev^{mi} archiepiscopi Pragensis. Verum utcumque res ista se habet, omnes pii viri et graves haud secus poterunt de hoc isto scripto iudicare, quin omnia sint ex optimo pientissimoque animo profecta, nec S. Caes. M^{tem} V^{am} aliud desiderare ardentius, quam ut veritas conturbatae religionis catholicae repurgetur, mores cum populi tum cleri sanctiores reddantur, suaque catholicae ecclesiae pax restituatur ad gloriam divini nominis et ad salutem universi generis humani. 102v

Haec nos, Sacr^{me} imperator, pro simplicitate nostra, super negotio relationis a Rev^{mo} archiepiscopo Pragensi factae dicere habebamus. Quae tamen eiusmodi sunt, ut non tam Rev^{mis} DD. legatis concilii hoc modo respondendum (quod in alia forma fieri oportebit) existimemus, quam ut de ipso transmisso scripto sententiam diceremus nostram Sacratissimamque Caes. M^{tem} V^{am} de ea re informaremus, cuius gratiae atque clementiae nos humillime commendamus.

[3.] De reliquis tribus articulis [2] nihil a nobis discurri potuit: satisprudenter Magnificus D. Seldius.

107.

Thomas Campegius: De communione sub utraque [3].

Post 14. Iulii 1562.

Parisiis Biblioth. nat. *Fonds lat. 1581* f. 39r-52v; cop. saec. XVI.

Quattuor canones de communione sub utraque propositos tractat et fuse de primo, quod fideles non sint astricti sub utraque communicare.

Canon primus: Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, anathema sit. *Paris. lat. 1581 f. 39r*

Approbatur canon iste ex eo, quod Salvator noster indifferenter meminerit modo unius speciei, modo duarum; unius, cum dixit *Io.* 6, [32 sq.]: *Panis verus est, panis enim Dei est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vitae, qui de coelo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis, quem ego dabo, caro mea est*, *Io.* 6, [51 sq.]. *Ego*

[1] Ex. gr. tempore concilii Lateranensis V, quo Iacobatius et Caietanus partes pontificis, Parisienses autem Decius et Ferrerius Gallorum causam libris editis defenderunt. *Pastor* III 828 sqq.

[2] Cfr. supra p. 692 adn. 2.

[3] Ex forma canonum, de quibus Campegius tractat (*Conc. Trid.* VIII 687; III 1, 366), apparet eum post diem 14. Iulii, quo patribus sunt propositi, votum suum dedisse, iussum, ut videtur, a pontifice vel a quodam cardinale. Quare fieri non potuit, quin ante sessionem die 16. Iulii celebratam in manus legatorum patrumve Tridenti degentium veniret. Tamen tractatuum collectioni inseruimus moti maxima illa auctoritate, qua gaudebat clarissimus auctor, de quo cfr. supra p. 30 adn. 1.
De aliis auctoribus, qui tempore concilii Tridentini de communione sub utraque specie scripserunt, lege *P. Polman*, L'élément historique dans la controverse religieuse du XVIe siècle (Gembloux 1932) 435 sqq.; quoad opiniones Staphyli, Doctoris Gienger, Seldii aliorumque consiliariorum Caesaris de hac quaestione etiam *G. Constant*, Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces (Paris 1923) 111 sqq. 817 sqq. Pro disputationibus Tridentinis maximi est momenti opus *St. Hosii:* Dialogus pius et doctus de communione sacrae eucharistiae sub utraque specie, panis scilicet et vini, coniugio sacerdotum et sacro in vulgari lingua celebrando, primo editus 1558, quem nunc commode legis in eiusdem auctoris Opp. I 644-668.

sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur, Io. 6, [48 sqq]. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro vita mundi, Io.* 6, [52]. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quam Filius hominis dabit vobis, Io.* 6, [27]. Utriusque autem, cum dicit: *Amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam* |
39v *aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.*

Similiter Paulus apostolus modo unius, modo utriusque speciei mentionem fecit: unius, cum *I Cor.* cap. 10, [17 sq.] dixit: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis;* licet haec in figura dicta sint. Utriusque autem, cum eodem capite eiusdem epistolae inquit: *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus,* cap. 11, [26]. *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit*
40r *calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem* | *seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini.* Quod igitur modo unius, modo utriusque speciei fiat mentio, indicat, nec Dei praecepto nec ex necessitate salutis esse sumere sacramentum eucharistiae sub utraque specie.

Secundo idem probatur ex eo, quod, cum Christus duobus discipulis in castellum Emaus proficiscentibus se comitem adiunxit [1], quorum oculi tenebantur, ne eum agnoscerent,
40v donec intrans cum eis recumberet, gustato pane, quem ille | prius suis manibus benedixit, fregit atque porrexit illis, aperti sunt eorum oculi, videtur corpus suum sub una dumtaxat specie tradidisse, nulla de vino mentione facta.

Quapropter Augustinus lib. III c. 25 de consensu evangelistarum inquit [2]: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed*
41r *tamen a Christo est facta permissio usque* | *ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Ex quibus Augustini verbis constat panis traditionem fuisse corporis sui participationem.

Tertio ex eo, quod habetur *Act.* 4, [42]: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus,* colligitur etiam apostolorum tempore Hierosolymis eucharistiae sacramentum receptum sub una tantum specie.

Quarto: Decretum Aurelianensis concilii de custodia corporis Christi, nulla facta mentione de sanguine et vini specie, indicat, eo tempore communionem laicis sub una tantum panis specie exhiberi solitum, cum nulla fiat de sacri calicis consecratione commonitio. C. [94] *Qui bene* de consecr. D. 2 [3].

Quinto: Ex Remensi concilio, quo decernitur, ne sacrum Domini corpus detur laicis deferendum infirmis, nulla de sacro calice mentione habita, indicat eo tempore morem fuisse communicandi laicos sub una tantum specie. C. [29] *Pervenit* de consecr. D. 2 [4].

Sexto: Libro ecclesiasticae historiae VI cap. 34 legitur de presbytero illo, qui puero
41v parum eucharistiae dedit deferen|dum Serapioni [5].

Septimo: Clemens I epistola secunda ad Iacobum fratrem Domini inquit [6]: *Tribus gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbiter, diaconus et minister, qui cum timore et tremore clericorum reliquias corporis Dominici debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ut cum negligenter agitur, portioni corporis et sanguinis Domini gravis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini nostri Iesu Christi, si negligenter erogetur et presbyter non curet minora admovere officia, gravi anathemate digna humiliationis plaga feriatur.* Nulla enim eo loco de sacro sanguine fit mentio.

Octavo: Figurae huius sacramenti, ut totius populi communioni accommodatur, fuerunt in Veteri Testamento figuratae in solida materia esui deputata, ut in agno paschali (*Exod.* 12, [3 sq.]), in manna (*Exod.* 16, [14 sqq.]), in panibus propositionis (*Lev.* 24, [45 sqq.]), in pane subcinericio (*3 Reg.* 19, [6 sqq.]). Sacrificia vero libaminum ex liquida materia solum in usum cedebant sacerdotum. Et fundendi sanguinem hostiarum immolandarum officium solum habebant filii Aaron sacerdotes eorumque in officio sacerdotes

[1] Cfr. *Luc.* 24, 13 sq.
[2] L. c. n. 72, *Migne* 34, 1206.
[3] *Friedberg* I 1352.
[4] *Friedberg* I 1323 sq.
[5] *Eusebius,* Hist. eccl. l. VI c. 44, *Migne gr.* 20, 629 sq.
[6] Decretales Ps. - Isidorianae ed. *Hinschius* 47. Textus nonnullis locis mutatus est.

(*Lev.* 16, [32]). Si itaque ex figuris licet argumentum sumere, ut figuratum suis figuris respondeat, ad sacerdotes solum pertinebit calicis sacrati perceptio. |

Magis perspicua erit haec veritas, si obiecta eorum, qui contraria senserunt, dissolvamus. 42r Et in primis ut id, quod maxime urgeri videtur, obiiciunt illud *Io.* 6, [44]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod est simile ei, quod dixit *Io.* 3, [3]: *Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Proinde sicut sanctum baptisma necessarium est ad salutem, sic necessarium videtur, ut quisque sub utraque specie communicetur.

Sed hoc multipliciter dissolvi potest. Primo ex sententia plurimorum sacrae paginae interpretum, quod duplici modo sumitur eucharistiae sacramentum: primo sacramentaliter, quomodo *sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali* [1], et de hoc modo locutus est Dominus, cum dicit: [2] *Accipite et manducate*; alio modo spiritualiter, quod nihil aliud est quam participatio unitatis et incorporationis corporis Christi mystici sive in actuali sacramenti sumptione sive sine ea. Et de hac manducatione loquitur Dominus: [3] *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quod confirmari potest ex eo, quod tempore, quo Salvator verba illa protulit, nondum institutum erat hoc sacramentum nec factus sermo de eius institutione. Secundo quod plures post illa Christi verba consecuti sunt vitam gratiae sine sacramentali manducatione. Tertio ex ipsiusmet Christi expo|sitione, quoniam post verba illa subiicit: [4] *Caro enim mea vere est* 42v *cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Quasi dicat, hoc est manducare meam carnem et bibere meum sanguinem, manere in me et me in ipso. Cui sententiae astipulatur Augustinus in illum locum [5], et ponitur in glossa ordinaria, cum dicit: [6] *Denique iam exponit, quomodo id fiat* etc. |

Si tamen eundem locum interpretandum censeri volumus de sacramentali manducatione, 43r non propterea sequitur, quod de necessitate salutis singulis fidelibus sit communicandum sub utraque specie, quoniam, cum totus Christus contineatur sub utraque specie et corpus non sit sine sanguine, sumens sub panis specie sicut communicat corpori, sic etiam communicat sanguini secundum S. Thomam [7]. Et quod de sacramentali, non tamen de spirituali illa verba interpretari debeant, ostendere videntur verba primae Ephesinae synodi, cum dicitur: [8] *Annuntiantes enim sicut secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Iesu Christi, et resurrectionem eius et in coelos ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti. Non ut communem carnem percipientes (quod absit), nec ut viri sanctificati et Verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, | quia propriae carni* 43v *unitus est, vivificatricem eum professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus — quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro poterit hominis? — sed ut vere propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis est factus et vocatus.* Proinde Cyrillus [9] et Theophylactus [10], quod dicitur: *Spiritus vivificat, caro autem non prodest quicquam,* exponunt: *Caro ista, quam dixi vivificaturam eum, qui illam sumpserit, suapte natura hoc efficere non valebit, tamen hoc efficit propter inhabitantem in ea spiritum Filii Dei; nam is spiritus est qui vere vivificat, caro autem sola nihil prodesse potest, sed propter coniunctionem cum Verbo ad alteram quandam dignitatem elevata est, ut vivificatrix esse possit. Quemadmodum enim si alicui liquori mel indundas aut misceas, totum liquorem dulcem facis eique tribuis proprietatem, quam alias non habebat, sic divinum Verbum carni unitum, quoniam Verbum vita est, carnem etiam vivificatricem facit, atque adeo caro ex se non prodest quicquam, sed a spiritu habet, quod vivificare potest.*

[1] Missale Rom., Sequentia in sollemnitate Corporis Christi.
[2] *Matth.* 26, 26.
[3] *Io.* 6, 53 sq.
[4] *Io.* 6, 55.
[5] Tr. 26 in Ioh. n. 18, *Migne* 35, 1614 sq.
[6] *Migne* 114, 384. Brevitatis causa integrum locum afferre omisimus.
[7] Summa theol. III q. 76 a. 1.
[8] Ep. Cyrilli ad Nestorium c. 7, iuxta versionem Pseudo-Isidori. Cfr. *Conc. Trid.* V 938 adn. 2.
[9] Quae sequitur expositio, *Cyrilli Alexandrini* est, *Migne gr.* 73, 601-2.
[10] *Theophylactus Achridensis* longe aliam profert interpretationem, quam invenis *Migne gr.* 123, 1313 sqq.

Quod vero dixit: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, huc tendit, quod viderat Iudaeos murmurare credentes, Christum eis praecepisse, ut more ferarum carnem
44r suam ederent sanguinemque biberent, atque ille eos reprehendens de carnali | illa verborum intelligentia edocet, eos mysterium quoddam latere verbaque intelligenda, non quod crederent, corpus suum dentibus atterendum, sed sub sacramento manducandum. Quod autem sub qualibet sacramenti eucharistiae specie totus sit Christus, deducitur ex eo, quod dixit Apostolus *Rom.* 6, [9]: *Christus iam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Si enim sub panis specie esset corpus exsangue, esset etiam inanimatum, quod anima corpus exsangue vegetare non possit. Et cum semel corpus assumptum fuit a divinitate, numquam separatum fuit; alias quoties panis consecraretur, Christus sicut in sepulchro iaceret mortuus totiesque corpus eius cadaver fieret. Necessario itaque subsequitur, sub panis specie esse animatum corpus et sanguine vegetatum cum ipsa divinitate. Idemque censendum de sanguine.

Quod si obiiciatur sententia Innocentii tract. de officio missae [l. IV, c. 21], cum dixit:[1] *Quod non bibitur sanguis, cum manducatur corpus, nec manducatur corpus, cum bibitur sanguis*, licet totum sumatur sub utraque specie, respondetur cum Petro de Tarantasia[2], quod bibere in sacramento dupliciter convenit, aut re aut signo expresso; re tantum bibitur sanguis etiam sub specie panis, cum veraciter sub illa specie Christi sanguis contineatur, qui potus est animae, non species ipsa. Bibere et specie signo expresso et appropriato ad speciem seu significationem eius, quae sumitur, est, cum de calice sumitur et bibitur sub specie vini, de quo bibendi modo et signo expresso locutus est Innocentius. |
44v Secundo obiiciunt illud *Matth.* 26, [26]: *Accipite et maducate: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem ait: Bibite ex eo omnes*, subiiciens: *Hoc facite in meam commemorationem*, *Luc.* 22, [19]. Quae verba divina praecepta censeri debent.

Sed huic obiectioni responderi potest, illa verba discipulis dumtaxat dicta fuisse, quod colligitur ex prioribus verbis, quibus dixerat: *Coenantibus autem eis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et manducate: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* Idem colligitur ex illis verbis *Luc.* 22, [15 sq.]: *Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar;* deinde subiiciens: *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei; et accepto calice gratias egit et dixit: Accipite et dividite inter vos.* Sicut et illa, quae dixit apud *Matth.* 26, [21]: *Omnes vos scandalum patiemini* et illa: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quae verba nonnisi ad apostolos referri possunt.

Confirmant praemissa, quod memoriam Dominicae mortis sacerdos in altari agit, non ille, qui a sacerdote sacramentum accipit. Quapropter sacerdos hac lege devinctus est, ut, quotiescumque celebrat, nec panem sine vino consecrat nec unam speciem sine altera sumat,
45r quoniam, etsi sub qualibet specie totus integerque Christus lateat, | non tamen quaelibet species totum Christum significat aut repraesentat, sed species panis solum carnem significat, species vini solum sanguinem eiusque solius memoriam gerit. Quo fit, ut, si solum panem consecraret aut sumeret, solius oblationis memoriam faceret, qua Christus obtulit corpus suum, nulla autem tunc memoria fieret sanguinis effusi.

Tertio obiiciunt: Aut maior aut amplior gratia confertur per utramque speciem aut tantumdem: si maior, cur subtrahatur laicis? Si eadem, supervacanea erit sacerdotibus calicis sumptio.

Respondetur, quod habita ratione sacramenti eucharistiae, in quantum sacramentum est, tantumdem gratiae tribuitur per utramque, in quantum scilicet huius sacramenti virtus et efficacia provenit a re contenta, quae eadem est utrobique. Nec propterea supervacanea est calicis consecratio et sumptio per sacerdotes, si habeatur ratio, quod tractat hoc, quod sit sacramentum, est etiam sacrificium et mysterium; sacrificare autem et mysteria noscere ad sacerdotes pertinet, non ad omnes, iuxta illud, quod dixit Salvator discipulis *Marc.* 4, [11] et *Luc.* 7, [10]: *Vobis datum est nosse mysteria*, et id est, quod dicitur: Significantia ad sacerdotes spectat. Proinde non in vanum sacerdos consecrat calicem, quia solius, qui ordi-
45v natur ad sanguinem; est alius ex vi verborum sacramenti panis, cum fiat, ut | expresse significetur, quod in Christi passione sanguis per effusionem fuit a corpore separatus. Et significantia ad sacerdotes spectat, non ad laicos, quoniam *significatio pertinet ad sapientiam*, quae ad omnes

[1] *Migne* 217, 872.
[2] In IV Sent. dist. 11 q. 2 a. 5 ad 3 (ined. Tolosana IV 127): *Sub unaquaque specie corpus manducatur et sanguis habetur, id est re, non in signo expresso.*

non spectat, sicut nec scientia, quae ad sacerdotes pertinet iuxta illud: [1] *Labia sacerdotis custodiunt sapientiam.* Archidiaconis ex mente Petri de Tarantasia [2]. Proinde dicit S. Thomas [3], quod quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen est frustra illarum altera, quoniam valet ad repraesentandum passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis in corpore, secundo ad significandum perfectum nutrimentum animae, tertio ad designandum effectum huius sacramenti, qui est salus utriusque hominis, quae omnia aeque bene per unam speciem significari non poterunt, sicut per duas, licet aeque bene conferri, et hoc est quod intendit Ambrosius [4], cum dicit, quod sacramentum, quod percipimus, valet ad tuitionem animae et corporis; sanguis vero pro anima offertur. Tribuit enim Ambrosius et alios diversos effectus huic sacsamento sub diversis speciebus designatos et non ad hoc, quod minor sit efficacia huius sacramenti sub una specie quam sub duabus, quoniam hoc non est verum, cum aeque plena sit. Quod innuere videtur Dominus *Io.* 6, [55], ubi, postquam dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,* subiicit | de una 46r
specie: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quamvis autem habita ratione ad rem ipsam in sacramento eucharistiae contentam parem gratiam recipiant laici cum sacerdotibus, tamen habita ratione, quod sacerdotes participes sunt mysteriorum, quodque ad eos pertineat sancti sacramenti consecratio, censere possumus, sacerdotes maiorem gratiam consequi ea sumptione utriusque speciei. Nec de hoc laicos conqueri debere, quoniam perinde est ac de baptismi virtute, quam aequalem dicimus in omnibus quantum ad morbi originalis deletionem et christiani characteris impressionem, quantum autem ad gratiae infusionem non aeque, sed secundum maiorem vel minorem dispositionem. Nec magis conqueri possunt laici quam milites, quod meliora stipendia et maior honor debeatur duci militiae aut imperatori. Cum itaque sacerdotes rectores sint animarum et maiore egeant gratia ad laicos erudiendos, pascendos et confirmandos, non eis invideant laici, quod communione sub utraque utantur. Habeant laici suas functiones, quibus non invident sacerdotes; non invideant laici sacerdotibus, quod ipsi sacerdotes non sint, quod ad sacerdotes, non ad eos pertineat tanti sacramenti consecratio nec utriusque speciei participatio. Sicut enim sacerdos potestatis praerogativa in consecratione tanti mysterii a residuo populo distinguitur, sic decet habere aliquid singulare | dignitatis prae ceteris in usu sacramenti, illud sumendo sub utra- 46v
que specie.

Quarto obiiciunt, quod communicare populum sub una tantum specie videatur contra largitatem et munificentiam liberalitatis divinae, quae huius coelestis sacramenti munus sub duplici specie condonavit.

Responsio ex praemissis colligitur, quoniam communicare populum sub una specie nihil detrahit liberalitati divinae nec aliquid divini muneris subtrahitur populo, ex quo immensa illa munificentia liberalitatis divinae in hoc sacramento est penes rem contentam, cuius causa est immensum donum et ineffabilis dignitas, non penes specierum diversitatem, quoniam donum aeque et plene continetur sub una sicut sub duabus speciebus. Et ea ratione dici potest, aequalem gratiam, cuius capax sit et idoneus ad recipiendum, communicantem sub una specie cum eo, qui recipit utramque, [percipere].

Quinto obiiciunt, quod in primitiva ecclesia et post multa saecula fuerit usus communicandi sub utraque specie. Quod pluribus comprobatur. Sanctus enim Paulus Corinthios sub utraque specie communicavit [5], et Soter, qui fuit tertius decimus pontifex a Petro, inquit: [6] *In coena Domini a quibusdam perceptio eucharistiae negligitur, quae, quoniam eadem die ab omnibus fidelibus exceptis his, quibus pro gravissimis criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam poenitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis sacramenta recon|cilientur.* Cyprianus uno saeculo posterior in sermone de 47r
lapsis, dum refert de puella a daemone obsessa ad ipsum divina celebrantem deducta, inquit: [7] *Ubi vero solemnibus completis diaconus calicem afferre coepit praesentibus, et accipientibus coeteris locus eius advenit, faciem suam parvula instinctu divinae maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare perstitit; tamen diaconus et reluctanti de sacramento calicis infudit.* Augustinus in libro sententiarum Prosperi inquit: [8] *Cum frangitur hostia, dum sanguis*

[1] *Malach.* 2, 7. Vulgata habet: *custodient scientiam.*
[2] *Guido de Baysio,* Com. in c. 12 de consecr. D. 2 (in ed. Venetiana a. 1577 f. 392r).
[3] Summa theol. III q. 76 a. 2 ad 1.
[4] *Ps.-Ambrosius,* Com. in ep. 1 ad Cor. 11, 26, *Migne* 17, 256.
[5] Cfr. *1 Cor.* 11.
[6] C. 17 *In Cena* de consecr. D. 2, *Friedberg* I 1320.
[7] L. c. c. 25, *Migne* 4, 485.
[8] Non est Augustini, sed Lanfranci contra Berengarium c. 28. Desumpsit auctor locum ex Gratiano, c. 37 de consecr. D. 2 (*Friedberg* I 1327).

de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio eiusque sanguinis de latere effusio designatur? In sexta synodo c. 28 testatur:[1] *Didicimus, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio coniungunt uvas, quae in altari offeruntur, et sic utraque populo dispensent; praecipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciet.* C. 6 de consecr. D. 2. Ex sermone S. Ambrosii ad Theodosium imperatorem, cum illum ob caedem Thessalonicensem ecclesia exclusit, constat, aetate sua laicos sub utraque communicasse, cum inquit: *Istasne adhuc stillantes iniustae caedis manus extendas et ex eis sanctissimum Domini corpus praetendas vel tam pretiosum illo sanguinem admoveris ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi.* Et habetur lib. VI eccles. historiae Theodoreti episcopi cap. 14[2]. Ex eo, quod habetur in undecimo Toletano concilio sub Wambano rege cap. 11[3], in quo
47v decretum fuit, ut is pro infideli non haberetur, qui morbo | gravatus haustum Dominici calicis deglutire non posset, colligitur, quod ea aetate omnes sub utraque specie communicabant.

Item colligitur observatum usque ad tempora S. Thomae ex eo, quod dicit in quarta parte Sent. q. 81 art. 12, esse multarum ecclesiarum usum, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis (quod si multarum, non ergo omnium), et q. 82 art. 3, dum refert, sanguinis dispensationem convenire diaconibus; et q. 83 dixit, quod, si cui gravis est et noxius gustus vini, etiam in parva quantitate, non est necesse, quod omnes accipientes corpus Christi etiam sanguinem sub specie vini accipiant. Christianissimorum etiam Francorum reges consuevere in solemnitate coronationis suae sanctissimum eucharistiae sacramentum sub utraque specie recipere[4]. Cum itaque tanto temporis curriculo, imo per tot saeculorum continuatum usum ecclesia populo utramque speciem tradiderit, eo deducimur, ut dicamus, ecclesiam errasse aut eam tradendo aut eam subtrahendo.

Respondemus, non reprehensibile videri, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana et nedum humana, sed etiam divina, quod pluribus Veteris et Novi Testamenti exemplis comprobatur: Ezechiel enim serpentem aeneum, quam fecerat Moses[5], confregit, siquidem filii Israel adolebant ei incensum[6]. Mandavit Dominus discipulis suis,
48r ut baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti[7], et | tamen apostoli in nomine Iesu Christi baptizabant[8]. Mandavit Dominus discipulis suis, ut eius exemplo altera alterius pedes lavaret, reluctantem etiam Petrum deterrens, quod si non lavaret pedes, non haberet partem secum. *Io.* 13, [8].

Quod tamen mandatum a pluribus non observatur. Mandatum observationis diei sabbati commutavit ecclesia in diem Dominicum, ritum, aetatem et data tempora conferendi baptisma commutavit. In primitiva ecclesia uxorati ad sacerdotium assumebantur, in eadem omnia erant communia, et alia pleraque fuerunt commutata. Potuit igitur primo manente praecepto tradendi et recipiendi sanctissimum corpus [et] sanguinem suum, quae inseparabilia sunt et sub unaquaque specie plene recipiuntur, eiusdem sacramenti ritus et caeremonias immutare. Quin etiam id voluit tacitus fidelium consensus; nec enim ante Constantiense concilium super eo extat aliquod ecclesiae decretum, quod tamen concilium non damnavit usum utriusque speciei, sed consuetudinem approbavit de una tantum specie laicis tradenda, reprobans tamquam haereticos eos, qui pertinaciter asserebant sacrilegum et illicitum esse sub una tantum specie communicare. Rationabiliter autem populo christiano multiplicato introducta videtur consuetudo communicandi fideles sub una tantum panis specie, quae communius invenitur, facilius defertur et securius custoditur et forte, ne simplices et idiotae
48v in eum inciderent errorem, quod sub | specie panis corpus exsangue sumeretur et sub specie vini sanguis sine corpore, de quo damnatus fuit Nestorius in Ephesino concilio[9]. Et si obiicitur: Si ecclesia vel consuetudo potuit calicis communicationem populo subtrahere, ergo poterit eodem iure subtrahere communicationem sub specie panis.

Respondetur, id non colligi, quoniam divini iuris est, quod laici sub aliqua specie eucharistiam suscipiant, quam in totum tollere non potest, licet aliquibus particularibus possit denegare ex aliqua rationabili causa, ut mente captis, patientibus vomitum, incorrigibili et manifesto peccatori, excommunicato et similibus.

[1] *Friedberg* I 1315.
[2] Potius l. V c. 17, *Migne gr.* 82, 1232.
[3] *Mansi* XI 143 sq. (anni 675); cfr. *Hefele* III 116.
[4] A tempore Clementis VI (1352) Francorum reges in missa coronationis etiam vini speciem sumebant. Cfr. *G. Constant,* Concession à l'Allemagne de la communion sous les deux espèces I (Paris 1923) 7 adn. 6.
[5] *Num.* 21, 4 sqq.
[6] *4 Reg.* 18, 4.
[7] *Matth.* 28, 14.
[8] Cfr. ex. gr. *Act.* 10, 18.
[9] Vide supra p. 701 adn. 8.

S e x t o obiiciunt decretum G e l a s i i papae, quo dicitur *Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo sacri corporis portione a calice sacrati cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* C. 12 de consecr. D. 2 [1].

Respondetur: Secundum interpretationem g l o s s a t o r i s [2] id intelligi debet de conficientibus. Ipsi enim tenentur, sacramentum sub utraque specie sumere, et quoad eos dicuntur non integra sacramenta suscipere, cum ad eos spectet mysterium et repraesentatio; nec propterea sequitur, quod laicis non detur integrum, sed dimidiatum sa|cramentum.

S e p t i m o obiiciunt, quod perfectum nutrimentum, quod sacramentum ipsum significat, cibum et potum, et sic species panis et vini necessario requirere videatur.

Respondetur, quod huius sacramenti perfectio, ut sacramentum est, attenditur quoad rem contentam, quae plene, integre et perfecte reperitur sub unaquaque specie. Ideo, ut sacramentum recipiatur, non opus est utramque speciem recipere, licet, ut saepius dictum est, quoad repraesentandum mysterium passionis D. N. Iesu Christi opus sit consecratione et sumptione utriusque. Ideo ait S. T h o m a s in tertia parte Summae [3], quod huius sacramenti perfectio non consistit in usu fidelium, sed in consecratione. Ideo perfectioni sacramenti minime derogatur, si populus illud sub una tantum specie recipiat, modo sacerdos sub utraque. Et quoad sacerdotes interpretandum, quod habetur i n d u o d e c i m o T o l e t a n o concilio [4], cum dixit: *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur;* utitur enim verbo sacrificii, non sumendi.

O c t a v o obiiciunt, quod repraesentatio Dominicae passionis, in qua Christi sanguis fuit a corpore separatus, non plene nisi in duplici specie recolitur, panis scilicet et vini et seorsum oblati.

Fatemur hoc, sed repraesentatio ista ad sacerdotes pertinet, ad quos spectat et consecratio et repraesentationis integritas, quibus dictum fuit: *Hoc facite in meam commemorationem Luc.* 22, [19]. |

N o n o obiiciunt sententiam D i o n y s i i c. 3 eccles. hierarchiae [5], cum ait: *Postea postulans scilicet hierarcha dignus fieri hoc sacrificio, quod fit ad Dei imitationem, divina perficere et* 49v *distribuere castissime et sacris participaturos, ut convenit, sanctis percipere, sanctificat divinissima et sub visum agit dicta per proposita sacramentisigna etiam; etenim coopertum et indivisibilem panem discooperiens et in multa dividens et unitivum calicis omnibus partiens significative unitatem multiplicat et distribuit, sanctissimum in istis sacrificium perficiens.* Ex quibus verbis videtur colligi, calicem omnibus impertiri.

Respondetur sicut de Corinthiis dictum est, quibus Paulus sacrum calicem dedit, id secundum morem et consuetudinem primitivae ecclesiae. De quo tamen T h o m a s W a l d e n s i s Anglus insignis theologus, non negari eis generaliter bibere Christi sanguinem et vini speciem, sed nec generaliter et sine discretione concedi universis, subiiciens: [6] Nam scimus de consuetudine ecclesiae relictum esse maiorum praelatorum industriae, ut de ministris altaris quosdam aut alias personas illustres de vulgo fide et reverentia et omni timore Dei praeditas ad hanc communicationem solemnem sub utraque specie possint admittere, sicut interdum solent papa et alii quidam episcopi, imo et inter fratres suos quidam religiosorum praepositi. |

C a n o n s e c u n d u s: Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam 50r non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

C a n o n t e r t i u s: Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

[1] *Friedberg* I 1318.

[2] Glossa ad verbum *integra* haec est: *Id est, integre; sub utraque enim specie Christus integre sumitur, et hoc intelligo de conficiente; nam infirmus vel sanus in necessitate sine vino corpus sumere potest.*

[3] Summa theol. III q. 78 a. 1 et saepius.

[4] L. c. can. 5, *Mansi* XI 1033 (anni 681); cfr. *Hefele* III 315 sqq.

[5] *Migne gr.* 3, 444.

[6] Doctrinale antiquitatum fidei p. II c. 90 (in ed. Venetiana anni 1571: II 151v) haec habet verba, quae nonnihil a supra relatis differunt, licet similem contineant sensum: *Eorum [scil. sacerdotum] electioni commisit, qui ex eo biberent, sive ex ordine sacrificantium sive ex imo ordine participantium eos fide probatos assumerent.*

Ex iustificatione et declaratione primi canonis colligi potest declaratio et iustificatio duorum subsequentium.

Canon quartus: Si quis dixerit, ex iure divino parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, eucharistiae communionem ministrari debere, anathema sit [1].

Quamvis tempore Tertulliani et Cypriani daretur eucharistia parvulis [2], antequam ad annos discretionis pervenissent, et Graeci isto ritu utantur, tamen hunc sustulit ecclesia ex rationabilibus causis, ut scilicet intelligerent omnes, solum baptisma sufficere ad salutem, cum plures in hunc incidissent errorem, non sufficere: qua de causa ad plures dies differebant baptisma, ut infantulus validior foret ad recipiendum eucharistiam, et interim
50v multi periclitarentur sine utroque deceden|tes. Ex quo errore plerique in alium inciderant, ut recenter mortuo darent eucharistiam, quem sustulit tertium Carthaginense concilium cap. 6 [3]. Quod autem solum baptisma sufficiat ad salutem, colligitur ex eo, quod Dominus *Io.* 3, [15]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum coelorum*, cum eo, quod habetur *Marc.* ultimo [16, 16]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

Alia etiam ratione statuit ecclesia, ut ante annos discretionis non daretur eucharistia, quoniam in eius receptione actualis requiritur devotio et reverentia ex illis Apostoli verbis *I Cor.* 10, [28]: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Quibus carent pueri ante annos discretionis, nec probare possunt semetipsos, an digni sint sancto sacramento.

Sed obiiciunt nonnulli: Quemadmodum dixit Dominus *Io.* 3, [15]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum coelorum*, sic *Io.* 6, [54] dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus comminationibus colligi potest, sacramentum eucharistiae necessarium [esse] ad salutem, quemadmodum necessarium est baptisma.

Respondetur ex sententia Augustini ad Bonifatium [4], quod unusquisque fidelium corporis et sanguinis Domini particeps fit, quando in baptismo membrum Christi efficitur. Et

[1] De cap. 4 doctrinae de usu eucharistiae, quod de eadem agit materia (*Conc. Trid.* VIII 687), aliud prostat sententia ignoti auctoris in codice *Concilio 11* f. 12r-13v; cop. coaeva, sub titulo: «Del canone et dottrina sopra la communione de fanciulli»:

Il canone ch'a fanciulli non sia necessaria la communione, è santissimo et verissimo et la ragione, che s'adduce nella dottrina che gli basti in quella età solo il batesimo, satisfa mirabilmente. Ma qui a qualch'uno fa scrupulo che si da nella dottrina all'antiquita, dicendosi: Se ben lei in qualche luogo uso questa communione, non pero l'hebbe per necessaria, parendo che apparisca il contrario non solo in Augustino, ma quel ch'è piu, in Innocentio papa, li quali amendue par che la mettano per necessaria, di modo che non dicendo nella dottrina in risposta dell'antiquita altra ragione che quella, non solo non pare che satisfacci, ma pare anche si venga a condennare la dottrina della sede apostolica, il che se fusse, non solo sarebbe occasion grande agli heretici di dire o che ha errato la sede apostolica overo il concilio, ma anco scandalo alli catholici d'udire che la sede apostolica habbi errato. Pero qui per non dar occasione di biasimare ne la sede apostolica ne anco il concilio che santissimamente et catholicamente ha fatta questa determinatione, sarebbe parso ad alcuni che nella dottrina si fusse messo altra ragione di quella, con dir verbi gratia che la chiesa, alla quale è concessa da Christo questa autorita, lo mutò, si come s'è detto nella dottrina de communione utriusque speciei, et come si sa haver fatto la chiesa in molte altre cose, overo in altro modo, che cosi pare si sarebbe salvato l'honor del concilio insieme con la riverentia della sede apostolica, et non si sarebbe lasciata occasione agli heretici di biasimare o l'uno o l'altra. Haveriamo caro intendere da V. S. se a questo vi si è havuta consideratione alcuna et con che ragioni si sia risposto a queste difficolta, accio che quelli c'hanno scrupulo di cio per riverentia della sede apostolica, sappiano come possino instruire se stessi et risponder | al dubbio che gli è nato nella mente. Che Innocentio papa et Agostino siano stati di questo parere come qui pare, V. S. giudicara s'è vero dall'istesse parole loro, che si mettono qui nell'altra faccia.

Innocentius Silvano seni, Valentino et ceteris, qui in Milevitana synodo interfuerunt, ep. 93 tomi 2 divi Augustini [nunc ep. 182 n. 5, *Migne* 33, 785]: *Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit praedicare parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia possè donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis, qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum.*

Pare che in questo luogo Innocentio per mostrare contra Pelagio nei putti la necessita del battesimo, argumenti dalla necessita della communione che non si puo dare se non doppo il battesimo, quasi volendo dire: Se alli putti è necessaria la communione, non si puo dare se non doppo il battesimo. Che questo fosse la mente d'Innocentio, lo dichiara poi Agostino suo contemporaneo, dal quale et a Innocentio et da Innocentio a lui ci sono assai epistole. Che sia il vero, ascoltamo Agostino.

Augustinus et Alipius Bonifacio seu Paulino ep. 106 (nunc ep. 186 n. 27-30, *Migne* 33, 826 sq.): *Cogitur itaque* etc. usque ad verba *nec proprium perpetrari. Haec Augustinus.*

[2] De hac consuetudine vide locum Cypriani (De lapsis c. 25) et alia posteriora apud *G. Rauschen*, Eucharistie und Bussakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche [2] (Freiburg 1910) 141 sq.

[3] Potius can. 4 concilii Hipponensis, *Mansi* III 919; *Hefele* II 56.

[4] *Augustinus*, Contra duas epp. Pelagianorum ad Bonifacium l. I c. 22 n. 40 aperte contrarium affirmat: *Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis et sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaveritis etc. Migne* 44, 570.

idem Augustinus lib. 21 de civitate Dei inquit: [1] *De quo corpore ait Apostolus: Unus pa|nis unum corpus multi sumus. Qui ergo est in eius corporis unitate, id est in christianorum* 51r *compage membrorum, cuius corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare corpus Christi et bibere sanguinem Christi. Ac per hoc haeretici et schismatici ab huius unitate corporis separati possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, imo vero etiam noxium, quo iudicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non sunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur sacramento.* Potest et aliter responderi, quod alia ratio est de baptismo et de eucharistia, quia parvuli possunt per ecclesiam spiritualiter eucharistiam recipere, baptisma autem non, quia nondum sunt de ecclesia. Sed esto, quod poena aeterna praecepto adiuncta fuisset in verbis coenae Domini, non tamen esse nisi affirmativum praeceptum, quod, licet obliget semper, non tamen ad semper, sed tantum, quantum fieri potest secundum debitam materiam et circumstantias. Tertio responderi potest, quod in praecepto baptismi dixit Dominus: [2] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum coelorum,* in praecepto autem eucharistiae dixit: [3] *Si non manducaveritis,* velut eos alloquens, qui audire et intelligere possunt, quod utique non valent parvuli.

Secundo obiiciunt: Sicut infantes habent vitales spiritus operationes, scilicet credere, sathanae abrenuntiare in baptis|mo, et si non spiritu proprio, spiritu tamen ecclesiae, eadem 51v ratione videtur posse eucharistiam recipere in fide ecclesiae.

Respondetur, quod ratio diversitatis est, quoniam generatio non exigit operationem eius, qui generatur; per eucharistiam autem nutritur sumens eam; nutritio autem exigit cooperationem vitalem eius, qui nutritur. Quos ex verbis Domini dignoscitur, cum dixit: *Accipite et manducate,* docens per hoc, his tantum tribuendum, qui possint manducare et recipere; quod non possunt infantes.

Tertio obiiciunt: Ecclesia dat adultis in extremo vitae insensibiliter constitutis vel etiam phrenesim patientibus eucharistiam sine ulla vitalis spiritus operatione, cur ergo non infantibus?

Respondetur, quod, licet illi nullam habeant pro tunc vitalem spiritus operationem, habuerunt tamen ante implicite vel explicite petendo hoc sacramentum; et propterea negatur amentibus a nativitate, sicut et infantibus, quoniam utrique nec pro tunc nec ante actum aliquem spiritus habuerint.

Quarto obiiciunt sententiam Augustini in libro primo de peccatorum meritis et remissione c. 20, cum dixit: [4] *Dominum audiamus non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctae mensae suae, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: « Nisi manducaveritis carnem meam et bibitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis ». Quid ultra quaerimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia | pugnaces nervos adversus constantiam perspicuae* 52r *veritatis intendat? An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius et sanguinis in se habere vitam: quia non ait: Qui non manducaverit, sicut de baptismo: Qui non renatus fuerit; sed ait: Si non manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, nisi quia omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas maior id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait: Qui non manducaverit, sed: Si non manducaveritis. Et ubi est, quod eodem loco de hac ipsa re ait: Panis, quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita* (*Io.* 6, 54, 52)? *Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possimus dicere ad saeculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat saeculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc saeculum veniunt? Nam sicut alibi ait: Filii saeculi huius generant* (*Luc.* 20, 34). *Ac per hoc etiam pro | parvulorum vita caro data est, quae data est pro* 52v *saeculi vita; et si non manducaverit carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.* Qui et c. 24 ait [5] tandem, quod sine corpore et sanguine Domini frustra promittitur parvulis vita. Et in multis aliis locis contendit hanc sententiam ad parvulos pertinere.

Respondetur, quod lib. VII Confessionum se retractavit [6], cum dixit: *Cibus sum grandium; cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me,* vel forte de manducatione spirituali locutus est Augustinus, quae aliud non est quam Christo incorporari per gratiam, quod etiam parvulis datur in baptismo.

[1] L. c. c. 25 n. 2, *Migne* 41, 741 [2] *Io.* 3, 15 [3] *Io.* 6, 54 [4] L. c. n. 26 sq., *Migne* 44, 123 sq. [5] L. c. n. 34, *Migne* 44, 129 [6] L. c. c. 10 n. 16, *Migne* 32, 742

108.

Rev^mi P. generalis Augustin[ensium] Mag. Christophori Patavini super praedictis articulis [de missae sacrificio] explicatio et decisio [1].

Anno 1562 mense Augusto, dum haec materia in Concilio Tridentino tractaretur, ab eo edita

Romae Bibl. Angel. *cod. 425* fol. 184v-195r, cop. saec. XVI. Cfr. *H. Narducci*, Catalogus codicum manuscriptorum in bibl. Angelica I (Romae 1893) 202 n. 29. Articuli ipsi fol. 184 inveniuntur.

[illegible]

Angel. 425 f. 185r Ad primum articulum: An missa sit sola commemoratio, dico, quod, praeterquam quod est commemoratio, verum est etiam et proprie sacrificium. Nec esse commemorationem hoc impedit. Sicut agnus vere in memoriam liberationis de Aegypto et ab angelo exterminatore, tamen erat per singulos annos non solum commemoratio, sed verum etiam sacrificium. Baptismus est vera commemoratio sepulturae Christi secundum Apostolum [2], tamen est verum sacramentum.

Praeterea ecclesia habet veros sacerdotes, igitur verum sacrificium, quia rex, ait divus Augustinus[3], a regendo dicitur, sacerdos vero a sacrificando. Item esse sine sacerdote et sacrificio in magnam poenam Iudaeis Deus comminatur iuxta illud: [4] Sedebit populus meus sine sacerdote, sacrificio, sine ephod, desolationem significans. Non igitur ecclesia, quam *diligit* Christus *super omnia tabernacula Iacob* [5], deterioris conditionis esse debet, quam synagoga fuerit; igitur verum ac iuge sacrificium non minus efficax pro peccatis habere aequum est.

Sed an ex sacris litteris probari possit, dubitant aliqui, cum loca, quae pro hoc allegari solent, videlicet dictum Christi: [6] *Hoc facite in meam commemorationem*, et illud ad Ebraeos: [7] *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*, talia et similia in alium sensum referri etiam secundum catholicos doctores possunt. Nam id: *Hoc facite*, nihil aliud praecipit, quam quod faciant, quod ipse fecit; sed an Christus obtulerit seipsum, probandum esset, neque id credendum ecclesia hactenus iniunxit. Quamquam obtulisse
185v ego crediderim, cum nihil | aliud, [quam] quod missae essentiale sit, fecerit Christus aut dixerit, quod nos sacerdotes non faciamus. Quod si nos offerimus, consequens est, ut et ille ipse obtulerit. Nam apostoli assueti sacrificiis primum et ceremoniis, quibus usus est Christus, Christum sacrificasse intellexerunt; propterea per verba illa: *Hoc facite* sacrificasse intellexerunt.

Praeterea apostoli sciebant Christum esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech* [8], ergo obtulisse sub speciebus panis et vini in coena intellexerunt. Neque tam audaces fuissent apostoli, ut a semetipsis eucharistiam, tantum sacramentum institutum a Christo, illi ut sacrificium instituere vellent, quia cum virtus propitiandi et expiandi peccata ex opere operato ex sola voluntate Christi et ex pacto divino pendeat et haec sit vera causa, quare solus Christus est auctor et institutor sacramentorum, sicut dicit Cyprianus [9]. Nam et divus Thomas hanc unam causam reddit, cur solus Christus auctor et institutor sacramentorum sit, quia virtutem ab ipso solo habent sacramenta ipsa [10]. Cyprianus lib. II ep. 3 dicit expresse [11], Dominum obtulisse, propterea non debemus omittere aquam in calice, sed imitari sacrificium, quod obtulit Christus, qui aqua usus est.

Aliam Apostoli auctoritatem ex epistola ad Ebraeos [12], licet aliquis id ad sacrificium cruentum referre posset, tamen, quia sanctorum patrum multi ita interpretati sunt, de hoc intelligi

[1] Articuli, de quibus auctor agit, tredecim sunt illi, qui die 19. Iulii 1562 theologis examinandi traditi sunt, *Conc. Trid.* VIII 719; III 1, 373 sqq., qui in multis conveniunt cum articulis, qui die 18. Ianuarii 1552 patribus erant propositi, *Theiner* I 646. Anno 1562 patres non de articulis, sed statim de doctrina una cum canonibus formatis (*Conc. Trid.* VIII 751 sqq.) sententias dixerunt, ita ut tractatus mense Iulio exeunte potius compositus esse videtur quam mense Augusto, quem inscriptio vocat. Christophorus Patavinus sententiam suam die 26. Augusti protulit, *Conc. Trid.* VIII 786. De auctore vide *Conc. Trid.* XII 603 adn. 1 et supra p. 130 adn. 1.

[2] Cfr. *Rom.* 6, 4.

[3] Cfr. De civ. Dei l. V c. 12 n. 1, *Migne* 41, 154.

[4] Cfr. *Os.* 3, 4.

[5] *Ps.* 86, 2.

[6] *Luc.* 22, 19.

[7] *Hebr.* 13, 1.

[8] *Ps.* 109, 4; *Hebr.* 7, 17.

[9] Ep. 63 c. 1 (*Migne* 4, 384): *Iesus Christus, Dominus et Deus noster, sacrificii huius auctor et doctor.*

[10] S. th. III q. 64 art. 3.

[11] Ep. 63 c. 13 sq., *Migne* 4, 395 sqq.

[12] *Hebr.* 13, 10 sqq.

debere non dubito; similiter dictum Apostoli ad Corinthios: [1] *Non potestis mensae daemoniorum et Domini participes esse.* | Apostoli itaque, nisi factum Christi sacrificium fuisse 186r
intellexissent, eos sacrificare debere illis verbis non intellexissent. Quod autem ita intellexerint, experientia nos docet, quia missam oblationem ipsi appellant can. 4 et 9 et sacrificium etiam nuncupant can. 3 [2]. Et, ut dictum est, illi nunquam ausi essent a semetipsis hoc facere atque in ecclesia instituere. *Non enim audeo aliquid loqui*, ait Apostolus [3], *quod per me non efficit Christus.* Apostoli igitur factum Christi sacrificium intelligentes verba illa Christi: *Hoc facite* de sacrificarc [!] intellexerunt. Nos autem ex facto apostolorum et successorum et eorundem sententiis et dictis, ut puta Dionysii de eccl. hierarchia cap. 3 [n.2] [4] et Clementis [5], per illa verba hoc percepisse intelleximus, illi quidem a priori factum Christi videntes, nos autem a posteriori usum in universa ecclesia a principio videntes.

Sed quomodo, dices, intellexerunt offerri debere pro vivis et mortuis? Et an Christus pro mortuis obtulerit, ex verbis Christi non apparet. Dicas, quod ex ratione sacrificii Novi Testamenti Veteri praestantioris hoc deducitur. Sed difficultates, an Christus obtulerit, vide in quodam alio scripto nostro et solutiones, quando alias concilio huic Tridentino interfuimus [6].

Ad secundum [articulum]: An sacrificium hoc sacrificio peracto in cruce deroget, cum illud sufficientissimum fuerit, | propitiatorium 186v
et expiatorium pro peccatis omnibus?

Ad hoc quidem respondent, quod minime derogat, quia licet illud fuerit quantum ad sufficientiam validissimum, quia infiniti meriti non tantum pro mundo uno, sed (ut ait Ioannes) [7], si essent mille mundi, sufficeret, nihilominus non prodest cuiquam, nisi applicetur ei; hoc autem fit per huiusmodi sacrificium. Sed contra secundum theologos omnes per sacramenta applicatur nobis passio Christi, ut patet in baptismo, ubi culpa et tota poena remittitur. Ita dicam per eucharistiam sumptam ut sacramentum: applicatur sacrificium cruentum nobis et eius meritum, praesertim quod omnes dicunt, quod tollit reliquias peccatorum, si invenit, modo digne quis accedat.

Item sacrificium incruentum est aliquid extrinsecum ab illis, pro quibus offertur, et quia pro absentibus et praesentibus offertur, ut ex canone patet, ergo non est applicatum per intentionem sacerdotis solam, alioquin fortior esset sacerdotis intentio et validior quam Christi intentio fuisset, qui pro omnibus offerebat. Dices, quod sacerdos offert hoc sacrificium in persona ecclesiae, cuius ipse est membrum, et propter hanc unionem membrorum in fide et caritate prodest. Contra Christus offert illud in persona sua et ut caput, quod non est segregatum ab ecclesia. Dicas quod, in quantum est satisfactorium, debet nobis applicare per opus aliquod | ab homine factum pro nobis, quia passio est causa generalis, sacramenta 187r
autem et sacrificia veluti instrumenta et particulares causae. Nisi etiam esset, quod quidam theologi, immo maior pars tenet, quod hoc sacrificium non offertur nisi pro eis, qui sunt membra Christi, ut Augustinus in tractatu de origine animae ad Renatum. Dicit enim: [8] Quis offerat corpus Christi pro iis, qui non sunt membra Christi? Et quia isti coniuncti sunt Christo per fidem, ideo pro illis oblatum a sacerdote sacrificium incruentum prodest. Sacrificium autem Christi cruentum pro non credentibus magis offerebatur, quia pauci credebant. Ideo dicebat orando: [9] *Ego rogo non pro mundo, sed pro iis, qui credituri sunt in me.* Etiam illud sacrificium profuit multum etiam sine incruento, sed incruentum gratia accumulabat. Non ergo derogat hoc incruentum cruento quoad credentes, quia etsi fides applicuerit cruentum, incruentum auxit fidem et charitatem et conservat nutritque. Derogaret, si totum fieret per cruentum, quod fit per incruentum.

Si diceres: Imago Christi vel Caesaris praesente Caesare vel Christo non derogaret Christo; immo iniuriam quis Christo faceret, si praesente eo quis veneraretur imaginem, quasi plus faceret imaginem quam Christum. Dicas, quod verum est, sed absente Christo a nobis

[1] *1 Cor.* 10, 21.
[2] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 27 sq.
[3] *Rom.* 15, 18.
[4] *Migne gr.* 3, 425 sqq.
[5] Non videtur respicere auctor locum Clementis Romani, Ep. I ad Cor. c. 34 n. 5-7 (Patres apost. ed. *Funk* I 142 sq.) nec Clementis Alexandrini, Paed. l. II c. 2 (*Migne gr.* 8, 410 sq.), sed Constitut. apost. l. VIII c. 12 n. 35 sqq. Quod opus Franciscus Turrianus paulo post sub nomine Clementis edidit.
[6] Voto suo 13. Ianuarii 1552 dato Christophorus Patavinus secundum Massarellum dixit: *Missa verum sacrificium est a Christo institutum; obtulit enim Christus in coena, et quod ipse fecerat, aliis faciendum praecepit. Theiner* I 645. Fusius de hac quaestione agit in tractatu, qui Romae in Bibl. Angelica cod. lat. 425 conservatur.
[7] Hanc sententiam apud Iohannem non invenio; cfr. tamen *1 Io.* 2, 2.
[8] Cfr. De anima et eius origine l. II c. 11 n. 15, etiam l. I c. 11 n. 13 et l. III c. 12 n. 18, *Migne* 44, 504, 481, 520.
[9] *Io.* 17, 9 et 17, 20.

venerando imaginem non fit Christo iniuria, quia tunc Christum honorare dicitur, imaginem | 187v adorando propter Christum. Item quia sacrificium cruentum semel oblatum est nobis insensibiliter apparens, iccirco incruento sacrificio utimur non solum in memoriam, verum etiam in remedium peccatorum, quam virtutem non a se, sed a cruento habet. Sicut enim oratio nostra pro peccatis Christi orationi pro nobis non derogat, neque mors nostra morti Christi derogat, quia tamen mortuus (ut vitam corporalem perpetuam habeamus), ita nec incruentum cruento sacrificio derogat. Licet enim per sacrificium cruentum et fidem absque aliis sacramentis totum praestare potuisset, quod nunc praestat per sacramenta et sacrificium incruentum, tamen nostrae infirmitati et fragilitati modum hunc magis congruere cognoscit. Dicit enim Augustinus, de Trinitate [l. XIII c. 10 n. 13] [1], quod, licet alius modus nostrae liberationis quam per mortem Christi et incarnationem fuerit Deo possibilis, nullus tamen eo, quo usus est, congruentior fuit. Totum igitur pie veneremur, non autem temere discutere velimus et cum discrimine, ut divus Augustinus in Enchiridio: [2] Velimus scire, quod potest nesciri sine crimine. |

188r Ad tertium [articulum]: An ex iis verbis: *Hoc facite* offerre praeceperit. Vide supra ad primum. Dionysius 3. cap. eccles. hierarch., posteaquam eucharistiam hostiam appellaverat [!], ad quam celebrandam cum timore ad altare se accedere dicit, addit: [3] *Considero tamen exclamans, quia tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem.* Unde apparet hanc hostiam offerre praecepisse et, si secundum ordinem Melchisedech fuit sacrificium, sub specie panis et vini fecisse non dubium est, ut Augustinus [4] et Ambrosius [5] dicere videntur. Cyprianus lib. II ep. 3 ostendit [6], Christus offerre praecepisse, sicut ipse obtulit. Traditio minus ab haereticis impugnari potest quam scripturarum catholicus sensus. Ideo hortatur Tertullianus [7] non provocandos haereticos ad scripturam nec in illis constituendum certamen, in quibus nulla aut incerta victoria aut parum certa. Idem dicit Irenaeus [8]. Non propterea tamen non est dicendus verus sensus scripturae, quia ipsi respondent. Nam licet respondeant, non tamen satisfaciunt, quando falso exponere non credantur, licet illis contrarium persuaderi ad duritiam cordis eorum non possit, quemadmodum dicit B. Ioannes: Iudaei, ait [9], cum tot et tanta signa vidissent, non poterant credere. Si quaeris a me, dicit B. Augustinus [10], quare non poterant credere, respondeo, quia nolebant. Quare nolebant? Quia excaecatum cor malitia eorum. Sed numquid incredulitas illorum 188v vel hae|reticorum fidem Dei evacuavit aut evacuabit, ut non sit verum, quod ecclesiae promisit, videlicet quod portae inferi non praevalebunt adversus eam? Nam egregius magister est usus. Cum igitur apostoli offerentes oblationem et sacrificium appellent, can. 3 [11] expresse sacrificium appellat [!], et can. 4 oblationem expresse appellat [!] et can. 9, non a semetipsis, ut dictum est, ausi fuissent hoc facere. Igitur a Christo habuerunt, ut offerrent, et facto et verbo. Nam factum sacerdotum ecclesiae, ut dixi supra, non differt ab hoc Christi facto et modo faciendi quoad essentialia missae. Apostoli autem assueti sacrificiis et, quomodo imolaretur agnus paschalis, sciebant, ideo ex ceremoniis illis Christi in coena factis intellexerunt sacrificasse, cum postea dixisset: *Hoc facite*, totum quod fecit ipse in coena, facere se debere intellexerunt. Irenaeus hoc apte docet [12], Dominum offerre praecepisse, et multi alii, ut Chrysostomus [13]. Contrarium certe haereticum censerem, ad quod convincendum uti haeresim sola traditio sufficit. Nam ante scripturam erant haeretici in omni lege; ideo ad revincendum haereticos non semper scriptura opus est, sed traditio. Dicant Lutherani, cur diem Dominicum celebrent et diem Paschalis uti nos. In nullum aliud referre possunt 189r quam in traditionem, cum in scriptura nihil habeatur expressum. | Nonne ante scripturam ob hoc solum, quod non scripta credebant, haeretici habebantur? Nam scriptura non potest esse regula ecclesiae, cum ecclesia fuerit ante scripturam. Christus etiam increpavit duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderant. Immo ecclesia pro tanto approbavit scripturas, quia traditioni conformes erant, et alias reiecit, quia difformes erant traditioni.

Si diceres: Multae sunt traditiones apostolicae, quas ecclesia non servat, quod patet ex canonibus apostolorum, qui hoc tempore non servantur, praesertim de ministris altaris, quos

[1] *Migne* 42, 1024.
[2] Cfr. Ench. c. 12 et c. 59, *Migne* 40, 239, 260.
[3] L. c. n. 12, *Migne gr.* 3, 442 sq.
[4] De civ. Dei l. XVI c. 22, *Migne* 41, 500.
[5] Expositio evang. sec. Lucam l. III c. 21, *Migne* 15, 1597; cfr. etiam En. in Ps. 38, n. 25, *Migne* 14, 1051 sq.
[6] Cfr. supra p. 708 adn. 11.
[7] De praescript. haer. c. 37, *Migne* 2, 50 sq.
[8] Adv. haer. l. III c. 2 sq., *Migne gr.* 7, 846 sqq.
[9] Cfr. *Io.* 12, 37.
[10] Cfr. In Io. evang. tr. 53 n. 6, *Migne* 35, 1776 sq.
[11] Vide supra p. 709 adn. 2.
[12] Adv. haer. l. IV c. 17 n. 5, *Migne gr.* 7, 1023 sq.
[13] In Matth. hom. 82 n. 1, *Migne gr.* 58, 737 sq.

iubent apostoli communicare sub poena excommunicationis [1], et de sacerdote fornicario perpetuo deponendo [2]. Cur igitur tantum inniteris traditionibus apostolicis? Respondeo, quod traditiones apostolicae sunt in duplici differentia. Quaedam sunt, quas, ut instituerent, Dominus praecepit vel sacer senatus docuit et mandavit, et has perpetuo observari oportet. Aliae vero sunt, quas apostoli ipsi tamquam pastores ecclesiae regimen tunc habentes tamquam ecclesiae utiles eo tempore instituerunt servandas, et hae secundum temporum dispositionem tamquam leges positivae dispensationem et mutationem recipiunt sicut leges humanae.

Ad quartum [articulum] An prosit sumenti vel pro aliis, etiam 189v
defunctis, pro eorum peccatis et satisfactionibus aliisque necessitatibus, respondeo, quod sic ex canone missae apparet quoad omnes eius partes. Discurre per canonem. Pro aliis quoque necessitatibus ex usu ecclesiae habetur. Ignatius dicit [3], quod expellit satanicas potestates; Cyprianus: [4] Sumentibus est tutela; Augustinus, de civ. Dei lib. [XXII] c. [8] [5], quod cum quaedam domus a daemonibus inhabitaretur, ita ut nemo illic esse auderet, at cum ibi missae sacrificium fuit celebratum, nihil ultra est auditum. Verum ex scriptura sacra aperte isti fructus huius sacrificii non habentur, traditio sola monet. Clemens ep. [I c. 70 sq.] [6] dicit, sacerdotes etiam conficere et pro vivis et pro mortuis offerre. Tertullianus, De corona militis [c. 3] [7] ex traditione etiam ait offerri pro defunctis. Nisi dicas, quod non loquitur offerre sacrificium missae, sed offerre, sicut Iudas Maccabaeus 12 milia drachmas argenti misit offerri [8]. Vide Chrysostomum, qui dicit [9], quod pro omnibus offertur. Non enim Dominus sibi exhiberi sacrificia propter se instituit, quia bonorum nostrorum non indiget, sed propter nostram utilitatem et salutem.

Sed ratione id probari potest. Nam constituto, quod sit sacrificium verum et non sola commemoratio, efficacius esse debet quam sacrificia veteris legis. Nam ex quo sacerdotium et lex evangelica sunt praestantiora sacerdotio Veteris Testamenti, igitur et sacrificium,
sed illa pro peccato suo modo offerrebantur, igitur et hoc pro | peccato offerri potest et, 190r
pro expiatione peccatorum, nec non erit propitiativum magis, quam illa fuerint. Item si oramus pro aliis necessitatibus, cum non et hoc pro eisdem sacrificium offeremus? Si pro maiori offerimus, quam pro peccato tollendo, multo facilius pro infirmitate, pro habendis liberis, pro serenitate temporis et fructibus terrae. Verum pro peccato et poena tollenda vivorum et mortuorum valet secundum dispositionem et proportionem devotionis, non tota tamen simul etiam, quod offeratur pro remissione, poena tollitur, nisi applicaretur a summo pontifice meritum Christi, cuius potestati relictus est thesaurus meritorum Christi et sanctorum, qui posset applicari. Sed cur, dices, in baptismo tota tollitur poena et culpa et non per hoc praestantissimum sacrificium a quocumque sacerdote alicui applicatur, sicut per quemcumque sacerdotem baptizantem passio Christi ita applicatur, ut totum deleat? Facile responderi posset, quia, qui baptizatur, regeneratur et fit novus homo, ideo perfecte omnia remittuntur. Doctrina est Augustini de vera et falsa poenitentia [c. 8 n. 19] [10]. Alia ratio redditur satis rationabilis, quia, qui ad baptismum veniunt, quasi ex ignorantiae tenebris veniunt; idcirco iure catechizantur, idcirco digni plena venia sunt. Dicebat Apostolus: [11]
Misericordiam consecutus sum, quoniam ignorans feci. Sed si | postea peccaverit non ignorans, 190v
peccat contra Christum, idcirco luere poenam oportet, dolere et satisfacere. Sed cur talibus per indulgentias ita applicatur passio a pontifice ut talibus, quibus post notitiam veritatis perceptam tota poena remittitur, et non sufficit hoc tantum sacrificium pro vivis et mortuis a Christo institutum ita meritum Christi applicare, ut totam poenam tollat, facile erit considerando [a], quae dicunt theologi ex [a] plenitudine potestatis papae. Contra igitur missa Christi summi sacerdotis debuit relaxare credentibus omnem poenam, respondetur ... [b].

[a] *Sic!* [b] *Textus hoc loco abrumpit.*

[1] Can. 9, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 28.
[2] Can. 25, *ibid.*
[3] Ep. ad Eph. c. 20 n. 2 in recensione longiore, Patres apost. ed. *Funk* II 205 sq.
[4] Ep. ad Cornelium de lapsis n. 2, *Migne* 3, 856: *Cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela.*
[5] *Migne* 41, 764.
[6] Patres apostol. ed. *Funk* I 150 sq. De oblatione pro vivis et mortuis hoc loco prorsus nihil legitur.
[7] *Migne* 2, 79.
[8] Cfr. *2 Macc.* 12, 43.
[9] De sacerdotio l. VI c. 4, *Migne gr.* 48, 680.
[10] *Migne* 40, 1119. Liber non est Augustini, sed auctoris incerti saec. X.
[11] *1 Tim.* 1, 13.

Ad quintum [articulum]: An missae privatae, in quibus solus sacerdos et non alii communicant, illicitae sint et abrogandae, respondeo, quod non. Quia ablato eo, quod non est essentiale nec contra essentiam illius, id per se non debet tolli; sed alios communicari non est essentiale missae nec contra essentiam missae, immo est prorsus extrinsecum quid, ut apparet. Igitur etiam putandum, apostolos huius sacrificii devotissimos celebrasse, etiam quod alii non interessent, cum inter infideles a principio essent, et propter fructum, et ut aliis membris ecclesiae prodessent; item eremitas multis in locis, ubi non est accessus, missas pro sua devotione celebrasse et pro aliis. De
191r hoc non dubium esse debet. Sicut dantur orationes sine populo in | ecclesia, ita et missa, quamquam missa, ex quo dicitur in persona ecclesiae, ex se bona sit. Si diceres: Est contra canonem, quia non potest dicere: *Ite missa est*, dicas, quod intelligitur, ubi adest populus, ubi non adest, non est necesse id dicere vel deservit sibi ipsi. Nec est institutum apostolorum, ut populus quotidie communicet, nisi in solemnibus sacris, can 10 [1].

Ad sextum [articulum]: An quod in missa aqua misceatur, cum Christi institutione pugnet, respondetur, quod non. Quia in missa B. Iacobi et Basilii de aqua in calice posita fit mentio [2]. Similiter B. martyr Iustinus proximus temporibus apostolorum dicit [3], quod vinum aqua dilutum offerebatur. Christum etiam aquam miscuisse putandum est, cum ipse temperatissimus esset, quod aquam vino admiscuerit, credendum est. In mysterio etiam posita esse videtur. Nam cum hoc sacramentum sit unitatis sacramentum et charitatis, aqua autem populum significet, hanc unionem et incorporationem significat, Cyprianus lib. II ep. 3 diffuse [4]. Sacrificia antiqua sale vel oleo aut thure vel alia re aliqua erant temperata; tamen apponi debet, quamvis de necessitate sacramenti non esse putandum sit. Qui tamen ex industria omitteret, peccaret sacrificiumque conficeret, esset tamen ibi Christus sine populo, dicit Cyprianus [5]. Et si in aqua tantum populus sine Christo, |
191v quod verum est quoad significationem, tamen in vino tantum consecrando fructus haberetur. Non tamen in aqua tantum quis conficere debet.

Ad septimum [articulum] dico, quod propter causas, quibus haeretici [canonem] abrogandum censent, non est abrogandus, immo hae causae magis confirmare debent propositum. Nam causae, propter quas abrogandum dicunt, sunt: Quia oratur pro papa, invocantur sancti, quia sacrificium appellatur expiatorium, pro vivis et mortuis dicitur. Cum ipsi haec omnia negent, canonem illos negare necesse est; nam dato uno inconvenienti, multa sequuntur. Sed quod aliquo canone absque istis partibus non sit utendum in missa, non dicunt, immo, ut dixi, utuntur; sed dato uno inconvenienti multa sequuntur. Nam dicit Irenaeus: [6] Qui unum dictum sacrae scripturae male intelligit, multa male intelligat necesse est. Ita negantes unam veritatem multas negare oportet. Isti negant purgatorium. Inde sequitur missam non posse offerri pro vivis et mortuis. Eodem fundamento, quo nituntur, universos patres, quorum vita et miraculis comprobata fuit, qui hoc canone celebrando usi sunt, damnent oportet, ut Chrysostomum, Basilium, Augustinum, Ambrosium et multos
192r alios tam ante quam post, qui et in suis scriptis multarum partium canonis, quas ipsi | damnant, meminerunt, [ut] Dionysius Areopagita [7]. Sed maior temeritas excogitari [non] potest, nullius digni auctoris sententiae stare velle vel rationi, sed solum scripturis ab ecclesia auctoritatem habentibus inniti et non ecclesiae, propter cuius auctoritatem scripturis credimus.

Ad octavum [articulum]: An ecclesiae Romanae ritus, quo secreta et submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandus sit, respondeo, quod minime damnandus est hic ritus, nec contrarius, qui est Graecorum. Immo si conferantur inter se huiusmodi ritus, dico, quod commendabilior est Romanorum usus quam Graecorum, et rationabilior. Nisi diceres, quod Christus alta voce protulit. Nam si consecrandi formam apostolos docere voluit, alta voce dixisse oportuit. Sed secus est de Christo et apostolis, quos apostolos et magistros constituerat, quos mysteria et formam scire oportebat, qui administraturi haec erant, et de plebe et populis, quibus mysteria celanda sunt, ne apud illos vilescant, sed in existimatione maxima habeantur. Idcirco in sancta sanctorum solus summus sacerdos ob loci reverentiam ingrediebatur [8], et Moises montem ascendit, populus vero non tangere montem sub poena lapidationis iussus est [9]. |

[1] Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 28.
[2] Cfr. *Migne gr.* 31, 1659.
[3] Apol. I c. 65, *Migne gr.* 6, 427. Cfr. *F. X. Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen I (Paderborn 1897) 284 sqq.
[4] Nunc ep. 63 c. 13, *Migne* 4, 383 sq.
[5] Vide adn. praec.
[6] Cfr. Adv. haer. l. II c. 10 n. 1, *Migne gr.* 7, 735.
[7] De eccles. hier. c. 3 n. 2, *Migne gr.* 3, 425 sq., et saepius.
[8] Cfr. *Lev.* 16, 17.
[9] *Exod.* 19, 12 sq.

Ad nonum [articulum]: missa non nisi lingua vulgari, quam omnes 192v intelligant, celebrari debeat, respondeo, quod non est dubium, quod dicta sit aliquando missa materna lingua, ubi non est nisi una lingua, ut apud Graecos, antequam corrupta esset. Ex suo igitur genere non est malum. Sed magis congruit literali sermone dici quam vulgato, ubi duae sunt linguae, propter maiorem tanti mysterii dignitatem.

Sed dices: Quomodo respondebit populus « Amen », ut dicit Apostolus [1], super benedictione, si non intelligit, quid dicat. Dicas, quod loquitur de praedicatione, non de divino officio, et quando quis scripturam interpretatur legendo. Cum igitur hactenus servatum sit, ut literali sermone dicatur, et hunc morem Cyprianus, Augustinus, Ambrosius et Basilius aliique sancti patres servaverint, non est nunc hic mos immutandus; quod fieri non posset absque antiquae ecclesiae perturbatione, periretque devotio. Nam omnes missale emerent et legerent evangelium et missam totam ante; postea, cum legeretur, non attenderent. Nam B. Augustinus ep. 19 ad Hieronymum scribens dicit [2], quod suum psalterium ex Ebraico in Latinum translatum legi non permittit, ne hac novitate perturbetur ecclesia et vilesceret [!], quia multi plebei [a]. Item Gregorius VII [3] duci Bohemorum ab eo quaerenti, ut missam in Sclavonica lingua celebrare facultatem daret, minime id concedere voluit, immo admodum temerarium esse hoc quaerere asseruit. Satis sit | sacerdotem in persona ecclesiae offerre 193r et celebrare, populum autem devotione et pura fide adesse [et] non nisi sancta sacerdotem legere credat. Deus magis animum spectat quam intelligentiam eorum, quae dicuntur; magis exaudiuntur devoti orantes orationem Dominicam vel alia, quae dicunt, non intelligentes, quam qui exacte intelligunt; immo multi blasphemias orantes dicunt, contraria veritati proferentes, quorum oratio grata est, quia Deus cor intuetur illorum, qui se his verbis laudare Deum putant.

Sed dices: Nonne evangelia materna lingua ab exordio nascentis ecclesiae edita fuerunt, ergo omnes passim formam sacramentorum legere poterant. Nonne in missa passio Domini legitur, ubi et publice [b] forma consecrationis profertur. Dicas, quod, licet ibi forma consecrationis explicetur, non tamen per modum formae consecrationis sicut in missa, ubi adest materia consecrationis et verba supra illam dicuntur. Vide in ultimo canone apostolorum [4], ubi Clemens dicit duas suas epistolas non esse propalandas. Paulus [5] quaedam audivit, *quae non licet homini loqui*. Dionysius de eccl. hierarch. 3 [6] dicit formas sacramentorum occultas esse debere. Chrysostomus dicit [7], quod Ebrei librum Geneseos legi a iunioribus non permittebant. Origenes hom. 5 super Numeros idem dicit [8]. Idem Hieronymus de LXX interpretibus, qui multa secreta gentibus celarunt et verbis obscurioribus texerunt, ne derisioni gentibus essent. Tom. V fol. 50 [9]. |

Videtur, quod a principio materna lingua edita sit scriptura. Etiam Moisi necessitas 193v fuit, quia alia non erat lingua. Sicut a principio primi, qui nupserunt, fuerunt frater et soror, quia alii non erant, postea non; sic semper personae coniunctae quoad nuptias restrictae fuerunt propter indecentiam, quia esset contra publicae honestatis iustitiam, ita in proposito nunc dico, quod, ubi non est una sola lingua, literalis debet esse scriptura, non vulgaris. Immo Ebreis, ut ait Gregorius Nazianzenus episcopus [10] et Hieronymus [11], principium Geneseos non omnibus legi permittebatur.

Ad decimum [articulum]: An abusus sit certas missas certis sanctis attribuere, respondeo dicendum, quod habita pia intentione ecclesiae, quae sanctos cultu latriae colere non intendit nec illis sacrificium missae offerre, quemadmodum B. Augustinus, de civ. Dei [l. VIII c. 27 n. 1] [12] ostendit, quod nullus sacerdos dicit, cum calicem offert: Offerimus tibi, Petre, sed tibi, Domine Deus; in memoriam tamen

[a] *Supple* scandalizarentur [b] *Cod.* publica

[1] Cfr. *1 Cor.* 14, 16.
[2] Ep. 82 c. 5 n. 32, *Migne* 33, 291.
[3] Gregorii VII Registrum VII 11, ed. *E. Caspar* (Berlin 1923) 473 sqq. (2. Ianuarii 1080).
[4] Can. 85 secundum Dionysium Exiguum, can. 84 secundum Gentianum Hervetum, can. 76, si codices Apostolicarum constitutionum sequaris, quos Christophorus nosse videtur. Cfr. *Hefele* I 826 sq.
[5] *2 Cor.* 12, 4.
[6] Quoad catechumenos vide l. c. n. 6, *Migne gr.* 3, 431 sq.
[7] Non investigare mihi licuit, ubi S. Chrysostomus hanc Origenis sententiam (de qua vide adn. 8) assumpserit.
[8] Leguntur in prologo Origenis in Cant. Canticorum, *Migne gr.* 13, 63 sq.
[9] Apologia adv. libros Rufini l. II c. 25, *Migne* 23, 449.
[10] Oratio 32 c. 32, *Migne gr.* 36, 209 sq.
[11] Com. in Ezechielem l. I, prologus, *Migne* 25, 17.
[12] *Migne* 41, 255.

sanctorum ut eius auxilio protegamur, evangelia atque epistolas vitae illorum accomodata legere nullum inde scandalum esse neque abusum, sed laudabilem usum dixerim. |

194r Sed quod maioris virtutis sit missa, quia dicitur S. Francisci quam S. Petri vel Augustini, dicere nec credere oportet, superstitiosumque videtur, disputare de meritis sanctorum, periculosumque est, dicit Hieronymus[1]. *Quis cognovit sensum Domini?* [2] Quis etiam certas curationes uni sancto tributas, quas alteri non scimus tributas? Quod experimento discitur, nec inconveniens est hoc, quia alii dedit genera linguarum, alii discretionem spirituum, alii curationem sanitatum[3]. Haec negare nonnisi maximae temeritatis est. Multi enim, ut superstitionem fugiant, blasphemi fiunt. Aliquis quoque sanctorum in uno loco miraculum facit, quod in alio non facit. Vide de cura agenda pro mortuis[4] et ep. 137 ecclesiae Hipponensi[5]. Beatus etiam Hieronymus dicit in vita S. Hilarionis[6], quod plura miracula in Palaestina fecit, unde translatus est quandoque Cypri, nisi quia magis dilexit locum illum. Etiam quod ista non esset causa et ignoretur, non propterea veritas neganda est, curiositas fugienda est christianis, nec abusus hic est, sed pius usus dicendus.

Ad undecimum [articulum]: An ceremoniae, vestes et signa exteriora, quibus ecclesia in celebratione utitur, sint tollendae, videtur, quod non, quia a tempore apostolorum coeperunt teste Dionysio, de eccl. hierarch. [c. 3][7] de missa loquens [!], Clemens quoque [in] homilia de vestibus et ritu ministrorum loquitur[8], | 194v Hieronymus tom. I fol. 25A[9] dicit ceremonias esse servandas. Excitant populum ad devotionem signa exteriora, sicut cantus et sonus ad devotionem in ecclesia faciunt. Nonne etiam in sepeliendis mortuis ecclesia ceremoniis semper usa est? Vide Dionysium, de eccl. hierarch. c. 3[10] et de divin. nom. c. 3[11] de obitu B. Mariae et exequiis, quibus interfuit, sicut et apostoli, et quomodo exequias celebraverunt; et de exequiis B. Stephani: *Fecerunt planctum magnum*[12], ad pompam funebre magis, quam quod de morte ipsius contristarentur. Proprium est haereticis ritui ecclesiae se opponere, quemadmodum de Ebionitis testatur Epiphanius in libro adv. haereses fol. 66[13]. Nam ait, Ebionitas ritus ecclesiae corrupisse.

Ad duodecimum [articulum]: An Christum pro nobis mystice immolari idem sit, quod ad manducandum dari, respondeo, quod non idem est. Nam quemadmodum aliud erat agnum paschalem immolari et ad manducandum dari, similiter in aliis sacrificiis, ita et hic. Nam prius immolabatur, quam manducaretur. Item sicut in sacrificiis, quae non comedebantur, separatur reipsa ratio sacrificii a manducatione ipsa, ita hic fieri potest, quia manducatio est usus sacrificii, sicut aliud est panem facere et manducare. 195r Sed consequitur ad [!] | rationem sacrificii manducatio. Patet etiam, quia eucharistia ex iure antiquo ecclesiae pro infirmis servatur. Prius ergo est eucharistia, quam manducetur, quia in altari consecratur et in domibus infirmorum comeditur. Sed dices: Scriptum est, quod, *si quid residuum fuerit, igni comburetis*[14], et quod de manna nihil usque mane servari deberet nec in domibus inveniri[15]. Dicitur, quod etiam scriptum legimus manna in arca in memoriam reservatam fuisse[16], et ita nihil habes, nam secundum diversas significationes id fieri potuit.

Ad decimum tertium [articulum] satis supra, cum respondebatur ad quartum, dictum est.

Si missa est sacrificium commemorativum, potestne confici sacramentum absque eo, quod sit sacrificium? Quia Christus sacrificaturus[a] erat. Offertur non ante consecrationem, quia non est corpus Christi; non post consecrationem offertur, quia nulla pars canonis hoc significat; ergo idem erit consecrare et offerre[17].

[a] Cod. sacrificaturi

[1] Com. in evang. Matthaei l. II c. 13 v. 17 sq., *Migne* 26, 88.

[2] *Rom.* 11, 34. [3] Cfr. *1 Cor.* 12, 9 sq.

[4] L. c. cap. 16 n. 20, *Migne* 40, 607.

[5] Nunc ep. 78 n. 3, *Migne* 33, 268 sq.

[6] L. c. cap. 47 Hieronymus ait: *In utriusque locis magna cotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerit. Migne* 23, 54.

[7] Cfr. supra p. 712 adn. 7.

[8] Nescio, an hoc quoque loco ad lib. VIII Constitutionum apostolicarum auctor respiciat.

[9] Com. in Ezechielem l. XIII c. 44 v. 17 sqq., *Migne* 25, 436.

[10] Recte c. 7 n. 2, *Migne gr.* 3, 555 sq.

[11] Rectius c. 2, *Migne gr.* 3, 681 sqq.

[12] *Act.* 8, 2.

[13] Revera *Epiphanius*, Panarium haer. 30 c. 16 ait, Ebionitas christianos ecclesiamque imitantes mysteria quaedam quotannis celebrare *Migne gr.* 41 431 sq.

[14] *Exod.* 12, 10. [15] *Exod.* 16, 19.

[16] *Exod.* 16, 23.

[17] Fusius de sacrificio missae scripserunt illo tempore: *Antonius Demochares* (De Mouchy), Christianae religionis institutionisque D. N. Iesu Christi et apostolicae traditionis adversus misoliturgorum blas-

109.

Libellus impedimentorum residentiae per deputatos a Sacrosancto concilio oblatus Ill^mis ac Rev^mis legatis et praesidentibus [1] [a].

Tridenti 2. Augusti 1562

Romae Bibl. Vat. *Vat. lat. 10877* f. 383^r-394, cop. saec. XVI exeuntis vel saec. XVIII cum glossis Romanis [= V]. Arch. Vat. *Concilio 16* f. 241^r-249^v; cop. coaeva [= C]. Ed. ex alio codice apud [*L. Morandi*], Monumenti di varia letteratura tratti dai manoscritti di Mons. L. Beccadelli II (Bologna 1804) 234-245 [= M]; *St. Ehses,* Bericht der Trienter Konzilskommission zur Residenz der Bischöfe: Röm. Quartalschrift 30 (1922) 54-75, ex codice C, ignorans editionem Ludovici Morandi.

I. Circa impedimenta a paupertate. II. Circa impedimenta a laicis. III. Impedimenta a fratribus et monachis. IV. Circa impedimenta a clero. V. Impedimenta a curia. VI. De disciplina ecclesiastica restituenda. VII. Privilegia, quae petuntur, ut facilius resideant ordinarii in salutem animarum.

I. Circa impedimenta a paupertate [b].

1. Multae sunt ecclesiae, quae tenuissimos habent redditus, ut Caprulana, quae tantum octuaginta habet aureos [2].

2. Acciensis in Corsica octuaginta aureos non excedit [3], et est gravata annua pensione triginta aureorum; non habet ecclesiam nec domum, et plebs habitat dispersa per villas montanas et non excedit numerum animarum 800. Ibi non sunt paramenta pontificalia, et in summa desunt omnia necessaria, nec ullus unquam resedit episcopus. Vicinas habet ecclesias Aleriensem et Marianensem, quibus posset uniri, vel episcopo providendum, ut posset commode vivere [4].

3. Sunt aliae ecclesiae, quae ultra trecentos aureos non habent in redditibus, et interdum oneratae pensionibus, ut Naulensis [5], quae centum solvit aureos annuae pensionis cuidam mercatori diviti Ianuensi, qui mercaturae operam dat in Hispaniis [6].

[a] *V* Impedimenta residentiae a paupertate, a laicis, a fratribus sive monachis, a clero. [b] *C* Impedimenta a paupertate, quae residentiae obsistunt. *M* Capita impedimentorum, quae ordinariorum residentiae videntur officere, et primo a paupertate.

phemias atque novorum huius temporis sectariorum imposturas praecipue Io. Calvini et suorum contra sacram missam catholica et historica propugnatio (Parisiis 1562); cfr. *Hurter* III 12 sq; *Conc. Trid.* IX 410 sqq. *F. Renz,* Die Geschichte des Messopferbegriffs II (Freising 1902) 79 sq. *Gaspar de Casal,* De sacrificio missae et sacrosanctae eucharistiae celebratione per Christum in coena novissima libri III (Venetiis 1563), opus card. Carolo Borromaeo dedicatum (Tridenti, 1. Martii 1563). In cuius praefatione haec leguntur: *Cum tremendi divinique sacrificii missae materia XIII articulis examinanda determinandaque ab Ill^mis et Rev^mis legatis mensibus superioribus de more proponeretur, confestim pro summo meo in rem publicam christianam amore, ut, quae mearum erant partium, exequerer, omnia ad hanc rem spectantia, quae olim observaveram, meaque ὑπομνήματα relegere coepi; ad haec mutos quos vocant magistros non semel consulens sacrasque scripturas diligentius evolvens non pauca collegi, quibus mox super singulis articulis sententiam meam constituerem atque tuerer.* Et postea: *Ac ne quid a quoquam desideretur, quae contra augustissimam missae liturgiam obici possent, et a Melanchthone Calvinoque dicta sunt, potiora illa quidem et quae magis mentione digna videbantur, recensui ac deinde sigillatim confutavi.* Quibus ex verbis colligitur, Gasparis opus in ipso concilio esse conscriptum. De auctore cfr. *Hurter* III 162 sq.; eius sententiam vide *Conc. Trid.* VIII 768 sqq.; doctrinam eius de sacrificio missae explicat *Renz* l. c. II 210-232; de oblatione in coena *M. Alonso,* El sacrificio Eucaristico de la ultima cena del Señor según el Concilio Tridentino (Madrid [1929]) 299 sqq.

[1] « Impedimenta residentiae » sine dubio a quinque deputatis in congr. generali 14. Aprilis (*Conc. Trid.* VIII 442) mense Iunio vel ineunte Iulio 1562 collecta Romam transmissa sunt ibique a pontifice considerata, ita ut cardinalis nepos primam glossarum in margine appositarum partem 29. Augusti, alteram 2. Septembris legatis communicaret. *Šusta* II 335, 350; cfr. etiam 346 et 352 sq. Quae omnia *Ehses* l. c. effugerunt.

Codex Beccadellianus, quo Morandi est usus, formam praebet ampliorem, eam videlicet, quam deputati (inter quos ipse archiepiscopus Ragusinus) legatis tradiderant. Qui scriptum in diversis locis mutasse videntur, ut Vaticanus praesertim demonstrat, qui praeterea glossas Romanas integras praebet. Ordo articulorum in codice C perversus est. Priores collectiones impedimentorum residentiae vide *Conc. Trid.* V 839 sqq.; XII 578 sqq.

[2] *Van Gulik-Eubel* III 166: Reventus 100 fl.

[3] *Van Gulik-Eubel* III 104: Reventus 100 fl.

[4] Glossa ad primum et secundum: *Posset fieri unio bonorum* [lege: beneficiorum] *simplicium eiusdem ecclesiae usque ad certam summam, quae primum vacaverint, itaque in totum ecclesia ascendat ad 300; et si interim ipsas ecclesias cathedrales per obitum vel per resignationem ad effectum unionis huiusmodi vacare contigerit, possent uniri aliis cathedralibus vicinioribus. Poterunt igitur episcopi huiusmodi ecclesiarum S^ti Suae particulariter statum ecclesiae suae exponere, et S^tas S. opportune supradicto modo providebit.*

[5] *Van Gulik-Eubel* III 271: Taxa 100 fl.

[6] Glossa ad tertium: *Licet de iure non deberent conservari pensiones nisi ita moderatae, ut rectori remaneat, unde vivere possit, tamen, postquam reperiuntur impositae a papa scienter et prudenter, et quaesitum est ius pensionariis, quorum in his terminis infinitus est numerus, et episcopi scienter acceptarunt ecclesias cum

4. De paupertate queruntur Brugnatensis [1], Arbensis [2], Tiburtinus [3], Marsicanus [4], Antibarensis [5], et Buduanus [6], qui nihil habent [7]. |

383v 5. ⟨Brugnatensis praeterea petit processuum [a] nullitates in suis iudiciis non attendi, cum doctores non habeat⟩ [b]. Petunt omnes aliquo modo ipsis provideri, vel pensiones eximendo, ubi sunt impositae, vel beneficia aliqua simplicia uniendo, cum vacaverint, quae aut sunt in dioecesi ipsa, aut [c] in alia contigua [8].

6. Britonoriensis petit nominatim pro Massa [9], et distributionibus eorum, qui cathedrali serviunt, uniri aliqua beneficia simplicia in eius dioecesi sita, quae nominatim exponit [10].

7. In summa multi petunt non onerari ecclesias pensionibus, quae valorem ⟨mille vel ad minus⟩ [d] sexcentorum aureorum in annuis redditibus non excedunt, ut ordinarius possit honeste suum munus obire [11].

8. Petunt insuper [e] Lusitani, quod beneficia curata non excedentia valorem quinquaginta aut sexaginta ducatorum non possint uniri, cum pro vicarii substentatione non possit remanere congrua portio [12].

9. Item petunt provideri, quod omnes parochiae, quarum decimae possunt sustentare unum sacerdotem, habeant missas singulis diebus Dominicis et festivis [f] [13]. |

384r 10. Item dicunt esse in quibusdam locis in Lusitania talem abusum, quod scilicet vicarii ecclesiarum incorporatarum ordinibus militaribus tantumdem hodie solvunt, quando confirmantur ab ordinario, quantum antiquitus solvebant, cum omnes redditus percipiebant, antequam incorporarentur, ita ut saepe redditus trium annorum expendant in hac expeditione, cum ordinarii asserant, quod incorporatio illis praeiudicare non debeat, quominus assequantur id, quod antea percipere solebant [14].

⟨Item petunt nonnulli, ut Larinensis [15], quod pensionarii concurrant pro rata ad expensas, quas episcopus in concilio facit⟩ [g].

II. Circa [h] impedimenta a laicis.

1. Ne laici de causis ecclesiasticis criminalibus vel mixtis vel aliis quoquomodo ad forum ecclesiasticum spectantibus aliquo modo iudicent, aut se intromittant contra libertatem ecclesiae, in quo multi et crebro peccant [16].

2. Item quod iudices saeculares teneantur praestare brachium ecclesiasticis [i], cum ab eis requiruntur [k], nec eos [l] impediant in decimis exigendis, ut plerique faciunt; quinimmo eas sibi usurpant, ut Buduae [m].

[a] *C* processus [b] *M om.* [c] *C add.* sunt. [d] *MC om.* [e] *C om.* [f] *C* festis [g] *VC om.* [h] *VC om.* [i] *C* ecclesiis [k] *C* requirentur [l] *C* eas [m] *M* Budae

huiusmodi oneribus, non videtur, quomodo possint cassari aut reduci, sed poterunt episcopi pauperes gravati pensionibus huiusmodi id particulariter exponere S^{ti} Suae, quae occasione oblata pensiones cassabit vel recompensam dabit.

[1] *Van Gulik-Eubel* III 156: Taxa 133 fl.

[2] *Van Gulik-Eubel* III 128: Reventus 50 fl.

[3] *Van Gulik-Eubel* III 333: Taxa 100 fl.

[4] *Van Gulik-Eubel* III 253: Reventus 200 fl.

[5] *Van Gulik-Eubel* III 123: Reventus 40 fl.

[6] *Van Gulik-Eubel* III 157: Reventus 200 fl.

[7] Glossa ut ad primum articulum.

[8] Glossa ad quintum: *Statui posset, quod non attenderentur nullitates praeterquam iurisdictionis, citationis et mandati, et quod generaliter procederetur sententiae veritate inspecta, vel faciant ordinarii statuta, quae sibi videbuntur expedire, quae postea S^{mus} D. N. confirmabit.*

[9] Episcopus Britonoriensis 1548-1563 erat Ludovicus Vaninus de Theodolis, qui 28. Oct. 1561 Tridentum advenerat, *Conc. Trid.* III 1, 14. Sed neque episcopatus Massanensis in Italia media nec Massalubrensis prope Surrentum tunc vacabat.

[10] Glossa ad sextum: *Posset committi metropolitano, ut constito de tenuitate praebendarum provideatur per viam unionis, ut petitur, ita ut cultui divino consultum sit.*

[11] Glossa ad septimum: *Placet, et iam S^{tas} S. decrevit.*

[12] Glossa ad octavum: *Ratio allegata non videtur militare, quia postquam facta est unio, fructus beneficii uniti incorporantur et fiunt tamquam praedium beneficii, cui facta est unio, et illius rector tenetur de universis fructibus praestare onera beneficii uniti, cum unio fiat cum honoribus et oneribus. Praeterea per idem concilium sub Paulo III sess.* [*VII*] *in c. incip*[*iente*] *Uniones ulterius statutum fuit, quod ordinarius possit providere vicario perpetuo de congrua portione, prout est provisum per concilium Lateranense in c.* [30] *Extirpandae § Quia vero* [X] *de praeb.* [III 5], *et sic potest assignare omnes redditus, si ita congruum fuerit.*

[13] Glossa ad nonum: *In locis, in quibus decimae exiguntur, iustum est, ut etiam singulis diebus celebretur, si ad id sufficiant. Alias autem possunt de iure* [*cogi*] *parochiani ad ministrandum necessaria suo parocho. Ideo hoc ordinario remitti posset, qui provideat.*

[14] Glossa ad decimum: *Ordinarii pro confirmatione huiusmodi nihil de iure accipere possunt, prout nec pro collatione aut alia institutione, et si aliud fit de consuetudine, videtur abolendum* [*cod. absolvendum*] *in totum tamquam corruptela et abusus simoniacus.*

[15] Belisarius Balduinus, ep. Larinensis 1555-1591. *Van Gulik-Eubel* III 236.

[16] Glossa ad primum et secundum: *Innovari possent antiqui canones contra principes et alios dominos temporales talia praesumentes.*

3. Item quod saeculares domini non gravent[a] propria auctoritate ecclesiasticos pro subsidiis conferendis ultra facultates[b] a sede apostolica concessas[1].

4. Item quod praetextu iurispatronatus laici | non impediant visitationem et corre- 384v
ctionem clericorum ecclesiasticorum[c], in quibus se patronos asserunt[2].

5. Item quod domini temporales non usurpent collationes beneficiorum occasione iurispatronatus, quem asserunt, sed teneantur docere de dotatione et fundatione revera ab ipsis profecta, non obstantibus consuetudinibus in contrarium[3].

6. Item quod laici occasione iurispatronatus non amoveant capellanos ad libitum ab ecclesiis, sed semel praesentati et instituti sint perpetui[4].

7. Item queruntur Lusitani, quod in eo regno sunt multa beneficia incorporata militiae Christi[5], quorum rectoribus debitae portiones a militibus non redduntur, nec implentur diplomata pontificia. Quare vellent certos iudices deputari in partibus, qui irrevocabiliter rem definirent[6].

8. Item petunt aliqui Hispani, quod moderetur abusus seu consuetudo, quae est in ecclesia, praecipue Auriensi[7], ut scilicet de fructibus beneficiorum, defuncto rectore, dimidiam[d] accipiant haeredes defuncti primi anni subsequentis et quartam habeat ecclesia cathedralis, et successori in beneficio sola quarta relinquatur, quae saepe illum alere[e] non potest[8]. |

9. Item petunt Lusitani, quod ordines minores laicis non conferantur[f], nisi etiam sub- 385r
diaconi fiant, exceptis pueris, qui ecclesiae serviunt; nam illis utuntur, ut sint immunes a poenis laicorum in maleficiis[9].

⟨Item quaerunt nonnulli episcopi Calabri, quod Graeci et eorum uxores iurisdictioni ecclesiae subiiciantur⟩[g] [10].

[a] *V* gaudent [b] *C add.* sibi [c] *M* ecclesiarum [d] *V* dimidium [e] *V* adire [f] *V* referantur [g] *VC om.*

[1] Glossa ad tertium: *Idem, praeterquam etiam in casibus a iure permissis.*

[2] Glossa ad quartum: *Placet, cum etiam sit de iure.*

[3] Glossa ad quintum: *Ultra fundationem et dotationem sunt multi domini temporales habentes iuspatronatus ex privilegio, quod non est ita de facili auferendum. Possent tolli consuetudines.*

[4] Glossa ad sextum: *Placet, nisi de natura beneficii vel iuris patronatus [sit], quod cappellani sint ad nutum amovibiles.*

[5] «Militia Christi» fundata anno 1317 cum ordine Cisterciensium coniuncta erat. *Heimbucher*, Die Orden u. Kongregationen I^{3} 340. De hoc gravamine cfr. votum Braccarensis *Conc. Trid.* VIII 470 l. 6 sq.

[6] Glossa ad septimum: *Placet, et videretur haec facultas dari posse per S^{tem} Suam ordinariis vel saltem Rev^{mo} legato aut nuntio pro tempore existenti, quod faciet pontifex, si particulariter petitum fuerit.*

[7] Franciscus Blanco, ep. Auriensis 1556-1565 (*van Gulik-Eubel* III 138), 19. Nov. 1561 Tridentum advenerat. *Conc. Trid.* III 1, 16.

[8] Glossa ad octavum: *Prout alias responsum fuit iuste et prudentissime per S^{mum} D. N.* Cfr. supra p. 627 adn. 5.

[9] Glossa ad nonum: *Viderentur homines nimis propere arctari, cum per subdiaconatum claudatur ostium coniugii. Ideo videretur satis etiam, si statueretur, quod clericalis tonsura nemini conferetur, qui verisimiliter vitam clericalem non esset prosecuturus, quodque super hoc ordinans teneretur causae cognitionem adhibere iuxta qualitatem personarum; et posset addi, quod non gaudeant privilegio canonis, nisi incedant in habitu et tonsura.* Cfr. supra p. 266 l. 11 sqq.

[10] Adnectantur hic «Gravamina saecularium adversus res et personas ecclesiasticas, proposita a patribus inter impedimenta residentiae et alias res, quibus turbatur ordo eclesiasticus, petiturque, ut his a synodo provideatur» ex codice *Concilio* 31 f. 253^{r}, cop. coaeva, sine data, sed cum rubro (f. 256^{v}) «Avertimenti di Mons. Palliotto sopra diversi punti»:

a) *Quod in multis locis non licet exequi citationes, decreta mandataque iudicum ecclesiasticorum nec litteras etiam apostolicas nec capere possessionem alicuius beneficii absque Placet vel Exequatur domini loci aut commissarii eius.*

b) *Nolunt quemquam provisum etiam a sede apostolica capacem esse alicuius beneficii aut pensionis, nisi sit ex certo loco, et habeat qualitates constitutas in eorum decretis.*

c) *Causas ecclesiasticas sive in possessorio seu petitorio aliqui prohibent committi coram iudicibus ecclesiasticis coguntque impetrantes renuntiare impetratis atque obtentis sententiis. Aliqui volunt constituere ipsi iudices ecclesiasticos, qui de his cognoscant, et si quando partes ab eorum sententiis gravatae volunt ad supremum principem recurrere, eas impediunt et poenis mulctant.*

d) *Imponunt tributa, collectas aliaque onera super rebus ecclesiasticis, exiguntque decimas vel tamquam ad eos spectantes vel sub nomine donativi aut aliis artibus.*

e) *Ipsi etiam inter clericos sub fictione assassinii cognoscunt usurpantque proventus ecclesiasticos, iurisdictiones et alia bona.*

f) *In cathedralibus ecclesiis praetendunt habere ius nominandi, aliaque beneficia inferiora occupant titulo iurispatronatus in iisque intrudunt arbitrio suo quos volunt turbantque collationes ordinariorum.*

g) *Volunt episcopos in missis privatis aut publicis osculum pacis deferre prout in regno Neapolitano.*

h) *Distribuunt milites in hospitiis clericorum aut monasteriis, sive pro eorum transitu aut victu ab eis pecunias exigunt.*

i) *Pro reparandis moeniis, refectione pontium, sternendis viis, deductione aquarum aut similibus causis eos quotidie gravant absque summi pontificis licentia.*

k) *In processionibus aut congregationibus aut aliis actibus publicis vel privatis saeculares magistratus volunt praecedere episcopos.*

l) *Locant pascua publica, ubi sunt etiam possessiones ecclesiasticae, ipsique redditus omnes capiunt.*

m) *Multa sunt alia huiusmodi praeter haec, quae omnia ab iis fiunt variis praetextibus sub colore obviandi falsitatibus aut revidendi gesta aut protegendi pauperes ac*

III. Impedimenta a fratribus et monachis [a].

1. Quod sine licentia ordinarii non possint confessiones audire et conciones habere ad populum, etiam in suis ecclesiis et monasteriis [1].

2. Item nec sacramenta ministrare aut missas celebrare in domibus privatorum.

3. Item quod, qui degunt extra claustra, subsint ordinario [b] [2].

4. Item quod omnes, qui conventus habent in civitatibus vel prope ad unum milliare, teneantur accedere ad processiones publicas et solemnes cum clero, quando ab ordinario fuerint invitati [3].

5. Item quod beneficia curam animarum habentia, quae monasteriis eorum sunt [c] annexa, subsint ordinariis in visitationibus et ferant onera episcopalia [d], ut charitativi subsidii etc. Quae provisio videretur omnino extendenda etiam ad beneficia curata annexa militibus Hierosolomytanis [4].

385v 6. Item providendum, ut lites tollantur inter | religiosos, quae scandala pariunt occasione praecedentiae [5].

7. Item quod examinentur ab ordinario, cum ad promotiones ordinum accesserint [6].

8. Item dicunt aliqui Hispani, providendum esse, ne tot monasteria Sancti Benedicti et regularium Sancti Augustini commendentur clericis saecularibus non professis easdem religiones, qui dicuntur eorum abbates vel praepositi vel priores; quo fit, ut monasteria dissipentur [e] in spiritualibus et temporalibus. Ideo danda opera, ut qui illa habent, profiteantur illam religionem et resideant et invigilent et reformentur, nec deinceps dentur [f] nisi doctis et professis et [g] probatis; vel potius extinguantur et ad alendos clericos et studiosos convertantur [7].

IV. Circa [h] impedimenta a clero.

1. Archidiaconi et reliquae dignitates et canonici subsint ordinario, et [i] cum eo ad divina conveniant officia [8].

2. Item queruntur multi ex Hispanis, quod negligentia vel potius [k] absentia praelatorum archidiaconi et reliquae dignitates usurparunt [l] sibi iurisdictiones, quibus ordinarii officium perturbant. Nam causas audiunt matrimoniales, criminales et civiles, quas per se vel suos vicarios audiunt et terminant ad libitum [9]. |

386r 3. Instituunt et confirmant beneficia de iurepatronatus indignis et nullo praevio examine; quo fit, ut laici fructus beneficiorum sibi usurpent subintroductis rectoribus larvatis. Visitant certum numerum ecclesiarum negligenter ⟨et inutiliter, etiam⟩ [m] per substitutos pannosos, viles et non bonos. Quare videretur hoc munus ab eis auferendum, vel quod non visitarent, nisi ab ordinario approbati, ⟨et ordinario⟩ [n] liceat vel [o] per se vel per alios a se deputatos revisitare ea loca, quoties videbitur expedire, semota appellatione. Quando autem ipsi inferiores visitaverint, teneantur [p] finita visitatione acta et testium depositiones in scriptis ordinario praesentare, ut criminosos pro arbitrio puniat [10].

[a] *M* monialibus [b] *M* ordinariis [c] *V sint* [d] *C* speciala et [e] *C* dispensentur [f] *VC ponunt post verbum* probatis [g] *V* ac [h] *MC om.* [i] *M* ut [k] *V om.* [l] *C* usurpant [m] *C* sic etiam inutiliter; *V om.* etiam [n] *MC* Quibus ordinariis [o] *V om.* [p] *MC* ordinetur, quod... praesentent

ecclesias, vel quod habeant consensum cleri aut etiam vigore indultorum, quae aut non habent aut sunt surreptitia, aut si vera sunt, essent omnino revocanda, cum hinc christianae reipublicae magnum damnum ac deformitatis occasio inferatur. Unde summo studio a quibuscumque praelatis quotidie efflagitatur, ut his omnibus sancta synodus remedium afferat.

[1] Glossa ad primum et secundum: *Legati vocatis generalibus et praelatis studeant concordare controversias huiusmodi et maxime iuxta bullam Leonis X in concilio Lateranensi sess. XI.* Quam invenis apud *Mansi* XXXII 970 sqq.

[2] Glossa ad tertium: *Fuit provisum sub Paulo III sess. VI can. 3.* Vide *Conc. Trid.* V 803 l. 41 sqq.

[3] Glossa ad quartum: *Placet.*

[4] Glossa ad quintum: *Provisum fuit sess. III sub Iulio III.*

[5] Glossa ad sextum: *In articulis transmissis cap. 66 in ultima parte idem petitum fuit, et rescriptum, quod provideat concilium, prout sibi videbitur.* Vide *Šusta* II 119.

[6] Glossa ad septimum: *Videtur sufficere, quod ordinentur per eorum superiores, et non promoveantur, nisi constito ordinariis de examine et approbatione superiorum eorundem.*

[7] Glossa ad octavum: *Placet, quod monasteria habentia conventus actu occurrente occasione dentur in titulum.*

[8] Glossa ad primum: *In transmissis alias cap. 2 fuit idem fere petitum et responsum, quod concilium iam providit sub Paulo III, et si quid aliud providendum sit, provideat, habita, si videbitur, consideratione exemptionum a fundatione et dotatione et a tempore immemorabili.* Cfr. *Šusta* II 114 et *Conc. Trid.* V 998 l. 20 sqq.

[9] Glossa ad secundum: *Cum tractetur de tollendo iure tertii, non videtur facile rescribendum, sed per Stem Suam committetur causa ad instantiam habentium interesse, prout de iure, et summarie.*

[10] Glossa ad tertium: *Ad haec omnia ut ad proximum* [*adn. praecedenti*], *cum nemini ius suum auferendum videatur, praesertim si ex fundatione et dotatione vel ab immemorabili tempore illud eis competat. Posset*

4. Item dicunt, quaedam capitula ecclesiarum habere collationem beneficiorum curatorum et non curatorum, ad quae seipsos per gyrum praesentant, quod scandalosum est [1].

5. Item petunt, ut ecclesiae quomodolibet incorporatae mensis capitularibus aut episcopalibus vel [a] aliis locis piis [b] habeant perpetuos vicarios, taxata congrua portione arbitrio ordinarii [2].

6. Item petunt, quod tollantur dispensationes ad incompatibilia, et qui nunc praetextu earum aut unionis vel [a] commendae plura | curata habent, cogantur, uno retento reliqua [c] 386v
intra certum tempus resignare [3].

7. Et quod prohibeantur canonicatibus et praebendis uniri beneficia [d] curata [4]

8. Et quod non fiant uniones personales ad vitam nullo commodo ecclesiarum [5]

9. Et quod capitulum *De multa* [6] intelligi debeat, quando beneficia sunt [e] infra unam dietam posita, et quod personae dignae sunt [e] ac tales, quae utrique ecclesiae possint prodesse [7].

10. Item petunt, ne quis [f] parochus a sua discedat ecclesia sine episcopi licentia, etiam praetextu studii, quo saepe abutuntur in detrimentum officii et ⟨animarum suarum⟩ [g] [8].

11. Item petunt, quod parochiani solventes decimas parocho non compellantur ad fabricam capellarum et ad alia pertinentia ad ornamentum altaris etc. Sed onus hoc incumbat parocho, qui decimas et reditus beneficii percipit [9].

12. Item queruntur alii, quod capitula canonicorum eligant canonicos et capellanos sine praelato, quod laedit auctoritatem ordinarii, petuntque id abrogari vel alternis mensibus [h] electiones dividi inter praelatum et capitulum [10].

13. ⟨Item aliud est, et valde absurdum, quod scilicet multi clerici titulum alicuius beneficii recipiunt, ut dicitur, in confidentiam, cum fructus laicis assignentur in maximum detrimentum ecclesiarum et animarum, quae non curantur.⟩ [i] [11] |

V. Impedimenta a curia [k]. 387r

1. Primo tollantur omnes exemptiones clericorum, ne sic eludant iurisdictionem ordinarii, sed subsint, ut debent. Ita quod nec vigore Eugenianae [12] se tueantur, quominus non [l] resideant, aut coram ordinario litigent. Privilegia enim accolitorum et familiarium cardinalium extra curiam degentium, et comites palatini cum suis facultatibus multum turbant ordinarios. Ideo omnia supprimenda, tollendaque essent expectativae, reservae, regressus, reservationes [m] in pectore etc. [13]

[a] *MC* aut [b] *C om.* [c] *M* alia; *C om.* [d] *VC om.* [e] *M* sint [f] *V om.* [g] *MC* animae ipsorum [h] *MC add.* has [i] *Sic C et M; V habet formam breviorem:* Item absurdum est, quod multi recipiunt beneficia in confidentiam, et saepe dant fructus laicis cum magno scandalo. [k] *V ante hanc inscriptionem aliam habet ampliorem:* Impedimenta residentiae a curia. De disciplina ecclesiastica restituenda. Privilegia, quae petuntur pro faciliori residentia cum responsionibus S^mi D. N. papae. [l] *V om.* [m] *VC* retentiones

tamen concilium, si ei videbitur, providere, quod negligentibus ipsis inferioribus praelatis visitare et corrigere, infra aliquot menses ius huiusmodi devolvatur ad episcopum, prout statutum fuit circa regulares in praeterita sessione. Cfr. sess. XXI can. 8, *Conc. Trid.* VIII 703 l. 32 sqq.

[1] Glossa ad quartum: *Ut supra, et provideatur, prout iuris fuerit.*

[2] Glossa ad quintum: *Provisum fuit sub Paulo III sess. VII can. 7.* Cfr. *Conc. Trid.* V 998.

[3] Glossa ad sextum: *In transmissis n. 91 idem fere petitum fuit et rescriptum, quod pertinet ad S. D. N. et quod providebitur opportune, prout iam incepit providere cessando ab huiusmodi dispensationibus, quas concilium Lateranense sedis apostolicae providentiae commisit.* Cfr. *Šusta* II 120.

[4] Glossa ad septimum: *Placet nisi ex causa, et quando essent adeo vicina, ut canonici illa commode visitare et curare possint.*

[5] Glossa ad octavum: *Placet, et iam diu recesserunt ab aula.*

[6] C. 28 X de praeb. III 5, *Friedberg* II 477 sq.

[7] Glossa ad nonum: *Ad hoc vide ad sextum, et a pluribus annis citra servatum fuit, ut petitur.*

[8] Glossa ad decimum: *Placet nisi in casibus a iure permissis, in quibus si fraudem commiserint, per ordinarium provideri et puniri possint.*

[9] Glossa ad undecimum: *Placet, dummodo decimae et alii redditus sufficiant parocho et aliis impensis huiusmodi.*

[10] Glossa ad duodecimum: *Serventur fundationes et possessiones immemorabiles quae habent vim tituli, ne cuique ius suum auferatur.*

[11] Glossa ad decimumtertium: *In iam transmissis cap. 1 rescriptum, quod provisio fiet Romae, prout iam in consistorio facta fuit.* Cfr. *Šusta* II 113 et quoad provisiones in confidentiam *Conc. Trid.* VIII 272.

[12] Cfr. c. 3 *Divina* Extravag. com. V 7, *Friedberg* II 1300 sq., data 8. Martii 1432. De exemptionibus, quas Eugenius IV congregationi S. Iustinae aliisque religiosis concessit, vide *A. Hüfner,* Das Rechtsinstitut der klösterlichen Exemtion in der abendländischen Kirche (Mainz 1907) 105 sq.

[13] Glossa ad primum. *Sub Paulo sess. VI [cap. 2] statutum fuit, quod ordinarius non obstante exemptione cogat clericos ad residendum. Et quoad reservationes, regressus etc. in transmissis cap. 88 idem petitum, et rescriptum quod ad S^mum pertinet, et per S^tem Suam providebitur opportune.* Vide *Šusta* II 120 et *Conc. Trid.* V 803.

2. Item illud petitur, ut non liceat illi, qui sit inferior ordinario, ea exercere, quae ad episcopum pertinent, ut praesentationes admittere, iudicia exercere etc. [1]

3. Item quod appellationes ab episcopo ad metropolitanum vel nuntium apostolicum non permittantur, nisi a definitiva vel [a] interlocutoria vim definitivae habente, et interim omnes inhibitiones ordinarii vel nuntii etc. sint nullae. Et idem iuris sit [b] in appellationibus a sen-
387v tentiis correctionis | interpositis ordine iuris non servato [2].

4. Item cum ordinariis nuntii apostolici non concurrant in mensibus illis reservatis [3].

5. Item non committantur causae inferioribus iudicibus, sed metropolitano aut episcopo viciniori [4].

6. Item in regno Neapolitano non committantur causae contra episcopos sive eorum vicarios propter facilitatem testium corruptorum, sed cognoscantur Romae vel in loco vicino, non tamen a iudicibus per partem affectatis [5].

7. Item praesides provinciarum etiam in terris ecclesiae non intromittant se in causis ecclesiasticis et in personis clericorum [6].

8. Item non impediant provisiones possessionum beneficii collati ab ordinario [7].

9. Item vicelegati et nuntii non dispensent cum indignis ab ordinario repulsis, ut a quocumque possint promoveri [8].

10. Item in dispensationibus de promovendo non apponatur clausula « etiam sine licentia ordinarii » [9].

11. Item episcopi non citentur in curiam Romanam nisi pro gravissimis causis et a S^mo^ D. N. [c] [10]

388r 12. Item spolia decedentium in residentia | non applicentur camerae apostolicae, sed reserventur ecclesiae et successori vel in usus pauperum, prout melius expedire videbitur [11].

13. Item petunt Lusitani, quod vigore literarum cameralium non detur possessio, seu sequestrentur fructus beneficiorum, ad quos percipiendos ipsimet impetrantes constituantur [d] procuratores [12].

14. Item petunt, quod non derogetur regulae viginti dierum de infirmis resignantibus, et quod statuatur, talem resignationem fieri debere in manibus ordinarii, ⟨alioqui nullius sit valoris.⟩ [e] [13]

[a] *M add.* ab [b] *V om* [c] *MC add.* papa [d] *V* constituunt [e] *V om*

[1] Glossa ad secundum: *Sub Iulio III sess. IV cap. ultimo decretum fuit, patronum habentem privilegium praesentandi cuiuscumque non posse praesentare nisi coram ordinario.* Vide sess. XIV c. 13.

[2] Glossa ad tertium: *In transmissis cap. 12 idem petitum quoad primam partem, et rescriptum placet. In secunda parte provisum fuit sub Iulio sess. III can. 1 et generaliter quoad omnia per S^mum^ D. N. in bulla edita in favorem praelatorum residentium.* Cfr. *Šusta* II 114 et sess. XIII cap 1; bulla allegata invenitur *Conc. Trid.* VIII 67 sqq.

[3] Glossa ad quartum: *Placet, quod non impediant ordinarios in suis mensibus et in beneficiis ad eorum collationem spectantibus.*

[4] Glossa ad quintum: *Istud esset percutere ordinem iuris et nimis onerosum partibus. Ideo melius foret, quod ordinarii mitterent ad curiam notam personarum idonearum suarum dioecesium, quibus causae permitti possent, et illa observarentur.*

[5] Glossa ad sextum: *Provisum fuit quoad causas criminales sub Iulio sess. III cap. 7* (nunc sess. XIII c. 7).

[6] Glossa ad septimum: *Placet.*

[7] Glossa ad octavum: *Placet in mensibus ipsis ordinariis concessis.*

[8] Glossa ad nonum: *Sub Paulo sess. VII can. 11 fuerunt sublatae facultates de promovendo a quocumque sub modis et formis ibidem expressis et generaliter per S^mum^ D. N. in reformatione poenitentiariae, et ita servatur etiam in signatura S^tis^ Suae.* Cfr. *Conc. Trid.* V 998 et supra p. 266 et p. 295; praeterea *E. Göller*, Die päpstl. Pönitentiarie II 1 (Rom 1911) et quae in periodico: Röm. Quartalschrift 42 (1934) 325 sqq. hac de re exposuimus.

[9] Glossa ad decimum: *Placet, et fuit provisum ut supra ad proximum.*

[10] Glossa ad undecimum: *Provisum est sub Iulio sess. IV can. 1* (re vera sess. XIII c. 6) *et per S^mum^ D. N. in dicta bulla in favorem residentium.* Cfr. supra adn. 2.

[11] Glossa ad duodecimum: *Reservatio spoliorum est antiquissima, ut per Ro*[*tam*] *decis. 856* [sequuntur verba, quae legi non possunt]; *Io. And*[*reae*] *in Clem. prima § Praemissa in verbo revocare de suppl. negl. prel., et decisio concilii Constantiensis sess. XXXIX, quae videtur esse in contrarium, non fuit approbata per Martinum. Tamen S^tas^ S., ad quam spectat, taliter providebit, quod nemo conqueri poterit.* Quoad decretum concilii Constantiensis cfr. *Hefele* VII 323 sq.

[12] Glossa ad decimumtertium: *Placet, et iam fuit provisum per reformationem camerae apostolicae, qua litterae camerales huiusmodi sublatae fuerunt.* Bullas reformationis cam. ap. vide *Bull. Rom.* VII 79 sq. 207 sq.

[13] Glossa ad decimumquartum: *Non derogatur regulae dierum 20 nisi ultra montes, ita quod nulli fit praeiudicium, et mirum est, quod Lusitani de hoc querantur, cum sint adeo remoti. Placet tamen, quod nuntiis vel legatis non detur facultas derogandi dictae regulae. Quae vero ad secundam partem* [*attinent*], *indecens est, S^tem^ Suam non posse admittere resignationes, cum ad eam potissimum spectet instituere et destituere.* De regula supra nominata cfr. *Conc. Trid.* IV 528 adn. 3.

15. Item petunt, quod non derogetur regulae de verisimili notitia obitus, et quod data apponatur in die concessionis S[tis] Suae, ne perturbetur ius alteri [a] quaesitum [1].

16. Item petunt, quod nulla sit regula, qua litigantes possint subrogari iuri adversariorum collitigantium per eorum obitum [2].

17. Item petunt, quod de regulis cancellariae, quae a pontificibus renovantur, eligantur rationabiliores, et fiant perpetuae absque variatione, quae vero emanant ad commodum alicuius privati [b], nullas habeant vires [3]. |

18. Item dicunt opportunum fore ad lites extirpandas, si certo stabiliretur, de quibus 388v ⟨beneficiis pontifex summus, et de quibus⟩ [c] ordinarii providere deberent, quocumque tempore vacent [4].

19. Item petunt, quod non dispensetur cum aliquo, ut [d] habeat duas praebendas in diversis ecclesiis cathedralibus, et quod nullus residens in ecclesia cathedrali cum sufficienti praebenda obtineat aliud beneficium curatum [5].

20. Item quod archipresbyteratus et curae animarum, quae a S[te] Sua conferuntur, dentur personis aptis ad residentiam; alias per ordinarium provideatur [6].

21. Item petunt [e], quod iudicibus apostolicis et aliis, coram quibus pendent appellationes, praefigatur terminus, infra quem teneantur expedire causas appellationum; alias censeatur elapso termino sententia lata ab ordinario transisse in rem iudicatam [7].

22. Item petunt, quod, quando reus post citationem est rebellis et contumax nec vult litem contestari, sed differt, interim forte expectans aliquod rescriptum, iudex ecclesiasticus ex officio eam possit contestari per negationem, | et sic procedere ad ulteriora, quod etiam 389r observatur in iudicio saeculari in regno Lusitaniae [8].

23. Item petunt, quod in causis civilibus modici valoris tollantur omnino appellationes [9].

24. Item [f] notariis, qui [g] multi sunt in Lusitania imperiti et fomentum praebent litibus ob imperitiam eorum, abrogetur fides ab ordinario, et suspendantur ab officio, ⟨quacumque auctoritate sint⟩ [h] instituti [10].

25. Item petunt Hispani, ut tollantur exemptiones monasteriorum et prioratuum curam animarum habentium, sed [i] quoad hoc ordinario subiciantur, quod intelligatur [k] de omnibus parochiis incorporatis quibuscumque monasteriis et collegiis et ordinibus militaribus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani [11].

[a] *MC add.* iam [b] *C* principis [c] *V om* [d] *MC* quod [e] *V* putant [f] *M. add.* quod [g] *M om.* sint [h] *MC* etiam quacumque sint facultate [i] *MC* sed [k] *M* intelligitur

[1] Glossa ad decimumquintum: *Placet de prima parte, et ita servatur. Quo vero ad datas: fuit inventum pro commoditate partium et multitudine negotiorum, et exinde nemini fit praeiudicium.*

[2] Glossa ad decimumsextum: *Regula de subrogandis est antiqua, pia et favorabilis et tendit ad amputandas lites, maxime quia signatura non intendat subrogationem nisi cum clausula « quatenus sit vera lis et non conficta », et nisi in favorem illius, qui saltem obtinuerit sententiam pro se aut si posset, quibus casibus cessat suspicio calumniae.*

[3] Glossa ad decimumseptimum: *Regulae communiter confirmantur, tamen secundum qualitatem temporum non inconvenit, quod statuta varientur humana. Placet tamen secunda pars, quod non fiant ob commodum privatum. Sed hoc relinquendum est providentiae S[tis] Suae.*

[4] Glossa ad duodevigesimum: *Si magis placet dividi beneficia quoad menses, videretur sufficere, quod ordinarii conferrent parochiales ecclesias, ut haberent coadiutores sibi gratos in cura animarum, in qua versatur praeiudicium; reliqua vero beneficia remanerent collationi apostolicae; vel nihil innovaretur, et ordinarii essent contenti alternativa iuxta bullam S[tis] Suae in favorem residentium edita et studeant providere personis dignis, prout studebit S[tas] S.*

[5] Glossa ad undevigesimum: *Non videtur alteranda dispositio canonum et conciliorum antiquorum; tamen ut in transmissis cap. 81 rescriptum fuit, hoc pertinet ad pontificem, et providebitur opportune.* Cfr. *Šusta* II 120 (est cap. 91).

[6] Glossa ad vigesimum: *In transmissis capitibus idem rescriptum et cap. 22 responsum fuit, quod servetur ius commune et decreta concilii Tridentini sess. VII can. 3 incip. Inferiora sub Paulo.* Cfr. *Šusta* II 115 et *Conc. Trid.* V 997.

[7] Glossa ad vigesimumprimum: *Non videtur recedendum a dispositione iuris communis, cum vix certa regula dari possit pro causarum varietate.*

[8] Glossa ad vigesimumsecundum: *Litis contestatio in causis spiritualibus non est necessaria nec minus in criminalibus, quominus iudex possit procedere contra contumacem saltem ad poenas constitutas in monito. Ideo non videtur recedendum a iure communi, sed propter diversitatem regnorum et iudiciorum posset quilibet episcopus in sua curia facere statuta et etiam mittere ad S[tem] Suam, quae illa benigne confirmabit.*

[9] Glossa ad vigesimumtertium: *Placet, et si videbitur, possit taxari summa usque ad decem, prout servatur in curia.*

[10] Glossa ad vigesimumquartum: *Placet, quod notarii examinentur ab ordinariis, et imperiti ab exercitio suspendantur.*

[11] Glossa ad vigesimumquintum: *Placet, quod ordinarii possint visitare omnia beneficia curata et unita, prout sub Paulo III sess. VII can. 7.* Vide *Conc. Trid.* V 998. Canon allegatus etiam beneficia cathedralibus et collegiatis unita respicit.

26. Item petunt Hispani [a], ut parochiae annexae monasteriis ⟨non reformatis⟩ [b] seiungantur et in libertatem restituantur, et similiter illae, quae sunt ⟨coniunctae maioricatibus aut confictis hospitalibus.⟩ [c]. In his vero [d], quae sunt monasteriis reformatis annexae, instituant ordinarii vicarios perpetuos congrua portione taxata [1].

389v 27. Item petunt Hispani ad tollendas lites, quod nullus | provisus etiam ⟨a sede apostolica⟩ [e] possit capere possessionem beneficii nisi auctoritate ordinarii vel vicinioris episcopi, si ordinarius fuerit manifeste suspectus; alias possessio nulla sit, et etiam manu armata capta [2].

28. Item petunt praedicti Hispani, quod in resignationibus non acceptetur persona provisa, nisi illa fuerit testimonio ordinarii probata; quod etiam petunt extendi ad provisiones iurispatronatus, nam patroni saepe malignos praesentant, qui ab ordinariis reiecti, a nuntiis apostolicis vel in curia Romana admittuntur [3].

29. Item petitur, quod ob crimen singularis personae non interdicatur ecclesia, sed tantum locus, ubi criminosus fuerit [f] [4].

30. Item petitur, quod non concedantur confessionalia tam ampla in detrimentum animarum et iurisdictionis ordinarii, et ut concessa revocentur [5].

VI. De disciplina ecclesiastica restituenda

1. Dignitates in cathedralibus et parochi in suis curis ⟨exerceant personaliter sua munera⟩ [g], et minus [h] idoneis dentur coadiutores ab ordinariis [6]. |

390r 2. Item pro regimine animarum et cura possit ordinarius, quando illi expedire videbitur, aliquem e religione assumere [7].

3. Item renovetur decretum alias in concilio Tridentino sancitum [8], ut scilicet praebenda cum effectu assignetur pro lectore, qui in cathedralibus sacram doceat scripturam, ita ut executioni mandetur absque litigio [9].

4. Item necessarium fore videtur, ut in unaquaque civitate seminarium clericorum instituatur, quibus ab ecclesia de victu, expensis et magistris provideatur, ita ut plantae dignae vinea Domini succrescant [i]; nec forte esset [k] incongruum huic muneri aliqua monasteria cum redditibus applicare quorundam religiosorum, qui ita scandalose et deformate vivunt, ut fidelibus nedum minime [l] prosint, sed maxime ⟨in pietate⟩ [m] officiant [10].

5. Hac provisione praecipue indigent ecclesiae, ⟨quae Turcis sunt contiguae, in quorum dominio multi sunt⟩ [n] christiani adhuc catholice viventes, qui tamen sacerdotibus carent,

390v ut norunt omnes Dalmatae et praecipue Antibarensis, in | cuius dioecesi est abbatia [o] Sanctae Mariae de Rotaceo [p] [11], quam tenet Rev[mus] Pisanus, valoris centum quinquaginta; quae huic operi tam [q] necessario posset applicari et in ea nutriri clerici illarum regionum, quae non habent sacerdotes, ut illis postmodum sacra impartirentur [12].

6. Item renovandus esset canon concilii Nicaeni de subintroductis mulieribus [13], ut infamia, qua clerus passim ubique laborat, tollatur; nomine enim ancillarum retinent penes

[a] *M om.* [b] *M* deformatis; *C* formatis [c] *V* coniunctim contrariis hospitalium, *quae verba carent sensu. C* coniunctae maioricatibus aut confictis hospitalium. *Nos M secuti sumus, corrigentes lectionem* maioritatibus *in* maioricatibus, [d] *M* iis autem; *C* His [e] *MC* auctoritate sedis apostolicae [f] *M* interfuerit [g] *MC* in persona sua exerceant munera [h] *MC* non [i] *V falso* subscrescantur; *C* subscrescant [k] *C* esse [l] *MC om.* [m] *V falso* et [n] *V* Turcis contiguae, ubi sunt multi [o] *MC add.* sub titulo [p] *M* Rotuzzo; *C* Rotacco [q] *MC add.* sancto et

[1] Glossa ad vigesimumsextum: *Ut supra ad proximum.*

[2] Glossa ad vigesimumseptimum. *Non videtur conveniens, quod ordinarii per indirectum se intromittant in beneficiis reservatis, sed hoc munus relinquatur executoribus apostolicis in litteris deputatis.*

[3] Glossa ad duodetricesimum: *Possent ordinarii constito de inhabilitate provisorum certiorare* [!] *pontificem, qui provisionem suam* [!] *cassabit. Ulterius cogitat S[tas] S. restituere provisiones parochialium in forma « dignum », prout antiquitus servabatur, et sic cessabit omnis querela. Ideo remittatur ad S[tem] Suam.*

[4] Glossa ad undetricesimum: *Placet, quod non interdicatur ecclesia, nisi quamdiu excommunicatus in loco illo moram traxerit.*

[5] Glossa ad tricesimum: *S[tas] S. iam moderata est valde formam confessionalium et in futurum magis moderabitur, et ideo relinquatur providentiae S[tis] Suae.*

[6] Glossa ad primum: *Primae parti provisum est sub Paulo sess. VI can. 2; secundae parti de coadiutoribus dandis non idoneis provisum per decreta nuper formata et tradita patribus.* Cfr. *Conc. Trid.* V 504; VIII 702.

[7] Glossa ad secundum: *Licet aliqui doctores teneant hoc ordinariis licitum, tamen non videtur passim concedendum nisi de consensu superioris monasterii vel ordinis.*

[8] Sess. V, *Conc. Trid.* V 241 sq.

[9] Glossa ad tertium: *Placet, quod mandetur executioni una cum aliis decretis.*

[10] Glossa ad quartum: *Concilium provideat cum minori praeiudicio, quod sit possibile.*

[11] Abbatia S. Mariae de Rotatio O. S. B., cfr. *Döllinger*, Beiträge II 32.

[12] Glossa ad quintum: *Ut ad proximum.*

[13] Can. 3, *F. Lauchert*, Die Kanones der altkirchlichen Konzilien 37 sq.

se mulierculas vitae inhonestae aut saltem suspectae cum scandalo. Quare contra huiusmodi concubinarios poenae antiquae et canones renovandi [1].

7. Item renoventur canones et iura prohibentia, et de novo prohibeatur, quod pater et filius sub eodem tecto non possint beneficia obtinere [2].

8. Item renoventur canones antiqui de bonis ecclesiasticis pauperibus distribuendis [a] [3].

9. Item revocentur [b] alienationes bonorum ecclesiasticorum factae in fraudem ecclesiae. De cetero prohibeantur ⟨fieri etiam cum consensu capituli⟩ [c]; nam mutuo statuunt [d] saepe episcopus et canonici, faciuntque locationes in grave praeiudicium ecclesiae concubinis vel filiis seu nepotibus ⟨et eiuscemodi contagiosis de domibus, agris et caeteris bonis ecclesiasticis; hicque magna adhibeatur diligentia propter frequentes fraudes.⟩ [e] [4]

10. Item ordinetur ad conservandum Dei cultum, | ut, qui in ecclesia officium divinum 391r
in choro recitant, aliud officium dicere non possint quam id, quo utuntur in choro; recitando enim novum ita a veteri desuescunt, ut in choro illo uti non valeant [5].

11. Item sacerdotes nullo modo ordinentur minores annis viginti quinque [6].

12. Item de confessoribus fiat decretum super aetate et peritia, nec [f] sacerdotes possint alios sacerdotes in confessionibus audire, nisi qui ab ordinariis fuerint deputati [7].

13. Item poenae graves renoventur et statuantur contra confessores sollicitantes filias spirituales aut aliquid indecorum aut scandalosum in confessione admittentes [8].

14. Item prohibeatur, ne celebrentur missae et sacramenta in domibus prophanis, nisi ex magna causa [9].

15. Item si plura fuerint beneficia curata unita [g] hospitalibus fictis potius quam veris, tales uniones irritentur vel cogantur per ordinarium ad exercenda pietatis opera [10].

16. Item providendum, quod hospitalia collapsa restituantur [11]. |

17. Item eadem ecclesia idemque beneficium non dividatur, ut habeat rectorem et 391v
capellanum, sed idem sit rector et capellanus, nam saepe, ⟨si duo sint⟩ [h], pugnant inter se, ⟨et rector curam non curat.⟩ [h] [12]

18. Item providendum [i], quod concilia provincialia frequententur [13].

19. Item, quod metropolitani, cum visitant suffraganeos, id per se aut per aliquem ex suffraganeis faciant tantum, et alimentis sint contenti, et id tertio quoque anno faciant [14].

20. Item tollendus est abusus, quo in aliquibus locis metropolitani utuntur, qui solent suffraganeos ad se vocare sub nomine obedientiae satis importune; hoc fieri non deberet, nisi occasione concilii provincialis indicti legitime et tempore congruo [15].

21. Item petunt aliqui provideri, quod suffraganei a metropolitanis se non eximant [16].

22. ⟨Item queritur Assaphensis [17] nomine aliorum episcoporum Angliae, quod metropolitanus aut nuntius aliquam causam alicui presbytero subdelegant, qui quamvis privatus examinat ordinarium in sua ecclesia stantem ante illum presbyterum sedentem, quod sane indignum ordini episcopali videtur.⟩ [k] [18] |

[a] *V om. et postea add. in calce.* [b] *V falso* renoventur [c] *MC* etiam quod fiant cum consensu et confirmatione capituli [d] *C* scabiunt [e] *V om.* [f] *V* ne [g] *C* iuncta [h] *V om.* [i] *M add.* est
[k] *Apud M et C articulus hanc habet formam*: Item queritur Assaphensis etiam nomine aliorum episcoporum in Anglia de abusu in ea provincia alias inducto, quod scilicet, cum metropolitanus aut nuntius alicui presbytero aliquam cognitionem subdelegaret, talis subdelegatus quantumvis privatus examinat ordinarium in sua ecclesia stantem ante illum presbyterum sedentem, quod sane indignum ordini episcopali videtur.

[1] Glossa ad sextum: *Placet.*

[2] Glossa ad septimum: *Placet quoad illegitimos.*

[3] Glossa ad octavum: *Provideat concilium.*

[4] Glossa ad nonum: *Placet, quod serventur et innoventur constitutiones antiquae et praesertim Pauli II.* Vide supra p. 540 adn. 7.

[5] Glossa ad decimum: *Provideat concilium.*

[6] Glossa ad undecimum: *Placet, et ita provisum fuit per S[tem] Suam in reformatione poenitentiariae.*

[7] Glossa ad duodecimum: *In transmissis n. 77 idem petitum et rescriptum: Placet.* Est n. 72, *Šusta* II 119.

[8] Glossa ad decimumtertium: *Placet.*

[9] Glossa ad decimumquartum: *In transmissis n. 10 petitum, quod altare portatile non ita passim concedatur. Rescriptum, quod non concedetur.* Vide *Šusta* II 114.

[10] Glossa ad decimumquintum: *Videtur provisum sub Paulo III sess. VII can. ultimo.* Vide *Conc. Trid.* V 999 (c. 15).

[11] Glossa ad decimumsextum· *Placet, et videtur provisum in dicto canone ultimo sess. VII.*

[12] Glossa ad decimumseptimum: *Servetur concilium Turonense in c. Maioribus de praebendis* [*III* 5]. Cfr. *Friedberg* II 466.

[13] Glossa ad duodevigesimum: *In transmissis n. 14 idem petitum* [*et*] *rescriptum Placet.* Vide *Šusta* II 114.

[14] Glossa ad undevigesimum: *Provideat concilium.*

[15] Glossa ad vigesimum: *Placet.*

[16] Glossa ad vigesimumprimum: *Hoc non consuevit fieri per sedem apostolicam nisi ex magna causa, utpote propter diversitatem dominiorum temporalium inter se inimicorum vel alia simili. Ideo videtur relinquendum providentiae apostolicae.*

[17] Thomas Goldvellus, qui 15. Iunii 1561 Tridentum advenerat. *Conc. Trid.* III 1, 10.

[18] Glossa ad vigesimum secundum et tertium: *Provideat concilium.*

392r 23. Item praecipue illud [a] corrigendum, quod tollantur scandala et occasiones peccandi turpissime ⟨apud fratres conventuales,⟩ [b] dum puerulos vestiunt, ex quibus ea sequuntur, quae silentio expedit obtegere.

24. Item providendum, ne adolescentulos 16 aut 18 annorum ad sacerdotium promoveant [1].

25. Item, ne prope monasteria monialium habitent nec earum curam habeant, ad facinora faedissima cavenda, quae cum hodie sint notoria et ob hoc multis e civitatibus [c] vi expulsi sint, forte melius et hoc sacrosancto concilio dignum illos extinguere, prout alias a delectis illis cardinalibus Paulo III pontifici maximo suggestum in consilio illo fuit, quod est impressum [2].

26. Item providendum, quod utinam fiat, ut litium immortalitas et anfractus, quibus hodie fora ecclesiastica referta sunt, tollantur [3].

27. Item ex parte populi restituenda esset disciplina, et primo, ut ieiunia stabilirentur sub
392v aliqua poena, et ordinariis concederetur facultas posse dispensare | cum populis suis in delectu ciborum, ut conceditur per confessionalia. Feriae quoque ad aliquem certum modum et formam [d] reducantur, ut populi alacriores ad exercendam pietatem reddantur [4].

28. Item providendum, ne spectacula in urbibus, nundinae et eiusmodi quaestus festis diebus exerceantur [5].

29. ⟨Item, quod magistratus laici sine licentia ordinarii non dispensent operarios, ut festivis diebus opera exerceant.⟩ [e]

30. Item considerandum, an expediret, ut in villis psalmi aut orationes aliquae materno idiomate canerentur, ut illi intelligentes magis ad devotionem allicerentur [6].

31. Item usus clavium revocandus videretur, ut publice criminosi et impuri ab ecclesia arcerentur, donec resipiscerent [7].

32. Item paenitentiae publicae, quantum fieri posset, revocandae, ut, qui publice deliquerunt, aliqua ratione publice paenitentes ab ecclesia reciperentur [8].

33. Item, ut populus pastoris sui vocem agnoscat et vultum, curandum esset, ut festis
393r diebus suas adiret parochias, ibique | missam et verbum Dei audiret; et ob hoc forte bonum esset, ut his diebus sacrum nisi solemne in ecclesiis collegiatis non celebretur [f] [9].

34. Item providendum, ne mortuo pastore ecclesia a populo vel laicis invadatur, qui sub praetextu illam defendendi bona illius diripiunt et magna seminant scandala, ut saepe in ruralibus ecclesiis fieri videmus [10].

VII. Privilegia, quae petuntur, ut facilius resideant ordinarii in salutem animarum.

1. Primo, ut ipsi ordinarii provideant de dignitatibus et canonicatibus ⟨in eorum cathedralibus, cum vacaverint⟩ [g], etsic de capellis servientium in ecclesia et de omnibus beneficiis curatis; quae omnia, si etiam fuerint de iurepatronatus, nihilominus ab episcopo instituantur. Confirmatio autem et literarum expeditio in iis, in quibus consuetum est, fieri posset a summo pontifice, et haec, ut benemeritis et servientibus provideri [h] possit [11].

[a] *MC add.* animadvertendum et [b] *MC* quae apud fratres conventuales reperiuntur. [c] *V* civibus [d] *MC* normam [e] *M om.* [f] *M hoc loco alium inserit articulum:* Item providendum, ne plures missae simul in eadem ecclesia eodem tempore celebrarentur. [g] *M* qui in eorum cathedralibus vacaverint [h] *V* providere

[1] Glossa ad vigesimumquartum: *Provideat concilium, prout ei videbitur.*

[2] Glossa ad vigesimumquintum: *Placet de prima parte. Quo vero ad extinctionem non placet, cum apud eos maxime vigeat studium sacrarum litterarum; potius essent reformandi. Tamen provideat concilium, prout sibi videbitur.* Quoad «Consilium de emendanda ecclesia» vide *Conc. Trid.* XII 139 l. 27 sqq.

[3] Glossa ad vigesimumsextum: *Posset provideri, ut tollantur nullitates praeterquam iurisdictionis, citationis et mandati, et quod procederetur sola veritate inspecta.*

[4] Glossa ad vigesimumseptimum: *Satis videtur magna poena peccati mortalis, quamquam possit dispensari de consilio utriusque medici. Quoad ferias vero non praeceptas ab ecclesia concilium provideat, prout sibi videbitur.*

[5] Glossa ad duodetricesimum et sequentem: *Provideat concilium.*

[6] Glossa ad tricesimum: *Non videtur expedire, quod scriptura traducatur in linguam maternam, cum multos abusus et scandala pepererit in Germania et in aliis locis.*

[7] Glossa ad tricesimumprimum: *Provideat concilium, prout sibi videbitur.*

[8] Glossa ad tricesimumsecundum: *Provideat concilium.*

[9] Glossa ad tricesimumtertium: *Populus videtur communiter magis aedificari apud regulares quam apud saeculares. Ideo nihil videtur innovandum.*

[10] Glossa ad tricesimumquartum: *Placet, quod concilium provideat.*

[11] Glossa ad primum: *Fuit responsum supra circa impedimenta curiae cap. 28 quoad primam partem; quo vero ad beneficia iurepatronatus fuit provisum per concilium sub Iulio III can. 12 sess. IV* (hodie XIV). Glossam pontificis ad dictum articulum 28 vide supra p. 722 adn. 3.

2. Item decreto generalis concilii confirmentur privilegia, quae S[mus] D. N. residentibus per bullam suam concessit [1]. |

3. Item privilegia et exemptiones conserventur ecclesiis et personis ecclesiasticis, quibus 393v in praeterito usi sunt, licet postea iniuria temporum aut incuria scripturae et instrumenta perierint, nec possint exhiberi [2].

4. Item quartae et canonicae portiones, quae episcopis debentur, persolvantur a fratribus, quamvis alias negligentia vel absentia praelatorum fuerint intermissae.

5. Item petunt aliqui pauperes episcopi, quod, cum non possint habere penes se doctores in formandis processibus, ⟨propter quod nullitates non substantiales⟩ [a] saepe fiunt, quod his omnibus omissis sola veritas et substantia facti attendatur, ut etiam fit in iudiciis laicorum in tota ora Ianuensi [3].

6. Item petunt Hispani et alii etiam, quod residentibus in foro conscientiae concedatur absolutio casuum reservatorum sedi apostolicae, et ut in aliquibus irregularitatibus possint dispensare cum pauperibus et iis, qui contraxerunt in gradu prohibito, habentes tamen impedimentum occultum. Nam cum ii extra Italiam vel procul a curia degant, ad illam saepe ob indigentiam accedere non possunt. | Quare eiuscemodi illaqueatis esset succurrendum [4]. 394r

7. Item petunt Lusitani, quod in sacris constituti non censeantur irregularitatem incurrisse ob aliquam causam, nisi constet peccatum fuisse mortale [5].

8. Item petunt iidem Lusitani, ut detur facultas ordinariis assignandi moderatas pensiones ad sustentandum officiales necessarios in ecclesia, ut sint [b] lectores, praedicatores, visitatores, auditores, ⟨vicarii etc.⟩ [c] [6]

9. Item petunt, quod cum habeant ab antiquo parochias unitas mensae episcopali, quae habent vicarios perpetuos, ut possint illis de idoneis providere, vellent sibi facultatem concedi, ut possent illis providere, quandocumque vacaverint.

10. Item petunt iidem Lusitani, quod in singulis cathedralibus tertia pars [c] praebendarum detur peritis theologiae et iuris canonici, publica praecedente disputatione [7].

11. Item petit episcopus Assaphensis, quod, cum in Anglia sua ecclesia sita sit in loco infrequenti [d] et diruto, reducatur in parte celebriori et commodiori toti dioecesi suae, quod erit ⟨etiam cum⟩ [e] magna | populi satisfactione, si quando Dominus gratiam illis dederit, 394v ut a pastore catholico regantur [8].

110.

Petitiones Portugallenses

cum responsionibus papae [f] [9].

6. Augusti 1562 [g].

Romae Arch. Vat. *Concilio* 6 f. 328r-329r; cop. coaeva [= C]; Bibl. Vat. *Barb. lat.* 857 f. 59r-64r, cop. saec. XVII [= B], continens etiam responsiones papae, quae in C desiderantur. Quas vide in adnotationibus.

De s. inquisitionis officio (1-3); de provisione episcopatuum, dignitatum in ecclesiis cathedralibus, abbatiarum (4-6. 8); de synodis dioecesanis et provincialibus (7); de episcoporum facultate testandi (9); de censuris (10 et 11); de collatione ordinum minorum (13); de privilegiis nuntiorum apostolicorum, comitum palatinorum, notariorum (14-16); de pensionibus (17 et 18); de testamentis infirmorum (19); de translatione regularium ad alium ordinem (20).

1. Ut sacrosancta fides catholica in sua integritate illaesa perseveret nullisque pravis *Concilio 6* opinionibus et haeresibus labefactetur, provideat S[mus] D. N., ut in regum christianorum et f. 328r principum regnis et provinciis sanctum inquisitionis officium vigeat cum omnibus privilegiis, gratiis et indultis a iure constitutis et concessis, summaque brevitate exerceatur in his

[a] *V om.* [b] *C* sint [c] *VC om.* [d] *VC* frequenti [e] *VC* om. [f] *Ita B; C* Pro reformatione. [g] *B* 2 di Settembre 1562.

[1] Glossa ad secundum: *Indecens videtur, quod concilium confirmet gesta papae, sed potius e converso.*

[2] Glossa ad tertium et quartum: *Servetur ius commune.*

[3] Glossa ad quintum: *Fuit supra responsum.* Vide p. adn.

[4] Glossa ad sextum: *Fuit alias rescriptum, quod communicabuntur casus concessi religiosis per Mare magnum. Circa vero dispensationes nihil videtur innovandum.*

[5] Glossa ad septimum: *Provideat concilium.*

[6] Glossa ad octavum: *Servetur ius commune.*

[7] Glossa ad decimum: *Videtur satis provisum per concilium Tridentinum sub Paulo III de praebendis theologalibus et lectoribus in singulis ecclesiis constituendis.* Vide *Conc. Trid.* V 241 sq.

[8] Glossa ad undecimum: *Non negatur per sedem apostolicam cuilibet episcopo causa cognita.*

[9] Istae petitiones oratoris Lusitani die 6. Augusti 1562 legatis traditae (*Šusta* II 296) die 2. Septem-

praecipue provinciis et regnis, quae haereticorum regionibus sunt viciniora, et ubicunque tandem sancto officio opus fuerit[1].

2. Dignetur S^mus omnino denegare omnia indulta, rescripta, privilegia et quaecunque alia, quibus amplitudo et facultas sancti officii defraudari aut minui possit sua iurisdictione; inde enim quamplurima cum scandala auferentur tum maxima animarum incommoda sanctumque officium in sui rigoris executione nullatenus impediretur[2].

3. Ne sedis apostolicae nuntiis et legatis, quibuscunque regnis ⟨et provinciis⟩[a] mittantur, facultates ullae concedantur in his, quae ad sanctum officium spectant; ex eo namque multa in christiana republica incommoda sequuntur[3].

4. Nullus ad sacrum episcopatus ordinem assumatur nisi annorum triginta, omnibus qualitatibus a iure postulatis et necessariis affectus et doctor creatus in divino aut humano iure in approbata universitate, exceptis regum et principum filiis, fratribus et nepotibus, quibus si cetera adsint, sine doctoratus gradu ad episcopatum promoveri poterunt[4].

5. Nulli duo episcopatus conferantur, in beneficiis vero incompatibilibus plene servetur cap. *De multa*[5], nulloque modo dignetur S^mus super illo dispensare, ad habendaque duo incompatibilia secundum praefatum[b] capitulum rei cognitio ordinario committatur, qui, si iustae sint et rationi consentaneae dispensationis causae, pronuntiabit[6]. |

328v 6. Ne divinus cultus debito obsequio minuatur et defraudetur, nullus, cuiuscunque conditionis qualitatisve sit, habere possit duas dignitates in duabus ecclesiis cathedralibus[7].

7. Episcopi in sua dioecesi omni quinque annorum cursu peracto synodum congregent; metropolitani vero decem annorum spatio finito ad provinciale concilium suffraganeos episcopos convocent, nulloque modo super hoc dispensetur. Synodaticum vero in quacunque synodo iure solvendum, ne onus grave nimium impositum videatur, semel, quando primo episcopus synodum congregaverit, solvetur in obedientiae et subiectionis signum[8].

8. Dignetur S^mus nullo modo dispensare, ut cum episcopatu haberi possint monasteria[c], abbatiae, commendae aliaque beneficia animarum curam habentia[9].

9. Dignetur S^mus omnino denegare testandi facultatem episcopis, eorum videlicet, quae patrimonio ecclesiae acquisierunt. Et si ex illis haeredibus et posteris maioricatus aut quaecunque perpetua vincula constituant, nulla sint ipso iure et invalida, admoneatque sacrosancta synodus episcopos, ne ecclesiarum facultates et redditus prophane consumant, sesque illorum dispensatores meminerint[10].

10. Episcopi excommunicationis et aliarum censurarum ecclesiasticarum poenas in suis constitutionibus moderentur aliasque, quas ob levissimas causas, maxime furtorum parvi momenti, imponunt[11].

11. Dignetur sacrosanctum concilium moderari excommunicationes et irregularitates in extravagantibus positas, quae communiter ignorantur[12].

12. Placeat itidem sacrosanctae synodo, ut interdictum alicuius singularis personae causa impositum sit solum deambulatorium, ut dicitur, et non locale; post vero declaratoriam, antequam interdictum promulgetur, invocetur auxilium brachii saecularis[13]. |

[a] *B om.* [b] *B* praedictum [c] *B om.*

bris una cum responsionibus pontificis Tridentum sunt remissae (*ibid.* 350; cfr. etiam 320 et 346), ut ex data in codice B apposita simulque ex litteris card. Borromaei apparet (*la scrittura di riforma*). Erravit ergo *Šusta* (*ibid.* 297) putans illas « petitiones » ad res Anglicas se referre esseque easdem, quae registro communi in codice *Concilio 151* f. 123 insertae sunt. Si quaeras, cur Mascareñas in litteris suis ad regem missis petitionum mentionem non fecerit, animadvertas inter litteras eius die 20. Iulii 1562 datas (*Corpo dipl. Portuguez* X 4 sqq.) et illas 17. Augusti (*ibid.* 6 sqq.) verisimiliter lacunam scatere.

Petitiones omnes fere desumptae sunt ex instructione oratoris Lusitani supra n. 83, ad cuius articulos in adnotationibus lectorem reiiciemus.

[1] Responsio: *Placeat.* – Cum pet. 1-3 cfr. supra n. 83 I art. 6-9.

[2] Responsio: *Hoc minime fit, et ideo non oportet aliquid desuper statuere.*

[3] Responsio: *S^tas S. potius provideat sanctae inquisitioni de omni auxilio et favore, prout hactenus fecit.*

[4] Responsio: *Iam fuit provisum per concilium Tridentinum sub Paulo III* (sess. VII de ref. c. 1, *Conc. Trid.* V 997).

[5] Cfr. supra p. 533 adn. 1.

[6] Responsio: *Placet, et iam diu servatur.* – Cum pet. 5 et 6 cfr. supra n. 83 I art. 27.

[7] Responsio: *Placet.*

[8] Responsio: *Provideat concilium.* – Cfr. n. 83 I art. 29.

[9] Responsio: *Provideat concilium.* – Cfr. n. 83 I art. 30.

[10] Responsio: *Provideat concilium.* – Cfr. n. 83 I art. 35.

[11] Responsio: *S^tas S. provideat quoad excommunicationes, quae fiunt in curia; in aliis provideatur ab episcopis.* – Cum pet. 10 et 11 cfr. n. 83 I art. 41.

[12] Responsio: *Ex prima Extravaganti, et providebitur.* Quas censuras vide Extravag. Ioh. XXII tit. 13; Extravag. comm. lib. V tit. 10, *Friedberg* II 1218 sqq. 1309 sqq.

[13] Responsio: *Videtur honestum.* – Cfr. n. 83 I art. 42.

13. Siquidem multi ad quatuor minores promoventur, ut suorum criminum poenas illaesi evadant, dignetur S^{mus} praefatos quatuor gradus his solis concedi, qui eodem die aut sequenti ad sacrum subdiaconatus ordinem promovendi erunt, exceptis monachis, qui in suorum monasteriorum claustris degunt, et illis, qui ecclesiastico ministerio actualiter inserviunt ob id mercedem ab ecclesia recipientes [1]. 329r

14. Ut nuntii et sedis apostolicae legati, quocunque a S^{mo} mittantur, nullam potestatem habeant in his, quae spectant ad religiones et monasteria monachorum et monialium reformata [2].

15. Comitum Palatinorum facultates et privilegia placeat S^{mo} nulli concedere concessaque dignetur revocare ob maxima inde incommoda sequuta [a] [3].

16. Notarii apostolici nullo modo creentur, nisi primo ordinario committatur examen morum et sufficientiae eorum, qui creandi erunt [4].

17. Nulli laico cuiuscunque conditionis aut dignitatis loco pensionis annuae fructus concedantur, nisi huiusmodi beneficium alicuius ordinis militaris sit [5].

18. Ut pensiones non excedant decimam partem fructuum nisi ex maxima rationabili causa, sine qua inconvenit tot pensionibus ecclesias onerare; laici vero nullo modo habere possint ecclesiasticas pensiones [6].

19. Ut gravissimae poenae ⟨et censurae⟩ [b] monachis et clericis imponantur, qui testamenta infirmorum facientes eos provocant, ut bona sua temporalia et redditus propriis monasteriis et ecclesiis relinquant missasque et alia sibi applicent, ex quo quamplurima in republica christiana scandala nascuntur [7].

20. Dignetur S^{mus} nulli regularium concedere, ut relicta prima vocatione et instituto aliud largius vitae institutum ingrediatur, licet canonicorum regularium sit, nisi in monasteriis ipsorum reformatis, ea tamen conditione, ut regularem vitam intra monasteriorum claustra degentes nullo unquam tempore vagandi facultas eis concedatur [c] [8].

110-a.

Petitio facta legatis concilii ab episcopis Hispaniarum, per archiepiscopos Granatensem et Braccarensem praesentata [9].

17. Augusti 1562.

Ed. *Bartholomaei a Martyribus* Opera omnia II (Romae 1735) 402 sqq.; inde hausit *Le Plat* V 439-442. Summaria vide Arch. Vat. *Concilio 73* f. 25; cop. coaeva, sub titulo « Petitiones Hispanorum » et Bibl. Vat. *Cod. Barb. 857* f. 47^r-51^r; cop. saec. XVII, sub titulo « Sommario della riforma che domandano li Spagnoli. 24 Settembre 1562 ».

Petunt Hispani beneficia curata indigenis praevio examine esse conferenda (1), non residentes amittere fructus (2 et 3) et denique iuxta modum procedendi abbreviatum privari posse (4-7); episcopus vero pro absente vicarium instituat (8). Praebendatum in cathedrali vel collegiata ecclesia non excusari a residentia in parochiali (9-10).

Quamvis multa sint, quae in Hispaniarum et Lusitaniae regnis circa ministerium et ordinem ecclesiasticum indigeant reformatione, hisce tamen malis occurrere sequentibus oportet prae ceteris, quae parva, proh dolor, proximis hisce maxime quinquaginta annis magno cum animarum et ecclesiasticae disciplinae dispendio et periculo quibus animarum cura

[a] *Ordo responsionum in codice hinc perversus est. Restituendum curavimus, ut infra in* nota c. [b] *B om.* [c] *B* Responsio papae ad petitiones 20 et 21, quae desiderantur, haec est: Ad 20: Providebit concilium; ad 21: Item servetur. *Nos, ut supra adnotavimus, has responsiones pet. 19 et 20 adscribendas esse putavimus, cum nulla petitio deesse videatur.*

[1] Responsio: *Fuit responsum in aliis articulis iam transmissis.* Inter « articulos reformationis » apud *Šusta* II 113 sqq. nullum de hac materia agentem invenimus. – Cfr. n. 83 I art. 39.

[2] Responsio: *Iam ademptae sunt facultates nuntiis; ideo videtur nihil innovandum.* – Cfr. n. 83 I art. 43 et 44.

[3] Responsio: *Non concedentur passim, prout nec hodie conceduntur.* – Cfr. n. 83 II art. 3.

[4] Responsio: *Fuit responsum, quod notarii examinentur et imperiti removeantur.* – Cfr. n. 83 II art. 4.

[5] Responsio: *Hoc rarissime factum fuit et non nisi ex maxima causa, licet de iure fieri possit.* – Cfr. n. 83 III art. 6.

[6] Responsio: *Non gravabuntur ultra debitum.* – Cfr. n. 83 IV art. 2.

[7] Responsio: *Providebit concilium.*

[8] Responsio: *Item servetur.* – Cfr. n. 83 V art. 2.

[9] Ex litteris legatorum ad card. Borromaeum datis 17. Augusti 1562 (*Šusta* II 312) patet hanc petitionem praelatorum Hispanorum et Lusitanorum hoc ipso die praesidentibus esse traditam. Pontifex eam statim consideravit, ut in postscripto suo 26. Augusti fatetur (*ibid.* 328), non autem remisit nisi monitus a legatis 7. Septembris (*ibid.* 346) et cum hac responsione: [*S. S*^{ta}] *vorrebbe... che non si desse risposta alcuna a li detti Granata et Braga, se non faranno che da tutta la*

incumbit ecclesiis intulit consuetudo. Vix enim in quacumque dioecesi quantumvis etiam amplissima rectores proprii reperiantur et pastores animarum, qui suo instent ministerio propriisque resideant in ecclesiis, quae illis aut a summo pontifice D. N. S^mo^ vel ab episcopis commendatae fuerunt. Quapropter non possumus non omni conatu salubre quodcumque remedium, ne crescat in dies malum, a sacrosancta synodo postulare, supplicareque vestris Dominationibus Ill^mis^, ut eo zelo, quo cetera solent exequi et expedire, haec etiam, quae nobis fuerint reformationi maxime convenire visa, patribus Rev^mis^ exponant, ut et ipsi deliberent, sintne haec vel alia iure optimo eorum auctoritate decernenda.

1. Primum enim maximopere optamus et fervore caritatis in divinae maiestatis obsequium petimus, ecclesias omnes, quibus animarum cura imminet, etiamsi fuerint iuris patronatus ecclesiastici, cuiusque dioecesis indigenis conferantur, his quidem, qui, vocatis omnibus per edictum generale, moribus, doctrina et aliis, quae huic obeundo muneri iure sufficiant, reliquos antecellant, praevio super his omnibus examine episcopi et aliorum, quos eruditione praestantiores ipse sibi delegerit assessores. Quod si aliquae iurispatronatus laici fuerint huiusmodi ecclesiae, clerici, qui fuerint a patronis praesentati, ab episcopo non admittantur, nec eis collatio concedatur, nisi ex eiusdem episcopi et assessorum examine constiterit antea praeditos eos esse moribus optimis atque ea doctrina, quae ecclesiarum regimini iure fuerit necessaria.

2. Ceterum, ut hi, qui obtinent haec beneficia, quibusque cura commissa est animarum, iniuncti sibi muneris officio diligentius optimeque fungantur, decerni oportet a sacrosancta synodo, quemcumque talem non iustis verisque causis absentem ab ecclesia sua vel in ea minime ministrantem sacramenta ceteraque praestantem, quae muneris huius propria sunt, nequaquam acquirere beneficii fructus et redditus aut eorum dominium iusve aliquod, quo vel eos petere possit et debeat, ipsosque redditus ecclesiae pro ratione temporis, quo vel absens fuerit vel in ecclesia non ministraverit, ipso iure acquiri pertinereque ad fabricam ipsius ecclesiae vel ad alia, quae ad divini cultus ornatum spectant, vel demum inter eiusdem parochiae pauperes ad arbitrium episcopi dividantur. Huius vero decreti executio sic episcopo vel eius vicario incumbat, ut absente rectore vocato et citato, quacumque semota appellatione, redditus huiusmodi ecclesiae seu illius oeconomo realiter et diligentissime tradi curent, ita tamen, ut eorum negligentia minime noceat aut praeiudicium afferat ipsis ecclesiis iusque aliquod tribuat rectoribus, quos nullum ius umquam in eos acquisivisse, nec eos posse, etiam non praesente ipso ecclesiae oeconomo vel alioqui negligente vel episcopo vel eius vicario, retinere, synodus ipsa declaret atque decernat.

natione la cosa sia dimandata a VV. Ill^me^ SS^rie^, non essendo dovere che per satisfar a gli uni si dispiaccia a gli altri. Quantum ad collationem ecclesiarum parochialium indigenis tantum *si contenterà* etsi praeferendum esset, *che gli ordinarii mandassero qua le liste de le persone degne et idonee, a le quali S. Sta provederia poi de le vacanti*, et concludit: *Quanto poi al constringer li curati a resedere et a la pena et forma di processo da far contra di loro, S. Sta si rimette totalmente al parere de le SS^rie^ VV. Ill^me^ et a la determination del concilio.* Šusta II 351.

Paulo post sess. XXII Vicecomes Borromaeo summarium petitionis una cum articulis praelati cuiusdam Hispanici transmisit (*Šusta* III 358), quae omnia inveniuntur *Concilio 73* f. 25, ut supra indicatum est. Inter alia episcopus ille, qui sine dubio unus est ex illis, qui petitioni Granatensis non subscripserunt, petit *que l'administration de la fabrica de las yglesias cathedrales o collegiadas non sea in solidum de cabildo sino iuntamente con el prelado.*

Que non se criassen obispos de anillo si non fuesse a petition di algun prelado, que fuesse viejo o infermo o tuviesse tam larga diocesi, que non lo podiesse escusar.

Los monasterios claustrales de todos ordenes tenria gran necesidad de reformation, por que communamente viven col el scandalo y mal exemplo.

Inseratur hoc loco alia petitio praelatorum Hispanorum et Lusitanorum, quam legati iam 23. Iulii 1562 Romam transmiserant (*Šusta* II 268), quae laudata est a pontifice, ut iidem legati 6. Augusti Borromaeo scribunt (*ibid.* 296). Invenitur in codice *Concilio* 151 f. 104^v^-105^r^, cop. saec. XVI exeuntis, inscripta « Scrittura delli Spagnuoli et Portughesi sopra quelli che hanno dignita nelle cathedrali »:

In ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus obtinentes dignitates, quibus iurisdictio seu administratio vel officium in eisdem ecclesiis de iure seu consuetudine inest, propter omissam in divinis interessentiam ex earundem ecclesiarum statutis quacunque auctoritate etiam iuramento firmatis aut ex consuetudine etiam immemorabili nihil omnino ex suis fructibus et proventibus propter hoc detrimenti patiuntur, aut ita parum, quod ad tertiam earum partem non ascendat: statuit sancta synodus, deinceps tertiam partem omnium et quorumcumque fructuum ac proventuum dictarum dignitatum a reliquis fructibus separari ac in distributiones converti debere, quae ab obtinentibus dictas dignitates nullo modo percipi possint, nec earum dominium ab eis acquiratur, nisi in eisdem ecclesiis saltem diebus festivis divinis interfuerint, iuxta ordinationem et distributionem dictae tertiae partis ab eorum episcopis etiam tanquam sedis apostolicae delegatis in ipsa fructuum separatione exequenda determinandam. Alias tota haec tertia pars aut id, quod supererit, fabricis ecclesiarum applicetur, ita tamen, quod nulli aliquam ex dictis dignitatibus obtinenti aliquid damni ex dicta separatione proveniat, si singulis diebus festivis iuxta distributionem ab episcopo faciendam divinis interfuerint, salvis tamen statutis | ecclesiarum, si quae circa hoc arctiores existant, non obstantibus exceptionibus ac consuetudinibus etiam immemorabilibus ac appellationibus quibuscunque.

3. Liceat tamen quolibet anno pastoribus animarum, qui episcopis inferiores sunt, duobus mensibus a suis abesse ecclesiis, petita tamen ab eorum praelato licentia.

4. Sed quo facilius rectores ecclesiarum et pastores in ecclesiis sibi commissis residere cogantur, necesse omnino fuerit a sacrosancta synodo certum aliquem, qui in hac causa servari debeat, procedendi ordinem institui atque decerni, ut plane episcopi vel eorum vicarii, appellatione quacumque remota summariaque praemissa cognitione, qua constet, abesse vel abfuisse rectorem ecclesiae vel a dioecesi vel ab ea ecclesia sibi commissa, possint per edictum in ecclesia cathedrali et matrice propriaque cuiusque rectoris absentis ecclesia affigendum absentem a dioecesi monere citareque, ut intra triginta dies accedat ad ecclesiam et in ea ministret sacramenta sibique commisso instet et adstet muneri vel coram ipso episcopo eiusve vicario legitimas afferat et probet absentiae suae causas ac iustas, quibus iure possit aut debuerit a residentia excusari, alioquin contra ipsum fore procedendum iuxta canonicas sanctiones et huius sacrae synodi decreta; hac eadem admonitione itidem praemittenda illi, qui non sit absens a dioecesi, per citationem personalem vel ad domum eius, die ad arbitrium episcopi vel eiusdem vicarii constituenda.

5. Quod si quis intra terminum dierum praefixum non comparuerit et ad episcopum eiusve vicarium accesserit, nullamve iustam et legitimam attulerit absentiae causam, tunc ipse episcopus aut eius vicarius absque ulla alia citatione per edictum reditus beneficii et ecclesiae ipsius fabricae oeconomo tradi iubeat iuxta sanctae huius synodi decretum, constituta tamen ex eis portione, quae vicario absentis dari debeat, quae non sit tertia parte redituum minor, arbitrio vero episcopi vel eius vicarii congrua et sufficiens.

6. Si vero absens coram episcopo vel eius vicario comparuerit et aliquas allegaverit absentiae causas, ad earum[a] probationem summarie et simpliciter admittatur quindecim diebus tantum illi constitutis vel etiam paucioribus, arbitrio iudicis. Si tamen episcopo vel eius vicario visum fuerit non esse excusandum a residentia, isque appellaverit, omnes eius redditus statim sequestrentur, quacumque non obstante appellatione; quae quidem sequestratio nullo pacto per quemcumque iudicem appellationis suspendatur aut revocetur aut inhibitione aliqua impediatur, donec per eam, quae rei iudicatae vim obtineat, sententiam omnino finita causa fuerit, ut tandem hac in re, quaecumque proponatur, etiam ad Romanam sedem ipsam appellatio, devolutionis tantum, non suspensionis causae habeat effectum. Verum crescente rectorum contumacia, non obstantibus eorum negligentiis, quae hac in re non potest non esse perniciosa, his remediis, quae fuerunt hactenus exposita, si octo mensibus ab eorum ecclesiis abfuerint, episcopi vel eorum vicarii iuxta canonicas sanctiones contra absentem, appellatione quacumque remota, procedere conentur ad beneficii privationem, ita tamen, ut, si constiterit summarie, ipsum esse absentem a regno, intra cuius fines sita est ecclesia, aut incertum esse, quo in loco habitet is vel commoretur, sit satis ad privationem eundem absentem per edictum citari, alioquin citatio praemittatur personalis vel ad domum. Per decretum tamen sacrosanctae synodi minime derogetur constitutionibus aut consuetudinibus cuiuscumque dioecesis, quibus fuerit ordo peculiaris ad privandum ipsum absentem, qui nec residet in ecclesia sua vel beneficio constitutus, sitque in arbitrio episcopi, hocce vel illo ordine procedere, modo eligat eum, qui magis ecclesiae conveniat et patrocinetur eiusque ministerio.

7. Expensae vero, quae ad edicta citationum et alia fuerint necessariae in hisce causis, quae super residentia contigerit intentari, ex certis beneficii redditibus ad ipsius episcopi vel eius vicarii arbitrium ministrentur.

8. Utcumque tamen absens ab huiusmodi, quicumque fuerit, ecclesiis, etiam ex iustis verisque et rationabilibus causis, episcopus vel eius vicarius, appellatione quacumque remota, vicarium idoneum ecclesiae ministerio eligat et praeficiat, constituta ei portione eius etiam arbitrio congrua, quae non sit minor tertia parte redituum ipsiusmet beneficii, nec ad istam electionem omnino sit necessarius aut exigendus ullo pacto pastoris ipsius absentis consensus.

9. Sed et illud oportet a sancta synodo definiri, neminem habentem beneficium, cui cura imminet animarum, excusari posse a residentia in eiusdem beneficii ecclesia ex eo, quod dignitatem, canonicatum aut aliam praebendam in ecclesia cathedrali vel collegiata obtineat, quamvis ex certis dignitatibus, canonicatibus et praebendis nullum quis possit consequi commodum et fructus iuxta earumdem institutiones ecclesiarum, nisi praesens fuerit et ecclesiae illius ministerio serviat, cum longe maior potiorque ratio sit, qua quis residere teneatur in

[a] *Le Plat* quarum

ecclesiis, ex quibus et quarum ratione cura illi incumbit animarum, quam in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quae simplicia nuncupari solent beneficia; atque hoc decerni aequissimum erit, non obstantibus in contrarium quibuscumque consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quas esse iniquas et omnino perniciosas declaret omnes sacrosancta synodus.

10. Quibus sane optime consultum fuit ecclesiis, cum alioquin in tanta doctrinae penuria morumque et disciplinae ecclesiasticae labe et ruina vix earum ministerio reperiantur idonei sacerdotes; clerici etenim, qui sperant, quoquo modo nulloque praevio iam examine titulos et redditus ecclesiarum obtinere se posse earumdem ministerio immunes fore, nec litteris operam dare nec a pravis moribus abstinere aut emendari satagunt.

III.

Petri Soti annotationes in decretum de sacrificio missae reformatum a deputatis [1].

[Circa 5. Septembris 1562].

Neapoli Bibl. Nat. *cod. IX A 48* f. 119r-122r, cop. coaeva glossata a Seripando

Impugnat in primis doctrinam de oblatione Christi in coena, sicut in cap. 1 et can. 3 decreti reformati continetur.

Neapol. IX A 48 f. 120r

Praefatio illa brevissima non admodum est ex gravitate et autoritate synodi. Posset brevius continuatione illa omissa aliquid ex alia doctrina accipi, ut si exempli gratia dicatur: « Sancta synodus etc. unanimi totius ecclesiae, quae Spiritus Sancti illustratione certissime edocetur, traditione atque consensu et scripturarum testimoniis iuxta sanctorum patrum interpretationes adducta atque confirmata de sacrificio altaris haec declarat et docet».

Quae primo loco ponuntur de sacerdotio veteris legis et Christi, non videntur necessaria et magis pertinent ad sacramentum ordinis. Sunt certe appositissime dicta, sed an in illum locum [a] omittenda sint, aliorum sit iudicium.

Quae vero de oblatione in coena a Christo facta primo loco dicuntur et, tamquam inde omnia alia de hoc sacrificio pendeant, scripta sunt, quo loco haberi debeant, non possum non fateri me valde dubitare. Non videtur hoc tam certum esse, ut a concilio definiri possit et tamquam patrum doctrina tradi, quod in verbis illis dicitur, multo vero minus ut fundamentum certissimae fidei de sacrificio missae. Quod itaque haec sit dubia doctrina, ostendit diversitas | sententiarum et doctorum, qui de hac re hoc tempore scripserunt [2], et patrum etiam huius sanctae synodi [3], de qua Illmos legatos admonitos esse oportet. Quamquam enim magna pars asserat Christum se obtulisse in coena, tamen tanta est in hoc asserendo rationum diversitas, ut eodem vocabulo res quam diversissimas dicant.

120v

Ostendit etiam hoc multorum patrum atque doctorum et priorum et posteriorum de hac re silentium. Certe apud Augustinum nullum de ea est apertum verbum, nullus tractatus, et tamen Augustinus sacrificium hoc ecclesiae docet, praedicat et defendit in quamplurimis locis [4]. Idem de aliis sui temporis patribus dici potest. In posterioribus vero, scilicet Magistro sententiarum, B. Thoma et aliis quamplurimis scholasticis hoc manifestius est. Constat eos nusquam de hac re ex professo locutos. Et nostri temporis docti et in defendendis catholicis dogmatibus cauti hoc impertinens ad sacrificium defendendum asserunt et probabilem opinionem iudicant. Quae omnia ostendunt hoc non esse dogma

[a] Sic

[1] Petri Soti adnotationes cum multis aliis scripturis ad decretum de sacrificio missae pertinentibus inter codices cardinalis Seripandi conservantur, qui manu propria in margine rubricas adiecit; quae, cum sensum tantum indicent, omisimus. Uterque doctrinam de oblatione Christi in coena cum nonnullis aliis theologis et episcopis impugnavit. De tota hac controversia cfr. *M. Alonso*, El sacrificio eucaristico de la última cena del Señor según el Concilio Tridentino (Madrid [1929]). De vita auctoris cfr. *V. Carro*, El Maestro Fr. Pedro de Soto O. P. y las controversias politico-teologicas en el siglo XVI, I (Salamanca 1931), praesertim p.286 sqq.

[2] Quorum doctrinam explicat *Alonso*, El sacrificio eucaristico 35-75.

[3] Elenchum votorum vide apud *Alonso* l. c. 144 adn. 1 (p. 146 sqq.).

[4] Doctrinam S. Augustini de sacrificio missae optime explicavit *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin (Paderborn 1908) 64 sqq. – Elenchum patrum, qui pro oblatione Christi in coena facere videntur, publici iuris fecit *Alonso* l. c. 251-270. Cuius auctor erat Salmeron, ut *P. Dudon*, Sur un texte inédit de Salmeron: Gregorianum 11 (1930) 410-417 ex codicibus demonstrat. Vide allegationes Seripandi infra n. 112.

catholicum, quod (ut Vincentius Lirinensis dicit)[1] illud est, *quod ab omnibus, quod ubique, quod semper* in ecclesia docetur. Idem etiam confirmat in conciliis patres id tantum debere tradere, quod a maioribus acceperunt. Certe rari eorum, qui suffragia dixerunt, in suis fontibus diligenter legerunt patres, qui de hac re citati sunt; et qui legerunt et diligenter expenderunt omnia praeterita et sequentia, aliter sentiunt[2].

Posset igitur hoc, si dici debet, postquam de sacrificio a Christo ordinato dictum fuerit, poni; ut si exempli gratia diceretur: « Christum in coena corpus et sanguinem suum dedisse apostolis et novum sacrificium ecclesiae ostendisse et ordinasse. Unde etiam aliqui non irrationabiliter sentiunt, quod in ipsa coena Christus se obtulit Patri sub illis speciebus panis et vini. » Hoc vel aliquid simile scribi posset vel alia meliora, modo non certa fide tenendum nec ut fundamentum sacrificii nostri ponatur.

De verbo: *Hoc facite in meam commemorationem,* de quo dicitur, quod eo verbo Christus praecepit offerre et quod haec sit perpetua doctrina ecclesiae, videtur etiam nobis considerandum, quod antiquiores et graviores patres, ut Hieronymus[3], Ambrosius[4], Hylarius[5], Chrysostomus[6], cum haec verba exponunt in enarrationibus evangelistarum et Pauli, non ea exponunt de oblatione nec ad oblationem probandam ea affe|runt, sed ut probent, 121r
quid sit offerendum, ut Alexander papa[7], Irenaeus[8] et Cyprianus[9], vel quandoque accomodant ea ad oblationem, propterea quod oblatio coniuncta sit consecrationi, ut habet certissima fides, quod in hoc loco et in aliis frequenter patres faciunt coaptantes sive applicantes seu accomodantes verba scripturae. Itaque in hac parte cupimus etiam patrum verba diligenter expendi, ut appareat, quomodo haec verba exponunt et ad quid probandum ea afferunt, ut inde videri possit, quomodo ea intelligant. Vel posset hoc poni verbis ipsis Irenaei vel sic, ut dicatur, quod Christus seipsum in ultima coena sub speciebus panis et vini apostolis tradidit offerendum et sumendum et praecepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis semper ecclesia intellexit, ut sacrificium hoc in Christi memoriam afferretur vel certe, ut in memoriam passionis Christi celebraretur. Et iuxta hoc moderari posset tertius canon, si diceretur: « Si quis dixerit Christum in ultima coena, cum corpus suum et sanguinem traderet, non dedisse ecclesiae verum sacrificium, et quid in eo praecise offerendum esset, ostendisse: anathema sit. »
Hoc asserunt Alexander et Irenaeus. Vel aliter | iuxta aliorum patrum sensum: « Si quis 121v
dixerit, verba haec: *Hoc facite in meam commemorationem,* non convenienter ad oblationem huius sacrificii accomodari: anathema sit. » Vel dicatur pro « accomodari » « posse aptari vel exponi ».

Locus ille Pauli ad Corinthios[10] commodius omitteretur vel dici posset, quod Paulus opponit mensam Christi sacrificiis idolorum et veteris legis, quo satis innuit, etiam hoc esse sacrificium.

Ubi de ritibus, ceremoniis, benedictionibus, luminaribus, thymiamate, vestibus et aliis id genus agitur[11], existimamus convenienter addendum esse, quod haec omnia ex apostolica disciplina et eorum traditione habentur, omnia videlicet ea, quae universa per orbem terrarum semper servavit ecclesia. Ita enim Augustinus aperte dicit epistola illa 118 ad Ianuarium[12]. Mixtionem vero vini et aquae in calice Cyprianus aperte dicit esse Dominicam traditionem[13], et videtur non esse omittendum.

[1] Commonitorium c. 2, *Migne* 50, 640.

[2] Idem quod Sotus etiam Seripandus de testimoniis patrum a defensoribus oblationis in coena adductis sensit, ut patet in notis marginalibus, quas in *cod. Neap. IX A* 48 f. 133r-144v singulis locis a Salmerone collectis adiecit. Quarum partem tantum *Alonso* suae editioni (cfr. supra adn. praec.) inseruit. Vide infra n. 112.

[3] Com. in ev. Matthaei l. IV c. 26, *Migne* 26, 195.

[4] *Ps.-Ambrosius,* Com. in 1 Cor. 11, 23 sqq.; *Migne* 17, 242 sq.

[5] *S. Hilarius,* Com. in Matth. c. 30 (*Migne* 9, 1065) obiter tantum de *accepto calice et facto pane* loquitur.

[6] In Matth. hom. 82, *Migne gr.* 58, 737 sqq.

[7] Ep. 1, c. 9, Decretales Ps.-Isidorianae ed. *Hinschius* 99.

[8] Adv. haer. l. IV c. 17 n. 5, *Migne* 7, 1023.

[9] Ep. 63 passim, *Migne* 4, 372 sqq.

[10] *1 Cor.* 10, 21.

[11] Scilicet cap. 5, *Conc. Trid.* VIII, 910 sq.

[12] Hunc locum nec in ep. 118 (nunc 54) ad Ianuarium nec in ep. sequenti ad eundem (*Migne* 33, 199 sqq.) inveni.

[13] Ep. 63 n. 2 (*Migne* 4, 374): Admonitos autem nos scias ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.

112.

Hieronymus Seripandus: De oblatione Christi in coena [1].

[Ante 16. Sept. 1562].

Romae Bibl. Vat. *Barb. lat. 817* f. 388r-395r, cop. sæc. XVII

Rationes reddit auctor, quare quaestionem de oblatione Christi in coena non esse determinandam in concilio censuerit: Neque testes oculares neque canonem missae neque patres antiquos vel doctores modernos claram in hac materia doctrinam afferre; rationes quoque adductas eam nec probabilem quidem efficere.

Barb. lat. 817 f. 388r De quaestione magnis contentionibus agitata in concilio Tridentino sub Pio IV pont. max. congregato, dum de sacrificio missae disputaretur, an scil. D. N. Iesus Christus in ultima 388v coena sacrosanctum altaris sacrificium non solum | celebrandum instituerit ab apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, verum etiam ipse in eadem coena exercuerit, offerens corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri, quemadmodum quotidie in altari per suos ministros facit: de ea, inquam, quaestione ego Hieronymus cardinalis Seripandus in eodem concilio legatus semper sensi et cum Ill^mis et Rev^mis aliis legatis dominis meis colendissimis dixi, quaestionem hanc leviorem mihi videri omnibus quaestionibus, quae ullo umquam tempore in scholis tractata sunt, ac prorsus indignam, quae in tanto concilio tractaretur; esse praeterea usque adeo dubiam ⟨ac ancipitem⟩ [a], ut ad eam veritatem disputationibus praesertim pervenire non posse existimarem, quam determinationes concilii generalis requirunt. Debet enim ea esse syncera, certa et liquida, cui non possit nisi ab obstinatissimis haereticis contradici, et de qua inter catholicos nulla possit esse rationabilis controversia. Videri denique mihi eam quaestionem prorsus inutilem. Si enim negativa pars concluderetur, quid utilitatis afferre poterit? Sin autem affirmativa, ad convincendos haereticos 389r nihil omnino virium ea res habitura videbatur, inter catholicos | autem inexplicabiles paritura esset quaestiones, id quod res ipsa docuit. Audivimus enim, dum ea disputaretur inter

[a] Cod. [illegible]

[1] Iam die 24. Augusti Seripandus Amulio cardinali scripserat unum sibi superesse scrupulum, *del quale io uscirei, se non fussi qui legato, ma solamente vescovo, perche potrei dirne il voto mio et lasciar poi fare ad altri*, scilicet: « Si Christus obtulerit sacrificium in ultima coena sub specie panis et vini ». *Šusta* II 313. Ergo post congregationem generalem die 7. Sept. 1562 habitam, in qua primum caput doctrinae de sacrificio missae reformatae oblationem in coena affirmans est approbata (*Conc. Trid.* VIII 909 sqq.), hunc composuisse videtur tractatum, ut conscientiae suae satisfaceret futurisque, quae evenire possent, suspicionibus occurreret; in eundem sensum scripsit 6.-7. Septembris ad cardinalem Borromeum, ibi quoque Driedonem allegans (*Šusta* II 339 sq.), et similiter Amulio die 9. Sept.: *Ancor qui è maggiore il numero di coloro che accettano quella oblatione della cena fatta da Iesu Christo N. S., di coloro che la niegano o vero che non vorrebbono ch'ella si determinasse come cosa di fede. Ma quando si havessero a pesare i molti con i pochi, non so qual parte pesasse piu. In conclusione sara quello che piacera allo Spirito Santo.* (Florentiae Bibl. Riccard. *cod. 3475* f. 59r; cop.).

Post sessionem XXII Romae divulgatus est rumor, Seripandum in animo habere determinationem concilii de oblatione Christi in coena oppugnare. De quo rumore cardinalis amico suo 25. Oct. 1562: *Io ne sono restato stupito, perche da quel principio ch'io m'avveddi, dove correva l'acqua, io mi risolvei di quel che havevo da fare per scarico mio senza pensarvi poi piu non solo di scriverne, ma anco di parlarne, com'ho fatto et faro tanto piu volontieri quanto che mi è sopragiunto il parere di V. S. Illma* (*Riccard. 3475* f. 67v; cop.).

Inter scripturas Seripandi, quae Neapoli asservantur, inveniuntur « Testimonia oblationis Christi in coena cum Seripandi iudicio », *cod. IX A 48* f. 133r-144v, quibus cardinalis ipse praeter glossas marginales (cf. supra p. 730 adn. 4) alterum iudicium de hac quaestione adiecit (f. 144v):

De hac ergo oblatione dicam, quod sentio, et quem sensum habere potest synodi decretum, aperiam. Christum in ultima coena facta panis consecratione corpus suum, quod non solum erat ibi naturaliter, sicut in cruce offerendum, sed sub specie panis sacramentaliter, sicut perpetuo erat [ab] *ecclesia offerendum Deo Patri, obtulisse ad mortem voluntariam in cruce perferendam pro nobis. Similiter consecrato calice sanguinem suum, qui erat sub specie vini sacramentaliter, obtulisse Deo Patri ad hoc, ut in cruce effunderetur, ita quod haec oblatio non proprie et vere sacrificium appelletur, sed promissio potius veri et proprii illius sacrificii, quod in cruce paulo post peractum est, sive oblatio corporis et sanguinis sui sub illis speciebus existentium ad illud unicum verum et singulare sacrificium, quod in cruce perfectum est. Innuunt hoc verba Christi, quae in ecclesia leguntur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Et sic Christus, ut Paulus inquit, unam pro peccatis obtulit hostiam et una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos, ut dicamus hanc unam hostiam, hanc unam oblationem in coena promissam et voluntate oblatam in cruce completam ac reipsa perfectam fuisse. Cuius non solum memoria in missa celebratur, verum et fructus quotidie percipiuntur, qui sunt appropinquare Deo, pacificari cum eo, propitiationem pro peccatis nancisci, emundari et lavari ab omni peccato, redimi denique et gratificari Deo in dilecto filio eius. Haec tamen, quae de oblatione in coena excogitavi, an tamquam certa et indubitata atque de fide statuenda essent, an tamquam probabilia admittenda, ignorare me vere atque ingenue fateor.*

patres quaestio, alios dixisse obtulisse Christum in coena illud idem quod instituebat sacrificium, alios constanter negasse, alios asseverasse sacrificium illud Christi in coena fuisse propitiatorium, alios applicatorium, alios praeparatorium, alios inchoativum sanctae illius propitiationis, quae consummanda erat in ara crucis. Quae quidem opinionum varietas signum est evidentissimum incertitudinis difficultatisque rei ac nondum inventae purae et ad liquidum expressae veritatis, qualis ea est, quae a Spiritu Sancto docetur quaeque a generali concilio decernitur.

Sed quae me de hac quaestione ancipitem, dubium et haesitantem reddebant, haec erant: Primum quaerebat quaestio de facto D. N. Iesu Christi in novissima coena, de quo, ne quid temere assereretur, consulendi mihi primum videbantur, qui eorum, quae in ea coena vel dicta vel facta sunt, historiam texuerunt, qui cum multa minoris ponderis non praetermiserint, verisimille certe est, imo clarissimum, quod, si quid certi de hac oblatione cognovissent, illud silentio non praeteriissent, | cum praesertim uno verbo explicare potuissent. Hi fuere 389v imprimis duo, qui coenae ipsi interfuerunt, Matthaeus et Ioannes, gestorum omnium oculati testes;[1] alii deinde duo testes auriti, qui, tametsi ipsi coenae praesentes non fuerint, quae tamen scripserunt, ab illis acceperunt, qui omnia oculis suis viderant[2]; Paulus demum, qui, quaecumque de coena illa magnifice retulit, a Domino se accepisse scripsit[3]. Cum ergo istorum nemo de hac oblatione verbum ullum fecerit, de tanta re dubitare potius quam certum aliquid diffinire tutius esse existimabam, quoniam, quae in factis consistunt, in rebus quoque humanis, si silentio praetereuntur a fidedignis historicis, pro certis asseveranda non sunt neque temere diffinienda: quanto id magis decet in rebus divinis, quarum scriptores partim praesentes fuere, partim Spiritu Sancto inspirante omnia scripserunt.

Considerabam deinde et tanta quidem animi attentione, quanta numquam antea feceram, sacrosanctum missae canonem Romanum, magna pietate et consideratione diversis temporibus a Romanis pontificibus confectum tanta perfectione, ut nihil addi amplius posse videatur, iamque | a mille annis et ultra nihil additum sit, sed tamquam omni ex 390r parte perfectum receptum sit. In quo quidem canone quamvis nonnulla additamenta invenerim, quae in evangelistis coenam Domini narrantibus desiderantur[4], attamen nullam quidem vel exiguam huius in coena sacrificii significationem in eo invenire potui, quinimo absurdum et ab omni ratione alienum mihi videbatur, quod in eo canone post consecrationem mentio fieret sacrificiorum Abel, Abraham et Melchisedech, petereturque, hoc ineffabile et verissimum altaris sacrificium ita acceptum Deo esse, quemadmodum id illa fuere, cum satis superque fuisset postulare, ut perinde gratum et acceptum esset, atque illud fuit, quod Christus in coena obtulit. Non videbatur ergo mihi conveniens, ubi illa sacrificia commemorantur in missa, hoc, quod fuisset praecipuum, Christi in coena, vel omisisse vel non potius omissis reliquis omnibus, quae prae hoc nullius valoris censenda erant, commemorasse. |

Sanctorum postea doctorum priscorum testimonia, quae hoc videbantur 390v patrum quorundam iudicio astruere[5], postquam diligenter quod potui examinavi, nihil omnino me movebant. Nam quaedam nihil de ea re loquuntur. Dicunt alia[a] Christum obtulisse se ipsum Deo Patri in coena, quod accipi potest vel de sacrificio spirituali voluntario, scilicet oblatione ad mortem, quam ingrediens mundum offerre coepit, ut Paulus docet[6], et in tota vita, non in coena solum, saepius egisse credendum est; vel de oblatione materiae sacramenti, panis scilicet et vini, quam sine dubio cum laude et gratiarum actione Deo Patri obtulit, ut eam admirabilem transsubstantiationem praepararet, quod in missa quoque fit, ut beatus Thomas inquit[7]. Illud praeterea expendebam, quod nemo sanctorum doctorum, quorum dicta aliqui usurpabant, de hac quaestione ex proposito disputarit[8], sed obiter et aliud agentes quaedam scripsissent [!], quae non obscure alium et magis germanum sensum habere dignoscuntur. Inepte vero quidam ex beati Thomae mente | de hac quaestione disputabant 391r et, quae sancti illius viri sententia fuisset, ostendere nitebantur[9]. Nam si quid illi de hac quaestione in mentem venisset, non est dubitandum, quod ex proposito eam persecutus fuisset, cum tam accurate disputavit de hac sacramento sive sacrificio Quod enim dicit uno loco,

[a] Cod. aliter

[1] *Matth.* 26, 20 sqq.; *Io.* 13, 2 sqq.

[2] *Marc.* 14, 17 sqq.; *Luc.* 22, 14 sqq.

[3] *1 Cor.* 11, 23 sqq.

[4] Cfr. *F. Hamm*, Die liturgischen Einsetzungsberichte (Münster 1928), imprimis 30 sqq.

[5] Vide supra p. 730 adn. 4.

[6] *Hebr.* 10, 5.

[7] Summa theol. p. III q. 83 a. 4.

[8] Similiter Adriensis die 20. Augusti 1562, *Conc. Trid.* VIII 771.

[9] Scilicet Melchior Cornelius, theologus Lusitanus, *Conc. Trid.* VIII 735; ep. Iustinopolitanus, *ibid.* 762; ep. Leriensis, *ibid.* 768; Theanensis, *ibid.* 776; Uxentinus, *ibid.* 779.

consecrationem eucharistiae esse sacrificium [1], id ego sic interpretor: Consecrationem eucharistiae ordinari ad sacrificium, quia statim consecrata sacrificatur sive offertur Deo, quod ipse alio loco mysteria missae narrans clare insinuat, cum inquit [2], post commemorationem sanctorum accedere sacerdotem ad ipsam consecrationem, deinde petere consecrationis effectum, postea consecrare, denique excusare praesumptionem per obedientiam et mandatum Christi, demum petere, sacrificium peractum Deo esse acceptum. Ecce tibi, quod sacrificium non perficitur in consecratione, sed signo in elevatione, verbo vero in precibus et oblationibus, quae eam sequuntur.

M o d e r n i autem d o c t o r e s, qui contra Lutherum scripserunt [3], pie, ut credo, asseruerunt, Christum in coena seipsum obtulisse ex testimonio patrum antiquorum, addentes
391v ipsi sub specie panis et vini, quod illorum nemo dixit. | Verum si patrum me non cogebat auctoritas, multo minus istorum me dicta compellebant, quod accumulare mihi videbantur omnia, quaecumque Lutheranis adversari poterant, non magno plerumque adhibito iudicio, quantum illa ad concludendum haberent efficacitatis. Sed qui inter hoc primum obtinere locum mihi videtur, I o a n n e s est D r i e d o n u s, qui prudentissime sic scripsit: [4] *Probabilius est, Christum in coena secundum ordinem Melchisedech seipsum sacramentaliter obtulisse in pane et vino, quamvis in illa oblatione non sic ut in cruce satisfecit pro peccatis totius mundi,* [illegible] *pretium* [a]. *Demus tamen, ita esse, quod Christus in coena non fecit sacrificium, nihil contra sententiam ecclesiae. Nam Christus, ut Irenaeus* [5], *accipiens panem et vinum Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in toto mundo offert iuxta Malachiae vaticinium* [6].

Hic omnium, qui contra Lutheranos scripsere, facile princeps et antesignanus [7] probabile hoc esse [b] dixit Christum in coena obtulisse seipsum in pane et vino; quod si negetur, nihil
392r suffragari haereticis negantibus | Novi Testamenti novam oblationem, quam Christus docuit et apostoli tradiderunt. Pudet me certe eorum patrum, qui A l e x a n d r i de A l e s testimonio utebantur [8], quem inveni in illis locis, unde testimonium sumebant, duplex Christi sacrificium commemorare, alterum in cruce, alterum quod dedit discipulis in coena et quotidie offertur in altari ecclesiae, ubi nulla oblationis in coena mentio est, sed in cruce tantum et altari, neque vero hoc oblatum dicit, sed offerendum quotidie in altari ecclesiae.

R a t i o n e s quoque, quas adducebant, non modo conclusionem de fide, quam omnium oportet esse clariorem, sed ne probabilem quidem efficiebant. Recitabo potiores:

P r i m a est: *Coepit Iesus facere et docere,* ut scripsit L u c a s [9]. Quomodo ergo docuit, apostolos et nos ipsos offerre sacrificium in missa incruentum, si non ipse prior obtulit?

Dico verbum illud, quod ex Lucae citatione in proverbium abiit, ex quo multi illud efficiunt, ut nihil Iesus D. N. praeceperit [c], quod ipse prior non fecerit, quod cum falsum est, tum a sensu, quem beatus Lucas habuit, alienissimum. Praecepit et docuit, baptizare,
392v ipse tamen non baptizavit, ut est apud *Ioannem* [4, 2]. Praecepit apostolis, ut irent | ad docendum omnes gentes [10], ipse tamen in Iudaea solum docuit. Praecepit eisdem, ne in civitates Samaritanorum intrarent [11], ne pecuniam in zonis ferrent, ne peram, ne calceamenta [12], quae constas illum non fecisse. Beati vero Lucae sensus fuit scripsisse evangelium [d] de his omnibus, quae coepit Iesus vel facere vel docere [13]. Hinc et principium accepit usque ad eam diem, qua in coelum ascendit, qui fuit eius evangelii finis; quibus rebus annectit apostolorum post Christi ad coelos ascensionem acta. Sed demus aliquid vulgato, quod in omnium fere ore versatur, verbo: Quod docuit D. N., id non solum verbo, sed etiam exemplo docuit. Docuit sacrificium offerre incruentum; satis certe fuit, ut prior ipse cruentum offerret, cuius incruentum, quod nos offerrimus, est memoriale, quod nullo pacto Christum offerre decebat, qui illud ipsum, cuius memoriale instituebat, oblaturus erat per se ipsum sufficiens atque perfectum.

[a] *Om. Seripandus allegationem Cypriani a Driedone hoc loco positam* [b] *in marg.* etiam [c] *in marg.; del.* docuerit [d] *in marg.; del.* secundum

[1] Cfr. *Conc. Trid.* VIII 777 (Legionensis).
[2] L. c. supra 733 adn. 7.
[3] Quorum doctrinas explicavit *M. Alonso* l. c. 35-75.
[4] De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus lib. IV c. 5 p. 4 ad tertium argumentum (Opp. I [Lovanii 1571] 251v): *An Christus in coena sacrificaverit an non sacrificaverit, sed solum consecraverit et sacrificare docuerit, huic rei impertinens est.* Postea sequuntur quae supra exhibita sunt verba.
[5] Adv. haeres. l. IV c. 17 n. 5. *Migne gr.* 7, 1023.
[6] *Mal.* 1, 11.
[7] De vita et scriptis Driedonis cfr. Dict. de théol. cath. IV 1828 sqq.
[8] De quo in actis nihil. Sed inter testimonia oblationis de quibus supra (p. 730 adn. 4) etiam Alexander Halensis invenitur, *Alonso* l. c. 269.
[9] *Act.* 1, 1. [10] *Matth.* 28, 19.
[11] *Matth.* 10, 5.
[12] *Matth.* 10, 9 sq.; *Luc.* 10, 4.
[13] Cfr. *Act.* 1, 1.

Secunda ratio: Catholicorum sententia est et in hoc ipso concilio decernenda, Christum Dominum instituisse apostolos et successores sacerdotes, eisque mandasse, ut sacrificarent | incruente verbis illis: *Hoc facite* etc. Quo hoc mandatum intelligi non potest, 393r
nisi prius ipse incruente sacrificavit. Quid enim referret relativum illud *hoc*, nisi quod ipse fecerat? Quod si ipse non sacrificasset, quomodo intelligere possemus, praecepisse nobis, ut sacrificaremus?

Dico relativum referre non posse nisi antecedens; nullum autem antecessit verbum de oblatione Christi; non potest ergo eam referre. Refert igitur, quod antecedit. hoc est consecrationem, de qua nemo umquam dubitavit, et mandat, ut ea consecratio fiat ad offerendum, cum non modo inquit: *Hoc est corpus meum*, sed addit: *quod pro vobis datur*, quo iubet, ut faceremus [a] corpus suum offerendum, et ita admiranda illa consecratio non solum ad sacramentum, sed ad sacrificium quoque pertinet, quod confirmat ultimum illud verbum: *in mei commemorationem;* sacrificia enim et oblationes in memoriam beneficiorum instituuntur.

Tertia ratio. Hoc sanctum sacrificium figuratum est in agno paschali. Sicut ergo agnus immolabatur, ita et hoc sacrificium, quando institutum est, | agno successit tamquam 393v
veritas figurae, debuit a Christo immolari; quod quidem in coena fuit.

Dico cum beato Thoma, quod praecipua figura eucharistica fuit agnus paschalis, qui, quod immolationem attinet, figura fuit passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus, non autem illius in coena oblationis. de quo canit ecclesia sancta: [1] *Ipse enim verus est agnus*.

Nonnihil etiam me movebat beatus Thomas, qui, cum diligenter tractaret de figuris eucharistiae [2], nullam attulit figuram, quae figuraret istud in coena sacrificium, quinimo oblationem Melchisedech ad id, quod in eucharistia sacramentum tantum est, species scilicet panis et vini, retulit, non ad oblationem aliquam, et cum tria sacrificiorum genera tractaret [3], quae in veteri lege offerebantur, hostiam pro peccatis, hostiam pacificam, holocaustum, omnia ad passionem Christi retulit, nulla facta alterius cuiusquam sacrificii in coena mentione.

Videbatur igitur mihi de re usque adeo dubia et incerta nihil temere et absque ulla necessitate decernendum esse, de qua, si quid opinati sunt vel tradiderunt sive priores patres 394r
sive posteriores, qui contra haereticos disputarunt, eos non arbitror illud tamquam certum et indubitatum fidei articulum voluisse ecclesiae obtrudere, quamobrem neque opus esse concilio hoc ipsum statuere, cuius non solum statuta, sed verba etiam ipsa sacrosancta esse debent et pie atque religiose retinenda sunt. Contra [b] haereticos satis esse videbatur decernere missam esse sacrificium, pro catholicis satis esse videbatur, doctrina et canonibus eos de rebus omnino veris et indubitatis instruere, de huiusmodi vero, quae apud catholicos in aliqua erant controversia, sinere quemque suo iudicio uti.

Verum cum viderem, patrum multitudinem nescio quibus privatis et publicis suggestionibus ad hanc statuendam oblationem rapi, neque rationibus neque auctoritatibus rite et mature perpensis, quorundam vero paucorum, piorum simul ac doctissimorum diversum sentientium nullam haberi rationem, quin imo ab imperitis insimulari tanquam haeresis fautores, statui ego, quidquid sancta synodus decrevisset, quantumvis meae sententiae contrarium, amplecti. | Et cum in congregatione nihil de hac re dicere possim ratione legationis, 394v
quam gerebam, neque in sessione repugnare possem, ne a reliquis amplissimis legatis dominis meis dissentire me ostenderem materiamque ioci et risus adversariis praeberem, cogitavi assentiri. Verum pro quiete meae conscientiae et testimonio coram Deo et hominibus petere ab Illmo et Rev^{mo} D. Mantuano domino meo, cuius primae partes in legatione merito erant, ut totius huius consilii mei sub hac verborum forma autenticum mihi daret testimonium [4].

[a] Sic [b] del. et

[1] Missale Rom., praefatio in die Paschae.
[2] Summa theol. p. III q. 73 a. 6.
[3] Summa theol. p. I/II q. 102 a. 3 ad 8.
[4] Sequitur «Fides facta a cardinale Mantuano cardinali Seripando die 16. Septembris 1562», quam lege *Conc. Trid.* III 1, 155.

ADDENDA ET CORRIGENDA

PAG.	
4 sq.	Tractatus n. 2 iam editus est a G. Buschbell Conc. Trid. X, 766 sq. ibique addictus mensi Decembris 1546.
38 adn. 8	Lege 1 Reg. 15, 22 pro 15, 21
59 l. 20	Lege vv. 18 et 19 pro 8 et 19
61 adn. 1	Lege Ps. 112, 7 pro 112, 6
71	Tractatus Delphini etiam in Bibliotheca Vallicelliana Cod. G. 63 n. 17 f. 24 sqq. extat ibique inscribitur « Votum datum 1. Februarii 1548 ». Sed ex diario Massarelli IV apparet, illo die congregationem non fuisse (Conc. Trid. I, 741).
74 adn. 4	Lege 1 Cor. 7, 3 sq. pro 7, 4
95 adn. 4	Lege Io. 16, 13 pro 16, 12.
115 adn. 1	Lege *Sinuessanae*
123 adn. 2	Legendum est in articulo secundo, quem ex mendosa editione Augustini Theiner descripsi: *Cum enim negent.*
125 adn. 1	Lege Matth. 28, 20 pro 18, 20
125 l. 14	Lege Iob 31, 31 pro 30, 31
126 l. 18	Lege Io. 6, 54 pro 6, 53
127 l. 19	Lege Ps. 109, 4 pro 109, 5
140 adn. 8	Lege Rom. 8, 14 pro 8, 17
142 adn. 4	Lege Matth. 18, 18 pro 18, 28

PAG.	
164 sqq.	De tractatibus partium IV et V lector consulat commentationes nostras: Analecten zur Reformtätigkeit der Päpste Julius III. und Pauls IV.: Römische Quartalschrift 42 (1934) 305-332; 43 (1935) 87-156; Kirchenreform und Konzilsgedanke: Hist. Jahrbuch 54 (1934) 401-431.
169 adn. 3	Lege *Rodulphus Pius*
251 adn. 1	Lege *cum hac bulla*
257 adn. 2	Lege *custodiendis pueris*
257 adn. 3	Lege *esse abolendam*
320 adn. 4	(321) Legendum *Givry*
329 l. 38	Lege *Basilius de Ferrariis*
367 adn. 1	Ponendum p. 366 adn. 4 pro adn. 7
382 adn. 2	Lege Ps. 43, 14
382 adn. 5	Lege *synodi Constantinopolitanae*
405 adn. 2	Lege Act. 8, 18 sqq. pro 18, 8
447 adn. 3	Legendum *Ferdinandus I*
474 l. 1	Lege *rerum* pro *verum*
551 adn. 2	Legendum *Iohanne III*
572 adn. 2	Lege *concilium Milevitanum II*
576 adn. 8	Lege *5. Februarii 1561*
581 adn. 2	Lege *ab aliis theologis*

In ultimis foliis tertia correctione omissa mendae quaedam relictae sunt, quae benevolus lector corrigat

Pag. 697 adn. 4 lege 1 Cor. 9, 19 pro 8, 19.
„ 700 l. 10 lege 1 Cor. 5, 7 sq.; 10, 17 ponendum est l. 14; quae ibi invenitur indicatio 11, 26 ad sequentia referenda est.
„ 700 l. 31 lege Act. 2, 42 pro 4. 42; ibid. l. 53 Lev. 24, 5 sqq. pro 24, 45 sqq.
„ 701 l. 4 lege Jo. 6, 54 pro 6, 44; similiter 702 l. 51 Luc. 8, 10 pro 7, 10.
„ 704 adn. 7 lege Matth. 28, 19 pro 28, 14; ibid. adn. 8 Act. 10, 48 pro 10, 18.
„ 706 l. 14 et 21 lege Jo. 3, 5 pro 3, 15; ibid. l. 18 1 Cor. 11, 28 pro 10, 28.
„ 707 adn. 2 lege Jo. 3, 5 pro 3, 15.
„ 708 adn. 7 lege Hebr. 13, 10 pro 13, 1.
„ 714 adn. 16 lege Exod. 16, 32 pro 16, 23.